40

R. D. EUSEBII AMORT,

CANONICI REGULARIS LATERANENSIS POLLINGÆ, EMINENTISSIMI CARDINALIS *LERCARI*, nec non
SERENISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI, DOMINI *JOSEPHI*, EPISCOPI AUGUSTANI,
S. R. I. PRINCIPIS DARMSTADIANI LANDGRAVII HASSIÆ, &c. &c.
THEOLOGI,

THEOLOGIA
ECLECTICA,
MORALIS ET SCHOLASTICA,

SUB AUSPICIIS

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

AD MENTEM
SS. PATRUM ET THEOLOGORUM INSIGNIUM,
PRÆSERTIM VETERUM
CONSCRIPTA.

TOMUS II.

CONTINENS

TRACTATUS

I. DE PECCATIS IN GENERE.
II. DE PECCATO ORIGINALI, ET GRATIA.
III. DE INCARNATIONE.
IV. DE SACRAMENTIS IN GENERE.
V. DE SACRAMENTO BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS.
VI. DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

CUM APPROBATIONIBUS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM ET WIRCEBURGI,
SUMPTIBUS MARTINI VEITH, BIBLIOPOLÆ,
ANNO MDCCLII.

INDEX QUÆSTIONUM.

Tractatus DE PECCCATIS.

DISPUTATIO I.

De natura & quidditate peccatorum.

QUÆSTIUNCULÆ

De natura peccatorum.

DISPUTATIO II.

De Distinctione peccatorum.

DISPUTATIO III.

De causa & effectu peccati.

QUÆSTIUNCULÆ.

Solvuntur varia dubia de causa & effectu peccatorum.

DISPUTATIO IV.

De præcipuis quibusdam generibus peccatorum.

Tractatus DE PECCATO ORIGINALI, ET GRATIA.

DISPUTATIO I.

De statu naturæ integræ.

4. QUÆSTIUNCULÆ.

De proprietatibus naturæ integræ quoad corpus & animam.

DISPUTATIO II.

De Peccato Originali.

DISPUTATIO III.

De Gratia.

Tractatus DE INCARNATIONE.

DISPUTATIO I.

De Natura & Existentia Incarnationis.

DISPUTATIO II.

De necessitate, & motivo Incarnationis.

DI-

DISPUTATIO III.

De causa effectiva & meritoria Incarnationis.

DISPUTATIO IV.

De Libertate, Scientia, & aliis perfectionibus Christi.

DISPUTATIO V.

De vero Anno Nativitatis Dominicæ.

§. I.

Prænotanda.

Tractatus DE SACRAMENTIS.

DISPUTATIO I.

De natura & existentia Sacramentorum.

DISPUTATIO II.

De materia, forma, & aliis partibus constitutivis Sacramentorum.

DISPUTATIO III.

De causalitate & effectu Sacramentorum.

DISPUTATIO IV.

De Authore Sacramentorum.

DISPUTATIO V.

De Ministro Sacramentorum.

DISPUTATIO VI.

De suscipientibus Sacramenta.

Tractatus
DE
SACRAMENTO BAPTISMI
ET CONFIRMATIONIS.

§. 1.

De natura, institutione, & necessitate baptismi.

§. 2.

De Materia, & forma baptismi.

§. 3.

De Subjecto Baptismi.

§. 4.

De Patrinis.

§. 5.

De Ministro Baptismi.

§. 6.

De effectu Baptismi.

QUÆSTIUNCULÆ.

De Sacramento Confirmationis.

* *

Tractatus DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

DISPUTATIO I.

De exiftentia hujus Sacramenti.

DISPUTATIO II.

De materia, forma, & aliis partibus Sacramenti Euchariftiæ.

DISPUTATIO III. & IV.

De Transfubftantiatione, & Accidentibus.

QUÆSTIUNCULÆ MISCELLANEÆ.

De variis proprietatibus Euchariftiæ.

DISPUTATIO V.

De effectu & neceffitate Euchariftiæ.

QUÆSTIUNCULÆ.

§. 1. Circa obligationem communicandi jure divino.

 4. An

INDEX QUÆSTIONUM.

§. 2. *Circa obligationem communicandi Jure Ecclesiastico in Pascbate.*

§. 3. *De Miniſtro Euchariſtiæ.*

§. 4. *De jejunio ad communionem prærequiſito.*

§. 5. *Circa alias dispositiones in communicante requisitas.*

Tracta-

Tractatus
DE PECCATIS.

Hic Tractatus in quatuor Disputationes dividitur:

I. De pertinentibus ad naturam, & quidditatem peccatorum.

II. De distinctione peccatorum, v. g. de distinctione mortalium, & venialium, deque diversitate eorum specifica, ac numerica.

III. De causa, & effectu peccatorum, v. g. de macula, de reatu culpæ, de reatu pœnæ æternæ &c.

IV. De præcipuis generibus peccatorum, v. g. de primis motibus, de morosa delectatione circa objecta illicita, de delectatione sensibili, & sensuali, de resistentia negativa ad tentationes, de periculo probabili incurrendi peccati, de occasione proxima, vel propinqua peccati &c.

DISPUTATIO I.
De natura & quidditate peccatorum.

Disputatio hæc in septimas Quæstiones dividitur:

1. Quid sit peccatum actuale, & habituale?
2. An detur peccatum Philosophicum?
3. Qualis requiratur deliberatio, & advertentia ad peccatum mortale?
4. An peccata ignorantiæ, & effectus ex præcedenti peccato consequentes v. g. blasphemia in ebrietate sint verè, ac propriè formalia peccata, cum nova distincta imputabilitate ad novam pœnam?
5. An actus omissionem culpabilem concomitans v. g. lectio libri omissionem culpabilem Sacri concomitans sit verum peccatum?
6. An formalis malitia peccati consistat in puro negativo, vel positivo?
7. Resolvuntur varia dubia de natura peccatorum.

QUÆSTIO I.

Quid sit peccatum actuale, & habituale?

DICO I. Peccatum actuale rectè definitur *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* Ita S. AUGUSTINUS l. 22. contra Faust. c. 27. & S. THOMAS 1. 2. q. 71. a. 6.

PROBATUR Conclusio. Hæc definitio ex *una* parte satis clarè explicat constitutiva peccati materialia, & formalia; ex *altera* parte est recepta à tota antiquitate; & ex *tertia* parte non peccat contra leges essentiales bonæ definitionis ergo. *Antecedens quoad primum membrum prob.* Constitutivum materiale peccati sunt actus humani, formale autem constitutivum est oppositio ad legem æternam Dei, ut supponitur *ex Tract. de Actibus humanis.* Disp. 1. §. 4. quæstiuncula 3. & 4. Ergo.

DICO II. Peccatum habituale nil aliud est, quàm peccatum actuale præteritum nondum retractatum, & remissum.

PROBATUR Conclusio. Eadem sunt constitutiva rei in esse, & conservari; ergo non est aliud constitutivum peccati habitualis, quàm ipsum peccatum præteritum, & ejus habitualitas, seu permanentia, quæ habetur per hoc ipsum, quòd nondum fuerit retractatum.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 1. *Conclus.* 1. Definitiones disjunctivæ non approbantur in Summulis; ergo.

2. Non est clarum, quid sit lex æterna Dei; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Non approbantur in Summulis Logicæ *Scrupulosæ*. c. *Criticæ*. n. a. Ostensum enim est, omnem definitionem esse bonam, dummodò accommodatè ad genium audientium explicet distinctivum prædicatum, & partes constitutivas rei definitæ: modus autem explicandi non pertinet ad essentialia definitionis.

Ad 2. dist. a. Non est clarum *peregrinis* in Theologia D. THOMÆ, & PATRUM. c. *familiaribus.*

D. *Amort Tract. de Peccatis.* A

liaribus. n. a. Sicut enim artes habent sua propria idiomata, ita etiam suum idioma habet Theologia D. THOM. AUG. & PATRUM. Itaque familiares in ea Theologia norunt, per *legem æternam* nil aliud intelligi, quàm ordinem præstabilitum, & incommutabilem divinæ sapientiæ, ut dirigentis creaturas rationales ad suum finem ultimum.

OBJICITUR 2. *contra eandem* 1. Longè melior videtur esse definitio Recentiorum dicentium, quòd peccatum sit *libera transgressio legis divinæ*; ergo.

2. In peccato essentiale constitutivum est libertas; ergo debet exprimi.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Est melior *secundum quid*. tr. *Simpliciter* n. a. quamvis enim hæc definitio sit clarior, & ad leges Summulisticas scrupnlosior, non tamen adeò commodè ante oculos sistit partes potestativas peccati, per quod simul fungitur locô divisionis, simulque occurrit errori Rabbinorum existimantium, actus internos non esse peccatum, aut eorum præjudicio, qui putant, actus externos non habere bonitatem, vel malitiam peccati saltem materialem. In definitione autem magis spectanda est utilitas, quàm superstitiosa summularum exactio: adeoque præferenda est illa definitio, cujus plures dantur utilitates; cæteris essentialibus requisitis non notabiliter imparibus.

Ad 2. c. a. dist. c. Ergo debet exprimi saltem in terminis *generalibus*. c. *specificis*. n. c. qui enim v. g. dicit, hominem esse animal, eo ipso in terminis generalibus exprimit, hominem esse sensitivum, vivum, substantiam. &c. Itaque qui dicit, peccatum esse contra legem Dei, eo ipso in terminis generalibus exprimit, illud esse liberum, cùm utique objectum legis divinæ nullus actus humanus sit, nisi liber, ut per se cuivis est manifestum.

OBJICITUR 3. *contra eandem* 1. Multa sunt peccata, quæ sunt contra legem Ecclesiæ, aut reipublicæ; ergo non est necesse, ut sint contra legm Dei.

2. Datur peccatum æternâ pœnâ dignum, quod tamen non est contra Deum; ergo. *Prob. Ant.* Si quis invincibiliter ignoret existentiam Dei, & tamen agat contra rectam rationem, v. g. occidendo innocentem talis erit æternâ pœnâ dignus, quin agat contra Deum.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Sunt contra legem Ecclesiæ, vel reipublicæ, tanquam Regulam obligationis *immediatam*. c. *ultimam*. n. a. Nisi enim Deus præciperet, obediendum esse Ecclesiæ, aut reipublicæ, tam parum peccaret, ac si cani petenti non daret panem.

Ad 2. n. a. *ad prob.* iterum n. a. vel suppositum, posse dari ignorantiam Dei invincibilem vel unicô momentô post semel adeptum usum rationis moralem. Eo ipso enim, quòd taliter agens advertat, se agere contra aliquid obligans nescio quid, quod est Superius omni causâ creatâ, eo ipso sub termino convertibili cognoscitur Deus.

OBJICITUR 4. *contra eandem* 1. Peccatum veniale est propriè dictum peccatum, & tamen non est contra legem Dei; ergo. *Antecedens quoad* 2. *membrum* est D. THOMÆ, qui dicit, peccatum veniale non esse contra legem Dei, sed præter legem Dei. *Hic quæst.* 88. *art.* 1. *ad* 1. sic habet: *Venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, sed facit præter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit.* Idem habet 2. 2. q. 105. art. 1. ad 1.

2. Datur pura omissio peccaminosa v. g. omissio Dilectionis Dei, & tamen non est dictum, vel factum; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. q. 2. m. Non est simpliciter contra legem Dei *quoad substantiam*, hoc est, realiter, indivisibiliter, atque essentialiter sumptam. c. Non est contra legem *secundum quid*, & *quoad modum*, hoc est, præcisivè, divisibiliter, ac integraliter sumptam. n. a. Nam juxta D. Thomam omnis lex divina, quæ secundariò obligat sub veniali, vel ob parvitatem materiæ, vel ob indeliberationem actus, ex suo genere obligat sub mortali; nec quiescit ulla lex in sola obligatione, sed eo ipso, quòd lex sit ordinatio rationis ad bonum commune, simul realiter, ac essentialiter est ordinatio hominis ad finem ultimum. Itaque verum est, quòd venialiter peccans non agat contra substantiam ejusmodi legis, indivisim, & essentialiter spectatæ.

Ad 2. n. a. *quoad* 1. *membrum*. Contrarium enim suppono ex *Tract. de Actibus humanis.* aut Tr. a. q. 1. m. dist. *q.* 2. *Min* Non est factum *rigorosè*. c. *latè*. n. a. Quia etiam negationes dicuntur fieri. Sic enim dicit Apostolus ad Rom. 11. v. 25. *contigit cæcitas in Israël.* Et Evangelium: *factæ sunt tenebræ*. &c.

OBJICITUR 5. *contra eandem* 1. Juxta communem Theologorum dantur aliqua peccata, quæ ideo sunt mala, quia prohibita, alia verò ideo prohibita, quia mala; ergo non omne peccatum propterea est malum, quia est contra legem Dei.

2. Odium Dei est malum antecedenter ad omnem suppositionem legis; ergo.

3. Si omnia peccata essent mala, quia sunt contra legem, tunc posset Deus in omni peccato, etiam in odio Dei dispensare; sed hoc implicat; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Dantur talia, quia sunt mala *fundamentaliter*. c. *formaliter*. n. a. Aliqua enim non sunt fundamentaliter mala, ut v. g. comestio carnis &c. alia verò sunt mala fundamentaliter, petuntque prohiberi, quale est odium Dei.

Ad 2. dist. a. Odium Dei antecedenter ad suppositionem legis est *fundamentaliter* malum. c. *formaliter*. n. a.

Ad 3. iterum dist. *Maj.* Posset dispensare, nisi ejusmodi actus essent *fundamentaliter* mali. c. secus. n. *Maj.* Si enim Deus talia non prohiberet, non esset summè perfectus, aut sanctus.

OBJICITUR 6. *contra eandem* 1. Qui ageret contra conscientiam erroneam, v. g. levandô festucam die festo, putans esse mortale, peccaret graviter, & tamen non ageret contra legem Dei; ergo.

2.° Deus non necessariò punit peccatum, ergo nec necessario prohibet; ergo peccatum non est necessariò contra legem Dei prohibentem.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Non ageret contra legem *prohibentem levare festucam*. c. *prohibentem agere contra conscientiam*. n. a. Quamvis non detur lex ad abstinendum ab hac actione, datur tamen lex non agendi contra conscientiam.

Ad 2. tr. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia condonare pœnam non repugnat ulli perfectioni divinæ: econtra nullam determinare obligationem ad pœnam in peccato repugnat sapientiæ providi gubernatoris.

QUÆSTIO II.

An detur peccatum Philosophicum.

NOTANDUM I. Peccatum Philosophicum dici illud, quod est contra rectam rationem, quin tamen sit contra Deum; eò quòd agens vel Deum ignoret, vel de Deo non cogitet. De hoc peccato quæruntur duo:

1. Utrum, si daretur, esset æternâ pœnâ dignum?
2. Utrum actu detur tale peccatum?

NOTANDUM 2. Hanc doctrinam cœpisse fieri famosam occasione cujusdam Thesis à P. MUSNERIO S. J. Professore defensæ in Collegio Divionensi 1686. & publicè in scriptis dictatæ. Thesis autem illa, prout eam denuntiarunt pluribus libellis ARNOLDUS Caput Jansenistarum, & ejus asseclæ, sic habet: "Sicut actus humanus „ nunquam est malus, sublata cognitione malitiæ, sic nunquam est offensa Dei, si non cognoscatur esse offensa Dei. *Et Conclusio* 1. „ Peccatum Philosophicum, seu morale est actus „ humanus disconveniens naturæ rationali, & „ rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave in eo, qui „ Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, „ est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque æternâ pœnâ dignum.

NOTANDUM 3. ab ALEXAND. VIII. 1690. damnatas fuisse duas propositiones, quarum secunda est ista: "Peccatum Philosophicum, „ seu morale est actus humanus disconveniens „ naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera „ legis divinæ. Philosophicum quantumvis „ grave in illo, qui vel Deum ignorat, vel de „ Deo actu non cogitat, est grave peccatum; „ sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœnâ „ æternâ dignum.

Hanc propositionem Pontifex declarat *scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam.*

NOTANDUM 4. Theologos Societatis, qui post hanc damnationem ex instituto scripserunt de illa Thesi Divionensi, asserere, quòd P. MUSNERII Conclusio aliter fuerit denuntiata, & excerpta quàm ille revera docuit, aut sensit. Sic P. VIVA in hanc propositionem scribens n. 3. ait: "Propositio hæc ortum habuit occasione arrepta ex quibusdam Thesibus „ publicè expositis 1686. à quodam Professore „ Divionensi, in quibus, licèt hæc Thesis prout „ jacet, non reperiretur, nihilominus paucis „ per invidiam mutatis in hanc præsentem Thesin „ una ex iis concinnata fuit, cùm tamen mens „ Professoris in manuscriptis expressa, & verba „ expositæ Thesis longè alium sensum haberent, „ quàm faciunt verba hujus Thesis proscriptæ: „ in ea enim Thesi in manuscriptis Professor „ disertè loquebatur de illo, qui peccaret cum „ omnimoda Dei ignorantia, aut inadvertentia, „ & solùm in sensu conditionato, non absoluto „ asserebat, quòd si invincibilis, & omnimoda „ Dei ignorantia dari posset in eo, qui peccat, „ hic Deum non offenderet, quod non pauci „ Doctores docent, nec in hac Thesi damnantur." Ita P. VIVA. Adeoque hic Auctor, dum Pontifex asserit, *hanc Thesin noviter erupisse*, aut censet, eum falso fuisse informatum, quod difficile dictu, aut debet asserere, quòd alii docuerint tunc noviter doctrinam in Thesi damnatam.

NOTANDUM 5. Dari varios Authores, qui non tantum docent, tale peccatum, si daretur, non fore dignum æternâ pœnâ, sed etiam aliqui addunt, illud actu dari. Quidam in Scriptis in quadam Universitate Germaniæ annô 1713. dictatis sic habet: CONCLUS. 1. "Non „ est decisum ab Alexandro VIII. quòd si daretur peccatum purè Philosophicum, illud foret mortale, & æternâ pœnâ dignum. Ita „ LUGO, LA CROIX &c. CONCLUS. 2. Alexander VIII. non decidit absolutam impossibilitatem peccati Philosophici. CONCLUS. 3. „ Absoluta, & metaphysica impossibilitas peccati purè Philosophici nec videtur convincenti „ ratione demonstrari.

NOTANDUM 6. Theologos non convenire, quid in illa Thesi fuerit damnatum. Aliqui dicunt, damnatam fuisse ipsam ejus universalitatem, eò quòd universaliter doceat, non esse pœnæ reos, qui Deum ignorant, vel de Deo non cogitant, non facto discrimine, utrum vincibiliter, vel invincibiliter ignoretur Deus. Alii censent, damnatam fuisse existentiam, ac possibilitatem peccati Philosophici, cum quibus

DICO. Nec datur, nec dari potest peccatum Philosophicum. Ita docet ipsemet P. DANIEL S. J. qui in hâc ipsâ causâ scripsit nomine totius Societatis. Ita THOMISTÆ ferè omnes. Imo Romæ in Academia Eruditorum *alla Sapienza*, ne quidem licitum est defendere oppositum, sed Academicis inter Parerga dogmatica Thesi 25. ponitur hoc: *Peccati Philosophici Commentum meritò proscriptum est.* Qui modus assertivus tantùm locum habet in illis conclusionibus, quarum oppositum in ea Academia non licet publicè defendere. Idem docet P. VIVA in Propositionem damnatam n. 19. ubi ait: *Colliges, quid dicendum ad illam quæstionem, utrum sit possibile peccatum purè Philosophicum? censeo, casum hunc etiam Metaphysicè esse impossibilem.* Verba autem P. DANIELIS dabimus infrà.

PROBATUR I. ALEXANDER VIII. damnavit doctrinam de existentia, & possibilitate peccati Philosophici; ergo. *Prob. Ant.* Doctrina propositionis damnatæ est doctrina de existentia peccati Philosophici; ergo. *Prob. Ant.* Doctrina propositionis damnatæ est talis, quæ tunc revera exstitit. 2. Quæ erat recens. 3. Quæ erat scandalosa; sed nulla alia doctrina erat talis; ergo. *Major patet* ex terminis damnationis, quæ sic habet: " SSmus D. N. ALEXANDER VIII. non sine magno animi sui
„ mœrore audivit, duas Theses, unam denuò,
„ & in majorem fidelium perniciem suscitari,
„ alteram (de peccato Philosophico) DE NOVO
„ erumpere: & cùm sui Pastoralis officii munus
„ sit, oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere,
„ dictarum Thesium examen in Theologia
„ Magistris, & Eminentissimis Cardinalibus Inquisitoribus
„ commisit, qui pluries re MATURE
„ discussâ sua suffragia exposuerunt. Quibus
„ omnibus benè, & maturè consideratis secundam
„ declaravit scandalosam, temerariam, piarum
„ aurium offensivam, & erroneam. Insuper
„ probibuit omnibus fidelibus sub intermi-
„ natione divini judicii, ne præfatam Thesin in
„ praxin deducant." *Minor probatur.* Doctrina de absoluta existentia peccati Philosophici erat tunc temporis verè existens, erat nova, & apta ad praxin pernitiosam: econtra doctrina de peccato Philosophico cum ignorantia Dei vincibili, nec exstitit, adeoque nec erat nova, nec scandalosa; ergo. *Ant. quoad 1. membrum probatur* ab inductione Authorum, qui eo tempore scripserunt, & asseruerunt existentiam peccati Philosophici, eo modo, quo facilè poterat applicari ad casus particulares. Propositiones hujusmodi, prout referuntur à PHILALETHE CANDIDO in Catal. Propos. n. 146. 147. 148. 150. 152. 153. 155. 156. 158. 159. 162. 163. 164. 165. sunt sequentes:

1. *Tam rudes, & inculti possunt esse aliqui homines, ut invincibilis Dei ignorantia, longo etiam tempore, in iis contingere possit, etiam positiva (id est positivo existimatio, quòd Deus non sit) ex prava Doctoris Athei instructione.* MOLINA 1. *p. q.* 2. *a.* 1. ISQUIERDO *Disp.* 1. *de Deo. num.* 165. & 172. QUIROS *Disp.* 14. *num.* 58. ARRIAOA *Disput.* 2. *Sect.* 3. MARTINON *Disput.* 15. *de Peccat. Sect.* 12. *n.* 117.

2. *Porrò ea ignoratione excusabuntur à peccato, infidelitatis, Atheismi, & quòd Deum non colant, nec honorem ei debitum exhibeant.* Iidem ibidem.

3. *Talis homo taliter ignorans Deum non peccabit mortaliter, etiamsi alium occidat, & putet se malè facere, nec ideo promerebitur pœnam æternam - - - nam ratio promerendi pœnam æternam solùm desumitur ex eo, quòd aliquis homo saltem in confuso noscat se offendere Deum Summum.* ARRIAGA *ibidem in Respons. ad ult. Object. Et peccatum quantumvis graviter rationi repugnans Commissum ab invincibiliter ignorante, vel inculpabiliter non advertente Deum esse, aut peccatis offendi, non est mortale.* DARELLUS *in Thesi apud Angloleodienses defenso* 20. *Junii* 1691.

4. *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicam quantumvis grave in eo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* MUSNIERUS (*author famosæ Theseos Divionensis anni* 1686.) *in dictatis prolectis in Collegio Divionensi S. J.*

5. *Si quis adulterium vel homicidium perpetraverit, non cogitando de Deo, non imputabitur operanti, quòd offenderit Deum, sed quòd occiderit, vel mœchatus fuerit; nec Deus indignabitur, quòd ipsum offenderit, sed propter homicidium, vel mœchiam, quæ potest dici offenso materialis, ut distinguitur ab illa alia, quæ potest dici formalis, quatenus contrahit formaliter malitiam offensionis divinæ.* CARDINAL DE LUGO *Disp.* 5. *de Incarnat. Sect.* 5.

6. *Arriaga loc. cit. cum sibi objecisset: Ergo talis homo ignorans Deum, non peccabit mortoliter, etiamsi alium occidat, & putet, se malè facere: Nam peccatum mortale definitur communiter, dictum, factum, vel concupitum contro legem æternam Dei, ille autem legem æternam ignorat. Respondet: talem non prometiturum per illud factum pœnam æternam, sed temporalem grovem: - - nam ratio promerendi pœnam æternam solùm desumitur ex eo, quod oliquis homo saltem in confuso noscat se offendere Deum Summum, quod in ignorante non reperitur. Nec inconveniens est, in tali concedere, eam actionem non esse pœna æterna dignam ex ignorantia illa invincibili. Ito etiam* P. ESTRIX *in thesi defensa Lovanii* 23. *Julii.* 1668.

7. *Mortale Theologicum - - non alia causo pœnam meretur æternam, quàm quod sit malitiæ infinitæ: malitiam verò infinitam ex eo habet, quòd sit gravis formalis offensio personæ dignitatis infinitæ cognitæ qua talis.* P. de JONOHE *in thesi defenso ibidem* 1671. *Inde concludens mortale Theologicum sine illa cognitione non reperiri.*

8. *Peccatum quantumvis rationi graviter repugnans, commissum ab invincibiliter ignorante, aut non advertente Deum esse, aut peccatis offendi, non est mortale. Cùm enim nullum etiam virtualem, & implicitum Dei contemptum includat, stare potest cum charitate perfecta, & amicitio divina. Unde tale peccatum esset quidem grave gravitate Philosophica - - non tamen Theologica, consistente in repugnantia cum lege, & bonitate divina.* PLATELIUS *in Synopsi curs. Theol. p.* 2. *c.* 3. §. 3. *n.* 189.

9. *Ex optimorum Theologorum doctrina nullum peccotum Theologicum, quo scilicet aliquo modo separamur à fine ultimo, & meremur pœnas illas horrendas damni, & sensus; committi poterit cum invincibili Dei ignorantia, imo nec absque actuali cognitione, per quam infinita Dei bonitas, & majestas, aut explicitè, aut certè sub terminis cum clariore ejus conceptu convertibilibus, implicitè nobis innotescat.* TERILLUS *de Consc. prob. q.* 11.

Similes sunt plurus aliæ Propositiones hujusmodi Authorum, quas vide in præfato Authore.

Ex his autem liquet, doctrinam de existentia peccati Philosophici revera exstitisse, eamque habuisse satis amplam applicationem in praxi. Econtra ex nullo Authorum impressorum probari potest, quòd hæc doctrina fuerit antiqua, aut quòd ullus Authorum docuerit peccatum Philosophicum cum ignorantia Dei vincibili.

PRO-

PROBATUR ergo *Ant.* 2. Si Pontifex damnaſſet propoſitionem ob ſuam generalitatem, tunc damnaſſet hanc doctrinam, quòd peccatum Philoſophicum cum ignorantia Dei vincibili non ſit æterna pœna dignum; hoc non poteſt dici; ergo. *Prob. Min.* Si hanc damnaſſet, tunc damnaſſet doctrinam, quam nulius docuit; hoc non poteſt dici; ergo. *Minor patet;* quia Pontifex dicit, eam doctrinam *noviter erupiſſe*, & hoc dicit *re maturè examinata.*

PROBATUR *Ant.* 3. ex Confeſſione P. DANIELIS S. J. qui occaſione hujus ipſius Theſis ſcripſit Apologiam pro Societate Jeſu, adeoque neceſſariò ſcivit ſenſum Propoſitionis damnatæ, maximè cùm ſcripſerit in Gallia, ubi iſta controverſia orta eſt. Is itaque fatetur, propoſitionem fuiſſe damnabilem, quatenus docet exiſtentiam peccati Philoſophici, idque fatetur nomine totius Societatis in præfata Apologia, quam edidit Gallicè ſub titulo: *Epiſtola cujuſdam Theologi ad Archiepiſcopum Rhemenſem*, coram quo quidam Profeſſores Societatis ratione peccati Philoſophici fuerant accuſati. Sic habet: "Ex quo „ ARNALDUS finxit novum ſpectrum peccati Philoſophici, ut haberet anſam declamandi contra doctrinam Societatis, tanquam laxam, hoſtes Jeſuitarum magnopere deſiderarunt in Scriptis Theologorum Societatis, ut in iis reperirent veſtigia peccati Philoſophici. Quando tumultus ille magnus de peccato Philoſophico primum exortus eſt occaſione Theſis Divionenſis, Jeſuitæ declarârunt ſtatim ab initio publicè: 1. Doctrinam peccati Philoſophici nullô modô eſſe doctrinam Societatis, & quòd illam damnent abſolutè, ac ſine reſtrictione. 2. Declararunt, ſe condemnare Theſin Divionenſem, quæ præbuit occaſionem huic rumori, ſub eo modo, quo fuerat concepta. 3. Quòd in illa Theſi, quæ peſſimè fuerat expreſſa, Profeſſor Divionenſis prorſus contrarium dicat ad ea, quæ in Scriptis dictaverat. 4. Quod ARNALDUS habuerit ſcripta illius Profeſſoris, ex quibus potuiſſet diſcere veram ejus mentem, & tamen hoc non obſtante iteraverit denuntiationes. Ad confundendos ergo Adverſarios alio non opus eſt, quàm ut tradam notionem de errore peccati Philoſophici. Error peccati Philoſophici conſiſtit in eo, quòd homo, qui ignorat exiſtentiam Dei, non peccet contra Deum, quem non cognoſcit, ſed contra rationem, & quòd non peccandô contra Deum peccatum non ſit Theologicum, quia non offendit Deum; ſed quòd ſit Philoſophicum, quia eſt contra rationem. Idem error conſiſtit adhuc in eo, quòd inde eruatur hæc conſequentia, quòd illud peccatum, cùm non ſit contra Deum, non mereatur damnationem æternam. Veritas errori oppoſita eſt, quòd peccatum hoc, cùm ſit contra rationem, ac conſequenter contra legem, quam Deus impreſſit cordibus noſtris, non tantùm ſit Philoſophicum, ſed etiam Theologicum, hoc eſt, contra Deum, & quòd mereatur damnationem æternam. En! in quo conſiſtat myſterium de errore peccati Philoſophici. Itaque is non conſiſtit in hoc, quòd homo aliquo tempore poſſit invincibiliter ignorare exiſtentiam Dei: hæc enim doctrina eſt plurium celebrium Doctorum; ſed error conſiſtit in hoc, quòd ſtante hac ignorantia, etiam in ſuppoſitione, quòd ſit invincibilis, peccatum tantùm ſit Philoſophicum, non autem contra Deum, quem peccator non cognoſcit, nec Theologicum, & quòd conſequenter hoc peccatum non puniatur damnatione æterna, hoc enim falſiſſimum eſt; quia, cùm peccatum ſit contra legem, quam Deus inſcripſit cordibus noſtris, evidens eſt, quòd offendat Legiſlatorem ipſum. Vide jam ingentem denuntiatorum calumniam. Profeſſor Divionenſis in ſuis ſcriptis expreſſè docuit, & validiſſimè probavit veritatem è diametro oppoſitam ad errorem peccati Philoſophici. Denuntiatores autem audent intrepidè obtrudere hanc enormem falſitatem, quòd ex illis ipſis ſcriptis prodeat error peccati Philoſophici. Profeſſor juxta ſanam Theologiam diſtinctè docet, & accuratè, quòd homo, qui ſupponitur aliquo tempore invincibiliter ignorare exiſtentiam Dei ſemper ſit reus peccatorum, quæ committit tempore hujus ignorantiæ, quòd peccet contra Deum, & quòd ſe reum faciat damnationis æternæ, idque probat. Ubi eſt ergo peccatum Philoſophicum? ubi ſunt excuſationes Atheorum? quòd ſi etiam eſſent in ignorantia invincibili, non tamen propterea peccata deſinerent ipſis imputari. Id Profeſſor cum aliis Theologis defendit." *Hucuſque* P. DANIEL. Ex quo ſequitur, quòd peccati Philoſophici exiſtentia tunc damnata fuerit nomine totius Societatis, ſaltem à P. DANIELE. Cæterùm an diſcurſus hujus Scriptoris ſit exactus, viderit facilè attentus Lector.

PROBATUR Concluſio 2. Non datur ignorantia Dei invincibilis poſt adeptum uſum rationis moralem; ergo nec datur peccatum Philoſophicum. *Ant. ſuppono* ex Tract. *de Deo* Diſput. 1. q. 1. & 2. ubi oſtenſum eſt, exiſtentiam Dei per modum primorum principiorum eſſe per ſe notum omnibus hominibus ſub aliquo ſaltem prædicato convertibili cum Deo.

PROBATUR Concluſio 3. Ad contrahendam malitiam peccati Theologici, ac reatum pœnæ æternæ ſufficit, ab homine cognoſci oppoſitionem ſuæ actionis ad aliquid prohibens ſupremum, neſcio quid; ergo etiam ſuppoſita ignorantia Dei invincibili ſub conceptu explicito Conditoris, aut Gubernatoris Univerſi, tamen non dabitur peccatum Philoſophicum. *Ant. prob.* Si quis in ſylvis enutritus nil audiiſſet de pœna æterna, agnoſceret tamen actum prohiberi à Deo, talis nihilominus mereretur pœnam æternam; ergo & ille, qui ne quidem agnoſcit oppoſitionem ſuæ actionis ad Conditorem, vel Gubernatorem Univerſi, attamen cognoſcit oppoſitionem ſuæ actionis ad aliquid ſuperius ſe obligans neſcio quid, reipſa peccat contra Deum.

CONFIRMATUR I. Qui non agnoſcit ſuum parentem, & tamen malediceret ſuo principio, quodcunque illud ſit, læderet etiam individuum perſonæ; ergo etiam qui agit contra ſupremam regu-

regulam obligatoriam, qualiscunque illa sit, in specie, & in individuo lædit eum, qui est illa regula.

CONFIRMATUR 2. Si Janitor ab aditu arceret hominem, quem agnoscit esse virum potentem, & dubitat, esse Regem, dignus esset gravi indignatione, ac pœna, quamvis non sciret certò, illum revera esse suum Regem; ergo etiam gravi indignatione dignus est, qui agit contra Legislatorem Conscientiæ, quamvis non certò sciret, eum esse Conditorem & Gubernatorem Universi.

CONFIRMATUR 3. Implicat, ut peccatum attingatur tanquam dissonum naturæ rationali, quin simul implicitè attingatur tanquam transgressivum Legis divinæ; ergo Metaphysicè repugnat peccatum merè Philosophicum. *Ant. prob.* per hoc, quòd peccatum attingatur tanquam dissonum naturæ rationali, & rectæ rationi, eo ipso attingitur implicitè ut illicitum, atque adeo ùt prohibitum, & nullatenus patrandum; ergo etiam attingitur ùt implicitè oppositum divinæ voluntati illud prohibenti, atque adeò ut contemptivum divinæ prohibitionis. *Conseq. prob.* Quando peccatum apparet ùt prohibitum, ita ut nullatenus liceat, eo ipso apparet, ùt prohibitum ab omniscia, & omnipotente voluntate quæ unicè illud potest prohibere; sed ea voluntas est sola divina, & Lex æterna Dei; ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Qui offendit hominem non cognitum sub ratione Regis, non est reus læsæ majestatis; ergo etiam qui agit contra dictamen rectæ rationis, ac contra regulam morum, non agnoscens, id esse Deum, non est reus offensæ divinæ.

2. Qui furatur rem alienam, ignorans esse rem sacram, non est reus sacrilegii; ergo etiam qui agit contra honestatem naturæ, ignorans esse præceptam à Deo, non peccat contra Deum.

3. Qui in sylva occidit hominem, invincibiliter putans esse feram, non est reus homicidii; ergo etiam qui violat præcepta rectæ rationis, invincibiliter putans, ea non provenire ab aliquo Deo, non est reus injuriæ erga Deum.

RESPONDEO *ad* 1. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia homo saltem implicitè cognoscit, Legislatorem suum internum esse aliquid majus omni creatura rationali.

RESPONDEO 2. dist. a. Qui offendit hominem non cognitum etiam *disjunctivè*, aut *dubiè*. c. non cognitum *certò*. n. a. qui enim offenderet hominem, dubitans an sit Rex, esset eo ipso læsæ Majestatis reus; quia esset animo sic constitutus, ut illum offenderet, sive sit Rex, sive alius. Hinc

RESPONDEO 3. Inverto Argumentum: qui offendit hominem dubitans, an non sit Rex, sic offendendô hominem, est reus læsæ Majestatis ob contemptum interpretativum; ergo qui agit contra regulam morum, nesciens quidem, illam esse Deum, dubitans tamen, an illa regula non sit aliquid sublimius omni creatura rationali, committit interpretativum contemptum, seque exponit ad omnes pœnas, quæ à tali Legislatore infliguntur, si existat.

RESPONDEO 4. dist. a. Qui offendit hominem non cognitum sub ratione Regis per judicium *positivè contrarium*, & moraliter certum de non existentia Regis. c. quem non cognoscit per judicium *dubium*. subdistinguo. in eo casu, in quo prohibitio tollitur per casum dubium. c. secus. n. ant. In præsenti autem prohibitio, & conscientia non cessat reclamare stante dubietate de existentia Legislatoris separati. Quòd verò non possit dari positivum judicium de non existentia Legislatoris separati saltem in prima apprehensione clara, per se manifestum est, & quòd idem non possit dari post aliqualem discussionem rei, patet ab experientia interna mentis cujusvis hominis.

Ad 2. & 3. est eadem Responsio.

OBJICITUR 2. Si quis committit furtum, quod est contra legem naturæ, cui annexa est per Legem Ecclesiasticam invincibiliter ignoratam excommunicatio, non incurrit excommunicationem, ùt habet communis cum SUAREZ *de legibus*; ergo etiam qui committit peccatum, quod est contra rectam rationem, cui per legem divinam annexa est pœna æterna, non incurrit hanc pœnam, si invincibiliter ignorat hanc legem Dei.

RESPONDEO 1. n. Suppositum, quòd saltem in nostro casu agens, non implicitè agnoscat legem divinam sub termino convertibili, prout dictum est.

RESPONDEO 2. c. n. c. & parit. Disparitas est; quia de excommunicatione non potest prudenter suspicari, aut dubitare, prout dubitare potest de lege divina in nostro casu. Hinc

RESPONDEO 3. Invertendo argumentum: Si quis dubitaret, an furto non sit annexa excommunicatio, & per dictamen reflexum non simul proponeretur licentia actionis relata ad Legem Ecclesiæ stante dubietate, revera committeret contemptum interpretativum Legis Ecclesiasticæ; ergo idem est in præsenti, ubi conscientia non dictat licentiam agendi contra conscientiam dubiam relatè ad Legislatorem separatum, sed potius reclamat nomine illius, qui est Author naturæ, & ipsius dictaminis, ùt constat ab experientia interna mentis.

OBJICITUR 3. Dictamen ultimum potest attingere formaliter peccatum præcise ùt disconveniens rectæ rationi, etsi ea disconvenientia realiter simul sit ad legem æternam; ergo non necessariò contrahit malitiam provenientem à respectu ad Legem Dei. *Ant. prob.* Illud dictamen ultimum est simul intellectuale; ergo potest inter duo prædicata realiter identificata formaliter præscindere.

2. Philosophi gentiles non cognoverunt peccatum, ùt offensivum Dei, sed tantum ut dissonum rationi; ergo potest dari. *Ant. est* D. THOMÆ 1. 2. q. 71. art. 6. ad 5.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob.* c. a. dist. c. Potest præscindere, nisi unum prædicatum implicitè

plicitè involvatur in conceptu alterius. c. secùs. n. c. Jam verò prohibitio ùt proveniens à supremo Ente implicitè involvitur in conceptu primæ Regulæ honestatis; ut ostensum est.

Respondeo 2. n. suppos. Quòd dictamen ultimum tantùm repræsentet peccatum ùt disconveniens rectæ rationi; repræsentat enim illud etiam ùt prohibitum à Legislatore distincto à natura rationali, in quo apello ad internam experientiam universalem mentis.

Respondeo 3. dist. ant. Potest attingere peccatum ùt disconveniens rectæ rationi, attamen *cum dubio confuso* de Legislatore separato insuperabili practicè per dictamen reflexum. c. *sine tali dubio* insuperabili. n. a. Nam peccans eo ipso, quòd nesciat, quænam sit illa regula morum prohibens, habet dubium confusum de Legislatore separato, & stante tali dubio non habet simul dictamen reflexum dictans licentiam actionis, aut tollens practicum dubium conscientiæ de non agendô contra legem.

Ad 2. dist. a. Philosophi non cognoverunt peccatum ùt offensivum Dei sub conceptu proprio, ac *distincto* Conditoris. tr. sub *confuso*. n. a. Patet enim ex 1. p. q. 2. art. 1. ad 1. quòd juxta D. THOMAM omnes homines cognoscant Deum naturaliter *sub quadam confusione*. Dein D. Thomas eo ipso loco dicit, ejusmodi Gentiles non esse excusabiles.

Objicitur 4. Potest juxta multos Authores dari ad breve tempus invincibilis ignorantia Dei; sed in tali statu peccatum non potest cognosci ùt oppositum Deo; ergo nec ùt offensivum Dei.

Respondeo dist. a. Potest dari ignorantia Dei sub conceptu *proprio* Conditoris, vel Gubernatoris cogniti tr. sub omni prædicato *convertibili* cum Deo. n. a. Quando simpliciter dicitur, dari ignorantiam Dei invincibilem, id tantùm intelligendum est de Deo cognito sub conceptu proprio, ac communiter controverso: si Authores plus vellent, essent deserendi.

Objicitur 5. Est alia malitia, si quis agat contra dictamen rationis, quod agnoscit, provenire à Legislatore Deo: & alia, dum illud non cognoscit, provenire à Deo; ergo si illa est Theologica malitia, hæc tantùm erit Philosophica.

Respondeo dist. a. Est alia malitia diversitate diversificante *gravitatem* peccati. c. diversificante *genus* peccati. n. a. Sic enim haud dubiè est alia malitia, dum quis hominem occidit, actu, & reflexè advertens, hoc esse contra Deum; & alia, dum tantùm exercitè in impetu iræ: interim tamen utrumque est Theologicum. Sic & alia est malitia, dum Christianus scit, peccato deberi pœnam æternam; & alia, dum v. g. aliquis Platonicus, vel Origenista putat, non dari pœnam æternam: interim tamen uterque scienter agendô contra Deum, meretur pœnam æternam; quia peccandô se subjicit iræ illius, cujus attributa, præsertim justitiæ non clarè agnoscit. Sic & peccans contra rationem, se subjicit iræ illius, qui prohibet, quamvis non clarè agnoscat, quousque se extendant limites indignationis legislativæ.

Objicitur 6. Si per impossibile Deus non existeret, non daretur offensa Dei; ergo etiam non datur in eo, qui invincibiliter ignorat Deum. *Conf. prob.* Non esse, & non apparere, paria judicantur in Jure, & in moralibus; ergo. 2. Non est demonstratum in casu saltem rarissimo, non esse possibile, poni peccatum, ùt contrarium rationi, non se referendô ad ullam regulam morum separatam; ergo debet dici possibile peccatum Philosophicum.

Respondeo *ad* 1. *Transf. Ant.* dist. c. Ergo etiam non datur in eo, qui ignorat invincibiliter sub omni prædicato *convertibili*, & ignorantiâ *excludente omne prudens dubium* de existentia Dei. c. qui ignorat Deum, attamen *cum dubietate* de existentia illius, aut illum agnoscit sub prædicato convertibili. n. c. Ostensum enim est, semper ab omni homine cognosci Deum sub prædicato convertibili, nempe Supremi Legislatoris, aut saltem haberi dubium insuperabile per dictamen reflexum practicum; ùt suprà dictum est.

Ad 2. n. a. vel dist. Erit hoc possibile in homine *nondum habente* usum rationis moralem. c. *jam habente* usum rationis moralem. n. a. Habere enim usum rationis moralem est nihil aliud, quàm agnoscere regulam quamdam honestatis, quam statim per dictamen luminis naturalis intuitivè videt, esse aliquid distinctum à se, adeoque aliquid separatum.

Dices 1. Ergo saltem ante septennium, dum nondum datur usus rationis moralis, dabitur peccatum Philosophicum.

Respondeo. n. a. Quia illi actus præcedentes usum rationis moralem, non sunt propriè humani, sed communes cum actionibus animalibus regulatis per eadem principia, per quæ regulantur actiones brutorum. Et hinc potius debent dici actus *hominis*, quàm *humani*.

Dices 2. Ex nostra sententia sequeretur, quòd si infans horreat spectrum, & agat contra suum horrorem, aut contra regulas Urbanitatis, peccet Theologicè, & quidem graviter; sed hoc non potest dici; ergo. *Maj. prob.* Etiam infans in tali casu agnoscit quemdam instinctum internum arcentem se à tali actione; ergo.

Respondeo. n. *Maj. ad prob.* dist. a. Agnoscit talem instinctum in ordine *ad improportionem naturalem* cum objecto dissentaneo suæ naturæ. c. relatè ad *legislatorem separatum* qualemcunque. n. a. Peccatum Philosophicum, de quo controvertitur, ponitur in homine adulto jam habente usum rationis moralem, adeoque jam capace agnoscendi principia separata hujus obligationis, & instinctus saltem sub dubio.

Dices 3. Non implicat, etiam adultum aliquando relabi ad eum statum inadvertentiæ, qui ponitur habitualis in infante; ergo etiam in adulto potest dari peccatum Philosophicum. 2. Non implicat eum statum infantiæ in hominibus barbaria continuari ad plures annos; ergo.

Respondeo *ad* 1. n. a. Sicut enim ille infans, qui semel risu didicit agnoscere matrem, pronuntiato nomine, vel apprehensâ ideâ matris

tris suæ, simul fertur infallibiliter in personam individuam; ita impossibile est, ut, qui semel didicit regulam morum esse separatum quid, non feratur in illud separatum, quocunque tempore illi observatur regula morum, seu honestatis. Adeoque impossibile est, ullo tempore reincidere in omnimodum statum infantiæ.

Ad 2. transf. a. n. c. quia tantùm loquimur de adulto, qui jam pervenit ad usum rationis moralem per cognitionem saltem dubiam de principio, & legislatore separato.

OBJICITUR 7. ALEXANDER VIII. tantùm proscripsit Thesin *noviter ex Orco emersam*; sed Thesis de existentia peccati Philosophici in casu rarissimo non erat recenter ex orco emersa; ergo. *Maj. patet* ex terminis damnationis. *Min. prob.* Ea Thesis jam olim erat tradita à primæ notæ Doctoribus v. g. à Card. LUGONE, HERINCX, BONÆ SPEI, MARTINONIO, PONTIO &c. ergo.

2. Thesis proscripta declarata est *scandalosa*, hoc est, præbens occasionem peccandi; sed sententia docens ignorantiam invincibilem Dei in peccato Philosophico non quidem Metaphysicè, sed moraliter impossibilem est opinio merè speculativa; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. *Maj.* In Decreto enim ALEXANDRI VIII. prout refertur v. g. à LA CROIX non dicitur: *ex Orco*, sed tantùm *noviter erupit*; quod alium sensum non habet, quàm *cœpit fieri famosa*, & concitare strepitum. quæ Censura etiam cadere potest in sententias ejusmodi Doctorum.

Ad 2. c. *Maj.* dist. *Min.* Est merè speculativa *in Thesi.* trans. *in suis principiis.* n. *Minor.* Quamvis enim hi Authores Doctrinam suam nitantur restringere ad casum rarum, ea tamen ex suis principiis ita comparata est, ut facillimè possit applicari ad casus plurimos per argumentum à pari, aut per consequentiam Theologicam, prout revera etiam applicata est ad casum frequentissimum, in quo quamvis habitualiter agnoscatur existentia Dei, tamen hic, & nunc non advertitur ad existentiam Dei.

DICES. Saltem non est verosimile, Pontificem voluisse damnare sententiam Cardinal. LUGONIS, & aliorum Doctorum; ergo.

RESPONDEO. dist. a. Non voluisse id *directè.* trans. *indirectè.* n. a. Sic enim & Pater nonnunquam ferit mancipium, ut corrigat filium. Hinc potuit fieri, à Pontifice damnatas esse propositiones aliorum Doctorum laxas, quamvis ad eas referri possint etiam Conclusiones Unius, vel alterius Cardinalis.

OBJICITUR 8. Potest dici, Pontificem tantùm damnasse propositionem ob suam Universalitatem, eò quòd excuset à peccato Theologico, non distinguendò inter ignorantiam vincibilem, & invincibilem; ergo.

2. Idem Pontifex eòdem annò 1690. Mense Decembri inter 30. alias propositiones damnavit etiam hanc ordine secundam: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*; ergo etiam ignorantia invincibilis Dei excusat operantem ex illa.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. Quia si Pontifex damnasset in hoc sensu propositionem, damnasset doctrinam à nullo unquam Theologorum traditam, cùm tamen dicat: eam *de novo erupisse*.

Ad 2. c. a. dist. c. Ignorantia Dei invincibilis sub omni prædicato *convertibili* cum Deo excusat. trans. tantùm sub *concepto Conditoris*, vel gubernatoris. n. c. Negatur enim, posse dari ignorantiam Dei sub omni prædicato convertibili cum Deo, v. g. legislatoris, post adeptum usum rationis moralem. Præcepta juris naturalis saltem *secundaria* possunt quidem ignorari, si illa non immediatè, ac evidenter ex primis principiis deducantur: sed principia *prima* juris naturalis non possunt ignorari invincibiliter. Existentia Dei est inter ipsa prima principia; consequenter nunquam potest ignorari Deus invincibiliter. vide *Tract.* DE DEO. *Disput.* 1. q. 1. & 2.

OBJICITUR 9. Eximii Doctores docuerunt possibilitatem peccati Philosophici; ergo. *Prob. Ant.* S. THOMAS 2. 2. q. 20. a. 3. C. dicit: *Si posset esse conversio ad Bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale.* Et in c. 7. ad Rom. Lect. 2. dicit; actu dari talem aversionem. *Dicendum*, inquit, *quòd sine lege poterat peccatum quidem cognosci, secundùm quod habet rationem inhonesti (id. est contra rationem existens:) non autem secundùm quod importat offensionem Dei.* Ergo.

2. Cardinal. SFONDRATI in *Nodo Prædestinationis* editionis Colon. fol. 270. dicit: *Cum peccatum sit essentialiter offensio Dei, & injuria Dei, sublata cognitione necessariò sequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam esse.* Ergo.

3. Cardinal. BELLARMINUS Lib. 4. de Rom. Pontifice c. 20. *ad confirm.* dicit: *Si fingamus Deum non esse in rerum natura, qui leges justas violarunt, peccabunt quidem in conscientia, sed nec Deum offendent, nec ad inferos damnabuntur.* Idem apud LA CROIX & LUGO, tenent D. BONAVENTURA, ALBERTUS M., ALENSIS, BELLOVACENSIS, ANTISIODORENSIS, HERINX, MASTRIUS, OONET &c. Ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *Ad prob.* patet, D. THOMAM in *primo textu* tantùm loqui conditionatè. *Ad secundum textum.* dist. a. Poterit cognosci peccatum intelligendò per peccatum *Concupiscentiam Originalem*, & exinde consequentes motus. c. intelligendò *alia peccata* personaliter libera contra legem naturæ. n. a. D. THOMAS tantùm dicit; hominem non agniturum, quòd ea rebellio naturæ, quæ datur in peccato Adami, esset objectum displicentiæ divinæ, nisi id docuisset lex Moysaica.

Ad 2. DICO; Eum loqui de ignorantia *omnimoda*: si plus vult, dico; ex hoc libro parum evinci, cùm ob denuntiationem Episcoporum Galliæ fuerit tractus ad inquisitionem ob varias propositiones, quas in eo libro notarunt, & Pontifici denuntiarunt Episcopi Galliæ.

Ad 3. DICO; BELLARMINUM locutum esse *conditionatè*, in quo sensu vera potest esse propositio. Hinc dist. a. Non essent tales digni pœnâ æternâ in actu *secundo*. c. in actu *primo*. n. a. Quia tales homines agentes contra con-

scien-

scientiam, peccarent simul contra Deum, qui si non existeret, non posset exequi meritum objectivum ad pœnam. Vel RESPONDEO 2. cum P. VIVA. dist. Tales homines non essent digni infernô, & *simul* essent digni. c. *tantùm* non essent digni. n. a. Ex talibus enim propositionibus conditionatis sæpè sequuntur contradictoria. Sic si daretur mons sine valle, daretur vertex, & non daretur vertex.

OBJICITUR 10. Si ab homine invincibiliter ignorante Deum, simul cognosceretur Deus, tunc illud probaretur hôc syllogismô: aliquis legislator à tali homine est cognitus; sed aliquis legislator est Deus; ergo cognoscitur Deus: atqui hic syllogismus non est bonus, quia medius terminus non distribuitur; ergo.

RESPONDEO: n. *Maj.* Probatio enim nostra est hæc: legislator, qui obligat, cognoscitur ùt separatus à passo, & ille cognoscitur obligare etiam strictè stante dubio disjunctivo, an illud separatum sit Deus, vel aliquid omnipotens; ergo cognoscitur offendi ille, qui est unus in genere obligandi, quod ipsum meretur pœnam omnem ob contemptum interpretativum omnipotentis.

QUÆSTIO III.

Qualis requiratur advertentia ad constituendum peccatum mortale?

NOTANDUM I. Quæstionem in eo versari, an ille, qui ponit actionem de se peccaminosam, ad hoc, ut peccet, debeat advertere, se peccare, id est, utrum debeat habere non tantùm *apprehensionem speculativam* de malitia, seu oppositione *Objecti* ad legem Dei, sed etiam de malitia suæ *actionis* internæ? Quæstio autem *secunda* longè diversa est à *prima*: sic enim, qui advertit lapidem sibi obstantem in via, habet advertentiam de impedimento objectivo ad ambulandum, & tamen non habet necessariò advertentiam *reflexam* ad suam voluntatem internam, lapidem transiliendi, vel declinandi. Cæterùm quæstio hæc posterior locum habet in variis Casibus. v. g. 1. In omnibus illis actionibus, quæ fiunt ex ignorantia vincibili, v. g. dum Judæi ad persuasionem Sacerdotum petunt crucifigi Christum, vel dum Paulus promovit necem Stephani: hi enim adverterunt quidem probabilius inconvenientiam quamdam ex parte *objecti*, quod est occisio hominum nullius criminis certi convictorum; non tamen habuerunt advertentiam reflexam ad inconvenientiam, seu malitiam suæ *actionis* internæ, seu voluntatis. 2. In iis actionibus, quæ fiunt ex consuetudine v. g. in blasphemiis, juramentis, contractibus injustis, lasciviis, in quibus profani homines partim ex consuetudine Regionis, partim ob tolerantiam publicam non habent apprehensionem malitiæ *actionis internæ*, licèt in ipso *objecto externo*, seu actione externa apprehendant quamdam deformitatem, seu oppositionem ad legem. 3. In iis actionibus, quæ fiunt a viris alioquin probis, attamen dependenter à præjudiciis re ipsa erroneis, aut ex affectionibus variis terrenis, in quibus actu, & reflexè non advertunt ad malitiam actionis internæ, utpote dependentem à præterito neglectu acquirendæ scientiæ debitæ, de quo neglectu hic & nunc non cogitant.

NOTANDUM 2. Duplicem esse in hac re sententiam. *Una* docet, ad eommittendum peccatum grave requiri non solùm cognitionem *directam* de malitia *objecti*, sed etiam *reflexam* de malitia *actionis propriæ internæ*, ita, ut quis clarè cognoscat, SESE hic & nunc peccare contra Deum. *Altera* docet, non requiri talem advertentiam claram, *reflexam*, & explicatam, sed sufficere habere cognitionem, seu advertentiam *directam*, saltem præteritam, virtualiter perseverantem de malitia objecti. Hæc posterior sententia consequenter etiam docet, actum ex ignorantia vincibili, vel ex negligentia, aut inadvertentia culpabili nondum retractata provenientem, esse verum peccatum formale, & imputabile ad novam pœnam, etiamsi non habeat novam libertatem actualem.

NOTANDUM 3. Ipsam cognitionem, seu advertentiam illam directam, & reflexam sic posse explicari in exemplo: advertentia, & cognitio *directa* est, qua quis directè videt *objectum*, & actionem externam. *Reflexa* est, qua quis non solùm videt objectum, & actionem suam propriam externam, sed etiam *cognitionem sui objecti*, & voluntatem suam, & actionem suam internam, & ejus oppositionem, seu difformitatem ad legem Dei; seu est illa, qua cognoscit hic & nunc à se cognosci naturam objecti, & suæ actionis. Sic, & spectat comœdiam, potest quidem directè videre & cognoscere omnia, quæ aguntur in Theatro, non tamen cognoscit per aliam cognitionem reflexam, se videre omnia, & se cognoscere omnia, quæ aguntur in Theatro. Simili modo, dum quis incedit per vias, videt directè omnia obstacula v. g. lapidem, quem declinat, & tamen non advertit reflexè, se advertisse ad lapidem. Sic ergo etiam potest videri exercitè, ac directè objecti inhonestas, seu oppositio, & disconvenientia ad Regulam honestatis, quin tamen homo advertat, se advertere, ac cognoscere illam oppositionem.

DICO. Ad peccatum mortale non requiritur advertentia reflexa ad malitiam suæ actionis; sed sufficit directa. Et hæc ipsa advertentia directa de malitia actionis non necessariò debet esse actualis, sed sufficit virtualis, & interpretativa, consistens in eo, quòd quis possit, & debeat habere advertentiam actualem, si non reflexam, saltem directam. Ita P. MEZGER *Tract. 6. Disp.* 21. *art.* 5. §. 1. & P. ANTOINE S. J. cum multis aliis, præsertim ALMAINO *Quæst. Moral. c.* 24.

PROBATUR Conclusio I. *Argumentô P. Antoine.* Dantur peccata imputabilia ad culpam mortalem, quæ fiunt ex ignorantia vincibili malitiæ, qua operans putat, se rectè agere, & obsequium præstare Deo; sed in tali actu non datur advertentia reflexa, vel actualis directa & malitia objecti; ergo. *Maj. prob.* Joan. 16. v. 2. dici-

D. Amort Tract. de Peccatis.

B

dicitur: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos; arbitretur Obsequium se præstare Deo.* Similes textus multi reperiuntur in Scriptura. Eadem *Major confirmatur* ex illo s. AUG. lib. de spir. & litt. c. 26. *Attendat, quàm in multis offendamus omnes, dum putamus placere Deo, quem diligimus, vel non displicere, quod facimus.*

PROBATUR 2. *Argumento ejusdem Authoris:* Multi multa agunt ex habituali inconsideratione, & negligentia, imò ex dispositione habituali voluntatis nequidem seriò considerandi, utrum actio sit licita, nec ne, sed statim se determinandi ad id, quod delectat, vel utile est, sive sit re ipsa licitum, sive non; sed tales sæpe non habent advertentiam, vel suspicionem malitiæ, & tamen peccant; ergo. *Minor patet quoad* 1. ab experientia. *Quoad* 2. *patet* à communi sensu, & Scriptura; ita, ut in omnibus hominibus, Principibus, Judicibus, Præfectis innumera committantur, quæ ab aliis oculatioribus deprehenduntur esse manifestè injusta, quin tamen à suis Authoribus agnoscantur.

PROBATUR 3. Malitia actus secundùm se meritò ei imputatur, qui debuit; & potuit illam advertere, habuitque advertentiam antecedenter saltem directam, ac exercitam ad applicandam attentionem; ergo est dignus pœna. *Ant. prob.* Talis malitia est ipsi sufficienter voluntaria, ac libera saltem in sua causa, nempe in omissione debitæ considerationis pro dignitate objecti; ergo. *Ant. prob.* Illa inadvertentia, aut ignorantia censetur esse vincibilis, quæ potuit, & debuit deponi; ergo etiam omissio similis advertentiæ erit vincibilis, voluntaria, ac libera.

PROBATUR 4. Vincibilis ignorantia non excusat à peccato; ergo multo minus excusat inconsideratio, & inadvertentia vincibilis: adeoque non requiritur ad peccatum cognitio reflexa de malitia, clara, ac distincta, imò nequidem actualis directa. *Conseq. prob.* Ipsa ignorantia vincibilis habitualis, ùt Suarez observat, tantùm propterea est libera, & culpabilis, in quantum tollit actualem considerationem: & illa omissio actualis considerationis tantùm ideo est culpabilis, quia potuit, & debuit deponi; ergo ubi v. g. contractus est habitus, seu consuetudo in ullo genere actuum agendi sine consideratione debita principiorum moralium ad scientiam de malitia objecti requisitorum, eo ipso talis inadvertentia erit culpabilis.

PROBATUR 5. Facultas Theologica PARISIENSIS annô 1641. damnavit hanc propositionem: *Nunquam peccatur, nisi pravia cognitione peccati animus illustretur, ejusque vitandi desiderió exstimuletur.* Censura Facultatis est hæc: *Hæc propositio falsa est, & viam aperit ad excusandas excusationes in peccatis.* Eadem Præpositio damnata est à Facultate LOVANIENSI annô 1657. Censura ejus est: *Hæc propositio est contra omnia Theologiæ Christianæ principia, & innumera etiam immanissima hominum peccata excusat cum pernicie animarum.*

Similiter CLERUS GALLICANUS in Comitiis General. 1700. damnavit hanc propositionem: *Si peccatores consumatæ malitiæ, cùm blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actibus non peccare.* Censura est hæc: *Hæc propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemiam, aliaque peccata excusat, & ùt talis à Clero Gallicano jam damnata est anno* 1641. Ergo juxta mentem hujus magnæ partis Ecclesiæ, quam format Gallia, non requiritur actualis advertentia ad malitiam actionis, sed sufficit directa præterita, aut habitualis directa, seu interpretativa, & virtualis, quæ potest, & debet haberi.

COROLLARIUM 1. Ex dictis colliges, difficillimè agnosci peccata propria juxta illud Psal. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Et Jobi 9. v. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti* (Deus). Quis enim noverit, utrùm non debuerit hinc inde advertere ad malitiam actus de se peccaminosi? vel utrùm non habuerit priùs aliquam advertentiam directam, quâ neglectâ jam inceperit inadvertentia habitualis non efficaciter retractata? vel utrùm præjudicia, & passiones non deflexerint attentionem animi ab advertentia malitiæ directa ad erronea judicia, vel ad erroneam omissionem debitæ considerationis.

COROLLARIUM 2. Colliges, eos Clericos versari in periculoso statu, qui non diligenter student, aut legunt principia Theologiæ moralis, & alia principia morum, eò quòd per hoc, sint in perpetuo habituali statu inadvertentiæ, aut ignorantiæ circa principia morum, & circa naturam actionum particularium. Id ipsum intelligendum de iis Clericis, qui neglectis occupationibus verè Clericalibus, præsertim Episcopalibus, indulgent lusibus, venationibus, compotationibus, & aliis vanitatibus vel etiam negotiis sæcularibus. Item de iis hominibus laicis, qui negligunt Conciones, Catecheses, & alia subsidia scientiæ christianæ: in iis enim omnibus locum habet, ad committenda peccata non requiri cognitionem reflexam, imo ne quidem directam actualem in omnibus actionibus de malitia objecti, vel actionis; prout pluribus explicabitur in sequenti Quæst.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Est valde communis opinio Authorum docentium, quòd ad peccatum requiratur actualis advertentia ad malitiam actus; ergo huic Doctrinæ licitum est se conformare.

RESPONDEO cum P. ANTOINE. dist. a. Docent, requiri advertentiam actualem, *vel præsentem, vel præteritam,* quæ sit causa inadvertentiæ actualis præsentis. c. actualem advertentiam in quavis actione *præsentem.* n. ant. Neque enim illi Authores saltem plerique volunt, in omni actione humana, quæ consequitur necessariò ex antecedente ignorantia, vel inadvertentia culpabiliter contracta, semper requiri actualem advertentiam de malitia objecti, aut requiri libertatem actualem, prout dicetur in seq. Quæst. Hinc

RESPONDEO 2. iterum dist. a. Docent, requiri actualem advertentiam in actu *denomina-*

tivè

tivè libero. n. in actu *formaliter in se ipso* libero. subdistinguo. Requirunt in actu in se libero advertentiam actualem *directam*. c. reflexam. n. a. Sensus patet ex dictis. Aliud enim est (si loquimur de actibus in seliberis) me advertere inhonestatem objecti, & oppositionem illius ad legem; & aliud, me advertere inhonestatem hujus meæ actionis internæ consurgentem ex cognitione ipsius inhonestatis objectivæ ex parte objecti. Itaque non requiritur, ut quis se reflectat supra cognitionem directam de malitia actus, ita ut possit dicere: *Ego adverto, me habere notitiam de malitia actus, & tamen illum committo.* Hinc multi multa cognoscunt dissentanea rationi, nec tamen advertunt, se peccare, quia non cognoscunt, nisi solùm directè, & exercitè, se habere cognitionem de malitia actionis; imò tales sæpe putant, per aliud judicium se potius habere cognitionem de licentia actionis, quam sibi fingunt attentione applicata ad motiva contraria, ad quæ toto impetu suarum passionum, & præjudiciorum ob utilitatem qualemcunque attentione fixissima feruntur.

Objicitur 2. Ipsa ignorantia non est vincibilis, ita ut operans ex illa peccet, nisi advertat, dari obligationem deponendi hanc ignorantiam gravem; ergo etiam inadvertentia ad malitiam actionis non est culpabilis, nisi simul homo advertat, dari obligationem adhibendi majorem advertentiam, & majorem considerationem circa naturam actus.

Respondeo. n. a. Sufficit enim, quòd prius aliquando adverterit hanc obligationem, saltem advertentiâ directâ, & quòd neglectum hujus advertentiæ, quæ est causa subsequentis actus erronei, necdum sufficienter retractaverit. Itaque non requiritur, ut v. g. Judæus crucifigens Christum, aut lapidans Stephanum sciat se peccare dum occidit, alioquin enim teste D. Petro non crucifixissent Christum, sed tantùm requirebatur saltem *antecedens* advertentia directa ad obligationem magis considerandi motiva de divinitate Christi &c. qua semel positâ omnes subsequentes actus incipiunt fieri liberi, & peccaminosi in sua causa. Idem proportionaliter dicendum ad omnes alios actus ignorantiæ vincibilis sic liberè contractæ, & nunquam efficaciter per media efficaciter destructiva retractatæ.

Objicitur 3. Est de ratione peccati, ut debeat esse liberum; sed non est liberum sine advertentia actuali formali, & explicita ad malitiam actus; ergo. *Min. prob.* Si non adverto ad malitiam, vel ad obligationem adhibendi majorem considerationem, & advertentiam, in multis occasionibus non possum non peccare, v. g. circa Crucifixionem Christi, aut lapidationem Stephani: Si enim Judæus ageret contra conscientiam, peccaret, si ageret juxta suam conscientiam occidendô blasphemum putatitium, iterum peccaret.

2. Si advertentia interpretativa ad peccatum est illa, quam quis *potest*, & *debet* habere, eo ipso non dabitur illa advertentia interpretativa, si quis non simul advertat ad *debitum*, & obligationem adhibendi majorem advertentiam, vel deponendi ignorantiam; ergo tali modo non peccabit. *Ant. prob.* Nemo *debet* habere advertentiam sub peccato, nisi cognoscat legem obligantem ad adhibendam advertentiam; ergo. *Prob. ant.* Sublata hac cognitione tollitur libertas actionis ad non peccandum; ergo.

Respondeo *ad* 1. dist. *Min.* Peccatum non est liberum sine advertentia directa præsente, *vel* præterita, nondum retractata. c. sine advertentia *tantum* præsente, aut reflexa. n. *Min.* Contrarium patet in ea cognitione, qua cognosco lapidem in via: ea enim cognitio directa sufficit ad obligationem tollendi pedem juxta leges prudentiæ, etiamsi ambulans nonreflexè cognoscat suam imprudentiam, si nolit levare pedem: neque enim opus est, ut dicam v. g. *non ago prudenter, nisi levem pedem.* Idem ergo est etiam de peccante contra leges divinas, aut naturales, in quibus sufficit cognitio directa, etiamsi operans non cognoscat, se habere illam cognitionem, ac propterea se peccaturum.

Ad 2. dist. conf. Non peccabit, si non advertat ad obligationem directè advertentia præsente, *vel præterita* nondum efficaciter retractata. c. *tantum præsente*, aut reflexa. n. c.

Dices 1. Si non requiratur ad peccandum advertentia actualis, clara, & explicita, qua quis agnoscit, se peccare, tunc via aperitur innumeris scrupulis; sed hoc est vitandum, cùm Deus nolit instar Tyranni hominem obligare ad moraliter inevitabilia, eumque versari in perpetuis tormentis conscientiæ; ergo. *Maj. prob.* Quandocunque homo deprehenderet, se errasse materialiter, quod in innumeris casibus fit, statim posset dubitare, an non intercesserit advertentia saltem interpretativa, seu talis, quam potuit, & debuit habere; ergo.

Respondeo. n. *Maj.* Si enim sit homo timoratæ conscientiæ, & soleat aliàs vitare, quòd agnoscit probabilius esse peccatum, simulque habeat studium diligentiæ moralis, inquirendi in ea, quæ Dei sunt, & suæ obligationis, si insuper soleat habere consuetudinem in actionibus deliberatis non agendi juxta ductum passionum, & affectionum, aut commodorum, eo ipso habet argumentum moraliter certum, quòd etiam in casu particulari non habuerit cognitionem directam de malitia actus, & quòd non secutus fuerit ductum passionum, attentionem à debita consideratione avocantium. Vel si aliqua intercesserit hujusmodi culpa in ejusmodi hominibus, ad summum erit venialis, de quibus culpis utique frustra quis se torquet inanibus scrupulis, cùm quilibet debeat esse certus, se habere innumera peccata ejusmodi generis non plenè deliberata, sed ex inadvertentia, vel etiam ignorantia leviter culpabili commissa. Quòd si etiam per hypothesin ignorantia, aut inadvertentia ab initio fuisset de se gravis, imò etiam graviter peccaminosa, eo ipso illa retractaretur sufficienter per continuum studium refrænandi passiones, & per actus efficaciter versantes circa Deum amore, & zelô, ita ut subsequentes actus non incipiant amplius esse formaliter liberi in sua causa. Itaque homines pii stultè se vexant scrupulis circa præterita, dum summô studiô soliciti sunt circa futura.

Dices 2. Contingit infinities proponi in utramque partem motiva de honestate, & inhonestate actus: sic enim v. g. Judæis proponebantur motiva de divinitate Christi ex consideratione miraculorum, & ex altera parte proponebantur motiva, quòd hæc omnia essent per dæmonem tum ob Authoritatem Doctorum, tum ex aliis considerationibus. Ergo si ad peccatum sufficit cognitio directa de malitia objecti per modum objecti in apprehensione transeuntis, & non requiritur judicium practicum, quo quis judicat se peccare, posset quis infinities dubitare, an non habuerit cognitionem de malitia actus transeuntem, & utrùm non ex impulsu alicujus passionis, aut præjudicii culpabilis attentionem avocaverit à consideratione veritatis, eamque applicaverit ad motiva erronea proprii genii.

Respondeo. ùt priùs. dist. conf. Posset de hoc dubitare, nisi jam sit assuetus constanter sequendi veriora, & meliora, seque per amorem Dei convertendi ad ea, quæ sunt commoda divino honori. n. c. secus. n. c. Responsio hæc coincidit cum priori, ut proin in ejusmodi dubiis non sit prudens ratio timendi in iis, qui amant. *Paveant* autem, *qui non amant*, ùt D. Gregorius *in c. ult. Matth.* observat.

Objicitur 4. Si sufficeret advertentia interpretativa, tunc etiam Sancti in innumeris casibus peccassent graviter, cùm tamen non credantur peccasse formaliter, sed tantùm materialiter; sed hoc non potest admitti; ergo. *Maj. prob.* Sic v. g. peccasset D. Petrus graviter ob illam simulationem, ob quam reprehenditur à D. Paulo ad Gal. 2. v. 11. dicente, quòd ferè fuerit *reprehensibilis*: potuisset enim ipsi dici, quòd *potuerit*, & *debuerit* habere majorem advertentiam de malitia actus. Simile contingeret, dum amputavit auriculam servo, non priùs expectatô mandatô Christi. Item, dum Filii Zebedæi affectarunt primatum. Dum Apostoli litigarunt de præcedentia &c. Quæ & alia in Sanctis fuissent gravis peccata, si sufficeret advertentia interpretativa.

Respondeo. n. *Maj. ad prob.* dist. a. Potuissent, & debuissent advertere malitiam actus ex debito, ac obligatione *remota*. c. *proxima*. n. a. Proxima obligatio fit per promulgationem legis in Provincia conscientiæ, & ea promulgatio debet fieri per cognitionem directam, præsentem, vel præteritam non retratactam de obligatione adhibendi majorem advertentiam, & deliberationem. Jam verò de illis Sanctis meritò præsumendum est, quòd ne quidem habuerint cognitionem indirectam præsentem, vel præteritam; quia erant assueti semper sequendi meliora clarè cognita: adeoque non est verosimile, quòd ulla passione gravi prædominante attentionem avocaverint à cognitione directa ad motiva opposita. Quia tamen hæc moralis certitudo etiam in Sanctis non est certitudo absoluta, ideo rectè Apostolus 1. Cor. 4. v. 4. dicit: *Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.* Interim tamen, si in Sanctis intercessisset aliqua culpa avocandô à cognitione directa transeunte attentionem ad motiva opposita, vel ea fuisset venialis, vel statim retractata per actus amoris subsequentes.

Objicitur 5. Ubi non datur nova, ac formalis libertas, ibi non datur nova ratio culpæ sufficientis ad dissolvendam amicitiam divinam; sed ubi solùm datur advertentia interpretativa, non datur nova, ac formalis libertas; ergo. *Min. prob.* In tali casu actus est solùm vitiosus *denominativè*, sicut actus in ebrietate commissus, vel consequens ex ignorantia antecedente vincibili; ergo. *Prob. Ant.* Talis actus solùm est peccaminosus propter omissionem advertentiæ *antecedentem* ad cognitionem directam transeuntem de malitia actus; ergo.

Confirmatur 1. Omissio advertentiæ formalis sæpe tantum est culpabilis, in quantum provenit ab impulsu passionum, & præjudiciorum dudum antecedentium; ergo non est peccatum in effectu, sed tantùm in antecedente causa.

Confirmatur 2. Si sufficeret talis advertentia interpretativa, quæ potuit, & debuit haberi antecedenter in causa, tunc omnis ille, qui non haberet maximum studium eradicandi passiones, semperque eligendi perfectiora, unà cum forti desiderio constanti, commoda Dei, & Ecclesiæ præferendi commodis propriis, posset excidere amicitiâ divinâ eo momentô, quo id minimè suspicatur, quantumcunque alias esset homo timoratæ conscientiæ; sed hoc est valdè durum; ergo. *Prob. Maj.* Posset contingere, quòd in tali homine alioquin justo, & timorato neglectus ejusmodi perfectionis hic & nunc eum ob passionem aliquam removeat à consideratione debita in negotio maximi momenti, v. g. ubi agitur de salute Provinciæ; ergo si reipsâ erraret, quamvis id non putet, fiet inimicus Dei.

Respondeo *ad* 1. n. *Maj.* Quia sicut in Physicis concreta multiplicantur juxta multiplicationem materiæ, ita contingit in moralibus. v. g. Si ponantur plures muri, & ponatur una albedo replicata in pluribus muris, erunt tamen plura alba, sic etiam, si dantur plures actus humani continua concatenatione consequentes ad invicem, quamvis illi omnes actus efficiantur, & denominentur moraliter ab una, eademque libertate primi actus, omnes tamen actus erunt peccata.

Ad confirmationem 1. patet responsio ex proximè dictis.

Ad 2. confirmationem. n. *Maj. ad prob.* dist. a. Posset hoc contingere, nisi in ipso neglectu perfectionis habuerit jam priùs actualem advertentiam transeuntem, saltem *directam* de gravissimis effectibus, qui possint ex eo neglectu consequi. c. secus. n. a. Hujusmodi enim homines possent advertere, ex neglectu amoris divini, & perfectionis posse oriri innumeras ejusmodi tum ignorantias, tum inadvertentias. Si igitur hoc dictamen negligant, omnes actus subsequentes erunt peccata, in quibus intercedit culpabilis inadvertentia, vel ignorantia *culpabilitate causæ:* hoc tamen advertendum est, quòd, sicut in eo genere neglectus datur malitia gravis, vel levis, ita in subsequentibus actibus gravitas, vel levitas malitiæ afficit illas actiones, ac denominat

nominat; & hinc, qui vel habent ſtudium perfectionis ſerium, vel ſi non habuerunt, illud reſumunt identidem, non eſt veroſimile, quempiam peccaturum graviter per inadvertentiam interpretativam; quia ſi aliquando interceſſiſſet cauſa graviter culpabilis, per hoc fuiſſet retractata, & quidem efficaciter: in talibus enim habentibus ſtudium fervidum perfectionis illud veriſſimum eſt, quod 2. Paralipom. c. 30. dicitur: *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum - - & non imputabit eis, quòd minus ſanctificati ſint.* Ex hoc Ipſo antem ſequitur, quid dicendum de illis, qui poſuerunt cauſam graviter culpabilem actuum ignorantiæ ſubſequentium, aut mille inadvertentiarum in materia gravi, v. g. de Prætore, Epiſcopo, Parocho &c. non agentibus, ad quæ obligantur vi ſui ſtatus &c. qui, licèt interea eliciant actus charitatis erga Deum, confiteantur, & communicent devotè, nunquam tamen recordentur de retractanda, vel deponenda ignorantia, vel inadvertentia. RESPONDEO enim, ſi in ejusmodi hominibus charitas tam efficax ſit, ut virtualiter ſe extendat ad excludendum eum ſtatum animi, qui ab initio non poterat ſtare cum charitate Dei, eos fore juſtificandos. Si verò actus charitatis in ejusmodi hominibus, ùt ſolent, ſunt mera complimenta, & actus benevolentiæ erga Deum *ſpeculativi*, ita ut non ſeriò tendant *practicè* ad media ſuo ſtatui proportionata, & congrua, ex quibus poſſit excludi ſaltem moraliter ignorantia, & inadvertentia in genere, non fore juſtificandos. Et hinc in Tract. *de Pœnitentia* dixi, etiam actum amoris intenſum, putà intenſione *ſpeculativa*, ſe tenente ex parte actus, & *non practica*, non ſemper eſſe juſtificativum.

QUÆSTIO IV.

An peccata ignorantiæ, & alia, quæ non ſunt libera in ſe, ſed tantùm in ſua cauſa, non ſolùm ſint peccata materialia, ſed etiam propriè, verè, & formaliter peccata?

NOTANDUM I. *Quintuplicem* poſſe eſſe cauſam variorum peccatorum, quæ, licèt non ſint libera in ſe, ſunt tamen libera in ſua cauſa. *Prima cauſa* eſt IMPOTENTIA, in quam ſe quis liberè conjecit, vel ex mera malitia, vel ex negligentia graviter culpabili, v. g. ſi quis navigaturus de induſtria projecit Breviarium in mare, vel noluit ex pigritia reverti domum ad ſecum ſummendum illud, omiſſiones quotidianæ recitationis Breviarii erunt liberæ *in ſua cauſa*, quamvis non ſint liberæ *in ſe*. *Secunda cauſa* eſt POSITIO CAUSÆ NATURALIS, VEL MORALIS ad effectum peccaminoſum, v. g. ſi quis infecit fontem venenò, vel dolium vini, vel ſi ſicario dedit mandatum ad occidendum inimicum &c. In hoc enim caſu homicidia ſubſequentia non erunt mandanti amplius libera *in ſe*, erunt tamen libera *in ſua cauſa*. *Tertia cauſa* eſt CONSUETUDO LIBERE CONTRACTA v. g. per negligentiam correctionis graviter culpabilem. Talis effectus eſt blaſphemia, imprecatio, perjurium &c. in conſuetudinario: quamvis enim ejusmodi blaſphemiæ v. g. in ebrietate, vel aliàs ſine nova advertentia actuali commiſſa non ſint libera *in ſe*, ſunt tamen libera in *ſua cauſa*. *Quarta cauſa* eſt INCURIA, & INADVERTENTIA, dum quis non conſiderat obligationes ſui ſtatus v. g. Judex, Præſes, Epiſcopus, Parochus &c. quamvis enim tales non habeant fortè ignorantiam de obligationibus ſui ſtatus, eò quòd illarum notitiam dudum jam ſemel per ſerium ſtudium acquiſierint, contingere tamen poteſt, quòd eas è memoria dimiſerint, & conſequenter ſine debita conſideratione præcipitandò ſententias, aut reſolutiones, agant contra obligationem ſui ſtatus. Itaque ejusmodi injuſtitiæ non erunt quidem *liberæ in ſe*, utpote ſine advertentia actuali commiſſæ, erunt tamen *liberæ in ſua cauſa*, nempe in habitu agendi ſine reflexione, & conſideratione debita. *Quinta cauſa* eſt VINCIBILIS IGNORANTIA obligationum ſui ſtatus, v. g. dum Chriſtianus negligens in Catecheſi, Concione &c. vel Epiſcopus, Judex, Parochus &c. in ſtudio ſui officii plurima committit gravia peccata orta ex illa ignorantia, utpote cauſa plurimorum errorum in præjudicium grave proximi, & Eccleſiæ &c. In omnibus bis caſibus quæritur, an ejusmodi actus, quamvis *non liberi in ſe*, attamen *liberi in ſua cauſa*, ſint peccata formalia, & non tantùm materialia; idque, etiamſi in ejusmodi actibus ne quidem ponatur cognitio directa de obligatione retractandi cauſam, corrigendi inadvertentiam, & deponendi ignorantiam.

NOTANDUM 2. Dum quæritur, utrum tales actus ſint verè, ac formaliter peccata, poſſe varium eſſe ſtatum quæſtionis. Nam 1. poteſt quæri, utrum ejusmodi actus verè conſtituant *unum concretum* cum præcedente actuali libertate ſuæ cauſæ; ita ut v. g. blaſpbemia in ebrietate commiſſa, vel homicidia à Principe vincibiliter ignorante injuſtitiam ſui belli, ſint peccatum formale, cujus *materiale* ſit *actus externus* imperatus, *formale* autem conſtitutivum illa *libertas*, qua poſuit cauſam ſuæ ignorantiæ, vel inebriationis. 2. Poteſt quæri, utrum ejusmodi actus ſuperaddant ſemper novam pœnam, & numerum peccati: v. g. utrum blaſphemia ſit novum *diſtinctum* peccatum ab ebrietate, vel utrùm *tot* ſint *peccata* homicidii ab ejusmodi Principe commiſſa, *quot* dantur reipſâ *occiſiones* conſequentes ex cauſa libera antecedente, an verò illa ignorantia vincibilis, & mille neces ſint tantùm *unum* peccatum, & nullam mereantur novam pœnam. 3. Poteſt quæri, utrùm ejusmudi actus diſſolvant amicitiam divinam, ſi prior cauſa jam fuit retractata *in genere*, vel *ſpecie*, vel ſi prior cauſa libera tantùm fuit peccatum *veniale*: v. g. ſi inebriatio tantùm fuit peccatum veniale, vel ſi vincibilitas ignorantiæ tantùm fuit veniale. 4. Quæri poteſt, an detur obligatio ejusmodi *actus in ſe non liberos* etiam exponendi in confeſſione, vel utrum ſufficiat confiteri *ſolam poſitionem cauſæ*, nempe contractionem ignorantiæ, vel inebriationem?

NOTANDUM 3. In praxi, in ordine ad confeſſionem, & in ordine ad obligationem deſtruendi pravas conſuetudines nihil referre, utrùm ejusmodi actus ex prava conſuetudine,

vel alia causa libera consequentes sint peccata in se formalia, vel tantùm sint peccata materialia: ùt enim P. DANIEL *in Tractatu Apologetico pro Societ.* de ejusmodi peccatis rectè observat, certum est 1. Talia peccata quamvis non libera in se ipsis, esse materiam necessariam confessionis. 2. Dari obligationem gravem adhibendi efficacia media tollendi consuetudinem, babitum, & alias causas ignorantiæ, inadvertentiæ, aut talium actuum. 3. Etiam certum est, revera talem hominem propter ejusmodi peccata esse culpabilem coram Deo. Exemplum P. DANIEL summit à Gubernatore alicujus urbis, clavis Regni: Si enim Gubernator ex imperitia relinquat urbem sine præsidio, sicque culpabilem præbeat causam, quòd urbs devenerit in manus hostium, condemnabitur haud dubiè ob omnium malorum cumulum, quæ regno induxit; nec audiretur Advocatus rei, si vellet contendere, talia mala totius Regni Gubernatori non fuisse libera *in se*, sed tantùm fuisse libera *in sua causa*. 4. Denique certum est, ejusmodi hominem effectu secuto teneri ad reparanda damna provenientia ex ejusmodi peccatis. *Reflexione* 1. *de Peccatis ignorantiæ* præfatus Author sic habet: "Quod attinet praxin, idem est, quam opinionem ex utraque teneas: utraque enim opinio obligat v.g. mercatorem ad restituendum lucrum ex contractu usurario obtentum, Judicem ad resarciendum damnum sententiâ injustâ ob ignorantiam vincibilem datum: utraque habet pro irregulari hominem, qui alium occidit ex ignorantia vincibili, & ad reparanda damna propinquis resarcienda obligat. Similiter utraque sententia in Sacramento Pœnitentiæ tali peccato imponit pœnitentiam proportionatam. Et in *Reflex. de peccato habitudinis* ait: "Utrumque systema obligat consuetudinarium ad explicandum numerum talium peccatorum, quantum est moraliter possibile: utraque petit explicari tempus, quanto perseveraverit in ea consuetudine, & quoties peccaverit intra diem, hebdomadam, mensem &c. ut obtineatur cognitio de statu conscientiæ, utraque sententia imponit pœnitentiam proportionatam pro numero talium peccatorum; neque eos absolvit, nisi viderit dispositos non solum ad detestandam consuetudinem, sed etiam ad adhibenda media efficacia pro ejus extirpatione." Ita P. DANIEL *in præfato Tractatu*, quæ fusius volui recensere, ne quis existimet, aliam esse doctrinam Societatis, dum legit unum, vel alterum Casuistam Germanum obscuri nominis, v. g. P. BURGHABER *in Centuriis*.

DICO. Peccata ignorantiæ consuetudinis, & alia peccata libera in sua causa sunt peccata formalia, in quantum constituunt unum totum morale cum causa libera, à qua connaturaliter, vel per se dependent. Ita GONET. hic Disp. 6. art. 2. §. 2. n. 14. & 17. item Disp. 3. art. 4. Et D. THOMAS 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3. ubi sic habet: "Dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omissionis (dum omittit Breviarium ob ebrietatem) quando aliquis se applicat ad actum illicitum, & incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur; sed hoc non videtur verum, quia dato, quòd (se inebrians, ut non possit pergere ad Matutinas) excitaretur per violentiam, & iret ad Matutinas, non omitteret. Unde patet, quòd præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quòd omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen ob causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria." Ita S. Doctor. Idem 1. 2. q. 76. art. 2. ad 3. dicit: "Sicut in peccato transgressionis (seu commissionis) peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus à voluntate; ita in peccato omissionis non solum actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantum est aliqualiter voluntaria.

PROBATUR CONCLUSIO 1. Actus consequentes ex causa libera constituunt unum totum morale cum actu voluntatis physicè præterito, necdum sufficienter retractato; ergo. *Prob. Ant.* Opera meritoria constituunt unum totum morale cum intentione prævia virtualiter perseverante, ac influente; ergo idem est de peccatis ejusmodi, quæ sequuntur ex actu præcedente voluntatis influente per effectum dependentem à se.

PROBATUR 2. Actiones Sacramentales, v.g. baptizatio, ùt moraliter unitæ cum actione Christi constituunt unum totum morale, quod est speciale motivum divinæ bonitati ad conferendam gratiam; ergo etiam actus meritorii pœnæ, ùt uniti ad voluntatem antecedentem pœnâ dignam, babent specialem rationem motivam displicentiæ divinæ, quam non habet solus actus voluntatis præcedens sine unione ad actum externum.

PROBATUR 3. Opera justa justificant, & merentur vitam æternam, inquantum sumuntur concretive; boc est, in concreto, cujus *materiale* est ipse *actus*, *formale* autem *fides* in Christum concurrente gratia sanctificante, nec verum est, quòd sola fides justificet, aut sola gratia sanctificans sine opere meritorio; ergo etiam actus peccaminosi ut denominativè uniti ad malitiam actus antecedentis tanquam formam sunt in concreto objectum displicentiæ, & indignationis divinæ.

PROBATUR 4. Peccatum originale verè, ac propriè est peccatum in se, ùt existens in singulis hominibus, quamvis ratio formalis motiva divinæ displicentiæ tantùm sit unio, seu dependentia ad voluntatem Adami; ergo etiam actus consequentes ex voluntate antecedente sunt objectum divinæ iræ in se, ac propriè, inquantum habent unionem, seu dependentiam ad præcedentem malitiam propriam.

PROBATUR 5. Hæc quæstio, an ejusmodi peccata sint ratione sui, & in se formale peccatum, denominativè tale, vel utrum formale peccatum tantum se teneat ex parte causâ, dependet ex ea quæstione, an Deus totam gravitatem pœnæ statuerit soli actui antecedenter formaliter libero, an verò statuerit novas pœnas singulis actibus ex præcedenti actu sequentibus, prout

prout rectè observat P. DANIEL in *Reflex.* 3. Sed Deus statuit novas pœnas singulis actibus; ergo. *Min. patet* ex sensu communi; quia omnes judicant, inæqualiter puniendos duos mercatores habentes æqualem ignorantiam vincibilem de contractu usurario, quorum tamen unus nullum commisit actum usurarium, alter verò commisit mille. *Maj. prob.* Si Deus pro singulis ejusmodi effectibus statuit novas pœnas, connaturale est, quòd tales actus consideret tanquam objectum suæ indignationis, in quo reperiatur *materiale* peccati *physicè*, & *formale* peccati saltem *moraliter*; ergo.

PROBATUR 6. Anthores agnoscunt universim obligationem confitendi non tantum positionem causæ, sed etiam actus consequentes ex causa, v. g. blasphemias, vel homicidia &c. in ebrietate commissa, & contractus v. g. usurarios ex ignorantia vincibili secutos; ergo multiplicatur numerus peccatorum, adeoque actus subsequentes sunt verum peccatum per modum concreti ex materiali actus, & formali malitiæ antecedentis. *Conseq. prob.* Non potest ostendi alia ratio hujus obligationis, nisi quia multiplicantur peccata numero: quòd enim aliàs non posset explicari peccatum, apertè falsum est; posset enim quis, qui causavit unicò imperiò voluntatis mille homicidia, ùt Theodosius Imperator, dicere: Ego peccavi graviter contra quintum præceptum: *non occides*. Vel: Ego babui feriam voluntatem occidendi aliquoa homines; habeo autem voluntatem restituendi, si alicui per hoc nocui. CONFIRMATUR. Concreta tam moralia, quàm physica multiplicantur ex multiplicatione materiæ, etsi detur unica forma. Sic dantur plura alba, & plura membra viventia, etsi detur una albedo replicata in pluribus muris, & una anima in manu, & pede. Ergo etiam dantur plura formaliter peccata, licèt detur una forma denominans, nempe malitia actus interni.

PROBATUR 7. Authores universim agnoscunt, nisi fortè unò aut altero excepto, obligationem restituendi ex ejusmodi peccatis v. g. ex sententia injusta Judicis ob ignorantiam vincibilem, agnoscuntetiam obligationem adhibendi efficacia remedia ad destruendam v. g. consuetudinem pravam blasphemandi; sed hæc obligatio non daretur, nisi ejusmodi actus essent peccata formalia; ergo. *Min. prob.* Non datur obligatio per se restituendi sine culpa Theologica, neque datur obligatio exscindendi causam peccatorum tantum materialium, v. g. destruendi naturam corruptam, ne eveniant indeliberati actus contrariantes legi; ergo.

PROBATUR 8. Si talia peccata non essent peccata formalia, tunc essent tantum materialia; sed hoc non est verum; ergo. *Majorem* fatentur ipsi Adversarii, ut testatur P. DANIEL *Reflex.* 3. imoverò quidam ex Adversariis inde inferunt, quòd nequidem detur obligatio corrigendi consuetudinem v. g. blasphemandi, eò quòd actus subsequentes tantùm sint peccata materialia. *Min. prob.* Si ejusmodi peccatis à S. Scriptura, SS. Patribus, Theologis primi ordinis, & sensu communi attribuuntur omnes proprietates peccati formalis, tunc non sunt tantùm materialia, sed etiam formalia peccata; sed; ergo. *Min. prob.* Hujusmodi proprietates sunt, quòd immediatè considerentur ùt objectum divinæ displicentiæ, ùt meritum objectivum pœnæ, & ùt objectum doloris, pœnitentiæ, & retractationis &c. Sed hæ proprietates ejusmodi actibus tribuuntur à S. Scriptura, SS. Patribus &c. ergo. *Min. prob.* Sic 1. Christus in cruce Luc. 23. v. 34. ait: *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* 2. S. Petrus Act. 3. *Vos sanctum, & justum negastis, authorem vitæ interfecistis. Et nunc scio; quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* 3. D. Paulus 1. Timoth. 1. v. 13. *Fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum; quia ignorans feci in incredulitate.* Ad quæ verba D. CHRYSOSTOMUS homil. 3. ita discurrit: *Paulus ostendit, se fuisse supplicio dignum, veriam non pœna affectus, sed misericordiam consecutus &c.* Plures similes textus occurrunt in S. Scriptura.

Inter Patres verò, qui hoc dicunt, sunt 1. S. BASILIUS *in rebus brevioribus* Interrog. 58. ubi sic habet: "Judicium Domini in iis etiam, „ qui ex ignorantia peccant, perspicuum est ex „ illis verbis: *Qui non cognovit, & fecit digna* „ *plagis, vapulabit paucis.*" Et in *Constit. Monast.* c. 2. "Cùm multis in rebus offendamus omnes, „ majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco Apostolus dicebat: „ *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, quod idem est ac si diceret: multa „ delicta committo, quæ me committere non „ intelligo. Propter hanc causam etiam Propheta ait: *Delicta quis intelligit?* Item *in Missa* „ D. BASILII dicitur: Indulge mihi omne delictum voluntarium, & etiam non voluntarium.

2. D. CHRYSOSTOMUS in *Epist. ad Rom.* c. 14. Homil. 26. "Stadium (ait) hæc præsens „ vita est, & innumeros oculos, quos circumquaque dirigamus, habere oportet. Neque „ putandum, ad Apologiam sufficere ignorantiam; erit enim, erit, inquam, quando & „ ignorantiæ pœnas dabimus, quando scilicet „ & ipsa ignorantia veniam non babebit: nam „ & Judæi ignorarunt, sed ea ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur. Et „ Græci ignorarunt, sed excusationem non habebunt. Quòd si ea ignoraveris, quæ sciri „ non possunt, præter culpam erit. Si verò „ ignoraveris, quæ scitu possibilia sunt, & facilia, extremas pœnas meritò dabis. Nisi „ enim vehementer pigri, negligentesque fuerimus in his, quæ ignoramus, manum porriget Deus. Idem & Judæis usuvenit: nam in „ parabolis illis, inquit, propterea loquor, quòd „ videntes non vident. Ne dicas itaque: quomodo hunc, vel illum simplicem, & bonum „ contempsit Deus? Sed boc dici non potest, „ eò quòd plerumque, qui talis videtur, veritatis nullam habeat vel curam, vel diligentiam. „ *Idem in 2. ad Thessal. c. 3. Homil. 4. ait:* Omninò „ necesse est, ut cui tam multa sunt curæ, & „ ignoret, & peccet ex ignoratione. *Idem in*

„ c. 2.

„ *c.* 2. *Matth. Homil.* 6. Nec de his tantummodò
„ puniendi sumus, quæ scimus; verùm etiam
„ quæ nescimus: quin & pro iis, quæ per igno-
„ rantiam admittimus. D. Paulus dicit: *Testi-*
„ *monium illis perhibeo; quia æmulationem Dei habent,*
„ *sed non secundum scientiam.* Verumtamen hoc
„ eis in purgationem non sufficit. *Idem de La-*
„ *zaro Serm.* 5. Qui Christum esurientem non
„ pabulant, cùm & ipsi crederent, se ad igno-
„ rantiæ patrocinium posse confugere, nec ve-
„ niam, nec excusationem repererunt. *Et Ho-*
„ *mil. in Psal.* 50. *ad illa verba: Iniquitatem cognosco.*
„ Estne quisquam (inquit) qui peccatum suum
„ minimè cognoscat? est sane; quotnam enim
„ sunt, & fidentem animum gerunt! quotnam
„ sunt, qui rapiunt, & se rapere ignorant!
„ quotnam sunt, qui suum alteri honorem de-
„ trabunt, nec id sentiunt! quotnam sunt,
„ qui viduas spoliant, atque alienas formas cu-
„ riosius intuentur! quotnam sunt, qui pupillos
„ opprimunt, nec propterea plorant, nec pœ-
„ nitentia ducuntur! quonam igitur pactô salu-
„ tem assequi possunt, cùm id ne quidem sciant,
„ quòd peccent?

3. S. Greoorius M. L. 2. Moral. c. 26.
„ Difficile est (inquit) quempiam magna agere,
„ & apud semetipsum de magnis actibus cogita-
„ tionum fiduciam non habere: eo ipso enim,
„ quòd contra vitia fortiter vivitur, mens se
„ esse magni alicujus meriti æstimat, ne se pec-
„ care in cogitatione suæ æstimationis putat.
„ Ante districti autem Judicis oculos tantò de-
„ teriùs delinquitur, quantò culpa occultiùs,
„ & penè incorrigibiliter perpetratur. *Et L.* 3.
„ *c.* 10. *ait:* Sæpe, quod bonô studiô gerimus,
„ dum discernere cautè negligimus, quo judice-
„ tur fine, nescimus, & nonnunquam hoc fit
„ reatus criminis, quod putatur causa virtutis.
„ Sæpe in justo judicio culpa non deprehenditur,
„ quod virtus putatur, & unde expectatur mer-
„ ces operis, inde supplicium justæ sequitur ul-
„ tionis. *Et L.* 5. *c.* 6. Nonnunquam ea ipsa,
„ quæ rectè nos agere credimus, an in districti
„ Judicis examine recta sint, ignoramus: sæpe
„ enim opus nostrum causa denominationis est,
„ quod profectus putatur esse virtutis: sæpe,
„ unde placari Judex creditur, inde ad irascen-
„ dum placidus instigatur, Salomone attestante,
„ qui ait: *Est via, quæ videtur homini recta, no-*
„ *vissima autem ejus ducunt ad mortem.* Unde Sancti
„ Viri sua etiam benè gesta formidant, ne pesti-
„ fera tabes putredinis sub boni specie lateat
„ coloris. *Et L.* 5. *c.* 7. Nonnunquam justi in
„ ipsis bonis operibus positi trepidant, ne in
„ eisdem occulto aliquo errore displiceant; quos
„ dum divina flagella corripiunt, authoris sui
„ gratiam se offendisse suspicantur. *Et cap.* 8.
„ Sæpe ipsa justitia nostra ad examen divinæ ju-
„ stitiæ deducta injustitia est, & sordet in di-
„ strictione Judicis, quod in æstimatione fulget
„ operantis. *Et L.* 8. *c.* 3. Plerumque fit, ut
„ homo studiô humilitatis Zelum rectitudinis de-
„ serat, aut zelô rectitudinis turbet humilitatis
„ studium, cumque servari simul Zeli Authori-
„ tas, & humilitas non possit, sibimet ipsi ex
„ perturbatione incognitus redditur; ita ut ve-
„ hementer ambigat, ne apud seductum animum
„ aut superbia se authoritatem Zeli, aut torpor
„ pavidus se humilitatem fingat. *Et Lib.* 8. *c.*
„ 19. Quantumlibet videatur innocens, apud
„ districtum tamen Judicem nostra nos vita non
„ liberat, si ei reatus sui debitum misericordiæ
„ benignitas non relaxat. *Et L.* 9. *c.* 11. *ad illud*
„ *Etiamsi habuero quidquam justum non respondebo,*
„ *sed meum Judicem deprecabor. Ait:* Ut enim sæ-
„ pe diximus: omnis humana justitia injustitia
„ esse convincitur, si districtè judicetur. *Et L.*
„ 10. *c.* 5. Sine magna iniquitate non fuit, quod
„ Sophat virum justum usque ad objectionem
„ iniquitatis increpavit. Unde & eorum auda-
„ ciam veritas justè redarguit, sed benignè ad
„ gratiam reducit; quia apud misericordem ju-
„ dicem nequaquam sine venia culpa relinquitur,
„ cùm per fervorem zeli ex ejus amore pecca-
„ tur. Sæpe hoc namque magnis, mirandisque
„ Doctoribus contingit, ut quando alta chari-
„ tate fervent, modum correptionis exasperent,
„ & lingua aliquid, quod non debet, dicat; quia
„ mentem dilectio, quantùm debet, inflammat;
„ sed verbo prolatæ contumeliæ tantò citiùs
„ parcitur, quantò ex qua radice prodeat, pen-
„ satur. *Et L.* 11. *c.* 21. In eam cæcitatem ve-
„ nimus, ut nos ipsos ignoremus: nec tamen
„ hæc celeriùs deprehendimus vel perpetrata.
„ Exclusa quippe mens à luce veritatis plerum-
„ que in peccati foveam poruit, & nescit. *Et*
„ *L.* 12. *c.* 14. Sæpe homo quælibet bona inten-
„ tione agere nititur; sed tamen pro multis,
„ quæ subrepunt, apud Deum qualiter habean-
„ tur, incertum est: quia subtili examine dis-
„ cussa, utrùm approbentur ejus opera, an re-
„ probentur, ignorat. *Et L.* 14. *c.* 15. Sæpe
„ de suo opere fit animus incertus, ut ignoret
„ omninò, quid virtus, quid culpa sit. Ex pœna
„ culpæ est, videre bonum, quod agere debeat;
„ & tamen implere non posse. Et rursum ex
„ graviori pœna culpæ est quod agere debeat,
„ & tamen implere non posse. Et rursum ex
„ graviori pœna culpæ est quod agere debeat,
„ nec videre. *Et L.* 19. *c.* 14. Crebrò pecca-
„ tum aut ignorantiâ, aut infirmitate perpetra-
„ tur, ut nesciat homo, quid velle debeat. *Et*
„ *L.* 25. *c.* 11. Peccatum tribus modis commit-
„ titur, aut *ignorantiâ*, aut *infirmitate*, aut *stu-*
„ *diô.* Et gravius quidem infirmitate, quam
„ ignorantiâ; sed multò gravius studiô. Ex
„ ignorantia Paulus peccaverat &c. *Et L.* 31.
„ *c.* 10. Cùm Domini membra persequitur, pla-
„ cere se per hoc Domino suspicatur. Dum
„ crudelitate ad persequendum Synagoga ducitur,
„ hoc se agere impulsu divini timoris arbitratur.
„ Sed quia plerumque vitia colore virtutum
„ tincta tantò nequiora sunt, quantò & esse vi-
„ tia minimè cognoscuntur. Eò in persecutione
„ Synagoga durior exstitit, quò religiosorem se
„ fidelium mortalibus æstimavit.

Plures ejusmodi textus (præter alios innumeros, quos adhuc reperire est in Patribus) adduxi in Tract. *de Actibus humanis.* Disp. 2. q. 1. qui possunt videri. Ex omnibus autem his luculenter patet, quòd SS. Patres peccatis bujus-

modi

modi v. g. ignorantiæ, consuetudinis, inadvertentiæ &c. liberis *in sua causa*, licèt non sint immediatè libera *in se*, attribuant prorsus easdem proprietatea, quæ attribuuntur peccatis formalibus; quòd nempe sint digna pœna, quod sint objectum divinæ displicentiæ, ac denique quòd sint objectum doloris, pœnitentiæ, retractationis &c.

COROLLARIUM. Ex his sequitur, plurimos peccare tum Laicos, tum Clericos, qui, dum negligenter incumbunt studio rerum statui, & Officio convenientium, revera sæpissimè innumeros committunt actus vincibiliter erroneos.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. In nullo actu datur ab initio imputabilitas, nisi detur libertss; ergo etiam non dstur imputabilitas nova in actibus subsequentibus, nisi detur nova libertas. *Ant. patet*; quia juxta S. AUG. lib. 3. de lib. arbit. *Nemo peccat in eo, quod caveri non potest.*

RESPONDEO. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia formale constitutivum peccati est libertas vel antecedens, vel concomitans: hinc, etiamsi ab initio non possit dari imputabilitas, ubi non datur actualis libertas, quia nec datur libertas antecedens, nec concomitans, poterit tamen dari nova imputabilitas in actu subsequente; quia datur antecedens libertas, & datur novum concretum peccati: sicut, si eadem albedo replicata dealbaret novum murum, daretur novum album.

OBJICITUR 2. S. AUGUSTINUS *lib.* 22. *contra Faustum* loquens de incestu Loth in ebrietate commisso, dicit, eum nòn habuisse malitiam distinctam ab ebrietate; ergo tales actus tantùm liberi in causa non babent novam malitiam, aut rationem peccati. Verba S. AUGUSTINI sunt: *Culpandus quidem est, non quantum incestus ille, sed quantum ebrietas illa meretur.*

RESPONDEO. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia incestus ille non erat effectus ebrietatis per se, sed per accidens; quia, cùm nec per se sit connexus, nec probabiliter prævideri potuerit, nec etiam inclinet ad talia, non habebunt ista duo unionem moralem inter se per modum connexionis connaturalis inter causam, & effectum: ideo etiam non datur nova imputsbilitas. Sed aliud est, quando actus peccaminosi vel connaturaliter, vel ob connexionem liberam ex habitu sequuntur per se ex causa libera præcedente.

OBJICITUR 3. Sententia, quòd talia peccata ignorantiæ &c. sint in se formsle peccatum, est contra communem Theologorum; ergo. *Prob. Ant.* ZUMEL in 1. 2. q. 71. art. 5. dicit: "Verior, & probabilior modus dicendi „ videtur oppositus, nempe, quòd omissio, vel „ commissio inevitabiliter secuta ex culpabili „ causa non est formaliter mala per denomina„ tionem intrinsecam malitiæ, sed per extrin„ secam à malitia causæ. Hanc assertionem te„ nent omnes ferè Theologi Recentiores hujus „ ætatis." Ergo.

RESPONDEO. n. a. *ad prob.* dist. a. Theologi censent, talem actum non esse formaliter malum per denominationem *physicè* intrinsecsm, c. *moraliter* intrinsecam actui. n. a. In æstimatione enim morali in ordine ad pœnam vel indignationem divinam malitia antecedens actus imperantis consideratur ùt inexistens actu subsequenti: sicut etiam in peccato originali malitis Protoparentis ob dependentiam refundit malitiam moraliter intrinsecam in effectus subsequentes, in quibus consistit peccatum originale. Si autem Author præfatus plus vellet, dicendum foret, eum non benè inspexisse Authores: haud dubiè enim tunc *Recentiores* erant SUAREZ, & GONET, qui expressè docent nostram sententiam. SUAREZ in 1. 2. Disp. 3. Sect. 4. quæstionem sic ponit: *Quo tempore censeatur quis peccare peccato omissionis?* Respondet: "*Prima* sen„ tentia affirmat, illam ponere peccatum, licèt „ neque eo tempore, quo præceptum obligat, „ posita sit, neque interior culpa præcesserit. „ Ita MARSILIUS; sed est sententia improbabi„ lis. *Secunda* sententia est, quæ vult totum „ hoc peccatum committi, cùm aliquis dat suf„ ficientem causam omissionis, postmodum ve„ rò tempore præcepti nullum esse peccatum. „ Ita ALENSIS, GABRIEL. *Tertia* sententia „ est, tunc omissionem imputari ad peccatum, „ & culpam, quando adest tempus implendi præ„ ceptum, est D. THOMÆ 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. Deinde aperiens suam mentem dicit: "Exterior „ omissio tunc intelligitur fieri, cùm occurrit „ tempus præcepti, & licèt nullam mortalem „ malitiam addat, ipsa tamen peccatum propriè „ dici potest; quia, ut actio externa mala sit, „ satis est, quòd procedat à mala voluntate; „ ergo idem erit de omissione." GONET verò loc. cit. dicit: "Dico ignorantiam actualem (in „ exercitio) esse formaliter peccatum, licèt hoc „ non habeat à se ipsa, sed à negligentia sciendi „ ea, quæ scire tenemur. Id manifesta ratione „ convincitur. Nam omnis omissio actus debi„ ti, suppositò, quòd sit voluntaria, est forma„ liter peccatum: sed talis est illa ignorantia. „ Unde suprà dicebamus, omissionem Missæ „ contingentem in somno, & in ipso indirectè „ volitam non solùm in causa, sed etiam in se „ ipsa peccaminosam, quamvis id non habeat à „ se ipsa, sed à causa, seu dependenter ab illa: „ ita dicimus in præsenti, ignorantiam actualem „ vincibilem eorum, quæ scire tenemur, esse „ formaliter in se ipsa peccatum omissionis; „ quamvis id non habeat à se, sed dependenter „ à causa, in qua libera, & voluntaria est." Suprà verò *Disp.* 3. *art.* 4. ubi ex instituto hanc sententiam de peccato omissionis probat, addit: *Ita communiter Theologi, quibus subscribunt* SUAREZ, VALENTIA, SALAS, LORCA, *& alii.* Denique PAULUS à CONCEPTIONE *in Theologia Salmaticensi* Tract. 12. Disp. 2. dub. 1. ubi hanc nostram sententiam & ipse sequitur, addit: *Ita Theologi communiter*, CAJET., SOTO, MEDINA, ALVAREZ, MONTEZ, MARTINEZ, SERRA, GODOUS, SALMANTICENSES, *& alii innumeri. Ex Societate* SANCHEZ, BECANUS, VALENTIA, SUAREZ &c. Itaque falsum est, omnium

omnium ferè Theologorum esse, ejusmodi actus, licèt non immediatè liberos in se, liberos tamen in sua causa, non esse verè ac formaliter peccata.

Objicitur 4. Non requiritur ad peccandum minor libertas, quàm ad merendum; sed ad meritum non sufficit libertas in causa; ergo. *Min. prob.* si talis sufficeret, tunc posset dormiens per actum, quem ex causa voluntaria exercet, in somnis mereri; sed hoc non potest dici; ergo.

Respondeo 1. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* c. *Maj.* n. *Min.* Quia ùt observat Gonet ex D. Thoma Quæst. 28. de veritate art. 3. *ad* 7. Si quis dormiens exercet actum bonum, ad quem in vigilia erat intentus, probabile est, talem actum esse bonum, & meritorium à bonitate, & merito ipsius causæ. Certum est, Martyrium in somno perpessum propriè esse actum meritorium laureolæ, & Baptismum, extremam unctionem, aut absolutionem ab eo receptam, qui illam prius petiit, dum erat sanæ rationis, etiam in somno esse verum Sacramentum: adeoque dispositiônem internam habitualem esse moraliter simul, & unum quid cum actione Sacramentali. Igitur pari modo malitia causæ potest moraliter uniri cum effectu consequente.

Respondeo tamen 2. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* n. *Maj.* Quia actus in somno non est propriè actus humanus, neque etiam est ejus conditionis, ut debeat esse humanus. Itaque non censetur in æstimatione morali esse actus imperatus efficaciter ab imperio voluntatis, cum utique effectus Phantasiæ in somno non sint per se connexi cum causa libera antecedente.

Objicitur 5. Sacerdos non validè consecrat dependenter ab intentione præterita, si consecret in ebrietate, vel somno; ergo nec formaliter peccat quis dependenter à causa libera antecedenter posita. *Prob. Conseq.* Non minor requiritur libertas ad peccandum, quàm ad conficiendum Sacramentum; ergo.

Respondeo. c. a. n. c. *ad prob.* n. a. Christus ob dignitatem Sacramenti, & ob certitudinem formæ in Sacramentis requisitæ non solùm voluit actum humanum poni denominativè, sed etiam formaliter in se, & actualiter liberum; adeoque requisivit majorem libertatem, videlicet actualem ad conficiendum Sacramentum, quàm ad peccandum.

Objicitur 6. Ex nostra sententia sequeretur, hominem posse simul mortaliter peccare, & simul posse esse justum; sed hoc est erroneum; ergo. *Prob. Maj.* In casu, quo quis pœnituit de causa v. g. omissionis, constituitur in gratia, & si dein sequatur omissio, peccaret mortaliter, eò quòd illa omissio sit libera in sua causa.

Respondeo. n. *Maj. ad prob.* Dico, in tali casu non ampliùs moraliter existere malitiam causæ; quia jam fuit retractata efficaciter: adeoque illa malitia causæ non poterit ampliùs per modum formæ denominantis afficere actum subsequentem.

Dices cum Vasquez: Saltem secuturum illud absurdum, si Deus in somno tali homini nulla prius secuta retractatione infunderet gratiam.

Respondeo. n. a. Quia talis infusio gratiæ idem operaretur, quod operatur retractatio; destrueret enim malitiam causæ in esse morali, & culpæ: adeoque malitia causæ sic destructa non ampliùs afficeret per modum formæ denominantis actum subsequentem.

Respondeo tamen 2. n. a. & suppositum, possibilem esse infusionem gratiæ sine retractatione peccati saltem generica.

Objicitur 7. In Clementina: *Si furiosus.* de homicidio. Dicitur, quòd homicidium perpetratum à puero, furioso, insano, aut dormiente non inducat irregularitatem; ergo non est formale peccatum.

Respondeo. dist. a. Dicit hoc de homicidio casuali probabiliter *non præviso.* c. *præviso.* n. a. Si enim potuit, & debuit prævideri, eò quòd regulariter vel facilè ex ejusmodi actione libera sequatur homicidium, eo ipso erat liberum in sua causa. Cùm tamen nec status pueritiæ, nec status furiosus &c. sit semper in hominis potestate, potuit contingere illud ne quidem liberum dici posse in sua causa.

Objicitur 8. Quod non est formaliter liberum, non est formaliter peccatum; sed tales actus non sunt formaliter liberi; ergo. *Min. prob.* formaliter liberum dicitur, quod immediatè, ac in se est liberum; ergo.

2. Ubi non datur potentia implendi præceptum, ibi non datur præceptum; sed in tali actu v. g. somni, vel ebrietatis non datur potentia implendi præceptum; ergo.

Respondeo. dist. *Maj.* Quod non est formaliter liberum formalitate libertatis *denominante.* c. formalitate libertatis physicè *inhærente.* n. *Maj.* Denominativè liberum habet quidem libertatem ex libertate actus præcedentis; sed illa libertas non physicè inhæret: neque hoc requiritur; quia etiam aliàs actus homicidii non esset formaliter peccatum, quod nemo dixerit.

Ad 2. dist. *Maj.* Ibi non datur præceptum *distinctum adæquatè* ad actum antecedentem in se liberum. c. *inadæquatè distinctum.* n. *Maj.* Lex enim prohibens peccatum non solùm prohibet formale constitutivum peccati, sed etiam omnia constitutiva materialia peccati. Argumentum potest retorqueri in actibus meritoriis, qui etiam secundùm se sine fide in Christum, seu fiducia non habent condignitatem vitæ æternæ; quin tamen sequatur, solam fidem justificare. Sic etiam actus subsequentes ad causam liberam non habent meritum objectivum ad pœnam, & indignationem divinam; quin tamen sequatur, solam libertatem antecedentem habere meritum objectivum ad illam pœnam, & indignationem. Itaque objectum iræ, & pœnæ *inadæquatè*, nempe secundùm *formale* constitutivum est *unum*, ac individuum: secundùm verò constitutivum *materiale* est *multiplex*, & eatenus inadæquatè præcepta divina feruntur etiam ad actus subsequentes, tanquam constitutivum inadæquatum peccati.

Obji-

Objicitur 9. Votum, & Promissum in somno, vel ebrietate editum non inducunt obligationem; ergo nec ejusmodi actus peccaminosi in se non liberi inducunt obligationem ad pœnam.

Respondeo 1. *Ant.* negari à Suarez. Tom. II. de *Religione.* Lib. 1. Si videlicet ante somnum, vel ebrietatem præcesserit animus se obligandi talibus verbis, quantumvis in somno, vel ebrietate proferendis.

Respondeo 2. Transf. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quòd nemo ante somnum directè, vel indirectè censeatur, se velle positivè obligari talibus verbis; imo etiamsi id quis vellet, leges civiles, vel Ecclesiasticæ, à quarum arbitrio forma, & valor Contractuum dependet, id non permitterent.

Objicitur 10. Authoritas D. Thomæ; is enim docet, nec pollutionem in somno, nec ipsam ebrietatem passivam, id est, turbationem rationis esse unquam peccatum, sed tantùm sequelam peccati; ergo. *Ant. prob.* 2. 2. quæst. 154. art. 5. C. dicit: *Sic igitur patet, quòd nocturna pollutio nunquam est peccatum, sed quandoque est sequela peccati præcedentis.* Et 2. 2. quæst. 150. art. 1. c. *Dicendum,* (inquit,) *quòd ebrietas dupliciter potest accipi: unò modò, prout significat ipsum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit, ut non sit compos rationis; & secundum hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum pœnalem consequentem ex culpa.*

Respondeo. dist. *Ant.* Dicit, ea non esse peccatum per se, & *ratione sui.* c. *ratione causæ* præcedentis. n. a. Quòd enim hic sit sensus Angelici, patet legenti totum contextum. Neque hæc duo repugnant, quòd idem sit sequela peccati, & simul sit peccatum *denominativè* liberum: alioquin omnes actus externi, v. g. homicidium, qui sunt sequela actus interni, non essent peccata, sed soli actus interni, quod est erroneum. Expressè D. Thomas l. cc. q. 154. a. 5. C. dicit: *Nocturna pollutio potest dupliciter considerari: uno modo secundum se, & hoc modo non habet rationem peccati: alio modo potest considerari; per comparationem ad suam causam; quæ si sit culpabilis, sic habet rationem culpæ ex sua causa.* Ubi benè advertendum, quòd rationem culpæ non tantùm referat ad causam, sed ad ipsum effectum quantumvis in se non liberum.

Objicitur 11. Ex hac sententia sequuntur varia absurda. 1. Quòd contrahens infirmitatem culpabiliter v. g. ex deordinatione diætæ cum prævisione omnium omissionum v. g. jejunii quadragesimalis, auditionis Missarum &c. fit horum omnium reus, adeoque de iis sequelis debeat se accusare. 2. Quod convitia, & blasphemiæ in somno prolatæ sint peccata, si vigilans contraxerit eam consuetudinem. 3. Si quis ex prava consuetudine absque plena deliberatione pejeraret, peccaret semper mortaliter. 4. Si quis alios induxit pravò exemplò, consiliò, aut imperiò ad peccata, deberet inquirere de numero peccatorum ab aliis commissorum, & de iis singulis se accusare; sed hæ, & similes sequelæ essent absurdæ; ergo.

Respondeo. n. a. *ad* 1. n. *Maj.* Quia Ecclesia non obligat ad talia præcepta impotentes, positò si non potuerint prævidere tales effectus; vel si causam jam sufficienter retractaverint, nullò discrimine, sive contraxerint impotentiam culpabiliter, sive inculpabiliter.

Respondeo 2. Non esse absurdum, quòd rusticus, qui Sabbathò se inebriandò contraxit dolorem capitis, sic ut non potuerit audire Missam die Dominicâ, teneatur se accusare, nisi retractaverit peccatum; quia præsumendum est, Ecclesiam obligare ad prævidendos ejusmodi actus, vel omissiones immediatè consequentes ex actu libero. *Ad* 2. Iterum n. *Maj.* Quia voluntas Antecedens non *efficaciter* per modum *causæ per se* determinat ad ejusmodi effectus in somno commissos. Rarissimum enim erit, ejusmodi blasphemias &c. etiam à consuetudinario in somno consequi. *Ad* 3. dico, talem peccare mortaliter in omni perjurio, si nondum consuetudinem retractaverit *efficaciter*, id est, per propositum *serium* adhibendi media *efficacia* extirpandi consuetudinem. Et hæc est omnium Theologorum sententia aliud est, si proferret talia perjuria in somno; quia in tali statu de se aliàs licito non datur connaturalis connexio inter causam, & effectum. *Ad* 4. n. *Maj. quoad* 1. *membrum;* quia actus consequentes ex malo exemplo, dependentes ab *immediata* causa libera non habent necessariam dependentiam à causa libera *mediata* occasionante, nec denominantur ab illa. Aliud dicendum in 2. & 3. *membro*, quando quis consulit, vel præcipit peccatum; præsertim si consulens, vel imperans habeat imperium, & authoritatem in voluntatem alienam: in hoc enim casu, quando v. g. quis præcipit tria homicidia, necessariò deberet imperans confiteri singula homicidia.

Objicitur ultimo. Tenemur in Confessione explicare actum externum, etiamsi non habeat malitiam distinctam ab actu interno, tantùm ideo, ut sic magis explicetur natura actus interni; ergo etiam posset dari obligatio explicandi effectum ex causa libera secutum, etiamsi non habeat rationem formalem peccati.

2. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem ordine primam: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in sua causa.* Ergo.

Respondeo *ad* 1. n. *causalem antecedentis.* Nec enim causa obligationis primaria, ac essentialis confitendi actum externum est, ut explicetur natura actus interni, sed ut explicetur natura peccati, cujus pars est etiam actus externus. Aliud enim est, quòd actus externus non habeat malitiam formalem distinctam ab actu interno; & aliud, quòd non habeat malitiam formalem.

Ad 2. dist. a. Qua liberum fuit in causa voluntatis *alienæ.* c. *propriæ.* n. a. Pontifex enim addit: *Liberum in causa sua, peccato Originali, & voluntate Adami peccantis.* Loquitur autem Pontifex de peccato actuali, ad quod requiritur libertas propria præsens, vel antecedens.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo actus omissionem graviter culpabilem concomitans, vel antecedens sit peccatum?

NOTANDUM I. Quæstio hæc notabilis est propter aliam magni momenti quæstionem exinde dependentem, utrùm videlicet omnia opera infidelium, aut existentium in peccato mortali sint peccata. Cùm enim tales homines singulis momentis teneantur saltem sub veniali ponere actum conversionis ad Deum, prout dictum est in *Tractatu de* POENITENTIA; sequitur proin, quòd omni momento omittendô ejusmodi conversionem saltem virtualem ad Deum peccant ad minimum venialiter: si igitur actus concomitantes ejusmodi omissionem essent peccata, sequeretur, quòd peccent in omni opere.

NOTANDUM 2. Certum esse, quòd actus omissioni conjunctus sit peccatum, si sit causa omissionis culpabilis, vel occasio illius, v. g. si inordinata passio ludendi, vel venandi impellat ad omissionem sacri; quia quod est formalis, vel virtualis causa peccati, est haud dubiè malum ex circumstantia finis; tum etiam quia datur idem præceptum de removendis causis peccatorum, quod datur de vitandis ipsis peccatis, nisi moralis difficultas, aut impossibilitas remotionem causæ prohibeat. Quæstio hic solùm est de actu concomitanter conjuncto cum omissione præcepti, v. g. sacri aliunde ex alio motivo volita v. g. ob tempestatem pluviam &c. vel si quis ludat, aut studeat eo tempore, quo urget præceptum audiendi sacrum die Dominico. Ejusmodi ergo actum concomitantem v. g. studium esse peccatum tenent LORCA, VALENTIA, GRANADO. Negativam autem defendunt ALVAREZ, CORNEIO, SERRA, SUAREZ, GODOJUS, & alii.

DICO I. Actus omissioni culpabili tantùm concomitanter conjunctus, & supponens aliunde firmum animi propositum ponendi omissionem, non est peccatum. *Sensus est;* quòd si quis jam sit determinatus omittere sacrum die festo v. g. ob tempestatem pluviam, actio illa v. g. studium, aut lusus, quam tempore omissionis assumit, non sit peccatum.

PROBATUR Conclusio I. Talis actus concomitans nec formaliter, nec virtualiter in malitiam omissionis culpabilis influit; ergo. *Ant. prob.* Talis actus jam supponit aliunde decretum omittendi actum præceptum, & ea omissio sequeretur, quamvis non poneretur talis actus concomitans; ergo.

PROBATUR 2. Ex opposita sententia sequeretur, quòd omnia opera infidelium, vel peccatorum sint peccata, etiam eleemosyna, & oratio; sed hoc non potest dici; ergo neque illud. *Maj. prob.* Infideles, & peccatores in omni opere habent conjunctam omissionem conversionis saltem virtualis ad Deum præceptæ, ut suppono ex Tractat. *de Pœnit. Min. patet* ex Propositione 35. Baii damnata, quæ sic habet: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Et 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

DICO II. Actus conjunctus cum omissione culpabili per modum causæ v. g. venatio, ludus, studium, vel somnus causans omissionem sacri, præter suam malitiam propriam ex objecto, si quam habet, habet malitiam specie indistinctam à malitia omissionis, quam causat. Ita communis.

PROBATUR Conclusio. Talis actus solum est malus ex fine; ergo etiam habet speciem malitiæ ex solo fine, sicut desideria prava.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. *contra* I. *Conclusionem.* S. THOMAS docet, ipsam orationem esse peccatum, quando fit, dum fieri non debet; sed dum fit urgente præcepto v. g. charitatis ad alium actum incompossibilem, fit, quando fieri non debet; ergo. *Maj. prob.* Quæst. 2. de malo art. I. ad 7. ait: *Hoc ipsum, quod est laudare Deum, orare potest malè fieri, si hoc fiat, quando non debet, quando scilicet homo alia facere tenetur.* Ergo.

RESPONDEO. dist. *Maj.* Docet esse peccatum, quando oratio est *causa impulsiva* ad omittendum actum præceptum. c. si tantum sit *concomitans*, & operans jam sit *aliunde* determinatus ad omissionem culpabilem. n. *Maj.* S. Doctor loquitur ibi de eo, qui, ut possit vacare orationi, omittit aliam obligationem v. g. si Parochus, ut possit orare, omittat administrare Sacramenta, vel liberi, ut vacent orationi, si omittant laborem à parentibus injunctum.

OBJICITUR 2. *contra eandem.* Quod fit tempore indebito, est malum; sed talis actio concomitans v. g. *studium*, tempore sacri audiendi fit tempore indebito; ergo. *Maj. prob.* Inter circumstantias actus boni requisitas est etiam hæc, ut fiat tempore debito; ergo.

RESPONDEO. dist. *Maj.* Quod fit tempore indebito per modum *causæ impulsivæ* ad omissionem actus præcepti. c. per modum *actus concomitantis*. n. *Maj.* Si enim supponatur animus jam aliunde obfirmatus ad omissionem sacri, vel ad non parendum præcepto Parentum, Legislator ex suppositione hujus malitiæ adeò non prohibet studium, vel orationem, ut potiùs velit tempus in talia collocari, quàm in alia profana.

OBJICITUR 3. *contra eandem.* Præceptô v. g. audiendi sacrum, vel obediendi parentibus prohibetur illud omne, quod impedit auditionem sacri, vel obedientiam, & quod est incompossibile cum præcepto; sed studere &c. impedit auditionem sacri, & est incompossibile cum illa; ergo.

RESPONDEO. dist. *Maj.* Prohibetur omne, quod impedit auditionem sacri per modum causæ *antecedentis*, & impulsivæ ad determinationem omissionis. c. quod impedit per modum connotati *consequentis*. n. *Maj.* Ut enim dictum est, Legislator ex suppositione voluntatis aliunde determinatæ ad omittendum sacrum potiùs vult poni occupationem utilem, quàm inutilem.

RESPON-

RESPONDEO 2. dist. *Maj.* sic: prohibetur omne, quod impedit *efficaciter*, & eum effectu, ut in omissionem influat. c. quod tantùm *inefficaciter* impedit. n. *Maj.* Studium autem in casu posito, nisi sit motivum omissionis, non *efficaciter* determinat ad omissionem sacri.

OBJICITUR 4. *contra* 2. *Conclusionem*. Inordinatus affectus ad studia habet malitiam speciè distinctam ab omissione sacri; sed in casu controverso datur inordinatus affectus ad studia, utpote poncoda extra tempus debitum; ergo.

RESPONDEO. dist. *Maj.* Inordinatus affectus ad studia deordinatione *generali*, prout ea opponitur ordini aliarum virtutum. c. deordinatione *particulari*, prout ea hic & nunc opponitur soli virtuti Religionis. n. *Maj.* Si enim affectus ad studia esset adeò inordinatus, ut adhæsio ad illa inclinaret ad transgressionem etiam plurium aliarum obligationum diversæ rationis, ille affectus esset diversæ speciei, & pertineret ad inordinatum amorem terrenorum. Si verò tantum hic & nunc in particulari casu sic adhæreat studio, ut illud præponat virtuti religionis, sic continetur tantùm in specie irreligionis.

DICES 1. Actus carens rectitudine ipsius studiositatis habet malitiam, & deordinationem tenentem se intra objectum, & materiam studiositatis; sed tale est studium in casu posito; ergo.

RESPONDEO. dist. *Maj.* Carens rectitudine *Generali*, prout opponitur generalitati virtutum. c. rectitudine tantùm *particulari*. n. *Maj.* Si enim deordinatio adhæsionis ad studia tanta esset, ut subjectum fortiter inclinet ad transgressionem cujuslibet præcepti, sic esset deordinatio generalis, utpote inclinans animum ad temporalia. Hic verò tantùm supponitur inclinare ad omissionem sacri.

DICES 2. Tale studium caret debitâ circumstantiâ temporis; ergo adhuc est contra virtutem non solùm religionis, sed etiam studiositatis.

RESPONDEO. dist. a. Caret debitâ circumstantiâ temporis defectu proveniente ex deordinatione *particulari* hic & nunc opposita ad solam virtutem religionis. c. ex *generali*. n. a. Quando enim circumstantia reddit aliquem actum malum, inspiciendum est, ad quam speciem ipsa illa circumstantia trahat ex suis principiis, & motivis. In præsenti illa circumstantia ex suis causis tantùm trahit ad virtutem religionis.

OBJICITUR 5. *contra eandem*. Peccatum Commissionis pertinet ad aliam speciem malitiæ, quam peccatum omissionis; sed studium in casu controverso est peccatum commissionis; ergo.

RESPONDEO. o. *Maj.* Contrarium patebit ex infrà dicendis de *differentia specifica* peccatorum. Sic enim præceptum: *Adorabis Deum*, &: *Non facies tibi sculptile*, habet pro objecto tam peccatum commissionis, quàm omissionis. Idem contingit in aliis præceptis, quæ habent aliquid negativi, & affirmativi: interim tamen actus, & omissiones eidem præcepto oppositæ sunt in eadem specie virtutis, & vitii. RESPONDERI potest 2. dist. *Maj.* Pertinet ad aliam speciem, si peccatum commissionis *ratione sui* terminat legem prohibentem. c. si tantùm *ratione concomitantis omissionis*. n. *Maj.* Studium autem in posito casu ratione sui non terminat legem prohibentem, sicut terminat homicidium.

QUÆSTIO VI.

An malitia peccatorum consistat in aliquo positivo, vel negativo?

NOTANDUM. In peccato duo reperiuntur. *Primum* est actus positivus, per quem voluntas convertitur in objectum lege prohibitum; ista conversio ad objectum haud dubiè est aliquid positivum. *Alterum* est defectus ordinis ad ultimum finem: & hic defectus ordinis debiti est aliqua negatio vel privatio. Quæritur jam, an formalis malitia peccati consistat in hac sola negatione, seu privatione? an verò consistat etiam in positiva conversione voluntatis ad objectum? *posteriorem* sententiam præter *Recentiores* sat multos defendunt etiam multi ex *Thomistis*, videlicet JOAN. à S. THOMA, GODOJUS, SALMANTICENSES &c. *Priorem* verò præter *Thomistas* insigniores, quos citat P. MEZGER, docent *Patres* ferè unanimiter, adeò, ut PETAVIUS in *Theol. Dogmat.* Tom. I. Lib. 6. c. 4. ob hunc consensum *Patrum* concludat, multò consultius esse, in solvendis fortè difficultatibus fateri suam inscitiam, quàm à tam unanimi Authoritate recedere.

DICO. Materiale peccati consistit in conversione ad creaturam. Formalis verò malitia peccati consistit in sola privatione debiti ordinis ad ultimum finem.

Conclusio quoad 2. partem, de qua est potissimum Controversia,

PROBATUR 1. Authoritate Patrum. Sic 1. NAZIANZENUS *Orat.* 40. ait: *Crede, nullam mali essentiam esse.* 2. S. FULGENTIUS Lib. 1. de fide ad Petrum. *Malum* (inquit) *nihil aliud est, quàm boni privatio.* 3. S. AUGUSTINUS Lib. 11. de Civ. c. 9. *Mali nulla natura est; sed amissio boni mali nomen accepit.* 4. AUTHOR libri de *divinis Nominibus* c. 4. *Ea* (inquit) *quæ sunt, quatenus sunt, & bona sunt à bono; quatenus autem privata sunt bonó, nec bona sunt, nec constant. Non igitur in dæmonibus, aut nobis malum inest, quasi sit aliquid malum, sed quòd perfectionis bonorum propriorum, & accommodatorum sit privatio. Relinquitur ergo, malum imbecillitatem, atque privationem boni esse.* 5. DAMASCENUS Lib. 2. *de Fid. Orthod.* c. 24. *Neque aliud quidquam est malum, quàm boni privatio; haud secus nimirum ac tenebræ nihil aliud sunt, quàm luminis orbitas.* Plura talia testimonia videri possunt apud SYLVIUM, & alios.

PROBATUR 2. Hæc sententia approbata est à plerisque Theologis in Congregationibus Tridentini præviis; ergo. *Prob. Ant.* PALLAVICINUS in *Historia Concil. Tridentini.* Lib. 7. c. 8. num. 3. ait: *Plerique probarunt id, quod Fr. Balthasar de Credia ex Ord. Prædicat. Episcopus, et S. Thoma etiam depromebat, nimirum quod, licèt omne peccatum universaliter loquendò principaliter consistat; & velut formaliter in privatione debitæ rectitudinis opposita, secundum quam partem non est effectus, sed defectus; nihilominus subjectum talis privationis esse res verè subsistens.*

PROBATUR 3. Authoritate *D. Bonaventuræ*, *D Thomæ*, & *Scoti*. I. S. BONAVENTURA in 2. Sent. Dist. 34. quæst. ult. dicit: *Contingit loqui de malo*, *seu peccato abstractè* (hoc est, abstractè secundum rationem mali) *& hoc modò malum*, *seu peccatum in recto*, *seu prædicatione formali non est aliquid*, *sed nihil*; *quia non est ens*, *nec bonum*, *sed privatio boni*. 2. D. THOMAS 2. 2. quæst. 118. art. 5. C. ait: *Omne peccatum ex hoc ipso*, *quòd est malum*, *consistit in quadam corruptione*, *sive privatione alicujus boni*.

Idem III. Part. quæst. 86. art. 4. ad 1. *Culpa mortalis utrumque habet*, *& aversionem à Deo*, *& conversionem ad bonum creatum. Sed aversio à Deo est ibi sicut formale; conversio autem ad bonum creatum est ibi sicut materiale.* Similes Textus in D. Thoma sunt plurimi. 3. SCOTUS in 3. Sent. Dist. 37. dicit, quòd peccatum sit *formaliter privatio Boni*.

PROBATUR 4. Omnis defectus constituitur per absentiam, seu privationem perfectionis debitæ; sed peccatum est defectus; ergo. *Maj. patet* ab inductione omnium defectuum tam in naturalibus, quàm in moralibus.

PROBATUR 5. In hac explicatione omnes difficultates possunt optimè explicari; ergo est præferenda.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Peccatum sæpè in *Scriptura* exprimitur nomine alicujus rei positivæ v. g. *transgressionis* &c.

2. In *Scriptura* malitia peccati refertur ad id, quod est in peccato *positivum*. v. g. Job. 15. dicitur: *Tetendit adversus Deum manum suam*, *cucurrit adversus eum erecto collo*, *& pingui cervice armatus est*.

3. Etiam *Patres* vocant peccatum *malam affectionem animæ*. Ergo.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Exprimitur sic peccatum secundum suum *materiale*. c. *formale*. n. a.

Ad 2. dist. a. Refertur ad id, tanquam ad *radicem* formalis malitiæ, ac fundamentum. c. tanquam ad formale *constitutivum*. n. a. Verum est, quòd sicut dispositiones in materia ad formam fundant privationem formæ; ita dispositiones positivæ contrariantes naturæ entis de se ordinati ad finem ultimum, fundant privationem debiti Ordinis ad eundem finem ultimum.

Ad 3. dist. a. Patres vocant malam affectionem secundùm esse *materiale* peccati. c. secundùm esse *formale*. n. a. Sensus patet ex dictis.

OBJICITUR 2. Authoritas D. THOMÆ. Nam 1. Dicit, malum esse aliquid positivum; ergo cùm nomina important objectum secundùm suum constitutivum *formale*: sicut dum dico; homo est animal rationale, utique secundum formale, præsumendum est, quòd D. Thomas peccatum secundùm *formale* dicat, esse quid positivum. *Ant. prob.* de malo quæst. 2. art. 11. ad 13. sic habet: *Peccatum non est pura privatio*, *sicut tenebræ*; *sed est aliquid positivum*. Et quæst. 48. art. 1. ad 2. *Malum est quoddam bonum adjunctum privationi alterius*.

2. Dicit, dari contrarietatem inter bonum, & malum; sed contrarietas est inter positiva; ergo. Ejus verba 2. 2. quæst. 6. art. 2. ad 2. hæc sunt: *Deformitas non solum importat privationem debitæ formæ*; *sed etiam contrariam dispositionem.* Et de malo quæst. 1. art. 1. ad 4. ait: *Actus voluntatis*, *in quantum fertur in malum*, *recipit rationem mali*; *& hoc malum propriè contrariatur Bono*.

3. Dicit, Peccata specificari per aliquid *positivum*; sed specificatio peccati tenet se in ipsa ratione malitiæ; ergo. *Min. prob.* Species rei sumitur à forma. *Maj.* verò *patet* ex 1. 2. q. 72. art. 9. ad 1. ubi ait: *Peccatum non sortitur speciem ex parte privationis vel aversionis*; *sed ex conversione ad objectum actus*.

4. Dicit, quòd peccatum fundet reatum pœnæ; sed illud, quod fundat reatum, non est pura privatio; ergo. Lib. 2. ad *Hanibalem* dist. 34. quæst. unic. art. 1. ad 1. *Dicendum* (inquit) *quòd*, *cum aliquis punitur pro malo*, *quod facit*, *non punitur pro nihilo*; *sed per hoc*, *quòd facit in sua actione nihilum*, *id est*, *inordinationis defectum*.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Dicit, malum *concretivè* sumptum esse aliquid positivum. c. *abstractivè*, & formaliter. n. a. Nomina concretorum, licèt explicitè tantùm regulariter important formam; implicitè tamen important etiam partes materiales: sic si quærerem, quid sit homo? malè responderem, quòd homo sit sola anima, aut quòd ignis sit sola forma ignis. Neque est paritas cum tenebris; quia tenebræ non important concretum, sed solam formam.

Ad 2. idem respondeo.

Ad 3. c. *Maj.* dist. *Min.* Tenet se ex parte malitiæ peccati, ùt tamen hic, & nunc *respectivæ* ad materiam. c. *non respectivæ*. n. *Min.* Quòd enim specificatio peccatorum sumatur à materiali, testatur D. THOMAS in 2. Sent. Dist. 34. art. 2. ad 3. ubi ait: *Malum per se*, *vel abstractè sumptum non est differentia specifica*, *sed malum per accidens*, *& concrete sumptum*. Et rursus: *Mala actio specificatur ex ordine ad finem indebitum*, *cui admiscetur privatio finis debiti*, *ex quo ratio mali incidit*.

RESPONDEO 2. dist. *Maj.* Dicit, ea specificari à malitia *fundamentali* in esse *morali*. c. à malitia *formali* in esse *Theologico*. n. *Maj.* Nam ut in Tract. *de Actib. hum.* Disp. 1. in qq. §. 4. dictum est, differentia specifica actuum humanorum in esse materiali, ac fundamentali tantùm desumitur ab objecto; sed in esse formali, ac Theologico desumitur ab ordine, vel defectu ordinis ad finem, qui defectus diversificatur per id, quod importat in obliquo, quia negationes, vel privationes non possunt concipi sine positivo, in quo fundantur, quod importatur in obliquo. Dein posset dici, quòd ipsa ratio specifica moralis habeat se materialiter ad denominationem mali formaliter & in consideratione Theologica spectati: *prius* enim est, actum humanum specificari v. g. in ratione *blasphemiæ*; & si quæratur ratio formalis, cur blasphemia sit mala Theologicè, *primùm* attingitur formalis malitia Theologica consistens in defectu ordinis ad finem.

Ad 4. Dico, peccatum ibi summi *concretivè*.

OBJICITUR 3. Prior est malitia actus, quàm privatio debitæ rectitudinis; ergo. *Prob. Ant.* Prius est concipere actum, ut difformem secta

rectæ rationi, quàm ùt privatum debita rectitudine ad ultimum finem: ergo.

2. Pro priori ad privationem rectitudinis actus jam constituitur, & concipitur in determinata specie mali; ergo etiam pro priori jam datur ejus formalis malitia. *Prob. Ant.* Pro priori jam concipitur voluntas intendens in tale objectum; ergo actus pro priori jam constituitur in determinata specie, quia actus specificantur ab objecto.

3. Privatio rectitudinis moralis est potiùs effectus malitiæ, & deordinationis reperibilis in actu; ergo non est formale constitutivum.

Respondeo *ad* 1. dist. a. Prior est malitia *fundamentalis.* c. *formalis.* n. a. vel *subdistinguo.* Prior est malitia formalis formalitate in esse *morali.* c. formalitate in esse *Theologico.* n. a. Sicut enim *formale definitionis* est *materiale Syllogismi*, & *formale cordis*, cerebri, ossis &c. est *materiale hominis*; ita *formale* constitutivum *actus* in esse *morali* est *materiale actus* humani *Theologicè* considerati. Si enim daretur actus difformis rectæ rationi sine recessu à Deo, haberet se per modum defectus naturalis, vel per modum monstri in natura v. g. per modum tibiæ curvæ; sed quia illa deformitas, seu curvitas voluntatis conjunctum habet defectum ordinis ad Summum Bonum, sic habet malitiam formalem Theologicam.

Ad 2. dist. a. Concipitur pro priori in specie mali *fundamentaliter* talis. c. *formaliter* talis. n. a. Ipsa enim ratio specifica mali, si non daretur Deus, nec recessus à Deo, esset tantùm malum morale physicum, & naturale, ùt monstrum, vel curvitas tibiæ. Sed hæc ratio specifica habet se per modum materiæ ad illam denominationem, qua actus vocatur peccatum formale in consideratione Theologica.

Ad 3. dist. a. Est effectus deordinationis, & malitiæ *fundamentalis.* c. *formalis.* n. a. vel *subdist.* Est effectus malitiæ formalis in genere malitiæ *physicæ.* c. *Theologicæ.* n. a. Ut enim dixi, species mali sine recessu à Deo esset tantùm physica, & naturalis per modum monstri, vel per modum imprudentiæ in œconomicis, vel per modum erroris in physicis, quod vocamus malum *morale*; non autem esset malum formaliter formalitate *Theologica* relatè ad Deum.

Objicitur 4. In illo consistit formalis malitia peccati, in quo peccatum legi opponitur; sed hoc est aliquid positivum; ergo.

2. Extrema contrariè opposita consistunt in positivo; ergo peccatum secundùm suam malitiam consistit in aliquo positivo. *Conf. patet*; quia Bonum, & malum sunt contrariè opposita, ut habetur 2. Ethic. c. 7.

Respondeo *ad* 1. dist. *Maj.* Malitia formalis peccati *fundamentaliter* sumpti. c. *formaliter* sumpti. n. *Min.* vel sic: Malitia *moralis physica*, & naturalis. c. *Theologica.* n. *Maj.* Sensus patet ex dictis.

Ad 2. tr. a. dist. conf Consistit in positivo secundùm malitiam *fundamentalem.* c. *formalem.* n. c. vel *subdist* Formalem formalitate *Physica.* c. formalitate *Theologica.* n. conf.

Objicitur 5. Odium Dei non est capax ullius rectitudinis; ergo ejus malitia non potest consistere in privatione rectitudinis. *Conf. prob.* Privatio est negatio formæ in subjecto apto; ergo.

2. Odium Dei est formalissimè malum antecedenter ad omnem suppositionem privationis; ergo. *Prob. Ant* Privatio rectitudinis jam præsupponit in odio Dei malitiam formalem.

Responedo *ad* 1. c. a. n. c. *ad prob.* dist. a. Privatio *strictè* dicta. c. *latè* dicta. n. a. Dum malitia dicitur esse privatio, hoc intelligitur de negatione, abstrahendò, an subjectum sit capax, vel non; & eatenus privatio idem est, ac negatio. vel *dist.* sic: Privatio est negatio formæ in subjecto apto *ex suo genere.* c. apto *in suo genere.* n. a. Actus humanus ex suo genere est capax privationis, & odium Dei per modum causæ ponit hanc privationem.

Respondeo 2. c. a. dist. c. Non potest consistere in privatione relativa ad actum odii secundum rationem *specificam.* trans. *genericam.* n. c. Quòd enim in hoc casu privatio intentionalis referatur ad prædicatum genericum, dependet ex usu, & acceptatione hominum, qui in hoc modo loquendi attendunt ad actum voluntatis secundùm rationem genericam.

Ad 2. dist. a. Est formalissimè malum formalitate *physica.* c. *Theologica.* n. a. Si enim per impossibile Deus posset diligere illos, qui eum odio habent, non daretur in odio Dei malitia Theologica; quia in illo odio non daretur defectus ordinis ad Summum Bonum.

Dices 1. Odium Dei opponitur immediatè legi prohibenti, non respicienti ad ullam Bonitatem oppositam, cujus datur privatio; ergo etiam habetur malitia antecedenter ad privationem bonitatis oppositæ.

2. Si non haberetur malitia talium peccatorum per immediatam positivam oppositionem ad legem prohibentem, non daretur discrimen inter præcepta affirmativa, & negativa; sed hoc non potest dici; ergo. *Maj. prob.* Omne præceptum negativum ferretur affirmativè ad objectum in ordine ad bonitatem oppositam, in cujus privatione consistit malitia; ergo.

Respondeo *ad* 1. tr. a. dist. c. Habetur antecedenter malitia *fundamentalis.* c. *formalis.* n. c. vel *subdist.* formalitate *physica.* c. *Theologica.* n. c. quia malitia actus, inquantum habetur formaliter per oppositionem ad legem, non esset Theologica, nisi simul conjunctum haberet defectum ordinis ad Summum Bonum.

Ad 2. n. *Maj. ad prob.* dist. a. Ferretur affirmativè per tendentiam *implicitam*, ac *mediatam.* c. *explicitam*, ac *immediatam.* n. a. Verum quidem est, quòd omne præceptum etiam negativum interdum intendat bonitatem oppositam; sed ea tendentia est mediata, & implicita. Distinctio autem præceptorum sumitur ab iis prædicatis, quæ importantur explicitè. Dein qualecunque sit discrimen inter præcepta affirmativa, & negativa quoad modum tendendi, semper

semper verum manet, malitiam formalem in consideratione Theologica consistere in defectu ordinis ad finem ultimum, fundato in malitia formali physica, quam vocant moralem.

QUÆSTIUNCULÆ

De natura Peccatorum.

QUÆRITUR I. An in omni peccato simul intercedat aliquis error intellectus?

RESPONDEO. Quòd sic. Ad hoc intelligendum, & probandum, sciendum, quòd detur duplex scientia: *universalis*, & *particularis*. v. g. Scit quis in *universali*, non esse occidendum innocentem; sed dubitat, an non in casu hoc *particulari*, ubi agitur de salute reipublicæ, id liceat. Illa scientia à non nullis vocatur *speculativa*; posterior vero *practica*. Dein aliqua *sciuntur* etiam in particulari; sed ob inconsiderationem hic, & nunc *non occurrunt memoriæ* saltem clarè. Sic omnes sciunt, non esse peccandum, ne quidem in particulari; quia tamen non considerant hanc veritatem, judicant practicè sibi hic, & nunc, consultius, & melius esse præferendam voluptatem *præsentem* Bonis infinitis *absentibus*.

PROBATUR *Responsio* I. ex D. THOMA, qui 1. 2. q. 77. a. 2. c. sic habet: "Contingit, „ quòd aliquis habeat scientiam in universali, „ putà nullam fornicationem esse faciendam, „ sed tamen non cognoscat in particulari hunc „ actum, qui est fornicatio, non esse faciendum, & hoc sufficit ad hoc, quòd voluntas „ non sequatur universalem scientiam rationis.— „ Potest igitur contingere, quod aliquis etiam „ rectam scientiam habeat in singulari; sed tamen in actu non consideret. Hoc quandoque „ contingit ex solo defectu intentionis, quandoque ob impedimentum supervenięns, putà „ occupationem exteriorem, vel propter aliquam infirmitatem corporalem; & hôc modô „ ille, qui est in passione constitutus, non considerat in particulari id, quod scit in universali, in quantum passio impedit talem considerationem. Impedit autem tripliciter. Primò per quamdam distractionem. Secundò „ per contrarietatem; quia plerumque passio „ inclinat ad contrarium hujus, quod scientia „ universalis habet. Tertiò per quamdam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne liberè in actum exeat: sicut „ etiam somnus vel ebrietas quadam corporali „ transmutatione facta, ligant usum rationis. „ Et quòd hoc contingat in passionibus, patet „ ex hoc, quòd aliquando, cùm passiones multùm intenduntur, homo amittit totaliter usum „ rationis: multi enim propter abundantiam „ amoris, & iræ sunt in insaniam conversi. Et „ per hunc modum passio trahit rationem ad judicandum in particulari contra scientiam, quam „ habet in universali." Ita S. Thomas.

PROBATUR 2. ex *S. Scriptura*. Prov. 14. v. 22. dicitur: *Errant, qui operantur malum.* Hinc & in Scriptura peccatores passim vocantur *stulti*, adeo, ut commune sit axioma: *Omnis peccans* Unde & S. GREGORIUS Lib. 15. Moral. c. 28 *Omnis peccator stultus fit in culpa.*

PROBATUR 3. *ratione*. Omnis peccator judiciô ultimô practicô judicat, hic & nunc bonum finitum esse sibi eligibilius Bonô infinitô; sed hoc est error; ergo. *Min. prob.* Nihil potest eligi practicè; nisi vel ùt ipsa felicitas, vel ùt medium ad felicitatem, ùt supponitur ex Tract. *de Actibus humanis*. ergo dum peccator nec eligit finem, nec medium revera tale, errat in ultimo judicio practico.

QUÆRITUR 2. An omne peccatum non tantùm repugnet legi, sed etiam naturæ rationali?

RESPONDEO. Quod sic. Ita communiter *Thomistæ*.

PROBATUR *Responsio*. 1. Illud dicitur contra naturam alicujus rei, quod repugnat appetitui naturali, & actionibus, quæ sunt secundùm appetitum naturalem; sed omnia peccata ejusmodi sunt; ergo. *Min. prob.* Appetitus rationalis hominis naturalis tendit ad Bonum Summum, & ad felicitatem verè talem: econtra peccatum tendit solùm ad apparentem; ergo omne peccatum repugnat inclinationi naturali. Hinc mirum non est, quòd cessante passione, & primo impetu actionis peccaminosæ natura intimè resistat, & ex contrarietate motuum nascatur inquietudo mentis, & stimulus conscientiæ.

PROBATUR 2. Authoritate D. THOMÆ 1. 2. q. 71. art. 2. C. ubi ait: *Natura uniuscujusque rei potissimè est forma, secundùm quam res speciem sortitur. Homo autem in specie constituitur per animam rationalem; & ideo id, quod est contra ordinem rationis, propriè est contra naturam hominis, inquantum est homo. Vitium autem intantum est contra naturam hominis, inquantum est contra ordinem rationis.*

PROBATUR 3. ex S. AUGUSTINO lib. 3. *de lib arbit.* c. 13. *Omne vitium* (inquit) *eo ipso, quòd vitium est, contra naturam est.*

QUÆRITUR 3. An peccata sint inter se connexa?

RESPONDEO. Quòd non. Ita communiter *Thomistæ*. GONET hic Disp. 4. art. 1.

PROBATUR *Responsio*. Reus unius peccati non etiam reus est alterius. Sic 3. Reg. 15. v. 5. de Davide dicitur: *Non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei Dominus, excepto sermone Uriæ Hethæi.* Ergo.

QUÆRITUR 4. An peccatum etiam possit dari in sensibus, tanquam in subjecto?

RESPONDEO. Peccatum non reperitur in potentiis sensitivis secundùm rationem formalem malitiæ *elicitivè*, sed *denominativè*. Ita quoad rem *Thomistæ*.

PROBATUR *Responsio* 1. Potentiæ non habent formalem libertatem per modum principii elicitivi, recipiunt tamen denominationem actus peccaminosi; ergo. *Ant. prob.* Motus harum potentiarum, cùm dependeant à determinatione voluntatis, habent se ad illam per modum materiæ ad formam moralem, cum qua constituunt unum totum concretum, quod est peccatum; ergo.

PROBA-

PROBATUR 2. authoritate D. THOMÆ 1. 2. q. 24. art. 1. C. ubi ait: "Si passiones considerentur, secundum quod subjacent imperio rationis, & voluntatis, sic est in eis bonum vel malum morale: propinquior enim est appetitus sensitivus ipsi rationi, & voluntati, quàm membra exteriora, quorum tamen motus, & actus sunt boni vel mali moraliter, secundum quod sunt voluntarii." vide GONET hic Disp. 5. §. 1.

QUÆRITUR 5. An mortaliter peccans suum ultimum finem revera constituat in creatura?

RESPONDEO. Omnis mortaliter peccans finem suum ultimum, non tantùm *interpretativè*, sed etiam *virtualiter*, & *in actu exercito* constituit in creatura. Ita *Thomistæ* communiter. GONET hic Disp. 9. art. 2.

PROBATUR *Responsio*. Omnis actio humana actu tendit in ultimum finem, seu in rationem sui Summi Boni, & quidquid appetit, vel est ipse finis, vel medium tendens in hunc finem; ergo in omni actione non tantùm *interpretativè*, sed etiam *virtualiter*, & *in actu exercito* ratio finis ultimi constituitur vel in bono revera tali per actum bonum, vel in Bono apparenter tali per actum malum. *Antecedens* est D. THOMÆ 1. 2. q. 1. art. 6. C. ubi sic ait: "Dicendum, quòd necesse est, quòd omnia, quæ homo appetit, appetat propter ultimum finem. Et hoc apparet; quia, quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni; quod quidem, si non appetitur ut Bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse est, ut appetatur, ut tendens in bonum perfectum; quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius: sicut patet tam in his, quæ fiunt à natura, quàm in his, quæ fiunt ab arte; & ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam, quæ est propter ultimum finem. *Et ad* 3. Dicendum (inquit) quòd non oportet, ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocunque aliquid appetit, vel operatur; sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscunque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur: sicut non oportet, quòd, qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine. *Et ibidem art.* 7. *ad* 1. Dicendum, quòd illi, qui peccant, avertuntur ab eo, in quo verè invenitur ratio finis ultimi; non autem ab ipsa ultimi finis intentione, quem quærunt falsò in aliis rebus.

QUÆRITUR 6. An venialiter peccans referat suum actum saltem habitualiter ad Deum?

RESPONDEO. Venialiter peccans omnem suum actum refert habitualiter in Deum. *Sensus est*, quòd venialiter peccans in ipso actu sit ita saltem habitualiter constitutus, ut nollet actum ponere, si tolleret spem, & tendentiam habitualem ad Deum. Ita quoad rem

PROBATUR *Responsio*. 1. ex D. THOMA, qui 1. 2. q. 88. a. 1. ad 2. ait: "Sufficit, quòd aliquis habitualiter referat se, & omnia sua in Deum ad hoc, quòd non semper mortaliter peccet, cùm aliquem actum non refert in Deum actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solùm actualem; quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum.

PROBATUR 2. In omni actione intenditur aliquis finis ultimus, ùt patet ex Responsione ad *Quæst.* 5. Ergo, cùm in veniali peccato pro fine ultimo non constituatur creatura, sequitur, quòd saltem *habitualiter* intendatur finis revera talis nempe Deus, quamvis in ejusmodi actu concurrant duo motus aliquo modo contrarii, in qua contrarietate consistit deordinatio actus. NOTANDUM tamen, quòd ea habitualis ordinatio non sit tantùm *Metaphysica*, quæ nihil aliud est, quàm actus præteritus, non retractatus; sed etiam *Physica*, quia, prout explico in Tract. *de Virtutibus* Part. 2. *de Charitate*, ubi ago *de virtutibus infusis*, suppono, quòd omne firmum animi propositum relinquat in anima habitum inchoatum, seu inclinationem potentiæ in objectum, quæ inclinatio est *voluntas perpetua*, ùt patet ex D. THOMA 1. 2. q. 8. art. 1. C.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* R. *ad Q.* 1. Multi peccant ex mera malitia, scientes, se malè agere; ergo non errant. *Ant. prob.* Jacobi 4. v. 17. dicitur: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*; ergo.

2. Juxta OVIDIUM multi ita constituti sunt, ut dicant: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*; ergo non errant in judicio.

RESPONDEO *ad* 1. c. a. dist. c. Non errant in hoc quòd sciant, se malè agere. c. in hoc, quòd putent, malum esse faciendum, & quidem in ordine ad suam felicitatem, vel hanc voluptatem præponendam esse motivis oppositis. n. conf. Vel *distinguo ant.* sciunt, se malè agere scientiâ *Universali*. c. *particulari*. n. a. vel sic: sciunt hoc *in habitu*. c. *in actu* judicii practici. n. a. sensus patet ex dictis.

Ad 2. eadem est Responsio. dist. a. Vident meliora judicio *speculativo*. c. *practico*, & approbativo. n. a. Censent enim in ultimo judicio practico, actionem illam peccaminosam assumendam esse tanquam medium suæ felicitatis, quod falsum est; cùm revera ad felicitatem infinitam, quæ in omni actu re ipsa appetitur, ejusmodi actus nihil contribuat.

OBJICITUR 2. *contra eandem* 1. Qui peccant contra conscientiam, agunt contra judicium rectum rationis practicæ; ergo tales non errant judicio practico.

2. Etiam nullo existente errore in intellectu voluntas est immediatè libera ad agendum in utramque contradictionis partem; ergo poterit peccari etiam sine errore intellectus.

RESPONDEO *ad* 1. tr. ant. dist. c. Ergo tales non errant judicio practico *remoto*. tr. Non errant judicio practico *ultimo*. n. c. Tales enim errant in hoc, quòd putent, hic & nunc agendum esse contra judicium illud practicum remotum; & hoc quidem in ordine ad felicitatem hominis veram, quæ in omni actu appetitur: quod *putare* est utique *errare*, & *erroneè judicare*.

D. *Amort Tract. de Peccatis.*

Ad 2.

Ad 2. Nego suppositum, quòd error hic, de quo loquitur Responsio, antecedat exercitium libertatis: illud enim judicium ultimum practicum erroneum est ipsum exercitium libertatis; nam juxta D. THOMAM I. 2. q. 13. exercitium libertatis componitur ex actu intellectus, & voluntatis; sic tamen, ut actus *voluntatis* se habeat *materialiter*, actus autem *rationis formaliter*.

OBJICITUR 3. *contra eandem* 1. Ex hac sententia sequeretur, quòd Angeli non potuissent peccare; sed hoc non potest dici; ergo. *Prob. Maj.* In Angelis dabatur scientia omnium agibilium; ergo non dabatur error circa agibilia.

2. Sequeretur, quòd nulla daretur distinctio inter peccata malitiæ, & ignorantiæ, quia in omni peccato reperiretur Ignorantia; sed hoc est falsum; ergo.

3. Sequeretur, quòd quilibet peccans esset hæreticus, quia judicaret, eligendum esse id, quod est contrarium rationi, & Deo, quale tamen judicium esset hæreticum; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. *Maj. ad prob.* tr. a. dist. conf. Non dabatur error *antecedens* exercitium libertatis. c. *concomitans*, seu potiùs *constituens* ipsum exercitium libertatis. n. c. quia & ipsi Angeli suam attentionem in ultimo judicio practico avertebant à consideratione divinorum, sicque practicè judicabant, melius esse resistere Deo, quàm se subjicere.

Ad 2. n. *Maj.* Quia peccata ignorantiæ vocantur, in quibus error intellectus *antecedit* judicium ultimum practicum.

Ad 3. dist. a. Esset hæreticus, si hoc judicaret judicio speculativo *cum pertinacia*. c. secus. n. a. Judicium practicum ultimum differt à speculativo in hoc, quòd judicium *speculativum* tribuat subjecto prædicatum inconveniens *independenter* ab exercitio propriæ libertatis: econtra judicium *practicum* tribuat subjecto prædicatum *per ipsam actionem* incongruè ad finem intentum; & hic error vocatur imprudentia, ac stultitia, non hæresis. Hinc sequitur, posse dari duo judicia contraria, nempe speculativum, quo quis judicat, *non esse hoc melius*, si eligat hanc actionem, & judicium practicum, quo judicat, *id esse melius* sibi hic & nunc.

OBJICITUR 4. *contra* ℞. *ad* Q. 2. Datur naturalis inclinatio ad peccandum; ergo peccatum non est contra naturam. *Prob. Ant.* Datur potentia ad peccandum; ergo & inclinatio. *Prob. Conseq.* Omnis potentia inclinatur ad suos actus; ergo.

2. Vitia non tollunt perfectiones naturales hominis; ergo non sunt contra naturam.

3. Datur pòtiùs propensio naturalis ad vitia, quàm aversio, juxta illud Poëtæ: *Nitimur in vetitum, cupimusque negata.* Et juxta Gen. 8. v. 21. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ergo.

4. Potentiæ sensitivæ hominis specie conveniunt cum potentiis brutorum; ergo si in his actus non sunt contra naturam, nec id sequitur in homine.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob.* dist. a. Datur potentia *defectiva* ad peccandum. c. *perfectiva*. n. a. Potentia peccandi non est perfectio hominis qua talis; alioquin daretur etiam in Deo, & in Beatis. Cùm ergo tendat ad imperfectionem hominis, non inclinat ad actum.

Ad 2. dist. a. Non tollunt perfectiones hominis *denominativè* sumptas. c. *reduplicativè* sumptas. n. a. Potentiæ enim hominis secundum se non tolluntur per peccatum; tolluntur tamen, quatenus sunt humanæ, id est, quatenus sunt subordinatæ ad rationem, & ministeriales ad obtinendum finem hominis ultimum. Sub hac ergo ratione præjudicatur illis per peccatum.

Ad 3. dist. a. Datur propensio ex *corruptione* naturæ. c. ex *principiis* naturæ. n. a. Ut enim observat D. PAULUS, dantur in homine duæ leges, seu propensiones: una ad malum, quæ non est congenita naturæ in suo statu primævo connaturali: altera est ad bonum, quæ est in omnibus potentiis per subordinationem connaturalem ad imperium rationis.

RESPONDEO 2. Propensionem naturalem sensuum, etiam supposito, quòd iis in statu puræ naturæ sit connaturalis, non posse vocari propensionem hominis: homo enim simpliciter nominatur, & spectatur secundum animam; ergo in omni statu tam naturæ puræ, quàm corruptæ ex se habet propensionem connaturalem ad omne bonum.

Ad 4. dist. a. Conveniunt secundum rationem *subalternam*, seu *genericam*. c. *specificam*, aut *individualem*. n. a. Potentiæ enim humanæ præter hoc, quòd sint v. g. locomotivæ, auditivæ &c. etiam hoc habent, quòd sint humanæ, adeoque subordinatæ ad imperium rationis. Hinc in ipsis etiam Organis datur alia configuratio & characterizatio jam in embrione, vi cujus potiùs ordinantur ad animam rationalem, quàm ad irrationalem.

OBJICITUR 5. *contra* ℞. *ad* Q. 3. 1. Virtutes sunt inter se connexæ; ergo & vitia.

2. S. JACOBUS c. 2. v. 10. dicit: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; ergo.

3. Omnia vitia habent unam radicem communem nempe amorem sui, inobedientiam erga legem, aversionem à Deo; ergo in hac radice sunt connexa.

RESPONDEO *ad* 1. c. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia omnes virtutes tendunt ad unum, nempe ad ultimum finem revera talem. Hinc cùm omnes ordinentur ad hunc finem per prudentiam, quæ est ratio omnium mediorum ad finem, eo ipso sunt connexæ in prudentia, à qua omnes imperantur, & dependent. Econtra vitia non tendunt ad unum Bonum verè tale, adeoque etiam non colligantur per unam communem destinationem ac ordinationem unius principii.

Ad 2.

Ad 2. dist. a. Est omnium reus, *id est*, condemnabilis etiam ab iis legibus quas servat. c. reus pœnarum, quæ statuuntur in transgressores aliarum Legum. n. a. Sic Matth. 5. v. 22. dicitur: *Reus erit judicio, reus erit Concilio;* quod nihil aliud est, quàm *condemnabilis est à judicio*, vel *Concilio*. Et NOTANDUM, quòd tam in Matthæo, quàm in Epist. S. Jacobi ponatur idem terminus *Enochos* (ἔνοχος) quod nihil aliud est, quàm esse obnoxium. Quòd autem omnes Leges transgressorem unius Legis condemnent, ratio est; quia omnes aliæ ordinant hominem ad ultimum finem, seu Summum Bonum, quam ordinationem transgressio cujuscunque Legis infringit.

Ad 3. dist. a. Habent unam radicem, *non* tamen *tendentem* ad unum finem. e. *tendentem* ad unum finem. n. a. Sic amor sui non propendet *simul* ad avaritiam & prodigalitatem in eodem subjecto &c.

OBJICITUR 6. *contra* ℞. *ad Q.* 4. 1. Malitia juxta D. THOMAM est in voluntate; ergo non reperitur in actibus potentiæ sensitivæ, quia idem accidens non potest esse in duplici subjecto.

2. Si tales actus possent esse peccata per denominationem, etiam actiones exteriorum membrorum possent dici peccata; sed hoc est contra D. THOMAM 1. 2. q. 74. art. 2. ad 3. Ergo.

3. Si posset esse in his actibus peccatum formale tunc posset etiam esse peccatum mortale; sed hoc est contra D. THOMAM hic art. 4. ubi expressè docet, in sensualitate non posse esse peccatum mortale, sed veniale tantùm.

RESPONDEO *ad* 1. e. a. dist. c. Malitia non est in actibus sensitivis *subjectivè*, & *elicitivè*. c. *denominativè*. n. e. Forma enim moralis potest extrinsecè denominare plura subjecta; & hinc patet disparitas cum formis physicis. Et sic etiam malitia, prout sumitur physicè, tantùm est in uno subjecto, sicut tenebræ.

Ad 2. dist. *Maj.* Possent dici peccata *denominativè*. c. *elicitivè*. n. *Maj.* Sensus patet ex dictis.

Ad 3. dist. *Maj.* Posset esse peccatum mortale *denominativè*. c. *elicitivè*. n. *Maj.* Quia dum D. THOMAS negat in sensualitate posse esse peccatum mortale, tantùm negat, quòd in sensualitate per modum principii moventis possit oriri, & elici peccatum mortale; eum sensualitas non feratur ad considerationem ultimi finis: Econtra potest ibi oriri peccatum veniale, dummodo voluntas id liberè non impediat, cùm posset; in quo casu nec dabitur ullum imperium voluntatis, nec etiam consideratio circa finem ultimum, & tamen dabitur peccatum veniale; quod non potest fieri in peccato mortali, cùm ibi mutetur intentio, & ordinatio voluntatis circa finem ultimum. Ex hac Responsione sequitur, quòd *Thomistæ* in peccatis venialibus aliquo modò admittant puram omissionem liberam ex parte voluntatis,

R. D. Amort Tract. de Peccatis.

saltem circa objectum per accidens, ùt patet ex GONETO *Disp.* 5. *art.* 2. *object.* 1. simul verò *notandum*, quòd primi motus sensualitatis facilè possint esse peccatum veniale, dum proveniunt ex negligentia rationis eos non reprimentis in sua causa, ùt infrà *Disp.* 4. *q.* 1. dicetur.

OBJICITUR 7. *contra* ℞. *ad* Q. 5. 1. Qui peccant ex inordinato zelo, aut ex ignorantia vincibili, putant se obsequium præstare Deo; ergo per tale peccatum non constituitur finis ultimus in creatura.

2. Si per peccatum mortale constitueretur finis ultimus in creatura, tunc constitueretur in objecto peccati; sed hoc non potest dici; ergo. *Min. prob.* Objectum furis v. g. est pecunia; sed in pecunia non constituit finem ultimum, quia illâ utitur ad alium finem v. g. ad sublevandam paupertatem.

3. Si constitueretur finis in creatura, tunc homo haberet plures fines ultimos; sed hoc est contra D. THOMAM 1. 2. q. 1. *Maj. prob.* Tot peccator haberet fines ultimos, quot objecta peccatorum; ergo.

4. Si verum esset, quòd homo in omni actione intenderet aliquem finem ultimum, aut verè, aut apparenter talem, tunc peccator in omni actu peccaret mortaliter etiam in eleemosyna; sed hoc non potest dici; ergo. *Maj. prob.* In omni actione quæreret finem ultimum, non verè talem, sed apparenter talem; sed hoc est mortale; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. c. a. dist. c. Ergo non constituitur finis ultimus in creatura, nova intentione *actuali*. e. intentione *præterita* necdum retractata, & influente in actum. n. e. In ejusmodi homine dantur duæ intentiones, actualis, & habitualis; sed habitualis prævalet.

Ad 2. dist. *Maj.* Tunc constitueretur finis ultimus in objecto peccati, tanquam in fine particulari, & *inadæquato*. c. *adæquato*. n. *Maj.* Dum enim peccator recedit à Summo Bono Unico, incipit habere pro fine ultimo aggregatum bonorum particularium, adeoque quodlibet objectum peccati habet se tanquam pars illius aggregati, & objecti adæquati. Nec obstat, quòd unum ordinet ad alterum; quia, eùm ejus felicitas sit aggregatum bonorum, eo ipso consistit in perpetuo fluxu partium, quarum una servit ad alteram; & in tantum quælibet pars hujus totius successivi habet rationem inadæquatam totius, quia est inadæquatè objectum appetitus pro aliqua differentia temporis. Hinc finis ultimus peccatoris rectè definiretur *status omnium Bonorum creatorum per differentias omnium temporum aggregatione perfectus.*

Ad 3. dist. *Maj.* Haberet plures fines ultimos *particulares*, & *inadæquatos*. e. *totales*, & *adæquatos*. n. *Maj.* Sensus patet ex dictis.

Ad 4. n. *Maj.* *ad prob.* dist. *Maj.* Quæreret in omni actione finem ultimum apparenter talem, ita ut ordo intentionis ad eum finem quà talem sit tantùm *habitualis*. c. ita, ut sit *actualis*, & *virtualis*. n. *Maj.* Peccator in omni actione inten-

intendit finem ultimum verè talem, sed id fit virtualiter, per quod non excluditur, quòd actualiter simul intendat per aliam intentionem finem ultimum apparenter talem, tanquam medium sua opinione proportionatum ad finem naturæ.

OBJICITUR 8. *contra* ℞. *ad* Q. 6. Peccant veniaIiter, qui non eligunt objectum propter Deum; ergo non referunt illud habitualiter ad Deum.

2. Si illud referrent ad Deum, esset actus meritorius, & laudabilis; sed hoc est falsum; ergo. *Min. prob.* idem actus non potest esse meritorius, & simul peccaminosus; ergo.

3. Peccator non necessariò refert omnem actum, etiam laudabilem, v. g. eleemosynam ad finem ultimum; ergo multò minus actum peccaminosum. *Ant. patet*; quia aliquando illam refert ad vanam gloriam.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Qui non eligunt propter Deum tanquam finem *operis*. c. *operantis*. n. a. Quamvis enim non ordinent ipsum actum ad Deum ut colendum per ipsum actum; tamen ordinant ad eum tanquam colendum per operantem congruo tempore: & sic concurrunt in omni actu duæ tendentiæ, *una* ad Deum ut Summum Bonum, *altera* ad medium improportionatum.

Ad 2. dist. *Maj.* Esset meritorius, si concurrerent *debitæ* circumstantiæ actus. c. secùs. n. *Maj.* Quamvis laudabile sit appetere Deum, non tamen est laudabile appetere Daum cum tali tendentia.

Ad 3. dist. a. Peccator non necessariò refert talem actum ad finem ultimum, tanquam finem *operis*. c. *operantis*. n. a. Nam datur naturalis tendentia in omni actu ad finem ultimum verè talem; sicque necesse est, ut in omni actu operans se ipsum ordinet in eum finem, adeoque ad Deum, saltem habitualiter, agendò, & sic tendendò actualiter in eum finem; quamvis id fiat sine reflexione, seu concomitante actu rationis, ita ut eatenus ob defectum concurrentis rationis *actualis* tendentia physicè talis, quæ fit per actum voluntatis, in genere moris tantùm dicatur tendentia *habitualis*: sicut etiam contingit in aliis motibus voluntatis sine deliberata ratione factis relatè ad talem finem, quamvis sint deliberati relatè ad finem operis v. g. vanam gloriam.

****

DISPUTATIO II.

De Distinctione Peccatorum.

In hac Disputatione sunt Quæstiones quatuor:

1. An dentur aliqua peccata venialia ex sua natura?
2. Quomodo transeant peccata mortalia in venialia, & vicissim?
3. Unde desumatur differentia specifica peccatorum?
4. Unde desumatur differentia numerica peccatorum?

QUÆSTIO I.

An aliqua Peccata sint ex sua natura venialia?

NOTANDUM 1. Peccatum tripliciter modo dici veniale. 1. ex causa. 2. ex eventu. 3. ex natura actus.

Veniale ex causa dicitur, quod ob imperfectionem deliberationis, ac voluntatis, quæ est causa peccati, faciliùs mereatur veniam v. g. si quis peccet ex infirmitate, ob repentinam passionem, vel ob inadvertentiam.

Veniale ex eventu est, quod, licèt in se sit gravissimum, tamen habet spem veniæ. Hoc modo loquendi S. AMBROSIUS *de Paradis.* c. 14. dicit: *Venialis est culpa, quam sequitur professio delictorum.* Sic *veniale* opponitur peccato *irremissibili*. Antiquiores cum ALMAINO *c.* 20. *Moral.* veniale ex effectu vocant, eò quòd consequatur veniam.

Veniale ex sua natura est, quod ex sua natura ejusmodi est, ut mereatur non prohiberi sub obligatione gravi.

NOTANDUM 2. *Veniale ex sua natura* dividi dupliciter. 1. Potest intelligi veniale ex natura, eò quòd tanta sit parvitas malitiæ, vel actus, ut *nequidem possit* prudenter *prohiberi* à Deo sub reatu pœnæ æternæ. 2. Potest veniale esse ex sua natura, quod, licèt in suppositione alterius providentiæ posset prohiberi sub gravi, stante tamen modernâ providentiâ *non videatur* decenter à Deo *prohiberi* sub pœna æterna.

NOTANDUM 3. Extitisse varias opiniones in hac materia. 1. JOVINIANUS docuit, nullum dari discrimen etiam defacto inter peccatum mortale, & veniale; nec quoad naturam, nec quoad effectum. Sic HIERONYMUS lib. 2. *contra Jovinianum* ad finem ait: *Niteris approbare adulterium homicidium, otiosum sermonem &c. uno supplicio censeri.* 2. LUTHERUS, postquam art. 32. docuit: Justum in omni opere peccare, adeò auxit, post damnationem illius articuli à LEONE X. factam, suum errorem, ut diceret: *Justum in omni opere bono peccare mortaliter, attamen ex sola Dei misericordia venialiter.* 3. CALVINUS

VINUS lib. 2. Institut. c. 8. §. 59. Idem docuit; sed alia ratione. *Habeant* (inquit) *filii Dei omne peccatum mortale esse; Sanctorum delicta venialia esse, non ex sua natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur.* Intelligit autem CALVINUS per Sanctos solos prædestinatos post fidem semel adeptam. 4. WICLEFFUS, præcursor *Lutheri* & *Calvini*, idem ferè docuit. Ut enim refert THOMAS WALDENSIS Tom. 2. *de Sacrament.* c. 54., reprehendit Ecclesiam, quòd ignoret distinctionem peccati venialis, & mortalis: & docebat, omnia peccata esse mortalia, si per mortale intelligatur id, quod est meritorium mortis æternæ; si vero per mortale intelligatur id, quod actu punietur morte æterna, tunc *mortalia* esse omnia peccata *reproborum*, & *venialia* omnia peccata *prædestinatorum*.

NOTANDUM 4. Etiam aliquos ex Doctoribus Catholicis olim ante Tridentinum, & Bullam PII V. docuisse, omne peccatum plenè deliberatum contra quamcunque legem Dei ob summam irreverentiam de se mereri pœnam æternam: imò Deum ne quidem posse aliquid prohibere tantùm sub levi pœna; quia sic judicaret, irreverentiam erga se commissam esse tantùm levi pœna dignam. Itaque docent, omne peccatum, quod dicitur veniale, tantùm esse veniale ex misericordia Dei; quia Deus illud non vult punire æternâ pœnâ. Videtur tamen, quòd hi Authores plurimùm differant à sententia *præfatorum dissentientium*; nam hæretici etiam, dum actu committitur peccatum, volunt illud actu esse pœnâ æternâ dignum: econtra hi Catholici ob decretum Dei jam præstabilitum non puniendi talia peccata pœnâ æternâ, dicunt, ejusmodi peccata actu non esse mortalia, nec actu pœnæ æternæ obnoxia. In Sententiam borum Catholicorum propendet ALMAINUS *p.* 3. *moral. c.* 20. & GERSON *de vit. spirit. alphabet.* 6. Aliqui in hunc numerum accensent etiam EPISCOPUM ROFFENSEM *in art.* 31. & 32. *Lutheri*, sed immeritò: is enim expressè admittit, saltem ea venialia esse ex sua natura, quæ sunt ex subreptione, ùt patet legenti ejus castigationes *in art.* 31. *Lutheri*.

DICO I. Dantur aliqua peccata venialia justorum, quæ non dissolvunt amicitiam cum Deo; & vicissim dantur peccata justorum, quæ non sunt tantùm venialia.

PROBATUR conclusio *quoad* 1. *partem* ex communi sensu Ecclesiæ definito in CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *c.* 11. ubi dicitur: *Licèt in hac mortali vita quantumvis Sancti, & justi in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi.* Et Sess. 14. c. 5. ubi dicitur: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur &c.*

PROBATUR *quoad* 2. *partem* ex peccato Adami, Davidis, Petri &c. qui erant justi, & tamen peccârunt peccatô dissolvente amicitiam divinam.

DICO II. Dantur aliqua peccata etiam ex sua natura venialia, saltem ea, quæ sunt ex subreptione, & ex defectu plenæ deliberationis.

PROBATUR conclusio 1. ex Bulla PII V. confirmata à GREGORIO XIII. & URBANO VIII., ubi inter propositiones Bajanas damnatur etiam hæc, ordine 20. *Nullum est peccatum ex sua natura veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

PROBATUR 2. ex *Scriptura*. Christus Luc. 6. aliqua peccata comparat *festucæ*, alia *trabi*. Et Matth. 18. aliqua comparat *denario*, alia *talento*. Item Luc. 12. aliqua comparat *novissimo minuto*, & iterum Matth. 5. *novissimo quadranti*. Item Matth. 23. aliqua comparat *culici*, alia *Camelo*. Sed *festuca*, *culex*, *quadrans* &c. sunt aliquid parvum simpliciter; ergo. Similiter Paulus 1. Cor. 3. aliqua peccata comparat *stipulæ*, *fæno* &c. quæ licèt ardeant, non tamen damnant eum, qui patitur detrimentum.

PROBATUR 3. Peccata se habent ùt infirmitates juxta illud Psal. 6. v. 3. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine - - Eripe animam meam* &c. Sed inter infirmitates aliquæ sunt mortales, aliæ non sunt ad mortem; ergo.

PROBATUR 4. De natura amicitiæ est, ut non quælibet offensio levis dissolvat amicitiam; ergo idem est in amicitia divina, maximè circa ea objecta, & actiones, quæ moraliter evitari non possunt, prout sunt actus semideliberati, & omnes actus, qui fiunt ex subreptione.

DICO III. Nullum est peccatum plenè deliberatum in individuo, vel specie in materia indifferenti, quod seorsim à Deo prohiberi non possit sub gravi, vel levi, prout voluerit.

PROBATUR conclusio 1. Non apparet repugnantia in hoc; ergo.

PROBATUR 2. Adamo potuit prohiberi esus pomi sub gravi; ergo idem fieri poterit circa quodvis aliud objectum de se leve.

PROBATUR 3. Specialiter contra ALMAINUM, & GERSON, dum volunt, *Deum non posse ullam irreverentiam erga se commissam prohibere tanquam rem levem, & sub pœna levi.* Prius debet concipi modus legis, id est, utrùm obliget sub gravi, vel levi, antequam possit concipi modus irreverentiæ, aut culpæ; ergo non potest vice versa ex magnitudine irreverentiæ ostendi impossibilitas legis prohibentis sub obligatione levi. *Ant. prob.* Non potest concipi Theologica malitia actionis, nisi per oppositionem ad legem graviter, vel leviter obligantem; ergo.

DICO IV. Itaque discrimen inter peccatum veniale, & mortale formaliter consistit in diversitate legum sub gravi, vel levi obligantium, ùt patet ex dictis.

DICO V. Utrùm lex sub gravi, vel levi intendat obligare, ea intentio desumi debet 1. ex tenore legis, utrùm videlicet gravissimè inculcet observantiam, vel non? 2. Ex natura objecti, utrùm petat prohiberi sub gravi, vel levi? & utrùm id petat tanquam requisitum essentiale ad conservationem Boni communis, vel utrum tantum exigat ad Bonum commune tanquam requisitum accidentale, & ad melius esse? Sic enim utique homicidium petit prohiberi; quia sine tali prohibitione gravi Bonum commune conservari non posset. 3. Ex gravitate

pœnæ. 4. Ex sensu Doctorum, & Interpretum, quorum communi sensui Legislatores præsumuntur in dubiis reliquisse determinationem legis, seu obligationem in actu secundo. 5. Ex consuetudine, & sensu communi rationabili. Ratio autem est; quia sensus Doctorum, consuetudo, & sensus fidelium plerumque aut *inveniunt*, *aut faciunt legem*. Si enim agatur de Legibus positivis *humanis*, ordinariè *faciunt* Legem: Si autem agatur de Legibus *divinis*, vel *naturalibus*, plerumque *inveniunt* Legem; videlicet aut per traditionem, aut per inspirationem Spiritus Sancti, dirigentis Ecclesiam. 6. Ex determinatione Præsidentium Ecclesiæ, aut Reipublicæ.

Exempla horum reperiuntur in Scriptura. Sic dum idololatria vocatur *abominatio ante Deum*, eo ipso ex tenore Legis desumitur, eam prohiberi sub gravi. Et dum 1. Cor. 6. dicitur: *Fornicarii, adulteri, maledici &c. regnum Dei non possidebunt*, gravitas obligationis intelligitur ex pœna.

Dixi: *Ex determinatione Præsidentium Ecclesiæ, aut Reipublicæ*, nempe Summi Pontificis, Episcoporum &c. quia suppono, ejusmodi Præsidentes non solùm habere à Deo potestatem *explicandi* Leges, sed etiam in dubiis *ponendi*, aut *tollendi* Legem ad evitandam incertitudinem Legum dubiarum. Hinc sequitur, Leges naturales, vel divinas *strictè dubias*, in quibus ratio boni publici determinatè non exigit, ac essentialiter petit districtionem Legum, transire in ditionem, & materiam objectivam Legis positivæ, quæ versatur circa quasi indifferentia ad substantiam boni publici. Quæ observatio in innumeris materiis moralibus est summi momenti; quia exinde dependet, Leges naturales, & divinas *strictè dubias*, uti quæ spectant ad disciplinam, pertinere ad directionem arbitrariam Ecclesiæ, sicque recipere variationem pro diversitate locorum, & temporum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Verbum otiosum ex sua natura est veniale; ergo non potest prohiberi sub gravi.

2. Lex est aliquid extrinsecum ad malitiam levem, vel gravem actus; ergo peccatum non est veniale, vel mortale per oppositionem ad Legem graviter, vel leviter obligantem.

3. Semideliberata peccata sunt transgressio Legis graviter obligantis, & tamen non sunt mortalia; ergo discrimen peccati venialis à mortali non est, quòd illud sit contra Legem *leviter* obligantem, & hoc contra Legem *graviter* obligantem.

Respondeo *ad* 1. dist. a. Est ex natura sua veniale in eo sensu, quòd *petat* tantùm prohiberi sub levi. c. in eo sensu, quod *non possit* prohiberi sub gravi. n. a. Aliud est, quod convenienter fit secundùm Leges providentiæ ordinarias; & aliud est, quod ita essentialiter sit in ordine ad bonum commune, ut aliter fieri non possit. Sic corpus humanum connaturaliter exigit integritatem membrorum, non tamen est illi essentialis integritas membrorum.

Ad 2. dist. a. Est aliquid extrinsecum ad malitiam *fundamentalem*. c. *formalem*. n. a. Quod enim bono communi plurimum nocet, petit quidem prohiberi, non est tamen prohibitum independenter à Lege; quia Deus absolutè ob rationes nobis incognitas potest permittere aliquid nocivum bono communi, si exinde videat posse elici majus bonum.

Ad 3. dist. a. Sunt transgressio legis graviter obligantis quoad *substantiam* objecti. c. quoad *modum* objecti. n. a. Dico enim, omnem Legem graviter obligantem simul esse leviter obligantem in ordine ad *modum* objecti præcepti, vel prohibiti, quamvis denominatio *simpliciter* sumatur ab eo, quod pertinet ad *substantiam* objecti.

Objicitur 2. Christus Matth. 8. v. 19. dicit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum*. Quod s. Thomas in hunc locum cum aliis explicat, ut sensus sit: *Excludetur à regno cœlorum*; ergo omne peccatum etiam minimum est mortale.

2. Ezechiel. 28. indiscriminatim dicitur sine distinctione peccatorum. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et Rom. 6. v. 23. *Stipendia peccati mors*. Ergo omne peccatum meretur pœnam æternam.

3. S. Augustinus in variis locis docet, uti & S. Gregorius, neminem fore salvandum, si absque misericordia judicetur à Deo; ergo Deus in rigore habet jus etiam pro minimis peccatis infligendi pœnam æternam.

Respondeo *ad* 1. dist. a. Qui solverit unum de mandatis istis minimis, *tollendò* eorum obligationem *per pravam interpretationem*. c. qui solverit &c. *non observandò* minutias Legis. n. a. Christus ipse hoc explicat de falsa interpretatione Legum, dum addit: *Et docuerit sic homines*. Sic enim, si quis doceret, mendacium, vel verbum otiosum non esse peccatum veniale, eoipso peccaret mortaliter.

Ad 2. dist. a. Dicitur hoc relativè ad subjectam materiam *gravem*. c. *generatim*. n. a. Ibi enim sermo est de transgressionibus *gravissimis* legum, in ordine ad quas etiam referuntur hi textus. Alii dicunt, hic sermonem esse de peccato per excellentiam dicto, id est, idololatria, aut alio gravissimo, de quo ibi erat sermo: sicut dum quis dicit, se pergere in urbem, ex ipsis circumstantiis intelligitur, utrùm intelligatur urbs antonomasticè, nempe Roma, an alia particularis.

Ad 3. dist. a. Docent neminem salvandum à purgatorio, si judicetur sine misericordia gratis remissiva *debitorum pœnæ*. c. *debitorum culpæ*. n. a. Dicunt enim adducti Patres, neminem ingressurum Cœlum ob nimium onus residuarum obligationum ad pœnam, nisi in judicio particulari, vel ante mortem has gratia Deus remittat. Hoc modo loquendi etiam *Lib. 9. Confess. c. ult.* S. Augustinus suos lectores rogat, ut orent pro matre sua defuncta, *ut consequatur misericordiam Dei*; quo utique nihil aliud intelligitur, quàm condonatio pœnarum.

Objicitur 3. Potuisset Deus juxta priùs dicta verbum otiosum prohibere sub pœna inferni; ergo quòd actu non incurratur illa pœna, pro-

provenit ex misericordia Dei. Ergo verbum otiosum (idem de aliis) est veniale ex misericordia Dei.

2. Peccatum veniale est offensa infiniti Boni; ergo de se meretur pœnam infinitam.

3. S. BERNARDUS dicit, quòd omnes illiciti motus sint gravis inhonoratio, ac convitium Dei. *Epist.* 42. *ad Henric.* Ergo.

RESPONDEO *ad* 1. c. a. dist. c. Provenit hoc ex misericordia Dei, quòd verbum otiosum *nunquam fuerit subjectum legi graviter prohibenti*, c. quòd *præsupposita lege graviter prohibente* non puniatur pœnâ æternâ. o. c. Argumentum posset retorqueri in quovis actu ex suo genere indifferente, v. g. comestione pomi, quæ & ipsa hoc habet ex misericordia Dei, quòd non subset legi prohibenti.

Ad 2. dist. a. Est offensa infiniti Boni, attamen *levis*. c. *gravis*. n. a. Hoc ipsum enim est in quæstione, utrùm possit dari offensa *levis* infiniti Boni? imò ex eo ipso, quòd Deus sit infinitè bonus, inferri poterit, non omnia moraliter inevitabilia posse substare legi graviter prohibenti.

Ad 3. dist. a. Dicit, eos motus esse *convitia Dei*, sumendò hunc terminum concionatoriè, & per exaggerationem *in latiore sensu*. c. *strictè*. n. a. Hic enim Tropus erit sensibilis audientibus ex ipsa subjectâ materia.

OBJICITUR 4. Minimum peccatum plus habet virium ad concitandam divinam displicentiam, quàm maximum opus bonum habet virium ad excitandam complacentiam Dei; ergo minimum peccatum meretur pœnam æternam. *Conf. prob.* Maximum opus bonum meritorium regni æterni non potest satisfacere pro minimo peccato veniali; ergo. *Antecedens* supponitur ex Tract. *de Incarnatione.*

2. Minimum opus bonum meretur præmium æternum; ergo etiam minimum opus malum pœnam æternam.

3. Peccatum veniale est majus malum ipso inferno; ergo potest puniri infernò. *Ant. prob.* si daretur optio eligendi infernum, vel peccatum veniale, potiùs deberet eligi infernus, quàm peccatum veniale, ùt communiter docent Ascetæ; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. o. a. & suppositum, quòd complacentia in bono dignificato per gratiam, & displicentia de malo per naturam sint commensurabilia inter se: sicut lux, odor, sapor, sonus quoad majoritatem non sunt commensurabilia inter se, utpote versantia in diverso genere. Dein supposito, quòd essent commensurabilia, potiùs dicendum, magis placere Deo opus bonum præcedens ex gratia, quàm displicere peccatum veniale. Licèt autem Deus majorem habeat complacentiam in maximo bono opere, quàm in minimo peccato habeat displicentiam, nihilominus per hoc non delebitur peccatum; quia illud opus, quod est objectum summæ complacentiæ, non est ordinatum ad remissionem culpæ, nec placet in ordine ad satisfaciendum condignè, sed in ordine ad præmium. Ex quo patet Responsio *ad Probationem*,

Ad 2. dist. a. Meretur præmium æternum ratione operantis, vel *ratione gratiæ* sanctificantis, dignificantis opus, & operantem. c. *ratione sui*. o. a. Si enim opus spectaretur secundùm se, & independenter a gratia sanctificante, aut operante, non mereretur præmium æternum supernaturale. Cùm ergo peccatum veniale non habeat aliquid extrinsecum specialiter aggravans, non merebitur pœnam æternam.

RESPONDEO *tamen* 2. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia præmium æternum congruit bonitati divinæ personæ operanti, & naturæ operis provenientis ab anima immortali: econtra pœna infinita erga amicum Dei nec congruit Deo, nec statui amici, nec operi.

Ad 3. inprimis *retorqueo*. Ergo minimum peccatum merebitur pœnam etiam intensivè infinitam; quia, si daretur optio inter peccatum veniale, & inter omnes pœnas possibiles, quamvis intensivè infinitas, hæ potius eligendæ forent, quàm istud.

RESPONDEO 2. dist. a. Peccatum veniale est majus malum ipso inferno, attamen in *diverso* genere, & *incommensurabiliter*. c. in *eodem* genere, & *commensurabiliter*. n. a. Deinde, etsi essent commensurabilia, non tamen potest infligi minus malum alterius ordinis pro majori malo. v. g. Amissio omnium bonorum temporalium non vitalium, puta auri, & argenti, est minus malum, quàm amissio unius capilli, vel alterius partis integralis viventis: interim tamen non licet pro hoc malo v. g. pro abscissione auriculæ infligere spoliationem omnium bonorum. Sic etiam majus bonum est canis, utpote ens vitale, quàm omnes thesauri in arca: nec tamen pro occisione canis possum injungere restitutionem in thesauris. Itaque etiamsi malum culpæ *ex suo genere* gravius sit, quàm malum pœnæ, non est tamen majus malum *in eodem genere*, neque propterea poterit ordinari ad pœnam infinitam, ob alias considerationes, quæ concomitantur hoc genus malorum, maximè ex eo; quia hoc malum in genere culpæ non repugnat statui amicitiæ, prout D. THOMAS 2. 2. etiam circa ipsum peccatum mortale observat, ùt in Tract. *de Actibus humanis.* Disp. 1. quæst. 1. dictum est, & dicitur in Tractatu *de Virtutibus.* Part. 2. *de Charitate.*

DICES. Peccata venialia puniuntur actu in damnatis pœnâ æternâ; ergo de se merentur pœnam æternam. *Ant.* contra SCOTUM tenent SUAREZ, VASQUEZ, & alii plurimi Theologi.

RESPONDEO dist. a. Puniuntur *per accidens*. c. *per se*, & ex merito suo. n. a. In damnatis enim deficit status gratiæ, adeoque illorum passio non est accepta Deo. Ob hunc ergo defectum, qui per accidens concomitatur peccatum veniale, nunquam damnatus potest satis pati.

OBJICITUR 5. Deus posset hominem etiam innocentem adjicere inferno; ergo multo magis accedente demerito peccati venialis. *Ant.* docent SUAREZ, TANNERUS, & alii plures. Et *probatur*. Plus est passer respectu hominis, quàm homo respectu Dei; ergo si homo potest cruciare, & occidere innocentem passerem, etiam

etiam Deus poterit cruciare innocentem hominem.

2. In furto unius floreni, vel aurei ultimus obolus constituit ultimatò materiam gravem, adeoque reatum pœnæ æternæ; ergo furtum unius oboli meretur pœnam æternam.

3. Si offensa illata Rustico pœnam meretur horariam, eo ipso similis offensa illata Nobili meretur bihorariam, & illata Principi trihorariam; ergo offensa cæteris paribus, illata Deo per leges progressionis continuæ Geometricæ merebitur pœnam æternam.

Respondeo *ad* 1. n. a. Præplacet enim sententia aliorum Theologorum, hanc potestatem Tyrannidis alienantium à Deo. *Ad prob.* dist. a. Plus est *entitativè*. c. *moraliter*. n. a. quia apud Deum plus valere debet sua imago, quàm apud hominem valere possit passerculus. Dein etiamsi aliqui dicant, Deum id facere posse tanquam absolutum Dominum, non tamen sequitur, id unquam fieri posse absolutè; quia Deus nunquam poterit operari præcisè ùt absolutus Dominus, respiciendò videlicet præcisè ad suam *potentiam*, & non respiciendò ad alias suas perfectiones, nempe *sapientiam*, & *bonitatem*: sicut & homo, dum agit, respicere debet ad omnes circumstantias actus, & personæ. Quidquid ergo Deus agit, necessariò agit ex consensu, & harmonia omnium perfectionum, quæ certè non consonant in damnationem innocentis.

Ad 2. dist. a. Ablatio ultimi oboli *in relativi* ad præcedentem summam, sicque *respectivi* ad Legem graviter prohibentem constituit ultimatò materiam gravem. c. ablatio ultimi oboli *seorsim* sumpti, *nec respectivi* ad Legem graviter prohibentem. n. a.

Ad 3. *retorqueo*. Argumentum enim probaret, quòd minimum peccatum veniale mereretur pœnam intensivè infinitam. *In forma*. n. a. quia non habet locum *Regula de Tri*, nisi tantùm in quantitate continua, & discreta, ubi omnia fiunt per solam additionem partium: alioquin sequeretur, quòd v. g. lux debeat decrescere in proportione Geometrica, adeoque in distantia dupla, subdupla intensione; item sequeretur, quòd deberet se diffundere in distantiam infinitam in partibus aliquotis; item quòd quadrata temporum non se habeant ùt cubi distantiarum ne quidem circiter. Item, quòd si homo *sexpedalis* habeat sapientiam *ùt duo*, homo *longior* debeat habere in data proportione *majorem* sapientiam, & quòd homo *duplo robustior* etiam eo ipso *duplo majorem* habeat *virtutem*, & quòd in Medicina dosis duplo major duplo majorem causet sanitatem &c. debet ergo in similibus non solum inspici, utrum ratio extremorum sit ratio medii termini proportionalis, qualis non est viribus, aut magnitudine in ordine ad virtutem; quia nec vires, nec magnitudo sunt ratio virtutis, aut sapientiæ, ut crescente illa crescat ista; sed etiam videndum, utrùm magnitudo medii termini proportionalis exactè commensuretur magnitudini extremorum, vel in numero, vel in genere, vel in specie, quod non contingit in præsenti: nam magnitudo culpæ, vel pœnæ in suo genere non commensuratur infinitudini Dei, sed tantùm voluntati divinæ tanquam Regulæ juxta leges prudentiæ.

Objicitur 6. Est possibile peccatum mortale impunibile pœnâ æternâ; ergo non est verum, peccatum mortale esse, quod repugnat legi graviter obliganti in ordine ad pœnam æternam. *Ant. prob.* Si Deus Petro dicat: *Non te damnabo ob tuam negationem*, pro ea negatione non poterit infligi pœna æterna; ergo.

Respondeo n. a. *ad prob.* n. a. Aliud enim est, non esse dignum pœnâ; & aliud, non infligi pœnam. Deus potest condonare pœnam: non autem potest facere, ut peccatum non sit pœnâ dignum.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo peccatum mortale transeat in veniale, & vicissim?

DICO I. Idem numerò actus moralis adæquatè sumptus non potest transire de veniali in mortale, aut vicissim.

Pro explicatione hujus Conclusionis notandum est, actum moralem includere duo, nempe actum *voluntatis* secundùm suum *materiale*, & actum *rationis* tanquam constitutivum *formale* actus liberi, prout docet D. Thomas 1. 2. q. 17.

Probatur Conclusio. Implicat, eundem actum, v. g. voluntatem furandi transire de mortali in veniale, nisi mutetur judicium rationis practicum ultimum; sed hoc nequit fieri manente eodem adæquatè actu; ergo. *Maj. prob.* Implicat, eundem actum transire de mortali in veniale, nisi mutetur judicium speculativum de obligatione legis graviter, vel leviter obligantis; sed si hoc, etiam debet mutari judicium practicum; ergo. *Maj. patet*; quia si daretur eadem cognitio obligationis consimilis graviter obligantis, daretur eadem obligatio. *Min. prob.* Judicium practicum est in posito casu essentialiter respectivum judicii speculativi; ergo ubi datur aliud judicium speculativum, etiam debet dari aliud judicium practicum.

DICO II. Omnia peccata ex genere suo mortalia possunt transire in venialia ex defectu plenæ libertatis, seu deliberationis.

Probatur Conclusio 1. Partim ex consensu communi Theologorum, partim ex eo; quia peccata non habentia plenam libertatem sunt moraliter inevitabilia respectu omnium etiam amicorum Dei; sed talia non possunt prohiberi convenienter sub gravi; ergo. *Min. patet* ex dictis in *priore Quæstione*; quia est contra leges perfectæ amicitiæ, dissolvere amicitiam ob quamcunque levem offensiunculam moraliter inevitabilem.

Probatur 2. Impossibilitas servandi moraliter inevitabilia ex defectu plenæ libertatis, provenit ex conditione humanæ naturæ in omni statu etiam naturæ integræ, aut puræ; sed non potest fieri, ut Deus in tali statu naturæ humanæ à se condita ponat legem, qua semel posita necessariò moraliter excideret suo fine ultimo; ergo.

DICO III. Aliqua peccata ex genere suo mortalia transeunt in venialia ex parvitate materiæ, ubi ipsa parvitas materiæ non petit substare legi graviter prohibenti.

CONCLUSIO *quoad* 1. non habet difficultatem: sic enim furtum, quod prohibetur ex genere suo sub gravi in *Decalogo*, ex parvitate materiæ tamen transit in veniale.

PROBATUR *quoad* 2. Dantur aliqua peccata, quæ nisi prohibeantur in materia etiam parva, vel evaderet Deus minùs perfectus, vel inferretur grave periculum generi humano, vel non obtineretur finis legis, saltem à potiori, aut quoad substantiam; sed id fieri nequit salva intentione legis; ergo. *Ant. prob.* ab inductione. Sic 1. Si Deus permitteret odium sui tantùm ob rem levem, etiam levissimum in suo genere, aut si permitteret se invocari in testem falsitatis, dum præcisè v.g. agitur de obolo, non esset perfectus; ergo odium Dei, & perjurium non excusant ob parvitatem materiæ. 2. Nisi sub gravi prohiberetur quævis delectatio venerea extra conjugium, crearetur grave præjudicium generi humano, quia evitaretur recta educatio prolium, plerisque delectationem veneream quæsituris sine procreatione prolium, animi Christianorum redderentur carnales, & indispositi ad capienda, vel amanda divina; ergo. 3. Si liceret v.g. ante communionem, dum urget præceptum, sumere saltem bolum panis, non obtineretur finis legis, nempe reverentia generalis erga Sacramentum consistens in eo, ne præponatur cibus terrestris cibo cœlesti: Plerique enim non curarent peccatum veniale, & sic facilè per consuetudinem contrariam abrogaretur lex, serviens ad ingens decus Ecclesiæ; ergo, ubi ipsa parvitas materiæ petit substare legi graviter prohibenti, peccatum ex genere suo mortale non transit in veniale ob parvitatem materiæ.

DICO IV. Aliqua peccata ex genere suo mortalia transeunt in venialia etiam ex intentione tacita Legislatoris.

PROBATUR Conclusio *ab exemplo.* Sic esus carnium die prohibito est de se mortale, transit tamen in veniale, v. g. quando datur quidem causa rationabilis, sed non plenè sufficiens ad excusandum à lege totaliter; vel quando dispensatio nititur motivis quidem sufficientibus in ordine ad obligationem gravem, sed non sufficientibus ad dispensandum ab obligatione levi. Sic etiam circa leges naturales, ac divinas dubias illæ obligationes, quæ aliquando agnoscebantur à Doctoribus tanquam gravissimæ, possunt nunc transire in obligationem levem, aut vicissim, ob mutatum sensum Doctorum, aut interpretationem authenticam præsidentium Ecclesiæ, ùt suprà jam annotatum est.

DICO V. Actus venialis ob sui multiplicationem per se non transit in mortale; nisi tunc, quando actus frequentati coalescunt in unam materiam, aut summam de se gravem.

PROBATUR Conclusio 1. *quoad* 1. *partem.* ex Tridentino Seff. 6. cap. 11. ubi sic habetur: *Sancti, & justi propter quotidiana, ac venialia peccata non desinunt esse justi*; ergo per se non coalescunt.

D. Amort Tract. de Peccatis.

PROBATUR 2. Peccata venialia singula tantùm merentur pœnam finitam; ergo etiam omnia simul sumpta tantum merentur finitam, adeoque non æternam.

PROBATUR 3. *quoad* 2. *partem* ab Inductione. Sic ablatio plurium obolorum successivè fit summa gravis; transgressio regularum in Religioso, aut perpetua inobedientia in liberis causant displicentiam, & deordinationem gravem; idem est de omissionibus, & negligentiis repetitis. Ergo actus venialis ob sui multiplicationem transit in mortale, quando actus frequentati coalescunt in unam summam de se gravem.

DICO VI. Actus de se venialis potest fieri mortalis ratione finis, vel effectus, quem causat.

PROBATUR Conclusio *ab exemplo.* Mendacium de se leve, ordinatum tamen ad occisionem proximi, vel ad denigrationem gravem viri illustris: furtum veniale causans omissionem sacri eo ipso ex fine, vel effectu transeunt in peccatum grave. Idem est de quovis alio peccato de se quidem levi, quod præbet occasionem gravis scandali, seu ruinæ spiritualis in se, vel in proximo uti sunt v.g. verba scurrilia, aut societates pravæ, conventicula, choreæ, & transgressiones legis, quæ fiunt ex contemptu: hæc enim omnia in ejusmodi circumstantiis, in quibus considerata qualitate personarum præbent causam gravibus peccatis internis, aut externis, eo ipso referri debent ad mortalia ratione finis, vel effectus.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 1. *conclus.* 1. Potest quis uno actu continuo auferre rem alienam, ita ut in primo instanti Dominus ponatur esse graviter invitus, in secundo autem instanti fit tantum leviter invitus; ergo idem peccatum secundùm se invariatum in primo instanti potest esse grave, & in secundo instanti esse leve.

2. Potest quis eundem actum odii, temerarii judicii &c. continuare per plura instantia, ita ut in primo instanti non habeat causam justam excusantem à peccato gravi, in secundo autem instanti incipiat habere ejusmodi causam; ergo.

3. Potest Deus eundem actum per plura instantia continuatum condonare in secundo, vel tertio instanti per condonationem extrinsecam, saltem quoad malitiam gravem; ergo.

4. Eadem propositio manens eadem potest transire de vera in falsam; ergo idem potest fieri quoad actum voluntatis in ordine bonitatis, vel malitiæ moralis.

RESPONDEO *ad* 1. transf. ant. dist. conf. Ergo potest peccatum mortale transire in veniale quoad malitiam *materialem.* c. quoad malitiam *formalem.* n. c. Si enim operans etiam in secundo instanti putet, Dominum esse graviter invitum, peccabit graviter etiam in secundo instanti. Si autem sciat, Dominum in secundo instanti non esse invitum, eo ipso mutat ultimum di-

ſtamen practicum, quod eſt pars actus liberi, prout ex Tractatu *de Actibus humanis* ſuppono.

Ad 2. & 3. idem reſpondeo.

Ad 4. c. a. n. c. & paritatem. Diſparitas eſt; quia veritas actus non eſt adæquatè intrinſeca actui, cùm ſit conformitas inter objectum, & cognitionem: econtra bonitas actus moralis eſt adæquatè intrinſeca actui, utpote reſultans unicè ex reſpectu judicii practici ad legem graviter, vel leviter obligantem, prout ſubſtat cognitioni. Hinc etiam ſuppono, ipſam libertatem actus eſſe adæquatè intrinſecam actui.

Objicitur 2. *contra* 2. *Concluſ.* 1. Moralis impoſſibilitas non peccandi non excuſat à mortali; ergo etiam peccata ſemideliberata ob moralem impoſſibilitatem ea vitandi non propterea à mortali tranſeunt in veniale. *Ant. prob.* Conſuetudinarii habent moralem neceſſitatem peccandi; ergo. *Prob. ant.* ex D. AUGUSTINO *Lib. Confeſſ.* dum aſſerit, conſuetudinarios adſtrictos eſſe vitiis non ferrò alienò, ſed ſua ferrea voluntate; ergo.

2. Damnati ſunt in morali neceſſitate ad blaſphemandum, nec tamen excuſantur; ergo.

3. In ſtatu naturæ lapſæ eſt homini moraliter impoſſibile diu abſtinere ab omni peccato etiam gravi, ſine gratia indebita Salvatoria, & tamen imputarentur talia peccata etiam ſine gratia; ergo.

Respondeo *ad* 1. diſt. a. Moralis impoſſibilitas *aliunde* proveniens, quàm ex ipſis principiis intrinſecis humanæ libertati non excuſat. c. præveniens *ex his ipſis principiis intrinſecis* libertati. n. a. Nam ſi impoſſibilitas proveniat aliunde, quàm ex imperfectione libertatis, eo ipſo relinquit libertas in perfecta indifferentia ad eligendum utramlibet partem. Hinc etiam patet Reſponſio *ad prob.* quia in conſuetudinariis, & in ſtatu naturæ lapſæ non reperitur moralis impoſſibilitas proveniens à principiis *intrinſecis* humanæ libertati, ſed ab *extrinſecis*, nempe à propria malitia antecedenter liberè contracta, vel à peccato originali.

Ad 2. n. a. Quia in damnatis non ſolùm datur *moralis*, ſed *etiam phyſica* neceſſitas blaſphemandi, cùm ceſſet indifferentia judicii in utramlibet partem; eò quòd conſtituti ſint in ſtatu termini, putà, in æternitate, ubi non datur ſucceſſio opinionum. Conſequenter remanent in ea diſpoſitione voluntatis, in qua illos mors invenit.

Ad 3. patet Reſponſio ex dictis *ad* 1.

Objicitur 3. *contra eandem* 1. Si ſemideliberatio transferret mortalia in venialia, tunc transferret etiam venialia in meras imperfectiones non peccaminoſas; ſed hoc eſt contra ſenſum communem; ergo. *Maj. prob.* Eſt major diminutio malitiæ ex mortali in veniale, quàm ex veniali in nullam; ergo.

2. Homo agens ſemideliberatè tantùm agit ùt ſemihomo; ſed ſemihomo omninò non peccat; ergo. *Min. patet*; quia, dum homo v. g. in ſomno occidit alium hominem, non propterea peccat.

Respondeo *ad* 1. n. *Maj.* Quia ſemideliberatio tantùm tollit *gravem* malitiam, non *omnem*. Poteſt etiam retorqueri in aliis cauſis transferentibus mortale in veniale v. g. in parvitate materiæ: ſi enim differentia inter decem aureos, & obolum tollit malitiam gravem, ſequeretur vi objectionis deveniri poſſe ad materiam levem, minorem infinities obolò, quæ ne quidem obligaret ſub veniali.

Ad prob. diſt. a. Eſt major diminutio *ſeorſim* ſumpta. c. *ſimul* ſumpta. n. a. Eſſet enim haud dubiè major diminutio, ſi ſemideliberatio ſimul tolleret malitiam gravem, & levem.

Ad 2. diſt. *Maj.* Ita tamen, ut illa ſemiſſis adhuc ſe teneat ex parte *rationali.* c. ut tantùm ſe teneat ex parte *irrationali.* n. *Maj.* Si enim homo tantùm agit ſecundùm potentias ſenſitivas, vel ſecundùm phantaſiam inſtar pſittaci, vel ſimiæ, prorſùs ligatâ potentiâ rationali, non aget ùt ſemihomo, ſed planè aget ùt non homo, utpote inſtar bruti. Si verò ſimul concurrat potentia rationalis, quamvis modò imperfectò, adhuc ſimpliciter aget ùt ſemihomo, & datur locus peccato. Idem intelligendum de ſemidormiente, quod de ſemideliberato.

Objicitur 4. *contra eandem.* 1. Vota, & promiſſiones ne quidem ſub veniali obligant ad aliquid moraliter impoſſibile; ergo nec Deus obligat ad vitanda ſemideliberata peccata.

2. Eccleſia non obligat nec quidem ſub veniali ad legem Eccleſiaſticam v. g. jejunii in caſu, quo moraliter eſt inobſervabilis; ergo nec Deus obligat in caſu ſemideliberationis.

3. Non poteſt dari regula pro dignoſcendo ſtatu bujusmodi ſemideliberationis à pleno conſenſu; ergo nullam inducit obligationem.

Respondeo *ad* 1. c. a. n. c. & paritatem. Diſparitas eſt; quia vovens, & promittens eſt ipſum obligans, ac principium obligationis: talis autem non cenſetur, ſe velle obligare ad moralem impoſſibilitatem. Sic etiam Deus non prudenter ageret, conſtituendò hominem, quantum eſt ex ſua operatione, in morali impoſſibilitate ſervandi ſuas leges; poteſt tamen prudenter relinquere obligationem legis aliàs obſervabilis jam aliunde conſtitutæ, quamvis exinde ſuperveniat moralis difficultas ex parte hominis, cujus tamen Author non ſit Deus. Hinc obſervo, malè agi ab iis Authoribus, qui examinandò naturam legum naturalium v. g. circa probabiliſſimum, & alias obligationes ſtatuum reſpiciunt tantùm ad ſtatum naturæ lapſæ, & ubicunque reperiunt moralem difficultatem, ſtatim tollunt obligationes legum: neque enim natura legum naturalium inſpicienda eſt pro ſtatu naturæ lapſæ, in qua moralis difficultas jam inducta eſt ex malitia humana originali; ſed regulanda eſt juxta ordinem in natura pura veroſimiliter conſtitutum.

Respondeo 2. diſt. a. Vota &c. non obligant *primariò*, & *graviter* ad moraliter inobſervabilia. c. *ſecundariò*, & *leviter.* n. a. quia qui vovet caſtitatem, ſecundariò etiam vovet abſtinere à ſemideliberatis actibus ſaltem ſub obligatione levi. Certè SUAREZ l. 2. *de votis.* c. 2. contrarium non audet defendere.

Ad 2.

Ad 2. tr. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia leges divinæ plerumque versantur circa objecta non merè indifferentia ad bonum commune humanæ Societatis, & Ecclesiæ; sed circa talia objecta, quæ *petunt* præcipi, & quorum observantia *necessaria* est ad bonum commune. Hinc mirum non est, quòd in legibus naturalibus, & divinis detur, & urgeatur obligatio, quamvis superveniat *moralis* difficultas in earum observatione ex malitia humana: econtra Leges Ecclesiasticæ plerumque versantur circa objecta de se *indifferentia*, ita ut subsint determinationi liberrimæ Ecclesiæ; hinc ista objecta *non petunt* eo usque urgeri, ut etiam perseveret obligatio, quantumvis superveniat *moralis* impossibilitas in earundem observatione.

Dixi trans. Si enim etiam Leges Ecclesiasticæ aliquando versantur circa objecta *necessaria* ad bonum commune, vel ad alios fines à Deo præstabilitos, tunc etiam Leges humanæ ejusmodi perseverant in sua obligatione, quantumvis superveniat difficultas *moraliter* insuperabilis. Sic v. g. si detur lex, ne quis durante obsidione exeat in castra hostium, vel ut miles maneat in statione, obligant leges, etiamsi hujusmodi habeant difficultatem moraliter inobservabilem sine præsentissimo discrimine vitæ.

Ad 3. tr. a. n. c. Neque enim ex eo, quòd in materiis moralibus non possit facilè determinari modus, & mensura obligationis, cessabit propterea obligatio. Ut enim habet D. Augustinus Lib. 21. *de Civit. Dei.* c. ult. *Quænam malitia sit tanta, ut ultimò sufficiat ad peccatum veniale, & quænam sit tanta, ut primò sufficiat ad peccatum mortale, difficillimum est invenire, periculosum definire, nec tamen inutiliter dicitur aliqua malitia excusare à mortali.* Idem ergo dici debet circa semideliberationem.

Respondeo 2. n. a. Regula enim potest esse, semideliberationem tunc dari, *quando homo non est in statu, expeditè, & aptè versandi in aliis suis negotiis*, v. g. in studiis, in Reipublicæ administratione, in cura temporalium, maximè si ea negotia petant attentionem, ac reflexionem animi ad varias circumstantias, sine quibus idonea determinatio fieri non potest. Ejusmodi objecta sunt, dum agitur de gravi præjudicio proximi, vel de objectis primum futuris, vel de dispositione aliqua animi ex sua natura stabili: cùm enim libertas animi, & judicii ad indifferentiam requisita necessariò eam debeat habere expeditionem intellectus, & voluntatis, ut non tantùm restringatur ejus attentio ad *unum*, vel *alterum* objectum, sed necessariò debeat esse indifferens ad actus *varios* tam *contrariè*, quam *contradictoriè* oppositos, clarum est, tunc non dari plenam libertatem, quando non datur ea expeditio animi ad considerandа diversa, & ad eligenda diversa. Ita requiritur, ut libertas tanta sit, quanta requiritur in aliis feriis negotiis ad hoc, ut possit considerare, & eligere diversa. Et talis status semideliberatus solet dari frequenter in semidormientibus, semiebriis, semidelirantibus ob febrim, vel aliam causam. Quòd si tamen quis dubitet, an babuerit perfectam libertatem in actu graviter prohibito, servire possunt hæ Regulæ.

1. Si etiam finito actu adhuc perseveret ebrietas, somnus, delirium, vel statim in eam dispositionem reincidat, præsumendum est, etiam in ipso actu utpote intermedio intercessisse eam ligationem potentiarum animi indifferentis.

2. Si sæpius ante hujusmodi statum, & actum firmum quis propositum elicuerit contra determinatum peccatum, nec longo tempore in vitio versatus sit cum deliberatione animi, signum est saltem *moraliter* certum, deliberationem plenam non intercessisse.

3. Si aliàs facillimè solet servare legem, quando est perfectè mentis compos, eamque exactè servet jam à longo tempore, iterum præsumendum, deliberationem in actu transeunte opposi[illegible] dubio non intercessisse.

4. Si homo sit aliàs timoratæ conscientiæ, & plurimùm abhorreat à peccatis, præsumptio stat in dubio in favorem deliberantis.

5. Quando malitia objecti dependet à serie, & complexo plurimarum circumstantiarum, & effectuum v. g. dum agitur vel de periculo gravi incurrendorum peccatorum, vel dum agitur de damnificatione gravi proximi per læsionem, detractionem, vindictam &c. clarum est, quòd gravitas effectus dependeat à plurimis circumstantiis, quæ proin substare debet attentioni animi, & illi dispositioni, ut saltem possit totus ille status objectivus circumstantiarum, & effectuum agnosci, & perpendi.

6. Quando agitur de malitia actus in se quidem indivisibili, sed tamen circa objecta primum futura, aut de dispositione animi de se *stabili*, v. g. de consensu in hæresin, qui utique non tantùm dicit assensum errori præstitum, sed etiam *pertinaciam*, id est, præparationem animi in ea dispositione perseverandi; vel dum agitur de judiciis temerariis, quorum utique gravitas tantùm desumenda est ex gravi præjudicio erga proximum, quod sine *stabili* quadam dispositione animi *pertinaciter* perseverandi in ea dispositione non contingit, iterum clarum est, ad plenam deliberationem requiri, ut animus expeditus sit etiam ad considerandam seriem quamdam actionum, & effectuum ipsi *pertinaciæ*, aut *stabilitati* tam hæresis, quàm judicii inhærentium.

Dices. Datur semideliberatio, quando quis in suo animo etiam perfectissimè est expeditus ad alia negotia seria decenter pertractanda; ergo hæc descriptio perfectæ, & imperfectæ libertatis non est bona. *Prob. Ant.* Datur semideliberatio in avertendis primis motibus blasphemiæ, hæresis, temerarii judicii, vindictæ gravis, complacentiæ obscœnæ &c. in quibus utique primis motibus adhuc animus est expeditus ad alia negotia benè pertractanda; ergo.

Respondeo n. a. *ad prob.* dist. a. *quoad* 2. *membrum.* In hujusmodi primis motibus datur expeditio animi ad alia negotia *gradatim* expedienda. c. primò momentò, quo durat primus motus, *statim* expedienda. n. a. Neque enim, qui v. g. deliberat de bello, de eligendo statu, de ædificanda domo, de ferenda sententia mor-

tia &c. statim primò momentò aptè considerat ommnes circumstantias essentiales ad prudentem electionem requisitas. Itaque nec idem fieri poterit in ferenda sententia de licentia, & obligatione legis, de appulsu testium animæ, donec tandem discernatur, utrùm obligatio gravis, vel levis sit.

Respondeo 2. n. a. *ad prob.* n. a. Dico enim, in tali casu non tam dari semideliberationem, quàm inadvertentiam, quæ longè est aliud, quàm semideliberatio. In primis ergo motibus potest quia excusari à mortali ob defectum advertentiæ ad malitiam gravem; quia illa solùm inadvertentia est graviter culpabilis; quam quia *potest*, & *debet* sub obligatione gravi superare. Non autem videtur Deus sub mortali exigere tantam intensionem animi in omnibus actibus humanis innumeria, ut in primo statim momento subitæ emotionis requirat summam attentionem ad malitiam objecti dependentem à plurimis circumstantiis exactè perpensis, nisi defectus advertentiæ jam sit culpabilis *in causa* præcedente cum plena libertate posita: longè autem aliud est circa actus externos magni momenti v. g. circa homicidium, ubi statim ratio dictat, nihil esse suscipiendum sine prævia, & magna deliberatione, cùm malum sit irremediabile. Itaque, cùm non detur lex graviter obligans ad cavendas omnes inadvertentias circa actus internos, & circa series effectuum obvias, nec cedentes statim in grave præjudicium aut Reipublicæ, aut Dei, aut Ecclesiæ, in omnibus illis sive dicantur actus *semideliberati*, sive dicantur actus *inadvertentiæ*, peccatum mortale transibit in veniale ex defectu legis hic, & nunc *graviter* obligantis.

Objicitur 5. *contra* 3. *Conclus.* 1. Odium Dei recipit parvitatem materiæ; ergo & omne aliud peccatum. *Ant. prob.* Velle offensam Dei capit parvitatem materiæ; ergo & odium Dei. *Ant. prob.* Velle furari, est velle offensam Dei; sed velle furari capit parvitatem materiæ; ergo & velle offensam Dei.

2. Frustratio rei juramentò promissæ v. g. unius crucigeri capit parvitatem materiæ; sed ea frustratio est perjurium; ergo perjurium admittit parvitatem materiæ.

Respondeo *ad* 1. n. a. *ad prob.* n. a. *ad hujus prob.* dist. *Maj.* Velle furari est velle offensam Dei *interpretativè*. c. directè, & *formaliter*. n. *Maj.* Talis fur non intendit Deum offendere, imò potiùs vellet, Deum non offendi: habet enim pro objecto *directè* volito tantùm suum commodum, cum quo contra ipsius inclinationem conjungitur offensa Dei. Jam verò voluntas *indirecta* non potest vocari simpliciter odium Dei.

Ad 2. transf. *Maj.* dist. *Min.* Est perjurium *promissorium*. c. *assertorium*. n. *Min.* Quando enim dicitur, perjurium non capere parvitatem materiæ, sermo est de assertorio, in quo Deus sumitur in testem falsitatis. Non autem illud fit in promissorio; in hoc enim promittens *unum asserit*, & *aliud* est, ad quod se *obligat*; asserit se habere animum servandi promissum, & in hujus veritatis testem Deum invocat, sicque eatenus est juramentum assertorium: in quo si revera non haberet animum solvendi, esset perjurium simpliciter dictum, & grave peccatum, etiamsi tantùm promisisset obolum. Sed stante veracitate hujus assertionis insuper se obligat ad diligentiorem observantiam hujus promissi ob ipsam reverentiam divini nominis, quod assertioni appofuit: cùm autem hæc irreverentia non tanta sit, utpote facta in re *levi*, circa quam promissarius non potest esse *graviter* invitus, etiam malitia infidelitatis non erit gravis; & consequenter, sicut irreverentia erga Deum capit parvitatem materiæ, ita etiam juramentum promissorium capiet parvitatem materiæ.

Objicitur 6. *contra eandem* 1. Adulterium quandoque esset bonum Reipublicæ ad evitanda bella; ergo non est verum, hoc crimen non admittere parvitatem materiæ ex eo, quòd semper cedat in grave præjudicium generis humani.

2. Datur parvitas materiæ in omnibus aliis præceptis; ergo & in sexto præcepto.

Respondeo *ad* 1. dist. c. Si ipsa possibilitas exceptionis in casu particulari, & ipsa licentia excipiendi *non esset nociva* generi humano. c. secùs. n. c. In probatione enim dictum est, non omne adulterium in casu *particulari* fore nocivum generi humano, sed fore nocivam licentiam *generalem*, quæ restringi non posset à generali malitia, si daretur licentia exceptionis particularis; quia sic multiplicarentur adulteria sine fine, vel ob multiplicationem dispositionum in homine reperibilium, vel ob frequentiam argumentationis à pari, maximè inter gentes, quibus Deus æquè debet providere de Lege naturali universali, ac Christianis. Itaque nequе apud Christianos reperiri potest licentia alicujus exceptionis in casu particulari, quo adulterium non præjudicaret bono communi generis humani; quia si ea daretur, non tantùm leviter, sed *graviter* noceret bono communi ob pronitatem ad abusum universalem.

Ad 2. transf. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia in hac materia omnis etiam *parvitas* inclinatione moraliter insuperabili trahit ad *majora*, atque ad malitiam consummatam, saltem generaliter; quod non fit in aliis præceptis. Cæterùm, utrùm aliquod objectum petat prohiberi sub gravi, desumendum est ex complexo effectuum, quos causant: jam verò inclinatio in hujusmodi materia venerea est ab *intrinseco*; eadem *frequenter* occurrit; præterea occasiones sunt *innumeræ*, maximè ad actus internos. Igitur, si permitteretur *sine gravi* prohibitione delectatio venerea, eoipso homo ob frequentiam transgressionum *levium* constitueretur in statu moralis impossibilitatis observandi legem principalem, & in statu plurium transgressionum etiam *gravium* moraliter inevitabilium. Hinc etiam parva graviter prohibita sunt quoad concupiscentiam, vel delectationem veneream; prout id declaravit Alexander VII. 18. Martii annò 1666. dum damnavit sequentem propositionem ordine 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, tantùm esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusò periculo ulterioris consensus, & pollutionis.* Per hoc tamen, quòd omnia

omnis delectatio venerea, quantumvis modica, sit peccatum mortale, non sequitur, etiam illos actus per se esse peccatum mortale, qui tantùm continent periculum remotum ad illam delectationem, & non proximum aut propinquum, quales actus sunt innumeræ cogitationes *remotè* disponentes, nec causantes periculum *propinquum* ad talem delectationem.

Objicitur 7. *contra* 4. *Conclus.* 1. Legislator humanus non potest rem levem præcipere sub obligatione gravi; ergo neque in materia gravi potest imponere levem obligationem.

2. Votum in materia gravi universim obligat sub gravi; ergo etiam lex humana.

3. Agere contra præceptum naturale in materia gravi est peccatum grave; sed agere contra legem humanam in materia gravi est agere contra præceptum naturale in materia gravi; ergo. *Min. prob.* Talis agit contra præceptum naturale obediendi Superioribus in materia gravi; ergo.

Respondeo *ad* 1. transf. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia, etsi regulariter bonum commune non postulet, rem *levem* præcipi à Legislatore humano *sub gravi*; exigit tamen, ut aliquando etiam res *magnæ* præcipiantur *sub levi*, v. g. in lege jejunii, censuris, & similibus.

Ad 2. n. a. Quia suppono, hominem se posse obligare sub veniali ad votum etiam in materia gravi.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. a. Agit contra præceptum obediendi Superioribus in materia gravi *materialiter* tali. c. *formaliter* tali. n. a. Formaliter gravis materia est, quæ vel ex natura *graviter* nocet bono communi, vel non potest suscipi, nisi *graviter* invitô Dominô naturæ.

Objicitur 8. *contra* 5. *Conclus.* 1. Juxta s. Augustinum Serm. *de pœnit. iracundia, si diu teneatur, & ebrietas, si assidua sit, sunt mortalia;* sed iracundia, & ebrietas sunt venialia; ergo venialia repetita constituunt mortale.

2. Juxta eundem relatum capit. *Tres sunt, de Pœnit.* dist. 1. *Quamvis parva, sed tamen crebra, quæ, si collecta contra nos fuerint, ita nos obruent, & oppriment, sicut unum grave peccatum.* Ergo.

Respondeo *ad* 1. dist. *Maj.* Sunt mortalia, quando incipiunt coalescere in *unam* prodigalitatem, vel inhonestatem vitæ Christianæ, vel in contristationem, & damnificationem proximi *gravem.* c. secùs. n. *Maj.* Si quis enim crebrò excedit in potu, quamvis maneat rationis compos, nec causet alia peccata in ebrietate, nihilominus peccat mortaliter; quia multum bonorum successivè prodigit, & quia vita ejus incipit potiùs fieri bestialis, gravemque indecentiam inducere vitæ Christianæ. Sic etiam iracundia v. g. mariti, aut uxoris perpetua, ac quotidiana graviter perturbat domesticam familiam.

Ad 2. *eodem modo.* dist. a. Nos obruent, si coalescunt in *unum* v. g. *grave* impedimentum charitatis erga Deum, & proximum, vel erga obligationes sui status. c. secus. n. a. Sæpe fit, quòd multis peccatis venialibus ita bebescat studium virtutis, ac bonorum operum, ut nulla ampliùs residua sit activitas in amore Dei, & proximi; & tunc omnia venialia simul sumpta obruent hominem convincendò instar multorum testium, quòd non habuerit charitatem, seu veram amicitiam ad Deum, utpote cui non exhibet actus amoris practicos, ubi ad eos obligat *rectus* ordo amicitiæ, & charitatis.

Objicitur 9. *contra eandem* 1. Malitia peccati non est simpliciter infinita; ergo potest adæquari per peccata venialia repetita.

2. Si venialia repetita non constituerent mortale, sequeretur, eum non peccaturum graviter, qui esset determinatus ad committenda omnia venialia indiscriminatim; sed hoc est contra communem; ergo.

3. Si quis se obligasset votô ad non mentiendum, & tamen mentiretur indiscriminatim oblata quavis occasione, peccaret graviter contra votum; ergo & ille, qui frequenter committit venialia contra præceptum dilectionis Dei.

Respondeo *ad* 1. *retorquendò.* Perfectio hominis non est infinita; ergo potest adæquari per multiplicatas muscas.

Respondeo 2. transf. a. dist. c. Ergo potest adæquari, si magnitudo perfectionis consistat in *numero*, vel *mensura.* c. secus. n. c. Quia adæquatio per multiplicationem tunc solùm locum habet, quando perfectio utriusque constituitur per *numerum* partium. Sic v. g. ingenium Aristotelis, vel Angelici non adæquabitur per additionem infinitorum ingeniorum hebetium.

Ad 2. dist. *Maj.* Non peccaret *per se* ratione *numeri.* transf. *per accidens* ratione *periculi* incidendi in mortalia, vel ratione *impedimenti*, quod objicit activitati charitatis. n. *Maj.* Charitas essentialiter tendit ad studium virtutum, & bonorum operum, ubi ea exigit ordo charitatis; cui tendentiæ non potest objici impedimentum essentiale sine gravi peccato.

Ad 3. transf. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia in tali casu frequentatio actuum in æstimatione morali coalesceret in *unam gravem* irreverentiam erga obligationem voti; & ipse vovens censetur se tacitè obligare sub gravi ad habendam saltem aliquam curam servandi voti, nec committendi contemptum formalem: econtra non adstringitur homo præceptô dilectionis Dei ad specialem curam vitandi quodvis peccatum veniale in uno determinato genere sub obligatione *gravi.*

Objicitur 10. *contra eandem* 1. Est in Sacerdote major indecentia ad tertium quodvis verbum mentiri, quàm intra decem annos semel omittere Breviarium; ergo si illud est peccatum mortale, etiam erit istud peccatum mortale.

2. Unum mendacium est majus peccatum, quàm omissio unius constructionis in Breviario; ergo etiam summa mille mendaciorum est majus peccatum, quàm omissiones mille constructionum.

3. Unum peccatum veniale tollit unum gradum gratiæ; ergo tot peccata venialia, quot quis habet gradus gratiæ, tollunt omnes gradus illius, adeoque totam gratiam.

Respondeo *ad* 1. dist. a. Est major indecentia *materialis.* c. *formalis.* n. a. Materia-

lis indecentia est, quæ se tenet ex parte objecti in individuo *secundum* se spectati independenter à circumstantiis extrinsecis in ordine ad varia alia bona Reipublicæ, Ecclesiæ, aut gloriæ divinæ. Formalis verò indecentia est, quæ provenit ex oppositione ad legem actu existentem, consideratò jam actu *secundum omnes circumstantias* in ordine ad bonum commune Reipublicæ, Ecclesiæ, aut gloriæ divinæ. Jam secundùm talem considerationem magis meretur sub gravi prohiberi unica omissio Breviarii, quàm multiplicatio mendaciorum. Ratio est 1. Quia persolutio Breviarii est observabilis; abstinentia verò ab omni mendacio generaliter respectu omnium hominum etiam rudium non est ita facilè observabilis. 2. Determinatio transgressionis circa Breviarium est facilè determinabilis: econtra determinatio mendaciorum ad gravem summam coalescentium non esset facilè determinabilis. 3. Bono communi non ita opponitur multiplicatio mendacii officiosi, quàm opponitur gloriæ divinæ via ad frequentes transgressiones pensi Canonici. Imò etiam ex supposito, quod non daretur major ratio in gravi prohibitione omissionis Breviarii, daretur tamen major indecentia formalis ex oppositione ad Legem Ecclesiasticam, quæ utique non semper requirit meritum prohibitionis objectivum ex natura actus.

Ad 2. transf. a. dist. c. Nisi coalescerent hæ omissiones in *unam summam* totalem substantem legi *graviter* prohibenti. c. secùs. n. c. Porrò ea coalescunt in unum, quæ vel ex natura, vel ex usu hominum, vel ex intentione operantis coordinantur ad invicem; hæc autem omnia concurrunt in pluribus constructionibus Breviarii, non autem in multis mendaciis officiosis, nullam inter se habentibus coordinationem, nec ex natura actionis, nec ex usu hominum, nec ex intentione operantis.

Ad 3. tr. a. dist. c. Tollunt gradus gratiæ *heterogeneos*. transf. *homogeneos*. n. c. si gradus gratiæ essent homogenei, etsi insuper vera esset illa sententia de imminutione alicujus gradus gratiæ per quodvis veniale, rectè procederet argumentum: nec enim ulla in homine justo datur forma substantialis, aut alia causa, quæ ultimum gradum gratiæ faciat adeò quadratum, & immobilem, ut nullo peccatò veniali emoveri posset. Dein sequeretur, hominem per frequentationem veniallum id commodum consequi, quòd ejus gratia nullò ampliùs peccatò veniali imminui posset. Verùm longè aliter se habet in gradibus heterogeneis, quos suppono dari *ex Philosophia* in omnibus, quæ intendi possunt; quia, cùm remissio graduum consistat in productione imperfectioria gradus, quòd fieri potest in infinitum, nullum est periculum incidendi aliquando in gradum gratiæ absolutè imperfectissimum, aut perveniendi ad destructionem omnimodam charitatis, nisi in eo casu, quo cessat in voluntate studium perfectionis, virtutum, & bonorum operum, ut sic definat activitas animæ justæ.

Objicitur II. *contra eandem* 1. In casu, quo quis successivè aufert v. g. mille crucigeros, ablatio ultimi cruciger respectu hominis divitis habet rationem peccati mortalis, quin coalescat in unum cum præcedentibus; ergo repetita venialia habent malitiam gravem sine illa coalescentia. *Ant. prob.* Sola ablatio ultimi cruciger babet conjunctam cognitionem gravis malitiæ; ergo.

2. Coalescentia objectorum est aliquid indeterminatum; ergo non est bona regula morum, & gravis obligationis. *Ant. prob.* Non potest v. g. determinari, utrum coalescant in unum omissiones v. g. centum aut ducentorum *Pater Noster &c.* quæ quis habet ex voto, vel ex pœnitentia injuncta. Item an in divite coalescant in unum omissiones eleemosynæ respectu 100. aut 200. pauperum. Item an coalescant in unum omissiones attentionis sub Breviario per annum continuatæ, aut per duos, vel tres dies, aut menses. Item an coalescant in unum omissiones concionum 10. 20. vel 100. Aut an coalescant omissiones Lectionis Theologiæ moralis in Confessario, aut Parocho per tres, aut decem annos. Item an denegatio obsequiorum aliàs debitorum centupla, vel ducentupla. Item an denegatio signorum amicitiæ 10. aut 20. & similia. Ergo.

Respondeo *ad* 1. n. a. *ad prob.* dist. a. Ablatio ultimi cruciger, ùt *respectiva* priorum ablationum habet conjunctam cognitionem gravis malitiæ. c. ùt *non respectiva*. n. a. Si enim tendat in ultimum crucigerum secundum se, sic utique non habet agnitionem gravis malitiæ.

Ad 2. *Retorqueo* in furtis minutis. *In forma* n. a. *ad prob.* n. a. Dico enim, tunc coalescere actus in unam malitiam gravem, quando *aggregatum actuum* contingit substare *speciali* attentioni illius, qui habet potestatem, & animum obligandi. Hinc, quia in voto, & in pœnitentia injuncta ex communi æstimatione intentio obligantium fertur specialiter ad aggregatum actuum tanquam speciale objectum, & motivum divinæ complacentiæ, aut gratiæ, in hoc casu locum habet coalescentia actuum: econtra, quia in Breviario non fertur attentio Legislatoris ad generalitatem actuum, vel omissionum, sed ad actus singulos; quia sic exigunt leges prudentiæ legislativæ, illæ omissiones non coalescunt; nec refert, utrùm ejusmodi aggregatum omissionum, vel actuum habeat majus meritum objectivum ad prohibendam specialiter generalitatem actuum, vel omissionum, quia Legislator non semper illud *gravius* præcipit, vel prohibet, quod de se meretur *gravius* præcipi, aut prohiberi, eò quòd prudentia legislativa consideret multas circumstantias extrinsecas actui, puta, facilem frequentiam mali, difficultatem observationis in actu, & necessitatem in ordine ad bonum commune, ùt suprà ostensum est. Sic utique frequentior esset transgressio in materia Breviarii, quàm in materia voti, vel pœnitentiæ injunctæ; quia illa materia, puta pensi Canonici quotidie urget, & occurrit; esset etiam difficilior observatu, & aliunde involuta multis perplexitatibus quas Legislator horret.

Quod si quæratur, quandonam in similibus incipiat *gravis* obligatio in ordine ad aggregatum actuum, vel omissionum?

Respon-

Respondeo. Tunc incipere, quando conscientia incipit dictare manifestè ex communi æstimatione dari jam *gravem* injuriam, damnificationem, contristationem, aut derogationem juris divini, vel humani erga Deum, vel proximum, prout ipsi Adversarii admittere coguntur in determinanda gravitate v. g. calumniæ, detractionis, scandali, inhonorationis parentum &c. quæ omnia peccata supponunt æstimationem, & taxationem privatam in tribunali conscientiæ conformem æstimationi communi hominum, aut Doctorum, aut Legislatorum.

Objicitur 12. *contra 6. Conclusionem.* 1. Non potest dici, quid propriè sit formalis contemptus legis; ergo ex hoc capite venialia non transeunt in mortalia.

2. Superbia capit parvitatem materiæ; ergo & contemptus formalis, qui videtur esse species superbiæ.

3. Contemptus Dei esset hæresis, vel blasphemia; ergo non datur contemptus formalis purus in lege divina.

4. Non videtur esse major malitia contemnere legem leviter obligantem humanam, quàm transgredi ipsam legem; ergo saltem in lege humana datur parvitas in contemptu legis formali.

Respondeo *ad* 1. n. a. Et dico, contemptum formalem nil aliud esse, quàm animum explicitè, vel interpretativè obfirmatum ad *constantem*, & continuam transgressionem legis aliàs de se leviter obligantis. Et ratio est; quia ipsa incuria de observatione legis aliàs leviter obligantis irrogat in æstimatione morali gravem irreverentiam circa ea objecta, in quibus Legislator meritò censetur exigere sub gravi saltem aliqualem curam observationis. Hinc sicut in materia furti animus perveniendi ad summam gravem per furta minuta est grave peccatum, ita etiam animus transgrediendi passim leges leviter obligantes in iis materiis, ubi ex frequentatione actuum oritur inordinatio graviter Legislatori displicens, est peccatum grave. Hæc descriptio probatur ex eo; quia solvit omnes difficultates.

Ad 2. tr. a. n. c. Quia contemptus formalis non est species superbiæ, sed neglectus generalis, ac de se continua debitæ observantiæ erga legem, quæ ob ipsam suam generalitatem, ac universalitatem objecti excludit parvitatem materiæ. Dixi: *transeat Ant.* quia superbia circa objectum *essentialiter* graviter obligans non admittit parvitatem materiæ; qualis superbia esset v. g. contemptus omnium Doctorum Ecclesiæ, & omnium Patrum.

Ad 3. Nego suppositum, quòd contemptus formalis sit contemptus Legislatoris; sed est tantum incuria obfirmata, & generalis, ac continua circa legem de se obligantem etiam sub levi.

Ad 4. Nego suppositum, quòd contemptus formalis sit contemptus legis: hic enim interpretativè reperitur in omni transgressione legis; sed est generalis obfirmata incuria legum, qualem Legislator meritò censetur prohibere sub gravi etiam in materia aliàs levi, saltem circa eas leges, ex quarum neglectu gravi oriretur grave damnum bono communi, uti fit v. g. circa constitutiones ordinis, aut obligationes status, in quibus intentio passim non observandi legem constituit in æstimatione morali objectum *gravis* displicentiæ in Legislatore humano, vel divino.

QUÆSTIO III.

Unde desumatur differentia specifica peccatorum?

Notandum 1. Certum esse, quòd multa peccata differant specie, ùt furtum, homicidium &c. dubium tamen est de multis aliis peccatis, utrum differant specie, sicque inducant obligationem exprimendi speciem in confessione. Hujusmodi peccata sunt v. g. incestus in primo, secundo, tertio & quarto gradu; delectatio morosa circa solutam, aut conjugatam; fornicatio sponsi cum alia fornicatione simplici; fornicatio Sacerdotis cum filia confessionis; *hæresis v. g. Ariana*, &c. imprecatio mortis, & imprecatio alterius gravis damni, vel infamiæ; scandalum ad furandum, occidendum, aut fornicandum præter intentionem datum pravò exemplò; divinatio per pactum expressum, vel tacitum; sacrilegium ex percussione, vel aliud sacrilegium v. g. ex fornicatione cum persona sacra; blasphemia contra Deum, & contra Sanctos; perjurium assertorium; & juramentum imprecatorium. Circa hæc peccata, & eorum differentiam videri possunt variæ sententiæ Theologorum in Summistis.

Notandum 2. Triplicem esse sententiam de regula differentiæ specificæ in Moralibus. *Prima* est Thomistarum communiter docentium, quòd peccata differant specie *secundùm objecta formaliter diversa*, id est, habentia diversa motiva, ùt hoc videtur docere D. Thomas hic quæst. 72. art. 1. C. Et ratio illorum est; quia universim actus humani distinguuntur specie juxta diversitatem specificam objecti. Alii ex Thomistis simpliciter dicunt, quòd peccata differant specie *secundùm objecta formalia*, sive differant circa objecta materialia, sive non. *Materiale* objectum v. g. in jejunio est ipsum jejunium, formale autem est ipsum motivum præcipiendi hunc actum. Et hinc ista explicatio coincidit cum priori. *Secunda* sententia est Scoti, & Scotistarum, quòd differentia specifica peccatorum debeat desumi ex diversitate specifica *rectitudinis oppositæ* peccatis, nempe ex diversitate *virtutis* cuivis peccato oppositæ. *Tertia* est communis Recentiorum, quòd diversitas specifica peccatorum desumatur ex diversitate specifica *legum oppositarum*, seu præceptorum, ubi tamen statim nascitur quæstio, unde desumatur ista differentia specifica legum?

Notandum 3. Juxta omnes Theologos certum esse, quòd omnia illa peccata differant specie, quæ habent objecta *formaliter* diversa, id est, diversa motiva prohibitionis, vel præcepti. Quæstio solum est, utrum illa sola differant specie, sic, ut nulla dentur peccata specie diversa, quæ non differant ex objecto formali diverso, id est, ex motivo? Sic enim videntur

peccata

peccata esse specie diversa, *laborare die festo*, & *omittere sacrum die festo*, etiamsi sit idem motivum utriusque, & eadem rectitudo opposita, nempe virtus Religionis.

DICO I. Peccata universim differunt specie ex oppositione ad leges specie diversas.

PROBATUR Conclusio 1. Constitutivum formale peccati est oppositio ad legem juxta dicta *Disp.* 1. *Quæst.* 1. Ergo etiam differentiale specificum desumitur ab oppositione ad leges specie diversas; quia universim differentia specifica sumitur à formali constitutivo rei, & oppositio ad legem non mutat speciem, nisi ipsi termini hujus relationis, seu oppositionis differant specie.

PROBATUR 2. Immediata attentio hominum in discutienda diversitate specifica peccatorum refertur tantum ad præcepta v. g. Decalogi, non verò ad motiva legis, vel ad virtutes oppositas; ergo habita formaliter oppositione ad legea diversas, habetur formaliter distinctivum specificum peccatorum. *Nec potest dici*, quòd homines solum attendant ad connotata distinctionis specificæ. *Contra enim est*, quòd sola connotata non sint tuta, & universalia regula constituendi differentiam specificam peccatorum.

DICO II. Ipsa distinctio specifica legum sumitur ex motivo legum *immediato*, ac *formali essentialiter diverso*.

PROBATUR Conclusio. Non potest assignari convenientius distinctivum legum; ergo. Ex hac proin Conclusione sequitur, quòd respiciendò ad regulam differentiæ specifica *mediatam*, ac *remotam* vera sit sententia THOMISTARUM; respiciendò tamen ad regulam *immediatam*, ac *proximam* sententia RECENTIORUM sit vera.

DICO III. Motivum formale legis aliquando est ipsa honestas, ac rectitudo virtutis oppositæ; aliquando verò est ipsa difformitas actus secundum se.

PROBATUR Conclusio. Potest humana voluntas tendere in malum quà malum; ergo etiam voluntas Legislatoris aversiva potest tendere in ipsam difformitatem actus ratione sui, tanquam in motivum prohibitionis. *Antecedens* suppono ex Philosophia *de anima*.

DICO IV. Ad hoc, ut motivum formale legis sit essentialiter diversum ab alio motivo legis, requiritur

1. Ut contingat illud actu substare attentioni Legislatoris in ordine ad aliam condendam legem.

2. Ut ea diversitas à Legislatore actu ordinetur ad effectus diversitatis specificæ.

PROBATUR & EXPLICATUR Conclusio. Dantur varia peccata, ubi darentur quædam motiva condendi legem diversam, quæ tamen motiva à Legislatore actu non assumuntur, nec attenduntur in ordine ad effectus diversitatis specificæ; ergo, ut actu diversificent legem diversitate specifica, requiritur, ut actu attendantur. *Ant. prob.* Sic v. g. daretur motivum aliter prohibendi furtum respectu pauperis, quàm respectu divitis: item daretur aliud motivum prohibendi furtum illi, qui in gravi necessitate constitutus re ablatâ usurus est ad sublevandam suam inopiam, & aliud prohibendi furtum illi, qui re ablatâ abusurus est ad fastum vel luxuriam, & tamen non obstante hac fundamentali diversitate diversorum motivorum illa furta non differunt specie in ratione furti; ergo. Ex quibus omnibus

COLLIGITUR 1. Diversitatem specificam peccatorum ultimatò desumi à diversitate specifica honestatis allicientis, vel à deformitate vitii absterrentis, actualiter tamen substante attentioni Legislatoris in ordine ad effectus diversitatis specificæ.

COLLIGITUR 2. In determinanda differentia specifica peccatorum non valere paritatem rationis; quia Legislator saltem humanus non cogitur attendere in ferendis legibus ad paritatem, vel majoritatem rationis; sed sufficit ipsi, quòd lex sit *simpliciter rationabilis* spectatò bonò communi; nec tenetur appendere in statera legem comparativè ad omnes alias leges, investigandò, an hæc vel illa lex, si determinaretur per legem diversam in ordine ad diversos effectus, foret *rationabilior* alterâ; quia hoc non requiritur ad rationabilitatem legis: neque hoc ipsi esset possibile, spectatâ limitatione intellectus humani in Legislatore; cùm tales comparationes sint possibiles infinitæ, nec tot, quin plures. Imò juxta dicta in mea PHILOSOPHIA POLLINOANA *de Infinito*, ne quidem in mente Dei datur *melioritas* comparativa ad infinitum collectivè sumptum.

COLLIGITUR 3. Differentiam specificam dependere à voluntate ac determinatione Legislatoris; adeoque ubi intentio Legislatoris secundum se est dubia, differentia specifica *practicè*, & *applicativè* dependebit etiam ab Interprete Authentico legis, & in hujus defectu à sensu Doctorum, aut à sensu communi, vel à consuetudine: & sic major Doctorum consensus erit practicè sufficiens principium regulativum differentiæ specificæ. Ratio est; quia dependet à determinatione Legislatoris, utrum velit, motiva diversa actu substare suæ attentioni in ordine ad effectus diversitatis specificæ, vel non, id est, utrum velit iis objectis alligare positivam obligationem ad effectus diversitatis specificæ, quales effectus sunt distinctio in confessione, & pœna, distinctio legum in exhortationibus, increpationibus, & recensionibus classicis legum.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 1. *Conclusionem*. D. THOMAS hic quæst. 72. art. 6. ad 2. expressè dicit: peccata non specificari per diversas leges; ergo, *Ant. prob.* ex ejus verbis, quæ sic habent: *Unde secundùm diversa præcepta legis non diversificantur peccata secundum speciem*; ergo.

RESPONDEO. n. a. *ad prob.* dist. a. Non diversificantur secundum diversa præcepta diversitate *remota*, & *ultima*. c. *immediata*, ac *proxima*. n. a. ADDO, quòd D. THOMAS tantùm loquatur de præceptis affirmativis, & negativis: asserit enim, quòd modus affirmativus,

mativus, vel negativus non diversificet actum specie in genere morali eo ipso, quòd modus affirmativus, ac negativus non necessariò fiant ex motivo diverso; sed interdum fiant solùm majoris claritatis, ac expressionis gratiâ.

OBJICITUR 2. *contra eandem.* Peccata diversificantur specie secundùm sui conversionem, non verò secundùm sui aversionem: ergo non diversificantur secundùm oppositionem ad diversam legem. *Conseq. patet;* quia oppositio ad legem pertinet ad aversionem actus, non autem ad ejus conversionem, eo ipso, quòd non convertatur ad legem, sed avertatur. ANT. PROB. 1. authoritate D. THOMÆ, qui 1. 2. q. 72. art. 8. c. dicit: *Species peccati attenditur non ex parte inordinationis, quæ est præter intentionem peccantis; sed magis ex parte ipsius actus, secundum quod terminatur ad objectum, in quod fertur intentio peccantis. Et ideo, ubicunque occurrit diversum motivum inclinans intentionem ad peccandum, ibi est diversa species peccati.* ANT. PROB. 2. *ratione.* Specificativum actus debet esse aliquid positivum, non negativum; ergo non desumitur ab oppositione ad leges diversas.

RESPONDEO. dist. a. Diversificantur secundùm sui conversionem *materialiter*, & *fundamentaliter*. c. *formaliter*. n. a. diversa enim conversio præbet quidem *fundamentum* statuendi diversam legem; sed non constituit semper *formaliter* diversum specie peccatum, prout patet in fractione jejunii, ad quod quis obligatur ex præcepto, ex voto, & ex pœnitentia. *Ad prob.* 1. ex D. THOMA. dist. a. Non attenditur ex parte inordinationis, ac oppositionis, in quantum ista dicit aliquid *negativum*. c. in quantum dicit aliquid *positivum*. n. a. Ea enim oppositio dicit respectum ad legem, qui respectus, seu relatio est aliquid positivum, & secundùm hunc respectum statim intelligitur, diversificari peccatum. *Ad* 2. *prob.* dist. a. specificativum actus debet esse aliquid positivum quoad *fundamentum* negationis, & oppositionis. c. quoad *esse formale* negationis, & oppositionis ad legem. n. a. Sensus patet ex dictis.

DICES. *D. Thomas* in præfato textu asserit, ibi reperiri diversitatem specificam peccatorum, ubi reperitur diversum motivum ad peccandum alliciens; ergo universim differentia specifica debet desumi à motivo, & objecto formali.

RESPONDEO. c. a. n. c. Si enim dico: *Ubicunque reperitur homo, reperitur animal,* non est bona conversio, aut consequentia: *ergo ubicunque reperitur animal, etiam reperitur homo.* Sic D. THOMAS non dicit: ubicunque reperitur diversa species peccati, reperitur diversum motivum inclinans ad peccandum, quod necessariò fieri deberet, si exinde sumeretur specificativum peccatorum; sed tantum dicit: *ubi reperitur diversum motivum, ibi reperiri diversum specie peccatum.* Manifestum enim est, quòd ex motivo v. g. gulæ prorsus manente eodem possit quis peccare in triplici specie peccati, nempe contra legem jejunii, contra obligationem voti, & pœnitentiæ injunctæ. Hanc esse mentem D. THOMÆ, patet ex ejus doctrina in 4. Dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 3. in C. ubi ait: *Dicendum, quòd aliquando circumstantiam trahere in aliam speciem peccati manifestum est, sed quomodo hoc possit esse, est dubium: quidam enim dicunt, quòd hoc accidit, in quantum illæ circumstantiæ accipiuntur ut fines voluntatis; quia à fine actus moralis accipit speciem. Sed hoc non videtur sufficienter dictum; quia aliquando variatur species peccati, sine hoc, quòd intentio observat ad circumstantiam illam: sicut fur ita libenter acciperet vas aureum non sacratum, sicut sacratum, & tamen in aliam speciem peccatum mutatur, scilicet de furto simplici in sacrilegium. Et ideo aliter dicendum est, quòd omnis circumstantia potest speciem peccati mutare; sed non semper mutat* (id est, non universaliter reperitur talis circumstantia, ubi tamen reperitur differentia specifica) *cùm enim negationes, & privationes differant specie secundum differentiam habituum, & positionum appositarum, & malum sit privatio, opportet, quòd ubi diversum bonum à virtute aufertur, ibi sit diversa species peccati: una autem sola circumstantia rectitudinem virtutis aufert; unde si aliæ circumstantiæ nullam aliam obliquitatem peccato tribuant, non mutabunt speciem. Quòd autem fur rem alienam consecratam accipiat, aliam deformitatem importat; quia quæcunque irreverentia circa res sacras adhibita, specialem rationem peccati habet, & ideo talis circumstantia dicitur speciem mutare.* Ita D. THOMAS. Ex quo patet 1. quòd ipsemet differentiam specificam peccatorum desumat non à conversione, sed ab aversione, & negatione, respectiva tamen subjecti, seu à deformitate, & oppositiona ad legem, vel honestatem legis. 2. Quòd differentiam specificam aversionis desumat à specie virtutis, seu honestatis, quam tollit, adeoque etiam ab obliquitate, seu deformitate in tali negatione reperibili. Hinc

RESPONDEO 2. *Distinctione generali* ad omnes ejusmodi textus. Dicit D. THOMAS, quòd differentia specifica peccati secundùm esse *materiale* considerati non summatur à negatione, vel oppositione. c. secundùm esse *formale*. n. a. MATERIALE enim peccati est dictum, vel factum; sic autem habet speciem actus humanus ab objecto conversionis. Et hoc docet D. THOMAS 1. 2. q. 72. art. 1. ubi quærit, *utrùm peccata differant specie secundùm objecta?* Sed si sumatur secundùm rationem FORMALEM Theologicam peccati, sic consistit in privatione, & sic induit speciem secundùm diversitatem deformitatis reperibilem in objecto, quæ diversitas sumitur à variis principiis, ùt dictum est.

CONFIRMATUR Responsio ex eo; quia S. THOMAS q. 2. *de malo* art. 6. asserit, peccata non differre secundùm differentiam præceptorum; addit tamen, quòd, si aliqua essent peccata, solùm quia prohibita, in his rationabile esset, ut secundùm differentiam præceptorum specie differrent. Ex quo datur fundamentum Responsionis tertiæ. Hinc

RESPONDEO 3. dist. a. Dicit D. THOMAS dicit, actus humanos differre specie secundùm objecta in consideratione *Ethica*, seu *Philosophica*, prout opponuntur legi *naturali*. c. in consideratione *Theologica*, prout opponuntur legi *positivæ*. n. a. Ex textu enim præallegato colligitur, quòd tantum

tantum consideret peccata, prout sunt in se mala; in qua consideratione haud dubiè opponuntur legi *naturali*: species autem ejusmodi peccatorum habet se instar materiæ ad speciem peccati Theologici, sicut species subalterna ad speciem infimam, vel sicut formæ partiales in physicis ad formam totius. Et hinc illa deformitas *moralis* est tantùm *fundamentalis* in ordine ad malitiam Theologicam, prout dictum est Disp. 1. Quæst. 2. *De Peccato Philosophico.*

Objicitur 3. *contra eandem.* 1. Lex prohibens v. g. in furto habet se per modum objecti neglecti, econtra utilitas ex furto habet se per modum motivi assumpti; ergo *ista*, non *illa* specificat actum. *Conseq. prob.* Illud potiùs specificat actum, quod actus essentialiter, & intrinsecè respicit; sed motivum neglectum non essentialiter respicit; ergo motivum neglectum non specificat actum.

2. Voluntas directè intendit utilitatem furti, non transgressionem legis; ergo non *ista*, sed *illa* specificat actum. *Conseq. prob.* Actus magis specificatur ab eo, quod *directè* intenditur, quàm ab eo, quod tantùm *indirectè* intenditur; ergo.

3. Actus magis specificatur ab eo, quod habet se ad actum *per se*, quàm ab eo, quod ad actum tantùm se habet *per accidens*; sed utilitas furti intenta habet se *per se*, & transgressio legis tantùm se habet *per accidens* ad actum furti; ergo. *Min. quoad* 2. *membrum prob.* Ex una parte transgressio non intenditur, ex altera parte posset actus furti dari fine formalitate peccati, nempè in eo, qui non habet cognitionem malitiæ; ergo.

Respondeo *ad* 1. transf. a. dist. c. Non specificat actum *denominativè* sumptum, & in ratione actus *humani*. c. *reduplicativè* sumptum, & in ratione actus *peccaminosi*. n. c. Cum enim peccatum *quà tale* dicat privationem, necessariò ejus essentia non dicit assumptionem, sed abjectionem motivi.

Ad 2. tr. a. n. c. *ad prob.* dist. a. Actus *denominativè* sumptus, & in consideratione *Ethica* specificatur ab eo, quod directè intenditur. tr. *reduplicativè* sumptus & qua *peccaminosus*. n. a. Sensus patet ex dictis.

Ad 3. *Eodem modò.* dist. a. Specificatur ab eo, quod se habet per se in ratione actus *humani denominativè*, *ethicè*, ac *moraliter* spectati. c. *reduplicativè*, & in ratione actus *peccaminosi Theologicè* spectati. n. a. Sic enim includit negationem ordinis ad ultimum finem, quæ negatio necessariò accidit actui peccaminoso positivo; itaque & ratio peccati accidit actui denominativè sumpto, & in suo esse materiali constituto.

Objicitur 4. *contra eandem.* 1. Juxta dicta differentia specifica peccatorum sumitur à Legibus, & harum differentia sumitur ab objectis; ergo simpliciter dicendum est, differentiam specificam peccatorum sumi ab objectis.

2. In Deo tantùm datur una voluntas adeoque una lex; ergo, si species peccatorum sumeretur à legibus, omnia forent ejusdem speciei.

3. Peccatum cordis, & operis opponuntur legibus specie diversis, & tamen non differunt specie; ergo &c. *Ant. quoad* 2. *membrum* est D. Thomæ hic quæst. 72. art. 7. C. *quoad* 1. *membrum probatur.* Peccatum cordis, seu pravi desiderii opponitur *decimo* præcepto Decalogi, econtra peccatum operis opponitur *septimo* præcepto; ergo.

Respondeo *ad* 1. c. a. dist. c. Si objecta *formalia legis* sunt etiam immediatum *objectum actus peccaminosi.* c. secùs. n. c. quia specificativum actus saltem debet respici ab actu secundùm suum esse positivum. Cùm ergo respiciatur ab actu peccaminoso *lex* accedente defectu, seu negatione conformitatis ad legem, rectè inde sumitur esse specificativum actus defectuosi. Econtra ad actum peccaminosum non pertinet respicere ad *objectum formale legis*, aut certè non pertinet ad eum, respicere ad illud objectum formale, ùt ratione sui *formale* constitutivum peccati, sed tantùm ùt *fundamentale*; sufficit ergo illud respici ùt *fundamentum* formalis malitiæ actus. Et hinc etiam operanti sufficit, quòd sciat, dari diversam legem; nec requiritur, ut sciat rationem, ac motivum formale legis.

Ad 2. dist. a. Datur tantùm una voluntas *realiter*. c. *formaliter*. n. a. possunt enim Decreta divina, & Leges distingui ratione, prout *in Tract. de* Deo dictum est.

Ad 3. n. a. *quoad* 1. *membrum*; quia *septimum*, & *decimum* præceptum, *sextum*, & *nonum* non distinguuntur, sed tantùm ponuntur ita explicitè, majoris claritatis, & exemplificationis gratia: actus enim *internus*, & *externus* non diversificant speciem peccati, sed tantùm complent peccatum, ùt D. Thomas observat. Actus internus habet se per modum *incompleti*, & accedente externo fit *completus*. Quòd verò talis expressio explicita non semper ponat novum speciem peccatum, patet ex eo; quia in illo *decimo* præcepto enumerantur ea, quæ non sunt concupiscenda, nec *domus*, nec *bos*, nec *asinus* &c. Cùm tamen clarum sit, non esse aliud specie furtum bovis, & aliud asini. Sicut ergo in ipso objecto majoris claritatis gratiâ propter obtusa Judæorum ingenia distinctè exprimuntur vitanda, ita etiam exprimitur actus internus.

Respondeo 2. n. a. *quoad* 2. *membrum*. Quamvis enim solum desiderium furti, & ipse actus externus constituant unum peccatum in suo genere *perfectum*, ac *completum*, non tamen ex hoc planum est, ea seorsim spectata ex suo genere non differre specie. Sic enim partes totius, materia & forma constituunt unam substantiam completam, & tamen hæ duæ substantiæ incompletæ differunt specie. Sic etiam corpus, & anima constituunt unum totum completum, & tamen differunt specie. Certè in confessione debet exprimi actus externus opere consumatus; nec videtur id præcisè ex eo fieri, quòd aliàs non possit sufficienter explicari actus internus; sed etiam ex eo, quia actus tendens imperativè in actum externum tanquam *præsentem* habet alium modum essentialem tendendi, quàm actus tendens tantùm in actum primò *futurum*: desiderium enim pro suo immediato objecto habet actum voluntatis futurum; econtra voluntas de actu præsenti habet pro suo objecto immediato ipsum objectum externum. Quòd si ille alius modus tendendi tantùm pertineret ad circum-

circumstantiam actus, non ad speciem, hoc ipso non videretur necessarium, quòd deberet exprimi ille modus tendendi, & sic in ordine ad hunc finem non esset opus explicare actum externum.

Objicitur 5. *contra eandem.* 1. Si diversificarentur peccata specie per oppositionem ad diversas leges, tunc etiam transgressiones diversarum legum Ecclesiæ, vel Principis differrent specie; sed hoc non potest admitti; ergo &c. *Min. prob.* Omnes transgressiones votorum simplicium sunt ejusdem speciei; ergo & transgressiones legum humanarum. *Conseq. prob.* Est eadem ratio de utrisque; ergo. *Ant. prob.* Ratio, cur transgressiones votorum simplicium sunt ejusdem speciei, est, quia Deus in obligatione servandi voti universim habet idem motivum, nempe virtutem *fidelitatis*, sive dein votum sit ad peregrinationem, sive ad eleemosynam faciendam; sed talis est etiam ratio in legibus humanis; ergo. *Min. prob.* Ecclesia, aut Princeps universim in omnibus legibus habet pro motivo virtutem *obedientiæ*; ergo.

2. Non videtur conveniens, quòd *Christianus* contra Legem Ecclesiæ die Veneris moderatè comedens carnes peccet contra temperantiam, & *Carthusianus* die Jovis contra suum votum comedens carnem non peccet contra temperantiam, sed contra fidelitatem tantùm; ergo etiam dicendum, quòd agens contra præceptum Ecclesiæ tantùm peccet contra obedientiam, non contra temperantiam. Consequenter sufficit in confessionali dicere: peccavi contra aliquod præceptum Ecclesiæ in materia gravi.

3. Qui committit adulterium prohibitum lege *divina*, *naturali*, & *politica*, non committit malitiam triplicis speciei, neque tenetur in confessione exprimere, quòd adulterium in sua Provincia sit specialiter prohibitum à Principe; ergo diversæ leges non constituunt diversitatem specificam actus.

4. Qui omittit Sacrum die Dominicò & Festò, agit contra leges specie diversas, id est, tendentes ex diverso motivo formali, & tamen non committit duo specie peccata; ergo &c. *Ant. prob.* Die Dominico motivum legis est cultus *Latriæ*, & die Festo cultus *Duliæ*; ergo.

Respondeo *ad* 1. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* tr. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia in votis Legislator obligans ad observationem voti tantùm attendit ad motivum fidelitatis, non verò ad honestatem materialem actus: econtra in Legibus Ecclesiæ Legislator obligans ad observationem Legum non tantùm attendit ad motivum obedientiæ, sed ad specialem honestatem materialem in quavis lege reperibilem; ad quid enim attendat Deus est quæstio facti, quæ dependet à testibus idoneis de intentione Dei. Cùm ergo Doctores plerique testentur de tali tendentia Legislatoris Divini, ita etiam censendum est; maximè cùm in dubiis Deus Ecclesiæ reliquerit potestatem non solùm explicandi legem, sed etiam determinandi modum legis naturalis, & divinæ in specie infima, ubi est dubia, & indeterminata. Cùm ergo Ecclesia in hujusmodi sensum Doctorum *prædominantem* faciat suum, saltem tacitè, præsertim in objectis indifferentibus ad bonum commune, revera non dabitur alia obligatio in voto, nisi diversitas materiæ petat aliam legem.

Dixi. *Transf. Ant.*; quia non videtur universim id verum esse; quòd omnia vota inducant malitiam ejusdem speciei: neque enim juxta sensum communem satisfaceret in confessione, qui emisso voto continentiæ, ac virginitatis perpetuæ, post violationem illius diceret: sum transgressus aliquod votum in materia gravi. Aliud est, si materiæ votorum in ratione arduitatis, aut honestatis non notabiliter differant in æstimatione communi v. g. votum eleemosynæ, procurationis Missæ, peregrinationis non longæ &c. quamvis censeam, etiam in his à Deo fuisse electam, & acceptatam specialem honestatem materialem in voto reperibilem, & non præcisè generale meritum fidelitatis: in quo casu utique exprimenda esset species voti violati.

Ad 2. tr. a. n. c. & paritatem. Disparitas patet ex dictis.

Respondeo 2. n. a. Cùm probabilius etiam in his, & aliis votis, de quibus proximè dictum est, debeat specificari materia voti, quando censetur à Deo in ordine ad conferendum speciale beneficium specialiter esse acceptata, & attenta honestas, vel arduitas reperibilis in materia voti determinati.

Ad 3. c. a. dist. c. Si leges illæ *inducant* novam obligationem. c. *Si non habeant animum introducendi* novam obligationem. n. c. In hoc enim casu lex divina non intendit introducere novam obligationem supra obligationem naturalem, sed tantùm declarat legem naturalem: multò minùs id intendit lex politica, quæ solum urget observantiam per taxam novæ pœnæ.

Ad 4. n. a. *quoad* 1. *membrum. ad prob.* dist. a. habent talia motiva, tanquam *materialia*. c. *formalia*. n. a. Motivum materiale est, *quod* movet, motivum formale est illa ratio, *sub qua* movet. Sic ergo motivum *formale* Ecclesiæ utroque die est honestas reperibilis in hoc actu Religionis sive mediatè, sive immediatè cedat in cultum Dei. Itaque est eadem ratio formalis tantum in intentione Duliæ, utpote subordinatæ ad cultum Latriæ, quæ est in ipsa intentione Latriæ. Cæterum hunc modum tendendi esse in præcepto Ecclesiæ, sumitur ex sensu Doctorum, qui formant sensum, & consuetudinem in objectis ad bonum commune indifferentibus, seu adiaphoris.

Dices. Ex datis Responsionibus sequeretur, quòd differentia specifica dependeret à judicio Doctorum; sed hoc non potest dici; ergo &c. *Min. prob.* Judicium Doctorum præsupponit differentiam specificam, & aliquam regulam discriminandi species peccatorum; ergo &c.

Respondeo. transf. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. a. præsupponit differentiam specificam in *manifestis*, & in principiis generalibus. c. in *dubiis*. n. a. suppono enim, quòd Legislator tam divinus, quàm humanus suis Præfectis non tantum relinquat jus *explicandi* leges; sed etiam in obscu-

obscuris, aut casibus particularibus, de quibus dubium est, an ad eos extendatur intentio legis, *determinandi*, & *constituendi* legem; & hoc est jus, ut ita dicam, Prætorium etiam in Hierarchia sacra. Cùm enim Legislator non potuerit, vel ob convenientiam noluerit aliquid determinare pro singulis circumstantiis *particularibus*, sed tantum versari circa principia *generalia* morum, ipsa prudentia legislativa, & gubernativa exigit, ut suis Vicariis non solum relinquat *explicationem*, sed etiam *determinationem* legum naturalium, & divinarum. Quòd si hoc jus tribuit suis Vicariis, ex ejus consensu tacito certo poterit etiam regere conscientiam *universalis* sensus Doctorum, vel consuetudo *generalis rationabilis*. Explicatio autem legis tunc solum locum habet, quando lex jam præsupponitur constituta, sed nescitur solum tenor, & intentio legis. Si ergo pro particularibus circumstantiis certum est, nullam dari intentionem legis, frustranea est explicatio. Hinc manet inconcussum axioma, quòd Doctores tenentes unanimiter sententiam in dubiis, & particularibus circumstantiis, in quibus ratio boni communis non manifestè exigit indispensabiliter determinatam legem, *inveniant*, *aut faciant legem*; quod ipsum applicari debet in determinatione differentiæ specificæ; quia determinatio differentiæ specificæ est impositio novæ obligationis videlicet in ordine ad explicationem distinctam in confessione.

Objicitur 6. *contra omnes Conclusiones*. Hæ regulæ differentiæ specificæ in particulari non solvunt difficultates circa quæstiones in hac re controversas; ergo non sunt facilè applicabiles, adeoque nec utiles in praxi, ac proinde nec bonæ. *Ant. prob.* ab enumeratione plurimorum talium peccatorum, de quibus litigatur inter Doctores, utrum differant specie. Catalogum ejusmodi peccatorum recenset La Croix lib. 6. part. 2. à n. 979. usque ad n. 1134.

Respondeo. n. a. Nullæ enim regulæ applicatu faciliores sunt, quàm nostræ. Ratio est; quia in hac nostra sententia constitutio differentiæ specificæ saltem in materiis dubiis, in quibus natura ipsa nil certi exigit ad discriminandas leges, dependet ab arbitrio Legislatoris, adeoque etiam ultimatò ab arbitrio Ecclesiæ, imò & à Doctorum fermè unanimi sensu, ac consuetudine, quæ omnia principia in dubiis possunt ponere, aut tollere differentiam specificam in ordine ad obligationem exponendi illa in confessione. Ut verò pateat, in quibusnam materiis ex nostris regulis facilius possit statui differentia specifica, apponam hic brevem Catalogum peccatorum specie differentium ex sententia nostra, attamen cum communiori Doctorum non diversa.

CATALOGUS
peccatorum specie differentium.

1. Ignorantia mysteriorum fidei, & hæresis.
2. Apostasia, & Infidelitas.
3. Apostasia simplex, & post fidem juratam.
4. Defectio ad Judaismum, Paganismum, aut Hæresin.
5. Dissensiones notabiliter diversæ v. g. Lutheranismus, Calvinismus, Arianismus.
6. Peccatum simplex, & quod est ex motivo, ac confidentia facilis veniæ per confessionem.
7. Inductio alterius ad peccandum contrabit speciem illius peccati determinati, ad quod fit inductio.
8. Id locum habet etiam tunc, quando peccatum est commune utrique; & hinc non sufficit dicere: induxi alium ad peccatum, sed exprimenda est species peccati.
9. Id verum est, etiamsi scandalum sit tantum indirectum, & subsecutum peccatum non fuerit intentum directè.
10. Hinc v. g. in pravis colloquiis, ac obscænis addenda est qualitas personarum audientium, quibus præbetur scandalum v. g. an sint Religiosæ, conjugatæ, solutæ &c.
11. Scandalum Parochi differt à scandalo alterius privati; quia ille ex justitia obligatur ad bonum exemplum.
12. Susurratio, & inimicitiarum procuratio inter propinquos; quia repugnat pietati, saltem si propinquitas illa sit in primo gradu.
13. Divinatio, quæ fit commiscendò sacra profanis.
14. Simonia juris naturalis, & divini à Simonia Ecclesiastica.
15. Blasphemia, quæ fit contra Deum, à blaspbemia, quæ fit contra Beatissimam Virginem aut Sanctos.
16. Perjurium assertorium, promissorium, & execratorium.
17. Votum, quod præcisè fit in honorem Sancti ab eo, quod expressè, & immediatè fit Deo.
18. Votum juratum à non jurato.
19. Odium, detractio, irrisio, contumelia contra *parentes*, *avum*, *proavum*, ab aliis injuriis erga *privatos*.
20. Injuria illata *conjugi* ob specialem obligationem amoris, & reverentiæ.
21. Injuria illata *fratri*, vel *sorori* ob speciale vinculum juris naturalis.
22. Percussio, vel inhonoratio Clerici habens annexam excommunicationem.
23. Transgressio præcepti de se levis in odium Superioris.
24. Injuria contra benefactorem cum speciali ingratitudine.
25. Occisio truculenta v. g. præscindendò membra; quia accedit feritas.
26. Crudelitas erga bruta causa recreationis v. g. assandò, aut excoriandò viva animalia; quia est contra legem humanitatis naturæ humanæ inditam.
27. Publica inhonoratio Ecclesiæ per rixas publicas, percussiones, contumelias &c.
28. Imprecationes in malis *fortunæ* ab imprecationibus in malis *honoris*, *corporis*, *animæ*; si illa mala determinatè intendantur.
29. Delectatio morosa *practica*, seu inclinans,

nans, & inductiva ad actum externum cum persona determinata, vel cum aliis circa objectum specie diversum. Quod etiam dicendum de delectatione sensuali, vel tactu. Si autem delectatio foret tantùm *speculativa*, hoc est, non inductiva ad actum externum, ac inclinans, non est specie diversa. Vide La Croix lib. 6. part. 2. n. 1023. & 1024.

30. Desideria prava juxta diversitatem objectorum.

31. Idque, etiamsi desiderium tantum sit conditionatum sub hac conditione: *si liceret*, suppositò, quòd tale objectum sit lege naturali prohibitum; quia talis conditio non removet malitiam intrinsecam objectivam à propensione in objectum; & quia est consensus absolutus in delectationem objecti tanquam præsentis.

32. Pollutio cum imaginatione personæ, tanquam præsentis.

33. Procuratio pollutionis in altero habente votum, vel in consanguineo saltem primi gradus.

34. Specialis dehonestatio naturæ in modo, & contra morem etiam bestiarum.

35. Fornicatio completa ab incompleta.

36. Impeditio generationis.

37. Sollicitatio pœnitentis facta à Confessario in ipso Sacramento, vel paulo post; aut quia audivit ex Confessione, personam facilè esse seducendam.

38. Attentata fornicatio impotentis, frigidi, vel Eunuchi.

39. Stuprum.

40. Raptus.

41. Adulterium duplex à simplici.

42. Tactus conjugati, & oscula.

43. Tactus, & oscula obscœna obligati votò cum obligato.

44. Abusus rei Sacræ, aut verborum Scripturæ ad turpia.

45. Talium tractatio statim post Missæ celebrationem, aut communionem.

46. Aut in Templo.

47. Aut cum propinquis ex cognatione spirituali.

48. Aut cum consanguineis, & affinibus in primo gradu.

49. Incestus in primo gradu ab incestu in secundo vel tertio gradu.

50. Aut in linea recta.

51. Pollutio, Sodomia, bestialitas.

52. Aut peccatum cum dæmone.

53. Rapina à furto.

54. Ablatio Rei Sacræ.

55. Detractatio scandalosa, vel damnosa.

56. Contumelia in faciem.

57. Confectio Sacramenti in statu peccati mortalis.

58. Vel receptio.

59. Communicare in mortali, & insuper sine jejunio naturali, quod contrahit duplicem speciem malitiam.

60. Consecrare, ac communicare simul.

In his omnibus patet, facilè posse applicari Regulam nostram, quòd nempe differentia specifica peccatorum habeatur ex oppositione ad diversas leges, seu tales, quarum motiva formalia sunt diversa. In aliis autem hic non enumeratis differentiis, in quibus Doctores litigant, nec multum prævalet in unam partem communior, in praxi non est urgenda expressio specifica in confessionali, præsertim in sexto præcepto; imò nisi sit gravis præsumptio, pœnitentem facilè potuisse peccare in determinata specie, eò quòd frequenter in ejusmodi personis soleat sic peccari, nec sunt explorandæ exactè omnes species infimæ, sed relinquendæ sunt dictamini pœnitentium, qui si putent, non esse necessariam majorem explicationem, vel si non cogitant de singulis speciebus infimis, facilè lotum habere potest excusatio, & ignorantia invincibilis. Ratio est; quia Christus, & Ecclesia in similibus habent potestatem in speciebus infimis determinandi materiam Sacramenti, ut proin, si Ecclesia velit in tali circumstantia non exquiri expressionem quarumvis specierum infimarum, revera non exigatur à Christo. Vide dicta in Tractatu *de Actibus humanis*. Disp. 1. §. 4. qq. 3. 4. 5. & 6.

QUÆSTIO IV.

Qualis sit Regula differentiæ numericæ Peccatorum?

NOTANDUM 1. Quæstioni huic locum dedit obligatio confitendi omnia mortalia numero distincta, atque in illis exprimendi numerum peccatorum. TRIDENTINUM Seß. 14. Can. 7. de hac obligatione loquens ait: *Si quis dixerit, necessarium non esse jure divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, anathema sit.*

NOTANDUM 2. Non esse quæstionem de distinctione numerica *physicè tali*, sed *moraliter* tali; quia manifestum est, plures actus physicè inter se distinctos coalescere in unum moraliter numerò peccatum. Sic, qui patrat homicidium, priùs habet propositum, dein præparat arma, ingreditur viam, sæpiùs iterat propositum, constituit se in insidiis, & plurimos elicit actus desiderii, & consilii pravi, donec tandem compleat, quod proposuerat. Quæritur proin, an tali in confessione sufficiat dicere: *Occidi per insidias inimicum.*

NOTANDUM 3. Aliqua objecta actuum peccaminosorum esse *disparata*, seu *totalia*, alia verò esse *cohærentia*, seu *partialia*. Objecta COHÆRENTIA seu PARTIALIA sunt, quæ ex sua natura petunt, vel ex usu hominum solent uniri, & conjungi. Id autem solet contingere, quando plura objecta habent rationem mediorum ad finem, vel rationem proprietatum concomitantium, & subsequentium in ordine ad actum moraliter completum. Sic à pari juxta D. THOMAM hic quæst. 72. art. 7. C. in ædificio positio fundamenti, erectio parietis, & impositio tecti ordinantur ad unum totum, quod est domus: sic & in furto nocturno extinctio lucernæ, applicatio scalæ, apertio fenestræ, asportatio crumenæ ordinantur ad unum totum, quod est furtum. Singula hujusmodi objecta vocantur *partialia*,

tialia, ipsum verò complexum omnium vocatur objectum *totale*. DISPARATA seu TOTALIA objecta sunt, quæ ex sua natura, vel usu hominum non ordinantur ad invicem v. g. si quis ad patrandum securius furtum occidat domesticos, ipsum *homicidium*, & *furtum* vocantur objecta *disparata*; quia unum non solet esse ordinarium medium ad alterum, adeoque nec ex natura sua, nec ex consuetudine regulariter connexa sunt.

NOTANDUM 4. Aliquos actus esse inter se *continuos*, & alios *interruptos*. Sic qui per integram horam secum init rationem committendi furti, elicit quidem actus physicè plures circa idem objectum, omnes tamen illi actus sunt CONTINUI. Econtra si durante hôc propositô comedat, dormiat, vel alia negotia suscipiat, & postmodum prius propositum resumat, actus illi dicuntur INTERRUPTI. Quòd si interruptio suscipiatur sponte v. g. studium, vel non urgens negotium, dicitur *interruptio voluntaria*. Si verò non sponte suscipiatur, sed urgente necessitate vel officii, vel naturæ, dicitur *interruptio necessaria*; & talis fit per somnum, mensam, negotium urgens &c. Discrimen inter utramque interruptionem est, quòd in priori animus censeatur quiescere à priori præposito, ac cessare, non autem in posteriori; eò quòd invitus abstrahatur à priori consilio, nec sponte deponat, sed tantùm seponat consilium. Alii interruptionem *liberam* sic explicant, ut sit illa, quæ liberè assumitur v. g. somnus voluntarius, aut mensa: econtra interruptionem *necessariam* vocant illam, quæ non est in potestate hominis, ùt si quis opprimitur somnô.

NOTANDUM 5. Præterea alia est interruptio *physica*, & alia *moralis*. PHYSICA est, quæ datur, dum actus vel per unicum momentum ad alia objecta distrahitur retentô animô resumendi actum interruptum. MORALIS est, dum ex circumstantia temporis vel ex natura actus intelligitur, priorem voluntatem hic, & nunc deponi, aut quiescere sine animo resumendi actum.

NOTANDUM 6. Interruptionem aliquando fieri cum retractatione peccati *formali*, vel *virtuali*, vel *interpretativa*: ùt si quis concipit propositum serium diligendi inimicum, ac denuò postmodum incipiat odisse, vel si exhibeat actus reconciliationis externos sine odio; in tali enim actu datur *interpretativa* retractatio prioris odii.

NOTANDUM 7. Aliquando *actum* esse *unum* in se, & tamen *objecta* esse *plura*. v. g. si quis unico ictu occidit plures; vel si unica detractione detrahit pluribus. In tali casu subjectum denominationis in homicidio est potiùs passio, quàm actio; quia homines attendunt potiùs ad objectum, seu homicidium passivum, quàm ad homicidium activum, hoc est, potius attendunt ad damnum datum, quam ad causam: concretum autem denominationis est actus internus, seu actio voluntatis libera.

DICO I. Actus physicè unus est moraliter multiplex juxta numerum subjectorum denominationis *totalium*. *Sensus est*, quòd, si objecta allcujus actionis non habeant quamdam unionem moralem, connexionem, seu coordinationem, eo ipso debeat explicari numerus objectorum.

PROBATUR Conclusio. In moralibus multiplicantur concreta juxta multiplicationem materiæ non tantùm *subjectivæ*, sed etiam *objectivæ* eo modo, quo fit in naturalibus; ergo, etiamsi detur una physicè forma denominans, ac malitia formalis actus unica, nihilominus peccata erunt plura numero.

CONFIRMATUR. Omnes, etiam Adversarii fatentur, quòd in occisione trium hominum per unam actionem v. g. explosionem sclopeti debeat explicari numerus occisorum; nec est ulla ratio statuendi hanc obligationem, si non ponatur distinctio numerica peccatorum in hoc casu. Ergo.

DICO II. Actus continui circa objecta regulariter *cohærentia*, & coordinata ad unum finem sunt unum numerô moraliter peccatum. Ita communis.

EXPLICATUR Conclusio. Sic v. g. præparatio armorum, ingressio viæ, & ipsa occisio habentur pro uno numerô peccato. Similiter in fornicatione colloquia prava, tactus antecedentes, & subsequentes cum actu principali habentur pro uno numero peccato, & sufficit pœnitenti dicere: *occidi hominem*, vel: *fornicatus sum*.

PROBATUR. In similibus actibus datur unitas materiæ, & unitas formæ constitutivæ peccati; ergo datur unum peccatum. *Ant. prob.* In similibus datur ex parte materiæ ordinatio, & subordinatio partium ad invicem, & ex parte actus interni datur unitas intentionis virtualiter perseverans in omnibus actionibus; ergo etiam datur unitas peccati, quia concreta multiplicari non possunt sine multiplicatione materiæ, aut formæ.

DICO III. Actus physicè plures circa objecta *disparata* sunt plura peccata; v.g. si quis in furto committit homicidium, erunt duo numerô peccata. Aut si postmodum committat furtum in Ecclesia, aut novum, erit distinctum numerô peccatum.

PROBATUR Conclusio. In tali casu dantur plura subjecta denominationis *totalia*, nec ex natura sua, nec ex usu communi regulariter connexa; ergo dantur plura concreta.

DICO IV. Interruptio *moralis* actus cum retractatione tacita, vel expressa constituit plura numerô peccata.

PROBATUR Conclusio. Stante tali interruptione cessat actus moraliter esse continuus; ergo fit multiplex.

DICO V. Actus interruptio per qualemcunque cessationem sive *liberam*, sive *necessariam* constituit novum peccatum etiam moraliter, quandocunque ponitur nova malitia actus interni.

PROBATUR Conclusio. Concreta moralia multiplicantur, quandocunque cessat vel unitas materiæ physicè, vel etiam, quando ponitur solùm nova forma; atqui in casu posito vel cessat continuitas materiæ, aut saltem ponitur nova physicè malitia ipsius actus; ergo multiplicatur peccatum. Nec est paritas cum concretis naturalibus,

ralibus, ubi multiplicatio solius formæ non anget activitatem totius; nec enim redditur murus albior, si in eo sunt duæ albedines in ordine ad activitatem in oculum, quàm si ponatur unica; nec fortius aget calidum, si sint duo gradus homogenei caloris in subjecto, quam si unus tantum, prout suppono ex Philosophia. Econtra longè alius est effectus, si voluntas post cessationem aliquanto tempore interpositô redeat ad eundem actum.

DICO VI. Malitia tamen nova ista interna, ac physica, adeoque & numerus peccatorum internorum sufficienter explicatur per naturam, duratiouem, aut aliam circumstantiam actus externi, cui regulariter ille numerus inest.

Explicatur Conclusio. V. g. Si quis dicat, se perseverasse in inimicitia per hebdomadam, mensem &c. Sufficienter explicatur numerus actuum internorum quamvis interruptorum sive *liberè*, sive *necessariò*. Idem contingit, si quis confiteatur homicidium, aut fornicationem præmeditatam per mensem, annum &c. Sufficienter fatetur malitias internas plures, quamvis interruptas, & etiam moraliter numerô distinctas: non quòd sit ille numerus accuratus; sed quia plus non requiritur ad obligationem sacramentalem.

Probatur 1. Ecclesia potest determinare obligationem exprimendi numerum peccatorum quoad casus particulares juxta regulas prudentiæ legislativæ; sed eam actu determinat eo modo, quo in conclusione dictum est; ergo. *Min. patet* ex consuetndine Ecclesiæ, & sensu Doctorum, qui v. g. in homicidio, odio &c. solum requirunt expressionem temporis, quo quis in ea voluntate perstitit. *Maj.* autem *supponitur* ex Tractatu *de Pœnitentia.* Disp. 2.

Probatur 2. Ecclesia ne quidem exigit explicationem malitiæ specie distinctæ, quando explicatur actus, & circumstantia, cui regulariter illa species inest; ergo neque exigit explicationem malitiæ numero distinctæ, si istajam inest naturæ, aut cirmcumstantiæ actus sufficienter expositæ. *Ant. prob.* Quando quis dicit, se in rixa occidisse hominem, non tenetur explicare verba contumeliæ, imprecationis, odium internum, mutilationem, vel vulnerationem gravem præviam: & quando quis confitetur congressum in duello, non tenetur explicare numerum illatorum vulnerum, interruptiones ob acclamationem spectantium, deprecationem vulnerati, colloquia, & incidentes protestationes &c. quæ omnia habent plures malitias etiam specie distinctas, quod ipsum contingit etiam in fornicatione, & in aliis materiis peccatorum connexis; ergo, etiamsi in objectis regulariter connexis actus physicè interrupti fuerint, ita, ut etiam moraliter constituantur plures numero malitiæ, non tamen datur obligatio incundi earundem calculum specialem in facie Ecclesiæ, nisi solùm per expressionem naturæ, & circumstantiæ actus, cui regulariter insunt.

Probatur 3. Ecclesia habet potestatem determinandi materiam Sacramentorum quoad speciem infimam: & ratio prudentiæ legislativæ exigit, ut non requiratur alia recensio numerica peccatorum circa objecta connexa, nisi per naturam, ac circumstantiam actus, cui regulariter insunt; ergo. *Ant. quoad* 1. *membrum supponitur* ex Tract. *de Pœnit.* Disp. 2. *quoad* 2. *membrum probatur.* Si requireretur exactior recensio, confessio fieret planè tortura, & carnificina per obligationem inquirendi in distinctionem actuum internorum moraliter incomprehensibilem, vel in distinctionem moralem actuum externorum dependentem à varia æstimatione prudentum; ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *contra* 1. *Conclusionem* 1. Si idem actus contineret plures numero malitias, tunc qui unicô furtô aufert decem aureos, committeret decem peccata mortalia; sed hoc est falsum; ergo. *Maj. prob.* quilibet aureus habet de se quantitatem sufficientem ad constituendum mortale, sicut homicidium; ergo.

2. Sequeretur, quòd abigens gregem ovium committat tot peccata, quot sunt oves; sed hoc non potest dici; ergo.

3. Quòd Theodosius unô imperiô occidens septem millia hominum commisisset tot homicidia, & peccata; sed; ergo.

4. Quòd Princeps uno consensu in bellum injustum obligaretur in confessione ad exprimendum numerum occisorum; sed hoc est impossibile; ergo.

5. Quòd detrahens Ordini, vel Monasterio debeat indagare in numerum damnificatorum quoad honorem; sed; ergo.

6. Quòd fur deberet indagare, ad quot personas pertinuerint res ablatæ.

7. Quòd frangens jejunium deberet dicere, utrùm comederit nnum, vel duos pullos gallinaceos; sed hoc est falsum; ergo.

Respondeo *ad* 1. n. *Maj ad prob.* dist. a. ita tamen, ut sufficientia illa hic & nunc non sumatur seorsim per modum objecti *totalis.* c. secus, n. a. Aureus enim in cumulo non constituit objectum totale totalitate *antecedente* actionem peccaminosam; sicut tamen constituit objectum totale cujuslibet vita hominis occisi.

Ad 2. et eadem responsio.

Ad 3. & 4. n. sequelas; quia hæc enumeratio distincta est moraliter impossibilis: circiter autem jam explicatur jura numerus per ipsam circumstantiam stragis hominum aliunde per famam notæ, aut belli aliunde publicè noti.

Ad 5. n. sequelam; quia talis detractio non afficit jura singulorum ùt separata, sed ùt conjuncta, sicque non præjudicat singulis ratione sui, & per se, sed ùt membris communitatis, adeoque non habet singulos pro objecto *totali.* Aliud est, si detrahitur pluribus præjudiciô personali, & tanquam objectis *disparatis*, ac non connexis inter se per modum unius familiæ.

Ad 6. Id concedo, si habet rationem probabilem suspicandi, quòd res ablatæ pertinuerint ad plures.

Ad 7. n. sequelam; quia partes convivii, aut refectionis non sumuntur seorsim per modum objecti totalis.

Obji-

Objicitur 2. *contra eandem* 1. Distinctio numerica est tacita aliqua obligatio ad exprimendum numerum peccati; sed talis non datur in casu conclusionis; ergo &c. *Min.prob.* Sententia opposita est probabilis; ergo &c. *Ant. prob.* Eam tenent Lugo, Tamburinus, Gobat, Illsung, Stoz, Gonsalez, Velasco, Martinus de S. Josepho, Leander de SS. Sacramento, Berizelli, Megala, Ferandinus, Pontius &c. Ergo.

2. Si iste numerus deberet exponi, tunc ideo, quia æquivalet moraliter pluribus; sed hæc ratio nihil probat; ergo &c. *Min. prob.* Etiam actus odii durans per duas horas æquivalet pluribus, imò tot actibus, quot reperiuntur instantia temporis. Idem est de actu concupiscentiæ continuato, & tamen non debent necessariò exprimi instantia temporis; ergo.

Respondeo *ad* 1. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. a. Sententia opposita est probabilis *speculativè*. tr. *practicè*. n. a. Juxta plerosque enim ex Adversariis ad hoc, ut possit explicari natura illius actus, debet exprimi numerus occisorum, si commodè possit sciri. Et huic responsioni etiam favet sensus fidelium.

Ad 2. n. *Maj.* Ratio enim nostra est; quia in hoc concreto, quod est homicidium, multiplicatur materia concreti, quod non fit in talibus actibus internis continuis, nunquam physicè completis durante inquisitione ante cessationem ipsorum actuum.

Objicitur 3. *contra eandem* 1. Voluntas dandi eleemosynam decem personis, aut infinitis non habet bonitates distinctas decem, aut infinitas; ergo etiam voluntas occidendi, vel spoliandi decem, non habet tot malitias.

2. Si actus contraheret malitias juxta numerum objectorum, tunc malitia actus, quo quis vult evertere turrim cum præsidio, cujus numerum ignorat, esset essentialiter inexplicabilis; sed hoc est absurdum; ergo.

Respondeo *ad* 1. Voluntatem efficacem, & practicam dandi eleemosynam decem determinatis pauperibus moraliter æquivalere totidem actibus. Sed id non contingit, si quis vult dare eleemosynam infinitis; quia ea voluntas nec est *efficax*, nec *practica*, sed voluntas tantùm *complacentiæ*, & præparationis animi. Hinc *quoad* 1. *membrum* conceditur paritas. Ex quo autem sic infertur: sicut voluntas *efficax*, & practica dandi eleemosynam decem pauperibus coram Deo idem meretur præmium, quod mereretur ipse actus, si poneretur; ita quoque fatendum, apud Deum mereri eandem pœnam, qui habet propositum de se *efficax* occidendi decem homines, quam mereretur, qui actu decem occidit. Hinc debet etiam explicari in confessione voluntas occidendi decem; quia alioquin non explicaretur sufficienter malitia actus.

Ad 2. n. *Maj.* Quia talis actus habet malitiam correspondentem stragi hominum ut cognitæ in confuso: & sic non esset malitia determinati numeri, sed multitudinis, cujus expressio pertinet ad differentiam numericam peccatorum.

Objicitur 4. *contra reliquas Conclusiones.* Ex datis principiis non possunt convenienter resolvi sequentes Casus, nec dici, quot committantur peccata; ergo datæ regulæ pro discernendo numero peccatorum sunt inutiles. *Ant. prob.*

1. Si quis toto anno perseveret in odio nunquam retractato.
2. Si meretrix perseveret pluribus annis in quæstu meretricio.
3. Si eadem sit parata se prostituere pluribus.
4. Si quis tota quadragesima habeat voluntatem non jejunandi.
5. Si quis tantum per aliquot horas perseveret in desideriis furti, homicidii &c.
6. Si quis dimidium diem insumat in furtis, ebrietate, lasciviis &c.
7. Si quis in rixa, & ira proferat plures blasphemias, contumelias, perjuria &c.
8. Si Sacerdos in statu peccati mortali consecret simul mille hostias.
9. Si idem uno actu continuo, vel parum interrupto centum personas absolvat.
10. Si idem legat tres Missas in Nativitate Domini.
11. Si idem centum personis Eucharistiam dispenset.
12. Si quis per viginti annos differat restitutionem, vel actum dilectionis Dei &c.
13. Si quis frangat votum pluries à se renovatum.
14. Si quis dubitet de tribus fidei articulis simul uno actu.
15. Si quis uno actu blasphemet in tres divinas perfectiones, omnipotentiam, justitiam, providentiam.
16. Si quis uno actu oderit tres homines.
17. Si quis uno actu tria diversa mala imprecetur, v.g. paupertatem, infamiam, morbum.
18. Si quis uno actu velit alteri eripere injustè tria regna, vel dominia.
19. Si quis calumnietur alterum in tribus materiis diversis.
20. Si quis eidem detrahat in una quidem materia, sed apud tres homines.
21. Si quis uno actu statuat omittere omnes horas Canonicas diurnas.
22. Si quis incipit legere obscœnum librum, & facta admonitione deliberet, ac postmodum iterum pergat.
23. Si quis insidietur hosti in via, animo illum occidendi; ibi verò comperiat, hostem primum post mensem transiturum, sicque renovet voluntatem occidendi post mensem.
24. Si quis constitutus in proposito furti audiat concionem contra furtum, & facta concione in proposito pergat.
25. Si quis ex tædiu, vel lassitudine desistat à proposito, paulò tamen post resumptis viribus redeat in eundem actum.
26. Si quis in prosecutione affectus peccaminosi casu interrumpitur, & dein statim resumit affectum. Hi omnes casus non possunt convenienter resolvi ex datis principiis; ergo.

Respon-

Respondeo. n. 2. & dico.

Ad 1. Debere explicari circumstantiam temporis, nempe perseverantiæ annuæ; ex hac enim circumstantia sufficienter juxta intentionem Ecclesiæ explicantur actus intermedii. Neque enim Ecclesia prudenter obligaret ad discutiendum, aut confitendum accuratè numerum actuum internorum in ejusmodi diuturna perseverantia interruptorum aut physicè, aut moraliter.

Ad 2. 3. & 4. idem respondeo.

Ad 5. & 6. Dico, similiter explicandam esse durationem temporis, si probabile sit actus internos intra hoc exiguum spatium temporis fuisse interruptos.

Ad 7. Eadem est responsio.

Ad 8. 9. & 11. Dico, committi probabilius tantùm unum peccatum; quia subjectum denominationis, quod denominatur peccaminosum, non est consecratio, Eucharistiæ dispensatio, absolutio *passivè* spectata, sed *activè* spectata. Si ergo non multiplicatur subjectum denominationis, nempe ipsa actio, quæ utique in se una est *physicè*, vel ob continuationem *moraliter*, non erit multiplex malitia. Simile est in actu judiciali continuo, cujus omnes partes coordinantur ad unum actum judicialem totalem.

Ad 10. Respondeo, esse sex peccata; tria ob tres consecrationes; & tria ob tres indignas communiones.

Ad 12. Dico, explicandam esse circumstantiam temporis.

Ad 13. Dico, esse unum peccatum; quia subjectum denominationis, & forma denominans est una, nempe votum, cui accedit renovatio, & infractio.

Ad 14. & 15. Dico, committi unum peccatum; quia subjectum denominationis, quod immediatè substat attentioni hominum in *recto*, est veracitas Dei, vel honor divinus læsus, quamvis illi in *obliquo* respiciant varios articulos fidei, & perfectiones varias divinas.

Ad 16. Dico, committi tria peccata; quia subjectum denominationis, quod substat attentioni hominum est jus alienum læsum: cùm ergo lædantur trium hominum jura, etiam peccatum erit triplex.

Ad 17. Dico, committi unum peccatum; quia subjectum denominationis non est violatio sanitatis, famæ, aut bonorum fortunæ, sed violatio benevolentiæ debitæ erga proximum, quæ benevolentia tantum in obliquo respicit illa tria bona, vel mala.

Ad 18. Dico, peccata fore diversa, si jura regnorum sunt diversa, si autem jus ad omnia tria est ejusdem rationis, & fundamenti, erit unum tantum: nam subjectum denominationis peccaminosum est *jus alienum violatum*; ergo, si non multiplicantur jura, eo ipso erit tantum unum objectum totale adæquatum, nempe jus trium regnorum.

Ad 19. Dico, unum esse peccatum; quia tantum in *recto* violatur jus ad famam, quæ in *obliquo* respicit varios fontes.

Ad 20. Dico, explicandum esse numerum audientium. Ratio est; quia subjectum denominationis, quod immediatè substat attentioni hominum, non est jus activum ad famam, sed jus passivum in singulis hominibus: cùm ergo hoc violetur, sicut sunt plura jura in pluribus hominibus passiva, quæ violantur, ita erunt plura peccata. Multi tamen in hoc puncto sentiunt oppositum.

Ad 21. Dico, unum esse peccatum; quia juxta communem æstimationem hæ partes ordinantur ad unum totum, quod est Breviarium diurnum, adeoque non sunt objecta totalia. Alii tamen multi tenent oppositum.

Ad 22. Dico, fore unum peccatum; quia ea suspensio actus non est *absoluta*, sed conditionalis, vel *deliberativa*, & sic datur adhuc physica continuatio, ac virtualis perseverantia primæ intentionis peccaminosæ.

Ad 23. Dico, fore novum peccatum; quia prior intentio per frustrationem propositi censetur completa, aut sublata, adeoque suscipitur novum propositum, prout Luoo existimat; nec prior intentio efficaciter, ac virtualiter influit in novum propositum, nisi fuisset prius propositum ita absolutum, ut statuerit occidere hostem, quocunque tempore inveneret. Et eatenus deberet explicari circumstantia temporis, quo quis perseveravit in proposito ad explicandum numerum probabilem actuum internorum.

Ad 24. Dico, dari novum peccatum; quia, ubi datur retractatio peccati, incipit post resumptum peccatum novum peccatum; ergo etiam, ubi deberet dari retractatio, incipit novitas malitiæ; consequenter malitiose excusso stimulo conscientiæ retractandi peccatum, censetur fieri novum desiderium peccati prorsus eo modo, ac si quis post deliberationem jam conclusam non peccandi peccaret de novo.

Ad 25. Dico, si actus ex sua natura talis sit, ut ad illum non soleat rediri, tunc intentio nec absolutè, nec deliberativè virtualiter extenditur ad secundum actum; adeoque primus actus censetur ex sua natura completus, & secundus censetur novus. Aliud est, si facilè soleat rediri, ut in convivio ad iteratum usum cibi prohibiti tempore jejunii.

Ad 26. Dico, si actus ex sua natura, aut intentione agentis prima non ordinantur ad invicem, eos fore plura numero peccata per interruptionem etiam *casualem*, & hoc maximè contingere circa actus internos. Aliud verò est, si ex natura sua petunt continuationem: ideoque in his posterioribus non est necesse apponere circumstantiam durationis; in prioribus verò id necesse est, si aliunde non possit clarè, & certò facilè iniri numerus talium actuum internorum, quo casu deberet exprimi & numerus. Responsiones bucusque conformiter ad nostras regulas datæ pleræque sunt etiam conformes communiori opinioni Doctorum.

DISPUTATIO III.

De Causa, & Effectu Peccati.

In hac Disputatione erunt sequentes Quæstiones:

1. An Deus sit Author peccati?
2. In quo consistat macula per peccatum relicta?
3. An reatus pœnæ, & culpæ distinguantur?
4. An peccatum mortale mereatur pœnam æternam etiam sensus?
5. Quæstiunculæ circa varia dubia de causa & Effectu peccatorum?

QUÆSTIO I.

An Deus sit Author peccati?

NOTANDUM 1. Duplici modò posse institui quæstionem; an Deus fit Author peccati *moraliter* videlicet, vel *physicè*? MORALITER Deus esset causa peccati, illud suadendò, præcipiendò, vel non impediendò, dum potest, & tenetur. PHYSICE verò esset Author peccati, producendò ipsam malitiam peccati, seu determinandò physicè voluntatem ad eandem malitiam.

NOTANDUM 2. *Calvinum*, *Zwinglium*, *Lutherum* &c. crudè professos esse, quod Deus fit Author peccati, sicut Author est aliorum effectuum naturalium; quia videlicet Deus physicè prædeterminat ad omnes actus, prout fusè legi potest in BELLARMINO *de Peccatis*.

THOMISTÆ verò, qui defendunt, Deum physicè prædeterminare ad omnes actus, negant quidem, Deum esse Authorem peccati, sed in modo explicandi non conveniunt. Aliqui enim cum GONETO hic Disp. 6. art. 3. §. 1. dicunt, Deum tantùm determinare ad actus in ratione entis, eum verò non attingere alias formalitates defectivas in actu reperibiles, nisi sub ratione *entis*. Econtra alii, inter quos P. MEZGER hic Disput. 23. art. 3. dicunt, Deum non præscindere ab aliis formalitatibus, sed etiam eas attingere non tantùm sub ratione entis, sed etiam sub aliis formalitatibus. Sic enim habet citatus Author: *Colliges tertiò contra Gonetum, rationem fundamentalem, cur Deus physicè præmovendò ad actum peccati non tamen causet formalem malitiam peccati, non esse, quòd infinita sua causalitate in nostris actibus ex duabus formalitatibus inter se identificatis unam ab alia possit præscindere, sed quòd in ratione actus reperiatur formalis terminus divinæ omnipotentiæ, & causalitatis, quæ est ratio entis ùt sic, non autem reperiatur formalis malitia peccati, quæ est extra totum genus entis, ac solùm infrà genus privationum moralis defectus reperitur.* Verùm an hæc differentia in Goneto, & ejus Compendiatore sit tantùm nominis, nolim litigare.

DICO I. Deus non est causa moralis peccati.

PROBATUR Conclusio. Deus prohibet peccatum, quantum est ex parte sua; & quantum est ex parte hominis, non tenetur illud impedire; ergo non est causa moralis.

Ant. quoad 1. *patet* ex Scriptura. Sic Psalm. 5. v. 5. dicitur: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* & Sap. 14. v. 9. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus. Quoad* 2. *prob.* Exigit providentia Conditoris, & justitia tribuentis cuique jus suum, ut permittat creaturam rationalem operari juxta conditionem suæ naturæ liberæ, vel in exercitium divinæ misericordiæ, aut vindictæ; ergo.

CONFIRMATUR exemplò, quod dat D. THOMAS hic quæst. 79. art. 1. C. ubi dicit, Gubernatorem navis non dici causam *moralem* submersionis ex eo, qaòd non gubernet navim, nisi quando cessat à gubernatione eo tempore, quo potest, & debet gubernare. Jam verò Deus, tanquam gubernator universalis non tenetur in particulari ob bonum commune impedire malitiam privatam: sicut & gubernator non tenetur impedire projectionem mercium ob bonum totius navis.

DICO II. Deus causat materiale peccati.

PROBATUR Conclusio. Materiale peccati est ens; sed omne ens causat Deus; ergo &c. hæc est ratio D. THOMÆ hic quæst. 79. artic. 2. C.

DICO III. Deus non determinat in materiali peccati ad rationem *specificam* actus, sed tantùm ad rationem entis *genericam*.

PROBATUR Conclusio 1. Potest sic Deus determinare, ut detur mutua naturæ prioritas inter determinationem Dei determinantis ad rationem entis, & inter determinationem creaturæ determinantis ad gradum specificum: & hæc suppositio sola congruit perfectionibus divinis, & naturæ humanæ liberæ: ergo datur. *Ant. supponitur* ex Philosophia *de Anima*, & ex Tract. *de Deo.* Disp. 6.

PROBATUR 2. Auth. D. THOMÆ hic loc. cit. ubi dicit, Deum in ordine ad peccatum se habere eo modo, quo se habet anima quoad claudicationem tibiæ, ad quam determinat per modum principii moventis; atqui anima non determinat ad gradum specificum hujus motus curvi, sed tantùm ad rationem genericam motus progressivi; ergo & Deus sic determinat ad rationem genericam entis.

PROBATUR 3. Si Deus determinaret ad gradum specificum actus peccaminosi, cui accidit formale peccati, seu defectus ordinis ad ultimum finem, non posset intelligi, quin esset Author ipsius malitiæ; sed hoc implicat; ergo &c. *Maj. prob.* Si anima simul esset causa tibiæ, & dispositionum omnium, ex quibus oritur curvitas, eo ipso esset causa curvi incessus, & curvitatis: similiter, si quis in lucerna locò lucis ponit lapidem, eo ipso est causa tenebrarum: & si

& si quis esset causa & calami, & atramenti, & chartæ defectuosæ, eo ipso etiam esset causa scriptionis defectuosæ; ergo idem esset, si Deus determinaret non solùm ad gradum genericum entis, sed etiam ad gradum specificum ipsius actus.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra Conclusionem* 1. Deus dicitur creasse, & fecisse omnia mala; ergo & peccatum. *Ant. prob.* Isai. 45. v. 7. dicitur: *Faciens pacem, & creans malum.* Et Amos. 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Ergo.

2. Deus dicitur decrevisse actus peccaminosos; ergo & peccata. Sic Genes. 45. v. 8. ubi est sermo de venditione Josephi, dicitur: *Non vestrò consiliò, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et Act. 4. v. 27. & 28. ubi est sermo de crucifixione Christi; dicitur: *Convenerunt facere Judæi, quod manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Ibidem c. 2. v. 23. *Hunc* (Jesum) *definitò consiliò & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.*

3. Deus utitur peccatò tanquam mediò ad suum intentum, & ad finem præstabilitum; ergo &c. Sic 1. Reg. 2. v. 25. de Heli filiis dicitur: *Non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.*

4. Deus dicitor aliquos prædestinare in eorum creatione ad damnationem; ergo intendit eorum peccata tanquam medium ad finem. *Ant. prob.* Proverb. 16. v. 4. habetur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Et ad Rom. 9. Deus dicitur facere *aliqua vasa in contumeliam.* Item Sap. 14. v. 11. *Creaturæ Dei in odium facta sunt.* Ergo.

5. Deus dicitur præcipere peccata. Sic 2. Reg. 16. v. 10. dicitur: *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Et Joan. 13. v. 27. Christus ait ad Judam: *Quod facis, fac citius.* Et 3. Reg. 22. Dominus dicit: *Quis decipiet Achab? & stetit Spiritus coram Domino, & ait: ego decipiam illum, & dixit Dominus: egredere, & fac ita.*

6. Deus est Author indurationis, & excæcationis hominum; ergo & peccati. *Ant. prob.* Exod. 7. dicitur: *Indurabo cor Pharaonis.* Et Isai. 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Item Isai. 63. v. 17. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis? indurasti cor nostrum, ne timeremus te.* Et ad Rom. 9. v. 18. *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Ergo.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Deus dicitur fecisse omnia mala *pœnæ.* c. mala *culpæ.* n. a. Ex contexto enim patet, sermonem ibi esse de pœnis, & punitione peccatorum per pestem, famem &c.

Ad 2. dist. a. Deus dicitur decrevisse actus peccaminosos decretò *consequente* ad suppositionem, & prævisionem peccati. c. *Antecedente.* n. a. Ex suppositione enim peccati Deus decernit aliqua fieri sub modo, vel ex ordine ad determinatum finem. Sic venditionem, & crucifixionem Christi ùt præstabilitam à Judæis ipse decrevit usurpare ad determinatum finem.

Ad 3 dist. a. Deus utitur peccatò tanquam mediò ad finem intentum *permissivè.* c. *præceptivè.* n. a. Permittit nonnunquam Deus aliqua peccata, nec ab iis per gratiam specialem præmunit; quia decrevit ob antecedentia peccata infligere determinatam pœnam, à qua non vult hominem liberare per specialia auxilia.

Ad 4. n. a. *ad prob.* dist. a. Dicitur talia facere decretò *permissivo.* c. *electivo.* n. a. Deus impium creat permittendò illi libertatem, cujus abusus fiet objectum divinæ justitiæ, & contumeliæ.

Ad 5. dist. a. Dicitur aliqua præcipere, sumendò præceptum pro *permissione.* c. pro *lege.* n. a. Sic, ubi Matth. 19. & Marci. 10. dicitur, Moysen *præcipisse* dare libellum repudii, manifestum est, ibi sermonem esse de *permissione.* Idem quoque clarum est circa illum spiritum mendacii, qui se ultrò obtulit ad decipiendum, & tantum petiit permissionem. Similiter Christus dicit, se non jam impedire velle insidias inimicorum, sicut prius impedierat, quando *nondum venerat hora;* & hoc voluit dicere per illa verba: *fac citius.* Potest etiam dici, præceptum in similibus denotare tantùm ordinationem puram rei ad suum finem *quoad modum,* præsuppositâ tamen liberâ determinatione ejusdem *quoad substantiam:* sic si quis determinat se ad furandum, potest quia furem determinare ad furandum potiùs diviti, quàm valde pauperi &c.

Ad 6. dist. a. Deus est Author indurationis, & excæcationis, *subtrahendò lucem,* & gratiam indebitam. c. *positivâ* determinatione ad peccatum. n. a. Sicut qui subtrahit solem, causat tenebras, & frigus, & glaciem; ita DEUS subtrahendo gratias indebitas facit, ut homo operetur opera tenebrarum, & fit iners ad bonum, eò quòd homo suis viribus relictus per gratiam ordinariam non soleat, aut certè prævideatur non operaturus salubriter.

OBJICITUR 2. *contra eandem* 1. Deus vult peccata; ergo etiam causat. *Ant. prob.* Peccata cadunt sub providentia, & ordinatione Dei; ergo illa vult.

2. Deus vult pœnitentiam; ergo & peccata, sine quibus illa dari non potest.

3. Peccata non fiunt Deo nolente; ergo volente. *Ant. prob.* Volenti Deo nihil resistit; ergo.

4. Deus est Author potentiæ peccatricis; ergo etiam peccati, quia causa causæ est etiam causa causati.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob.* dist. a. Peccata cadunt sub providentia *permissiva.* c. *approbativa.* n. a. Sic enim etiam in republica humana multa cadunt mala sub providentia Legislatoris permissiva.

Ad 2. dist. a. Vult pœnitentiam voluntate *conditionata.* c. *absoluta.* n. a. Tantum vult pœnitentiam ex hypothesi, si præcessit peccatum.

Ad 3. dist. a. Non fiunt Deo nolente nolitione *impeditiva.* c. *prohibitiva.* n. a. Aliud enim est velle impedire, & aliud est prohibere.

Ad 4. c. a. dist. c. Si peccatum sit effectus *necessitate physica* consequens ad positionem causæ, vel actus primi proximi. c. Si tantùm sit *contingenter* ex determinatione voluntatis *libera* consequens. n.c. Illud axioma tantum habet locum in causis necessariis.

Objicitur 3. *contra* 3. *Conclus.* 1. Etiamsi Deus determinet ad omnes gradus actus liberi, non tamen ipsi adscribitur malitia actus; ergo potest determinare ad omnes formalitates peccati. *Ant. prob.* Si optimus scriba scribat calamo inidoneo, non adscribitur ipsi defectus; ergo idem est de Deo.

2. Malitia actus non reperitur in eo, quod habet actus ex se positivi, sed tantum ex circumstantiis liberi arbitrii; ergo potest Deus causare totam entitatem actus quoad omnes gradus etiam determinativè. *Ant. prob.* Etiam blasphemia Dei non est de se mala v.g. in amente, vel narrante; ergo est tantum mala ex circumstantiis.

3. Anima directiva motus in tibia curva determinat ad omnes gradus hujus motus; ergo etiam Deus in actu peccaminoso.

Respondeo *ad* 1. n. a. *ad prob.* dist. a. Si scriba non sit ipsa causa calami, & omnium dispositionum, ac circumstantiarum. c. secus. n. a. Ergo, cùm Deus non tantum poneret actum, sed etiam totum actum primum proximum, & complexum omnium circumstantiarum, eo ipso esset causa defectus.

Ad 2. transf. ant. dist. c. Potest causare actum *sine determinatione* ad circumstantias, à quibus contrahitur actus ad malitiam. transf. *cum determinatione* ad ipsum complexum circumstantiarum. n. c.

Dixi transf. quia in Tractatu *de Actib. human.* probatum est, quòd actus liber sit intrinsecè liber, adeoque non sit indifferens ad alias circumstantias; sed habeat intrinsecum respectum essentialiter contingentem ad tales circumstantias.

Ad 3. Idem respondeo, quod respondi *ad* 1. Quia si dependeret à determinatione animæ curvitas, vel rectitudo tibiæ, sequeretur, quòd anima esset causa obliquitatis in motu, si determinaret ad ipsam curvitatem tibiæ. Cùm ergo Deus determinaret eodem modo ad totum complexum actus primi proximi, eo ipso determinaret ad malitiam peccati.

QUÆSTIO II.

In quo consistat peccatum habituale, & macula per peccatum relicta?

Notandum 1. Inter præcipuos effectus peccati mortalis esse *maculam animæ*, quæ nihil aliud est, quàm privatio pulchritudinis, ac nitoris convenientis in anima; sicut solet contingere in rebus corporeis. Existentia talis maculæ supponitur ex variis textibus, & modo loquendi Scripturæ, ubi anima dicitur *immunda, maculata, inquinata*, comparaturque panno menstruatæ; & peccatum vocatur *immunditia, macula, sordes* &c. Sic Josue 22. v. 17. dicitur: *Peccastis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet.* Hinc & justificatio hominis vocatur *ablutio*, & *mundatio*. Sic Ezechiel. 36. v. 25. dicitur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Notandum 2. Hunc effectum peccati esse effectum formalem: sicut v. g. effectus extinctionis luminis sunt tenebræ, & effectus perditionis pecuniarum paupertas, & animæ unitæ corpori vita, & albedinis tò album. Ratio est; quia ipsa aversio à Deo formaliter constituit turpitudinem animæ per modum formæ denominantis, & ipsa conversio, seu adhæsio inordinata ad bonum creatum formaliter constituit, & denominat animam immundam. Hinc & s. Augustinus relatus à s. Thoma opusc. 61. C. 13. de hoc effectu formali loquens ait: „Anima media inter Deum, & creaturas, conversione ad Deum illuminatur, melioratur, & perficitur, conversione ad creaturas obtenebratur, deterioratur, & corrumpitur." Et s. Thomas hic q. 86. a. 1. ad 2. ait: „Actio intellectus perficitur, secundùm quod res intelligibiles sunt in intellectu per modum ipsius intellectus, & ideo intellectus ex eis non inficitur, sed magis perficitur: sed actus voluntatis consistit in motu ad ipsas res, ita quòd amor rei amatæ animam conglutinat; & ex hoc anima maculatur, quando inordinatè inhæret secundùm illud Osee 9. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.

Notandum 3. Varias esse in hac re sententias. Scotus in 4. Dist. 14. q. 1. asserit, maculam peccati consistere in ordinatione passiva ad pœnam ùt disconveniente animæ, seu in relatione rationis resultante in anima propter culpam commissam, quam dicit appellari *maculam, reatum*, & *offensam* sub diversa ratione; nam quatenus respicit animam, vocatur macula; quatenus refertur ad pœnam, vocatur reatus poenæ; quatenus verò provenit ex voluntate divinæ ordinationis ordinantis peccatorem ad pœnam vocatur offensa. *Scotum* sequuntur Gabriel, Major, Almainus, & alii plures. Alii cum Vasquez dicunt, maculam consistere in sola denominatione extrinseca proveniente à peccato præterito non retractato. Lorca, Martinez, Nuno &c. dicunt, maculam consistere in aliquo habitu, quo anima habitualiter convertitur ad bonum creatum. D. Thomas cum suis dicit, maculam peccati consistere in privatione nitoris animæ, adeoque, cùm in moderna providentia ille nitor consistat in gratia sanctificante, macula consistet in privatione gratiæ sanctificantis.

Notandum 4. Apud D. Thomam, & Antiquos non occurrere nomen *peccati habitualis*; apud Theologos verò sequiores præsertim Thomistas passim confundi nomen peccati habitualis cum macula, perinde ac si deformitatem peccati sumerent pro ipso peccato, cùm macula, & deformitas peccati realiter idem sint. Verum quia hæc ipsa deformitas peccati supponit actionem saltem formaliter, aut logicè quoad modum inferendi antecedentem ad ipsam maculam, ideo Recentiores cum Vasquez communiter

muniter describunt peccatum habituale quòd sit *peccatum actuale præteritum nondum retractatum.* Itaque quæstio hæc, in quo consistat peccatum habituale? idem vult dicere, ac si quæram, in quo consistat deformitas peccati nondum deleti, seu macula peccati in sensu saltem reali?

DICO I. Peccatum habituale formaliter non dicit maculam.

PROBATUR Conclusio. Illa deformitas animæ, quam nomen maculæ exprimit, intelligitur ad actionem peccati consequi per modum effectus, aut proprietatis physicæ aut metaphysicæ; ergo peccatum habituale formaliter non consistit in macula. *Conseq. patet;* quia tò *habituale* subjecto denominationis non superaddit effectum, sed tantum superaddit habitualitatem, & durationem actus antecedentis: sic v. g. intentio habitualis non est effectus intentionis, sed est prior intentio perseverans, eo modo, quo eadem est res in esse, & conservari, quin per hoc involvat effectum, aut proprietatem à se emanatam. *Ant. prob.* Authoritate D. THOMÆ, ad cujus acceptionem ipsum nomen *maculæ* sensum fixum obtinuit. In 2. Sent. dist. 42. in expositione textus ait: *Macula est medium inter actum peccati, & reatum quasi effectus actus, & fundamentum reatus.* Ergo.

DICO II. Peccatum habituale dicit actum peccati præteritum nondum retractatum, aut jus objectivum ipsius Dei ad indignationem nondum condonatam.

PROBATUR Conclusio. Juxta dicenda peccatum habituale babet *duplicem* deordinationem, seu maculam, *unam* consistentem in deordinatione rationis nondum retractata, *alteram* in privatione divinæ amicitiæ, ac in jure divino ad indignationem, & pœnam; ergo consistit in utroque ex istis.

DICO III. Macula adæquatè sumpta dicit privationem pulchritudinis animæ provenientis ex una parte à gratia sanctificante, aliisque donis supernaturalibus, ex alia parte provenientis à rectitudine voluntatis, & intellectus habitualis ad finem.

PROBATUR Conclusio. D. THOMAS per maculam boc intelligit; ergo id per maculam significatur. *Conseq. patet;* quia hujusmodi termini non habentes anticipatam notionem sunt primò occupantis. *Ant. prob.* D. THOMAS hic q. 86. a. 1. C. dicit: „Macula propriè dicitur in „ corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius „ corporis: sicut vestis, aurum, & argentum, „ aut aliud hujusmodi. In rebus autem spiritualibus ad similitudinem bujus oportet maculam dici. Habet autem anima bominis duplicem nitoram; unum quidem ex refulgentia „ luminis naturalis rationis, per quam dirigitur „ in suis actibus; alium verò ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiæ, & gratiæ, per „ quam etiam bomo perficitur ad benè & decenter agendum. Est autem quasi quidam animæ „ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per „ amorem; eum autem peccat, adhæret rebus „ aliquibus contra lumen rationis, & divinæ „ legis. Unde ipsum detrimentum nitoris ex „ tali contactu proveniens, macula animæ metaphoricè vocatur.

DICO IV. Hinc sequitur, dari duplex genus *maculæ*: una est *causalis*, intrinseca, & constitutiva actus peccaminosi, id est, ipsa deordinatio rationis, ac voluntatis in genere moris, eaque tam in peccato mortali, quam veniali. Alia est *causata*, & extrinseca actui, consistens videlicet in privatione donorum supernaturalium, & gratiæ sanctificantis. Sensus patet ex dictis.

DICO V. Hinc *latè loquendò* potest dici, peccatum habituale esse maculam, seu deformitatem animæ habitualem, intelligendò per maculam eam, quæ est causalis, & constitutiva ipsius actus.

PROBATUR Conclusio. Latè loquendò quælibet res potest sumi pro sua proprietate metaphysica, & viciffim. Sic v. g. potest dici, quòd *risibile sit bomo;* ergo etiam potest dici, quòd ipsa deordinatio, seu deformitas rationis perseverans sit partialiter peccatum habituale.

DICO VI. Non tantum datur macula animæ in peccato mortali, sed etiam in veniali: sed ea non consistit in diminutione gratiæ sanctificantis, sed in deordinatione voluntatis.

PROBATUR Conclusio. Quando S. THOMAS loquitur de remissione peccati venialis, dicit, non esse opus infusione novi habitus, aut doni supernaturalis, sed tantum esse opus rectificatione voluntatis per novum motnm rectitudinis in Deum; ergo agnoscit, maculam non eonsistere in alio, quàm in deformitate, & deordinatione voluntatis. *Prob. Ant.* p. 3. q. 87. a. 2. C. sic habet: „Unumquodque tollitur per „ suum oppositum, peccatum autem veniale non „ contrariatnr habituali gratiæ, vel charitati; „ sed retardat actum ejus, inquantum nimis inhæret homo bono creato, licèt non contra „ Deum. Et ideo ad hoc, quòd peccatum veniale tollatur, non requiritur, quòd infundatur aliqua habitualis gratia; sed sufficit aliquis „ motus gratiæ, vel charitatis ad ejus remissionem." Et ad 1. „Dicendum, quòd etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiæ, per actum scilicet, quem de novo elicit; „ non autem per aliquid babituale de novo animæ infusum.

DICO VII. Maculæ peccatorum causales, & constitutivæ sunt in diversa specie juxta diversitatem specificam peccatorum.

PROBATUR Conclusio 1. Macnla causalis, sen deformitas peccati constitutiva consistit in deordinatione rationis, & voluntatis; sed ea diversa est juxta diversitatem specificam peccatorum.

PROBATUR 2. Authoritate D. THOMÆ, qui hanc deformitatem considerans per modum proprietatis metapbysicæ ad actum peccati p. 3. q. 87. a. 2. ad 3. ait: „Dicendum, quòd, sicut „ in corpore contingit, esse maculam dupliciter: uno modo per privationem ejus, quod „ requiritur ad decorem, puta debiti coloris, „ aut debitæ proportionis membrorum: alio „ modo per superinductionem alicujus impedientis decorem, puta luti, aut pulveris; ita „etiam

„ etiam animæ inducitur macula uno modo per „ privationem decoris gratiæ per peccatum mortale: alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit „ per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam „ maculam peccati mortalis requiritur infusio „ gratiæ; sed ad tollendam maculam venialis „ peccati requiritur aliquis actus procedens ex „ gratia, per quam removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem.

DICO VIII. Hinc per omne peccatum mortale inducitur nova macula primi generis videlicet constitutiva.

PROBATUR Conclusio. In omni peccato mortali datur nova deordinatio intellectus, & voluntatis; ergo.

DICO IX. Modus loquendi, quo per *peccatum*, *culpam*, *reatum culpæ*, aut per *peccatum habituale* intelligitur ipsa duplex præfata peccati deformitas, seu macula, quamvis sit improprius, debet admitti, & retineri.

PROBATUR Conclusio. Hic modus loquendi est receptus non tantum in schola D. THOMÆ, sed etiam apud reliquos Theologos, & Ascetas: insuper habet exemplum in aliis similibus locutionibus, ubi effectus, vel proprietas metaphysica sumitur pro causa; ergo debet retineri, ne fiat confusio linguarum. *Prob. Ant. quoad 2. membrum.* Si peccata tam in latino, quàm germanico vocantur abominationes, sordes &c. licèt sequantur tantum ad peccatum, tunc revera datur hic modus loquendi; sed peccata in quovis idiomate dicuntur abominationes &c. ergo. *Min. patet* ex Notand. 1. Sicut ergo virtutes vocantur merita, & chyrographa obligationes, licèt merita tantum consequantur ad actus virtutum, & obligationes ad chyrographa; sic etiam peccata vocantur abominationes, immunditiæ, sordes &c. licèt immunditiæ, sordes &c. primum consequantur ad peccata.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Potest dici, quòd peccatum habituale consistat in privatione gratiæ sanctificantis, ùt relativa ad peccatum præteritum, ergo debet sic dici. *Ant. prob.* Subtractio gratiæ sanctificantis est formalis ratio perseverantiæ peccati; ergo peccatum habituale constituitur per subtractionem gratiæ. *Ant. prob.* Per subtractionem gratiæ Deus denominatur indignans, seu non ponens remissionem peccati; ergo.

2. Infusio gratiæ sanctificantis est formaliter remissio peccati; ergo illius negatio est formaliter negatio remissionis, seu habitualitatis.

3. Si posset sine negatione gratiæ sanctificantis intelligi peccatum habituale, tunc etiam posset intelligi ejus habitualitas; sed hoc non potest dici; ergo. *Min. prob.* Si posset Intelligi habitualitas, tunc etiam posset intelligi nolitio Dei de non remittendo peccato sine ista gratia; sed hoc non est verum; ergo. *Min. prob.* Nolitio Dei remittendi peccatum non potest intelligi sine negatione gratiæ sanctificantis, tanquam sui objecti proprii; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob.* dist. a. Subtractio gratiæ sanctificantis est formalis ratio perseverantiæ peccati quoad *connotata extrinseca*. c. quoad *constitutiva intrinseca*. n. a. Connotatum *extrinsecum* peccati nihil aliud est, quam actualis punitio, seu indignatio Dei, quæ incurritur: constitutivum *intrinsecum* autem peccati est ipsum jus ad hanc indignationem, seu subtractionem amicitiæ; perseverantia juris hujus formaliter non ponitur per hoc, quòd offensus actu non tollat indignationem, sed quòd non tollatur meritum objectivum ad ipsam indignationem.

Ad 2. transf. a. & c. Nego suppositum, quòd habitualitas peccati dicat adæquatè negationem remissionis: peccatum enim sicut est meritum objectivum indignationis divinæ, ita habitualitas illius dicit continuationem hujus meriti ad negationem condonationis, & indignationis.

DIXI *transf. Ant.* quia infusio gratiæ præsupponit antecedentem voluntatem Dei condonandi peccatum, & sic formalis remissio peccati est potiùs voluntas infundendi gratiam sanctificantem, quàm ipsa infusio gratiæ. Dei remissio peccati formaliter debet esse eadem in omni statu, & providentia, cùm essentiæ rerum mutari non possint; atqui in statu puræ naturæ remissio peccati non consisteret in infusione gratiæ sanctificantis; ergo.

RESPONDEO 2. dist. a. Infusio gratiæ est formalis remissio peccati considerati sub ratione *turpitudinis*, vel maculæ. c. sub ratione *meriti objectivi*, seu maculæ causalis. n. a. Gratiæ enim infusio non tollit deordinationem voluntatis, quæ est macula causalis; sed præsupponit motum voluntatis in DEUM, quo restituatur prior pulchritudo animæ: adeoque infusio gratiæ jam præsupponit, destructum esse peccatum sub ratione meriti objectivi ad indignationem. Hinc

RESPONDEO 3. dist. *Ant.* sic: Infusio gratiæ est remissio formalis peccati sub ratione *inadæquata* ipsius habitualitatis. c. sub ratione *adæquata*. n. a. Ad tollendum enim peccatum habituale duo requiruntur, nempe retractatio voluntatis ex parte hominis, & extinctio juris ad indignationem ex parte Dei; per infusionem gratiæ solùm tollitur jus ad indignationem ex parte Dei non verò retractatio ex parte hominis.

RESPONDEO 4. dist. a. Infusio gratiæ est formalis remissio peccati formalitate *physica*. transf. *metaphysica*. n. a. Quia jus ad indignationem, per quod constituitur peccatum habituale formaliter formalitate *metaphysica*, tantùm tollitur per voluntatem non irascendi; sed quòd Deus in hac providentia insuper velit ponere formam *physicam*, qua homo denominatur acceptus Deo, non est de essentia metaphysica remissionis.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* c. *Maj.* n. *Min.* & dico, objectum nolitionis divinæ de remittendo peccato in consideratione metaphysica habere pro objecto exclusionem à beneficiis amicitiæ tam debitis, quàm indebitis, & ordinationem ad pœnam: quia verò in hac providentia inter illa beneficia est elevatio ad statum filiorum Dei per gratiam sanctificantem, ideo quidem verum est, quòd de facto habeat pro objecto positionem, aut negationem gratiæ; sed

ſed non eſt hoc de eſſentia remiſſionis, aut non remiſſionis.

Dices 1. Meritum objectivum, & jus ad indignationem fundatur in ipſa turpitudine, ſeu macula peccati; ergo prius eſt tolli maculam, quàm tolli jus ad iram.

Respondeo. diſt. a. Fundatur io turpitudine, ſeu macula *conſtitutiva* peccati, & *cauſa*. c. *conſecutiva*, & *cauſata*. n. a. Jam ſupra dictum eſt, dari *duas maculas*, unam *conſtitutivam* peccati, quæ conſiſtit io deordinatione rationis, alteram *cauſatam*, quæ conſiſtit in exſpoliatione donorum ſupernaturalium. Jus ad indignationem divinam non poteſt tolli, quin tollatur illa prior: poteſt tamen, ac debet prius tolli jus ad indignationem, antequam tollatur macula illa poſterior conſecutiva, ſeu cauſata ex indignatione divina.

Dices 2. Ipſa retractatio peccati, & ſublatio deordioationis in voluntate non eſt ſufficiens ad tollendum jus iodignationis ex parte Dei ſine gratuita infuſione gratiæ ſanctificantis; ergo adhuc prius eſt infundi gratiam ſanctificantem, quàm tolli jus ad iram, & conſequenter remiſſio peccati conſiſtit formaliter in infuſione gratiæ, & habitualitas peccati in denegatione hujus gratiæ. *Ant. prob.* Creatura noo poteſt ſatisfacere pro peccato mortali; adeoque nec poteſt tollere jus ad indignationem divinam ſine gratuita infuſione gratiæ.

Respondeo. diſt. a. Non eſt ſufficiens ſine infuſione gratiæ ex libera determinatione Dei in moderna providentia. c. ex natura rei. n. a. Poſſet enim Deus condonare peccatum etiam ſine infuſione gratiæ ſanctificantis; adeoque poteſt illud jus ad indignationem tolli antecedenter ad decretum infundendi gratiam ſanctificantem: poſſet enim Deus velle homini poſt retractationem peccati conſerre beneficia nova ſine ordinatione ad pœnam, quo hoc ſolo habito in conſideratione metaphyſica haberetur remiſſio peccati.

Objicitur 2. Illud eſt conſtitutivum peccati habitualis, quod eſt objectum divinæ diſplicentiæ; ſed hoc noo eſt ſolum peccatum præteritum, nec ſola negatio retractatioois, neque deordinatio voluntatis perſeverans; ergo eſt macula conſiſtens in privatione gratiæ ſanctificantis. *Maj. patet*; quia objectum habituale eſt objectum iræ divinæ. *Min. prob.* Peccatum præteritum datur etiam in Magdalena v. g. poſt remiſſionem peccati: retractatio datur etiam in eo, qui eſt attritus, & tamen eſt in ſtatu peccati habitualis: ipſum verò decretum Dei non poteſt eſſe objectum iræ divinæ; ergo ſola macula eſt objectum diſplicentiæ divinæ.

Respondeo. c. *Maj.* diſt. *Min. quoad* 1. *membr.* Objectum diſplicentiæ non eſt peccatum præteritum ùt *non ſubſtans* ampliùs juri divino ad indignationem. c. ùt *ſubſtans*. n. *Min.* Peccatum habituale dicit duo, nempe negationem retractationis ſufficientis, & jus ad iram nondum condonatum: quamdiu ergo peccatum perſeverat ſubſtare huic juri, tamdiu eſt objectum divinæ diſplicentiæ.

Dices. Ex hoc ſequeretur, quòd ipſa negatio condonationis ſit objectum divinæ diſplicentiæ; ſed hoc non poteſt dici; ergo. *Maj. prob.* Peccatum præteritum nondum condonatum nil aliud dicit, quàm peccatum, & negationem condonationis; ergo.

Respondeo 1. n. *Maj. ad prob.* tranſ. *Ant.* diſt. c. Si negatio condonationis eſt *ratio*, & *motivum* iræ. c. Si tantum eſt *conditio* removens prohibens, aut *circumſtantia ſub qua* peccatum movet iram divinam. n. c. Negatio coodonationis tantùm facit, ut ira divina ooo impediatur tendere modò averſivò in peccatum, quod ratione ſui eſt objectum diſplicentiæ, quamdiu non ponitur retractatio ſufficiens, aut ſatisfactio condigna.

Respondeo 2. *Retorquendò.* v. g. Debitum nondum condonatum eſt objectum ſolutionis; ergo etiam negatio condonationis eſt objectum ſolutionis. Vel ſic: Peccatum nondum abſolutum eſt materia neceſſaria abſolutionis; ergo negatio abſolutionis eſt materia neceſſaria abſolutionis. Similiter objectum à Deo prohibitum eſt objectum volitum actus averſativi, & odii. Aliud ergo eſt, quòd potentia feratur in objectum in hac, vel illa circumſtantia poſitum; & aliud eſt, quòd feratur in ipſam circumſtantiam, tanquam motivum ſui actus.

Objicitur 3. Peccatum habituale eſt effectus peccati actualis præteriti; ſed cauſa non eſt pars ſui effectus; ergo nec peccatum præteritum eſt pars peccati habitualis.

2. Poteſt dari peccatum præteritum oon retractatum cum negatione remiſſionis, quio detur peccatum habituale; ergo peccatum habituale aliud dicit, quàm peccatum præteritum cum negatione remiſſionis. *Ant. prob.* poteſt poni, quòd peccans ſtatim annihiletur proximo inſtanti ad peccatum; ergo in hoc caſu non datur peccatum habituale.

Respondeo 1. *Retorq.* in intentiooe habituali.

Respondeo 2. diſt. *Maj.* Eſt effectus *formalis* c. *phyſicus*. o. *Maj.* Quia cauſa *intrinſeca* haud dubiè eſt pars ſui effectus, ſicut corpus, & anima ipſius hominis.

Ad 3. n. a. *ad prob.* tranſ. a. diſt. c. Non dabitur peccatum habituale, niſi poſſit Deus reproducere talem hominem, & actuale jus priſtinum ad pœnam. c. ſecùs. n. c. In tali enim caſu dabitur adhuc jus ad pœnam eo ipſo, quòd poſſit Deus talem hominem reproducere ad pœnam.

Objicitur 4. Peccatum Origioale eſt aliquod peccatum habituale; ſed hoc conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis; ergo &c. *Min. prob.* Trident. Seſſ. 5. dicit, quòd *mundemur à peccato originali*; ergo ſupponit, quòd peccatum Originale conſiſtat in macula.

Respondeo 1. tranſ. *Maj.* n. *Min. ad prob.* o. a. Tridentinum enim tantùm dicit, quòd per baptiſmum mundemur ab eo, quod in generatione contraximus; quod verum eſt, etiamſi macula illa tantùm coocomitetur peccatum originale per modum proprietatis.

Respondeo 2. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* diſt. *Ant.* dicit, quòd mundemur à peccato Originali, ſumendò hoc peccatum in conſideratione *phyſica*.

physica. c. *metaphysica*. n. a. In consideratione *physica* res sumitur cum omnibus suis proprietatibus, & eatenus omne peccatum tam Originale, quàm actuale est immunditia; sed in consideratione *metaphysica* sumuntur tantùm prædicata, quæ veniunt in conceptu definitivo rei: & sic peccatum Originale est potiùs ille ipse reatus inhærens, qui est causa iræ divinæ, & subtractionis gratiæ.

Objicitur 5. Si macula non est constitutivum peccati habitualis, tunc vera est propositio 56. Baii: *In peccato sunt duo; Actus, & reatus; transeunte actu nihil remanet, nisi reatus, seu obligatio ad pœnam*; sed hæc Propositio est damnata à Pio V. & Gregorio XIII.; ergo.

Respondeo. n. *Maj.* Quia etiam juxta nos remanet *macula* constitutiva peccati, & consecutiva, prout priùs dictum est. Baius sicut non admisit gratiam sanctificantem distinctam, ita nec admisit ejus privationem, & in hoc consistit ejus error.

QUÆSTIO III.

An reatus pœnæ, & culpæ in peccato inter se distinguantur?

Notandum I. Certum esse, quòd in omni peccato dentur *duo* reatus, videlicet reatus *culpæ*, & reatus *pœnæ*; non tamen conveniunt Theologi, quidnam sit iste reatus *culpæ*, & reatus *pœnæ*; non tamen conveniunt Theologi, quidnam sit iste reatus culpæ, & utrum sit separabilis à reatu pœnæ. Illi, qui dicunt, hos duos reatus esse separabiles, dicunt, quòd per absolutionem sacramentalem tollatur reatus culpæ, remaneat tamen reatus pœnæ, pro quo ulteriùs tollendo putant ordinari satisfactiones, & indulgentias.

Notandum 2. *Scotistas* cum Mastrio communiter docere, quòd reatus culpæ, & pœnæ non distinguantur; adeoque dum per absolutionem tollitur reatus culpæ, tollitur etiam reatus pœnæ. Hinc docent, eas satisfactiones, quæ in hoc, vel altero mundo post absolutionem luendæ sunt, non habere propriè rationem *pœnæ*, sed tantùm rationem *ultroneæ compensationis* sic quasi ex promisso debitæ, inquantum pœnitens se Deo obligat ad compensandam offensam, & damnificationem divini honoris Deo illatam.

Notandum 3. Dari alios, qui dicunt, reatum pœnæ, & culpæ identificari, sic, ut per absolutionem tantum tollatur de reatu pœnæ, quantum tollitur de reatu culpæ; & quia reatus pœnæ non tollitur totaliter per absolutionem, ideo putant, nec reatum culpæ tolli totaliter: dicunt enim reatum culpæ remitti quidem simpliciter, inquantum remittitur ipsa substantia pœnæ, nempe obligatio ad infernum, non tamen eam culpam remitti totaliter, sed remanere secundùm quid, id est, secundùm aliquam partem, secundùm quam etiam remanet reatus pœnæ. Hanc sententiam scripsi Ingolstadii sub A. R. P. Joanne Evang. Rassler, qui pro ea sententia citabat Scotum, Rubion, Durandum, Almainum, Gabriel, Ekium, Holkot *apud Salas*. Item cum Mastrio nobiliores Scotistas, Thyrsum, Gonzalez *in peculiari Tract. de hac re edito*, & alios. Verumtamen in hoc errat, dum pro se citat *Mastrium, & nobiliores Scotistas*: Mastrius enim manifestè docet sententiam oppositam, ac longè diversam in *Notando* 2. explicatam.

Notandum 4. Pœnam posse accipi pro pœna *strictè* ac rigorosè dicta, & pro *latè* dicta, quæ non est ejusdem rationis *univocæ* cum pœna strictè dicta. *Pœna strictè dicta*, ac simpliciter talis est illa, quæ infligitur contra voluntatem patientis, adeoque cum indignatione contra personam, cujus voluntas nondum concordat cum voluntate puniti, ùt habet D. Thomas I. 2. q. 87. art. 6. & 7. C. Econtra *pœna latè dicta* est illa, quæ suscipitur libenter, & sponte, consequenter sine indignatione punientis, aut puniti, eò quòd voluntas punientis jam concordet cum voluntate puniti. Et talis pœna non est simpliciter pœna, sed tantùm *secundum quid*, & cum addito: *pœna satisfactoria*, prout ibidem D. Thomas explicat.

Notandum 5. Apud D. Thomam non occurrere hoc nomen *reatus culpæ*, sed tantùm *reatus*, vel *reatus pœnæ*. Quia autem D. Thomas admittit triplicem pœnam peccati, nempe *remorsum* conscientiæ ob deordinationem voluntatis nondum se subjicientis Deo, & *pœnam maculæ*, & *pœnas externas*, ideo discipuli D. Thomæ rectè ad distinguendos reatus hujus triplicis pœnæ, reatum maculæ vocarunt reatum culpæ; reatum verò pœnæ residuæ simpliciter vocarunt reatum pœnæ, abstrahendò, utrùm ea pœna post sublatum reatum maculæ, seu culpæ habeat simpliciter rationem pœnæ, vel non. In qua re, cùm significatio nominum nondum habentium constantem notionem præstabilitam sit in arbitrio hominum, non possunt improbari.

DICO I. Reatus culpæ, & reatus pœnæ *strictè* dictæ identificantur realiter.

Probatur Conclusio 1. Pœna strictè dicta dicit pœnam inflictam voluntati repugnanti, ac nondum concordanti cum voluntate punientis; sed reatus hujus pœnæ identificatur realiter cum reatu culpæ; ergo. *Maj. patet* ex D. Thoma hic q. 87. a. 6. C. ubi ait: " Dicendum, „ quòd in peccato duo possunt considerari, scilicet actus culpæ, & macula sequens, planum „ est autem, quòd cessante actu peccati remanet reatus in omnibus peccatis actualibus: „ Actus enim peccati facit hominem reum pœnæ, „ inquantum transgreditur ordinem divinæ justitiæ, ad quem non redit, nisi per quamdam „ recompensationem pœnæ, quæ ad æqualitatem justitiæ requirit, ut ille, qui plus suæ „ voluntati indulsit, quàm debuit, contra mandatum Dei agens, secundùm ordinem divinæ „ justitiæ aliquid contra illud, quod vellet spontaneus, vel invitus patiatur. - - Unde cessante actu peccati remanet debitum pœnæ. „ Sed si loquimur de ablatione peccati, quantùm ad maculam, sic manifestum est, quòd „ macula peccati ab homine auferri non potest, „ nisi per hoc, quod anima Deo conjungitur

, „per

per voluntatem. Unde macula ab homine tolli non poteſt, niſi voluntas hominis ordinem divinæ juſtitiæ acceptet, ut ſcilicet vel ipſe ſibi pœnam ſpontaneus aſſumat in recompenſationem culpæ præteritæ, vel etiam à Deo illatam patienter ſuſtineat: utroque enim modo pœna rationem ſatisfactionis babet. Pœna autem ſatisfactoria diminuit aliquid de ratione pœnæ: eſt enim de ratione pœnæ, ut ſit contra voluntatem. Pœna autem ſatisfactoria, etſi ſecundum abſolutam conſiderationem ſit contra voluntatem, non tamen ut nunc, & per boc eſt voluntaria: unde ſimpliciter eſt voluntaria, ſecundum quid autem involuntaria. Dicendum ergo eſt, quòd remota macula culpæ poteſt quidem remanere reatus non pœnæ ſimpliciter, ſed ſatisfactoriæ. Its D. Thomas.

Probatur 2. D. Thomas expreſſè dicit, quòd reatus pœnæ ſtrictè, ac ſimpliciter dictæ ſemper referatur ad culpam nondum expunctam; ergo reatus pœnæ ſtrictè dictæ, & reatus culpæ non ſepsrantur.. *Ant. prob.* loc. cit. a. 7. C. ſic hsbet: „Pœna poteſt dupliciter conſiderari, ſimpliciter, & in quantum ſatisfactoria: pœns ſatisfactoria eſt quodammodo voluntaria. Si verò loquimur de pœna ſimpliciter, ſecundùm quod babet rstionem pœnæ, ſic ſemper babet ordinem ad culpam propriam." Quòd autem de culpa actu inhærente loquatur, patet ex iis, quæ dicit in 2. Sent. diſt. 30. a. 2. C. ubi ex pœnalitatibus bujus vitæ probans exiſtentiam culpæ originalis, ait: „Alius eſt error eorum, qui in puero nato pœnam concedentes culpam negabant; & hoc manifeſtè divinæ juſtitiæ rcpugnat, ut aliquis obligetur ad pœnam, qui culpam non babet, cùm pœna juſtè non niſi culpæ debeatur; ideo concedendum, etiam culpam trahi ex parentibus.

DICO II. Reatus culpæ, & reatus pœnæ ſimpliciter loquendo (ſine addito, utrum ſumantur ſtrictè, vel latè) diſtinguuntur.

Probatur Concluſio. Simpliciter loquendo reatus culpæ denotat reatum maculæ, ſeu poſitivæ indignationis divinæ per ſubtractionem obſequiorum amicitiæ: econtra reatus pœnæ ſimpliciter importat obligationem ad pœnalitatem compenſativam nulla amplius exiſtente macula ex deordinatione voluntatis, aut ex ſubtractione gratiæ; atqui hoc modo ſunt ſeparabiles iſti duo reatus; ergo &c. *Maj. patet* ex communiori acceptione moderna Theologorum, à qua dependet ſignificatio nominum, & mutatio ipſius ſignificationis, ſiqua foret neceſſaria: ſicut & conſuetudo dependet à majori parte communitatis. *Min. prob.* 1. Ex communi ſenſu Theologorum, quibus ſupponitur eſſe notus modus tendendi divinus, vel ex traditione, vel inſpiratione. 2. Authoritste n. Thomæ, qui in 4. diſt. 18. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 3. C. ait: „In peccato duo ſunt, ſcilicet converſio ad commutabile bonum, & averſio ab incommutabili Bono; & ſecundum boc ſunt duo effectus peccati: Unus eſt indignatio Dei ad nos averſioni peccati reſpondens: Alius eſt pœna inordinata converſionem ordinans; & quia primò in peccato ex parte noſtra eſt converſio, & quod eſt prius in generatione, poſterius eſt in deſtructione, ideo ex parte Dei primò eſt reconciliatio ejus ad nos, & ſecundum boc eſt liberatio à pœna. Sed pœna eſt duplex, ſcilicet exterminans hoſtes, & talis pœna ex reconciliatione ipſa removetur; alia pœns eſt, quæ corrigit civem, & filium, vel amicum, & debitum ejus poteſt removere reconciliatione jam facta; & ideo ſimul, cùm peccatum remittitur quoad maculam, remittitur quoad pœnsm æternam, quæ eſt exterminans, ſed non quoad pœnam temporalem." Et ad 1. ait: „Sicut actus præexiſtens fuit cauſa maculæ, & tamen tranſeunte actu non tranſit macula; ita actus mediante macula fuit cauſa debiti pœnæ, & ideo non oportet, quod ceſſante mscula debitum pœnæ ceſſet." Et ad 2. „Dicendum (inquit) quòd ille, cui remiſſa eſt culpa quantum ad maculam, adhuc dignus eſt propter actum, quem commiſit, pœnam ſuſtinere, quamvis non ſit à Deo alienus." Ita S. Thomas. Ex quo patet, indignatione Dei ſublata sdhuc remanere ſimpliciter rationem pœnæ, quamvis non ita ſtrictè dictæ: patet etiam, quòd averſio Dei à creatura, ſeu indignatio nil aliud ſit, quàm ſubtractio obſequiorum amicitiæ ſcilicet beneficiorum, gratiarum, & virtutum ſupernaturalium, ſeu inductio maculæ, ad quam conſequitur ordinatio ad pœnam ſtrictè talem.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *contra 1. Concluſionem.* Per baptiſmum tollitur reatus culpæ originalis totaliter & tamen non tollitur totaliter reatus pœnæ; ergo reatus pœnæ, & culpæ ſunt ſeparabiles. *Ant. quoad 1. membrum patet* ex Trid. Seſſ. 5. ubi ait: *Si quis aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati babet, anathema ſit. Quoad 2. membrum probatur.* Poſt baptiſmum remanet fomes peccati, mors, & miſeriæ bujus mundi, quæ ſunt pœna peccati originalis; ergo.

Respondeo n. a. *quoad 2. membrum. Ad prob.* diſt. ant. Remanet fomes &c. ita tamen, ut non amplius habeant rstionem pœnæ. c. ſecus n. snt. Reſponſio eſt s. Thomæ 1. 2. q. 85. a. 5. ubi dicit: iſta in bomine relicta eſſe tanquam occaſionem gloriæ promerendæ, quod ipſum habet Trid. Seſſ. 5. ubi ait: *Manere autem in renatis concupiſcentiam, vel fomitem, bæc S. Synodus fatetur & ſentit, quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus non valet, quin imò qui legitimè certaverit, coronabitur.* Ex quibus videtur colligi, quòd hæc omnia relicta ſint non in vindictam, adeoque ſine reatu pœnæ propriè dictæ.

Dices 1. *Apoſtolus* Rom. 5. agnoſcit, mortem eſſe propriè pœnsm peccati Originalis; ergo. *Ant. prob.* Sic ait v. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit;* ſed particnla illa relativs *ita* videtur eſſe relativa ad culpam; ergo.

Respondeo. dist. a. Agnoscit mortem esse pœnam in *nondum renatis*. c. in *renatis* subdist. agnoscit esse pœnam *materialiter* talem. c. *formaliter* talem. n. ant. Complexum miseriarum hujus mundi, quamvis sit de se natum aptum inferri ad viodictam peccati, hic & ouoc tamen non fungitur officio vindicis, sed occasionis ad præmium.

Dices 2. *S. Augustinus* l. 6. contra Julian. c. 5. dicit: *Baptizatus omni peccato caret, non omni malo*; ergo pœnalitates hujus vitæ etiam in renatis habent propriè rationem pœnæ, ac mali.

Respondeo. dist. a. Non caret omni malo *materialiter* tali. c. *formaliter* tali. n. a. Malum *materialiter* tale est, quod de se aptum, & ordinatum est ad nocendum hosti, & ad vindicandam injuriam, hic & nunc tamen non ordinatur ad hunc finem, sed ad promerendam gloriam. Et hanc esse mentem s. Augustini, patet ex lib. 2. Capitul. c. 4. ubi ait: *Concupiscentia cum parvulis nascitur; in parvulis autem baptizatis à reatu solvitur, ad agonem relinquitur.*

Dices 3. Christus pro peccato originali, & pro peccatis actualibus sustinuit pœnas propriè dictas, & tamen non habuit reatum culpæ; ergo non identificantur.

Respondeo. dist. a. Sustinuit pœnas propriè dictas proprietate pœnæ *materialiter* talis. c. *formaliter* talis. n. a. D. Thomas 1. 2. q. 87. a. 7. C. docet, pœnas Christi tantum fuisse satisfactorias, non autem simpliciter dictas.

Ibidem ad 3. ubi sibi objecerat, quòd Christus non peccaverit, & tamen sustinuerit pœnam, adeoque pœna non semper infligatur pro culpa, respondet: *Dicendum, quòd Christus pœnam sustinuit satisfactoriam, non pro suis, sed pro nostris peccatis.* De hac autem pœna satisfactoria in C. dicebat: *Pœna dupliciter potest considerari, simpliciter, & in quantum satisfactoria; pœna satisfactoria est quodammodo voluntaria; si verò loquamur de pœna simpliciter, secundum quod habet rationem pœnæ, sic semper habet ordinem ad culpam propriam. Sciendum tamen, quod aliquid videtur esse pœnale, quod tamen non habet simpliciter rationem pœnæ: pœna enim est species mali, malum autem est privatio boni.* Ita ille.

Objicitur 2. *contra eandem.* Si reatus culpæ, & pœnæ strictè ac simpliciter dictæ identificarentur, tunc verum esset, post peccatum nil aliud remanere realiter, quam reatum pœnæ; sed hoc non potest dici; ergo. *Min. prob.* ex proposit. 65. Baji damnata à Pio V. quæ sic habet: *In peccato sunt duo, actus & reatus; transeunte actu nihil remanet, nisi reatus, seu obligatio ad pœnam.*

Respondeo n. *Maj.* Quia remanet macula, seu privatio gratiæ sanctificantis. Propositio damnata in hoc errat, quòd non admittat maculam propriè dictam, seu privationem gratiæ sanctificantis, ùt patet ex contextu. Ipsa macula, licèt etiam ista juxta D. Thomam sic effectus peccati, non tamen propriè loquendò habet rationem pœnæ; quia non infligitur à Deo, sed eligitur ab homine.

Objicitur 3. In absolutione sacramentali totaliter remittitur culpa, & tamen non remittuntur pœnæ strictè tales; ergo &c. *Ant. quoad* 1. *membrum supponitur* ex communi sensu Theologorum, & ex eo; quia videtur difficile, quòd Deus adhuc reservet iram erga conversum; cùm peccatori promittat, se non recordaturum peccati, & ipsi promittat omnia signa amicitiæ. *Ant. quoad* 2. *memb. prob.* Post absolutionem remanent pœnæ purgatorii; sed hæ sunt pœnæ strictè dictæ; ergo. *Min. prob.* Videtur inconveniens, Deum suo amico impotenti ad solvendum irrogare tam atroces pœnas, nisi animò vindicandi, & exprobrandi culpam; ergo.

Respondeo. n. a. *quoad* 2. *membr.* quia ipsæ pœnæ purgatorii non habent rationem pœnæ strictè talis, cùm voluntariè suscipiantur ab iis, qui decedunt in gratia. *Ad prob.* n. *Min. ad prob.* dist. a. Videtur tam gravis pœna esse species viodictæ, attamen *ultroneæ*, ac simpliciter voluntariæ. c. non *ultroneæ*. n. a. vel dist. sic: Videtur hoc inconveniens, nisi summa perfectio justitiæ in amico exigat tam gravem compensationem, & voluntariæ vindictæ præstationem. c. secus. n. ant. Vel denique tertiò dist. Videtur esse species vindictæ *materialiter* talis. c. *formaliter* talis. n. a. Illæ enim pœnæ non sunt cum indignatione erga personam, & ex motivo odii; sed ob æqualitatem justitiæ, quæ jubet par pari referri etiam in eo, cujus voluntas jam concordat cum puniente.

Objicitur 4. *contra* 2. *Conclusionem* 1. Ubicunque simpliciter loquendo reperitur reatus pœnæ, etiam reperitur aliquis reatus culpæ; ergo sunt inseparabiles. *Prob. Ant.* Ubicunque reperitur reatus pœnæ, ibi dicitur pœna sustineri pro peccato, & non vi taciti pacti, aut compensationis ultroneæ; ergo adhuc exstat in meote vindicis motivum peccati.

2. Omnis pœna est tacita exprobratio culpæ; ergo &c. *Prob. Ant.* Quævis pœna tacitè dicit: *Vide, quòd peccaveris, & agnosce, quàm amarum sit deliquisse in Dominum*; ergo.

3. In humanis nemo cum torquet extremis suppliciis, quem recipit in intimum amicum; ergo nec Deus: & consequenter quemcunque Deus torquet personaliter, ipsi non est remissa culpa totaliter, neque est restaurata amicitia totaliter.

Respondeo *ad* 1. n. a. *ad prob.* c. a. dist. c. Ergo peccatum sub ratione *conversionis* ad creaturam adhuc exstat per modum motivi in intentione vindicis. c. sub ratione *aversionis* à Deo. n. c. Peccatum dicit duo, conversionem, & aversionem: sub ratione *aversionis* à Deo fundat rationem reatus culpæ, id est, maculæ; sub ratione autem *conversionis* fundat reatum pœnæ. Imò sub hac diversa consideratione peccatum est ipse reatus pœnæ, & culpæ. Itaque, dum peccatum remittitur in absolutione, remittitur quidem totaliter in ratione culpæ, seu aversionis, ita ut nec minima pars aversionis remaneat; non tamen remittitur sub ratione reatus pœnæ genericè sumptæ, prout abstrahit à strictè dicta, vel satisfactoria, quæ est involuntaria secundum quid. Hæc responsio est conformis principiis D. Thomæ in 2. Sent. dist. 42. q. 1. a. 2. C. ubi ait:

ait: „Propriè reatus nihil aliud eſt, quam obligatio ad pœnam; & quia hæc obligatio quodammodo media eſt inter culpam, & pœnam ex eo, quòd propter culpam aliquis ad pœnam obligatur, ideo nomen medii ſumitur ad extrema, ut interdum ipſa culpa, vel etiam pœna reatus dicatur." Et ad objectionem 5. ubi ſic ſibi objicit: „Infuſa gratia ceſſat privatio gratiæ; ſed adhuc tamen aliquis reatus manet, quo homo ſaltem ad pœnam temporalem obligatur; ergo videtur, quòd per privationem gratiæ reatus poſt actum remaneat." Reſpondet, quòd in puniente per infuſionem gratiæ non tollatur illa inordinatio, quæ babetur per receſſum à Deo, adeoque peccatum non tollatur ſub illa formalitate, quæ vocatur reatus pœnæ, ſeu converſionis. „Dicendum (inquit) quòd in peccante ſunt duo defectus: unus eſt, qui eſt in ipſo actu peccati ſecundum quod aliquis limites legis divinæ, & rationis rectæ transgreditur: Alius eſt in ipſo peccante privatio virtutis ex priori defectu inducta. Quamvis autem, cùm aliquis gratiam recuperat, ſecundus defectus tollatur, non tamen ex toto primus ſublatus eſt; quia oportet, ut, quantum voluntati ſuæ obedierit præter legem Dei, tantum in contrarium recompenſet." Similiter in 4. Sent. diſt. 18. q. 1. a. 2. c. ait: „Dicendum, quòd in peccato ſunt duo, converſio ad commutabile bonum, & averſio ab incommutabili Bono; & ſecundùm hoc ſunt duo effectus peccati: unus eſt indignatio Dei ad nos averſioni peccati reſpondens: alius eſt pœna inordinata converſionem ordinans." Talia habet 1. 2. q. 86. per totum.

Ad 2. diſt. a. Eſt exprobratio culpæ *correctiva*, & purgativa. c. averſiva, & *indignativa*, n. a. Reatus culpæ ſimpliciter dicit reatum maculæ, & jus ad averſionem Dei à creatura, quod non amplius datur.

Respondeo 2. diſt. a. Eſt exprobratio culpæ denominativè, & *materialiter* ſumptæ. c. *formaliter* ſumptæ. n. a. Quia illud, quod erat & vocabatur culpa, eſt adhuc objectum exprobrationis ratione converſionis ad creaturam; non tamen amplius habet rationem culpæ ſeu actus avertentis à Deo, nec conſtituit hominem ut objectum indignationis divinæ.

Ad 3. n. a. Quia & Pater corrigit filium, vel ad exemplum aliorum, vel ob gubernationem familiæ; quamvis illum amet, & paret illi hæreditatem.

Objicitur 4. *contra eandem.* 1. Idem eſt peccatum, & culpa; ergo ſi peccatum non totaliter remittitur per abſolutionem.

2. Si quis per integrum annum, vel toto vitæ tempore confiteretur ſemper idem peccatum, ſemper abſolveretur à culpa; ergo nunquam fuit totaliter remiſſa culpa, tam parùm, quàm reatus pœnæ.

3. Theologi in *Concilio Trid.* plerique ſenſerunt, in abſolutione non remitti totam culpam, ac totaliter; ergo probabiliùs non remittitur totaliter, licèt remittatur ſimpliciter. *Prob. Ant.* Andreas Vega Doctor Salmanticenſis (qui interfuit *Concilio Tridentino*, maximè tunc, quando Patres, & Theologi ſemeſtri ſpatiò plus quàm 80. vicibus convenerunt ad diſcutiendam materiam juſtificationis; ideoque optimè ſcivit ſenſum Patrum & Theologorum in eo opere, quod de *juſtificatione* Venetiis edidit, & ipſi Concilio dedicavit) lib. 13. c. 36. diſtinctè pronuntiat, *per contritionem, aut abſolutionem ſacramentalem dimitti quidem ſemper culpam, quantum ad hoc, ut ſuum factorem non amplius faciat inimicum Deo, attamen non ſemper dimitti in totum*, aitque, *quoad decretum juſtificationis prævaluiſſe meliores Theologos, qui cenſuerant, ſatisfactiones noſtras non exſolvi tantùm* PRO POENA TEMPORALI, *quæ mortalibus eſt debita poſt juſtificationem; ſed eas etiam præſtari* PRO IPSIS PECCATIS. Ergo juxta Vegam, & alios Concilii Patres ac Theologos poſt juſtificationem remanet macula per ſatisfactionem delenda, non mortalis; ergo venialis, in quam culpa mortalis per abſolutionem quodammodo eſt commutata.

Respondeo *ad* 1. diſt. a. Idem eſt peccatum ſub ratione *inadæquata* ſumptum, & culpa. tranſ. Sub ratione *adæquata* ſumptum. n. a. Peccatum enim dicit duo, nempe reatum pœnæ, & reatum culpæ; hunc ſub ratione averſionis à Deo, illum ſub ratione converſionis ad creaturam. Adeoque non ſequitur, quòd ſi totum non tollitur, etiam pars non tollatur totaliter, ſeu reatus culpæ.

Ad 2. diſt. a. Abſolveretur à culpa *denominativè* accepta. c. *reduplicativè* accepta. n. a. Peccatum enim ſemper habet quamdam punibilitatem, ſeu indignitatem ad majores gratias, vel majorem gloriam, quam homo accepiſſet, ſi non commiſiſſet peccatum veniale. Hæc *pœna damni*, ſeu indignitas poteſt minui in infinitum. Ita videtur docere D. Thomas in 4. diſt. 18. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 4. "Dicendum (inquit) quòd quidam dicunt, quòd in prima abſolutione tantum dimittitur vi clavium, quantum dimitti poteſt: ſed tamen valet iterata confeſſio tum propter inſtructionem, tum propter majorem certitudinem, tum propter interceſſionem confeſſoris, tum propter verecundiæ meritum. Sed hoc non videtur verum; quia, ſi eſſet hæc ratio iterandi confeſſionem, non tamen eſſet ratio iterandi abſolutionem, & non requireretur, quòd haberet uſum clavium ille, cui fit confeſſio: & ideo dicunt, quòd etiam in ſecunda abſolutione vi clavium de pœna remittitur; quia etiam in ſecunda abſolutione confertur augmentum gratiæ; & quantò major gratia recipitur, minus de punibilitate peccati præcedentis manet, & ideo minor pœna purgans debetur. Unde & in prima abſolutione alicui plus, & minus de pœna dimittitur vi clavium, ſecundùm quod plùs ſe ad gratiam diſponit; & poteſt eſſe diſpoſitio, quòd etiam ex vi contritionis tota pœna tollatur. Unde etiam non eſt inconveniens, ſi per frequentem confeſſionem etiam tota pœna tollatur, ut peccatum omninò maneat impunitum." Ita D. Thomas.

Ad 3. diſt. a. plerique ſenſerunt, non ſemper remitti totaliter culpam *denominativè* ſumptam. c. *reduplicativè* ſumptam. n. a. Vega tantùm

D. Amort Tract. de Peccatis.

arguit eos, qui docuerunt, pœnam satisfactoriam non solvi pro peccato, cum quo identificantur reatus culpæ, & reatus pœnæ, sed tantùm pro pœna, quod etiam nos ipsi negamus; quia satisfactio solvitur pro peccato, quatenus remanet sub ratione reatus pœnæ: eo ipso enim, quòd non faciat ampliùs peccatum hominem inimicum Deo, non manet ampliùs sub ratione culpæ ne quidem leviter. Et hunc esse sensum hujus Authoris, patet ex ejus verbis, quæ sic habent: *Quamvis quidam Theologi contenderent, satisfactionem non fieri pro culpa, quandoquidem illa post absolutionem jam non erat; tamen alii meliores Theologi prævaluerunt, qui, sicut Scriptura, & SS. Doctores docent, satisfactiones verè, & propriè fieri pro culpa affirmarunt. Esto enim per contritionem, vel absolutionem culpa sit dimissa, neque maneat, quantum ad hoc, ut inimicum Deo faciat suum factorem, tamen dimissa non est in totum, sed adhuc manet in imputatione divina; quia Deus eam imputat ad reatum pœnæ temporalis.* Fatendum tamen, illum modum loquendi, quòd satisfactiones præstentur propriè pro peccato, & quòd mundetur peccatum, & solvatur culpa contracta, eminenter esse conformiorem unanimi sensui Patrum & Conciliorum per decem prima sæcula.

OBJICITUR 6. *contra eandem* 1. Post absolutionem remanet aliqua macula peccati; ergo manet culpa etiam in ratione culpæ. *Prob. Ant.* DAVID post absolutionem, & remissionem à Deo acceptam adhuc rogat, se lavari à macula suæ culpæ; ergo &c. *Ant. prob.* Postquam Nathan Propheta Davidi dixerat: *Dominus transtulit peccatum tuum*; ille nihilominus adhuc rogat: *Amplius lava me ab iniquitate mea*; ergo.

2. D. THOMAS hunc locum exponens ait: *Davidem desiderasse potiùs, ut mundetur à culpa, quàm ut liberetur à pœna temporali.* Similes expositiones habent HIERONYMUS, BASILIUS, THEODORETUS *in Gloss. Ordinar.* & AUTHOR QUÆSTIONUM *nov. & vet. Testamenti. q.* 112. Ergo etiam hi Patres crediderunt, post remissionem peccati simpliciter dictam remanere aliquid culpæ.

3. In animabus purgatorii adhuc verè datur macula peccatorum etiam illorum, à quibus fuerunt absoluti in vita; ergo. *Ant. prob.* inprimis, quia ipsum nomen *purgatorii* significat purgationem maculæ, ac fœditatis, non autem præcisè solutionem compensationis ex pacto quasi tacito inter Deum, & animam. Et a. BONAVENTURA in 4. Dist. 31. a. 2. q. 1. cum aliis Theologis ac Patribus conformiter ad Scripturam describit animas ùt *immundas, sordidas, maculatas, fœdas* &c. juxta illud: *nihil coinquinatum intrabit in regnum Dei.* Denique HUGO *à S. Vict.* cum aliis dicit; in purgatorio expurgari *scoriam peccati*, quod utique est aliqua macula. Ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. Quia quamprimùm homo per veram conversionem cordis convertitur ad Deum, etiam cessat aversio Dei per subtractionem donorum statum hominis condecentium. vel dist. *Ant.* Remanet aliqua macula consistens in privatione donorum *indebitorum* ex natura, vel pacto, vel consistens in deordinatione potentiarum consequente ad deordinationem voluntatis. c. simpliciter dicta consistens in privatione donorum *debitorum* ex natura, aut pacto. n. *Ant.* Ut enim in *Prænotandis* dictum est, reatus culpæ simpliciter dicit ordinem ad maculam consistentem in privatione gratiæ sanctificantis, aut consuetorum officiorum amicitiæ, quæ macula non reperitur post remissionem peccati in peccatore, aut in animabus purgatorii; quia non ampliùs datur indignatio, & aversio Dei, nec ira aversiva affectus quoad præcipua officia amoris, & amicitiæ, sed tantùm actio vindicativa amantis Patris ob exigentiam justitiæ.

Ad prob. dist. a. petit se lavari à macula consistente in deordinatione potentiarum, aut in privatione donorum indebitorum ex natura status, aut pacto. c. a. macula hic & nunc in Scholis *simpliciter* dicta. n. a. Sicut enim sensus verborum dependet ex usu hominum, sic haud dubiè pro diversitate temporum, locorum, & circumstantiarum alligantur eidem verbo diversæ notiones. Idem contingit cum isto verbo: *macula, culpa* &c. nunc enim huic verbo ex usu Theologiæ Scholasticæ simpliciter alligatur tantùm quædam relatio ad indignationem Dei, & aversionem divinam erga hominem, juxta acceptionem D. THOMÆ, qui hoc nomen prudenter restrinxit ad notionem determinatam, ac strictam; quamvis in idiomate Patrum, & plebis per ista nomina intelligatur quævis macula etiam causalis, & constitutiva peccati, consistens in privatione debitæ rectitudinis, aut in ablatione donorum indebitorum, aut jurium ad officia amoris & amicitiæ cum Deo.

Ad 2. dist. a. dicunt, Davidem mundari à culpa *denominativè* sumpta. c. formaliter, ac *reduplicativè* sumpta. *subdist.* Sumpta in ratione culpæ *latè* dictæ. trans. *strictè*, & simpliciter, ac ex usu Scholarum dictæ. n. a. Ex dictis enim patet, quòd culpa simpliciter, & strictè dicta in ore Scholasticorum tantùm significet reatum maculæ, ùt fundantis indignationem Dei erga hominem: in quo sensu tunc temporis non ampliùs dabatur in Davide.

Ad 3. n. a. *ad prob.* dist. a. Animæ purgatorii dicuntur *immundæ* &c. immunditia proveniente ex habituali deordinatione potentiarum, & ablatione donorum *indebitorum* ex natura, vel pacto. c. donorum *debitorum* vi conversionis Dei ad creaturam per affectum amicitiæ. n. a. Dicit D. THOMAS, quod in animabus purgatorii detur adhuc deordinatio potentiarum ex peccato relicta, sicut concupiscentia ex peccato Adami, & privatio donorum indebitorum, ac jurium, puta ad regnum Dei, quæ non tolluntur, nisi per satisfactionem pœnalem sic constituente Deo. 1. 2. q. 87. a. 6. ad 3. sic habet: *Dicendum, quòd remotâ maculâ sanatum est vulnus peccati, quantum ad voluntatem: requiritur autem adhuc pœna ad sanationem aliarum virium animæ.* Et in 4. dist. 21. q. 9. a. 1. quæstiunc. 3. c. *Quædam venialia sunt majoris adhærentia, quàm alia, secundùm quod affectus in ea magis inclinatur, & fortiùs in eis figitur; & quia ea, quæ sunt majoris adhærentiæ tardiùs purgantur, ideo quidam in purgatorio diutiùs, quàm alii torquentur, secundùm quod affectus eorum ad veniale fuit magis immersus.* Idem prorsus eodem modò sufficienter in

in pluribus locis explicat GREGORIUS NYSSENUS. Et locô proximè citatô ad 1. D. THOMAS sic respondet: *Dicendum, quòd acerbitas pœnæ propriè respondet quantitati culpæ; sed diuturnitas respondet radicationi culpæ in subjecto. Unde potest contingere, quòd ille diutius in purgatorio moretur, qui minùs affligitur.* Et ibid. quæstiunc. 2. ad 1. cùm sibi objecisset, quòd omnis purgatio respiciat fœditatem, dicit: *Reatus, quamvis non importet fœditatem, quantùm in se est; tamen habet ordinem ad fœditatem ex causa sua.* Igitur ex hoc, quòd juxta D. THOMAM purgetur fœditas radicalis proveniens ex adhæsione potentiarum, & affectuum ad creatnras, per quam fuit activitas charitatis diminuta, colligitur, quòd pœna purgatorii tantùm respiciat peccatum secundùm ejus *conversionem* ad creaturas; non autem respiciat peccatum secundùm *aversionem* ejus à Deo, aut aversionem Dei à creatura, sub qua ratione peccatum formaliter dicitur culpa. Sed per passionem successivè activitas potentiarum languentium recuperatur, donec tandem affectus animæ deducantur ad pristinam puritatem, & promptitudinem charitatis. Sicut enim juxta D. THOMAM in purgatorio potest tolli culpa peccati venialis in iis, qui discesserunt sine bono motu voluntatis, ita potest tolli defectus languoris potentiarum ad promptitudinem charitatis per ejusmodi medium, seu meritum passionis latè dictum. loc. cit. quæstiunc. 1. ad 4. sic habet: *Dicendum, quòd post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmii essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse, quamdiu manet homo in statu viæ aliquo modo; & ideo in purgatorio potest esse actus meritorius, quantùm ad remissionem culpæ venialis.* Et ad 1. dicit, quòd non ponatur novum *formale* constitutivum meriti, sed tantùm *materiale*, dum ait: *Homo hic (id est, in hac vita) meruit, ut ibi illa pœna sit meritoria sibi.*

QUÆSTIO IV.

An peccatum mortale mereatur pœnam æternam etiam sensûs?

NOTANDUM 1. Esse articulum fidei de facto peccato mortali infligi pœnam æternam: id enim in terminis continetur *Isai. 66. Marc. 9. Matth. 25. 2. Thessal. 1.* Et ex aliis locis Scripturæ colligitur. Hinc & SS. PP. cum omnibus Doctoribus Ecclesiæ semper agnoverunt, hæreticam esse doctrinam ORIGENIS, qui lib. 1. *Periarchon* c. 6. docuit, pœnas damnatorum aliquando esse finiendas, & ipsum diabolum in suum pristinum statum fore rediturum. De illo a. AUGUSTINUS l. 21. de civ. c. 17. ait: *Illum propter hoc, & nonnulla alia, & maximè propter alternantes sine cessatione beatitudines, ac miserias non immerito damnavit Ecclesia.*

NOTANDUM 2. Dari varios Doctores Catholicos, qui non obstante hac doctrina defendunt, ex privilegio extraordinario, ac dispensatione quosdam ex inferno liberatos esse. GONET hic Disp. 8. a. 6. n. 95. & 100. ait: „Supponimus certum de fide, pœnas inferni saltem de lege communi nullum finem habituras esse. „ Hæc suppositio, ut dixi, de lege communi, & ordinaria intelligenda est; quia non repugnat, aliquos per potentiam extraordinariam, & singulari quodam privilegiô ab inferis revocari, ut de Trajano Imperatore quidam existimant precibus D. Gregorii ex inferno revocato. Ita D. THOM. in 4. disp. 45. q. 2. qq. 1. ABUL. VINCENT. BELLOVAC. BELLARM. SIXTUS SENENSIS, NAVARRUS &c. „Sed quidquid „ sit de veritate hujus historiæ, quam BARONIUS risu dignam censet ad annum 644. tom. 6. negari non potest, ex tanta multitudine mortuorum, quos Christus Dominus, & Apostoli, aliique Sancti resuscitarunt, plurimos in peccato mortali obiisse, atque adeo ex inferno, vel alio loco, ubi detinebantur, fuisse revocatos, subindeque non repugnare, aliquos ex speciali privilegio, & potentia extraordinaria à pœnis inferni liberari." Ita GONET, cui neutiquam consentio; sed potius credo, resuscitatos obiisse in statu gratiæ, vel eorum animas adhuc in statu viæ relictas, & tantum in loco pœnarum *interea* asservatas fuisse.

NOTANDUM 3. Quæstionem in eo versari, utrum peccatum mortale *per se* ex malitia intrinseca mereatur pœnam æternam, vel tantum *per accidens* ratione legis divinæ, vel ratione subjecti; quod, quia in æternum erit privatum gratia, aut maculatum sine retractatione, in æternum punietur. Dein quæritur, an ea pœna, quæ in damnatis est æterna, non tantum sit æterna in ratione *damni*, sed etiam quoad pœnam *sensûs*.

NOTANDUM 4. Varias esse Doctorum in hac re sententias. Aliqui docuerunt, peccato mortali deberi pœnam infinitam, tam *intensivè*, quàm *extensivè* quoad durationem temporis. Hanc tenet ALMAINUS lib. 3. *Moral.* c. ultimo. Econtra *Thomistæ* cum aliis docent, peccato mortali tantum deberi infinitam pœnam extensivè quoad durationem, non autem simul intensivè infinitam. Prior Sententia probabilis censetur etiam à SUAREZ Tract. 5. *de Actibus hum.* Disp. 7. Sect. 5.

DICO I. Certum est peccato mortali de facto infligi pœnam æternam, non solùm damni, sed etiam sensûs.

PROBATUR Conclusio. *quoad 2. part.* potissimum ex Scriptura, ubi etiam pœna sensûs dicitur esse æterna. Sic Matth. 25. v. 46. & Marc. 9. v. 42. dicitur: *Damnandos ituros in supplicium æternum.* Isai. 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Judith. 16. v. 21. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur in sempiternum.* Similiter Evangelium vocat ignem gehennæ *inextinguibilem* Matth. 3. Marc. 9. Luc. 3. Et in Apoc. c. 14. v. 11. dicitur: *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Quæ omnia denotant æternitatem etiam quoad pœnam sensus.

DICO II. Peccato mortali debetur pœna æterna etiam sensûs per se, & ex malitia intrinseca actus.

PROBATUR Conclusio 1. Quandocunque Legislator prohibet actum sub quacunque pœna, transgrediens legem eo ipso meretur illam pœ-

nam ex ipsa natura transgressionis; sed Deus prohibet peccatum sub pœna etiam sensus æterna; ergo &c.

PROBATUR 2. Deus est infinitè sapiens & bonus; ergo non est præsumendum, eum voluisse statuere pœnam æternam etiam sensus, fine merito intrinseco hujus pœnæ ex parte actus peccaminosi.

PROBATUR 3. Peccatum est contra eum, qui est infinitæ potentiæ, & dignitatis; ergo etiam meretur summum aliquod genus pœnæ: consequenter, cum infinita *intensivè* esse non possit quoad pœnam sensus, debebit esse saltem æterna, seu *extensivè* infinita.

PROBATUR 4. Qui peccat, quantum est de se, constituit rationem sui ultimi finis, & summi boni in creatura per inordinatam conversionem ad illam; ergo dignus est separari à causa, & principio bonorum omnium: atqui hoc non fieret, si tantum excluderetur ad aliquod tempus à bono etiam sensus; ergo. *Min. prob.* Tali modo homo adhuc retineret saltem radicem, & jus ad communionem cum summo bono per cessationem pœnarum quoad sensus; ergo.

PROBATUR 5. Sunt tantum possibilia duo summa extrema, nempe cumulus *bonorum* omnium, & cumulus *malorum* omnium, id est, divisio inter *summum bonum*, & inter *summum malum*, seu negatio bonorum omnium; ergo, qui per peccatum mortale se separat à Deo, nec in eo vult habere partem, meritò incidit in negationem omnium bonorum, seu in cumulum malorum omnium, inter quæ utique etiam pœna sensus est.

PROBATUR 6. Peccatum mortale meretur geminam pœnam damni, & sensus, saltem ad tempus; ergo etiam æternam. *Prob. Conseq.* Peccatum mortale ex sua natura hoc ponit, ut malum, in quod semel incidit, sit irreparabile; ergo. *Prob. Ant.* Peccatum mortale tollit condignitatem ad omne meritum, quod est ex amicitia Dei; ergo malum, in quod incidit, ex natura sua est irreparabile. *Prob. Conseq.* Si tollit omnem condignitatem meriti, tunc tollit etiam jus rigorosum ad reconciliationem, condonationem peccati, & reliqua amicitiæ obsequia; ergo est irreparabile.

PROBATUR 7. Qui se ipsum occidit, meretur æternam mortem, nec habet jus ad resuscitationem; ergo etiam, qui per peccatum mortale tollit principium vitæ internæ, non meretur resuscitationem à morte interna animæ, & ejus præcipuis consecutionibus, inter quas est etiam pœna sensus.

PROBATUR 8. Debitor pro illata injuria, quamdiu non condignè satisfacit, semper manet debitor pœnalitatum debitorum culpam consequentium; sed peccator per totam æternitatem non debitè satisfacit pro injuria Deo illata; ergo &c. *Min. prob.* Peccator per mortale peccatum privat se jure etiam ad eliciendam vel minimam cogitationem de pœnitentia; ergo se constituit ultrò in statu impotentiæ æternæ satisfaciendi pro injuria.

PROBATUR 9. Peccator est virtualiter ita constitutus, ut stante præsente complexo omnium circumstantiarum semper, ac æternum vellet peccare; ergo dignus est pœna æterna. Videri potest S. CHRYSOSTOMUS Homil. 25. *in Epist. ad Rom.* & Homil. 9. *in* 1. *Cor.* Et D. THOMAS l. 3. *contra gentes* c. 144.

DICO III. Peccato mortali non debetur de condigno pœna infinita secundum intensionem. Ita D. THOMAS 1. 2. q. 87. a. 4. cum communi.

PROBATUR Conclusio. Pœna correspondet peccato secundum ejus conversionem ad creaturam; sed in hoc genere non meretur pœnam simpliciter infinitam intensivè; ergo. *Min. prob.* Conversio ad creaturam secundum se abstrahendò ab ejus aversione à Deo non habet inordinationem infinitam; ergo sub hac ratione non meretur pœnam infinitam. *Ant.* est D. THOMÆ loc. cit. quæst. præced.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 1. *Conclusionem* 1. Potest dici, quòd æternitas pœnæ tantùm correspondeat peccato, in quantum est aversio à Deo, non verò in quantum est conversio ad creaturam; ergo saltem pœna sensus non erit æterna. *Ant. prob.* ex D. THOMA loc. cit. q. 87. a. 4. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quòd duratio pœnæ respondet durationi culpæ, non quidem ex parte actus, sed ex parte maculæ.*

2. Idem loc. cit. a. 5. ad 3. ait: *Æternitas pœnæ non respondet quantitati culpæ, sed irremissibilitati illius*; ergo non meretur æternam pœnam sensus.

RESPONDEO *ad* 1. c. a. dist. c. Non erit æterna, nisi per se conjungatur cum radice irreparabilitatis. c. secus. n. c. Conversio enim, quando conjungitur cum aversione à Deo, quæ est principium separationis à principio bonorum omnium, eo ipso amittit jus ad omne bonum, adeoque etiam ad cessationem pœnæ, aut condonationem, & ad meritum condonationis.

Ad 2. dist. a. Non respondet immediatè, ac *formaliter*. c. *concomitanter*. n. a. Quia dum æternitas per se respondet aversioni à Deo, simul concomitanter, ac realiter respondet omnibus hic & nunc connexis inseparabiliter cum aversione à cumulo bonorum omnium.

OBJICITUR 2. *contra* 2. *Conclusionem* 1. Pœna debet esse proportionata culpæ; sed pœna æterna non est proportionata culpæ momentaneæ; ergo &c.

2. Si deberetur æterna pœna peccato mortali, tunc ideo, quia peccans haberet affectum peccandi æternum; sed hoc nihil probat; ergo &c. *Min. prob.* Etiamsi haberet talem affectum, tamen talis affectus non æquivaleret peccato revera æterno; ergo per hoc non haberet commensurationem cum æternitate. *Ant. prob.* Per hoc, quòd aliquis habeat affectum subeundi martyrium, vel peragendi omnia bona opera omnium Sanctorum non habet meritum omnium Sanctorum, & Martyrum; ergo &c. Consequenter falsum est principium D. THOMÆ hic, quòd

quòd voluntas apud divinum judicium pro facto reputetur.

RESPONDEO I. *ad* I. *retorquendò* in homicida, qui condemnatur ob momentaneum homicidium ad metalla, vel aliam pœnam perpetuam toto vitæ tempore, ùt CHRYSOSTOMUS Homil. 25. in Epist. ad Rom. observat. Sic etiam ob unicum actum v. g. blasphemiæ, aut læsæ majestatis multi condemnantur ad carceres perpetuos, vel mortem corporalem irreparabilem.

RESPONDEO 2. dist. *Min.* Non est proportionata proportione *arithmetica*. c. *geometrica*, aut morali. n. *Min.* Sicut enim se habet injuria illata terrestri Regi ad pœnam temporalem, attamen diuturniorem delicto; ita se habet injuria illata Enti infinities excellentiori ad pœnam infinitiea majorem. Dein suppositò, quòd non haberet locum etiam commensuratio *geometrica*, haberet tamen locum commensuratio *moralis*, quæ æstimat terminos comparationis ex habitudine mutua ad invicem; quamvis ipsa complexa non sint commensurabilia ad alia complexa.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. a. Etiamsi haberet talem affectum *inefficacem*, tamen non æquivaleret peccato revera æterno. c. Si haberet affectum de se *efficacem* &c. n. ant. Affectus enim de se efficax semper æquivalet operi, & præmio commensurato ipsi operi; sed quando ipsum opus externum habet vel specialem difficultatem, vel quando effectus est absolutè impossibilis, vel quando effectus non consistit in actu immediatè dependente à libertate hominis, tunc non æquivalet operi.

OBJICITUR 3. *contra* 3. *Conclusionem* I. Peccatum mortale est malitiæ simpliciter infinitæ; ergo debetur illi infinita pœna in omni genere pœnæ, adeoque etiam intensivè infinita.

2. Peccatum mortale in genere malitiæ superat infinitas malitias peccatorum venialium; sed infinitæ malitiæ venialium mererentur pœnam infinitam etiam intensivè talem; ergo & peccatum mortale.

RESPONDEO *ad* I. dist. ant. Est malitiæ simpliciter infinitæ infinitudine *unius* generis, ac relativa ad *aversionem* à Deo. transf. *omnis* generis, & respectiva *conversionis* in peccato reperibilia. n. ant. Sicut homo dicitur simpliciter rationalis, etiamsi non sit secundum omnes partes sui constitutivas rationalis; ita etiam potest dici peccatum malitiæ simpliciter infinitæ, licèt ea infinitudo tantum afficiat unam ejus partem, videlicet aversionem à Deo, cui respondet pœna damni, pariter eo genere infinitudinis malorum infinita.

Ad 2. tr. *Maj.* n. *Min.* Quia infinitum extensivè tantum mereretur pœnam infinitam extensivè, id est, pœnas infinitas, quamvis non essent infinitæ intensivè.

OBJICITUR 4. *contra eandem* I. Peccatum mortale est majus malum omni malo pœnæ; ergo, etiamsi ponatur pœna infinities intensa, tamen peccatum erit majus malum: ergo dignum est pœna intensivè infinita.

2. Deus punit infra condignum; ergo pœna intensivè finita est minor illa pœna, quam meretur; ergo, quam meretur, solum est infinita.

3. Peccatum mortale meretur pœnam infinitam quoad durationem; ergo etiam quoad intensionem. *Prob. Conseq.* Minus malum est pœna intensivè infinita, quàm extensivè infinita quoad durationem temporis; ergo &c. *Ant. patet;* quia, si Deus determinaret pro uno instanti pœnam intensivè infinitam, non ita absterrerentur homines à peccato, sicut per infinitam extensivè.

RESPONDEO I. *ad* I. *Retorquendò* in peccatò veniali.

RESPONDEO 2. dist. a. Est majus malum omni malò pœnæ, sub *diversa* tamen ratione mali. transf. in *eodem* genere, ac ratione mali. n. a. Neque enim est punibile majus malum quòcunque malò minori diversæ rationis; alioquin occidens caoem posset puniri summa pecuniaria aliquot millionum, cùm pecunia tam bonum non sit in genere physico, quàm animal. Itaque attendi debet in commensuratione pœnarum ad leges prudentiæ, ad perfectiones vindicis, & ad vires passi, quæ omnia non suadent pœnam intensivè infinitam pro conversione ad creaturam quà tali. Vel denique

RESPONDEO 3. dist. a. Peccatum in ratione *aversionis à Deo* est majus malum omni malò pœnæ. c. in ratione *conversionis ad creaturam*. n. a. Pœna autem sensus tantùm correspondet conversioni ad creaturas, quæ est tantùm malitiæ finitæ.

Ad 2. n. a. quia hoc est limitare omnipotentiam, & sapientiam divinam, quòd non possit invenire pœnam proportionatam delicto. Aliud etiam est, quòd de facto puniat infra condignum; aliud, quòd non possit punire suppliciò condignò.

Ad 3. c. a. dist. c. Ergo etiam meretur pœnam infinitam quoad intensionem, & *simul* cum intensione. n. a. *Seorsim* sumptam. *subdist.* Si *sit possibile* tale infinitum. transf. si *non sit possibile*. n. c. Quia pœna intensivè infinita cum extensivè infinita est majus malum, quàm sola pœna extensivè infinita; itaque peccatum mortale non meretur simul utramque.

DIXI *Transf.* Quia etiamsi non daretur pœna extensivè infinita, tamen peccatum mortale non mereretur pœnam intensivè infinitam; eò quòd ista tantùm correspondeat conversioni ad creaturas, quæ non est malitiæ infinitæ, prout est aversio à Deo. Vide plura de infinitudine malitiæ in peccato in *Tractatu de Incarnat.* ubi ex instituto examinatur, utrùm peccatum mortale malitiæ sit simpliciter infinitæ.

QUÆSTIUNCULÆ.

Solvuntur varia dubia de causa, & effectu peccatorum.

QUÆRITUR I. An peccatum veniale, vel mortale quoad culpam jam semel remissum, in inferno puniatur per accidens pœnâ æternâ?

RESPONDEO *cum distinctione.* Si culpa peccati venialis jam fuit dimissa ante peccatum mortale, pro quo infligitur damnatio, pœna illius erit temporalis; si verò nondum fuit dimissa,

erit

erit æterna. *Responsio* hæc est contra SCOTUM, & ejus discipulos, qui in 4. Disp. 21. q. 1. dicit, peccato veniali neque per accidens in inferno deberi pœnam æternam. Est verò ad mentem SALMANTICENSIUM, prout refert Author *Compendii* Tract. 12. dub. 4. n. 37.

PROBATUR *Responsio* 1. Authoritate D. THOMÆ, qui in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. ad 5. ait: „Dicendum, quòd pro illa parte pœnæ, quæ „remissa est in confessione, vel contritione, „nunquam punietur, sed pro residua; in æter„num tamen, ùt quidam dicunt; quia ratione „fori, in quo punitur, æterna pœna debetur: „sicut est in venialibus, quæ in purgatorio pu„niuntur pœnâ temporali, & in inferno æternâ. „Sed hocnon videtur simile; quia veniale ideo „in inferno æternaliter punitur, quia semper „manet, cùm non sit ibi aliquid, quod culpam „delere possit, sed pœna ex hoc ipso, quod „solvitur, expiatur. Et ideo alii dicunt, quòd „pœna, cujus est aliquis debitor post culpam „remissam, in æterno punietur temporaliter: „nec propter hoc sequitur, quòd sit in inferno „redemptio; quia pœna, quæ solvitur, non „redimitur; nec est inconveniens, quòd, quan„tum ad aliquid accidentale pœna inferni mi„nuatur usque ad diem judicii, sicut etiam au„getur." Ita D. THOMAS.

PROBATUR 2. Ad solvendam condignè pœnam non requiritur reconciliatio cum offenso; ergo etiam in damnatis ad solvendam præcisè obligationem pœnæ non fundatæ ampliùs in macula peccati, non requiritur reconciliatio per gratiam.

QUÆRITUR 2. An unum peccatum possit esse pœna alterius peccati?

RESPONDEO. Unum peccatum potest esse pœna alterius non per se quoad culpam, sed per accidens ratione annexi. Ita P. MEZGER Tract. 6. Disp. 24. a. 2. *Sensus* est, quòd peccatum in ratione culpæ non habeat rationem pœnæ, habeat tamen rationem pœnæ ratione effectuum, qui connectuntur cum sequente peccato. Tales effectus sunt subtractio auxiliorum magis abundantium, quibus deficientibus homo labitur in nova peccata; inordinatio, & affectio animi, vel corporis, quæ certa quædam peccata v. g. iræ, lasciviæ, invidiæ, comitari solent; item affectus afflictivi tam animi, quàm corporis, qui ex peccatis oriuntur, ùt sunt infamia, morbi, paupertas, & vermis conscientiæ.

PROBATUR *Responsio quoad* 1. *part.* Peccatum in ratione culpæ non habet proprietates pœnæ; ergo. *Ant. prob.* Pœna debet esse contra inclinationem patientis; culpa autem est juxta inclinationem: dein pœna à Deo assumitur in emendationem culpæ; culpa autem non potest sic assumi: denique pœna infligitur secundùm rectam rationem, & ab ipso Deo; non verò culpa; ergo.

PROBATUR *quoad* 2. *part.* Scriptura testatur, unum peccatum esse pœnam alterius, non per se, ùt ostensum est; ergo per accidens, & ratione annexi. *Ant. prob.* Rom. 1. dicitur: *Qui, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam.* Et 2. Thessal. 2. *Qui charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

QUÆRITUR 3. An omne peccatum non solùm sit contra inclinationem naturalem, prout in 1. *Disputat. in Quæstiunculis qq.* 2. dictum est? Sed etiam an corrumpat naturalem inclinationem hominis ad bonum?

RESPONDEO 1. Inclinatio hominis ad honestum entitativè spectata est identificata cum natura animæ rationalis, adeoque *entitativè* spectata non potest corrumpi per peccatum.

PROBATUR *Responsio.* Inclinatio hominis ad bonum, ac honestum, est æquè necessaria homini ad suum finem, ac propensio aliorum entium, & animalium ad suos fines; ergo est universalia, adeoque inseparabilis, ac consequenter realiter identificata cum natura animæ rationalia. Idem CONFIRMATUR ab experientia; quia nullus deprehenditur homo tam barbarus, qui non edat aliqua signa propensionis ad honestatem v. g. ad colendos parentes, educandos liberos, diligendos amicos, & benefactores, aut qui non approbet saltem virtutem.

RESPONDEO 2. Inclinatio hominis ad bonum minuitur per peccatum *extrinsecè*, id est, per oppositionem obstaculi, ac impedimenti, ne propensio naturalis ita promptè, ac expedite ad suum bonum exeat; hoc autem fit per passiones, quæ immediatè ad se rapiunt cogitationes animæ, & affectus, quibus dum anima occupatur ad vana, & inhonesta, non habet tempus easdem occupationes, & affectiones eliciendi erga honesta.

PROBATUR *Responsio* Authoritate D. THOMÆ hic q. 85. a. 1. C. ubi ait: „Cùm peccatum „sit contrarium virtuti, ex hoc ipso, quòd „homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod „est inclinatio ad virtutem. *Et. a.* 2. *C.* Du„pliciter potest intelligi diminutio: uno modo „ex parte radicis, alio modo ex parte termini. „Primò quidem modò non diminuitur per pec„catum, eò quòd peccatum non diminuit ipsam „naturam; sed diminuitur secundò modò, in „quantum scilicet ponitur impedimentum per„tingendi ad terminum. Hinc

RESPONDEO 3. Per peccatum non amittitur inclinatio naturalis ad bonum totaliter. Hæc *Responsio* est contra Lutheranos, & Quesnellistas, qui dicunt per peccatum amitti libertatem ad bonum, & tamen remanere potentiam ad peccandum, ac se vulnerandum. PATET hæc *Responsio* ex dictis; quia inclinatio entitativè est idem cum natura, quæ non potest tolli: impedimenta autem possunt tolli, & iis stantibus datur remorsus conscientiæ, qui nil aliud est, quàm motus quidam inclinationis naturalis ad honestum contrarius actui pravæ voluntatis.

QUÆRITUR 4. An idem actus possit simul esse peccaminosus, & licitus; meritorius, & demeritorius?

RESPONDEO. Idem actus *materialiter* spectatus potest esse simul *meritorius*, & *demeritorius*,

rius, fuppofito, quòd fit tantum peccatum veniale.

Probatur *Refponfio* 1. v. g. Mendacium mulierum obstetricum Ægyptiacarum erat meritnrium, & demeritorium: *meritorium* ex intentione finis falvandi parvulos: *demeritorium* autem prnpter ignorantiam vincibilem, feu advertentiam interpretativam ad malitiam mendacii. *Exodi*. 1. Idem contigit in mendacio Rachab abfcondentis exploratnres. *Jofue*. 2. Item in mendacin Judith ad exploratnres Affyriorum dicentis, fe veniffe ad detegenda lnca urbis minus munita. *Judith*. 10.

Prnbatur 2. Nnn implicat eundem actum externum mifericnrdiæ extrinfecæ per intentionem vanæ glnriæ, & intentinnem juvandi proximum fimul denominari bonum, & malum; ergo idem nnn implicat in actu internn, ut per intentiones diverfas denominetur meritorius, & demeritorius.

Probatur 3. Nnn implicat, ut in endem fubjectn ftent fimul peccatnm veniale, & habitualis nrdinatin ad ultimum finem; ergo nec repugnat, ut idem endem mnmentn eliciat duos actus diverfos, unum bnnum, alterum venialiter malum circa diverfa nbjecta. Ergo etiam non implicat, ut idem actus refpiciat duas intentiones diverfas, unam bnnam, alteram venialiter malam.

Probatur 4. S. Bernardus teftatur, eundem actum poffe effe laudabilem, & vituperabilem; ergn & meritorium, & demeritnrium. l. de *præcept. & difpenfat*. c. 14. ait: „In en, qui „ malum facit, & bonum putat, laude dignam „ duxerim vel folam intentionem piam; necpla„ ne condigna remuneratione fraudabitur in „ opere quoqne nnn bnnn ipfa bona voluntas: „ attamen fine maln quncunque nnn erit dece„ pta fimplicitas."

Quæritur 5. An omnia peccata proveniant ex lmmediata fuggeftione dæmonis?

Responden. Quòd non nmnia peccata prnveniant ex *directa*, & immediata fuggeftione dæmnnis, fed tantum *indirectè*, in quantum per feductinnem Adami fuit caufa corruptæ naturæ proclivis ad peccandum. Ita s. Thomas 1. p. q. 114. a. 3. C. ubi ait: „Dicendum, qnòd caufa „ alicujus pnteft aliquid dici dupliciter: uno „ modn directè, alin mndn indirectè. Indirectè „ quidem, ficut dum aliquid agens caufans ali„ quam difpofitinnem ad effectum dicitur effe „ occafionaliter, & indirectè caufa illius effe„ ctus: ficut fi dicatur, quòd ille, qui fecat ligna, „ eft caufa cnmbuftionis ipforum. Et bnc mo„ do dicendum eft, quòd diabolus eft caufa „ omnium peccatorum noftrorum; quia infti„ gavit primum hnminem ad peccandum, ex „ cujus peccato confecuta eft in totn humann „ genere quædam prnnitas ad omnia peccata. „ Directè autem dicitur effe aliquid caufa alicu„ jus, quòd operatur directè ad illud; & hoc „ modo diabolus non eft caufa nmnis peccati: „ non enim omnia peccata committuntur infti„ gante diabolo, fed quædam ex libertate arbi„ trii, & carnis corruptinne; quia ùt Origenes „ dicit l. 3. Periarchnn c. 2. etfi diabolus nnn „ effet, hnmines haberent appetitnm ciborum, „ & venerenrum, & hujusmndi; circa quæ mul„ ta inordinatio cnntingit, nifi per ratinnem ta„ lis appetitus refrænetur, & maximè fuppofita „ cnrruptione naturæ. Refrænare autem & or„ dinare hujusmodi appetitum fubjacet libero ar„ bitrin. Sic ergo non eft neceffarium omnia „ peccata ex inftinctu diabnli prnvenire." Ita S. Dnctnr. Alium mndum, qunmndo omnia peccata fint indirectè à diaboln, propnnit 3. p. q. 8. a. 7. ad 2. quòd nempe diabolus omnibus dederit exemplum fe avertendi à Deo, & fic extulerit vexillum cum intentione, ut nmnes illum imitarentur; ficque omnia peccata funt faltem ex voto illius, & generali cohnrtatione tacita, idque confnrmiter ad illum textum Sap. 2. v. 25. *Imitantur autem illum, qui funt ex parte illius*. Sic habet: „Dicendum, quòd gubernator „ nnn femper fuggerit fingulis, ut fuæ vnluntati „ nbediant; fed prnpnnit omnibus fignum fuæ „ voluntatis, ad cujus fequelam aliqui excitan„ tur inducti, alii propria fpnnte: ficut patet in „ Duce exercitus, cujus vexillum fequuntur „ milites, etiam nullo perfuadente. Sic igitur „ peccatum primum diaboli propofitum eft omni„ bus ad fequendum, quod quidam imitantur per „ fuggeftionem ipfius, quidam propria fponte „ fine ulla fuggeftinne. Et fecundùm hnc omni„ um malorum caput eft diabolus, inquantum „ ipfum imitantur.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *contra* ℞. *ad* Q. 1. 1. D. Thomas docet, quòd peccata venialia etiam jam remiffa quoad culpam puniantur pœna æterna; ergo &c. *Prob. Ant*. In 4. dift. 21. q. 1. a. 2. qq. 3. ait: „In illis, qui damnantur, non pnteft ali„ qua pœna dimitti, neque aliquis reatus tolli, „ cùm careant charitate, per quam & culpa pur„ gatur, & reatus tollitur; & ideo culpa venia„ lis in eis femper manebit, vel reatus ejus, fi „ etiam ante peccatum mortale veniale dimif„ fum fuiffet, quantum ad culpam manente reatu. Ergo.

2. Damnatus tamdiu manet fub reatu pœnæ, dnnec ejus fnlutio fiat Deo grata, & acceptabilis; fed ifta nunquam fiet Deo grata; ergn damnatus femper manebit fub reatu pœnæ. *Maj. prob*. Tnta ratio, cur peccatnr exiftens in peccato mortali non pnffit juxta communem Theologorum folvere pœnas ex peccatis remiffis refiduas, eft, quia ejus fnlutio non eft Den grata; ergn.

3. Non profunt damnatis indulgentiæ, feu fatisfactiones Chrifti, & Sanctnrum; ergn neque illis prodeft prnpria eorum fatispaffio.

4. Nnn prnfunt damnatis Miffæ pro illis oblatæ, vel anniverfaria; ergo nec propria fatispaffio pro peccatis venialibus, aut mortalibus quoad culpam jam remiffis in vita.

Responneo *ad* 1. n. a. *Ad prob*. dift. ant. Hoc dicit, fi veniale dimiffum fuiffet per fe ante mortale in *inferno*. c. fi dimiffum fuiffet in *mundo*. n. ant. Nam fenfus verbnrum D. Thomæ folùm eft ifte: ergo etiamfi peccatum venlale *per fe* remitteretur in inferno ante peccatum mnrtale,

tale, nihilominus remanente reatu culpæ puniretur æternum *per accidens*, prout loquitur in 4. dist. 21. a. 1. ad 2. *ad Card. Hannibalem.* Hic sensus manifestè eruitur ex eo; quia alioquin in hoc textu involverentur contradictoria: diceretur enim, peccatum veniale remissum esse, & tamen remanere reatum culpæ. Hinc benè observanda est interpunctio; inter *dimissum fuisset*, & *quantum ad culpam*, ne fortè remissio conjungatur cum illis terminis: *quantum ad culpam.* Certè ea interpunctio in *Edit. Antwerp.* de anno 1612. benè observata est.

Ad 2. n. *Maj.* Contrarium enim patet ex humanis, ubi puniuntur condignè delicta sine reconciliatione.

Ad prob. dist. a. Tota hæc ratio est, cur peccator non possit solvere pœnas &c. per *satisfactionem.* c. per *satispassionem.* n. a. Satisfactio enim non fundatur in actionis intrinseca æqualitate cum malitia peccati, sed in dignitate personæ operantis: econtra satispassio fundatur in æqualitate intrinseca passionis cum actionis deordinatione.

Ad 3. c. a. n. c. *& parit.* Disparitas est; quia satisfactio aliena non necessariò acceptatur pro peccato, adeoque ut acceptetur, debet habere rationem deprecatoriam. Deprecatio autem vim habet ex merito deprecantis, & ejus, pro quo oratur: econtra satispassio id non requirit.

Ad 4. idem Respondeo; quia debet in persona, pro qua offertur fructus passionis Dominicæ, dari aliqua dispositio grata Deo per modum conditionis.

Dices. Ex hoc sequeretur, quòd in inferno detur redemptio, ac mitigatio pœnarum, adeoque etiam misericordia; quod est contra sensum communem, & rationem.

Respondeo cum s. thoma n. a. Redemptio enim locum non habet; quia aliud est *solvi*, aliud *redimi*: illud dicit actionem *propriam*, vel passionem: istud *alienam*; quia nemo se ipsum redimit. Similiter per hoc, quòd Deus minuat pœnas damnatorum in casu posito, non exercet misericordiam, sed justitiam; mitigatio tunc dicitur fieri, quando condonatur pœna alias debita: econtra hic remittuntur pœnæ tunc, quando non ampliùs sunt debitæ juxta æqualitatem malitiæ, & pœnæ.

Objicitur 2. *contra eandem* ex scoto. 1. Peccatum veniale ex eo, quod conjungatur cum mortali, non fit mortale, sed manet veniale; ergo illi etiam ùt conjuncto cum mortali tantùm debetur pœna temporalis.

2. Deus punit infra condignum juxta commune axioma; sed tali modò puniret ultra condignum; ergo.

Respondeo *ad* 1. c. a. dist. c. Ergo illi ùt conjuncto cum mortali debetur pœna temporalis *per se.* c. *per accidens.* n. c. Ex eo enim, quòd radix pœnæ nunquam deleatur, nempè culpa, & quòd peccator se ultrò conjecerit in hunc statum, per accidens etiam manet pœna.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min.* Quia potest Deus etiam hòc modò punire infra condignum, si remissiorem ab initio statuat pœnam, quàm exigeret culpa.

Dices. Ex dictis sequeretur, aliquando multa venialia quoad pœnam non solùm posse æquare, sed etiam superare peccatum mortale; sed hoc non potest dici; ergo. *Maj. prob.* Pœna peccati mortalis est solùm intensivè finita; ergo potest superari per multiplicata venialia, vel saltem æquari.

Respondeo 1. transf. *Maj.* n. *Min.* Id enim absurdum esse negat Author Compendii *Salmantic.*

Respondeo 2. n. *Maj.* Quia licet pœnæ sensus conveniant genere, non tamen conveniunt specie. Sicut ergo in suppositione, quòd gradus caloris sint heterogenei, gradus primi innumeri nunquam adæquabunt unicum gradum septimum: vel sicut dolores innumeri ex levi punctione non adæquabunt intensissimum dolorem v. g. ex adustione; ita etiam pœnæ sensus innumeræ correspondentes peccato veniali non adæquabunt pœnam sensus correspondentem peccato mortali, eò quòd hæ pœnæ differant genere.

Objicitur 3. *contra R. ad Q.* 4. 1. Si idem actus potest esse meritorius, & demeritorius, tunc simul posset esse meritorius, & non meritorius; sed hæc sunt contradictoria; ergo. *Maj. prob.* Esse demeritorium est esse non meritorium ergo &c.

2. Idem actus non potest esse simul verus, & falsus; ergo nec meritorius, & demeritorius.

3. Ex hoc sequeretur, quòd aliquid coinquinatum, & dignum pœnis purgatorii possit intrare in regnum Dei; sed hoc est contra Scripturam; ergo. *Maj. prob.* Actus demeritorius coinquinat, & tamen stante illo posset quis recipere præmium actus, quod est ipsa gloria; ergo.

Respondeo *ad* 1. *Retorquendò* inprimis in eodem actu, qui simul est universalis ratione prædicati, & singularis ratione subjecti. Item in contritione, quæ est simul prosecutiva, & aversiva. Item in actu simul scientifico, & opinativo &c.

Respondeo 2. n. *Maj. ad prob.* dist. Demeritorium est esse non meritorium formaliter. c. realiter. n. Sicut enim esse animal non est esse rationale formaliter, & tamen non excludit rationale realiter, ita etiam tendentia demeritoria non excludit tendentiam meritoriam realiter secum identificatam.

Respondeo 3. dist. *Maj.* esset, & non esset relatè ad *diversos* fines, & motiva tendentiarum meritoriæ, aut demeritoriæ. c. relatè ad *eosdem* fines. n. *Maj.*

Ad 2. c. a. n. c. *& parit.* Disparitas est; quia veritas, & falsitas, affirmatio, & negatio versantur circa idem objectum secundum idem: econtra actus meritorius, & demeritorius non versantur circa idem objectum secundum idem; dantur enim diversi fines, & tendentiæ diversæ, prout ostensum est.

Ad 3. n. *Maj.* Sicut enim alia merita peccatorum, antecedentia, vel concomitantia, vel subsequentia ad peccatum veniale non habent jus ad gloriam consequendam ante expurgationem delicti; ita etiam idem actus non habet jus

ad

ad gloriam consequendam ante expurgationem demeriti proprii fundati in eodem actu.

Objicitur 4. *contra R. ad Q.* 5. 1. Dionysius c. 4. *de Divinis Nominibus* dicit, quòd *multitudo dæmonum sit causa omnium malorum sibi, & aliis*; ergo.

2. Damascenus l. 2. *de Fide Orthodox.* c. 4. dicit: *Omnis immunditia, & omnis malitia à diabolo excogitatæ sunt*; ergo.

3. De quolibet peccatore dici potest, quod Joan. 8. v. 44. dicitur: *Vos ex patre diabolo estis.* Et Matth. 13. v. 38. *Zizania sunt filii nequam*, id est, diaboli; ergo omnes operationes malæ sunt ex suggestione dæmonis.

4. Omnia bona opera sunt ex immediata suggestione bonorum Angelorum; ergo & mala ex suggestione dæmonum. *Ant. patet* ex Dionysio, cùm dicit: *Divina nobis mediantibus Angelis perferuntur.*

Respondeo *ad* 1. dist. a. Est causa omnium malorum *indirectè*, ponendò principia occasionalia peccati, puta ignorantiam, concupiscentiam, infirmitatem, & propensionem ad malum; vicissim verò tollendò præservativa à peccato c. *directè.* n. a.

Ad 2. dist. a. Omnis malitia est excogitata à diabolo ut referenda in genus humanum *indirectè.* c. *directè.* n. a.

Ad 3. dist. a. Peccatores sunt ex diabolo per *imitationem*, & impletionem voti. c. parendò *immediatè* suggestioni. n. a. Christus in primo textu semetipsum explicat, dum addit: *Desideria enim patris vestri vultis facere*; adeoque sunt ex patre diabolo tanquam adoptivi, qui peccatores recipit in filios adoptivos. Ad secundum textum pariter dist. Peccatores sunt zizania originatione *radicis.* c. actualis malignitatis, & ipsius *fructus.* n. a. Sunt enim filii diaboli non per hoc, quòd operentur ex ejus suggestione, sed quod in iis ex operatione dæmonis reperiantur principia peccatorum. Sic & Abraham vocatur pater Judæorum, quin immediatè suggerat omnes bonas cogitationes.

Ad 4. c. a. n. c. *& parit.* disparitas est; quia ad peccandum sufficit homo sibi ipsi, non autem ad benè operandum. Ita respondet s. Thomas hic 1. p. q. 114. a. 3. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd homo potest per se ipsum ruere in peccatum, sed ad meritum proficere non potest nisi divino auxilio, quod homini exhibetur mediante ministerio Angelorum. Et ideo ad omnia bona nostra cooperantur Angeli; non tamen omnia nostra peccata procedunt ex dæmonum suggestione.*

Respondeo a. transf. a. dist. c. Ergo dæmones cooperantur ad omnia peccata spectandò *genus.* c. *individuum.* n. c. Sensus est, nullum esse genus peccati, ad quod dæmones non impellant. Ita d. Thomas loc. cit. dum addit: *Quamvis nullum genus peccati sit, quod non interdum ex dæmonum suggestione proveniat.*

DISPUTATIO IV.

De præcipuis quibusdam generibus peccatorum.

In hac Disputatione quæritur:

1. An, & quomodò primi motus sint peccata?
2. An, & quomodò delectatio morosa circa quævis objecta peccaminosa sit peccatum?
3. An peccet graviter, qui se negativè habet ad insurgentes tentationes carnis?
4. An detur gravis obligatio vitandi periculum probabile, seu occasionem propinquam incidendi in determinatum peccatum mortale?

QUÆSTIO I.

An & quomodò motus primi sint peccata?

Notandum 1. Dari varios motus tam in appetitu sensitivo, quàm in appetitu irascibili, ac concupiscibili in anima circa materiam omnium passionum animæ. Quæstio ergo est, an hi omnes motus passionum in anima, vel in potentia sensitiva, quamprimum exsurgunt, sint peccata venialia, aut mortalia?

Notandum 2. Quòd primi motus passionum v. g. concupiscentiæ, & affectuum sint in duplici differentia. Aliqui enim vocantur *primo-primi*, illi videlicet, qui omnem advertentiam rationis præcedunt, & naturaliter in appetitu sensitivo, vel aliis potentiis excitantur. Alii vocantur *secundò-primi*, illi videlicet, qui fiunt cum aliquali advertentia, & semiplena deliberatione, adeoque sunt imperfectè liberi. Ita hos terminos explicat Gonetus. Sed d. Thomas, & alii, ùt infrà videbimus, motus *primo-primos* vocant eos, qui oriuntur *in appetitu naturali*, v. g. fames, qui motus oriuntur nulla præcedente phantasia, vel imaginatione, adeoque non subjacent libertati. Econtra *secundo-primos* vocant eos, qui oriuntur *in appetitu rationali*, vel *sensitivo*, dependenter à præcedente phantasia, & imaginatione, sicque subjacent imperio rationis. Itaque ad vitandam confusionem diversi significati, motus *primò-primos*, qui oriuntur in appetitu naturali, & prout hic terminus sumitur à d. Thoma, vocabimus *latè dictos*; sed motus, qui oriuntur in appetitu rationali, vel sensitivo dependenter à præcedente phantasia, vocabimus motus *primo-primos strictè dictos*, & de his solis in præsenti quæstione agetur.

Notandum 3. Motus primo-primos esse etiam in duplici differentia. Aliqui enim, quamvis dependeant à libertate *mediatè*, non ta-

men dependent hîc & nunc ab *immediata*, & actuali libertate, seu advertentia; quia dependent tantum ab aliqua præcedente causa libera, v. g. ab aliquo fomento passionum antecedente liberè posito, puta ab aliqua cogitatione, ab aliquo affectu, actione, verbo, vel à negligentia reprimendi, ac corrigendi radicem passionum, ac naturam corruptam par media huic fini juxta conditionem status congrua. ALII verò oriuntur nulla præcedente negligentia, vel causa positivè libera, ac culpabili, quamvis ex suo genere nati apti sint dependere à directione liberi arbitrii, si adhiberetur applicatio rationis. Tales motus primo-primi sunt, qui excitantur vel à dæmone, vel à consuetudine contracta, vel à phantasia præcedente sine libertate præcedente posita.

NOTANDUM 4. Inter eos, qui in hujusmodi motibus primo-primis admittunt malitiam venialem, esse discrimen in modo loquendi: aliqui enim, qui admittunt puram omissionem liberam, tanquam constitutivam peccati, referunt totam malitiam ejusmodi motuum ad omissionem illam voluntatis, qua quis negligit reprimere hos motus: alii vero, qui cum Thomistis non admittunt puram omissionem liberam tanquam constitutivam peccati, referunt denominationem peccati, ac malitiam ad ipsum actum concupiscentiæ, seu motus primi de se non liberi; in quantum tamen connotat omissionem voluntatis non reprimentis passionem, ac motum. Ambo tamen in hoc conveniunt, quòd ad peccatum veniale ejusmodi motuum concurrat omissio libera voluntatis. His prænotatis

DICO I. Motus primo-primi in appetitu naturali nunquam sunt peccatum. Ita Theologi omnes.

PROBATUR Conclusio. Tales motus primo-primi, ùt fames &c. non dependent à libertate, & à judicio deliberativo rationis; ergo &c.

DICO II. Motus primo-primi in appetitu rationali, vel sensitivo semper sunt peccata venialia, quando potuerunt præcaveri in sua causa, & per negligentiam saltem venialiter culpabilem nondum retractatam non fuerunt impediti in sua causa.

PROBATUR Conclusio 1. Authoritate D. THOMÆ, qui q. 25. *De veritate.* a. 5. ad 5. sic ait: „Ex hoc ipso, quòd sensualitas est subjicibilis rationi, actus ejus, quantumvis rationem præveniat habet rationem peccati." Idem in 2. Sent. dist. 24. q. 3. a. 2. sic habet: "Dicendum, quòd omnes primi motus, qui sensualitati adscribuntur, ùt verba Augustini asserunt, peccatum sint; sed motus præcedentes, quos naturales diximus, qui imaginem non sequuntur, sed solùm naturalium qualitatem actionum, ratione peccati carent: secundùm quod potest verificari quorumdam dictum, qui dicunt, quòd motus primo-primi non sunt peccatum; sed motus secundo-primi sunt peccatum, ut per primo-primos motus naturales, & per secundo-primos motus sensualitatis intelligamus, in qua peccatum est: peccatum enim non est aliud, quàm inordinatus actus ad genus moris pertinens; nullus autem motus ponitur in genera moris, nisi habita comparatione ad voluntatem, & ideo ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur; habet autem voluntas in quibusdam dominium completum, in quibusdam verò incompletum. Completum dominium babet in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt; & hi sunt actus deliberationem sequentes, qui rationi adscribuntur. Sed incompletum dominium babet in illis actibus, qui non per imperium rationis procedunt, sed tamen NB. voluntas eos impedire poterat, ut sic quodammodo voluntati subjaceant, quantum ad hoc, quod est impediri, vel non impediri; & ideo inordinatio, quæ in his actibus contingit, rationem peccati causat tantum incompleti; & ideo in his actibus peccatum levissimum, & veniale est." Ibidem ad 2. ait: "Voluntatem esse causam peccati, contingit dupliciter; vel per se, vel quasi per accidens, quando non impedit, quod impedire potest: sicut dicitur aliquis facere id, quod non impedit, cùm impedire possit, & hoc modo est causa primorum motuum." Ibidem ad 4. Motus (inquit) isti quodammodo sunt in potestate nostra; & alio modo non sunt. Si enim quilibet eorum singulatim consideretur, sic in potestate nostra sunt; quia quemlibet eorum præveniendò impedire possumus: si autem omnes simul considerentur, sic in potestata nostra non sunt; quia dum uni obvenitur, ex alia parte motus illicitus potest subrepere." Ita S. Doctor. Ut autem sciamus, quosnam vocet primos motus sensualitatis, qui sunt peccatum, loc. cit. a. 1. sic ait: "Est in nobis triplex appetitus, scilicet naturalis, sensitivus, & rationalis. Naturalis appetitus, puta cibi, est, quem non imaginatio gignit, sed ipsa qualitatum naturalium dispositio: hic autem motus in nullo rationi subjacet, nec obedit; unde nec in eo peccatum est. Appetitus sensitivus est, qui ex præcedenti imaginatione, vel sensu consequitur; & hic vocatur motus sensualitatis." Appetitus autem rationalis est, qui consequitur apprehensionem rationis; & hic dicitur motus rationis, qui est actus voluntatis. Sed rationis apprehensio dupliciter esse potest. Una simplex, & absoluta, quando scilicet statim sine discussione apprehensum dijudicat; & talem apprehensionem sequitur voluntas, quæ dicitur non deliberata. Alia est inquisitiva, quando scilicet ratiocinandò bonnm, vel malum, conveniens, vel nocivum investigat, & talem apprehensionem sequitur voluntas deliberata. Ratio ergò inferior, quæ terrenis disponendis intendit, utroque modo motum voluntatis circa terrena elicere potest; vel quando subitò apprehendit boc ùt benè conveniens, vel nocivum corpori, & tunc sequitur motus rationis inferioris, qui dicitur delectatio, quia tunc accipit illud, quod corpori delectabile est, ùt faciendum; vel quando inquirendò deliberat, & tunc non potest sequi appetitus ante deliberationem finitam, & tunc consentire dicitur in delectationem. Ratio autem superior, quia per se rebus terrenis non intendit, sed solum secun- dum

dum quod regulatur rationibus æternis, non sequitur ipſam aliquis mntus, niſi deliberatus reſpectu borum terrennrum, & iden reſpectu eorum non attribuitur ſibi delectatin, ſed ſolum ultimus cnnſenſus, qui eſt conſenſus in executione operis.

PROBATUR 2. Effectus de ſe peccaminoſi conſequentes ex cauſa, vel per cnmmiſſionem, vel omiſſionem liberè & culpabiliter poſita nnn retractata, ſunt peccata ſaltem venialia; ſed tales ſunt ejusmndi mntus; ergn. *Maj. patet* ex Diſp. 1. quæſt. 4. *Min. prob.* Actus repugnantes legi Del, exiſtentes in ſubjecto uſum rationis habente ſunt peccata, ùt patet ex *Diſp.* 1. *q.* 5.; ſed ejusmodi ſunt motus primo-primi in appetitu ſenſitivn, ergo. *Min. prob.* Quia ſi liberè fiant libertate immedlata, habent rationem peccati fnrmalis, ùt *Diſp.* 1. dictum eſt; ergo ſi etiam dependeant à libertate mediata, erunt pariter peccatum formale.

PROBATUR 3. Authoritate PETRI de SOTO, Thenlogi Pontificii primarii in Concil. Trid. & ſpecialiter in noſtra *Diœceſi Auguſtana* omnibus præſcripti à Card. OTTONE EPISCOPO AUGUSTANO. Is in Inſtructione Sacerdotum l. 8. ſic babet: "Primi motus illi ſunt, qui in nobis deliberationem ratinnis præveniunt; de quibus dicendum, qunmodo peccatum ſint. Primò occurrunt mntus pntentiarum vegetativarum, quoa diximus ratinni non parere, ùt famea, vel quicunque alius appetitus ex ſnla qualitate corporis prnveniens, & nullam ſequens apprebenſinnem, ſeu cogitationem: hns placet multis vocare motus primo-primna, bnc eſt, maximè primos, & minus, imò prorſus non in pnteſtate nnſtra exiſtentes, in quibua, quantumvis in illicita aliqua ferantur, nullum eſt peccatum; ut ſi quia in die jejunii niminm fameſceret, aut appeteret cibum allquem prnhibitum: ita ſuit fames ln Cbriſto ſine ulln prncul dubin peccato, hujus ratio manifeſtiſſima eſt; nam hi mntus nullo modo ſunt rationi ſubditi, qnare omnino extra rationem vnluntarii ſunt: nulium ltaque in his peccatum, ſicut nec meritum. Poſt bos invenimus mntus appetitua ſenſitivi ex apprebenſinne ſenſibilium, & cnrpnralium bonorum emanantes, quales ſunt omnes paſſiones, quas diximus, ſeu affectiones appetitus cnncupiſcibilis, & iraſcibilis, deſiderium alicujua delectabilis, gaudium de illo præſenti, triſtitia de malo aliquo, & nncivo: de his igitur, cum ad illicita feruntur, peccata venialia eſſe, Scripturæ, & Patribus eſt conſentaneum, ùt D. THOMAS in 4. diſt. 24. a. 2. qq. 3. a. 1. & 2. Et 1. 2. q. 74. a. 3. poſt Magiſtrum aſſerit, & ratione ipſi naturæ conſona id probans. Et hns motus etiam multi vocant ſecundn-primns; quia poſſunt à ratione comprimi. Quòd lgitur in eis peccata ſint, poteſt ex illa ſententia Pauli oſtendi, qua ipſe hns motus in illicita lamentabiliter in ſe agnnſcit: *Non, quod volo bonum, boc ago, ſed, quod odi malum, boc facio*, ſcilicet cnncupiſcere: itaqne illud malum vocat, & imperfectinnem quamdam bnni; nam de eo intelligit D. AUGUSTINUS, quod ibidem ait: *Velle adjacet mibi, perficere autem non invènio, undę non babitat in me* (boc eſt in carne mea) *bonum.* Et quamquam bæc de fomite, & habituali inordinata concupiſcentia, quæ manet poſt baptiſmum, intelligi pnſſint, quæ peccatum, & malum dicitur, quia cauſa eſt peccati; tamen actus, & motus illius in illicita Paulus mala quædam deſlenda cnnfitetur, pro quibus clamat: *Infelix ego bomo* &c. & addit: *Gratia Dei per Jeſum Cbriſtum.* Denique docet, etiam hos mntus mortificandoa eſſe, & comprimendns; *ſi ſpiritu* (inquit) *facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et quamquam facta carnis de omnibus peccatis carnis intelligi pnſſint, tamen & hos mntus intelligendoa eſſe oſtendit illud, quod dicit: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Meritò igitur AUGUSTINUS docet, in bis mntibus nunquam peccatum eſſe, quamquam minimum certè, & ideo veniale ex imperfectione actus. Ubi hoc duntaxat difficultatem ingerit, qunmodò videlicet motus rationem prævenientes peccata eſſe poſſint, cùm in eis non ſit voluntarlum, quare nonnulli putant, peccatum bnc veniale eſſe, nmiſſinnem ratinnis nnn cnmprimentis hunc motum; ſed hæc nnmina ſunt. Apertè itaque dicendum, in his mntibus eſſe peccata; quia, cùm à ratinne cnmprimi pnſſint, imò & caveri, ne inſurgant, ſi ſingulatim ſinguli conſiderentur, in eis eſt aliquid voluntarii." Ita PETRUS de SOTO.

DICO III. Motus primo-priml in appetitu ſenſitivo, vel ratinnali, ſemper ſunt peccata venialia, quando non reprimuntur à ratione cnncnmitante. Ita GONET hic Diſp. 5. a. 2. §. 1. & alii.

PROBATUR Concluſin 1. Actus de ſe peccaminoſi dependentes in ſui continuatinne ab nmiſſinne cnncomitante ſunt peccatum; ſed tales ſunt hujusmndi mntus; ergo.

Maj. patet ex Diſp. 1. q. 5.

PROBATUR 2. Authnritate D. THOMÆ 1. 2. q. 74. a. 3. ad 2. „Dicendum, (inqult,) quòd perpetua cnrruptin ſenſualitatia eſt intelligenda quantum ad fomitem, qui nunquam tollitur totaliter in hac vita: tranſit enim peccatum originale reatu, & remanet actu. Sed talia cnrruptio ſnmitia nnn impedit, quin bomo rationabili vnluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis, ſi præſentiat, puta divertendô cogitationem ad alia. Sed dum homo cngitationem ad alia divertit, pnteſt etiam circa illud aliquis inordinatus motus inſurgere: ſicut dum aliquis transfert cngitatinnem ſuam à delectationlbus carnia ad ſpeculationem ſcientiæ, inſurgit quandnque aliquls motus inanis gloriæ impræmeditatus; & ideo nnn poteſt homo vitare omnes hujusmodi mntus prnpter cnrruptionem prædictam; ſed hoc ſolum ſufficit ad ratinnem pcccati voluntarii, quòd pnſſit vitare ſingulns.

DICO IV. Motus primo-prlmi in appetitu ſenſitivo, vel rationali ſunt tantum peccata venialia, etiam circa objecta de ſe graviter prohibita.

PROBATUR Conclusio. 1. Motus primo-primi in appetitu naturali, vel rationali vocantur illi, qui habent semiplenam, ac imperfectam deliberationem antecedentem, vel concomitantem; sed tales tantum sunt peccatum veniale ob imperfectionem actus, ùt patet ex Disp. 2. q. 4.

PROBATUR 2. Authoritate D. THOMÆ 1. 2. q. 74. a. 3. ad 3. sic ait: „Dicendum, quòd „ illud, quod homo facit sine deliberatione rationis, non perfectè ipse facit; quia nihil „ operatur ibi id, quod est principale in homine: „ unde non est perfectè actus humanus, & per „ consequens non potest esse perfectè actus virtutis, vel peccati, sed aliquid imperfectum „ in genere morum. Unde talis motus sensualitatis rationem præveniens est peccatum veniale, quod est quiddam imperfectum in genere peccati.

PROBATUR 3. Authores etiam motus ejusmodi *secundo-primos* tantùm referunt ad peccata venialia, ùt patet ex GONETO hic a. 3. Ergo multo magis erunt tantùm venialia motus *primo-primi*, qui præcisè oriuntur ex libertate antecedente, & non concomitante.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 2. *Conclusionem*. 1. Ex hac Conclusione sequeretur, quòd omnes motus primo-primi essent peccata venialia; sed hoc non est verum; ergo. *Maj. prob.* Omnes potuerunt præcaveri per majorem fervorem charitatis, & per majorem fervorem precum recurrentium ad divina auxilia.

2. Sequeretur, quòd omnis ille, qui post baptismum non nititur omnibus mediis sibi moraliter possibilibus corrigere naturam corruptam, & exscindere radicem vitiorum, peccaret in omnibus motibus primo-primis; sed hoc est nimis grave; ergo. *Maj. prob.* Ex omissione hujus conatus moraliter possibilis omnes motus primo-primi consequentes essent ipsi in sua causa liberi; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. *Maj. ad prob.* n. a. Quia motus primo-primi stant cum intensissima charitate, ùt patet ex n. PAULO, maximè in neo-converso, adeoque in homine adhibente studium perfectionis statui suo conveniens, ac moraliter possibile, spectata conditione personæ, illi motus primo-primi non sunt regulariter liberi in sua causa, nisi illi tantùm, qui ex dispositione causarum propinqua facilius præcaveri, & impediri poterant. In aliis autem hominibus non adhibentibus serium conatum ad extirpandam radicem vitiorum per studium bonorum operum suo statui competens admittitur, omnes motus primo-primos sensualitatis, in quantum ex illo neglectu dependent, revera esse venialia.

Ad 2. dist. *Maj.* Qui non nititur corrigere naturam corruptam quoad eos actus, qui *inducunt* speciale periculum quantumvis remotum peccati formalis *transf.* qui *non inducunt* tale periculum. *subdistinguo.* Qui non nititur naturam corrigere quoad eos actus mediis *generalibus* pertinentibus ad studium perfectionis suo statui congruum, c. mediis *particularibus* superantibus moraliter suas vires. n. *Maj.* Dico ergo, quod homo teneatur præcavere peccata formalia, etiam per impeditionem eorum motuum, qui introducunt speciale periculum peccatorum formalium. Si verò non introducunt speciale periculum, non tenetur homo eorumdem motuum habere curam, nisi tantùm generalem, adhibendò media generalia ad perfectionem sui status congrua.

OBJICITUR 2. *contra eandem*. 1. Hoc ipsum est nimis durum, quòd deficiente studio perfectionis per media ordinaria, ac generalia statim incipiant omnes motus primo-primi fieri voluntarii in causa; ergo. *Prob. Ant.* In paucissimis hominibus potest supponi studium perfectionis competens, adeoque sequeretur, quòd ferè in omnibus hominibus motus primo-primi essent peccatum veniale; ergo.

2. Si deficiente generali studiò perfectionis jam inciperent motus primo-primi esse voluntarii, & peccata, tunc sequeretur, concupiscentiam in renatis plerisque esse peccatum; sed hoc est contra Tridentinum; ergo. *Min. patet* ex Trid. Sess. 5. ubi ait: *In renatis nihil odit Deus concupiscentiam, quam Apostolus aliquando peccatum appellat, Sacra Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Maj. prob.* Per concupiscentiam intelliguntur motus inordinati passionum primo-primi, qui in tali homine essent peccata; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob.* c. a. n. c. quia remissio quoad studium perfectionis, & fervorem charitatis est venenum universale bonorum operum, & vita pravarum inclinationum omnium latentium in natura: adeoque non est nimis durum dicere, quòd omnes hi effectus, licèt tantùm liberi in sua causa, sint tamen peccata formalia in eo sensu, quo *Disp.* 1. *q.* 4. dictum est.

In confirmationem hujus addo Authoritatem Cardinal. CAJETANI, qui in 1. 2. q. 74. a. 3. sic habet: „Quando committitur aliquis actus „ inordinatus voluntariè, sive voluntariè sit „ positivè sive negativè, est peccatum commissionis, ut patet in delectationibus malè perceptis, non imperatis quidem, sed nec exclusis; incuriâ nempe nautæ submersionis peccatum committitur. Unde cùm concupiscentia carnis adversus spiritum sit malus actus, „ & voluntarius negativè, sequitur, quòd sit „ peccatum commissionis, quando peccatum est. „ In eodem articulo adverte, quod circa motus „ sensualitatis est aliquid certum, & aliquid videtur incertum. Certum est, quòd omnes „ motus mali, quos voluntas potest, & debet „ prævenire, si non prævenit, *quando*, *sicut*, & „ *quomodo* debet, sunt peccata. Sed quòd voluntas possit, & debeat semper singulos motus sensualitatis, aut vanitatis prævenire, non „ videtur consonum, eò quòd videtur, quòd „ esset obligatio ad impossibile in reali executione „ sin-

" singularum præventionum. Si tamen Anthoritas AUGUSTINI & Authoritas venerands " (B. THOMÆ) pensetur, & ratio in littera insinuata, non apparebit hoc dissonum: cùm enim peccatum veniale sit imperfectum quid in genere moria, & peccati, propter quod & sine deliberatione committitur, consequens est, quòd imperfecta ratio potentiæ, & debiti sufficiat ad commissionem ipsius. Unde concederem, quod est in nobis imperfecta potentia ad reprimendum, vel obviandum singulis motibus malis, non tamen omnibus simul sumptis; quia dum attendo uni, & do operam rci sacræ, insurgit alius. Attamen talis imperfecta potentia cum aliquali debito sufficit ad rationem peccati imperfecti." Ita CAJETANUS.

Ad 2. n. *Maj.* Quis per concupiscentiam Tridentinum intelligit depravationem naturæ, non autem ipsos actus, ac motus primo-primos exinde exsurgentes: aut si intelligit etiam ipsos actus, solùm eos intelligit, qui non dependent nllo modo à libertate bominis, nec immediatè, nec mediatè. Id colligitur ex ipso textu Tridentini, dum ait: „Manere autem in baptizatis „ concupiscentiam, vel fomitem, S. Synodus „ fatetur; quæ cum ad agonem relicta sit, no„ cere non consentientibus, sed viriliter repu„ gnantibus non valet." Viriliter autem repugnare etiam est præcavere hostem in causa.

OBJICITUR 3. *contra* 2. *Conclusionem.* 1. Motus primo-primi non sunt prohibiti lege Dci; ergo non datur obligatio positivè eos impediendi in sua radice. *Ant. prob.* Hi motua sunt actus potentiæ sensitivæ; sed hi secundùm se non sunt prohibiti; ergo &c.

2. Studium Perfectionis Christianæ etiam laboriosum non est causa efficaciter destructiva talium motuum primorum; ergo etiam omissio hujus studii oon est efficax causa influens in positionem talium motuum. *Conseq. prob.* Causa effectiva illa sola est, cujus negatio tollit effectum; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. s. *ad prob.* c. *Maj.* n. *Min.* Quia omnes actus potentiæ sensitivæ sunt natæ aptæ oriri dependenter ab imaginatione, in quam solam libertas animæ babet immediatam potestatem; adeoque subjacent directioni rationis, in quantum coordinanda est phantasia, ut non oriantur, nec tentent animam ad assensum. Omne autem, quod subjacet imperio, aut directioni rationis in sua causa, est objectum legis. Hinc & ea concupiscentia, quæ est in potentia sensitiva, in quantum dependet à libertate, prohibetur nonò præceptò: *non concupisces.* Ita docet D. THOMAS in 3. Sect. 1. dist. 40. q. 1. a. 1. in C. ubi ait: „Intentio legis est, ut homines ad „ virtutem inducantur; ad virtutem autem non „ sufficit, ut actua virtutis qualitercunque fiat; „ sed oportet, ut homo sciens, & volens, & „ propter debitum finem perseveranter, & de„ lectabiliter operetur. Similiter etiam non suf„ ficit, quòd actus contrarius qualitercunque „ prætermittatur, nisi etiam voluntas illud fa„ ciendi derelinqustur, & passionea inclinantes „ ad actum illicitum ordinentur; & ideo in præ„ ceptis Decalogi non debuit solùm prohiberi „ actus illius, sed etiam concupiscentia illicita„ rum rerum. *Ibidem ad* 5. *sic ait:* Concupiscen„ tis, quæ est in primis motibus, non est con„ tra legem, sed præter legem; & ideo pecca„ tum veniale est." Dicit autem bæc D. THOMAS ex illo suo principio, quòd peccata venialia non sint contra legem.

DICES. PIUS V. & GREGORIUS XIII. damnarunt propositionem BAII 50. quæ sic habet: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ bomo invitus patitur, sunt probibita præcepto:* NON CONCUPISCES. Ergo data responsio non subsistit.

RESPONDEO *ad banc illationem* dist. a. Sunt probibita prava desideria, quibus ratio non consentit *tantùm* formaliter. c. *nec* formaliter, *nec* interpretativè. n. a. BAIUS enim etiam ea, quæ necessario fiunt sine ulla libertate mediata, aut immediata, docebat esse peccata, & prohibita in Decalogo. Hoc ergo in Baio damnatum est; non verò damnatum est, motus concupiscentiæ liberos in sua causa esse peccata, & prohibita io Decalogo.

Ad 2. dist. a. Non est destructiva *totaliter.* c. *partialiter.* n. a. Nam studium perfectionis saltem ita hebetat vires passionum, ne noceant. Hinc S. THOMAS in 4. dist. 15. q. 1. a. 4. ad 1. de satisfactione per orationem, & alios actus charitatis loquens ait: *Tantum quis detrabit carni, quantum addit spiritui; eò quòd bæc duo principia sibi invicem contrarientur.* Quò etiam pertinet illud D. GREGORII homil. 15. in Ezech. *Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis.*

OBJICITUR 4. *contra eandem.* 1. Juxta D. GREGORIUM in lib. Moral. *Non nocet sensus, ubi deest consensus;* ergo primi motus non sunt peccatum.

2. *Ecclesiast.* 18. v. 30. non prohibetur habere concupiscentiam, sed eam sequi; nam dicitur: *Post concupiscentias tuas non eas.* Ergo non datur obligatio eas præcavendi. Imo ipse D. AUGUSTINUS hanc consequentiam approbat l. 5. contra Julian. c. 3. dicens: *Frustra dictum est, post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est; quia tumultuantes, & ad mala trabere nitentes sentit eas.*

3. Apostolus non prohibet concupiscentias in corpore, sed iis obtemperare; ergo non datur lex eas præcavendi. *Prob. Ant.* Rom. 6. v. 12. dicit: *Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis ejus concupiscentiis;* ergo &c. Ubi iterum S. AUGUSTINUS c. 1. *de Nuptiis, & Concupiscentia* observat, non dixisse Apostolum: *non sit peccatum,* sed: *ne regnet peccatum* per approbationem, & consensum voluntatis, ac propterea addidisse: *Ut obediatis ejus concupiscentiis.*

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Non nocet sensus, ubi deest consensus etiam *interpretativus.* c. ubi tantùm deest consensua *formalis.* n. a. Qui enim patitur bostem in urbe, interpretativè consentit ejus actibus; ergo etiam, qui per desidiam suam permittit pravas inclinationes, & desideria trahentis ad malum, illis non repugnandò per stu-

studium virtutum, interpretativè consentit in earum operationes, & solicitationes.

Ad 2. dist. a. Non prohibetur babere concupisceotiam, oec *formaliter*, nec *interpretativè* volitam. c. tantùm *formaliter* non volitam. n. a. Qui enim hosti permitteret direptionem suæ domus, vel urbis, tacitè, & interpretativè coosentiret operibus ejus. Idem est, si permitteret tranquillè solicitationes procorum suæ uxoris; ergo etiam, qui permittit liberè activitatem concupiscentiæ originali, interpretativè obedit ejus desiderio.

Ad 3. dist. a. Prohibet obtemperare coocupisceotiis consensu *vel* formali, *vel* interpretativo. c. *tantùm* formali. o. a. Quòd autem ille, qui ooo resistit coocupiscentiis in sua radice, præcaveodò earum motus primos, interpretativè eis obtemperet, patet ex eo; quia sic jam se habet oegativè ad earum solicitationes semper periculosas, quod non licet.

Objicitur 5. *contra eandem* 1. Juxta s. Augustinum *Concupiscentia se habet instar Evæ solicitantis Adamum*, id est, rationem ad consensum, prout scribit lib. 2. in Genes. *contra Manichæos*; sed ea solicitatio Evæ non erat Adamo peccatum; ergo oec motus pravi concupisceotiæ.

2. Motus primo-primi sunt instar primi congressus hostilis; sed miles oon tenetur vitare, & præcavere hostiles congressus; ergo oec homo motus primo-primos.

3. Homo noo tenetur vitare, & præcavere extrinsecas solicitationes ad peccatum maximè domesticorum, v. g. mariti, vel Domini; ergo nec teoetur homo præcavere motus primo-primos.

Respondeo *ad* 1. c. *Maj.* dist. *Min.* Non erat Adamo peccatum, si noo potuit prævideri, & præcaveri. c. secus. o. *Min.*. Hinc ioverto: Si Adamus Evam perpetuò solicitantem ad peccatum non reprcheoderet, nec per serias comminationes, ac si opus, etiam per castigatiooes præcaveret pro viribus tam crebras solicitatioοes sibi semper periculosas, sine dubio peccaret; ergo etiam, qui ooo præcavet primos motus semper sibi periculosos, eos compescendò.

Ad 2. c. *Maj.* dist. *Min.* Non tenetur eos vitare, si ooo evidenter obtineat faciliùs victoriam declinandò congressum. c. secus. o. *Min.* Hinc ioverto: Dux tenetur vitare congressum hostium, ac crebras velitationes, si prævideat, se esse in periculo, hôc modò perdendi vires exercitus, aut fortè amitteodi victoriam; ecootra moraliter certus fit de victoria, si declinet hos leves congressus. Ergo & homo primos motus tenetur vitare ob eandem rationem, prout pluribus observat d. Chrysostomus *in Epist. ad Cor.*

Ad 3. dist. a. Noo tenetur vitare, si moraliter vitari *non possint*. c. si *possint* vitari. o. a. Potest enim inverti: Uxor Catholica tenetur Marito Lutherano perpetuò solicitanti ad Apostasiam seriò repugnare, & præcavere hujusmodi solicitationes etiam implorandò Magistratum ad urgendam observantiam pactorum conventorum; ergo & homo tenetur præcavere primos motus, maximè eos, quos sentit præ cæteris periculosa.

Objicitur 6. *contra eandem.* 1. Coocupiscentia non parit peccatum, nisi accedente consensu; ergo primi motus non sunt peccatum. *Ant. prob.* Jacobi 1. dicitur: *Unusquisque tentatur à Concupiscentia abstractus, & illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* quod d. Augustinus explicat per assensum. Nam lib. 6. *contra Julián.* c. 1. sic ait: *Profectò in his verbis partus à pariente discernitur; pariens enim est concupiscentia, partus peccatum; sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit, id est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum. Noli ergo consentire concupiscentiæ tuæ; non est, unde concipiat de te.* Similia habet Epist. 200. *ad Aselicum*, ubi ait: *Quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati; si nulli eorum adhiberemus consensum, non esset, unde diceremus Patri nostro, qui est in cœlis: dimitte nobis debita nostra.* Ergo.

2. Mala commissa à subditis noo censentur fieri per consensum interpretativum Principis, aut Superioris, quando sine maxima difficultate præcaveri non possunt; ergo.

3. Obligatio præcavendi primos motus est moraliter inobservabilis, & est causa infinitorum peccatorum venialium; ergo non datur. *Prob. Conseq.*. Nulla datur obligatio, juxta prudentiam legislativam, quin sit melior non ipsâ; ergo, si hujus obligationis oegatio est melior obligatiooe ista, non datur.

Respondeo *ad* 1. dist. a. Non parit peccatum, oisi accedeote consensu saltem *interpretativo*. c. tantùm *formali*. n. a. Jam suprà ostensum est ex d. Thoma in 2. Sent. dist. 24. q. 3. a. 2. quòd sufficiat coosensus interpretativus.

Ad 2. dist. a. Quando non possunt præcaveri sine maxima difficultate aliunde *non cadente* sub obligationem legis. *trans.* aliunde *cadente* sub obligatiooem. n. a. Si enim v. g. grassatores publici, sicarii, perturbatores quietis publicæ, contrabandistæ &c. exterminari non possint sine eoipso exercitu, tenetur Princeps hunc conducere, utut alias sibi, & subditis onerosum; quia prudentia eligit minus malum præ malo majori, maximè si aliunde bonum publicum, aut Imperator præcipiat conscriptiooem exercitus in ordine ad alios fines. Sic & in præsenti tenetur homo assumere studium perfectiooi s per media suo statui congrua aliunde præceptum à Deo in ordine ad extirpandas passiones animæ, & præcavendas incursiones hostium.

Dices. Homo noo tenetur ad moralem difficultatem superandam; sed datur moralis difficultas in præcavendis primis motibus; ergo.

Respondeo 1. dist. *Maj.* Non tenetur ad illam moralem difficultatem superandam, nisi illa ipsa difficultas sit *posterior obligatione naturali*, & dependens à peccato. c. si sit primùm *consequens ad anteriorem obligationem* naturalem. n. *Maj.* Nam oatura in suo optimo statu constituta obligat ad vitanda omnia pericula, & ad omnes machinationes hostium longè arcendas à finibus proviociæ. Corruptio autem naturæ, & moralis

lis difficultas primùm consequitur ad illam legem naturalem; quam proin Deus non tenetur mutare in gratiam generis humani rebellis.

RESPONDEO 2. iterum dist. *Maj.* Non tenetur vitare moralem difficultatem insuperabilem sub obligatione gravi, si mala exinde consequentia sine obligatione *possint* vitari. c. si *non possint* vitari sine obligatione. n. *Maj.* In præsenti autem, si Deus permitteret liberam grassationem ejusmodi desideriorum sine obligatione illa reprimendi, consequerentur innumera peccata graviora. Itaque melius est, ut prohibeat sub veniali neglectus præcavendi ipsa prava desideria quantumvis prima, ad evitanda majora peccata, & mala.

Ad 3. dist. a. Obligatio præcavendi primos motus cura *particulari* singulorum est moraliter inobservabilis. *transf.* cura *generali* per studium perfectionis. n. a. Cùm enim diligens emendatio naturæ corruptæ cuivis per se aliunde incumbat, non potest dici studium perfectionis statui congruum, esse moraliter inobservabile. Argumentum probaret, quòd Deus debuisset tollere multas alias leges divinas, maximè Mosaicas, quarum jugum teste D. PETRO Act. 15. v. 10. portari non poterat. Adeoque *ad prob. Conseq.* dist. a. Illa obligatio non datur, cujus negatio est melior non ipsâ in æstimatione *divina*, aut melioritate *simpliciter* tali, & finali. c. tantùm in æstimatione *humana*, aut melioritate *secundum quid*, vel immediata. n. a. Si non daretur obligatio præcavendi primos motus, id fortè melius esset homini; sed non Deo, cujus honori non cederet, si permitteret liberum cursum hostilis naturæ, quæ ob sui inordinationem ante baptismum erat objectum divinæ displicentiæ. Neque ex ea permissione obtineretur ultimatus finis legislatoris, qui per baptismum omnes vult regenerari in novam creaturam, in eumque finem spondet suas gratias, & ordinat Sacramenta; atqui in novam creaturam regenerari importat etiam immutationem inclinationum, & passionum. Imo finaliter ea licentia nec esset melior homini; quia sic non impediendô motus primos, homo facilè laberetur in grave exitium, sicque pertraheretur in damnationem.

DICES. Saltem non est conforme prudentiæ legislativæ, obligare hominem ad præcavendos eos motus, qui primùm contingere possunt post decem, viginti, aut quadraginta annos; ergo saltem non erunt peccatum veniale motus primo-primi, nisi immediate dependeant ab imperio voluntatis, jamque sint præparati per modum dispositionis in suis causis proximis.

RESPONDEO. dist. a. Non est conforme prudentiæ legislativæ sic obligare hominem ad eos motus præcavendos attentione, & curâ *particulari*. c. attentione, & curâ *generali*. n. a. Hoc foret inconveniens, si omnem deordinationem naturæ in specie, aut numerô homo teneretur jam à longè prævidere, & præcavere; non est autem inconveniens, quòd homo obligetur ad præcavendas deordinationes naturæ in sua radice per generale studium, ac diligentiam moralem ordinandi suas potentias in suum finem.

OBJICITUR 7. *contra eandem.* 1. Si motus primo-primi essent peccata venialia ob neglectum correctionis in sua causa, tunc ejusmodi motus essent etiam peccatum veniale v. g. confligenti cum ira in somno cum suo inimico; sed hoc non est verum; ergo &c. *Min. prob.* S. AUGUSTINUS lib. 1. *de Civ.* c. 25. ait: *Illa Concupiscentialis inobedientia, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.* Ergo.

2. Si teneremur præcavere primos motus, ad id teneremur solùm ratione periculi, quod invehunt pertrahendi ad assensum; sed ex hoc capite non tenemur eos præcavere; ergo. *Min. prob.* Non tenemur præcavere pericula moraliter inevitabilia ultra curam ordinariam statui congruam; sed hujusmodi pericula per primos motus sunt moraliter inevitabilia; ergo &c. *Min. patet;* quia etiam sancti omni suâ curâ non potuerunt evitare hos primos motus. *Maj. patet,* quia alioquin deberemus exire ex hoc mundo, dum scatet tot periculis, saltem ab extra, quot mundus parvus, nempe homo, scatet internis.

3. Obligatio, quæ non agnoscitur à majori parte hominum tam Doctorum, quàm indoctorum, non debet asseri, nisi stabiliatur claris, & convincentibus textibus SS. Patrum & Doctorum Ecclesiæ; sed obligatio præcavendi primos motus in sua radice, ac reformandi ipsam concupiscentiam, ne exsurgat, est talis obligatio; ergo &c.

RESPONDEO *ad* 1. n. *Maj.* Ratio est; quia tales motus primi in somno non sunt propriè actus humani, cùm nec sint liberi in se, neque in sua causa; aut, si etiam essent liberi in causa, eatenus non continent generale periculum solicitandi ad assensum, aut ad omissionem culpabilem in iis reprimendis. Itaque non sunt actus propriè humani, in ordine ad obligationem moralem.

Ad 2. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* tr. *Maj.* n. *Min.* Quia majus est periculum in solicitatione interna, quàm externa, tum quia est generale periculum respectu omnium hominum, tum quia sæpius recurrit infinities, ac demum, quia natura non est ita prona ad solicitationem externam, quàm internam, igitur major ratio est præcavendi hos primos motus, seu solicitationes quoad pericula interna, quàm externa.

RESPONDEO 2. dist. *Maj.* Non tenemur vitare pericula moraliter inevitabilia in ratione periculi *remoti*. c. in ratione periculi *proximi*. n. Dico proin, quòd omnia pericula proxima peccati, seu propinqua, ùt vocantur, teneamur vitare, & quidem pericula peccati mortalis determinati ejusmodi sub obligatione gravi; pericula autem propingua ad peccatum veniale, nisi necessitas cogat, tenemur vitare sub levi.

RESPONDEO 3. tr. *Maj.* dist. *Min.* Sed hujusmodi pericula per primos motus sunt moraliter inevitabilia in ratione periculi *remoti.* c. *proximi.* n. Potest enim fieri, ut saltem successu temporis per diligens studium homo eò deveniat, ut etiam primi motus orti sine libertate concomitante,

mitante, vel proximè antecedente nullum ampliùs contineant periculum propinquum ad assensum formalem, vel interpretativum, & hoc non ita difficile est, ut tandem sic per plurimos actus reflexionum, & affectuum contrahatur habitudo, ne aut exsurgant, aut, dum exsurgunt, statim superentur, & occidantur. Econtra si non daretur obligatio præcavendi eos motus in sua radice, si, homo relinqueretur à Deo in morali periculo propinquo assensus seu formalis, seu interpretativi, quod divinæ sanctitati, & bonitati non convenit.

Ad 3. tr. *Maj*. n. *Min.* Quia obligatio hæc agnoscitur non solùm à communi sensu Patrum, quorum textus possent adduci innumeri, sed etiam ab aliis Doctoribus, præsertim Thomistis potioribus, Imo etiam à communi sensu fidelium, dum instruuntur de obligatione ad conatum perfectionis cuivis statui congruæ. Certè Scriptura frequenter hanc obligationem inculcat, dum v. g. asserit, quòd fideles debeant nasci *non ex carne, sed spiritu*, quòd debeant *regenerari* intus in anima, quòd debeat *vetus homo exui*, & *Christus indui*: quòd debeant *crucifigere carnem cum vitiis, & concupiscentiis* omnes, *qui Christi sunt*. Galat. 5. & quòd debeant *mortificari membra, quæ sunt super terram*. Coloss. 3. Quòd *vetus homo deponi, & indui novus*, qui *renovatur secundum imaginem ejus, qui creavit illum*, &c. Qui textus obligant non solùm ad perfectionem bonæ voluntatis, sed etiam ad habitualem perfectionem, & adaptationem potentiarum, ne repugnent rationi, & sollicitent indesinenter ad malum; quod ipsum utique nil aliud est, quàm primos motus corrigendos esse in radice.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo morosa delectatio circa objecta illicita in omni materia sit peccatum?

Et

Num eatenus detur parvitas materiæ circa Objecta Venerea?

NOTANDUM I. In hac re occurrere termini, quorum non est omnium eadem explicatio in Authoribus. Igitur nota

1. DELECTATIONEM nil aliud esse, quàm *simplicem complacentiam cum quadam affectione delectationis interna circa aliquod objectum sine desiderio illud assequendi, vel exequendi*.

2. Ea delectatio, quando est de re turpi pertinente ad luxuriam, vel actum *venereum*, vocatur & ipsa *Venerea*.

3. DELECTATIO MOROSA vocatur omnis *delectatio voluntaria de turpi objecto apprehenso, ùt præsenti*; adeoque non vocatur *morosa* ex eo, quòd post sufficientem advertentiam rationis aliquamdiu duret per notabile spatium temporis; sed potest fieri post sufficientem advertentiam, & deliberationem in unico instanti. Dicitur autem *morosa* ex eo; quia voluntas immoratur in sula oblectatione animi circa ejusmodi objectum, non pergendò ulterius ad ipsum desiderium, aut executionem operis. Observandum tamen, quòd *delectatio morosa latè sumpta* dicatur etiam de omni delectatione circa quodvis aliud objectum illicitum, prout sumit La Croix lib. 5. num. 77.

4. Delectatio alia est *rationalis*, alia *sensualis*. RATIONALIS, seu spiritualis est illa, quæ versatur circa objectum, atque unicè sistit in anima non transeundò ad corpus per commotionem spirituum vitalium sensibilem v. g. ad iram, vel alium actum illicitum. SENSUALIS autem ab Authoribus dividitur in *sensibilem*, ùt vocant, & in *sensualem simpliciter dictam*.

5. SENSIBILIS est, & vocatur illa, quæ versatur circa objectum proportionatum cum sensibili commotione spirituum vitalium, non tamen genitalium ad generationem servientium. Talis delectatio sensibilis datur v. g. in calefactione manus post intensum frigus, in visione rei pulchræ v. g. florum, & prati, in tactu rei blandæ v. g. holoserici, vel in osculo ad suum infantem, in visione rei curiosæ &c. Alii Authores hanc delectationem vocant *naturalem* seu *sensitivam*, quæ denominatio etiam valde accommoda est ad naturam rei.

6. Delectatio SENSUALIS *simpliciter dicta*, seu *Venerea* vocatur illa, quæ versatur circa objectum turpe in carne cum commotione sensibili spirituum ad generationem servientium.

7. Delectatio CARNALIS ab Aliquibus v. g. à P. VIVA in propositionem 40. ALEXANDRI VII. n. 4. vocatur ea solùm, quæ est *sensualis*, seu *venerea*. Econtra ab aliis v. g. *La Croix* l. 3. p. 1. n. 891. vocatur omnis illa, quæ est in corpore, seu carne, sive sit sensibilis tantùm, sive sit etiam simul sensualis, & venerea. Hinc dividit delectationem carnalem in *Sensibilem*, & *Veneream*. Verùm prior acceptio hujus termini est universalior, & menti Ecclesiæ Romanæ conformior, & usurpatur sic in Italia, & Hispania, ùt patet ex P. VIVA loc. cit.

NOTANDUM 2. In hac materia benè distinguenda esse objecta, & actus, qui sunt peccatum *in se ipsis*, & qui sunt tantùm peccatum *ratione periculi* proximi incidendi in peccatum. *Peccata* IN SE IPSIS sunt tria. 1. Actus externus in se graviter prohibitus, ùt homicidium, fornicatio, voluntaria pollutio. 2. Hujusmodi actus committendi serium desiderium, & propositum. 3. Delectatio libera, ac deliberata de eo committendo, vel commisso, velut intentionaliter præsente, & actuali. *Peccata* autem tantùm RATIONE PERICULI propinqui sunt cogitatio, v. g. de homicidio, & vindicta, vel de re turpi; quia cogitationes de se facilè disponunt vel ad delectationem morosam, vel ad desiderium, vel ad ipsum actum externum, quæ tria sunt intrinsecè mala. &c.

NOTANDUM 3. Delectationem posse habere objecta diversa. 1. Potest versari circa substantiam objecti. 2. Circa modum, ac circumstantiam; v. g. si quis delectetur de lapsu temulenti in cloacam; vel de rixa duarum mulierum, in quo casu non datur delectatio; vel de damno temulenti gravi; vel de odio mulierum. 3. Potest versari circa cognitionem ipsius

objecti

objecti de se *bonam*, & hôc modò ipse Deus complacet de studio v. g. Confessarii de objectis prohibitis. 4. Circa cognitionem *malam* objecti prohibiti v. g. de ingenio Pictoris, aut Poetæ imaginum obscœnarum, aut poematum; de ingenio furis, aut blasphemi &c.

Notandum 4. Varia jam in hac re prodiisse Decreta: ùt enim refert P. Viva loc. cit. 1. Clemens VIII. & Paulus V. jusserunt denuntiari Inquisitoribus Fidei eos, qui asserunt: *Osculum ob delectationem carnalem habitum, nec non amplexus, & tactus ob solam delectationem* non esse crimen lethale. 2. Alexander VII. damnavit hanc propositionem 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem* (Franciscus à Matre Dei in Theologia Morali Salm. legit *sensibilem*) *quæ ex osculo oritur, secluso periculó consensus ulterioris, & pollutionis.* 3. P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis S. J. præcepit suis Jesuitis in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis, ne ullus è Societate publicè, aut privatim non modò ùt veram, vel probabilem, sed nec ut tolerabilem quidem doctrinam ulla ratione doceat, aut sibi placere significet, & secundùm illam consilium cuiquam det; scilicet *in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam propter levitatem materiæ excusari à mortali.* Quod Præceptum deinde Congregatio nona Generalis Decret. 24. iterum confirmavit.

Notandum 5. Dum quæritur, utrùm in hac materia detur parvitas materiæ, quæstionem, ac controversiam non esse, an aliqua delectatio circa objectum intrinsecè malum v. g. fornicationem, possit esse peccatum veniale? in hoc enim consentiunt Autbores, talem delectationem esse semper peccatum mortale; sed esse controversum, an delectatio venerea, seu sensualis directè quæsita per attactum, quæ versatur v. g. circa partes obscœnas cum commotione spirituum seminalium, possit esse peccatum veniale? Et in bac controversia, ùt refert P. Viva hic n. 3. fuerunt aliqui Authores ante Damnationem Pontificiam præfatæ propositionis, inter quos refertur Ledesma, Soto, Caramuel, Javellus, qui docuerunt, talem delectationem per tactum, aut aspectum &c. non esse mortale de se, si absit periculum consensus in desiderium fornicationis, vel in pollutionem. Restat autem quæstio 1. An delectatio etiam illa, quæ versatur circa partes obscœnas sine ulla commotione spirituum, sit peccatum mortale? 2. An sit mortale delectatio sensibilis, si exinde prævideantur oriturí motus venerei; quin tamen directè intendantur, prout potest fieri ex osculo, si exinde prævideatur oriri motus venereus? His necessariò & utiliter prænotatis.

DICO I. Omnis delectatio deliberata de objecto reali graviter in se peccaminoso est peccatum mortale. Ita omnes.

Probatur Conclusio. Ratione D. Thomæ. Omnis delectatio de objecto graviter peccaminoso vel approbat ipsum objectum, vel affectum inclinatum ad illud; sed utrumque est peccatum mortale; ergo. *Min. prob.* D. Thomas hic q. 74 a. 8. C. sic ait: *Quod aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quòd affectio ejus inclinata est in hunc actum. Unde, quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quàm quod ipse consentiat in hoc, quòd suus affectus sit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus: quòd autem aliquis ex deliberatione eligat, quòd affectus suus conformetur his, quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.* Et ad 5. *Dicendum (inquit) quòd etiam consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidii cogitati, est peccatum mortale.*

DICO II. Omnis delectatio voluntaria circa objectum, quod formaliter, aut per connexionem necessariam per se ex suo genere, vel ex intentione operantis fovet affectum ad actum graviter in se peccaminosum, est peccatum mortale.

Probatur Conclusio. 1. Non potest dari ratio, cur tactus, & aspectus rei cum delectatione carnali, & sensuali juxta propositionem damnatam sint peccata mortalia, etiam in eo casu, quo nullum datur periculum consensus ulterioris, aut pollutionis; nisi quia per se, & ex suo genere formaliter, aut per connexionem necessariam fovent affectum ad actum de se peccaminosum, puta ad fornicationem, seu pollutionem voluntariam, aut certè ad delectationem circa illa. Ergo &c. *Ant. patebit* ex solutione objectionum.

Probatur 2. *Ratione* D. Thomæ. Ideo juxta D. Thomam delectatio de fornicatione est mortale, quia fovet, & approbat affectum inclinatum ad peccatum mortale; ergo etiam delectatio circa alia objecta in eum finem disponentia, quæ fovent, & approbant hunc affectum, est mortale.

Probatur 3. *Authoritate* S. Thomæ 2. 2. q. 154. a. 4. C. ubi loquens de osculis, & tactibus, sic habet: „Aliquid dicitur esse peccatum „ mortale dupliciter. Uno modo secundùm „ speciem suam, & hôc modò osculum, amplexus, & tactus secundùm suam rationem non „ nominant peccatum mortale: possunt enim „ hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam. Alio modo „ dicitur esse aliquid peccatum mortale ex sua „ causa; sicut ille, qui dat eleemosynam, ut „ aliquem inducat in hæresin, mortaliter peccat „ propter intentionem corruptam. Dictum est „ autem supra, quòd consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, „ & non solùm consensus in actum. Et ideo, „ cùm fornicatio sit peccatum mortale, & multò „ magis aliæ luxuriæ species (puta, sodomia, „ mollities &c.) consequens est, quòd consensus in delectationem talis peccati sit peccatum „ mortale, & non solùm consensus in actum. „ Et ideo, cùm oscula & amplexus hujusmodi „pro-

1. *D. Amort Tract. de Peccatis.*

„ propter delectationem fiant, consequens est, „ quòd sint peccata mortalia; & sic solùm dicun- „ tur libidinosa. *Et ibidem ad* 2. *ait:* Oscula, & „ tactus, quamvis secundùm se non impediant „ bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex „ libidine, quæ est radix hujusmodi delectatio- „ nis, & ex hoc habent rationem peccati mor- „ talis. *Et q.* 15. *de Verit. a.* 4. *dicit:* Simpliciter „ concedimus, consensum in delectationem for- „ nicationis, vel alterius mortalis esse peccatum „ mortale. Ex quo sequitur, quòd quidquid „ homo agit ex consensu talis delectationis, ad „ hoc, ut hujusmodi delectationem nutriat, vel „ teneat, sicut sunt turpes tactus, vel libidi- „ nosa oscula, vel aliquid hujusmodi, totum „ est peccatum mortale." Ex hoc patet, quòd D. THOMAS oscula, & tactus sine rationabili causa facta, dum habent concomitantem delectationem carnalem, supponat procedere ex affectu ad talia peccata, seu ex libidine.

PROBATUR 4. SS. Patres agnoscunt, omne fomentum concupiscentiæ, & affectus ad aliquam speciem luxuriæ, si deliberatè quærantur, esse peccatum graviter prohibitum; ergo & delectatio voluntaria circa objectum, quod per se ex suo genere, aut ex intentione operantis fovet affectum ad talia objecta in se peccaminosa, est graviter prohibita. *Ant. prob.* 1. S. IRENÆUS l. 2. contra hæres. c. 56. dicit: „Christus „ quædam jussit quibusdam abstinere non ope- „ ribus, sed etiam his cogitationibus, quæ ad „ opera ducunt, quasi malis, & nocivis, & ne- „ quam.

2. TERTULLIANUS l. ad Scapulam c. 3. „ Dominus (inquit) non tantùm eum adulterum „ esse definit, qui cominus in alienum matrimo- „ nium cecidit, verùm etiam illum, qui aspectus „ concupiscentia contaminavit; adeoque quod „ prohibetur administrare, satis periculosè ani- „ mus sibi repræsentat, & frustra per volunta- „ tem expungit effectum. Cujus voluntatis tan- „ ta cùm sit vis, cur non solatium sui saturans „ pro facto cedat? pro facto ergo plectetur; „ vanissimum est dicere: volui, nec tamen feci, „ sicut malum non perficis, nec concupiscere „ debueras. *Idem de Spectaculis c.* 13. & 14. *ait:* „ Omne spectaculum sine concussione spiritus „ non est; ubi enim voluptas, ibi & studium, „ per quod scilicet voluptas sapit. Etiam ille, „ qui modestè spectaculis fruitur pro ætatis, vel „ naturæ conditione, non tamen immobilis ani- „ mi est sine tacita spiritus passione; nemò ad „ voluptatem venit sine affectu; nemo affectum „ sine casibus suis patitur. Cæterùm, si cessat „ affectus, nulla est voluptas. *Idem de Idololatria* „ *c.* 2. Dominus (inquit) adulterium etiam in „ concupiscentia designat, si oculum quis impe- „ gerit libidinosè, & animam commoverit im- „ pudicè. *Et L. de Cult. Feminar. c.* 1. 2. & 3. *ait:* „ Non venit de integra conscientia studium pla- „ cendi per decorem, quem naturaliter invitato- „ rem libidinis scimus. Non debemus aperire viam „ tentationibus, quæ nunquam instandò perfi- „ ciunt, certè vel spiritu scandalum permovent. „ Dominus ampliandò legem, concupiscentiam „ à facto stupri non discernit in pœna.

3. EUSEBIUS Demonstratione Evangelica l. 3. c. 8. ait: Christiani arbitrari debent, non „ illas sibi accommodatas esse leges, quibus pro- „ hibetur occidere, mœchari, furari; sed animi „ libertatem ab omni morbo plurimi facere, & „ ab imis partibus, ac de profundo cogitationis „ tanquam à radicibus malitiam pullulantem re- „ secare.

L. 6. c. 23. „Scit adversarius noster, quanta „ sit vis hujus cupiditatis. Objicit quippe oculis „ irritabiles formas, sicque vitiis pabulum sub- „ ministrat, tum intimis visibus stimulos omnes „ conturbat, & naturalem illum inflammat ar- „ dorem, donec irritet hominem, & implicatum „ decipiat. Præcipitur autem à Deo, non tan- „ tùm adulterium esse vitandum, sed etiam co- „ gitationem, ne quis aspiciat alienam, & animò „ concupiscat; adulteram enim fieri mentem, si „ vel imaginem voluptatis ipsam sibi depinxerit: „ mens est enim, quæ peccat, quæ immoderatæ „ libidinis fructum cogitatione complectitur, in „ hac crimen est, in hac omne delictum.

PROBATUR 5. Aspectus mulieris libidinosus, quem Christus Matth. 5. nomine adulterii damnat, consistit in ea delectatione, de qua agitur in Conclusione; ergo. *Ant. prob.* Verba illa Christi D. CHRYSOSTOMUS sic explicat, ut sermo sit de aspectu, quo fovetur affectus ad peccandum. Homil. 17. in Matth. sic ait: „ Christus non actum solummodo, sed impudi- „ cum quoque coërcet aspectum, propter quod „ ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,* „ *jam mœchatus est eam in corde suo,* hoc est di- „ cere, qui dat operam venusta corpora cu- „ riosiùs intueri, & decoras aucupari facies, ta- „ lique animam spectaculò pascere, & obscœnos „ pulchris vultibus oculos affigere: non enim „ idcirco Dominus advenire contentus est, ut „ solummodò corpus à malis actibus, sed ut priùs „ animam quoque ab hujusmodi cogitationibus „ averteret.

PROBATUR 6. Authoritate S. AUGUSTINI, qui l. 12. *de Trinit.* c. 12. sic habet: „Nec sane, „ cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, „ non quidem decernens esse facienda, tenens „ tamen, & volvens libenter, quæ statim, ut „ attigerunt animum, respui debuerunt, negan- „ dum est, esse peccatum, sed longe minus, „ quàm si & opere statuatur implendum." Et ne quisquam putaret de veniali tantùm loqui S. AUGUSTINUM, addit: „Si delectationibus illi- „ citis, à quibus continuò se deberet avertere, „ cogitatio libenter sola pascatur, nec facienda „ decernat mala, sed tamen suaviter in recor- „ datione teneantur, totus homo damnabitur, „ nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed „ tamen cum voluntate talibus animum oble- „ ctandi solius cogitationis sentiuntur esse pec- „ cata, per mediatoris gratiam remittantur.

PROBATUR 7. Authoritate S. ANTONINI, qui p. 2. tit. 5. c. 1. §. 8. ait: „Nulli du- „ bium est, quòd, qui dicit verba turpia, & „ lasciva hac intentione, ut se, vel alium pro- „ vocet ad luxuriam, vel se mente delectandi „in

in locutione, & cogitatione turpium extra matrimonium, mortaliter peccat; ſed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad ſolatium, quamvis de ſe non videantur mortalia, tamen per accidens poſſet eſſe mortale ratione ſcandali, ſeu ruinæ inde ſequentis in mente alicujus. Idem videtur dicendum eſſe de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas laſciviis: ſed audientes libenter talia non tantum ex quadam levitate, & ſolatio vano, ſed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes non videntur poſſe excuſari à mortali, ſicut nec à delectatione moroſa turpis cogitationis, cùm ex auditu ſequuntur talia, præcipuè in mentibus infirmorum." Ita ille.

PROBATUR 8. Authoritate S. FRANCISCI SALES. qui *Introduct. in vitam ſpiritualem* p. 4. c. 6. ſic habet: "Quandocunque homo occupatur ſubito motu delectationis, qui immediatè ſequitur ad tentationem, antequam advertit, & hoc ad ſummum poteſt eſſe leve; quod majus fit, ſi quis, poſtquam advertit malum, in quo eſt aliquanto tempore per negligentiam, vult deliberare, & diſputare cum delectatione, an debeat eam acceptare, an rejicere: adhuc majus fit, ſi quis eam advertens aliquo tempore per veram negligentiam in ea maneat ſine propoſito eam rejiciendi; & ſi voluntariè ex propoſito habeat complacentiam in tali delectatione, hoc propoſitum eſt peccatum mortale, ſi objectum, de quo habemus delectationem, eſt notabiliter malum.

PROBATUR 9. Authoritate CONCILII COLONIENSIS celebrati annô 1536. In explicatione *ſexti præcepti* ſic habet: "Cùm Chriſtus animi libidinem, ac concupiſcentiam tam ſeriò prohibeat, ſimul quoque prohibet, quæcunque eam excitant, vel nutriunt, qualia ſunt verba impudica, laſcivæ hiſtoriæ, ſpuriæ cantilenæ, imagines indecoræ, deinde oſcula, tactus, cogitationes, nimius ornatus, & comptus corporis, occaſio, & potiſſimùm crapula, otium, & his ſimilia: propter quod cùm prohibuiſſet concupiſcentiam, ſtatim ſubjecit: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* His verbis docetur omnis concupiſcentiarum occaſio diligentiſſimè vitanda, adeoque cavendum nobis ab omni eo, quod nos in hujuſmodi peccatum pertracturum timemus, etſi tam charum nobis foret, quàm manus, & pedes, imò dexter oculus. Primariò ergo hoc videtur monuiſſe Chriſtus, ut, ſi contingat nos vitæ conſuetudinem habere cum eo homine, à cujus favore tota noſtra felicitas poſt Deum dependere videtur, atque interim ſuggeſtione diaboli fiat, in ejus hominis domo aſpectum noſtrum in muliérculam aliquam incautiùs conjectum malæ concupiſcentiæ ignibus inardeſcere, tunc potius eſſet, ut eam occaſionem evitemus, quàm ut præſenti nos periculo committamus.

DICO III. Delectatio voluntaria, etiam ſenſibilis tantùm circa objecta, quibus annectitur periculum proximum incidendi in delectationem ſenſualem voluntariam, eſt peccatum mortale.

PROBATUR Concluſio 1. Se exponere periculo proximo peccati mortalis eſt peccatum mortale, ùt infrà q. 4. dicetur; ergo etiam in hac materia ſic dicendum eſt.

PROBATUR 2. Authores, qui aliàs in Theologia Morali cenſentur laxiores, fatentur eſſe practicè improbabile, quòd in tali delectatione ſenſibili non reperiatur peccatum mortale; ergo &c. *Ant. prob.* v. g. 1. P. VIVA hic n. 4. dicit: "In eo diſtinguitur delectatio venerea, ſeu ſenſualis à delectatione merè ſenſibili, quòd illa ſentitur in carne cum commotione ſpirituum ſubſervientium generationi circa partes libidinoſas, & ideo etiam vocatur delectatio carnalis. Sed delectatio ſenſibilis eſt illa, qua ſolùm placet tactus, vel viſus v. g. proprii corporis, vel alieni abſque ulla libidine, ob proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, vel viſus; ùt quando tangitur res blanda, v. g. felis, boloſericum; vel quando videtur res pulchra, ùt pulcher equus, pratum, quæ naturaliter delectant; vel quando mater oſculatur infantem ſuum. Porrò delectatio iſta tactiva, ùt tactiva, ſeu ſenſitiva procul dubiô culpa vacat, ſi non ordinetur ad malum finem, & non exponat hominem periculo delectationis ſenſualis. Unde, ſi ea tantùm delectatio habeatur tangendô vel alterius manum, aut faciem pulchram aſpiciendô, ſolùm in his actibus haberetur veniale, ſi fiant ex levitate animi, aut curioſitate, & periculo duntaxat levi, & remoto delectationis carnalis; idque verum eſſet, ſi oſculum inter virum, & mulierem haberetur ex ea tantùm delectatione ſenſibili: quia tamen moraliter impoſſibile eſt, quòd hujuſmodi oſcula fiant ob delectationem ſenſibilem, & non habeatur etiam periculum proximum delectationis ſenſualis, idcirco non eſt practicè probabile, quòd hujuſmodi oſcula vacent lethali culpa." 2. LA CROIX l. 3. p. 1. n. 894. dicit: "Pluſquam viginti Authores docent, non eſſe mortale, velle tantùm delectationem ſenſibilem, quæ oritur in oſculis, vel tactibus. Hæc ſententia eſt ſpeculativè probabilis: quia autem, quamdiu ſumus in hoc corpore, non videtur moraliter poſſibile, ut cum tali delectatione ſenſibili deliberatè quæſita, & admiſſa non adſit periculum proximum delectationis venereæ; hinc MENDO, & SPORER rectè docent, hanc ſententiam regulariter non eſſe practicè probabilem. Certum enim eſt, vix poſſe ita ſiſti in illa delectatione ſenſibili, quin accedant delectationes venereæ, in quas conſentire, vel ſe exponere conſentiendi periculo, ſecundùm omnes eſt mortale. Præterea, ſi delectatio ſenſibilis ſit circa objectum per ſe turpe, omnes docent, eſſe mortale; quia experientia probat (inquit SPORER) quòd delectationi ſenſibili quæſitæ, vel admiſſæ circa objectum de ſe turpe inſeparabiliter ſemper ſit conjuncta delectatio venerea, in quam pariter ordinariè conſentiet voluntas ita malè diſpoſita." Cæterum quandonam delectatio cenſeatur eſſe voluntaria, quæſita, vel admiſſa, aut quando cenſeatur dari conſenſus in illam, aut quando periculum ſit remotum, vel

proximum in ejusmodi consensum, & qualia pericula fugienda sint in peccatis formalibus, dicetur in sequentibus.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Delectatio morosa non est aliquo præceptô gravi prohibita; ergo nec graviter peccaminosa. *Prob. Ant.* Si esset prohibita, tunc isto præcepto: *Non concupisces*; sed per hoc non est prohibita; ergo. *Min. prob.* Per hoc præceptum tantùm prohibetur ea concupiscentia, quæ est voluntas efficax peccandi in opere; sed delectatio est tantum simplex complacentia cum affectu, & voluntas inefficax; ergo.

2. Apostolus enumerans peccata luxuriæ tantùm enumerat *fornicationem*, *immunditiam*, *adulterium*, *sodomiam* &c. nullibi verò facit mentionem delectationis morosæ; ergo &c.

3. Apostolus, quando *Ephes.* 5. dixit, cavendam esse turpitudinem, fornicationem, avaritiam, scurrilem sermonem, postea solùm addit: *Excludere à regno Dei fornicationem*, *immunditiam*, *avaritiam* &c. Ergo omittendô *turpitudinem*, & *scurrilem sermonem*, qui habetur cum delectatione de objectô, censet eam non excludere à regno Dei: atqui per hoc intelliguntur juxta Glossam amplexus, & oscula, quæ haud dubiè habentur eum delectatione; ergo.

RESPONDEO 1. *ad* 1. n. a. *ad prob.* tr. *Maj.* n. *Min. Ad hujus prob.* n. *Maj.* Prohibetur enim affectus ad peccandum inclinans directè volitus formaliter, vel interpretativè. Ita hoc explicat Christus *Matth.* 5. cùm eum vocat adulterum, qui viderit mulierem ad concupiscendum, quod D. CHRYSOSTOMUS intelligit de eo, qui in se fovet libenter affectum ad adulterium, prout *Probat.* 5. *Conclusionis* 2. ostensum est.

RESPONDEO 2. n. ant. *ad prob.* tr. *Maj.* n. *Min. Ad prob.* tr. *Maj.* dist. *Min.* Delectatio est tantùm simplex complacentia, & voluntas inefficax, inefficacia proveniente ab impedimento *extrinseco*. c. à præparatione voluntatis *interna*. n. *Min.* Talis enim solùm prohibetur ab opere metu inferni, vel metu temporalis incommodi; cæterùm, dum voluntas se oblectat in opere per amorem simplicis complacentiæ, & sic deliberatè affectivè sistit sibi objectum ùt intentionaliter præsens, ac existens, de se jam esset præparata ad peccandum in ipso opere, cessante metu inferni, aut incommodi, aut legis prohibentis. Est autem valde inhonestum, fovere affectum ad objectum ex sua natura à Deo prohibitum, ùt patebit ex *Quæst. seq.*

Ad 2. *retorq.* D. Paulus etiam non enumerat desiderium absolutum homicidii, aut adulterii; ergo non est peccatum.

RESPONDEO 2. dist. a. Tantùm enumerat fornicationem, vel immunditiam sumptam *vel* realiter in opere, *vel* intentionaliter in affectu. c. *tantùm* in opere. n. ant. Fovere enim affectum, & delectationem circa objecta prohibita à Deo, vel natura idem est, ac ea perpetrare in animo per complacentiam, & amorem, ùt ex D. THOMA fuit dictum.

Ad 3. eodem modô dist. ant. Tantùm ponit immunditiam &c. *vel* effectivè, *vel* affectivè talem. c. *tantùm* effectivè talem. n. ant. Ratio, cur D. Paulus in posteriore textu omiserit turpitudinem, non est, quia non excludit à regno Dei; sed quia superfluum est, bis explicitè ponere, quod tacitè comprehenditur uno, eodemque nomine, aut genere, puta in genere immunditiei corporalis, vel intentionalis.

OBJICITUR 2. Delectari de virtute non sufficit ad meritum; ergo & delectari de peccato in homine aliàs justo non sufficit ad peccatum.

2. Malitia operis non semper redundat in delectationem; ergo ex eo, quòd opus sit malum, non sequitur, etiam delectationem de opere esse malam. *Ant. prob.* Malitia intrinseca fornicationis consistit in damno prolis ob educationem: sed hæc non redundat in simplicem delectationem; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. tr. a. n. c. Ut enim D. THOMAS q. 15. *de Veritate.* a. 4. ad 13. observat, plus requiritur ad meritum, quàm ad demeritum, cùm *bonum fit ex toto, malum autem ex quolibet defectu.*

RESPONDEO 2. dist. a. Delectari de virtute non sufficit ad meritum, si talis delectatio fuerit impedita per defectum ordinis ad Deum. c. secùs. n. ant. Si enim talis delectatio ponatur in homine justo se referente habitualiter in Deum, dico, etiam actum ejusmodi esse meritorium: in peccatore autem deficiente illo ordine necesse est, etiam delectationem non esse meritoriam in actu secundo.

Ad 2. dist. a. Non semper redundat *effectivè*. c. *affectivè*. n. ant. quia affectivè ponitur totum objectum in animo, adeoque etiam ejus malitia saltem inchoativè, in quantum affectus intrinsecè disponit ad actum, qui jam habet inhonestatem, ac malitiam ejusdem ordinis cum objecto, nempe ad desiderium absolutum.

OBJICITUR 3. D. THOMAS 2. 2. q. 154 a. 4. C. Tunc solùm amplexus, & oscula dicit esse mortalia, ac libidinosa, quando ordinantur ad ipsam fornicationem; ergo, quando sistitur in sola delectatione sine ulteriori ordinatione, ea non sunt peccatum mortale.

2. In furto, dehonoratione parentum, voluptate gulæ, & odio datur parvitas materiæ; ergo & in delectatione morosa.

RESPONDEO *ad* 1. n. *vel* dist. a. Dicit esse mortalia, quando ordinantur ad fornicationem ordinatione *interpretativa*. c. *tantùm* formali, ac *explicita*. n. ant. Qui enim assumit delectationem per sui effectum connaturalem, nempe commotionem spirituum genitalium, quæ ex sua natura tendit in opus externum, eo ipso interpretativè ordinat hanc delectationem in finem illi connaturalem, si nullam aliam habeat causam, motivum, & finem actionis assumptæ, nisi ipsam delectationem.

Ad 2. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia tota malitia reperitur hic, & nunc in quavis materia, sive parva, sive magna; sicut in blasphemia, vel odio Dei, ubi pariter non datur levitas ex parte materiæ, sed tantùm ex defectu advertentiæ, vel deliberationis. Econtra in aliis materiis tota malitia non reperitur in materia parva; sic enim in parvo furto non reperitur damnifica-

mnificatio gravis, aut in levi injuria gravis contristatio proximi.

OBJICITUR 4. Potest quis dare causam venialiter peccaminosam ad commotionem spirituum, & seminis resolutionem, quin per hoc peccet mortaliter; ergo ex eo, quòd delectatio morosa ista causet, non sequitur esse peccatum mortale. *Ant. prob.* Sic P. VIVA hic n. 16. dicit: *Distinguendæ sunt actiones malæ leviter influxivæ ad commotionem spirituum & pollutionem ab actionibus graviter influxivis; nam illæ, ut nonnulli aspectus mulierum, nonnulli tactus, nonnullæ comœdiæ, & lectiones librorum obscœnorum, nonnulla verba amatoria v.g. dicendò: cor meum, anima mea, ob solam vanitatem, & ad conciliandum vanum amorem, communius docent cum Vasquez, Salas, Less. Bonac. apud Dianam, & Tamburinum, quòd non excedant culpam venialem, quamvis in iis prævideatur etiam pollutio secutura, dummodo absit periculum consensus, aut grave scandalum.*

2. Potest dari affectus leviter culpabilis ad furtum grave, homicidium &c.; ergo, etiamsi delectatio venerea foveat affectum ad fornicationem, potest nihilominus esse tantùm leviter inordinatus; adeoque tantum peccatum veniale.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. Potest quis dare causam venialiter culpabilem, si ipsa hæc commotio spirituum *nec* intendatur *indirectè nec interpretativè*. c. si tantùm *non* intendatur *formaliter*, *seu directè*. n. ant. Illud dicitur Indirectè intendi, quod sic ponitur, ut nullus alius sit primarius, ac præcipuus finis movens ad actionem. Hinc Authores, qui agnoscunt culpam venialem in hujusmodi actionibus, aliquando expressè addunt, quòd ponantur ex alio fine v. g. vanitate, curiositate, studio placendi, & conciliandi amorem amicitiæ, ex levitate animi, seu ex proposito satisfaciendi suæ levitati, & inconsiderationi. Econtra si tales actiones utut leviter influxivæ ordinarentur *indirectè*, vel *interpretativè* ad commotionem spirituum, eo ipso agnoscunt in ejusmodi actu v.g. osculo, peccatum mortale. Addo, quòd P. VIVA non faciat propositionem generalem: *omnes tactus*, *omnes aspectus* &c. sed particularem: *nonnulli tactus*, *nonnulli aspectus*, ubi videlicet ex conditione particulari personarum abest omne periculum, vel scandalum. Fatendum tamen, hanc ipsam doctrinam P. VIVÆ etiam ùt limitatam non esse *practicè probabilem*, si sola curiositas, vel levitas pro fine habeatur. Aliud enim est necessitas, & aliud utilitas.

Ad 2. tr. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia in aliis materiis affectus subjacet imperio rationis, nec habet principium tam periculosum in ipsa corruptione naturæ. Dein aliud est affectus ad peccatum, aliud approbatio affectus ad peccatum. Affectus ad peccatum potest se habere ad voluntatem per modum principii agentis àd passum; si verò accedat approbatio affectus, voluntas se habet per modum principii agentis; hoc ipsum autem est graviter inhonestum, positivè per modum principii agentis ponere affectum quemvis inefficacem ad peccatum grave.

OBJICITUR 5. Potest quis sine peccato mortali desiderare affectu inefficaci id, quod est peccatum mortale; ergo etiam potest quis positivè approbare per delectationem affectum inefficacem ad peccatum mortale. *Prob. Ant.* Potest quis affectu inefficaci optare mortem parentis ob pinguem hæreditatem; ergo.

2. Licitus est affectus ad peccatum conditionatus, sub hac videlicet conditione: *si liceret;* sed delectatio morosa est tantùm talis affectus conditionatus ad peccandum; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. Hoc ipsum enim est in quæstione, & contraria doctrina damnata est ab INNOCENTIO XI. dum damnavit hanc propositionem 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Ad 2. n. *Maj.* vel dist. Licitus est talis affectus, si modus tendendi conditionatus tollat in affectu modum tendendi absolutum, & simul conditio tollat in objecto malitiam fundamentalem. c. secus. n. *Maj.* Sensus est, quòd talis modus tendendi conditionatus ex duplici capite possit esse vitiosus: si enim v. g. operans in se accendit ignem amoris erga objectum illicitum, & fornacem cupiditatis in corpore, hic ignis non ardebit conditionatè, sed ardebit absolutè, & semper tendet modò absolutò in objectum, sicut aliæ potentiæ appetitivæ, v. g. appetitus cibi; adeoque modus conditionatus tendendi non tollit malitiam actus, cùm non sit conditionatus in suo effectu, & affectu, quem causat. Dein supposito, quòd modus tendendi tam ex parte intellectus quàm ex parte voluntatis ac potentiæ appetitivæ esset perfectè conditionatus, eò quòd nullus accendatur affectus positivus, & absolutus in animo, vel corpore erga objectum, requireretur tamen, ut simul etiam tolleretur malitia fundamentalis in objecto, v. g. si quis dicat: *Libenter blasphemarem contra Deum, si id liceret:* vel *occiderem quemvis obvium præ ira, si non esset Deus;* in tali casu purificata conditione per impossibile, objectum nihilominus maneret inhonestum fundamentaliter, & peteret prohiberi. Et sic adhuc esset gravis inhonestas, conformare suum affectum, & delectationem tali objecto fundamentaliter inhonesto. Aliud esset, si quis dicat: Comederem hoc die libenter carnes, si non esset dies Sabbathi: hic enim conditio tollit malitiam objecti, utpote de se indifferentis. Si ergo aliunde affectus naturalis ad comestionem carnium non positivè roboratur, vel augetur per delectationem voluntariam in tali affectu cum gravi periculo ob immoderantiam affectus transgrediendi legem positivam Ecclesiæ, etiam lex non prohibet affectum conditionatum ad objectum, etiam ùt apprehensum sub circumstantia operis externi prohibita. Vide LA CROIX l. 5. à n. 81.

DICES. Ex hoc saltem sequeretur, quòd delectatio morosa non sit peccatum mortale, quando non versatur circa objectum intrinsecè malum; ergo Conclusio non est universaliter vera.

RESPONDEO. dist. a. Hoc sequeretur circa objecta prohibita lege *naturali*, vel *divina*. n. *humana*.

humana subdist. si *non versetur* circa objectum actu existens, & *sub tacito modo conditionato* se habeat. tr. Si *versetur* circa objectum actu existens, aut *sine tacito modo conditionato*. n. a. Delectatio morosa potest dari de objecto actu existente, v. g. dum quis gaudet de actuali comestione carnis prohibita, quam actu habet, vel habiturus est, vel habuit; & hoc est semper peccatum mortale, quia conformat suum amorem objecto formaliter peccaminoso, non præscindendò expressè de ejus malitia. Si verò non versetur de objecto actu existente, tunc est peccatum mortale circa omnes leges divinas; quia leges divinæ immediatè, ac directè attingunt actus internos, adeoque etiam directè præcipiunt, ne quis conformet suum amorem internum, & affectum tam animi, quàm corporis objecto absolutè prohibito v. g. comestioni pomi vetitæ à Deo. Idque patet ex communi sensu Authorum fere omnium, qui agnoscunt malitiam gravem in hac conformatione amoris interni, & approbatione affectus interni.

Objicitur 6. Potest haberi deliberatè affectus tantùm venialiter peccaminosus ad objectum graviter prohibitum; ergo etiam potest haberi delectatio morosa, & approbatio affectus venialiter peccaminosa ad objectum graviter prohibitum. *Ant. prob.* Quando Eva vidit lignum pulchrum visu, & fructum desiderabilem, potuit deliberatè concipere, & admittere affectum venialiter tantùm peccaminosum ad illum gustandum; ergo.

2. Potest dari delectatio licita, vel ad summum venialiter peccaminosa de variis objectis graviter peccaminosis, ùt tamen abstractis à circumstantia prohibita; ergo etiam potest dari delectatio morosa de objecto ùt abstracto à circumstantiis individualibus, ac realibus, sed tamen ùt existentibus intentionaliter in objecto. *Ant. patet* ex variis exemplis. Sic parens potest delectari in prole spuria ob ejus egregias dotes. Item potest quis delectari de artificio imaginis, aut statuæ libidinosæ, de casu temulenti in cloacam cum vestium gravi læsione, de pecunia, vel conventione per scelus parta, de strage exercitos sibi ingrati, quamvis non hostilis, & dexteritate adhibita in lusu cum damno proximi, de pollutione nocturna &c.

3. Non est peccatum mortale, se exponere periculo peccandi tantùm remoto; sed delectatio solùm tenuis cum levi commotione spirituum genitalium est tantùm periculum remotum ad actum peccati lege prohibitum, v. g. ad fornicationem; ergo &c.

4. Delectatio Conjugum de copula habenda, vel habita non est mortale; sed talis etiam est delectatio morosa soluti sine ulteriori consensu; ergo &c. *Min. prob.* Talis delectatio tacitè solum refertur ad objectum sub circumstantia licita, puta conjugii aliquando contrahendi, si daretur, vel dabitur, vel præcessit; ergo. *Prob. Ant.* Talis delectatio potest eò referri; ergo tacite eò refertur; quia generalis intentio operantis est, operari sub ea relatione, & modo, qui minùs, vel omnino non est peccaminosus, ac legibus prudentiæ conformior.

Respondeo *ad* 1. n. a. Si sermo sit de objecto prohibito lege naturali, vel divina. *Ad prob.* n. a. Potest enim cum communi Thomistarum supponi, Adamum in hoc non potuisse peccare venialiter, ùt habet Author *Theol. Moral. Salmantic.* Tract. 12. Disp. 3. Dub. 2. Si enim delectatio in se suscitasset talem affectum, jam eo ipso subjecisset rationem superiorem impulsui appetitus inferioris in iis, quæ immediatè repugnant ordini ad ultimum finem; & io natura corrupta ea subjectio tacite approbatur per talem deliberatum affectum.

Respondeo 2. dist. a. Potest haberi talis affectus deliberatè *sine* delectatione, aut alia actione positiva approbativa. tr. *cum* tali delectatione. n. a. Longè alia malitia est, quando quis tolerat affectum ad peccatum, quem habet in potentia sensitiva, vel appetitiva appetitus inferioris, & dum positivè approbat hunc affectum per delectationem liberam, quæ est essentialiter actus positivæ approbationis, eò quòd ponatur hæc positiva approbatio per actum rationis superioris aut negativum, aut positivum. Est autem indecentis gravis, quòd creatura rationalis deliberatè conformet suum amorem, & affectum cum objecto graviter repugnante ordini ad ultimum finem. Dixi *tr. Ant.* Quia examinabitur *quæst. seq.*, an consensus negativus in motus concupiscentiæ, seu affectus appetitus inferioris sine delectatione sit mortale.

Respondeo 3. Simpliciter n. a. *ùt jacet, & sonat*; quia omnis affectus appetitus inferioris ad objectum prohibitum deliberatè positus, vel toleratus videtur includere delectationem tacitam in objecto, adeoque approbationem positivam affectus se conformantis amore, amicitia, & fœdere cum objecto repugnante legi divinæ.

Ad 2. tr. a. n. c. & *paritatem.* Disparitas est; quia objectum peccaminosum, etiam ùt præcisum à circumstantiis individuantibus, ac realibus in esse objectivo intentionali retinet adhuc malitiam dignam gravi indignatione divina, nempe spontaneam conformitatem affectus, & amoris ad objectum reale re ipsa prohibitum lege divina. Dixi *tr. ant.* Quia in adductis exemplis non universim præcisio affectus, & complacentiæ admitti potest: quando enim complacentia, ac delectatio habet pro objecto bonum re ipsâ præcisum à malitia objecti, qualia sunt v. g. opera Dei in creatione hominis, tunc rectè fertur delectatio in tale opus Dei ùt præcisum à malitia non per voluntatem, sed per ipsum Authorem naturæ. Econtra, si bonitas objecti non est præcisa à malitia antecedenter ad nostram voluntatem, & independenter ab affectu humano, videtur esse inconveniens, ac inhonestum ferri cum affectu in tale objectum in propatulo gestans suam malitiam; quia affectus connaturaliter attingit objectum in statu obvio. Et hinc ingenium Sculptoris, vel Poetæ libidinosi &c. non videtur in casu particulari posse esse objectum appretiationis practicæ per complacentiam, & delectationem in tali objecto; quia delectatio non est præcisiva, nec etiam affectus potentiæ appetitivæ practicè est præcisi- vus,

vus, sed tendit in objectum ùt apprehensum, ac involutum circumstantiis hic & nunc cognitis.

Ad 3. c. *Maj.* dist. *Min.* Est solùm remotum periculum ad actum *externum*. c. ad inhonestatem actus *interni*, nempe delectationis, & complacentiæ. n. *Min.* Delectatio de objecto prohibito non est mala ratione periculi ad actum externum, sed ex se; quia est conformatio affectus ad aliquid prohibitum à Deo.

Ad 4. dist. *Maj.* Delectatio solius appetitus *rationalis* non est mortale in talibus. tr. appetitus *sensitivi*, aut appetitus rationalis *redundantis* in appetitum sensitivum. n. *Maj.* Hinc etiam in cogitationibus de statu matrimoniali licet soluto appetitu rationali appetere copulam, & de illa gaudere, ut aliquando habenda ex fine aliàs licito, distincto à voluptate, si absit periculum appetitus sensitivi, & consensus in illum; quo casu delectatio illa rationalis erit, vel non erit peccatum grave juxta gravitatem periculi. Sed si soluti generaliter, & confusè ferantur in omnem actum copulæ, abstrahendò à statu connubii, sic eorum delectatio etiam rationalis eo ipso conformatur affectui, & objecto etiam illicito; quod utrum fiat, vel non, ex dispositione habituali cujuslibet desumi debet.

Dices. Si omnis delectatio morosa de objecto graviter peccaminoso est grave peccatum, sequeretur, vitandas esse omnes cogitationes, verba, & actiones, ex quibus pronum est subsequi delectationem amorosam; sed hoc est nimis difficile; ergo &c.

Respondeo. n. *Maj.* Quia, ùt ex dictis colligitur, non omnis delectatio morosa est mortale. 1. Si delectatio non est formaliter, aut interpretativè quæsita, sed contra voluntatem concomitanter actionem, ubi intenditur alius finis actionis, & simul delectationi non datur consensus, seu approbatio. 2. Si illa delectatio non versatur in appetitu sensitivo, sed tantùm in rationali, & simul objectum hujus delectationis apprehenditur cum circumstantiis licitis in apprehensione. 3. Si insuper non concurrat ullum periculum delectationis sensualis, aut redundantis in potentiam sensitivam.

QUÆSTIO III.

An peccet mortaliter, qui se habet negativè ad insurgentes tentationes Carnis?

Notandum 1. Per carnis tentationes posse intelligi duo valde diversa. 1. In quantum sunt motus carnis sine concomitante complacentia, delectatione, vel affectione etiam indeliberata. 2. In quantum sunt indeliberatæ affectiones seu animi, seu potentiæ sensitivæ circa objectum graviter hic & nunc prohibitum.

Notandum 2. Quæstionem consistere in eo, an quis in tali casu teneatur contra tentationem adhibere resistentiam *positivam*? an verò sufficiat, se habere *negativè*, sic, ut tentationem nec approbet, nec improbet? Porro ipsa resistentia alia est *efficax*, alia *inefficax*. Efficax est, qua applicantur media ad reprimendos hujusmodi tentationis motus idonea, qualia sunt oratio, vel applicatio animi, & phantasiæ ad alia cogitanda, varii actus mortificationis &c. Inefficax est sola displicentia, & aversio animi ab objecto sine applicatione animi ad alia objecta impedientia, vel retrahentia ab objecto tentationis, saltem nisi illa displicentia, & horror sit ratione sui vehemens; facit tamen, ut voluntas non consentiat in tentationem, interpretativè illam approbandò, aut tolerandò.

Notandum 3. Certum esse ex quæstione sequente; quotiescunque datur periculum proximum labendi in consensum delectationis plenè deliberatum, ac positivum, dari obligationem adhibendi media evadendi pericula moraliter homini possibilia.

Notandum 4. Varias referri in hac re Authorum sententias. Aliqui enim dicunt, absente periculo consensus positivi in delectationem, ne quidem committi veniale, si voluntas se habeat negativè. Pro hac sententia referuntur à la Croix Cajetanus, Sanchez, Tamburin. & alii. Alii autem, ut Castropalao &c. docent, tantùm committi peccatum veniale, si non fiat resistentia positiva. Eam sententiam explicant Salmanticenses, si non sit periculum pollutionis, quo casu agnoscunt peccatum mortale. Valde tamen communis sententia docet, esse mortale, si non fiat positiva resistentia; & hujus sententiæ est etiam Suarez, Vasquez, Amicus, Arriaga, Rhodes, Platellius, & ipse Busenbaum Author aliàs minimè rigidus.

DICO. Est peccatum mortale, ad insurgentes motus indeliberatos delectationis venereæ post plenam eorum advertentiam non resistere resistentiâ positivâ de se efficaci, saltem per conversionem ad aliud objectum. Ita communior.

Vasquez 1. 2. Disp. 108. q. 74. c. 2. docet, hanc sententiam esse certam, & contrariam etiam improbabilem, quod ipsum censeo.

Probatur Conclusio 1. Consensus interpretativus in peccatum mortale est mortale; sed neglectus talis resistentiæ positivæ est consensus interpretativus in peccatum mortale, nempe in delectationem veneream; ergo. *Min. prob.* Ille consensus est interpretativus in talem delectationem, qui illam voluntariè non reprimit, cùm posset, & deberet; sed hoc contingit; ergo &c. *Min. prob.* Illa delectatio deberet reprimi, quæ conformat amorem, & affectum animi cum objecto graviter prohibito, & continet periculum consensus positivi in delectationem; sed talis est illa delectatio; ergo &c. *Maj. prob.* Si conformat amorem, & affectum cum objecto prohibito, jam invehit materialem indecentiam, seu malitiam fundamentalem in animum, eamque valde periculosam; ergo, si potest, debet evitari. *Conseq. patet* ex communi sensu, & lumine naturæ per ipsum consensum Doctorum sufficienter noto.

Probatur 2. Exponere se periculo proximo consensus in delectationem veneream, est peccatum mortale; sed hujusmodi neglectus resistentiæ positivæ est se exponere proximo periculo consensus in talem delectationem; ergo. *Min.*

Min. prob. Periculum proximum est, quod frequenter post se trahit peccatum, vel quod à priori noscitur esse talia naturæ, ut difficillimum sit illi constanter in serie casuum consimilium resistere, quin frequenter sequatur peccatum; sed tale est periculum in præsenti; ergo. *Maj.* est definitio recepta. *Min. prob.* tum ex consensu Authorum, tum ex ipsa natura objecti.

PROBATUR 3. Omnes Authores fatentur, in tali casu tentatum obligari sub mortali ad positivam displicentiam de tentatione; ergo etiam ad resistentiam positivam. *Ant. prob.* Displicentia non potest esse seria sine desiderio serio expellendi hostem è provincia per media facillima, quæ sunt in promptu; sed resistentia positiva, ac conversio ad aliud objectum est tale medium facillimum, quod est in promptu; ergo non potest dari displicentia seria sine resistentia positiva.

PROBATUR 4. Si virgo se haberet permissivè ad tactus impudicos alterius sine positiva resistentia, vel paterfamilias ad conflagrationem suæ domus, eo ipso censeretur consentire interpretativè; ergo etiam interpretativè consentit, qui habet se negativè sine positiva resistentia ad deformationem sui affectus, & transformationem materialem sui amoris in objectum prohibitum. Hinc, ùt benè advertit LA CROIX hic l. 5. n. 111. locum habet illud adagium, quod habetur *Cap. Etsi.* de Judæis: *illam retributionem* (motus ejusmodi) *impertiuntur, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Dantur Authores graves sentientes oppositum; ergo oppositum est probabile, adeoque tutum in praxi. Consequenter non peccat mortaliter, qui omittit resistentiam positivam. *Ant. prob.* Oppositum docent ANGELUS verb. *cogitatio*, CAJETANUS verb. *delectatio*, NAVARRUS in Summa c. 16. n. 9. & alii plures. Ergo.

RESPONDEO 1. n. a. *ad prob.* dist. a. Docent oppositum *conditionatè* c. *absolutè*. n. ant. Omnes enim hi Authores docent, solùm tunc non fore peccatum grave resistentiam negativam, si quis certus sit, in se nullum dari periculum, & actu se simul reflectat ad resistentiam, ac displicentiam habitualem, ac virtualem sui animi contra talia peccata. Econtra in eo casu, quo non advertit quis in se talem præparationem animi habitualem, ac displicentiam virtualem, ipsimet fatentur, esse peccatum mortale. Si enim hi Authores bene inspiciantur, tantùm docent, quòd, si quis in se advertat duos motus inter se contrarios, unum actualem vitii, alterum virtutis oppositæ eminenter fortiorem, ac moraliter insuperabilem, non teneatur elicere positivum actum displicentiæ de motu vitii, sed ipse neglectus tentationis, ùt substans cognitioni de resistentia animi virtuali sit jam virtualiter resistentia, & omissio assistentiæ ad partem debiliorem vitii sit interpretativè accessio ad virtutem oppositam, maximè cùm omissio hujus assistentiæ, & approbationis ad vitium procedat ex tam canta consideratione virium suarum, & ex motivo prævalentiæ virtutis moraliter insuperabilis. Itaque in hoc casu omissio actua positivi ex tali motivo est virtualis displicentia vitii. Hinc

RESPONDEO 2. dist. Docent hi Authores, non requiri resistentiam positivam *formalem*. c. æquivalentem, & *virtualem*. n. ant. Sensus patet ex dictis. Quòd verò hic sit genuinus sensus eorum Authorum, patet ex eorum verbis attentè ponderatis.

CAJETANUS loc. cit. dicit: "Oportet discernere causam, quare continuatur illa cogitatio delectabilia: nam, si ex complacentia delectationis illius provenit, quòd negligit prohibere continuationem illam, voluntaria fit delectatio illa, & verè morosa. Si autem non ex complacentia, sed ex non æstimatione commotæ cogitationis, & delectationis negligentia provenit, puta, quia scit voluntatem suam constantem, & confidit, quòd propter hujusmodi commotionem phantasiæ, & concupiscentiæ non surget in consensum malum, peccat quidem, quia potest, & debet conari ad repellendum hujusmodi intima bella, & pericula, maxima & quantum in se est, implere illud: *Persequar inimicos meos, & non convertar, donec deficiant*; non peccat tamen mortaliter, quia NB. in veritate iste dissentit, virtualiter saltem; imò putat, se non continuare activè cogitationem illam delectabilem, sed se parat in illam." Ita *Cajetanus*.

NAVARRUS verò c. 11. *de delect. moros.* loquens n. 11. ait: "Consensus, & voluntas interpretativa, vel tacita delectationis est culpa lethalis; at iste consensus tacitus, quem alii interpretativum dixere, CAJETANUS autem negativum, non positivum appellavit, tunc demum est peccatum mortale, quando quatuor concurrunt. 1. Ut id, de quo sumitur delectatio, sit culpa lethalis. 2. Ut, qui delectatur, advertat, se delectari. 3. Ut non obsistat delectationi, eam à se depellendò. 4. Ut absque rationabili causa omitteret, eam à se rejicere: etenim, si omitteret eam à se depellere, quia novit se ea vi, & virtute animi pollere, ut certus sit, se non ita victum iri, non esset culpa lethalis. Idem dicendum, si ideo delectationi non resisteret, eamque à se non repelleret, eò quòd crederet, eò magis illam augeri, quò magis resistet. Idem esset, si delectationem illam omisisset expellere, ne suam occupationem honestam, & necessariam, aut utilem derelinquerat, quale est, audire confessiones." Ita *Navarrus*.

Ex quo iterum patet, quòd neglectua resistentiæ positivæ debeat procedere ex motivo tacito displicentiæ erga peccatum, & ex consideratione præparationis internæ positivè contrariantis vitio. Idem autem est, sive quis actu eliciat actum contrarium vitio, sive quis se reflectat ad suas dispositiones positivas contrariantes vitio, & ex earum consideratione omittat novum actum positivum. Sic enim utique eadem est intentio, dum quia se movet ad instigandum calcari equum, sive dum se movet ad considerandum, num benè currat ad terminum, quo

quo posito non est opus calcari. Eodem modò est laudabilis industria Magistri, sive positivè adhortantis discipuloa ad profectum, sive invigilantis, num sponte tendant ad profectum; in quo casu tam positiva adhortatio, quàm omissio illius ex eodem motivo est ejusdem meriti, ac virtutis, & utraque supponit, aut ponit virtualem voluntatem profectus.

Objicitur 2. Permissio rei non habentis gravem deordinationem, ac malitiam, non est mortale; sed inordinata commotio appetitus sensitivi naturaliter, & præter voluntatem exorta sine probabili periculo consensus non habet gravem deordinationem, ac malitiam; ergo. *Min. prob.* Istæ commotiones non sunt prohibitæ per præceptum: *Non concupisces*, nisi quatenus trahunt voluntatem ad assensum; ergo. *Ant. prob.* ex propos. 50. Baji damnata: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: Non concupisces.*

Respondeo c. *Maj.* dist. *Min.* Exorta sine periculo consensus *etiam interpretativi.* c. *tantùm formalis.* n. *Min.* Eodem modo dist. *prob.* Non sunt prohibitæ, nisi quatenus trahunt voluntatem ad assensum *interpretativum.* c. *tantùm formalem.* n. ant. Bajus in boc erravit, quòd omnes motus etiam involuntarios habuerit pro mortali, quamvis non babeant assensum interpretativum. In præsenti autem, si quia non habet curam de resistentia, nec considerat præparationem sui animi, ut certus esse possit de evitatione periculi, idque ex motivo displicentiæ oeculto, censeretur habere consensum interpretativum.

Objicitur 3. Obligatio, quæ est moraliter inobservabilis, non datur; sed talis est obligatio resistendi positivè, & efficaciter bujusmodi tentationibus; ergo. *Maj. patet* ex eo; quia lex debet esse rationabilis, & moraliter observabilis. *Min. prob.* Hujuamodi commotiones, supposito peccato originali, facillime oriuntur, nec animus virtutibus non consolidatus in promptu babet uniformem conatum positivum in tot circumstantiis adversus vitia; ergo.

Respondeo dist. *Maj.* Non datur obligatio moraliter inobservabilis difficultate proveniente ex *natura legis*, vel *natura* subjecti c. ex *conditione* subjecti *posita per peccatum.* n. *Maj.* Sic enim consuetudinario, qui sibimet ipsi conscivit moralem impossibilitatem servandi legem, non ponitur alia lex; sed perseverat lex lata in hominem conditionis primigeniæ positæ à conditore. Hinc etiam non constat, quòd Deus post peccatum Adami aucta difficultate ob corruptionem naturæ relaxaverit leges naturales correspondentes naturæ sanæ.

Respondeo 2. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. ant. Non habet in promptu hunc conatum animus non consolidatus virtutibus *ordinariis* homini Christiano ad salutem aliunde necessariis. tr. *extraordinariis.* n. ant. Homo enim, qui babet amorem Dei non tantum speculativum, se tenentem tantùm ex parte actus, sed operativum, & practicum, eo ipso babet studium virtutis, & horrorem peccati; qui autem ita constitutus est, non sentiet difficultatem, si declinet suam attentionem ad aliud objectum post advertentiam plenam, quòd hostis jam sit intra muros.

Objicitur 4. Juxta communem non est grave peccatum, si quis præbeat culpabilem causam venialiter peccaminosam hujusmodi tentationibus; ergo neque est grave, si quia insurgentea commotiones animi non expellat positivè. *Ant. patet* in eo, qui v. g. curioso aspectu, colloquio &c. cum fœminia vano, ac inutili, vel lectione vana est sibi causa talium tentationum, quas Vasquez, Viva &c. non incusant peccati mortalis. *Conseq. Prob.* Pejus est causare ex fine aliàs leviter peccaminoso has tentationes, quam eas ex socordia non repellere; ergo.

Respondeo. dist. a. Non est grave, si nec formaliter, nec interpretativè intendat delectationem appetitus sensualis, & non sit probabile periculum incidendi in consensum hujus delectationis. c. secus. n. a. Ratio cur in positione causæ non reperiatur consensus interpretativus ad subsequentem delectationia motum, est; quia in tali actione constat, dari finem absolutè præstabilitum alium, quàm delectationem, & cum ea actione stat positiva displicentia, ac efficax resistentia per aversionem animi ad aliud objectum. Econtra in eo, qui tolerat ingruentem tentationia motum sine applicatione animi ad alium finem, aut objectum, non datur intentio illa, vi cujus veraciter possit dicere, se non intendere delectationem interpretativè, cùm facillimè possit statuere sibi aliud objectum immediatum apprehensionis, & appetitus, quàm delectationem sensualem. Cæterùm adverto etiam, in positione causæ valde timendnm esse, ne animus semetipsum decipiat, ut, dum nititur se persuadere, actionem fieri ex intentione alterius finis, revera tamen pro interno motivo prædominante habeatur delectatio sensualis.

Objicitur 5. Si requireretur positiva resistentia ad tales delectationes, tunc quoties animo proponitur novum illicitum, vel novua delectationis motus, toties deberet reiterari actus resistentiæ positivæ; sed boc non potest dici; ergo &c. *Min. prob.* Quia hæc obligatio esset nimia tortura conscientiarum.

2. Si bæc resistentia requireretur ad insurgentes motus delectationis, tunc etiam requireretur ad eos motus carnis, qui non habent conjunctam delectationem; sed hoc est nimium; ergo. *Maj. prob.*. Authores loqnuntur indiscriminatim de omnibus motibus concupiscentiæ; ergo.

Respondeo *ad* 1. n. *Maj.* Quia posito semel actu positivo contrariante his motibus relinquitur in animo virtualis resistentia, seu attentio exercita ad præparationem animi contrariantem huic tentationi, quod juxta *Responsionem ad Object.* 1. sufficit. Hinc, sicut, si Turcarum aliquia suo mancipio per totum diem in aurem clamaret blasphemias contra Christum, utique non teneretur tota die elicere actum positivè contrarium, sed sufficit, si ab initio protestetur, & in ea protestatione virtualiter, aut habitualiter perseveret; Ita sufficit, si tentatus resistat

cum reflexione ad constantem præparationem animi, seu decretum semel conceptum non consentiendi. Imò hæc ipsa conatio, qua animus se extricat ex violenta tractatione tentationis, jam est resistentia positiva.

Ad 2. tr. *Maj.* dist. *Min.* Esset nimium, si requireretur resistentia positiva *formalis*. c. si tantùm *virtualis*. n. *Min.* Sufficit enim homini, si habeat actualem advertentiam, saltem exercitè ad firmam præparationem animi contra tales tentationes, & ex ea consideratione tentationes negligat.

DICES. Ex hac doctrina sequeretur, quòd homines timoratæ conscientiæ continuò deberent angi, an non neglexerint positivam resistentiam efficacem; sed hoc est nimis grave; ergo.

RESPONDEO. dist. *Maj.* Deberent angi, si requireretur resistentia *formalis*. c. si tantùm *virtualis*. n. *Maj.* Si enim tantum requiritur advertentia ad præparationem animi obarmati adversus hujusmodi tentationes, possunt utique moraliter esse certi de resistentia virtuali, sicut possunt esse certi de hac ipsa advertentia. Si enim interrogarentur, cur non adhibeant formalem resistentiam, responderent haud dubiè: ideo: quia non deprehendunt periculum consensus, quod nihil aliud est, quàm agnoscere præparationem animi, & dispositionem potentiarum firmam contra vitium. Quod si nec hoc adverterent directè, ac exercitè, eo ipso certi sunt, se non babuisse plenam deliberationem, & advertentiam ad statum objectivum peccati, & ob id ipsum certi sunt, negligentiam non posse esse peccatum mortale, sed tantùm veniale. Hinc bene CAJETANUS loc. cit. addit: „Hinc „ habes, unde post plenam advertentiam multas „ negligentias excuses à peccato mortali; quia „ parvæ sunt, in his præcipuè, qui habitualiter „ in animo gerunt se potiùs velle mori, quàm „ peccare mortaliter. Et, ùt puto, nunquam, „ aut rarissimè sic habituati in ante dictam mortalem negligentiam incidunt. Si enim contingit, hos esse negligentes in hujusmodi cogitationibus delectabilibus, non est eorum negligentia ex affectu ad delectationem de illo malo „ opere, quod cogitatur, nec detinentur à tali „ delectabili, ùt sic, sed magis ab aliqua passione „ concupiscentiæ, quæ sine tali delectabili detineret. Et hæc ita accipiantur ad excusandum, ut non faveant ad negligendum." Ita Cajetanus.

QUÆSTIO IV.

An detur obligatio gravis ad vitandum periculum probabile incidendi in determinatum aliquod peccatum formale grave?

NOTANDUM I. Periculum peccandi esse aliud *materiale*, aliud *formale*. MATERIALE est, quod secundùm se quidem natum aptum est allicere ad peccatum formale, sed hic & nunc ob bonam dispositionem subjecti, in quod agit, non habet vim actu inclinandi illius animum. Sic v. g. quando S. JOANNES DE DEO duas meretrices longâ viâ abduxit in urbem remotam, aut quando S. ANDREAS SALAS adibat lupanaria, & joculabatur liberrimè cum meretricibus, animô illas convertendi, erat quidem periculum materiale, sed non formale. FORMALE periculum est, dum objectum natum aptum est considerata dispositione subjecti idonea actu permovere animum, & inclinare ad peccandum.

NOTANDUM 2. Aliud periculum dici *proximum*, aliud *remotum*. PROXIMUM *strictè acceptum*, & in usurpatione veterum simpliciter dictum est, quod quis creditur nunquam, aut rarò aditurus sine peccato formali exinde committendo. REMOTUM verò est, in quo constitutus creditur nunquam, aut non nisi rarissimè peccaturus. Ita definit NAVARRUS *in Summa* c. 3. n. 10. & seq. ubi ait: „Pœnitens tenetur abstinere „ ab occasionibus propinquis, sed quales dicuntur bujusmodi? Respondeo, quòd mallem „ audire alium aptè respondentem, quàm respondere; quia nemo, quem viderim, id pro „ dignitate definit; & sufficiens ejus determinatio „ est difficilis. Primò quidem, quoniam non „ videtur satisfacere illa definitio GREGORII „ in Cap. Negotium. de Pœnit. dist. 5. & in Hom. 24. in Evang. licèt sit omnium optima, scilicet quòd est illa, *qua non possumus, aut non sine magna difficultate uti sine peccato*; quoniam S. LEO „ dicit, difficile esse militi, & negotiatori abstinere se à peccato suam artem exercendô, & „ tamen non est necesse, ut deserat suam artem - - - -

„Respondemus 3. ut aliqua occasio sit hujusmodi, non satis est, ut pœnitens, & Confessarius credant, quòd, nisi pœnitens se abstineat ab ea, nonnunquam ob eam peccaturus „ est mortifere in suis officiis. Respondemus 4. „ quòd occasio propinqua, à qua pœnitens debet abstinere, est omnis illa, & sola, quæ est „ talis *occasio peculiaris*, *quæ credit*, *vel debet credere* „ *Confessarius*, *vel pœnitens*, *nunquam*, *vel rarò se usurum eâ*, *sine peccato mortali*, benè perpensis ejus „ circumstantiis. Dixi: PECULIARIS, ad excludendam occasionem GENERALEM, quam „ præbet officium, ars, aut exercitium, quo „ possumus uti licitè, credimus tamen, nos aliquando in ea peccaturos mortaliter, hæc enim „ non est talis occasio:" Ita NAVARRUS.

Econtra Periculum PROXIMUM *latè dictum* est, quod in similibus circumstantiis, in personis similis conditionis *frequenter* conjungitur cum peccato. Ita hunc terminum simpliciter accipiunt Authores Recentiores varii. Sic P. LA CROIX l. 5. n. 252. dicit: "Periculum proximum est, quod *babet frequentem* conjunctionem „ cum peccato. Remotum est, quod *non babet* „ *frequentem* conjunctionem cum peccato. Similiter occasio proxima est, quæ similis conditionis homines *frequenter* inducit ad tale „ peccatum, vel de qua per experientiam constat, quod in peccatum *communiter* inducat. „ Remota est, quæ, quamvis aliquo modo inducat, non tamen babet *frequentem* conjunctionem cum peccato, uti Authores communiter." Ita LA CROIX loc. cit. Et P. VIVA in propos. 41. ALEXANDRI VII. n. 2. Item P. MOYA, qui est fautor alioquin omnium laxitatum in Select.

Select. qq. Tract. 3. q. 5. n. 3. ubi ait: "Suppono, occasionem proximam peccandi eam dici, quæ ex suo genere talis est, ut homines similis conditionis *frequenter* ad peccatum motale inducat, vel experientia constet, in tali homine talem effectum babere." Quia ergo hæc acceptio posterior termini est receptior his temporibus, ideo, dum loquimur de periculo proximo simpliciter, loquemur de eo in hoc sensu.

NOTANDUM 3. Aliud periculum esse *absolutè proximum*, aliud *respectivè proximum*. ABSOLUTE PROXIMUM dicitur, quod respectu ferè omnium hominum solet frequenter esse conjunctum cum peccato; ut est tactus pudendorum in alia persona, vel sexu cum mora, & sine necessitate; quia talis censetur omni homini esse periculum proximum saltem in non conjugatis ad invicem. RESPECTIVE PROXIMUM est, quòd tantùm respectu paucorum est proximum ob specialem indispositionem subjecti; & particularem fragilitatem v.g. colloquium cum muliere, quod in plerisque aut est periculum nullum, aut tantùm remotum, potest uni esse periculum proximum ob consuetudinem pravam, vel ob particularem affectionem pravam.

NOTANDUM 4. Aliud periculum etiam formale dicitur *certum*, aliud *probabile*, aliud *leve*. Periculum CERTUM est, quando quis firmiter sibi persuadet, se in tali occasione peccaturum. PROBABILE est, quando non quidem ita firmiter, attamen ob prudens motivum meritò credit, & valde timet, ne peccet; v.g. quia occasio est de se valde illicitiva, & ipse novit suam fragilitatem. LEVE est, quando non quidem putat, se peccaturum, timet tamen aliquo modo, seu suspicatur, fieri posse, ut cadat. Practicè loquendò putat OOBAT, eum, qui scit, si decies accedat ad tale consortium, se octies, vel septies cadere, periculum illi esse *moraliter certum*; si autem ter, vel quater solùm cadat, esse periculnm tantùm *probabile*, quod etiam dicit CARAMUEL, quamvis *quinquies* cadat, si quinquies non cadat. Si autem nunquam cadat, aut fortè semel, ac raró, & potiùs veluti casu, erit periculum *leve*. Ita LA CROIX.

NOTANDUM 5. Ex hac terminorum explicatione evidens esse, quòd juxta acceptionem Authorum hujusmodi *Recentiorum* idem sit periculum *proximum*, & *probabile*; quia eodem modò utrumque definiunt: quod nempe utrumque illud sit, quod *frequentem* habet conjunctionem cum peccato. Econtra juxta usurpationem *Veterum* non idem foret periculum proximum, & probabile, dum videlicet per periculum proximum intelligunt illud solùm, quod *nunquam aut raró* solet esse sine peccato. Quia ergo bæc vox *periculum proximum*, seu *propinquum* non babet uniformem, constantem, & universalem notionem, seu ideam apud Authores, quæstio meliùs instituitur sub isto termino *periculi probabilis*, quam sub illo *periculi proximi*.

NOTANDUM 6. Aliquando periculum proximum fieri posse remotum, non per mutationem occasionis, aut circumstantiæ externæ, sed per mutationem occasionis, ac dispositionis internæ: dum videlicet homo, quamvis constitutus in eodem periculo v. g. domo, se communiendò diligentibus orationibus, eleemosynis, exercitiis mortificationis, & alio modo agendò, prudenter credit, se in eadem occasione externa non amplius peccaturum.

NOTANDUM 7. Aliud esse, quòd homini constituto in periculo probabili possit denegari absolutio; & aliud, quòd ipse ad fugam periculi teneatur sub mortali: potest enim contingere, quòd pœnitens quidem non teneatur sub mortali vitare periculum, si ille judicet, fore imposterum remotum, quod tamen confessarius judicat illi expedire ad salutem, adeoque quòd obligetur ad vitandum illud periculum, aut ejus devitatio ipsi imponatur pro pœnitentia: confessarius enim potest beneficium absolutionis denegare non solùm illi, qui est illius incapax ob defectum propositi, aut contritionis; sed & illi, cui juxta regulas prudentiæ absolutio non creditur profutura ad emendationem, prout contingit in consuetudinariis, vel constitutis in periculo proximo externo, quod absolutè vitare non possunt. Tales enim, quamvis sint verè contriti, & proponant adhibere media, si tamen extra casum necessitatis, puta articuli mortis, ob notam eorum inconstantiam censeantur longè constantiores futuri in servando proposito, & alacriores ad conatum serium emendationis, absolutio differri potest; ut suppono ex Tract. *de Pœnitentia*. Quia Confessarius tanquam Vicarius Christi tenetur semper eligere id, quod est pœnitenti salubrius.

NOTANDUM 8. Certum esse apud omnes, quòd nemo possit se exponere periculo proximo peccandi extra casum necessitatis, relatè ad determinatum peccatum, quin hoc ipso peccet graviter: id enim colligitur ex dictamine naturæ, & ex Declaratione Summorum Pontificum, qui damnarunt sequentes propositiones.

1. ALEXANDER VII. D. 4. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii vulgò* REGALO, *dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.* Ubi P. VIVA addit: *Hæc propositio est* JOAN. SANCHEZ *Disp.* 10. *n.* 20.

2. INNOCENTIUS XI. D. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult dimittere; quin imò & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

3. N. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

4. N. 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

NOTANDUM 9. Aliam occasionem dici *voluntariam*, aliam *involuntariam*. VOLUNTARIA, prout P. VIVA hic n. 2. explicat, est, quæ potest physicè, ac moraliter deseri. INVOLUNTARIA est, quæ aut physicè est necessaria, ut cùm quis in eodem carcere cohabitat cum con-

concubina; ant eſt moraliter neceſſaria, quando ſcilicet ſine peccato, aut valde gravi incommodo deſeri nequit, ùt mancipium, vel filiusfamilias, qui non poteſt ſine peccato deſerere ſuum Dominum, vel parentem. Grave autem incommodum eſſet, ſi v. g. deſerendô occaſionem vita magno diſcrimini eſſet exponenda, aut ſi viro honorato incurrenda eſſet gravis inſamia, ſi familia ad mendicitatem eſſet redigenda &c. His prænotatis

DICO. Datur gravis obligatio vitandi periculum probabile peccandi, quando vitari poteſt ſine valde gravi damno ſortunæ, honoris, vel corporis. Ita CARDENAS *in propoſit.* INNOCENTII III. & P. VIVA *in propoſit.* ALEXAND. VII. LA CROIX hic l. 5. n. 257. cum communi.

PROBATUR Concluſio 1. Illa obligatio, quam circa dictamina legis naturæ agnoſcunt ferè omnes Doctores, & cujus Adverfarii manifeſtè errant in ſuppoſito, vel expreſſè ſuam ſententiam retractârunt, datur; ſed talis eſt iſta obligatio; ergo datur. *Maj. patet*; quia dictamina naturæ in plerisque Doctoribus non præſumuntur ita eſſe depravata circa obligationem arduam introducendam, niſi compellantur evidentia dictaminis naturalis, & luminis naturæ; maximè cùm depravatio luminis naturalis potiùs ſoleat tendere ad relaxationem, quàm ad reſtrictionem libertatis. *Min. prob. quoad* 1. *membrum.* 1. Teſtimonio CARDEN. hic n. 28. ubi ſic habet: *Hanc ſententiam docent tanquam certam communiter Doctores.* 2. *Probatur idem membrum* ratione P. CARDENAS. Omnes Authores in materia probabiliſmi tam tenentes partem affirmativam, quàm negativam, ſupponunt, non eſſe licitum, ſe exponere periculo probabili peccati formalis; ergo. *Ant. prob.* Omnes Authores in ea materia docent neceſſitatem dictaminis reflexi *moraliter certi* de licentia actionis practica; ergo ſupponunt, non eſſe licitum, ſe exponere periculo probabili peccati formalis. *Ant. patet* ex Authoribus, de quibus inter centum vix unus reperietur, qui neget neceſſitatem hujus dictaminis reflexi moraliter certi. *Conſeq. Prob.* Dictamen illud tantùm propterea requiritur, ne ille, qui ſequitur rem probabiliter prohibitam ſub gravi, dicatur ſe exponere periculo probabili excidendi amicitia divina; nec eſt excogitabilis alia ratio, unde probari poſſit neceſſitas dictaminis reflexi, ſi licet ſe exponere periculo probabili excidendi amicitia divina; ergo. 3. *Probatur idem membrum.* Authores omnes, qui docent, vitandam eſſe occaſionem, & periculum proximum *in theſi*, in decurſu doctrinæ ſuæ ſumunt hoc nomen periculi proximi in eo lato ſenſu, ut comprehendat etiam periculum probabile; ergo ſimul docent, vitandum eſſe periculum probabile. *Ant. prob.* Illi Authores in decurſu doctrinæ ſuæ *ex una parte* tenentur neceſſariò periculum probabile referre ad alterutram partem extremorum, videlicet vel ad claſſem periculi proximi, vel ad claſſem periculi remoti, cùm tantùm agnoſcant iſta duo diviſionis membra; *ex altera parte* rationes illorum, & modus tendendi inſinuat, quòd periculum probabile referant ad claſſem periculi proximi; imò de nonnullis illorum id manifeſtum eſt; ergo. *Maj. quoad* 1. *membr. patet*; quia alioquin Doctrina illorum eſſet eſſentialiter defectuoſa, & negligeret in hac re præcipuum punctum controverſiæ: cùm enim periculum proximum definiant, *quod eſt rarò ſine peccato*, remotum autem, *quod rarò eſt cum peccato*, negligerent periculum medium, quod nec rarò eſt cum peccato, nec ſere nunquam, ſed frequenter tantùm. *Maj. quoad* 2. *membr. prob.* NAVARRUS approbat definitionem D. GREGORII de periculo proximo, eſſe nempe illud, *quod difficile eſt ſine peccato*, quod etiam in periculo probabili verum eſt, & rationes eorum deſumptæ ex Scriptura urgent etiam pro periculo proximo; & conſequentiæ eorum, ſeu applicationes ad caſus particulares, ùt de probabiliſmo, referuntur etiam ad periculum probabile, & alii manifeſtè confundunt, ac promiſcuè ſumunt *probabile*, & *proximum*, ergo idem eſt ſenſus verbi etiam in cæteris Authoribus, cùm ſignificatio verborum plerumque ſequatur acceptionem, ac uſum communem aliorum. *Hoc ultimum probatur.*

NAVARRUS in Summa c. 3. n. 14. dicit: „ Nemo poteſt abſolvi, niſi ſtatuat ſaltem virtualiter, nunquam ſe impoſterum mortaliter „ peccaturum, & conſequenter evitaturum occaſionem, quæ ex ſe ſit mortifera, aut peculiaris hujusmodi, quam *probabiliter* credit, peccati mortalis cauſam ſibi fore juxta illud Eccleſiaſt. *qui amat periculum, peribit in illo.* Talis „ eſt occaſio, qua credit, ſe ſere ſemper ad peccandum impulſum iri. Et JOAN. SANCHEZ l. 1. *Decal.* c. 8. n. 1. "Certiſſimum (inquit) eſt, „ opus ex ſe veniale, aut indifferens in mortale „ tranſire, ſi operans occaſioni ita proximæ exponatur, & eum in *morali*, ac proximo peccandi mortaliter periculo conſtituat; quia ſalutem ſpiritualem contemnere convincitur, ſe „ tam *probabili* ejus amittendæ periculo objiciens. Et n. 3. "In hoc *probabili* peccandi mortaliter periculo ſatendæ ſunt circumſtantiæ illius peccati, cujus periculo ſe expoſuit.

Min. primi Argumenti probatur etiam *quoad* 2. *membrum.* Quòd videlicet Authores oppoſitæ ſententiæ aut retractarint, aut erraverint in oppoſito. CARDENAS bic c. 3. n. 24. ait: "Caramuel in Theolog. Regular. 1651. docuit, licitum eſſe, ſe exponere periculo probabili peccandi: eandem aſſertionem probat in Theologia ſundamentali Edit. Francofurtenſ. Sed in „ Theolog. fundament. Edic. Lugdon. 1657. retractavit hanc ſententiam. Et fundament. 11. „ n. 504. expreſſè dicit: eſſe improbabilem, & „ ratione demonſtrativa probat, illam eſſe improbabilem. Et hanc Leander à Murcia l. 2. „ Diſquiſit. nixus præcipuè Authoritate Caramuelis, & ejus Sophiſticô fundamentô (retractato) defendit, licitum eſſe exponere ſe „ periculo probabili peccandi. Et noviſſimè Magiſter Hozes ad propoſ. 63. eam opinionem „ priſtinam Caramuelis admittit tanquam probabilem. Et n. 46. Caramuelem, & Leandrum „ ſecutus eſt noviſſime Lumbier." Ita CARDENAS.

Idem

Idem Autbor loc. cit. c. 5. a. 1. n. 72. ait. „ JOAN. SANCHEZ Disp. 10. n. 6. asserit, concubinarium posse absolvi ter, vel quater, antequam expellat concubinam, quando sub omnimoda ejus potestate est, illam expellere, dum tamen habet firmum propositum expellendi illam. Sed quod magis mirandum est, citat plurimos Authores pro sua sententia, Suarezium, Thom. Sanchez, Azor, Medinam, Vegam, Ludovic. Lopez, & Emanuel. Rodriquez Ex quibus aliqui expressè docent oppositam sententiam. Alii verò tradunt doctrinam, quæ non spectat ad hanc materiam, ùt manifeste ostendi. His falsis citationibus Joan. Sanchezii non pauci Autbores decepti sunt habentes fidem illi Doctori. Machado Tract. 2. l. 7. asserit, pro ea opinione præfati Sanchezii stare graves Authores, quos refert Sanzius. Similiter Leander à Murcia citat eadem opinione eosdem Authores, quos si examinâsset, vidisset falsitatem citationum. Eodem vitiô laborat Leander à SS^{mo} Sacramento; imò magis exorbitat in bac citatione Autborum." Ex quibus patet, oppositam sententiam niti mendaciis, & ventis.

PROBATUR Conclusio 2. Periculum probabile peccandi, seu amittendi gratiam Dei est certè malum animæ præsens, grave, & à quolibet prudente fugiendum; sed nemini licet absque necessitate subire tale malum grave præsens; ergo. *Maj. prob.* Periculum amittendi vitam, honorem, vel omnem rem familiarem, vel dignitatem magnam est grave malum præsens; ergo & periculum amittendæ gratiæ divinæ. *Ant. est evidens* per se, quod si verò quis neget, accedat inermis ad leonem, ùt CARDENAS oservat, in ea distantia, in qua non est evidens, illum fore occidendum, sed solùm sit probabile. Item tempore magnæ tempestatis omnem suam substantiam committat navi, & solvat è portu, quando est solùm probabile, navem submergendam. Item mercstor committat omnes suss merces viro extraneo sibi prorsus incognito, quem eas furaturum non est evidens, sed solùm probabile. Item Rex non adhibeat præsidium defensioni opportunum, quando est probabile, non tamen evidens, illud esse expugnandum ab hostibus. Cùm ergo homines adbibeant omnia media ad vitandum tale periculum, ubi agitur de summa bonorum, manifestum est, ipsum periculum probabile esse magnum malum præsens.

PROBATUR 3. Quilibet præceptô non peccandi tenetur, quantum moraliter potest, reddere se securum de non amittenda gratia Dei; ergo etiam tenetur vitare periculum probabile. *Ant. prob.* 1. Sensus communis, & dictamen naturæ dictat, quòd charitas erga se ipsum violetur graviter, si non reddat homo se securum, quantùm moraliter potest, de non amittendo summo bono; ergo. *Prob.* 2. Quilibet tenetur vi appetitus naturalis ad finem ultimum tendere viâ, quantùm moraliter fieri potest, tutâ, & recedere à via probabiliter trahente in infernum; ergo etiam tenetur vitare periculum probabile peccati mortalis. *Prob.* 3. Quilibet tenetur sub reatu gravis imprudentiæ naturalis, politicæ, vel œconomicæ vitam, honorem, ac rem familiarem, quantùm moraliter fieri potest, constituere in tuto; ergo. *Ant. patet:* Sic enim graviter reprehenderetur etiam inter gentiles, qui non agnoscunt peccatum fornicationis, si tamen pater non retraheret filiam à periculo infamiæ exinde redundante. Et paterfamilias reprehenderetur graviter, si omnia bona necessaria pro sustentatione uxoris, & liberorum sine necessitate relinqueret in periculo probabili incendii, furti &c.

PROBATUR 4. Christus docet, vitandum esse periculum probabile peccati; ergo. *Ant. prob.* Matth. 5. dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam; & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te.* Ergo. *Consеq. prob.* SS. Patres hunc textum explicant non tantùm de certo periculo, sed etiam de probabili; ergo. *Ant. prob.* SS. Patres hunc textum explicant de occasione cujuscunque personæ, quæ provocat ad peccandum; sed in tali occasione generaliter sumpta etiam reperitur periculum probabile; ergo. *Maj. prob.* ex AUG. EUTHIMIO, THEOPHILACTO *in hunc locum,* & HILARIO *Can.* 4. ATHANASIO *q.* 70. PACIANO *Epist.* 3. *contra Novatianos*, CYRILLO ALEXAND. *in Joan. c.* 18. *lect.* 12. ANASTASIO *q.* 7. SALVIANO *l. de Providentia.*

PROBATUR 5. Illi, qui generaliter juxta Constitutiones Ecclesiæ non sunt absolvendi, quin vitent occasionem peccandi certam, obligantur ad fugam ejusmodi occasionis per se ex natura periculi; sed qui versantur in periculo probabili peccandi, generaliter non sunt absolvendi, quin illud evitent; ergo. *Maj. patet;* quia generalis obligatio non absolvendi non potest fundari in particulari respectu ad conditionem hujus, vel illius subjecti, utrùm illi expediat absolutio, vel non. *Min. prob.* Authoritate S. CAROLI BORROMÆI, qui in sua *Regula aurea Confessariorum* à Vicario Generali Cardinali CARPEGNA Romæ approbata, & nunc toti Clero Romano, aliisque christianis provinciis commendata sic habet: „ Deinde nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare plenariè non proponunt. Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam administrat, eò quòd vel per se in peccatum inducat, vel ejus occasione pœnitens ad peccandum allicitur, ut certè confessarius metuere possit, quòd ex perverso, quem induit, babitu non magis abstinebit à peccato, quàm priùs. Prioris ordinis occasiones sunt, quæ suâpte naturâ in consensum peccati mortalis trahunt. Alteriùs generis occasiones sunt, quæ, etiamsi per se licent, tamen NB. PROBABILITER timetur, ne is, qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit, peccata relapsurus sit, si in iisdem operibus perseveret. Tales plurimi solent in castris esse, mercaturam sequi, magistratus obire, advocati officia exercere, aliaque id genus, quæ dum quis tractat, fit sæpè, ut vo-

„cibus

„ cibus blaſphemis, furtis, injuſtitia, calumniis, „ odiis, fraudibus, perjuriis, & aliis ſceleribus „ tantam conſuetudinem adſciverit, ut NB. „ CONJECTURARI liceat, quòd in idem lutum „ relabentur. Omnes, qui ſunt hujusmodi, vel „ negotium deponant, vel ſaltem abſque licen„ tia, & obedientia pii, ac probati Sacerdotis „ non exerceant; qui quidem hominem eo modò „ conſtitutum abſolvere non debet, ſi EXISTI„ MAT, ad eadem peccata rediturum, quamdiu „ in antiqua occaſione perſeverat. Multo ma„ gis confeſſarius circa ea actionum diſcrimina „ extirpanda allaborare debet, quæ nullam ne„ ceſſitatem reipublicæ, vel utilitatem ſecum „ ferunt, quæ, quamvis ex priori ordine non „ ſunt, nihilominus ad malè agendum inflectunt, „ ac facillimò negotiò ſæpiſſimè ad diverſa pec„ cata trahunt, ùt choreis intereſſe, agere cum „ blaſphemis, verſari cum ſcurris, malorum ſe „ ſocietatibus hominum adjungere, tabernas „ frequentare, otio indulgere, ſimilesque actio„ nes, in quibus ùt plurimum peccare mortali„ ter homines ſolent; qui quidem non debent „ antè abſolvi, niſi animò abalienatò, penitus „ illa ſe deſerturos eſſe polliceantur." Ita S. CAROLUS BORROMÆUS.

SI DICAS. S. CAROLUM ſupponere, quòd quis cum approbatione ſui Confeſſarii poſſit in tali occaſione relinqui; ergo non datur obligatio per ſe, eam vitandi.

RESPONDEO. diſt. a. Poſſe relinqui *ad tempus*, quamdiu ob diſpoſitionem extraordinariam videtur ex occaſione proxima fieri remota. c. a. *conſtanter*, & ſine tali mutatione periculi proximi. Addit enim loc. cit. *æquum eſt, ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur.* Adeoque ſupponit, ſi conſequerentur iterum lapſus, & perduraret prior ſtatus, hominem non poſſe in eo ſtatu relinqui.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Ubi probabile tantùm eſt periculum, ibi probabile eſt, ſecuturum peccatum, & probabile eſt, non ſecuturum; ergo, ſicut in aliis materiis datur facultas inter duas probabiles ſequendi utramque, ita etiam hic. Ita CARAMUEL *in Theolog. fundament. Edit. Francofurt.*

2. Periculum remotum peccandi eſt adhuc periculum probabile peccandi; ſed periculum remotum non tenemur vitare ſub gravi; ergo nec tenemur vitare omne periculum probabile. *Maj. prob.* Periculum remotum eſt; cum quo nihilominus aliquando, quamvis rarò, conjungitur peccatum; ergo adhuc eſt probabile.

3. Quando alicui videtur probabilius, ſe non peccaturum, poterit formare abſolutè judicium, ſe non peccaturum, non obſtante probabilitate oppoſita comparativè minori, quòd ſit peccaturus; ergo in tali caſu poterit adire periculum non obſtante periculo probabili peccandi.

RESPONDEO *ad* 1. c. a. n. c. & *paritatem.* Diſparitas eſt; quia in aliis materiis per dictamen reflexum tollitur periculum omnis peccati formalis: econtra in hoc caſu per dictamen reflexum non tollitur periculum omnis peccati formalis. Itaque non tollitur revera periculum ſummi mali; & ob hoc ipſum non licet adire diſcrimen.

Ad 2. diſt. *Maj.* Eſt adhuc periculum probabile *tenue.* c. *ſimpliciter tale.* n. *Maj.* Quia periculum probabile ſimpliciter dictum definitur eſſe illud: *cui* FREQUENTER *annexum eſt peccatum.*

Ad 3. diſt. a. Quando alicui videtur probabilius exceſſu probabilitatis *excludente formidinem prudentem* oppoſiti. c. ſecùs. n. a. Contingit ſæpe in moralibus, quòd major probabilitas boni eventus excludat formidinem oppoſiti ob complexum variarum conſiderationum, affectionum, & paſſionum præſtabilitum; & ideo poteſt contingere, ut quis formet judicium practicum abſolutum de non ſecuturo peccato. Idem contingit in prædictionibus rei ſperatæ; ſic dicimus v.g ſore ſerenum, venturum amicum, victoriam ceſſuram Chriſtianis, & ſimilia, quæ ſperamus. In tali ergo caſu, ſi quis ſine formidine oppoſiti formet judicium practicum non formidoloſum, ſe non peccaturum, cùm ſit conforme aliis judiciis, quæ habentur conformia prudentiæ, poteſt dici, quòd non peccet; prout id etiam concedit P. VIVA hic n. 15. Verùm ſi non habeat tantam fiduciam, ac ſpem, ut formet judicium prudens excluſivum formidinis, non aget licitè.

OBJICITUR 2. Oppoſita ſententia habet pro ſe ſufficientem Authoritatem, & rationem; ergo eſt probabilis, adeoque tuta in praxi. *Ant. prob.* P. SEEDORFF in *Dictatis Ingolſtadii* citat pro caſententia SUAREZ. Diſp. 35. *de Pœnitentia.* Sect. 3. n. 10. FILLIUCIUM, & PALLAVICINUM, LEANDRUM, CARAMUEL, LUMBIER MURCIA, HOZES, SPORER &c. Ergo.

2. Eſt communis perſuaſio populi, quòd in dubio, an aliquid ſit peccatum mortale, vel non? poſſit quivis agere, quod libet, quin ullam habeat notitiam de neceſſitate dictaminis reflexi: ergo cenſet, adiri poſſe probabile periculum peccati formalis ſine gravi peccato; adeoque oppoſitum non videtur repugnare lumini naturali.

RESPONDEO *ad* 1. diſt. a. Habet ſufficientem Authoritatem *antecedentem* ad damnationem propoſitionum, de quibus actum eſt *Not.* 8. tr. *conſequentem.* n. a. Ita reſpondere videtur LA CROIX, dum hic n. 25. ſuam ſententiam potiſſimùm probat ex propoſitionibus damnatis.

RESPONDEO 2. diſt. a. Habet ſufficientem authoritatem retractantem, & *deceptam.* c. *non errantem* in ſuppoſito. n. a. Superius jam oſtenſum eſt, CARAMUELEM retractaſſe, MURCIAM, & LUMBIER fuiſſe deceptos, quod ipſum fatendum eſt de P. SPORER: exſcribit enim locum CARAMUELIS ex Theolog. Regul. ignorans, ab ipſomet Authore eum locum fuiſſe retractatum; ùt videri poteſt in Tract. *de Pœnit.* P. SPORER n. 324. Similiter P. OOBAT utitur argumentò Caramuelis *object.* 1. rejectò, & ab ipſo Caramuele retractato.

RESPONDEO 3. n. a. Quod enim attinet SUAREZ, & FILLIUCIUM, ii peſſimè citantur pro oppoſita ſententia; prout etiam CARDENAS

RUS observat. SUAREZ loc. cit. tantùm dicit, eum, qui est in periculo committendi aliquod peccatum indeterminatum grave, si per annum differat Confessionem (supposito, quòd aliàs sit in statu gratiæ) non teneri ad confessionem tanquam medium vitandi peccatum; quia omissio confessionis non est ipsi occasio determinati peccati. Econtra, si confessio ipsi foret moraliter necessaria ad vitandum aliquod peccatum determinatum, fatetur ipsemet, quòd teneretur confiteri.

IDEM Tom. 2. *de Religione* Tract. 2. l. 3. c. 8. fatetur, consuetudinario quoad perjuria necessarium esse, ut tollat occasiones externas pejerandi, si hæ sunt illi *occasio proxima*. FILLIUCIUS verò *Respons. Moral.* tom. 1. *in Instruct. Confess.* c. 2. a. 3. dicit: "Quando adest specialis „ obligatio ex occasione proxima, non est ab„ solvendus, nisi proponat, se eam relicturum. „ Ad hoc autem, ut occasio fit proxima, duo „ requiruntur. 1. ut fit voluntaria; unde, „ quando moraliter vitari non potest, non dice„ tur voluntaria. 2. ut ex suo genere talis fit; „ quæ *frequenter* inducat homines similis condi„ tionis ad peccandum, vel ut constet experien„ tia, in tali homine habere talem effectum." Its ille. Ex quo patet, id ipsum vocari *occasionem proximam*, quod nos vocamus *periculum probabile*.

Ad 2. dist. a. Est persuasio, quòd quivis possit agere in dubio sine dictamine reflexo *formaliter, ac explicitè* tali, quo tollatur periculum peccati formalis. c. *exercitè, aut æquivalenter* tali. n. ant. Dictamen reflexum æquivalenter tale voco apprehensionem simplicem hujus veritatis; quòd in dubio strictè tali non detur lex eligendi tutius: sola enim apprehensio hujus veritatis cordi humano, & naturæ rationali inscripta est locò judicii reflexi: sicut contingit in intellectu primorum principiorum, quorum nuda apprehensio est sufficienter determinativa ad actiones varias intellectus, & voluntatis, quod si in dubio statim agat etiam sine tali apprehensione concomitante, falsum est, quòd non peccet. Et hoc signum est, quòd tunc semper cum remorsu conscientiæ agatur.

OBJICITUR 3. Antiquiores Authores solùm docuerunt, vitandam esse occasionem proximam, seu ùt vocarunt, propinquam strictè sumptam; ergo non datur dictamen naturæ generale de fugiendo periculo etiam probabili. *Prob. Conseq.* MOYA Tract. 3. *de Sacram. pœnit.* q. 5. n. 4. ait: "Aliqui occasionem proximam „ definiunt, qua nunquam, vel fere nunquam „ utitur homo sine novo peccato. Et ita cum „ Sanchez, Navarro, Suarez, Trullò, Corduba, & aliis explicat Leander à SS. Sacramento." SPORER *de Sacram. pœnit.* n. 323. habet eandem definitionem, additque: Ita LAYMAN, & alii passim.

2. Iidem Authores etiam in applicatione ad casus particulares ostendunt, se tantùm loqui de occasione proxima in præfato sensu strictè sumpta; ergo. *Ant. prob.* Exemplò v. g. NAVARRUS cap. 3. n. 17. applicans suam definitionem ad casum particularem dicit: "Secunda „ responsio, quæ ex prædicta definitione colligitur, est, quòd rectè faciant confessarii ab„ solvendò multos adolescentes, qui versantur „ inter mulieres emendò, vendendò, laborandò, „ & conversandò absque cohabitatione in eadem „ domo; licèt non proponant perpetuò absti„ nere ab occasione peccandi, quam id illis præ„ bet, quamvis sæpius peccent voluntate, ver„ bis, aut tactibus impudicis, & etiam copula; „ quia occasio, quæ ex hoc præbetur ad peccan„ dum, non est ex se peccatum mortiferum, ne„ que hujusmodi, ut *fere semper* faciat mortali„ ter peccare eos, qui ea utuntur. Et conse„ quenter præfata definitio occasionis propin„ quæ non convenit illi." Ita *Navarrus.* Similes plures applicationes facit n. seqq. præsertim 25. & 26.

RESPONDEO 1. *ad* 1. dist. a. Docent hoc *in Thesi.* c. in *ejus deductione, extensione*, ac *explicatione.* n. ant. Illi Authores etiam comprehendunt casus intermedios inter occasionem *strictè proximam*, & inter *remotam*. Hinc etiam NAVARRUS loc. cit. n. 14. dicit: "Nemo potest „ absolvi, nisi statuat, se evitaturum occasionem, „ quam *probabiliter* credit peccati mortalis cau„ sam sibi fore.

RESPONDEO 2. dist. a. Docent hoc tanquam regulam *remotam.* c. *proximam.* n. ant. Proximam enim regulam NAVARRUS dicit esse dictamen rationis practicum, quo homo credit, se peccaturum in tali occasione, vel non peccaturum. Ita damnat n. 14. eum, qui *credit*, se peccaturum. Et n. 26. ac 15. excusat eum, qui *credit*, se non peccaturum, quod dictamen credulitatis propriæ necessario supponit considerationem circumstantiarum tenentium se ex parte dispositionis in operante. Hinc

RESPONDEO 3. dist. a. Docent hoc de occasione proxima *materiali.* c. *formali.* n. ant. Ratio patet ex responsione præcedenti: cùm enim censeat, eum non posse adire periculum, qui *probabiliter* judicat, se peccaturum, eo ipso censet, respiciendum ultimatò esse ad dispositionem subjecti operantis, seu ad periculum *formale*.

Ad 2. n. a. *ad prob.* dist. ant. Docet hoc NAVARRUS de eo, qui habet causam rationabilem necessitatis, & insuper de eo, qui ob *particularem* dispositionem animi hic, & nunc *credit*, se non peccaturum. c. *generaliter*, ubi nulla datur rationabilis causa necessitatis, & simul præfata credulitas. n. ant. Sic enim semetipsum explicat n. 15. "Dixi, quòd Confessarius regulariter non „ debeat absolvere eum, qui non vult relin„ quere occasionem, quæ *fere semper*, qui sunt „ similis conditionis, facit mortaliter peccare; „ quia bene poterit, quando concurrunt tales „ circumstantiæ, quæ persuadent, quòd *nunquam* „ aut *rarò* peccabit propter eam. Et videtur, „ quòd id possit credere Confessarius, quando „ concurrunt quatuor. 1. vera pœnitudo præ„ teritorum. 2. verum propositum non peccandi, cùm se invenerit in ea. 3. credulitas, „quòd

„ quòd Deo juvante non peccabit, cùm se inveneritin ea. 4. quòd subsit rationabilis causa „ non se separandi ab ea." Postmodum inter tales rationabiles causas ponit etiam consuetudinem patriæ v. g. in osculis, vel choreis; puta, cùm ea non ultro adit, sed tractus lege communis honestatis, ùt fit in choreis nuptialibus, vel aliis publicis ex imperio parentum, & conditione status, ùt nonnunquam adstringuntur uxores nobilium in *Balis*, ùt vocant. Ratio autem est; quia absolutè ex occasione proxima per specialem præparationem animi potest fieri remota; & ideo, si accedente tali causa rationabili necessitatis quis putet, se actu habere eam dispositionem animi, ut credat, se non peccaturum, periculum non est illi mortiferum: sed aliud est, utrum Confessarius semper prudenter agat, credendò ejusmodi assertioni, non nunquam ex circumstantiis, & experientiâ parum credibili; dum facilè pœnitentes semetipsos fallunt, vel, si se non fallunt, non est ipsis utile, si relinquantur in ejusmodi occasione.

OBJICITUR 4. Obligatio gravissima circa legem naturæ, quæ non ostenditur ex universali dictamine hominum, non datur; sed talis est obligatio de vitando periculo probabili peccati; ergo. *Maj. patet*; quia obligatio in re tanti momenti, ac universali principio morum debet esse sufficienter promulgata per lumen naturale, quod est innatum omnibus. *Min. prob.* Si probaretur ex universali dictamine hominum, tunc etiam ex eo, quòd ad licentiam actionis juxta omnes Doctores ultimum dictamen practicum debeat esse moraliter certum; sed hoc est falsum; ergo. *Min. prob.* Est enorme discrimen inter periculum committendi peccatum formale *inimpedibile* per actum novum homini liberum, & inter periculum committendi peccatum formale, attamen *impedibile* mediante actu novo homini libero; ergo, si Authores generaliter agnoscunt obligationem vitandi illud periculum constitutum in dictamine practico dubio, non sequitur, eos insuper agnoscere obligationem vitandi istud periculum secundi generis. *Ant. patet* ex communi sensu hominum. Sicut utique magis homines horrent periculum probabile amittendæ vitæ eventu inimpedibili, quàm periculum ejus amittendæ impedibiliter solo arbitriò, & conatu propriò; quia potest semper bene sperari de propria voluntate; non autem potest bene sperari de eventu valde dubio independente à libertate, vel conatu humano. Sic fur non ita timet periculum suspensionis non subeundæ nisi dependenter ab aliquo novo furto, vel alia actione sibi libera, quàm timeat periculum subeundæ sententiæ mortis ex jam præcedente furto à se non dependentis.

RESPONDEO. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* c. *Maj.* n. *Min. ad hujus prob.* dist. a. Est enorme discrimen *materiale*. c. *formale*. n. vel *subdist.* Est discrimen formale diversitate formali *inadæquata*. c. *adæquata*. n. a. Quamvis enim discrimen sit diversi generis, & notabiliter pejus in uno casu, quàm in altero; ratio tamen formalis evitandi hoc discrimen saltem inadæquata, ac sufficiens est incertitudo excidendi fine ultimo, quæ incertitudo est formaliter eadem, sive proveniat ex causa extrinseca, sive ex ipsa inconstantia proprii arbitrii, & ex voluntaria aditione periculi.

OBJICITUR 5. Sententia, quam tenent graves Authores, est practicè tuta; sed oppositam tenent graves Authores; ergo &c. *Min. prob.* GOBAT, SPORER &c. sunt graves Authores. *Maj. patet* ex eo; quia sententia, quam tenent graves Authores, est practicè probabilis.

RESPONDEO. n. *Maj.* Constat enim, quòd etiam sententiæ à gravibus Authoribus antea defensæ à summis Pontificibus fuerint damnatæ, ùt patet legenti MOJAM.

RESPONDEO 2. dist. *Maj.* Est practicè tuta, nisi ea Authoritas excedatur ratione, & authoritate opposita in tantum, ut *non maneat* amplius *comparativè probabilis*. tr. secus. n. *Maj.* DIXI: *Transeat*; quia & hoc falsum est, quòd liceat sequi quamlibet opinionem probabilem comparativè talem, si sit notabiliter minùs probabilis, ùt suppono ex Tract. *de Act. Hum.*

RESPONDEO 3. Est tuta, *nisi* jam tacitè *sit damnata*. tr. secus. n. *Maj.* Quod autem sit tacitè damnata per damnationem propositionum, quas posui in prænotandis, non solùm tenet LA CROIX hic n. 257. Sed etiam patet ex circumstantiis; quod PROBATUR. Pontifex damnavit, non dari obligationem vitandi occasionem proximam in eo sensu, in quo tunc iste terminus accipiebatur à plerisque Theologis etiam laxissimis; sed hic terminus tunc temporis etiam à laxissimis accipiebatur pro periculo probabili; ergo. *Min. prob.* MOJA v. g. & P. GABRIEL tunc vixerunt, & sunt certò inter laxiores; sed hi ita desiuierunt; ergo. *Min. prob.* MOJA Tract. 3. *de Pœnitent.* quem scripsit anno 1669. dicit: *Occasio proxima est*, *quæ* FREQUENTER *homines similis conditionis in peccatum inducit.* Et P. GABRIEL, qui scripsit Romæ 1662., q. 58. de Peccatis n. 7. dicit: *Occasionem proximam esse, quæ* FREQUENTER *ad peccandum inducit.* Idem CARDENAS ostendit de aliis, qui scripsit annò 1683.

DICES. Dantur tamen Anthores, qui tam ante, quàm post damnationem earum propositionum hunc terminum *occasio proxima* sumpserunt pro ea occasione, quæ *fere semper* inducit ad peccatum; ergo, cùm damnationes sint strictæ interpretationis, in eo sensu debent accipi. *Ant. prob.* Sic sumpsit P. FABRI 1669. in *Apologia Casuistarum*, Dialog. 17. n. 70. P. SPORER 1686. *de Pœnit.* n. 329.

RESPONDEO I. c. a. dist. c. Si horum Authorum usurpatio fuerit recepta à *majori* parte Doctorum. tr. secus. n. c. Sicut enim consuetudo dependet à majori parte communitatis; ita significatio verborum dependet ab acceptione famosiori Doctorum, & communiori.

RESPONDEO 2. tr. a. dist. c. Nisi constet, Pontificem respexisse ad sensum *obvium* propositionis ab Authore intentum, & nisi ipsimet

met Authores, quorum damnata est propositio, hunc terminum sumpserint pro periculo *probabili.* c. secus. n. c. Quatuor enim illæ propositiones damnatæ sunt ex Authoribus, qui ipsimet hunc terminum *occasio proxima* sumpserunt pro periculo *probabili*, id est, pro eo, quod frequenter connectitur cum peccato: sic v. g. est damnata hæc propositio, quod non teneatur quis deserere *occasionem proximam*, quando tolli non pôtest absque gravi damno in fama, vel pecunia. Hæc propositio tradita esse perhibetur à NICASTILLO Tract. 8. *de Pœnit.* Disp. 10. dub. 23. à SUAREZ, SANCHEZ, PALLAO, LUGO; atqui hi Authores per proximam occasionem intellexerunt periculum probabile; ergo. *Min. prob.* ex CARDENAS, qui hic c. 2. n. 6. sic habet: „ Proximam occasionem Suarez Tom. 4. in 3. P. „ Disp. 32. Sect. 2. n. 4. sic describit: quæ ex suo „ genere talis est, ut FREQUENTER inducat „ homines similis conditionis ad tale peccatum, „ vel certè ut experimentô constet, in homine „ habere talem effectum. Quam etiam definitionem admittit LUGO Disp. 14. de Pœnit. „ Sect. 10. n. 149. SANCHEZ l. 1. Decalog. c. 8. „ n. 1. CASTROPALAO Tom. 1. Tract. 2. „ Disp. 2. punct. 9. P. DICASTILLO Tom. 2. „ de Sacram. Tract. 8. Disp. 3. dub. 19." Itaque patet, quòd, si Pontifex sumpsit verba in sensu obvio ab Authoribus intento, necessario debuerit occasionem proximam sumere pro periculo probabili.

OBJICITUR 6. Si vitandum esset periculum probabile, tunc pœnitens non posset in eo relinqui etiam prima, vel altera vice; sed hoc est contra communem aliorum; ergo. *Min. patet*; quia Authores communiter agnoscunt, talem prima, vel altera vice posse relinqui in occasione, si facilè evitari non possit.

2. Si hoc periculum esset vitandum ratione mali gravissimi, quod continet, tunc neque posset adiri ob valde magnum commodum temporale, vel damnum evitandum; sed hoc est falsum; ergo. *Maj. prob.* Hoc periculum semper esset in genere mali altioris ordinis, quàm damnum temporale quantumvis magnum.

3. Si esset vitandum ratione mali, quod continet, etiam esset vitandum periculum remotum extra casum necessitatis; sed hoc est nimium; ergo. *Maj. prob.* In damnis corporis, vel fortunæ prudentia exigit etiam vitari pericula remota, dum agitur de summa rerum.

RESPONDEO *ad* 1. dist. *Maj.* Non posset in eo relinqui nisi ex suppositione specialis fervoris, ac dispositionis internæ, quæ ex periculo probabili faciat remotum. c. secus. n. *Maj.* Quando enim iteratô experimentô constat, eám dispositionem ex occasione proxima non fecisse remotam, propterea cessante suppositione etiam debet cessare licentia.

Ad 2. dist. *Maj.* Tunc neque posset adiri tale periculum ex motivo magni temporalis commodi, vel damni vitandi, nisi accedat *specialis* dispositio interna, quæ ex occasione proxima faciat remotam. tr. secus. n. *Maj.* Ut enim observat NAVARRUS, ad hoc, ut quis possit relinqui in occasione proxima *voluntaria*, requiritur præter causam urgentem etiam credulitas, quòd non sit ampliùs peccaturus, quæ credulitas fundari potest in speciali fervore, vel metu differendæ absolutionis, aut incurrendi alias grave damnum ex devitatione periculi infallibiliter secutura, si se non emendet; & nullus est peccator, qui non possit ponere eas dispositiones animi, in quibus possit fundari prædicta prudens credulitas, si paratus sit subire omnia media à Confessario præscripta, & certò statuat occasionem abscindere, nisi se emendaverit: hic enim metus reddet illum cautiorem.

DIXI: *in occasione proxima* VOLUNTARIA; si enim occasio vitari non possit, ea *credulitas*, quòd homo *nunquam* sit relapsurus, non exigitur, sed præcisè propositum efficax per applicationem mediorum de se efficacium, & moraliter pœnitenti possibilium.

Ad 3. dist. *Maj.* Etiam esset vitandum periculum remotum extra casum necessitatis, si ea lex vitandi pericula remota esset moraliter observabilis. c. secus. n. *Maj.* In temporalibus damnis corporis, vel fortunæ, ubi pericula remota non adeo frequenter occurrunt, transeat, quòd per leges prudentiæ debeant vitari pericula remota: econtra in moralibus tot occurrunt pericula remota, ut vix sit negotium, aut functio, in qua non aliquando peccetur.

OBJICITUR 7. Si vitandum esset periculum probabile, non posset ab ullo hominum adiri militia. &c. sed hoc est falsum; ergo. *Maj. prob.* Ista continent periculum probabile peccandi, eo ipso; quia in hoc genere à pluribus similis conditionis *frequenter* peccatur; ergo.

2. Choreæ, compotationes nocturnæ in hospitiis juvenum cum puellis, ludi theatrales vulgò *opera*, & similia *frequenter* conjunguntur cum peccatis, & tamen non prohibentur generaliter; ergo non necessariò datur obligatio vitandi periculum probabile.

3. Multæ actiones peccaminosæ habent occasionem internam, nempe depravationem naturæ, quæ vitari non potest sine remediis severissimæ disciplinæ, & tamen ad illam vitandam non obligantur; ergo.

4. Dantur peccata, quæ sequuntur frequenter ex occasionibus non adeò necessariis, v. g. conversatione cum altero sexu, lectione Romanicarum, esu, ac potu calidorum &c. quorum tamen evitandorum non datur gravis obligatio; ergo.

RESPONDEO *ad* 1. dist. *Maj.* Non posset adiri militia &c. ab eo, *cui est* periculum probabile formalis peccati. c. *cui non est* tale periculum. n. *Maj.* Dantur enim multi pii milites, mercatores &c. Ergo non est generale periculum formalis peccati: dein etiam in iis, quibus est periculum formale, potest facilè converti in remotum periculum, si paratô animô recipiant media emendationis, & serio tangantur metu dene-

gandæ abſolutionis, niſi illa remedia adhibeant, ſicque eorundem applicatione ſemet perſuadeant, ut credant, ſe deliberatè non relapſuros.

Ad 2. c. a. diſt. c. Ergo non datur obligatio vitandi periculum *materiale*. c. *formale*, ac reſpectivum. n. c. Si enim hujusmodi occaſiones ita comparatæ ſunt, ut non ſint inductivæ ad peccatum, cujuslibet diſpoſitio inſpicienda eſt, an ſit ipſi reſpectivè formale periculum, vel non? quod ſi quis deprebendatur, jam ſemel peccaſſe graviter occaſione hujusmodi periculi, & conſiderata diſpoſitione interna probabiliter credat, ſe etiam impoſterum frequenter caſurum, ſtatim arcendus eſt ab occaſione: quod ſi nondum expertus ſit ſuam fragilitatem, & aliunde talis animi ſit, ut credat, ſe non peccaturum, poteſt relinqui in tali periculo remoto, ſaltem in iis circumſtantiis, in quibus ob morem patriæ ſine magna inconvenientia non poteſt ſe eximere. Aliud dicendum, ſi poſſet ſine inconvenientia gravi ſe eximere. Cæterùm ſi quis ſciat in ludis theatralibus, vel conventiculis directè tractari obſcœna, ea haud dubie probibenda, & vitanda ſunt generaliter, niſi quis cogatur ſub graviſſimo vitæ, vel bonorum periculo, quo caſu ex occaſione proxima tenetur facere remotam per induſtriam *extraordinariam* moraliter ſibi poſſibilem.

Ad 3. Dico; in hoc etiam caſu debere fieri occaſionem remotam ex proxima, quod poſſibile eſt per media *extraordinaria*, & pœnitentias *medicinales conditionatas* pro caſu reincidentiæ, quæ faciant credulitatem, quòd non ſit peccaturus deliberatè.

Ad 4. diſt. a. Quorum evitandorum non datur obligatio, niſi detur conſenſus interpretativus. c. ſecus. n. ant. Nam & ejusmodi actiones externæ cenſentur interpretativè voluntariæ, ſi non datur alius finis ponendi actionem cauſalem: ſi verò detur alius finis ponendi actionem cauſalem, non eſt peccatum mortale, neque de illo caſu urget concluſio.

O. A. M. D. G.

Tractatus
DE PECCATO ORIGINALI, ET GRATIA.

In hoc Tractatu continentur ſequentes Diſputationes:
I. De Statu naturæ integræ.
II. De peccato originali.
III. De Gratia.

DISPUTATIO I.
De Statu naturæ integræ.

In hac Diſputatione *quæritur:*
1. Utrum Adamus prius fuerit creatus in naturalibus, quam cum donis gratuitis?
2. Utrum Adamus ante lapſum habuerit donum gratiæ ſanctificantis?
3. An plures fuiſſent damnati in ſtatu naturæ integræ, quam nunc in ſtatu naturæ reparatæ?
4. Quænam fuerint proprietates naturæ integræ quoad corpus & animam?

QUÆSTIO I.
Utrum Adamus prius fuerit creatus in naturalibus, quam cum donis gratuitis?

NOTANDUM 1. Per dona gratuita intelligi 1. donum immortalitatis quoad corpus, hoc eſt, potentiam conſervandi corpus ſine naturali morte per corruptionem partium, mediante videlicet eſu de fructu ex arbore vitæ. 2. Subjectionem appetitus inferioris ad rationem, ſeu appetitum ſuperiorem, ita ut omnes ſenſus & potentiæ prompte obedirent imperio rationis, & ratio Deo. 3. Quoddam genus gratiæ gratum facientis, ſeu amicitiæ Dei erga hominem, vi cujus homo redderetur capax pertingendi ad ſuum finem, ad beatitudinem videlicet ſaltem naturalem, conſiſtentem in fruitione ſeu viſione ſaltem abſtractiva Dei ut Authoris naturæ.

NOTANDUM 2. Quatuor potiſſimum dari in hac re ſententias. PRIMA eſt, quod homo ante ſuum lapſum in ſtatu naturæ integræ nullum habuerit donum gratuitum, ſed quod illa primæva perfectio fuerit *naturalis humanæ naturæ conditio.* Verum hæc ſententia ſatis aperte condemnata eſt à *S. Pio V.* inter propoſitiones Baji. In his enim continentur etiam propoſitiones ſequentes: 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* 79. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali &c.* SECUNDA ſententia eſt *D. Bonaventuræ, Alexandri de Ales, Hugonis à S. Victore*, & aliorum, quod Adamus prius fuerit creatus in naturalibus, & primum poſt aliquod intervallum temporis dotatus donis gratuitis. TERTIA ſententia eſt *D. Thomæ*, quod Adamus prius prioritate naturæ creatus quidem fuerit in ſolis naturalibus, ita tamēn ut ſtatim in primo inſtanti cooperatus fuerit ſuis donis naturalibus, & propterea ſtatim in primo inſtanti dona illa gratuita ſupernaturalia acceperit. QUARTA aſſerit, ea dona Adamo ſine ullo merito aut cooperatione collata eſſe.

DICO. Adamus primitus fuit creatus in ſolis naturalibus, ſi non prioritate temporis, ſaltem prioritate naturæ.

PROBATUR CONCLUSIO. Veteres Theologi plerique conveniunt; Adamum prius creatum eſſe in naturalibus, ita ut ſua cooperatione ad dona naturalia primum obtinuerit collationem donorum gratuitorum; atque eam prioritatem aliqui affirmant fuiſſe prioritatem temporis; alii vero eam prioritatem eſſe naturæ. Ergo. *Ant. prob.* ab inductione.

I. *S. Bonaventura* in 2. diſt. 29. a. 2. q. 2. ſcribit: *Circa hoc fuit duplex opinio. Quidam enim dicere voluerunt, quod homo fuit creatus non ſolum in naturalibus, verum etiam in gratuitis. Sed quoniam Sanctorum* (Patrum) *authoritates videntur ſentire contrarium, ideo eſt alia opinio communior, & probabilior, quod homo prius tempore habuit naturalia, quam haberet gratuita. Unde ſecundum hanc* (ſententiam) *in ſtatu innocentiæ diſtinguuntur duo tempora. Quoddam enim fuit tempus, in quo tantum habuit naturalia; quoddam vero, in quo habuit & naturalia & gratuita. Secundum diverſitatem hujus duplicis temporis diſſolvitur apparens contrarietas in authoritatibus Sanctorum* (Patrum). *Nam quædam videntur dicere, quod homo habuit gratiam; quædam vero, quod non. Et utræque verum dicunt pro diverſis temporibus. -- -- Sic debuit dari, ut ex ipſo ordine dandi cognoſceretur, donum illud eſſe gratuitum. Propterea non fuit à creatione inditа; ſed na-tura*

turæ jam perfectæ & constitutæ super infusa. Ordo etiam justitiæ hoc requirebat. Deus enim secundum legem communem requirit aliquam dispositionem & præparationem à parte nostra ad hoc, quod infundat alicui gratiam. Et ideo gratia non fuit homini concreata, sed dilata fuit, quousque homo per actum & usum rationis quodam modo se disponeret ad illam suscipiendam; ut sic verificaretur illud Augustini in primo homine. Qui creavit te sine te, non justificat te sine te. Patet igitur, quod multiplex ordo exigebat, ut homo prius fieret in naturalibus, quam donis gratuitis ornaretur; & concedendæ sunt rationes, quæ hoc ostendunt.

II. *D. Thomas* in 2. dist. 29. q. a. 2. *Circa hoc est triplex opinio. Quidam enim dicunt, quod homo in primo statu gratiam non habuit; nec virtutes gratuitas. Omnes autem authoritates* (Patrum) *quas Magister* (sententiarum) *inducit ad probandum, homini virtutes infusas infuisse, exponunt de virtutibus naturalibus, quæ in Adamo propter integritatem humanæ naturæ excellentissime erant. Sed hoc non videtur authoritatibus convenire, in quibus ponitur, quod Adam charitatem habuit, quæ sine gratia non habetur; & plura alia dicuntur, quæ non nisi extorte ad virtutes naturales referri possunt. Alii vero distinguunt statum innocentiæ in duos status. Dicunt enim, quod homo in principio creationis suæ sine gratia creatus est in naturalibus tantum. Postmodum vero ante peccatum gratiam consecutus est. Et secundum hanc distinctionem varia dicta Sanctorum concordare nituntur. Sed istud non videtur convenire dictis Sanctorum, & Doctorum, qui de statu innocentiæ quasi de uno statu non distincto loquuntur. Et ideo hæc positio non magnæ authoritatis est. Ideo alii dicunt, quod homo in principio creationis suæ in gratia creatus est. Et hæc positio satis congruere videtur opinioni Augustini, qui ponit, res simul tempore perfectas fuisse creatas in materia & in forma. Prima* (prior) *vero opinio magis congruere videtur opinioni aliorum Sanctorum, qui dicunt, per successionem temporis res creatas perfectas fuisse. Quæ tamen harum opinionum verior sit, multum efficaci ratione probari non potest. Hoc tamen probabilius est, ut cum homo creatus fuerit in naturalibus integris, quæ otiosa esse non poterant, quod in primo instanti creationis ad Deum conversus gratiam consecutus sit. Et ideo hanc opinionem sustinendo dicendum* An 1.; *quod sicut secundum Augustinum distinctio primorum* (sex) *dierum attenditur secundum ordinem naturæ, & non secundum successionem temporis, ita etiam secundum ordinem naturæ status in naturalibus puris ad statum ejus in gratia comparatur, & non secundum ordinem temporis.* Et An 2. *Dicimus, quod potentia naturalis hoc modo se habet ad gratiam, quod ipsa subministrat substantiam actus, & gratia præbet efficaciam* (merendi beatitudinem supernaturalem, seu proficiendi ac ascendendi ultra suum statum naturæ) *informando actum.*

III. *Alensis* p. 2. q. 90. n. 1. a. 1. *Circa hoc diversi diversa sentiunt. Quidam ponunt; hominem primum conditum fuisse in gratuitis gratum facientibus. Alii ponunt; ipsum fuisse conditum solummodo in naturalibus, non in gratuitis gratum facientibus. Et hoc magis sustinendum est, & magis est rationi consonum, & authoritatibus probativum. Decebat enim, ut sic homo fieret, quod prius esset conditus secundum naturam, deinde informatus per gratiam, ut in se cognosceret, gratiam esse donum Dei, & illam à naturalibus distingueret, & illam distinguendo non suæ naturæ tribueret, sed conditori Deo. Et hoc est, quod vult* AUGUSTINUS (l. de natura & gratia). *Melius Dei causa agitur, cum & Creator & Salvator cognoscitur, quam cum defensa, velut sana viribusque integris creatura opitulatione Salvatoris minuitur. Decor etiam sapientiæ divinæ manifestatur per hoc, quod homo gradatim & secundum processum temporum ad perfectionem perducitur. Sapientis enim est, singula secundum temporis oportunitatem distinguere. Unde cum Deus simul posset creaturas; maluit eas primo in esse producere, post distinguere, & tertio ornare. Sic licet posset homini simul dare naturam, gratiam, & gloriam; maluit tamen primo facere hominem in statu naturæ bene institutæ, & post addere donum gratiæ, deinde superaddere complementum gloriæ. Et ideo sicut noluit dare gloriam homini, quin præcederet in homine quodammodo meritum condigni per usum gratiæ, sic noluit dare gratiam, nisi præambulo* MERITO CONGRUI *per bonum usum naturæ. Deus enim secundum legem communem requirit aliquam præparationem & dispositionem ex parte nostra ad hoc, ut infundat alicui gratiam. Et ideo gratia non fuit homini concreata; sed dilata fuit, quousque homo per actum & usum rationis quodammodo se disponeret ad illam suscipiendam. Adhuc notandum, quod gratia* UNO MODO *dicitur communiter, prout comprehendit, quidquid naturalibus est additum; sicut bonum ingenium, eloquentia &c.* ALIO MODO *dicitur gratia, quod est superadditum libero arbitrio, disponens ad rectitudinem illius; sicut dicimus virtutes naturales, pietatem, mititatem &c.* TERTIO MODO, *quod est superadditum libero arbitrio, tanquam rectificans & complens, & elevans; & sic dicitur gratia, quæ gratum facit; quia facit hominem Deo acceptum, quia conformem. Cum ergo quæritur, utrum primus homo fuit conditus in gratia, sive in gratuitis; potest dici, secundum quod primo vel secundo modo dicitur gratia, sic fuit conditus in gratia sive gratuitis; secundum quod tertio modo, nequaquam. Similiter potest dici de virtutibus; scilicet quod virtutes naturales habebat à sui prima conditione; virtutes autem gratuitas, ut charitatem & hujusmodi, nequaquam.* Ita Alensis. Idem docent *Hugo à S. Victore* l. 1. de Sacramentis, part. 6. c. 17. & c. 14. *Scotus* in 2. dist. 29. *Ægidius* Rom. in 2. dist. 29. *Richardus* à Mediavilla in 2. dist. 29. *Brulef.* & alii.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Necesse est, ut in primo instanti creationis regnaverit in Adamo cupiditas vitiosa, aut charitas. Non cupiditas. Ergo charitas, quæ non datur sine gratia gratum faciente.

2. Anima Adami in primo instanti suæ creationis non fuit imperfectior anima infantis baptizati; sed hæc jam habet gratiam gratum facientem. Ergo.

3. Deus cuicunque non ponenti obicem dat gratiam. Sed Adamus tunc non posuit obicem.

4. Opti-

4. Optima dispositio ad gratiam est pura innocentia, & recta voluntas. Sed hanc Adamus habuit.

RESPONDEO n. *Maj.* Datur enim medium inter cupiditatem & charitatem, nempe amor naturalis Dei ut authoris naturæ, qui in primo instanti est pro priori naturæ necessarius, utpote ex instinctu Dei, in posteriori autem signo est liber, ac meritorius beatitudinis naturalis.

Ad 2. n. a. Ut enim in sequenti quæstione dicetur, Adamus in illo suo statu non habuit talem gratiam sanctificantem, qualem habent Christiani, vi cujus fiunt adoptivi Filii Dei, & participes naturæ divinæ, & sponsantur Deo in ordine ad visionem Dei unius & trini intuitivam per essentiam. Adamus enim per dona illa gratuita supernaturalia tantum fuit ordinatus ad beatitudinem suam naturalem, nempe ad visionem seu cognitionem Dei abstractivam, hoc est, præcisivam Dei, ut Authoris naturæ.

Ad 3. dist. Dat gratiam ordinis naturalis in ordine ad actum moralem de se meritorium præmii aut beatitudinis naturalis. c. gratiam ordinis supernaturalis in ordine ad actum meritorium præmii aut beatitudinis supernaturalis. n. *Maj.* Possibilis enim est status puræ naturæ, aut certe status naturæ integræ, in quo homo non fuisset adoptatus in filium, & desponsatus Deo ad unionem omnium perfectissimam, qualis est visio seu fruitio Dei per essentiam.

Ad 4. dist. est dispositio ad gratiam ordinis naturalis. c. supernaturalis relatè ad visionem Dei unius & trini intuitivam per essentiam. n. Ad hoc pro dispositione requiritur in adultis fides, ac spes, fundata in promissis divinis & adoptione in statum filiorum Dei.

OBJICITUR 2. Opera Dei sunt perfecta. Ergo etiam creavit hominem in statu perfecto gratiæ.

2. Deus Gen. 1. dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Atqui homo non fit similitudo Dei, nisi conformetur Deo per gratiam gratum facientem.

3. *D. Damascenus* de *fide* l. 2. c. 12. dicit: *Fecit Deus hominem innocentem, rectum, virtuosum, omni virtute decoratum, omnibus bonis ornatum.*

RESPONDEO

Ad 1. dist. sunt perfecta perfectione cuilibet naturæ pro congruentia circumstantiarum debita. c. perfectione indebita. n. Sic enim infanti in utero materno non confert soliditatem ossium, robur, aut usum rationis perfectum. Naturæ autem humanæ etiam integræ non debetur beatitudo supernaturalis, quoad substantiam, nec gratia elevationis ad visionem Dei unius & trini intuitivam per essentiam.

Ad 2. c. *Maj.* dist. *Min.* non fit similitudo Dei nisi per gratiam gratum facientem in genere servi aut amici. c. in genere filii adoptivi & sponsæ. n. Homo etiam in statu puræ naturæ, aut in statu naturæ integræ fuisset per virtutes morales similis ac conformis Deo, v. gr. per prudentiam, temperantiam, justitiam. &c. ac proin fuisset etiam gratus & acceptus Deo, sed in ordine servorum, aut amicorum; non tamen tanquam amicus intimus, filius adoptivus, aut sponsa Dei.

Ad 3. dist. Deus fecit hominem omni virtute ordinis naturalis relatè ad beatitudinem naturalem decoratum. c. omni virtute ordinis supernaturalis. n. Neque enim Adamus fuit præditus cognitione mysteriorum supernaturalium v. g. SS. Trinitatis, Incarnationis. &c. neque habuit jus ad adoptionem in statum filiorum Dei, & sponsationis ad Deum, quale nunc habemus in Christo per fidem, spem, & charitatem. Cæterum textui Damasceni oppono textum *S. Augustini* l. de Corrept. & Gratia, ubi ait: *Confitemur, Deum sic ordinasse angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.*

QUÆSTIO II.

Utrum Adamus ante lapsum acceperit à Deo gratiam sanctificantem?

NOTANDUM 1. Certum esse, quod Adamus ante suum lapsum fuerit *amicus Dei*, *acceptus Deo*, & quod fuerit constitutus in *gratia Dei.* Utrum vero ea amicitia fuerit tantum ordinis naturalis per virtutes morales in ordine ad beatitudinem aliquam naturalem; an vero fuerit supernaturalis in ordine ad visionem Dei unius & trini per essentiam, magna est quæstio.

NOTANDUM 2. Per gratiam sanctificantem intelligi eam, quæ in hoc statu naturæ reparatæ confertur hominibus per Christum in eorum justificatione in ordine ad visionem Dei per essentiam, & quidem unius & trini, ut amici intimi, ut sponsi, & ut patris erga filium adoptivum. Ea enim elevatur homo in statum filiorum Dei, in cohæredem & societatem Christi, & vere desponsatur Deo in ordine ad intimam unionem, quæ habetur in visione seu fruitione Dei unius & trini intuitivam per essentiam.

NOTANDUM 3. Beatitudinem, quam Adamus potuit mereri in statu naturæ integræ, potuisse consistere in cognitione Dei abstractiva valde clara, seu, prout in Tract. *de Charitate* explicavi, in visione præcisiva Dei ut authoris naturæ; quæ quidem *quoad substantiam* seu ex suo genere est *naturalis*, utpote in linea seu genere cognitionis abstractivæ, attamen quia obtineri non poterat humanis viribus, vocari debet *supernaturalis quoad modum*. Beatitudinem hanc describunt S. Augustinus & D. Thomas. Nam *S. Augustinus* l. 22. de Civit. c. 29. describens futuram beatorum gloriam docet, quod etiam oculis corporeis in omnibus creaturis visuri sint Deum in iis operantem, sicut nos videmus vitam & animum alterius hominis. Ea ergo beatitudo, quæ in præsenti statu naturæ elevatæ est accidentalis, potuit homini in statu naturæ integræ esse præmium essentiale, seu beatitudo essentialis, vi cujus in omnibus creaturis videret Deum ut authorem naturæ. Sic ait: *Quid si tanta erit potentia spiritalis corporis, ut corpore videatur & Spiritus? Spiritus*

ritus enim eſt Deus. Deinde aliorum vitas, cum ſint invisibiles, per corpus videt quisque. Nam unde viventia diſcernimus à non viventibus corpora, niſi corpora ſimul vitasque videamus, quas niſi per corpus videre non poſſumus? Vitas autem ſine corporibus corporeis oculis non videmus. Quam ob rem fieri poteſt, valdeque credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora cœli novi & terræ novæ, ut Deum ubique præſentem, & univerſa etiam corporalia gubernantem per corpora, quæ geſtabimus, & quæ conſpiciemus, quaquaverſum oculos duxerimus, clariſſima perſpicuitate videamus. Non ſicut nunc inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur per ſpeculum in ænigmate, & ex parte, ubi plus in nobis valet fides, qua credimus, quam rerum corporalium ſpecies, quam per oculos cernimus corporales. Sed ſicut homines, inter quos viventes motusque vitales exercentes vivimus, mox ut aſpicimus, non credimus vivere, ſed videmus; cum eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conſpicimus. Ita quocunque ſpiritualia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum DEUM omnia regentem etiam per corpora contuebimur. Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, ut habeant aliquid in tanta excellentia menti ſimile, quo & incorporea natura videatur: Aut quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, ut videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis: videatur in cœlo novo & in terra nova, atque in omni, quæ tunc fuerit creatura; videatur & per corpora in omni corpore, quocunque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie perveniente directi. Ita S. Auguſtinus. D. Thomas exiſtimat; quod Adamus hanc beatitudinem jam actu meruerit & obtinuerit per ſuam cooperationem ad gratiam in primo inſtanti ſuæ creationis, quamvis etiam obtinuiſſet jus ad viſionem Dei per eſſentiam, ſi ſibi & ſuis poſteris hoc jus ſpei per obedientiam in puncto fructus vetiti meruiſſet. In Summa p. 1. q. 104. a. 1. de beatitudine actuali, quam Adamus in ſtatu naturæ integræ habuit, ſic ſcribit: *Conſiderandum eſt, quod viſio Dei per eſſentiam dividitur contra viſionem Dei per creaturam. Quanto autem aliqua creatura eſt altior & Deo ſimilior, tanto per eam Deus clarius videtur. Et ſic patet, quod multo eminentius Deus videtur per intelligibiles effectus, quam per ſenſibiles & corporeos. A conſideratione autem plena & lucida intelligibilium effectuum* (quales ſunt angeli) *impeditur homo in præſenti ſtatu per hoc, quod diſtrahitur à ſenſibilibus & circa ea occupatur. Hæc autem fuit rectitudo hominis divinitus inſtituti, ut inferiora ſuperioribus ſubderentur, & ſuperiora ab inferioribus non impedirentur. Unde homo primus non impediebatur per res exteriores à clara & firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, ſive naturali cognitione, ſive gratuita. Unde Auguſtinus dicit l. 11. in Gen. c. 33. ad Litt., quod fortaſſis Deus primis hominibus antea loquebatur, ſicut cum angelis loquitur ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum, etſi non tanta participatione divinæ eſſentiæ, quantam capiunt angeli. Sic igitur per hujusmodi intelligibiles effectus Dei, Deum clarius cognoſcebat, quam modo cognoſcamus.* Et AD 1. *Dicendum, quod homo in paradiſo beatus fuit, non illa perfecta beatitudine, in quam transferendus erat, quæ in divinæ eſſentiæ viſione conſiſtit.* Et AD 3. *Duplex eſt medium* (videndi aliquid). *Quoddam* (medium eſt), *in quo ſimul videtur, quod per medium videri dicitur. Sicut cum homo videtur per ſpeculum, & ſimul videtur cum ipſo ſpeculo. Aliud medium eſt, per cujus notitiam in aliquid ignotum devenimus; ſicut eſt medium demonſtrationis. Et ſine tali medio Deus videbatur* (ab Adamo in paradiſo), *non tamen ſine primo medio. Non enim oportebat, primum hominem pervenire in Dei cognitionem per demonſtrationem ſumptam ab aliquo effectu, ſicut nobis eſt neceſſarium; ſed ſimul in effectibus præcipue intelligibilibus ſuo modo Deum cognoſcebat.* Ex his D. Thomæ verbis patet, quod Adamus ante lapſum actu habuerit viſionem Dei abſtractivam, & quod etiam ad aliquam altiorem viſionem altiorem eſſentiæ divinæ, ſeu viſionem intuitivam Dei, ſaltem ut authoris naturæ, adeoque præciſivam, perveniſſet, ſi obediiſſet & in gratia perſeveraſſet.

NOTANDUM 4. Gratiam ſanctificantem late dictam poſſe dividi in varias ſpecies juxta diverſitatem objectorum ac finium, ſeu beatitudinum, in ordine ad quas hominem ſanctificat. PRIMA ſpecies gratiæ ſanctificantis, ſeu gratum facientis, eſt, qua homo aquirit jus proximum ad viſionem Dei unius & trini intuitivam per eſſentiam, ad amicitiam intimam, filiationem adoptivam, & ſponſationem cum Deo. SECUNDA ſpecies eſt, quæ tribuit ad eandem viſionem tantum jus *remotum*, quale habuerunt Patres in veteri teſtamento. TERTIA ſpecies eſt, quæ ſolum tribuit jus ad viſionem immediatam Dei ut authoris naturæ, ſeu quoad prædicata relativa ad extra. QUARTA ſpecies eſt, qua tribuitur jus ad viſionem Dei per creaturam, ſeu in creatura, qualis in PRÆNOTANDO 3. fuit deſcripta à S. Auguſtino & D. Thoma. Cum enim quælibet harum beatitudinum excedat vires naturæ humanæ, neceſſaria eſt gratia quædam habitualis, qua homo reddatur acceptus Deo, ac dignus tali dono vel præmio. His prænotatis

DICO. Adamus in ſtatu naturæ integræ ante lapſum non habuit gratiam gratum facientem ſeu ſanctificantem ejusdem ſpeciei, qualis generi humano per Chriſtum datur poſt lapſum.

PROBATUR 1. Adamus ante lapſum nec habuit jus proximum, nec remotum ad viſionem Dei unius & trini intuitivam per eſſentiam, ad amicitiam intimam, filiationem adoptivam, & ſponſationem cum Deo. Ergo. *c. patet* ex definitione data *Not.* 4. *ant. prob.* Non poteſt hoc jus Adami probari ex Scriptura aut traditione.

PROBATUR 2. Jus ad viſionem Dei unius & trini per eſſentiam, ad amicitiam intimam, filiationem adoptivam, & ſponſationem cum Deo deſcribuntur à Scriptura tanquam dona propria Chriſti erga ſuam Eccleſiam in ſtatu naturæ reparatæ. Ergo non conveniunt ſtatui naturæ integræ. *ant. prob.* 1. *S. Joannes* in Evang. c. 1. v. 12. hoc ſoli Chriſto proprium tribuit, quod tribuat filiationem adoptivam: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* 2. Idem Epiſt. 1. c. 3. dicit: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus. Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit,*

ruit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. 3. D. Petrus Epist. 2. c. 1. v. 4. *Maxima & pretiosa promissa nobis donavit, ut efficiamini divinæ consortes naturæ.* 4. D. Paulus Eph. 2. v. 18. *Per ipsum habemus accessum in uno spiritu ad Patrem. Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei.* 5. S. Joannes c. 17. v. 20. *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut sint consummati in unum, Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant charitatem meam.* 6. Apoc. 3. v. 20. *Cœnabo cum ipso & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum Patre meo in throno ejus.* 7. In Osea c. 3. dicitur: *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Et de hac desponsatione etiam in Apocalypsi frequenter est sermo v. g. c. 22. v. 17. *Spiritus & sponsa* (invicem) *dicunt: Veni.* Hæc & plura alia non extitissent in fruitione abstractiva aut visione intuitiva quidem sed præcisiva Dei ut authoris naturæ Adamo in statu naturæ integræ promissa.

PROBATUR 3. ratione & authoritate *Ægidii Romani*, qui erat discipulus D. Thomæ fidelissimus. Quando scribit in 2. Sent. dist. 29. q. 3. sic habet: *Dicimus adhærentes Magistro Sententiarum, quod Adam pro illo statu accepit justitiam originalem, per quam poterat vitare omnia peccata, sed non poterat mereri* (statum sublimiorem, beatiorem, ac supernaturalem quoad substantiam, qualis nunc est beatorum, videntium intuitive Deum per essentiam, ut est in se) *vel proficere. Propter quod non irrationabiliter Magister loquitur, quod Adam superando tentationes non merebatur; quia non habebat gratiam gratum facientem, sine qua meritum esse non potest. Et si aliquando inveniatur à sanctis* (Doctoribus scriptum) *quod Adam fuit creatus in gratia; exponendum est:* IN GRATIA, *id est, in originali justitia, quæ non solum gratia proprie, sed etiam magis proprie, licet non per omnem modum proprie, dici poterat. Concedimus ergo, quod subjectiones illæ* (appetituum inferiorum ad superiorem), *quæ fuerunt in Adam, non fuerunt naturales, sed fuerunt gratuitæ, non per gratiam gratum facientem, sed per originalem justitiam, quæ etiam proprie gratia dicebatur. Quam veritatem tenendo habemus pro nobis Magistrum, quod non est parum; quia sic fuit imbutus sanctorum dictis, quod ex hujusmodi dictis contexuit hunc totum librum. Non ergo virtutes illæ, quæ fuerunt in Adam ortæ ex originali justitia, fuerunt ejusdem rationis cum virtutibus, quæ sunt in nobis ortæ à gratia gratum faciente. - - Tenendo hanc veritatem leviter possumus salvare dicta Sanctorum; specialiter illud* APOSTOLI 1. Cor. 15. *Factus est primus homo in animam viventem; novissimus Adam* (Christus) *in spiritum vivificantem. Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni; qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur si portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Quæ omnia forte non possemus sufficienter salvare, tenendo quod Adam fuerit creatus in gratia gratum faciente. - -* SED DICES: *Nunquid Adam in primo suo statu vivebat spiritualiter?* Respondet Ægidius: *Vivebat quodammodo, & secundum quid; ita quod etiam erat beatissimus pro illo statu. Nam non poterat augmentari nec in beatitudine, nec in gratia, nisi mutaret statum; cum secundum illum statum, ut dictum est, posset stare, sed non proficere; quia, ut Magister ait, Adam pro illo statu non habebat, quo pedem movere posset; habuit tamen, quod poterat stare. Factus est ergo Adam in animam viventem; non est autem factus in spiritum vivificantem. Nam si Adam stetisset & genuisset filios, non transfundisset in eos, nisi originalem justitiam, per quam filii possent stare, sed non proficere. Omnia ergo verba Apostoli non possemus salvare de primo Adam, si fuit creatus in gratia gratum faciente; quia hoc posito non fuisset factus in animam viventem & vivificantem corpus; sed etiam in spiritum vivificantem, saltem quantum ad opera. - - Virtutes Adæ pro illo statu tales erant, qualis erat ejus justitia, ut sicut justitiam originalem transfudisset in posteros, sic & virtutes, temperantiam, & charitatem, quas habebat, transfudisset in posteros. Propter quod sicut per originalem justitiam poterat stare, sed non proficere, sic per illas virtutes originales poterat stare sed non proficere. Erant ergo illæ virtutes, quas habuissemus ab origine per Adam, si non peccasset, alterius rationis, quam sint istæ virtutes, quas habemus nunc ut regenerati per Christum; nam per has sub Christo possumus stare & proficere, per illas autem sub Adam potuissemus stare, sed non proficere. - - Adam enim pro illo statu non poterat proficere & augmentari in virtutibus, & fieri beatior, nisi mutaret statum accipiendo gratiam sanctificantem. — — Postea quæritur; an posito, quod Deus infundisset Adamo gratiam gratum facientem, si restitisset tentationi, ut vult Hugo, & est satis probabile, an, inquam, ejus opera fuissent magis meritoria, quam ista nostra in statu naturæ reparatæ?* Ad hoc Ægidius respondet: *Communiter loquendo non descendendo ad hunc vel illum habuissent se opera pro illo statu secundum magis & minus. Unde potest contingere; quod opera nunc facta possint communiter loquendo esse æque meritoria vel etiam magis ac fuissent tunc.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Plerique antiquorum Theologorum tenuerunt, Adamum ante lapsum fuisse præditum gratia sanctificante, seu gratum faciente. Ergo hoc est tenendum.

2. D. Thomas in 4. dist. 29. dum loquitur de gratia Adamo collata, eodem modo de illa loquitur, quo nunc loquitur de gratia sanctificante, quatenus est forma actuum humanorum. Ergo. *Ant. patet* ex textu adducto in quæst. 1.

RESPONDEO dist. Hoc tenuerant tanquam aliquam sententiam probabilem. tr. tanquam veritatem constantem. n. DIXI tr. quia ut proxime videbimus, eam ipsam sententiam postmodum tacite retractarunt. *D. Thomas* l. cc. q. 1. a. 2. C. ubi hanc quæstionem examinat, expresse dicit: *Quæ harum opinionum verior sit, multum efficaci ratione probari non potest; hoc tamen probabilius est, quod gratiam consecutus sit.* *S. Bonaventura* in 4. dist. 29. a. 2. q. 1. ait: *Est opinio*

 commu-

communior, verior, & probabilior, quod Adam ante lapsum gratiam gratum facientem habuit. Eodem modo loquitur *Alensis* p. 2. q. 90. memb. 3. a. 1. *Est opinio & communior, & verior, & probabilior, quod Adam ante lapsum gratiam gratum facientem habuit.*

Ad 2. dist. D. Thomas hanc sententiam in 4. dist. 29. tenuit, ita tamen ut eam in Summa, & ad Hannibalem retractavit. c. ut eidem firmiter inhæserit. n. Ita respondet *Ægidius Romanus* in 4. dist. 29. §. *Ulterius forte dubitaret. Dicendum,* inquit, *quod dicti magni Doctores moderaverunt dictum suum in* SUMMIS *suis, quod dixerant super sententias. Nam in Sententias posuerunt, hominem creatum in gratia, dicentes, hoc concordare cum Augustino, ponente, simul omnia perfecte fuisse producta; sed in* SUMMIS, *ubi hanc quæstionem movent, utrum primus homo fuerit creatus in gratia, volunt, hominem fuisse creatum in gratia, quia hoc requirebat rectitudo sui status. Igitur ex rectitudine status probant, hominem fuisse creatum in gratia; illam tamen rectitudinem totam retorquent ad originalem justitiam commemorando illas tres subjectiones, quas facit originalis justitia non esse naturales, sed gratuitas. Secundum hoc est eorum intentio ponere, Adam fuisse creatum in gratia, quia fuit creatus cum originali justitia. Quod est simpliciter concedendum.* Ita Ægidius. Ac revera ejus expositionem esse conformem menti *S. Thomæ*,, patet legenti ea, quæ scribit in *Summa* p. 1. q. 95. a. 1. ubi manifestum est, ab eo per gratiam, in qua Adam creatus est, tantum intelligi originalem justitiam, prout contradistinguitur à gratia sanctificante. *Dicendum*, inquit, *quod quidam dicunt, quod primus homo non fuit creatus in gratia; sed tamen postmodum gratia fuit sibi collata, antequam peccasset. Plurimæ autem Sanctorum authoritates attestantur, hominem in statu innocentiæ gratiam habuisse. Sed, quod fuerit conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccles. 7. Deus fecit hominem rectum. Erat enim rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem subjectio erat causa & secundæ & tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur. Manifestum est autem, quod illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus naturalia post peccatum permanserint. Unde manifestum est, quod & illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiæ. Non enim potest esse, quod effectus sit potior quam causa. Unde Augustinus dicit; quod postquam præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente divina de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suæ tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Ex quo datur intelligi, si deserente gratia soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Ex hoc textu patet, D. Thomam in anima Adami agnovisse quidem gratiam supernaturalem subjectionis suæ ad Deum quoad rationem, non tamen gratiam adoptionis in filium, amicitiæ intimæ, ac sponsationis cum Deo, vel gratiam arrhæ ac juris ad visionem Dei unius & trini intuitivam per essentiam.

OBJICITUR 2. Adamus erat verè amicus Dei. Ergo habuit gratiam gratum facientem.

2. Adamus habuit amorem seu charitatem Dei. Ergo etiam vicissim in eo dabatur amor reciprocus Dei erga Adamum, seu charitas infusa.

RESPONDEO dist. Erat amicus Dei habitu amicitiæ specie diverso ab eo, qui infunditur in statu naturæ reparatæ. c. non diverso. n. Concedo; quod etiam in statu naturæ integræ extiterit amicitia reciproca inter Deum & hominem. Concedo etiam, quod illa amicitia fuerit habitualis, & supernaturalis, quia fuit ratio subjectionis appetitus inferioris ad superiorem. Concedo etiam, quod ille habitus amicitiæ seu charitatis fuerit habitus infusus in eo sensu quo explicavi habitum charitatis infusum in *Tract.* ac *Disp. de charitate*, quæst. 5., prout videlicet dicit concretum ex actu vel habitu humano, ut informato per gratiam gratum facientem. Ita enim habitum illum Adamo infusum describit *S. Thomas* in 4. dist. 29. q. 1. a. 2. ubi ait: *Potentia naturalis hoc modo se habet ad gratiam, quod ipsa subministrat substantiam actus, & gratia præbet efficaciam merendi informando actum.* Verum quia ille habitus charitatis non ordinabat hominem ad filiationem adoptivam, & sponsationem cum Deo, aut amicitiam & unionem intimam consistentem in visione Dei unius & trini per essentiam, ad quod nos ordinat charitas infusa in statu naturæ reparatæ, sed tantum ad visionem abstractivam seu præcisivam Dei ut Authoris naturæ, differebat specie ab illa amicitia habituali infusæ, quæ nunc datur. Imo plerique authores concedunt, dari quoddam genus amicitiæ etiam naturalis cum Deo, & aliud genus amicitiæ supernaturalis, prout doctus *B. Bontempi*, *Valentia*, & *Tannerus* in *Tract. de charitate* ostendunt.

Ad 2. dist. Habuit amorem seu charitatem specie diversam ab ea, quæ datur in statu naturæ reparatæ. c. non diversam specie. n. Ut enim ex dictis patet, charitas in statu naturæ integræ, & charitas in statu naturæ reparatæ ordinant ad beatitudines specie diversas, hoc est, ad Deum ut diversa communicatione suiipsius fruendum.

OBJICITUR 3. SS. Patres docent, Adamum habuisse gratiam gratum facientem. Ergo. *Ant. prob.* 1. *S. Augustinus* in quadam Homilia teste Magistro dicit: *Adam perdita charitate malus inventus est.*

2. *Idem* super Gen. ad Litt. l. 12. c. 24. & c. 40. Item l. 6. c. 27. & 28. dicit: Adamum ante lapsum *spirituali mente* præditum fuisse.

3. *S. Ambrosius* in Psal. 118. Serm. 4. dicit: *Adamum ante lapsum beatissimum fuisse.* Non potuisset autem esse beatus sine gratia gratum faciente.

4. *Idem* Ep. 41. ad Sabinum ait: *Quando Adam solus erat, non est prævaricatus, quia ejus mens Deo adhærebat.*

RESPONDEO dist. a. Docent, Adamum habuisse gratiam gratum facientem, specie diversam ab ea, quæ nunc datur. c. non diversam specie. n. Sensus patet ex dictis ad Object. 2. Hine

Ad

Ad 1. dist. Malus inventus est perdita charitate specie diversa. c. non diversa. n.

Ad 2. dist. docet, Adamum fuisse præditum spirituali mente, spiritualitate specie diversa. c. non diversa. n.

Ad 3. c. *Maj.* dist. *Min.* non poterat esse beatus sine gratia gratum faciente generice sumpta. c. specifice in determinata specie sumpta. n.

Ad 4. dist. Ejus mens Deo adhærebat per charitatem specie diversam. c. non diversam. n. Sensus patet ex dictis ad Object. 2. Alia enim erat beatitudo, ad quam Adamus ordinabatur, ac ea est, ad quam nos per Christum ordinamur; &, quia charitas ad Deum tanquam summum hominis bonum beatifice possidendum ordinat, necesse est, ut pro diversitate beatitudinum, seu communicationum, quibus Deus se homini communicat, etiam charitas in diversas species abeat. Istam diversitatem beatitudinum attendens *Scotus* in 4. dist. 29. quæst. un. n. 27. scribit: *Dico, quod si fuerit aliquod donum supernaturale* (in statu naturæ integræ), *non tamen oportet, quod sit principium merendi. Sed excedit (illud) gratia in hoc, quia ipsa conjungit fini, ut bono supernaturali, & ut supernaturaliter per meritum attingendo tale bonum. Non sic istud donum; sed tantum conjungebat illi bono ut convenienti & delectabili.*

Objicitur 4. Ecclesiastis 7. v. 30. dicitur: *Inveni, quod fecerit DEUS hominem rectum.* 2. Ecclesiastis 17. v. 1. *Deus creavit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum.* 3. Ibidem v. 2. additur: *Et secundum se vestivit illum virtute.* 4. Genesis 1. v. 26. Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et c. 5. v. 1. *In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Idem repetitur Sap. 2. v. 23. *Ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.*

Respondeo

Ad 1. dist. fecit illum rectum rectitudine justitiæ originalis. c. rectitudine sponsationis & adoptionis ad Deum. n. Hoc enim est in quæstione.

Ad 2. dist. fecit illum ad suam imaginem expressione quadam Trinitatis per triadem potentiæ activæ, intellectivæ, & volitivæ. c. unione intima naturæ per visionem beatificam. n. Imo visio Dei intuitiva per essentiam fit sine imagine seu specie expressa vel impressa Dei, prout suppono ex Tract. *De Deo.*

Ad 3. dist. vestivit illum virtute justitiæ originalis. c. virtute theologica fidei, spei, & charitatis univoca cum fide, spe, ac charitate status naturæ reparatæ. n.

Ad 4. dist. fecit hominem ad suam similitudinem similitudine morum. c. similitudine status per adoptionem & sponsationem. n. In ejusmodi textibus, indifferentibus ad plures expositiones, illæ duæ Regulæ Juris observandæ sunt. *In obscuris, quod minimum est, sequimur.* Et quia non erratur sequendo minimum, utpote amplectendo, quod omnium confessione verum est, præ oculis habenda est illa Regula: *Tene certum, dimitte incertum.*

Objicitur 5. Illud Adamus habuit, quod Christus generi humano restituit. Sed Christus humano generi gratiam sanctificantem restituit. Ergo. 2. Finis redemptionis humanæ fuit reparatio generis humani seu restitutio in integrum, ac statum pristinum. Ergo cum gratia sanctificans pertineat ad redemptionem & reparationem generis humani, eadem etiam pertinuit ad statum naturæ integræ.

Respondeo. c. *Maj.* dist. *Min.* Christus gratiam sanctificantem restituit spectatam quoad rationem genericam gratiæ gratum facientis. c. spectatam quoad rationem specificam gratiæ sanctificantis in sponsam, ac filium. n. Nam ratio hæc specifica gratiæ gratum facienti ut sic superaddita non additur per modum restitutionis, sed per modum auctarii, ita ut Christus generi humano non tantum restituerit, quæ prius habuit, sed etiam ultra gratias restitutas immensum pondus gratiarum superaddiderit juxta illud Apostoli Rom. 5. v. 17. *Si unius delicto mors regnavit, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes regnabunt per Christum. - - - Ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Et v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto omnes mortui sunt, multo magis gratia DEI in gratia Christi abundavit.* Sic & *D. Bernardus* in c. 12. Apocal. scribit: *Vehementer vir unus & mulier una nocuere; sed per unum virum & mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum; sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. Sic prudentissimus artifex, quod quassatum fuerat, utilius refecit.*

Objicitur 6. D. Bernardus partim Serm. 1. in Annunt. B. V., partim in Psalmum, *Qui habitat.* Serm. 7. partim Epist. 221. ad Ludov. Regem dicit: *Diabolus cum videret, patrem nostrum charitate circumdatum, & omni virtute vestitum, & hoc accepisse terrenum hominem, quod ipse per superbiam omisit, invidit insatiabilis homicida.* Ergo cum diabolus habuerit & amiserit gratiam sanctificantem cum jure ad visionem Dei intuitivam per essentiam, etiam homo eam habuit. 2. S. Augustinus docet, Angelis statim ab initio collatam esse gratiam sanctificantem. Ergo verosimile est, eam etiam collatam fuisse primo homini. *ant. prob.* l. 12. de Civit. c. 9. scribit: *Simul atque facti sunt angeli, ei, à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt adhæserunt. - - Deus fecit angelos cum bona voluntate, hoc est, cum amore casto, quo illi adhæserunt, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* 3. D. Damascenus l. 2. c. 12. de Fide dicit: *Deus fecit Adamum habere movendi & proficiendi in bono.* Sed potestas proficiendi in meliorem statum, qualis non est assignabilis nisi visio Dei intuitiva per essentiam. 4. Est communis doctrina Patrum, quod homo conditus sit ad reparandam ruinam Angelorum; Ergo necessarium est, ut homini etiam fuerit collata gratia sanctificans requisita ad obtinendam beatitudinem quæ parata erat angelis, si perseverassent. *ant. patebit* ex dicendis in quæstione sequente.

Respondeo. dist. Vidit, Adamum circumdatum charitate specie diversa, eumqoe obtinuisse, quod ille amiserat, quoad substantiam beatitudinis. c. circumdatum charitate univoce eadem, & eum obtinuisse, quod amiserat, etiam quoad speciem beatitudinis. n. Viderat enim Diabolus, se amisisse cœlum; ac visionem intuitivam

tivam Dei; hominem vero, si perseverantia in bono mereretur sublimiorem gratiam, transferendum fore in cœlum & acquisiturum corpus spirituale, & visurum intuitive Deum ut authorem naturæ, qualem visionem Diabolus actu habuerat in primo instanti suæ creationis. Cum ergo illud dicatur proprie amitti, quod quis actu possidet, non vero illud, quod tantum habet in spe, dicendum, quod *D. Bernardus* tantum loquatur de cœlo à dæmonibus perdito, & de visione intuitiva Dei ut authoris naturæ, quæ omnia viderat homini parata & jam destinata esse, si gratiam & jus eo perveniendi perseverantia in bono mereretur.

Ad 2. c. a. n. c. & p. Disparitas: Deus etiam in ordine gratiæ servat ordinem & proportionem. Decuit proin, ut entibus natura sublimioribus homine, sibique proximis impertirctur gratiam altioris ordinis, qua redderentur capaces ad visionem Dei unius & trini intuitivam per essentiam; quæ gratuita gratia naturæ humanæ sensibus alligatæ non æqua ratione congruebat; sed sufficeret, si homini perseveranti in bono jus & gratiam ad visionem sui ut authoris naturæ præcisive intuitivam ex pietate indulgeret.

Ad 3. dist. Dedit homini potestatem proficiendi in bono relative ad statum, ad quem appetitus naturalis absolute extenderet, eumque intellectus proponeret, ut obtinibilem per gratiam. e. proficiendi in bono relative ad statum transcendentem humanæ naturæ exigentiam absolutam innatam. n. Suppono ex Tract. *de Charitate*, quod detur appetitus naturalis ad visionem intuitivam Dei ut authoris naturæ, eamque beatitudinem proponi intellectui ut obtinibilem per gratiam, impertiendam facientibus quod est in se.

Ad 4. dist. est communis doctrina, quod homo sit conditus ad reparandam ruinam angelorum quoad substantiam beatitudinis. tr. quoad modum & speciem illius status ac beatitudinis angelicæ. n. Homines enim destinabantur sine accidentali creationis ad replendum locum angelorum, & obtinendam visionem præcisive intuitivam Dei ut authoris naturæ; sed quod etiam assequerentur visionem Dei unius & trini intuitivam per essentiam, id habent per solam gratiam Redemptoris, non vero per gratiam indultam Adamo id obtinuissent.

DIXI. tr. quia homo fuisset nihilominus conditus, etiamsi Lucifer cum ejus angelis perseverasset. Itaque hic finis suppletionis erat tantum accidentalis creationi.

QUÆSTIO III.

An plures fuissent salvati in statu naturæ integræ, si Adamus perseverasset, quam nunc salvantur in statu naturæ reparatæ?

NOTANDUM I. In hac re admodum incerta tres tamen reperiri sententias. PRIMA docet; nunc plures salvari, quàm fuissent salvati in statu naturæ integræ. Existimant enim Patroni hujus sententiæ; etiamsi Adamus præcepto divino quoad abstinentiam à fructu vetito obtemperasset, ejus tamen posteros, ac ipsos Protoparentes in variis aliis occasionibus potuisse peccare, ac etiam deficiente abundantia gratiarum, præsertim sacramentalium, facilius fuisse peccaturos. SECUNDA sententia docet, plures bomines fuisse salvandos, si Adamus perseverasset, ac nunc salvantur in statu naturæ per Christum reparatæ. TERTIA demum sententia est *Ægidii* Romani, asserentis; in statu naturæ integræ nec plures, nec pauciores homines fuisse salvandos, ac nunc salvantur. Ratio ipsius est, quia & ille status naturæ integræ tamdiu fuisset continuatus, donec suppletus fuisset numerus Angelorum rebellium; & nunc etiam status naturæ reparatæ tamdiu continuabitur, donec idem numerus complebitur; quamvis forte ob paucitatem amicorum Dei in mundo status naturæ reparatæ multo longius protrahendus sit, quam durasset status naturæ integræ, in quo verisimiliter plures gratiæ collaborassent.

NOTANDUM 2. Hanc controversiam de novo motam fuisse ab *A. R. P. Claudio Frere*, Societatis Jesu, qui in Oratione seu Dissertatione Academica, edita Augustæ anno 1743. sub titulo: *Felix Culpa*, sententiam primam amplexus est. Huic statim alius author anonymus Dissertationem opposuit sub titulo: *Infelix Adami Culpa*, ubi secundam tuetur sententiam. Lectis utriusque partis fundamentis existimabam ego, non minori veritatis specie defendi posse sententiam tertiam, inter extremas mediam. Hinc

DICO. Æque probabile est, tot, nec plures, nec pauciores, fuisse salvandos in statu nanaturæ integræ, ac nunc salvabuntur in statu naturæ reparatæ.

PROBATUR I. authoritate *D. Gregorii M.* qui in Job. l. 4. c. 24. n. 36. expresse docet, tot salvandos fuisse in paradiso, quot nunc salvantur in statu naturæ lapsæ. *Si*, inquit, *parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed hi, qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.*

PROBATUR 2. ratione & authoritate *D. Augustini*, inquantum docet, per electos suppleri ruinam angelorum. Cum enim hæc ratio exigat supplementum æquale, etiam numerus salvandorum in paradiso & moderno nostro statu æqualis esse debuit. In l. 22. de Civit. c. I. sic scribit: *Deus fecit hominem cum libero arbitrio, prævidens, quid boni de malo ejus esset ipse facturus, qui de mortali progenie merito justeque damnata tantum populum per gratiam suam colligit, ut inde suppleat & instauret partem, quæ lapsa est angelorum, ac sic illa superna civitas non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis uberiore lætetur.* Idem in Enchiridio c. 29. ait: *Placuit Deo, ut creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis originalibus & propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod Angelicæ Societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret. Itaque superna illa Jerusalem nulla civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam fortassis copia regnabit.* Hæc ratio D. Augustini, etiam in ea suppositione, quod Deus voluisset reparare ruinam Angelorum cum auctario, semper procederet æqualiter in paradiso, & in statu naturæ reparatæ.

PRO-

PROBATUR 3. In *Apocalypſi* dicitur, amplitudinem cœleſtis Jeruſalem metiendam eſſe in menſura angeli; hujus autem expreſſionis non datur veriſimilior expoſitio niſi dicendo, quod multitudo ſalvandorum correſpondeat multitudini angelorum. c. 21. v. 10. ſic habetur: *Suſtulit me in ſpiritu, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de cœlo habentem charitatem Dei. Et civitas in quadro poſita eſt, & longitudo ejus tanta eſt, quanta & latitudo, & menſus eſt civitatem arundine aurea, & menſus eſt murum ejus* 144. *cubitorum menſura hominis quæ eſt angeli.* Cum ergo detur eadem proportio hujus civitatis ab angelis apoſtatis deſertæ ad ſalvandos in paradiſo, & ſalvandos in ſtatu naturæ reparatæ, etiam numerus ſalvandorum videtur æqualis futurus fuiſſe.

PROBATUR 4. ratione & authoritate *Ægidii* Romani, qui in 2. Sent. diſt. 29. §. *Poſtea quæritur de ſecundo principali.* ſic ſcribit: *Dubitatur; utrum, ſi ſtetiſſet Adam & habuiſſet gratiam gratum facientem, fuiſſent opera magis meritoria, quam iſta? Per jam dicta reſponderi deberet, quod communiter loquendo fuiſſent tunc opera magis meritoria quam nunc. Sed iſtud ſtare non poteſt, quia cum homo factus ſit propter reparationem ruinæ angelicæ, ita fuiſſent aſſumpti tunc homines ad ordines angelorum, ſicut & modo.* Et §. *ulterius forte, dubitaret aliquis utrum poſſit.* ſic habet: *Poſſumus diſtinguere; quod aut loquimur de profectu* EXTENSIVE *vel* INTENSIVE? *Si loquamur extenſive; certum eſt, quod propter facilitatem pugnæ numerus bonorum ſuperaſſet numerum malorum, & ille ſtatus viæ non duraſſet tantum, ſicut ſtatus noſter, quia cito tunc completus fuiſſet numerus electorum. Sed ſi loquamur intenſive, omnino credendum eſt, quod aliquot perſonæ in ſtatu iſto omnino excellunt perſonas quaſcunque futuras in ſtatu illo propter excellentem comparationem ad Chriſtum. Quia tunc fuiſſet caput illorum Adam; nunc eſt caput noſtrum Chriſtus. Ideo multi proficiunt plus nunc, quam tunc profeciſſent. Secundum erga hanc excedentiam & exceſſam fuiſſent inæqualitates iſtæ reductæ, ut ſatis probabile eſt, ad quandam æqualitatem, ut tot tunc fuiſſent ſalvati & electi, quam nunc; & ad eos ordines angelorum fuiſſent aſſumpti tunc, ſicut & nunc.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. In Tractatu *de Angelis* fuit dictum, tam immenſam eſſe multitudinem angelorum, ut tota multitudo hominum ſe habeat ad multitudinem angelorum, ſicut unum ad infinitum quoad nos, ſeu innumerabile. Ergo cum juxta communem opinionem ceciderit tertia pars hujus multitudinis immenſæ, conformiter ad illud Apoc. 12. v. 4. *Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*, fieri nequit, ut numerus hominum ſalvandorum, æquet numerum angelorum lapſorum, præſertim ſi ſinguli homines habeant ſuum dæmonem, qui cum reprobis mittatur in tartarum. Ergo corruit totum ſundamentum Reſponſionis.

RESPONDEO 1. Per tertiam partem ſtellarum tantum intelligi angelos infimi Ordinis, qui præerant motui ſyderum, ita ut Lucifer nullos ſeducere potuerit angelos ſuperiorum Ordinum. Tertia autem pars ſtellarum æquari poteſt à numero ſalvandorum. Imo forte per tertiam partem ſtellarum tantum intelligitur *tertium genus* ſeu *ordo* angelorum in ſtellis infimis *primæ magnitudinis quoad nos*, minimæ autem magnitudinis quoad ſe. Jam vero numerum ſtellarum primæ & ſecundæ magnitudinis, & angelorum, qui eorum motui præſunt, ſacile æquari poſſet numerus ſalvandorum.

RESPONDEO 2. Per draconem illum Apocalypticum poſſe intelligi dæmonem dominantem in veteri Roma, & per trecentos ferme annos pugnantem contra Eccleſiam, & ſeducentem ad apoſtaſiam vel hæreſin ferme tertiam partem fidelium, prius in Eccleſia illuſtrium, & inſtar ſyderum clareſcentium. Hanc expoſitionem credo eſſe litteralem & intentam à Spiritu Sancto.

RESPONDEO 3. Ruinas angelorum à ſalvandis non ſuppleri *numero*, ſed *ordine*, ita ut homines, licet numero longe inferiores, in *locum, dignitatem*, & *ordinem* angelorum prolapſorum ſuffecti ſint; ſicuti fit, dum ſuppreſſo ordine inutilium vel rebellium Senatorum, Legionum, Templariorum, Humiliatorum, Curialium, Advocatorum &c. alii numero quidem pauciores, ſed merito & operatione utiliores in eorum locum ſubſtituuntur. Hæc reſponſio prioribus melior eſt; quia etiam illam objectionem ſolvit, quæ dum ſingulis hominibus vel animabus damnatis proprium dæmonem tribuit, efficaciter probat, à numero ſalvandorum hominum numerum ſpirituum damnatorum æquari non poſſe.

OBJICITUR 2. Si Adamus perſeveraſſet, ejus poſteri fuiſſent nati & confirmati in gratia. Ergo nullus tunc periiſſet.

2. In illo ſtatu extitiſſet propenſio ad bonum, defectus concupiſcentiæ, ſeu fomitis, bonorum ſocietas, abundantia bonorum ſine egeſtate, quæ multa docet mala, bellorum & cædium pericula nulla, cum corpus fuerit immortale. Ergo moraliter impoſſibile eſt, in eo ſtatu tot futuros fuiſſe peccatores ac nunc; ac proin etiam major fuiſſet numerus ſalvandorum.

3. Probabile eſt, etiam in illo ſtatu venturum fuiſſe Chriſtum tanquam caput viſibile generis humani. Ergo fuiſſet eminenter major diſpoſitio ad augendam virtutem & augendum numerum ſalvandorum.

4. Experientia docet, inter homines tam bona indole præditos, ut vix videatur in iis peccaſſe Adamus, paucos declinare ad vitia. Ergo idem contigiſſet in Paradiſo.

RESPONDEO n. a. quoad 2. m. Nam ſicut Adamus peccavit in Paradiſo, ita potuiſſent peccare etiam ejus poſteri; nec fuiſſet dæmonibus ſublata poteſtas tentandi; quia, ut *S. Leo*, relatus in Tract. *de Angelis* Diſp. 4. q. 4. qq. 2. docet, Deus voluit dæmones ab homine vinci, nec æquum erat, homines in illorum locum ſine merito victoriæ evehi. Ita docet *D. Thomas* p. 1. q. 100. a. 2. ad 1. *Dicendum, quod ſi Adam non peccaſſet, non generaret ex ſe filios gehennæ. Poſſent tamen fieri filii gehennæ per liberum arbitrium peccando. Vel ſi filii gehennæ non fierent per peccatum, hoc non eſſet per hoc, quia eſſent in juſtitia confirmati,*

mati, *sed propter divinam providentiam*, *per quam à peccato conservarentur immunes*. Et in C. *Non videtur possibile*, *quod pueri in statu innocentiæ nascerentur in justitia confirmati. Parentes autem, quamdiu generassent, non fuissent confirmati in justitia.* Non est tamen verosimile, ea providentia Deum usurum fuisse, nisi circa paucos speciailter & prædestinatos antecedenter ad prævisa merita, prout in Tract. *de Deo*, Disp. 6. explicatum est.

Ad 2. c. a. & c. quoad primum illatum; nego consequentiam quoad secundum illatum. Etsiamsi enim longe pauciores fuissent peccatores, quam nunc, plus tamen non sequeretur, quam citius complendum fuisse numerum electorum, quam nunc, prout Ægidius supra relatus observat.

Ad 3. tr. a. n. c. Solum enim sequeretur, quod in illo statu ob paucitatem peccantium citius fuisset completus numerus salvandorum à Deo præstabilitus.

Ad 4 c. a. & c. Nego exinde consequi, majorem futurum fuisse numerum salvandorum. Nam id tantum sequeretur, numerum salvandorum citius fuisse complendum, & judicium universale super genus humanum citius, v. g. post duo annorum millia, instituendum fuisse.

QUÆSTIO VI.

Quænam fuerint proprietates naturæ integræ quoad corpus & animam?

QUÆRITUR 1. In quo sensu homo in l. *Gen.* c. 1. & 5. dicatur factus *ad imaginem & similitudinem* Dei.

RESPONDEO. Homo dicitur *imago* Dei *per imitationem*, inquantum imitatus Deum, de se vel aliis objectis cogitando, intelligendo, & volendo. *Similitudo* autem Dei fit homo cogitando, intelligendo, & amando ipsum Deum, quia sic in se exprimit modo perfectissimo ac simillimo Deum. Nam quamvis aliquando similitudo dicat *minus* quam imago, v. gr. dum Murus A vel ovum A dicitur similis muro B vel ovo B, quin sit imago illius, utpote nec ideatum juxta alterum, nec ordinatum ad illud repræsentandum, tamen quando similitudo adjicitur ad terminum imaginis, significat *plus* quam sola imago; significat enim quandam perfectionem imaginis, ita ut perfectissimè repræsentet alterum. Sic in communi modo loquendi vocatur aliqua pictura effigies seu imago Cæsaris, quamvis non sit exactè similis Cæsari; dum vero perficitur magis à pictore, pertingit tandem ad similitudinem Cæsaris. Ita discurrit *S. Thomas* p. 1. q. 93. a. 1. 7. 8. & 9. ubi sic scribit: „Sicut dicit Augustinus „l. 83. q. ubi est imago, est & similitudo, sed „ubi est similitudo, non continuo est imago. „Ex quo patet, quod similitudo (aliqua, saltem „imperfecta) est de ratione imaginis, & imago „aliquid addit supra rationem similitudinis, scili„cet, quod sit ex alio expressum. Imago enim „dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alte„rius. Unde ovum, quantumcunque sit alteri „ovo simile, quia tamen non est expressum ex „illo, non dicitur ad imaginem ejus. - - Si ergo „imago divina debet accipi in anima, oportet, „quod attendatur ad repræsentandam speciem di„vinarum personarum. Divinæ autem personæ „distinguuntur secundum processionem verbi à „dicente, & amoris connectentis utrumque. „Verbum autem in anima nostra sine actuali co„gitatione esse non potest. Et ideo principali„ter attenditur imago Trinitatis in mente secun„dum actus, prout scilicet ex notitia, quam ha„bemus cogitando interius, verbum formamus, „& ex hoc in amorem prorumpimus. - - Imago „importat similitudinem utcunque pertingentem „ad speciei repræsentationem. Unde oportet, „quod imago divinæ Trinitatis attendatur in ani„ma secundum aliquid, quod repræsentat divinas „personas repræsentatione speciei, sicut & possi„bile creaturæ. Distinguuntur autem divinæ „personæ secundum processionem verbi à dicen„te, & amoris ab utroque. Verbum autem Dei „nascitur de Deo secundum notitiam suiipsius, & „amor procedit à Deo secundum quod seipsum „amat. Manifestum est autem, quod diversitas „objectorum diversificat speciem verbi & amo„ris. Non enim idem est specie in corde homi„nis verbum conceptum de lapide & de equo, „nec idem specie amor. Attenditur igitur divina „imago in homine secundum verbum conceptum „de Dei notitia, & amorem exinde derivatum. „Et sic imago Dei attenditur in anima secundum „quod fertur vel nata est ferri in Deum. - - Si„militudo ut subsequens ad imaginem significat „quandam imaginis perfectionem. Dicimus enim „imaginem alicujus esse similem vel non esse simi„lem ei, cujus est imago, inquantum perfecte „vel imperfecte repræsentat ipsum. Et sic simi„litudo significat imaginis expressionem & perfe„ctionem." Ita Angelicus.

QUÆRITUR 2. An Adamus viderit Deum per essentiam?

RESPONDEO. *D. Thomas* sic respondet: „Non vidit Deum per essentiam, nisi forte dica„tur, quod viderit eum in raptu, quando Deus „immisit soporem in Adam. Cognoscebat tamen „Deum quadam altiori cognitione, quam nos „cognoscamus; & ejus cognitio media erat inter „cognitionem præsentis status, & cognitionem „patriæ, qua Deus per essentiam videtur. Nam „primus homo non impediebatur per res exterio„res à clara & firma contemplatione intelligibi„lium effectuum, quos ex irradiatione primæ ve„ritatis percipiebat sive naturali cognitione sive „gratuita. Unde dicit *Augustinus* l. 11. de Gen. „ad litt. c. 33. quod fortassis Deus primis homi„nibus antea loquebatur, sicut cum angelis lo„quitur ipsa incommutabili veritate illustrans „mentes eorum." Ita S. Thomas p. 1. q. 94. a. 1. C.

QUÆRITUR 3. An Adamus habuerit omnium scientiam?

RESPONDEO. *D. Thomas* l. cc. a. 3. sic respondet: „Sicut primus homo institutus est in „statu perfecto quantum ad corpus, ut statim „posset generare; ita etiam institutus est in statu „perfecto quantum ad animam, ut statim posset „alios instruere & gubernare. Non potest autem aliquis instruere, nisi habeat scientiam. Et „ideo primus homo sic institutus est à Deo, ut „habe-

„ haberet omnium ſcientiam, in quibus homo natus eſt inſtrui. Et hæc ſunt omnia illa, quæ virtualiter exiſtunt in primis principiis per ſe notis, quæcunque ſcilicet naturaliter homines cognoſcere poſſunt. Ad gubernationem autem vitæ propriæ & aliorum non ſolum requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter ſciri poſſunt, ſed etiam cognitio eorum, quæ naturalem cognitionem excedunt; eo quod vita hominis ordinatur ad quendam finem ſupernaturalem, ſic ut nobis ad gubernationem vitæ noſtræ neceſſarium eſt (ſit) cognoſcere, quæ fidei ſunt. Unde & de his ſupernaturalibus tantam cognitionem primus bomo accepit, quanta erat neceſſaria ad gubernationem vitæ bumanæ ſecundum ſtatum illum. Alia vero, quæ nec naturali hominis ſtudio cognoſci poſſunt, nec ſunt neceſſaria ad guhernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit; ſicut ſunt cogitationes hominum, futura contingentia, & quædam ſingularia; puta quot lapilli jaceant In flumine, & alia hujusmodi. *Et* AD 1. Primus homo habuit ſcientiam omnium per ſpecies à Deo infuſas.

QUÆRITUR 4. An corpus Adami fuerit immortale & impaſſibile ab intrinſeco?

RESPONDEO. Corpus Adami non fuit immortale & impaſſibile ab intrinſeco; ſed tantum erat immortale ab extrinſeco, ex triplici videlicet cauſa extrinſeca; PRIMO *ex infuſa ſcientia*, qua ſciebat vitare noxia, & modum declinandi ea, quæ agunt ad deſtructionem corporis; SECONDO *ex ſpeciali providentia Dei*, quæ Adamum per angelos cuſtodes protegeret à repentinis caſibus, ex quibus poterat inferri mors violenta. TERTIO *ex medicina univerſali*, quam habebat ex fructu arboris vitæ reparativo virium, & ſanativo omnium vulnerum, quæ in ſtatu naturæ lapſæ ſunt lethalia. Hanc eſſe genuinam de immortalitate illa Ideam, probatur ex ſenſu Interpretum Inſignium, Theologorum veterum, & SS. Patrum.

I. *Pererius*, Soc. Jeſu in Gen. l. 5. c. a. q. 1. ſic ſcribit: „Adam immortalis erat in ſtatu innocentiæ, quia *poterat non mori;* nec vero mortuus unquam fuiſſet, ſi in eo ſtatu nunquam peccando perſtitiſſet. Hæc autem potentia non moriendi non proveniebat intrinſecus ex natura Adami; quippe ex natura ſua mortalis erat, & patibilis, vitamque animalem agens; ſed princeps Author Deus erat, qui bominem adverſus mortem ſua cuſtodia & protectione usquequaque ſepſerat & munierat, & providentiſſime Adamo comparaverat omnia remedia adverſus ea, quæ poſſent ei mortem afferre. Mors enim & corruptio poteſt bomini accidere vel intrinſecus ex iis, quæ ſunt in homine, vel extrinſecus ex iis, quæ mortifera homini accidunt. Intrinſecus mortis cauſa eſſe poteſt defectio caloris naturalis, aut primigenii humoris, quem radicalem appellant; vel immoderata vis alicujus paſſionis & perturbationis animæ. Quosdam enim nimio mœrore vel gaudio interiiſſe proditum eſt. Quidam violentam ſibi mortem conſciſcunt. Extrinſecus autem poteſt mors homini contingere vel ab alio homine, vel à beſtiis, vel à dæmonibus, vel ex lethali potu eſuque, vel ex defectu neceſſarii cibi, vel ex intemperie cœli, vel ex caſu fortuito, uti eſt in ignem, aquam vel foveam prolabi, vel ex lapidis aut alicujus rei jactu percuſſuque. Hæc enim extrinſecus homini interitum afferunt. Hæc autem Deo cuſtodiente facile præcaviſſet Adam. Nam primo babebat ſcientiam omnium, quæ ſibi nocere poterant. Habebat ſummam affectuum moderationem, quos arbitratu ſuo excitabat vel cohibebat. Deinde hahebat arborem vitæ, cujus perceptio & eſus ad integrum nativi caloris vigorem conſervandum, & reficiendum nativi bumoris defectum potentiſſimus erat. Ad hæc, quæ ab eo ſatis prævideri & præcaveri non poſſent, per angelos arcerentur, & repellerentur." Ita Pererius.

II. *Bonfrerius* Soc. Jeſu in Gen. c. 2. ad verſum, Lignum vitæ erat in medio paradiſi, ſic ſcribit: „Nota; hominem in paradiſo & ſtatu innocentiæ futurum fuiſſe ſuapte natura mortalem, divino tamen munere ac beneficio immortalem. Conſiſtebat antem hæc immortalitas in duohus, ſicut mors provenire poteſt à duohus, nempe vel à cauſis intrinſecis vel extrinſecis. Mors à cauſis intrinſecis procedit vel ex humidi radicalis defectu, vel caloris naturalis debilitatione. Mors à cauſis extrinſecis venit, cum mors violenta ab hominibus vel aliis cauſis naturalibus infertur. Itaque, ut homo eſſet immortalis in illo ſtatu, duobus indigebat, uno contra cauſas intrinſecas, altero contra cauſas extrinſecas. Contra cauſas intrinſecas erat arbor vitæ. Nam præter aliarum arborum fructus optimi ſucci hujus arboris fructus tanquam Antidotum erat & medicina, ut per eum quidquid in aliis alimentis minus purum eſſet, corrigeretur, & humidum radicale in ſua ſinceritate conſervaretur, & ſic hominem Immortalem diutiſſime, imo in perpetuum, ſi ita neceſſe foret, in eo flore juventutis, in quo creatus erat, conſervaret, non unica ſumptione, ſed ſubinde eam repetendo. Contra cauſas extrinſecas erat ſingularis ſapientia ad dignoſcenda & vitanda omnia noxia, ut herbas venenatas. Ab animalibus nihil timendum erat, ſicut nec ab hominibus, niſi ſiqui jam à ſtatu innocentiæ excidiſſent, contra quorum vim & machinationes occultas, ſi quid minus valuiſſet prudentia & induſtria humana, Deus ſua providentia ſuppleviſſet hominem protegendo. Homo itaque ab intrinſeco erat mortalis; ratione tamen extrinſecorum adjumentorum, divinæ protectionis, & prudentiæ à Deo conceſſæ fuiſſet immortalis, ſi voluiſſet. *Dico; ſi voluiſſet:* quia ſi imprudenter homo agere vellet, nec uti remediis ſibi à Deo conceſſis, omnino & lædi & mori potuiſſet. Unde eſt illud *Auguſtini*, hominem in paradiſo *potuiſſe non mori*, in cœlo habiturum, *non poſſe mori*, quæ erit perfecta immortalitas; ſicut in paradiſo hahuiſſet homo *poſſe non peccare;* in cœlo habebit, *non poſſe peccare.*

III. *D. Thomas* p. 1. q. 97. a. 1. C. „Corpus Adami non erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem, ſed in-

erat animæ vis quædam ſupernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare, quamdiu ipſa Deo ſubjecta manſiſſet. *Et a.* 2. *ad* 3. Dicendum, quod corpus hominis in ſtatu innocentiæ poterat præſervari, ne pateretur læſionem ab aliquo duro, partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare, partim etiam per divinam providentiam, quæ ſic ipſum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviſo, à quo læderetur. *Et a.* 4. *C.* Dicendum, quod lignum vitæ quodammodo immortalitatem cauſabat, non autem ſimpliciter. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quod duo remedia ad conſervationem vitæ habebat homo in primo ſtatu contra duos defectus. Primus enim defectus eſt deperditio humidi per actionem caloris naturalis. Et contra hunc defectum ſubveniebatur homini per eſum aliorum lignorum paradiſi, ſicut & nunc ſubvenitur nobis per cibos, quos ſumimus. Secundus defectus eſt, quia illud, quod generatur ex aliquo extraneo, imminuit virtutem activam ſpeciei. Unde in ſtatu ſcnectutis ſequitur decrementum, & finaliter diſſolutio corporis. Et contra hunc defectum ſubveniebatur homini per lignum vitæ. Habebat enim virtutem ſortificandi virtutem ſpeciei contra debilitatem provenientem ex admixtione extranei. Unde *Augustinus* l. 14. de Civit. c. 26. dicit; quod cibus aderat homini, ne eſuriret, & lignum vitæ, ne ſenectus eum diſſolveret. *Et in l. qq. in V. & N. T. q.* 19. *dicit, quod vitæ arbor medicinæ modo corruptionem hominum prohibebat.* Non tamen ſimpliciter immortalitatem cauſabat, quia neque virtus, quæ inerat animæ ad conſervandum corpus, cauſabatur ex ligno vitæ; neque etiam poterat immortalitas diſpoſitionem corpori præſtare, ut nunquam diſſolvi poſſet. Quod ex hoc patet; quia virtus cujuſcunque corporis eſt finita. Unde non poterat virtus ligni vitæ ad hoc ſe extendere, ut daret corpori virtutem durandi temporc infinito, ſed usque ad determinatum tempus. Unde cum virtus ligni vitæ eſſet finita, ſemel ſumptum præſervabat à corruptione usque ad determinatum tempus, quo finito vel homo translatus ſuiſſet ad ſpiritualem vitam, vel indiguiſſet iterum ſumere de ligno vitæ.„ Ita S. Thomas, qui dum animæ tribuit *virtutem* conſervandi corpus, per hanc virtutem nil aliud intelligit, quam originalem juſtitiam, qua paſſiones poterat continere in debita ſubjectione, & appetitus naturales conſervare in æquilibrio, & quatuor humores attemperare ad æquale temperamentum. Non enim negat, quod in eo ſtatu *partes corporis* patiantur, & corrumpantur, v. g. humidum à calore, nutritæ partes à cibo; ſed tantum negat, quod ita & eousque patiantur, ut *homo* ſeu *totum* corpus à ſua naturali diſpoſitione removeatur. Ita ſe explicat in 4. diſt. 19. q. 1. & de malo q. 5. a. 5. & Cajetanus in hunc locum, p. 1. q. 97. 1. & a. 2. ad 2.

IV. *Scotus* in 2. diſt. 19. q. un. n. 3. ſic ſcribit: „Concedo, quod primus homo habuit potentiam ad mori. Sed cum dicunt, quod ſtante ſtatu innocentiæ non potuit mori, nego; & dico, quod homo in ſtatu ſeu ſtante ſtatu innocentiæ potui mori. Iſta tamen potentia non fuiſſet reducta in actum, & ſic poterat non mori. Sicut ſi diceretur de aliquo, & vere, quod poteſt eſſe Epiſcopus, qui tamen nunquam erit Epiſcopus, vel cujus poſſibilitas nunquam reducetur in actum. Et hoc patet per duas cauſas mortis poſt lapſum, quæ ſunt duæ in genere, ſcilicet vel ab intrinſeco, vel ab aliquo extrinſeco. Prima eſt duplex; quia vel corrumpitur ab intrinſeco per actionem mutuam contrariorum inter ſe & intra corpus; vel propter actionem intenſam unius intrinſeci in aliud; vel corrumpitur propter defectum alterius contingentem, ſcilicet ex ſubtractione nutrimenti vel hujusmodi. Primo modo accidit corruptio naturalis in animatis propter actionem unius partis organicæ in aliam partem corrumpendo ut corpus fiat indiſpoſitum & inhabile ad animationem. Iſta autem actio ponitur caloris naturalis in humidum radicale, corrumpendo & conſumendo humidum, ad cujus corruptionem & conſumptionem ſequitur corruptio & conſumptio propria etiam caloris, & per conſequens animalis, nt patet de igne & oleo. Hæc ergo eſt cauſa corruptionis, ſcilicet deperditio paulativa partium. - - Principium activum in homine non potuiſſet continuare actionem, quin aliquando debilitaretur; quia omne agens phyſicum in agendo debilitatur. Eſto, quod natura debilitata ſumeret de fructu; attamen in convertendo etiam nutrimentum illius fructus debilitatur magis, & ideo quandoque deficiet. Exemplum eſt de aqua mixta vino; nam vinum primo convertit aquam in ſe; toties autem poteſt apponi aqua, quod deficiet virtus vini in convertendo. Dico tamen, quod ſtante innocentia non accidiſſet mors; quia quilibet fuiſſet translatus, antequam fuiſſet alteratus alteratione improportionata animæ. Sed quid de cauſa extrinſeca corruptiva? Dico, quod non recepiſſent nocumentum, quia Deus innocentem conſervaſſet. Dico ergo; quod Adamus ſolum habuit, *poſſe non mori*. *Ad Object.* 1. Dico; quod homo tunc habuit partes fluxibiles & deperdibiles; non tamen fuiſſet corruptus, quia fuiſſet translatus ante mortem. *Ad* 2. Dico, quod poterant corrumpi: illa tamen potentia non fuiſſet reducta in actum, quia fuiſſet præventa per illam translationem. *Ad* 3. Dico, quod propter peccatum (*Adami*) illa potentia fuit reducta in actum. Si tamen non peccaſſent, nihilominus habuiſſent illam potentiam moriendi. *Ad* 4. quod mors eſt pœna peccati; dico, quod ſtante ilio ſtatu, ſi Deus non transtuliſſet homines, ſi fuiſſent mortui, mors non fuiſſet plus pœna in hominibus, quam in brutis, & fuiſſet conditio vel paſſio conſequens talem naturam per mixtionem (*contrariorum*) compoſitam, ſicut modo.„ Hucusque Scotus, cui addi poſſent *Alenſis* p. 2. q. 89. *S. Bonaventura* in 2. diſt. 19. *Richardus* in 2. *Gabriel* in 2. *Cajetanus* in c. 2. Gen. & plures alii.

V. *S. Auguſtinus* l. 7. de Gen. ad litt. c. 25. „Corpus Adami ante peccatum & mortale erat, quia poterat mori; & immortale, quia poterat „non

„non mori. Aliud est enim; *non posse mori*; sicut „quasdam naturas immortales (*animas & angelos*) creavit Deus. Aliud est autem, *posse non mori*, secundum quem modum primus homo „creatus est immortalis, quod ei præstabatur de „ligno vitæ, non de constitutione naturæ; à „quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset „mori, qui nisi peccasset, posset non mori. „Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris. Si „enim corpus animale, utique mortale, quia & „mori poterat. Neque enim immortale, quod „mori omnino non posset, erit, nisi spiritale, „quod nobis futurum in resurrectione promittitur. Ac per hoc illud animale, & ob hoc mortale, quod propter justitiam spiritale fieret. Et „ob hoc mortale omnimode factum est propter „peccatum (*quod prius erat*) non mortale; quod „& antea erat, sed mortuum quod posset non „fieri, si homo non peccasset.

VI. *S. Gregorius M.* l. 4. Mor. c. 26. „Ad „hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se „ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis „adstringeret, ad cœlestem angelorum patriam „quandoque sine carnis morte transiret. Sic „namque est immortalis conditus, ut tamen peccare & mori posset, atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in „qua vel peccare vel mori non posset. Illuc „procul dubio primi parentes, si in conditionis „suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent.

QUÆRITUR 5. An certum sit, homines in paradiso futuros fuisse immortales?

RESPONDEO. Id probari 1. Ex *Concilio Milevitano I.*, quod Can. 1. sic habet: „Quicunque „dicit, Adamum primum hominem mortalem „factum, ita ut sivè peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit„ Verum quia *Garnerius*, *Schelstrate*, & *Norisius* probant, hunc Canonem non esse Concilii Milevitani, authoritas indubia non est. De hoc videri potest editio Conciliorum Veneta. 2. *Concilium Arausicanum II.* anno 527. Cap. 1. „Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum „corpus & animam, in deterius dicit hominem „commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur „Scripturæ. *Et cap.* 2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini, asserit „nocuisse; aut certè mortem tantum corporis, „quæ pœna peccati est, non autem etiam peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit contradicens Apostolo." 3. *Concilium Tridentinum* Sess. 5. in Decreto Can. 1. „Si quis non confitetur, primum „hominem Adam, cum mandatum Dei fuisset „transgressus, statim sanctitatem & justitiam amisisse, incurrisseque iram Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, „& cum morte captivitatem sub potestate diaboli, totumque Adam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit." Cæterum textus Scripturæ, ex quibus hoc dogma eruitur, reperiuntur Gen. 2. v. 17, c. 3. v. 17. 18. 19. 22. Sap. c. 2. v. 23. Rom. 5, v. 12. c. 8. v. 10. & 1. Cor. 15. v. 21. Hinc *Sixtus Sen.* Bibl. l. 5. annot. 36. reprehendit *Eugubinum*, qui secutus Philonem l. 2 Allegor. & *Josephum* l. 1. antiquit. c. 1. docuisse existimatur, Adæ peccatum non intulisse nobis corporis mortem, sed animi tantum. Certe hæc sententia *Eucherio* in Gen. immerito tribuitur.

QUÆRITUR 6. An vis illa in arbore vitæ fuerit supernaturalis vel naturalis?

RESPONDEO. Virtutem illam reparativam vigoris primævi in corpore humano fuisse supernaturalem, docet S. Augustinus l. 8. de Gen. c. 5. D. Bonaventura in 2. dist. 19. & alii. At vero eam fuisse naturalem docent Hugo de S. Victore, Tostatus in c. 13. Gen. c. 161. Molina de opere sex dierum, Disp. 28. Pererius l. 3. q. 4. & Bonfrerius in Gen. ubi sic scribit: „Quid vetat, Deum „posse producere talem arborem, quæ naturalem hanc vim habeat restaurandi perfectè humidum illud nativum & calorem innatum confortandi? Si potuit, quid vetat, id fecisse? maxime cum & serpentem & aquilam legamus, rejuvenescere, & complures à senio legamus ad „juventutem rediisse virtute forte aliqua naturali, cujusmodi est ille, qui præcedenti Sæculo „fertur in India à Lusitanis visus tercentum quadraginta annorum, quique ter ad juventutem „decrepitus redierat, ut refert *Maffæus*, aliique „non pauci.

QUÆRITUR 7. An unica tantum fuerit Arbor Vitæ in Paradiso?

RESPONDEO. Id incertum esse. In Scriptura enim singularis nonnunquam sumitur pro plurali. Verosimilius tamen & Scripturæ conformius est, fuisse unicam. Bonfrerius existimat, aucto humano genere eam arborem propagandam fuisse sive in Paradiso, sive forte etiam extra Paradisum.

QUÆRITUR 8. Utrum in Paradiso genus humanum fuisset propagatum per coitum?

RESPONDEO. *D. Thomas* sic respondet p. 1. q. 98. a. 2. „Dicendum, quod quidam antiquorum posuerunt, quod in statu innocentiæ non „fuisset generatio per coitum. Unde Gregorius „Nyssenus l. 8. *de homine* dicit, quod in Paradiso „aliter fuisset multiplicatum genus humanum, „sicut multiplicati sunt angeli absque concubitu „per operationem divinæ virtutis. Et dicit, „quod Deus ante peccatum fecit masculum & „fœminam respiciens ad modum generationis, qui „futurus erat post peccatum, cujus Deus præscius erat. Sed hoc non dicitur rationabiliter. „Ea enim, quæ sunt naturalia homini, neque „subtrahuntur, neque dantur homini per peccatum. Manifestum est autem, quod homini secundum animalem vitam, quam etiam ante „peccatum habebat, naturale est, generare per „coitum, sicut & cæteris animalibus perfectis. „Et hoc declarant naturalia membra ad hunc „usum

„ usum deputata. Considerari autem potest, „ quod deformitas immoderatæ concupiscentiæ „ in statu innocentiæ non fuisset, quando infe- „ riores vires rationi omnino subdebantur. Un- „ de Augustinus l. 14. de Civit. c. 26. dicit: Ab- „ sit, ut suspicemur non potuisse prolem fieri „ sine libidinis morbo. Sed eo voluntatis nutu „ moverentur illa membra, quo cætera, (os, „ manus, lingua) & sine ardore, & illecebroso „ stimulo cum tranquillitate animæ & corporis. „ *Et ad* 4. Sicut Augustinus l. cc. dicit; in illo „ statu nulla corruptione integritatis infunderetur maritus gremio uxoris. Ita enim potuit „ utero conjugis salva integritate hymenis geni- „ talis virile semen immitti, sicut nunc potest „ eadem integritate salva ex utero virginis fluxus „ menstrui cruoris emitti. Ut enim ad parien- „ dum non doloris gemitus, sed naturalis impul- „ sus fœminea viscera relaxaret, sic ad conci- „ piendum non libidinis appetitus, sed volun- „ tarius usus naturam utramque conjungeret." Ita Angelicus.

DISPUTATIO II.

De Peccato originali.

In hac Disputatione quæritur:

1. In quo consistat peccatum originale?
2. An homo per peccatum originale fuerit spoliatus bonis naturæ humanæ debitis?
3. Quæ sit pœna peccati originalis, præsertim in parvulis non baptizatis?
4. An B. Virgo fuerit concepta sine peccato originali?

QUÆSTIO I.

In quo consistat peccatum originale, & justitia originalis?

NOTANDUM 1. Varios in hac re fuisse hæreticos; nam aliqui fuerunt, qui absolute negarunt existentiam peccati originalis: hi fuerunt *Pelagiani*, quorum caput *Pelagius* Monachus, errores illius consistebant in hoc: 1. Quod Adamus suo peccato sibi soli nocuerit. 2. Quod parvuli nullam contrahant culpam, aut pœnam ex Adamo. 3. Adeoque Baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis; sed solum ad hoc, ut parvuli fiant filii adoptivi Dei, sicque per elevationem ad statum supernaturalem habeant jus ad regnum cœlorum. 4. Hinc parvulos sine baptismo decedentes pervenire quidem *ad vitam*, seu statum beatitudinis naturalis sibi debitum, non autem *ad regnum*, seu præmium supernaturale filiorum Dei. 5. Morbos, mortem, & cæteras naturæ nostræ miserias non esse effectus peccati originalis, sed tantum defectus, & necessitates humanæ naturæ. 6. Concupiscentiam, seu rebellionem carnis adversus spiritum nec esse malum pœnæ, nec culpæ, sed malum naturæ, quod etiam in statu innocentiæ reperiretur. Hos errores impugnavit, & superavit *S. Augustinus* pluribus libris, qui potissimum comprehenduntur *Tom.* 7. Idem error, qui fuit resuscitatus quoad substantiam ab Anabaptistis, & Zwinglianis, est damnatus à *Concil. Trident.* Sess. 5. Convincentibus autem argumentis impugnatur etiam à *Bellarmino*, & pluribus aliis.

NOTANDUM 2. Alios fuisse, qui quidem admiserunt existentiam peccati originalis, sed erraverunt in explicanda ejus natura: Sic 1. *Matthias* Centuriatorum princeps Illiricus docet: Peccatum originale esse ipsam substantiam naturæ humanæ, quæ ut prius erat imago Dei, per peccatum transformata est in imaginem diaboli: hic error ridiculus damnatus est à *Concil. Trid.* & falsitas ejus patet, quia per peccatum non potest mutari homo substantialiter, sed tantum accidentaliter.

2. *Lutherani*, & *Calvinistæ* docuerunt, peccatum originale esse ipsam concupiscentiam, seu inclinationem ad malum: adeoque sicut post baptismum manet concupiscentia, ita docuerunt, remanere peccatum originale, illudque per baptismum tantum fuisse *rasum*, ita ut non *imputetur*. Hic error rejectus pariter est à *Trid.* loc. cit.

3. In similem errorem inciderunt *Albertus Pigbius*, & *Ambrosius Catharinus*, qui docuerunt, peccatum originale esse ipsum peccatum *Adami* reliquis hominibus imputatum; adeoque negant, peccatum originale proprie esse transfusum in posteros, aut illud inesse cuivis homini proprium, aut esse multiplex. Quamvis autem *Catharinus* non fuerit hæreticus, sed Episcopus optime Catholicus, error tamen hic damnatus est à *Concil. Trid.* Sess. 5. ubi sic habet: 1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus statim sanctitatem, & justitiam, in qua fuerat constitutus, amisisse, incurrisseque per offensam hujusmodi prævaricationis iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam illi antea comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus, & animam indeterius commutatum fuisse, anathema sit.*

2. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: per unum hominem pecca-*

peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, id est, unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per medium unius Mediatoris* DOMINI NOSTRI, *qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo factus nobis justitia, sanctificatio, & redemptio, aut negat ipsum Jesu Christi meritum per baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari, anathema sit.*

4. *Si quis parvulos baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem peccatorum quidem eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, unde consequens sit, ut in eis forma baptismi in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. - - Parvuli ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.*

5. *Si quis per Jesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit, tantum radi, aut non imputari, anathema sit. — In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil damnationis est iis, qui consepulti sunt Christo per baptismum. Manere autem in renatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, ac sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi gratiam repugnantibus non valet, hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, ac proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

NOTANDUM 3. Etiam inter Doctores Catholicos varias fuisse de peccati originalis natura sententias. 1. est eorum, qui putant, peccatum originale consistere in morbida qualitate tum carnis, tum animi, ea ratione, ut hæc qualitas prius fit in semine, & carne; dein vero in anima, qua primum per conjunctionem cum tali corpore inficitur, sicut pretiosus liquor infusus vasi immundo. Hanc sententiam tenet *Gregorius Ariminensis* in 2. Sect. dist. 30. q. 2. a. 1. *Gabriel* q. 2. a. 1. & a. 2. Concluf. 6. *Henricus* quodlibeto 2. q. 11. *Okamus* quodlibet. 2. q. 11. & quodlib. 1. q. 21. *Alensis* 2. p. q. 105. memb. 4. *Holkot* q. de imputabilitate peccati ad 1. *Gulielmus Paris.* Tract. de merit. & pœn. c. 2. & 4. 2. est communis Thomistarum, quod peccatum originale formaliter consistat in privatione, justitiæ originalis, materialiter autem in concupiscentia: quomodo autem hæc sententia intelligenda sit, patebit ex conclusione. 3. est sententia plerorumque Recentiorum, quod peccatum originale sit peccatum Adami præteritum ut moraliter posteris proprium, nondum remissum, aut compensatum. Cum autem difficultas sit, quomodo alienum peccatum possit esse moraliter posteris proprium, ad hoc explicandum supponunt, Adamum sic fuisse constitutum caput generis humani, ut illius voluntati moraliter alligatæ fuerint voluntates posterorum. Huic sententiæ dicuntur adhærere *Salmanticenses*, *Cornelius à lap.*, *Toletus*, *Lugo*, *Granad.*, *Oviedo*, *Arriag.*, *Haunold.*, *Platelius Thyrsus Consalez.* &c.

NOTANDUM 4. Hoc loco supponi, quod Adamus non solum fuerit conditus cum dono integritatis naturæ, seu cum subjectione perfecta potentiarum ad rationem, sed etiam cum dono gratiæ sanctificantis, seu cum exaltatione humanæ naturæ ad finem, ac beatitudinem spiritualem, consistentem in visione, intuitiva Dei, prout Pererius in Gen. l. 5. c. 2. q. 1. ostendit, & probabitur in Tract. de Gratia.

DICO I. Peccatum originale non fundatur in alligatione voluntatis posterorum ad voluntatem Adami.

PROBATUR 1. Tota antiquitas agnovit peccatum originale ut *proprie singulis inhærens*, *singulis inexistens*, & *in singulos transfusum*; sed peccatum ut fundatum in tali alligatione voluntatum non est proprie *inhærens*, *inexistens*, & *transfusum*: ergo. *Maj.* patet non solum ex testimoniis veterum, quorum aliqui jam fuerunt citati, & aliqui afferentur infra, sed etiam ex testimonio Tridentini, quod *Can* 5. asserit, se in explicando originali peccato, quod *cuivis inest*, & *transfunditur* per generationem, secutum esse traditionem Ecclesiæ his verbis: *Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum parvuli baptizantur. Min. prob.* Jura, aut obligationes morales, vel actiones aut debita non dicuntur transfundi in posteros, aut hæredes, nec inesse hæredibus, aut eos lavari, & mundari ab illis: ergo.

CONFIRMATUR. Quando homo dicitur justificari non per imputationem justitiæ, quæ est in Christo, sed per justitiam *inhærentem*, necessario debet admitti gratia sanctificans physice inhærens; ergo etiam in peccato originali debet aliquid admitti physice transfusum, vel inhærens, nempe saltem materiale peccati originalis cum debito ad formale.

PROBATUR 2. Si peccatum alienum posset fieri proprium per alligationem voluntatis, tunc absolute posset etiam Deus voluntatem cujuslibet hominis adulti alligare voluntati alterius cujuscunque probi viri v. g. *Joannis Baptistæ*, aut *Evangelistæ*, sed hoc est contra sensum communem, & instinctum naturæ universalem: ergo. In Majori non est disparitas inter voluntatem adulti, & infantis, cum in isto alligatio voluntatis fieri tantum potuerit ex voluntate infantis præsumpta, quæ tamen nunquam dari potest, quia certum est, infantem interrogatum, an vellet acceptare hanc alligationem, fore invitum. *Min. prob.* Nemo prudenter à se abdicat sub conditione incerti eventus connaturalem sibi potentiam

tentiam servandi totam legem, & moralem possibilitatem perveniendi ad ultimum finem: sed hoc fieret per istam alligationem, quia deberet cessare omnis actio propria.

Probatur 3. Genus humanum quæsitum de hac alligatione non consensisset in eam: ergo non potuit prudenter fieri à Deo. *Prob. ant.* Actu multi vellent non fuisse datam hanc alligationem, & ex altera parte per talem consensum tacitum illi, qui habuerunt jus ad felicitatem saltem naturalem, ac potentiam moralem servandi totam legem, se constituissent in periculo universali excidendi à jure remoto ad hanc potentiam, ac incidendi in æternam miseriam: sed hoc non fuisset actus prudentiæ, ergo. *Maj.* patet, quia per peccatum originale contracta est impotentia servandi totam legem, se liberandi peccato, & amittendi potentiam ad felicitatem etiam naturalem. *Min. prob.* Si alicui civi opulento dicerem: elige; poteris manere in tuo statu privato, vel fieri Rex, vel redigi in captivitatem, sed hoc dependet à jactu aleæ; experire: si alea bene ceciderit, fies Rex; si male: eris in captivitate perpetua, ac tenebroso carcere toto vitæ tempore; haud dubie diceret: volo manere civis opulentus, nec me sub spe incerta exponere tanto periculo. Hoc autem totum factum esset per istam alligationem, qua sumus detrusi in statum puræ naturæ, & impotentiam moralem ad finem.

Probatur 4. Si peccatum originale fundaretur in alligatione voluntatis, non esset necessaria propagatio hujus peccati per generationem, sed sufficeret sola jurisdictio, ac eminentia, ac dignitas capitis: sed hoc est falsum, & contra sensum totius Ecclesiæ, ut patebit ex dicendis, & ex Trid. *Min. prob.* Omnes Doctores requirunt unanimiter ad propagationem peccati originalis propagationem ex semine humano, nec fundantur præcise in aliquo decreto libero divino: ergo. *Prob. Conseq.* Ubicunque omnes conveniunt in requisito, aut proprietate universali alicujus objecti, nec præbent indicium causæ extrinsecæ, censendum est, eos ad uniformitatem compelli ex natura ipsius objecti, quæ uniformitas in judicio circa contingentia, quale est illud decretum Dei, aliunde non evidentia dari non solet.

Probatur 5. Si hoc peccatum fundaretur in alligatione voluntatum, tunc malitia peccati originalis esset posteris tantum propria moraliter per denominationem extrinsecam; sed hoc est quoad substantiam sententia *Catharini*, & Pighii: ergo. *Min. prob.* Hi non voluerunt aliud dicere, quam talem proprietatem moralem in posteris: ergo. *Prob. Ant.* Non potest ostendi ullum constitutivum reale hujus systematis, quod hi Authores negaverunt in suis principiis.

Confirmatur. Si fundaretur peccatum originale in alligatione voluntatum, tunc bona esset illatio *Pighii*, & *Catharini*, quod tantum esset unum numero peccatum in omnibus hominibus, & non plura, sed hoc est damnatum: ergo. *Maj. prob.* Reatus pœnæ, quo antiquitus liberi, & propinqui delinquentium trahebantur ad supplicium mortis, tantum erat unus; ergo idem dicendum foret in peccato originali. *Ant.* patet, quia v. g. eo casu, quo *Aman* cum omnibus suis liberis, & propinquis fuit morti traditus, vel *Mauritius* Imperator cum suis liberis occisus, nemo diceret: esse eos occisos propter sua peccata, sed propter peccatum, & crudelitatem parentis: ergo.

Confirmatur argumento ad hominem contra eos, qui dicunt esse unum peccatum; si quis uno actu interno vult tres occidere, vel uno ictu tres occidit, vel uno actu tribus detrahit, vel per unam inebriationem est causa trium blasphemiarum &c.

Probatur 6. Si peccatum originale fundaretur in alligatione voluntatum, tunc peccatum originale posterorum foret in eadem specie, in qua fuit peccatum Adami, sed hoc non potest dici: ergo. *Min.* patet, quia peccatum originale non est esus pomi, aut inordinatus amor conjugis. *Maj. prob.* Peccatum originale esset ipsum peccatum Adami præteritum ut moraliter nostrum.

Probatur 7. Si potuisset fieri alligatio voluntatum, in ordine ad pœnam essentialem, quæ est privatio visionis beatificæ, tunc eadem ratione potuisset fieri alligatio voluntatum in ordine ad pœnam sensus, sed hoc ipsi Authores amatores alligationis censent esse nimis terribile: ergo idem est de illa pœna essentiali.

Probatur 8. Si quis juraret, se velle excidere amicitia divina, & fieri filium iræ sub eventu conditionis extrinsecæ, v. g. jactu aleæ infelici, esset juramentum irrationabile, & si extorqueretur, extorsio foret violenta, ac tyrannica: ergo idem dicendum de alligatione voluntatum. *Prob. Conseq.* Perinde est, sive alligem meam voluntatem voluntati alienæ, sive jactui aleæ, præsertim jam sua dispositione vergente in jactum infeliciem.

Probatur 9. Nemo potest condemnari ob demerita per scientiam mediam conditionate futura, ac prævisa, ergo neque per consensum à Deo prævisum in alligationem nostræ voluntatis cum voluntate Adami, si interrogaremur. *Ant.* patet: sic parvulus non potest condemnari ob homicidium, quod providetur à Deo perpetraturus, si adolesceret: hoc enim est erroris Pelagiani.

Probatur 10. Non est conforme divinæ bonitati Decretum Dei Jansenisticum, quo Deus juxta Jansenistas constituit hominem debitorem ex omnibus actibus ignorantiæ, & concupiscentiæ etiam necessariis, eo quod sint voluntarii vel in Adamo, vel in personali peccato proprio commisso post baptismum, quia per relapsum homo se denuo constituit in statu antecedente baptismum, quia per relapsum homo se denuo constituit in statu antecedente baptismum, ubi etiam *ignorantiæ*, & pravi motus concupiscentiæ sunt voluntarii voluntate aliena Adami: ergo multo magis repugnat bonitati divinæ, totum genus humanum sine ulla suppositione peccati vere proprii addicere ad debitum pœnæ, & indignationis divinæ sub eventu conditionis independentis ab eorum arbitrio.

DICO II. Peccatum originale nec consistit præcise in concupiscentia, aut in morbida qualitate?

Pro-

PROBATUR 1. Hoc totum morale, quod est peccatum originale, tollitur per Baptismum, sed non tollitur coocupiscentia, aut morbida qualitas: ergo.

PROBATUR 2. Non datur causa per se, & ex natura sua inductiva ad malum: ergo nec datur qualitas per se effectiva, aut constitutiva peccati.

DICO III. Peccatum originale consistit materialiter in concupiscentia, formaliter vero in privatione justitiæ origioalis consequente, idque ob connexionem physicam cum culpa Adami.

PROBATUR CONCLUSIO 1. Hæc sententia fuit omnium Theologorum, qui fueruot in Concil. Trid. ergo est præferenda. *Ant. prob. Pallavicinus* io Historia Tridentini testatur, jam fuisse conceptum decretum, quo definiretur, peccatum originale post baptismum remanere *secundum suum materiale*, quamvis non remaneat *secundum suum formale*, nempe privationem justitiæ originalis, idque decretum tantum ideo fuisse suspensum, quia Concilium noluit doctrinam fundamentalem fidei tradere sub terminis scholasticis, quam sufficieoter poterat explicare per formulas loquendi usitatas io PP. ergo eoipso omnes Theologi consenserunt in banc doctrinam, quia nullum parabatur decretum, nisi ex consensu Theologorum omnium. *Ant. prob.* ex verbis *Pallavicini* lib. 7. c. 9. ubi ait: „Postremo deleta „est decreti periodus, qua dicebatur, non improbari à Synodo illam positionem novam Scholasticis usitatam ajentibus, manere post baptismum partem materialem peccati originalis, non „item formalem, seu quod nollent Ecclesiæ Auctoritatem intermiscere opinantium doctrinis, „seu quod ubi definitiones concipi possent veterum Patrum vocabulia, ea nollent à Theologis „Recentioribus mutuari: cùm venerationi conducat non modo sententiarum, sed etiam vocum antiquitas; & cum quandoque indumenti „mutatio causa sit, ne unus, idemque pro eodem „habeatur

PROBATUR 2. authoritate *D. Thomæ*. 1. S. Doctor sæpe dicit, quod peccatum originale sit ipsa deordioatio naturæ, sed non secundum ratioocm totalem, seu formalem peccati originalis: ergo secundum materiale. 2. Pluribus in locis expresse dicit, quod concupiscentia sit materiale peccati originalis, & privatio justitiæ originalis sit formale: ergo. Utrumque probatur sequeotibus textibus.

1. 2. q. 82. a. 1. in C. sic habet: „Diceodum, „quod duplex est habitus, unus quidem, quo „ioclinatur potcotia ad agendum, sicut scientiæ, „& virtutes dicuntur habitus; & hoc modo peccatum originale non est habitua. Alio modo „dicitur habitua dispositio alicujus naturæ ex multia compositæ, secundum quam bene se habet, „vel male ad agendum; & præcipue cum talis di„spositio fuerit quasi io naturam versa, ut patet „de ægritudine, vel sanitate. Et hoc modo peccatum originale est habitus; est enim quædam „inordinata dispositio proveniens ex dissolutione „illius harmoniæ, in qua coosistebat ratio originalis justitiæ, sicut etiam ægritudo corporalis „est quædam inordinata dispositio corporis, se„cundum quam solvitur æqualitas, lo qua coosistit ratio sanitatis, unde peccatum originale lan„guor naturæ dicitur.

Et ad 1. „Dicendum, quod sicut ægritudo „corporalis habet aliquid de privatione, in quaotum tollitur æqualitas sanitatis, & aliquid habet positive, scilicet ipsos humores inordinate „dispositos; ita etiam peccatum originale habet „privationem originalis justitiæ, & cum hac in„ordinatam dispositionem partium animæ: unde „non est privatio pura, sed est quidam habitus „corruptus.

Io 2. Sent. dist. 30. q. 1. a. 3. in C. „Dicendum, „quod in quolibet peccato est invenire aliquid „formale, & aliquid materiale: si enim considere„mus peccatum actuale, ipsa substantia actus „deordinati materialiter in peccato se habet, sed „deordinatio à fine formale in peccato est; quia „ex hoc rationem mali præcipue habet. Unde „dicitur, quod conversio ad bonum commutabile est ibi sicut materiale, & aversio à bono „incommutabili est sicut formale. Sicut autem „peccatum actuale consistit in deordinatione „actus, ita etiam peccatum originale consistit in „deordinatione naturæ. Unde oportet, quod „ipsæ vires deordinatio virium sint, sicut materiale in peccato originali, & ipsa deordinatio à „fine sit ibi sicut formale: illa autem pars, quæ „per se nata est conjungi fini, est ipsa voluntas, „quæ habet ordinem finis omnibus aliis partibus „imponere, & tunc destitutio ipsius voluntatis „ab illa rectitudine ad finem, quam babuit io in„stitutione naturæ, in peccato originali formale „est, & hoc est privatio originalis justitiæ: vi„res autem appetitus sensibilis sunt natæ recipere „ordinem ad finem ab ipsa voluntate, secundum „quod sibi subjectæ sunt: & ideo subtractio illius „vinculi, quo quodammodo sub potestate volun„tatis rectæ detinebatur, materiale in peccato „est. Ex hac autem subtractione sequitur, quod „unaquæque vis in suum objectum inordinatè „tendat, concupiscendo illud: & ideo concupi„scentia, qua habiles sumus ad materiale concu„piscendum, peccatum originale dicitur quasi ma„teriale in peccato originali exiftens: est enim „considerare materiale, & formale in actibus mo„ralibus sicut in rebus artificialibus, io quibus „materia de toto prædicatur, ut possit dici, cul„tellus est ferrum. Et similiter de peccato præ„dicari potest illud, quod est materiale in ipso, „& per hunc modum peccatum originale coocu„piscentia dicitur.

Similes textus sunt plurimi in *D. Thoma* v. g. loc. cit. ad 1. 2. 4. *Et de malo* q. 4. a. 2. io C. dicit: „Peccatum originale in isto, vel illo homi„ne nihil est aliud, quam id, quod ad ipsum per„venit per originem ex peccato primi parentis; „sicut peccatum in manu, vel oculo nihil est aliud, „quam id, quod pervenit ad manum, vel oculum „ex motione primi principii peccantis, quod est „voluntas: id vero est effectus, & impressio mo„tua primi inordinati, qui erat in voluntate; uo„de oportet, quod ejus similitudinem gerat. Mo„tus autem voluntatis inordinatus est conversio „ad bonum aliquod temporale absque ordine con„venienti ad finem debitum, quæ quidem inor-

„dinatio eſt averſio à bono incommutabili, & hoc eſt quaſi formale, illud autem quaſi materiale; jam vero ſi motus voluntatis pervenit ad aliquid, quod non eſt ſuſceptivum peccati, puta ad lanceam, vel gladium, non dicimus ibi eſſe peccatum, niſi virtualiter, & per modum effectus, quia non ſunt aliquid hominis peccantis, ſicut manus, vel oculus, ſic ergo in peccato primi hominis fuit aliquid formale, ſcilicet averſio ab incommutabili bono, & aliquid materiale ſcilicet converſio ad bonum commutabile. Ex hoc autem, quod averſua fuit ab incommutabili bono, donum juſtitiæ originalis amiſit, ex hoc autem, quod converſus eſt inordinate ad commutabile bonum, inferiores vires, quæ erigi debebant ad rationem, depreſſæ ſunt ad inferiora. Sic ergo & in his, quæ ex ejus ſtirpe oriuntur, ſuperior pars animæ caret debito ordine ad Deum, & inferiores vires non ſubduntur rationi, ſed ad inferiora convertuntur ſecundum proprium impetum: ſed ſuperior pars animæ, & etiam quædam inferiorum virium, quæ ſunt ſub voluntate, & ei natæ ſunt obedire, recipiunt hujusmodi ſequelam primi peccati ſecundum rationem culpæ, ſunt enim culpæ ſuſceptivæ hujusmodi partes. Et ideo cum carentia originalis juſtitiæ ſe habeat ex parte voluntatis, ex parte autem inferiorum virium à voluntate motarum ſit pronitas ad inordinate appetendum, quæ concupiſcentia dici poteſt, ſequitur, quod peccatum originale in hoc homine vel illo nihil aliud eſt, quam concupiſcentia cum carentia originalis juſtitiæ, ita tamen, quod carentia originalis juſtitiæ eſt quaſi formale in peccato originali, concupiſcentia autem eſt quaſi materiale; ſicut & in peccato actuali averſio ab incommutabili bono eſt quaſi formale, converſio autem ad commutabile bonum ſit quaſi materiale. Concedendæ ergo ſunt rationes (id eſt argumenta objectionum) quibus probatur, quod originale peccatum ſit concupiſcentia." Ita D. Thomas, qui ſimilia habet plurimis in locis. v. g. *de malo* q. 4. a. 11. ſic ſcribit: „Dicendum, quod concupiſcentia poteſt dupliciter conſiderari. Uno modo ſecundum quod eſt in alio. Et hoc modo concupiſcentia, quæ eſt in patre, ponitur cauſa originalis peccati, quod eſt in filio, & non eſt eſſentia ejus, ſed præcedit ipſum. Alio modo poteſt conſiderari, ſecundum quod eſt in eodem; & ſic eſt cauſa per modum materiæ, quæ eſt de eſſentia rei, & præcedit quodammodo per modum materiæ, ſicut & corpus præcedit animam in ordine cauſæ materialis. Dictum eſt enim ſupra, quod ex carne, ad quam pertinet concupiſcentia, inficitur anima, ad quam pertinet carentia originalis juſtitiæ.

Eodem modo loquitur Albertus M. Nam in 2. diſt. 30. a. 3. ſcribit: „Dicamus, quædam eſſe in peccato originali, ut materialia, & quædam ut formalia. Materiale in peccato originali eſt fœditas concupiſcentiæ & fomes.

PROBATUR 3. Hoc Syſtema peccati originalis, quod ejus materiale conſiſtat in concupiſcentia, formale autem ejus in privatione juſtitiæ originalis, conſonat rationi, & authoritati tam in principiis, quam in conſequentiis, & exhaurit difficultates: ergo eſt præeligendum.

DICO IV. Illa concupiſcentia, in qua conſiſtit materiale peccati originalis, eſt *habitualis*, non actualis.

PROBATUR 1. ex eo, quia in infantibus non eſt actualis. 2. Authoritate *D. Thomæ* q. *de malo* 4. a. 2. ad 4. ubi ait: *Concupiſcentia, ſecundum quod pertinet ad peccatum originale, non eſt actualis, ſed habitualis.*

DICO V. Eadem non conſiſtit in qualitate ſuperaddita, ſed in ipſa natura virium animæ, & appetitus ſecundum ſe agentium ſine fræno, niſi per gratiam refrænentur.

PROBATUR 1. ratione, quia non eſt neceſſitas qualitatis ſuperadditæ.

PROBATUR 2. authoritate *D. Thomæ* loc. cit. dicentis: „Dupliciter aliquod agens poteſt eſſe habile ad aliquid agendum: uno modo ex aliqua forma inclinante ad hoc, ſicut corpus grave ex forma ſua, quam habet à generante, inclinatur deorſum. Alio modo ex ſubtractione ejus, quod impediebat, ſicut vinum effunditur fractis circulis, qui effuſionem impediebant; & equus præcipitanter vadit rupto fræno, quo retinebatur. Sic ergo concupiſcentia habitualis poteſt dici dupliciter: uno modo aliqua diſpoſitio, vel habitus inclinans ad concupiſcendum, ſicut in aliquo ex frequenti actuali concupiſcentia cauſaretur concupiſcentiæ habitus. Et ſic concupiſcentia non dicit peccatum originale. Alio modo poteſt intelligi habitualis concupiſcentia ipſa pronitas, vel habilitas ad concupiſcendum, quæ eſt ex hoc, quod vis concupiſcibilis non perfecte ſubditur rationi ſublato fræno originalis juſtitiæ; & hoc modo loquendi peccatum originale materialiter loquendo eſt habitualis concupiſcentia." Idem repetit ibidem q. 6. a. 16. & 1. 2. q. 82. per totam.

DICO VI. Juſtitia originalis dicit ſecundum partem materialem ſubjectionem inferiorum animæ virium ad rationem per qualitatem ſuperadditam: ſecundum formale vero dicit ſubjectionem arbitrii ad Deum per gratiam ſanctificantem.

PROBATUR 1. Inferiores vires non ſequuntur connaturaliter ductum rationis: ergo ut habitualiter ſubjiciantur rationi, id fieri debet per qualitatem ſuperadditam.

PROBATUR 2. Ad hoc, ut organa corporea v. g. digiti ſequantur ductum citharædi per modum artis, id fieri debet per habitum ſuperadditum: ergo idem dicendum de potentiis naturalibus animæ, & appetitus ſenſitivi, ut ſequantur prompte nutum rationis.

PROBATUR 3. Juxta S. *Auguſtinum* juſtitia originalis habetur per voluptatem prædominantem ad honeſtum, qua voluptate prædominante velut pondere in bilance naturæ humanæ ſublata, incipit propria inclinatio ad malum: ſed talis voluptas prædominana non eſt in ſubjecto contra inclinationem propriam; ergo ſupponitur in appetitu poſitiva qualitas per modum habitus acquiſiti, vel innati delectabiliter ſubjiciens potentias

tias rationi. *Maj. patet* ex variis textibus *S. Augustini* adducendis infra in Tract. *de Gratia*.

PROBATUR 4. Authoritate *D. Thomæ*, qui in 2. Sent. dist. 32. q. 1. a. 1. ad 1. ait: *In originali justitia erat aliquid quasi formale, scilicet ipsa rectitudo voluntatis, & secundum hoc sibi opponitur culpæ deformitas. Erat in ea etiam aliquid quasi materiale, scilicet ordo rectitudinis* NB. IMPRESSUS *in inferioribus viribus, & quantum ad hoc opponitur sibi concupiscentia, & fomes. Quamvis ergo non restituatur justitia originalis, quantum ad id, quod materiale in ipsa erat; restituitur tamen, quantum ad rectitudinem voluntatis, ex cujus privatione ratio culpæ inerat.*

DICO VII. Justitia originalis in Adamo, si perseverasset, conjunctam habuisset in sua carne, ac semine virtutem instrumentalem physicam ad causandam justitiam originalem, primum quidem secundum esse materiale, dein secundum esse formale in suis posteris.

PROBATUR 1. Quandocunque datur in ordine naturæ, vel gratiæ effectus stabilis in serie causarum, & effectuum, eoipso ponitur causa stabilis per se effectiva effectus, sed tunc extitisset stabiliter effectus generationis humanæ ipsa justitia originalis: ergo debet assignari causa per se ordinata ad hunc effectum, nempe virtus instrumentalis, seu ordo stabilis realis ad producendam justitiam originalem.

PROBATUR 2. Authoritate *D. Thomæ* afferenda pro conclusione sequenti.

DICO VIII. Semen humanum, ut descendens primordialiter ab Adamo, & ut carens prædicta virtute instrumentali productiva justitiæ originalis est causa physica instrumentalis peccati originalis.

Conclusio, quæ est *Goneti* hic Disp. 7. a. 3. n. 48. & *Salmanticens*.

PROBATUR 1. Causa defectuosa est proprie causa physica effectus defectuosi qua talis: ergo & semen ut carens vigore causandi justitiam originalem est causa effectus privati hac justitia, quatenus privati; & hinc in Scriptura dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Job. 14.

PROBATUR 2. authoritate D. Thomæ, qui hic q. 81. a. 1. ad 3. & in 1. Sent. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 4. sic habet: *Dicendum, quod licet semen non habeat in se infectionem culpæ in actu, habet tamen in virtute, sicut etiam patet, quod ex semine leprosi generatur filius leprosus, quamvis in ipso semine non sit lepra in actu; est enim in semine virtus aliqua deficiens, per cujus defectum contingit defectus lepræ in prole. Similiter ex hoc ipso, quod in semine est talis dispositio, qua privatur illa impassibilitate, & ordinabilitate ad animam, quam in primo statu corpus humanum habebat, sequitur, quod in prole, quæ est susceptiva peccati originalis, efficiatur originale peccatum.*

Idem de Malo q. 4. a. 1. ad 9. ait: *Ex peccato primi parentis destituta est caro ejus illa virtute, ut ex ea posset decidi semen, per quod originalis justitia in alios propagaretur, & sic in semine defectus hujus virtutis est effectus moralis corruptionis, & quædam intentio ejus, sicut dicimus intentionem coloris esse in aere, & intentionem animæ esse in semine; & D. Amort Tract. de Peccato origin. & gratia.*

ex hoc etiam est ibi virtus ad similem perfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.

Idem de Malo q. 4. a. 3. C. ait: *Semen carnale, sicut est instrumentalis causa traductionis humanæ naturæ in prole, ita est instrumentalis causa traductionis peccati originalis; & ita peccatum originale est in carne, id est, in carnali seminis virtute, sicut in causa instrumentali. Deinde considerandum est, quod duplex est ordo, scilicet naturæ & temporis. Ordine quidem naturæ perfectum est prius imperfecto, & actus potentia, ordine vero generationis & temporis è converso imperfectum est prius perfecto, & potentia actu. Sic ergo in ordine naturæ per prius est peccatum originale in anima, in qua est sicut in proprio subjecto, quam in carne, in qua est sicut in causa instrumentali. Sed in carne est per prius ordine generationis & temporis.*

Similia habet *in* 2. *Sent.* dist. 18. q. 1. a. 1. ad 3. Et *in* 2. *Sent.* dist. 30. q. 1. a. 2. ad 4. Ibidem dist. 31. q. 1. a. 7. ad 2. Ibid. dist. 33. q. 1. a. 3. ad 4. *De Malo* q. 4. a. 1. ad 12. Et a. 6. ad 11. *Contra Gentes* l. 4. c. 52. *Ad Rom.* 5. lect. 3. c. 11.

DICO IX. Primus effectus physicus seminis sic defectuosi est concupiscentia habitualis in embrione ante infusionem animæ rationalis.

PROBATUR 1. Ideo contrahit anima rationalis culpam originalem, quia infunditur carni non habenti subordinationem ad animam: ergo necesse est, ut jam in embrione detur privatio justitiæ originalis secundum materiale, id est, secundum subordinationem ad animam.

PROBATUR 2. Semen non ordinatum ad justitiam originalem producendam necessario producit embrionem non ordinatum ad justitiam originalem: Sed hoc est producere embrionem sine ordine ad justitiam originalem, adeoque cum defectu ordinis, seu cum privatione ordinis ad justitiam originalem, cujus est capax, seu subordinationis ad animam.

PROBATUR 3. D. Thomas docet, peccatum originale ordine generationis prius esse in carne, quam in anima, ergo necesse est, quod ante infusionem animæ rationalis jam detur concupiscentia habitualis in embrione. *Ant. prob. De Malo* q. 4. a. 3. in C. ait: *Semen carnale, sicut est causa instrumentalis traductionis humanæ naturæ in prole, ita est instrumentalis causa traductionis peccati originalis: & ita peccatum originale est in carne, id est, in carnali semine, sicut in causa instrumentali. Deinde considerandum est, quod duplex est ordo, naturæ, & temporis; ordine naturæ perfectum est prius imperfecto, & actus potentia: ordine vero generationis, & temporis imperfectum est prius perfecto. Sic ergo in ordine naturæ per prius est peccatum originale in anima, in qua est sicut in proprio subjecto, quam in carne, in qua est sicut in causa instrumentali; sed in carne est per prius ordine generationis, & temporis.*

DICO X. Concupiscentia radicalis in embrione ut descendens ab Adamo est causa materialis culpæ originalis, sicut conversio ad bonum commutabile est causa materialis culpæ actualis.

PROBATUR 1. Constat ex supra dictis in textu *S. Thomæ de Malo* q. 4. a. 2. in C. ad finem, quod peccatum originale secundum suum materiale sit concupiscentia; sed materiale in omni composito est causa materialis formæ: ergo & concupiscentia in embrione reperibilis est causa culpæ in anima.

PROBATUR 2. Anima non contrahit culpam per alligationem moralem ad voluntatem Adami: ergo per alligationem, & connexionem physicam; atqui non datur alius modus connexionis physicæ, nisi dicatur, eam fieri defectuosam ut unitam naturæ indispositæ per materiale peccati originalis: ergo.

PROBATUR 3. Authoritate *D. Thomæ*, qui *de Malo*. q. 4. a. 2. ad 11. ait: *Dicendum, quod concupiscentia potest dupliciter considerari, uno modo, quod est in alio, & hoc modo concupiscentia, quæ est in patre, ponitur causa originalis peccati, quod est in filio, & non est de essentia ejus, sed præcedit ipsum. Alio modo potest considerari, secundum quod est in eodem, & sic est causa per modum materiæ, sicut & corpus præcedit animam in ordine causæ materialis. Dictum enim est supra, quod ex carne, ad quam pertinet concupiscentia, inficitur anima, ad quam pertinet carentia originalis justitiæ.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 1. conclusionem. Ipse *D. Thomas* agnoscit, transfundi peccatum originale per alligationem voluntatum: ergo. *Prob. Ant.* Agnoscit, quod in tantum transfundatur peccatum originale, in quantum Adamus est caput generis humani, & quilibet homo quoad naturam pars illius naturæ, quæ erat in natura Adami: ergo. 1. 2. q. 81. a. 1. in C. dicit: *omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam à primo parente acceperunt, secundum quod in civibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, & tota communitas, quasi unus homo. Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis, actus autem unius membri corporalis, puta, manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum.*

2. Membra communitatis possunt habere communionem culpæ per alligationem voluntatis ad voluntatem sui capitis: ergo & membra Societatis humanæ.

3. Defectus culpæ, qui reperitur in anima infantis, non habet causam physicam ex semine, vel embrione defectuoso: ergo tantum habet causam moralem, seu alligationem voluntatum. *Ant. prob.* Defectus reperibilis in semine non continet rationem culpæ: ergo nec potest esse causa culpæ reperibilis in anima. *Ant.* est *D. Thomæ* in 2. Sent. dist. 31. q. 1. a. 1. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod illa infectio animæ, quæ est in semine, sicut non habet rationem culpæ proprie loquendo ante infusionem, sic nec pœnæ.*

PROBATUR 2. Si daretur simile semen defectuosum, ut descendens ab Adamo, non esset causa physica culpæ in anima: ergo non causat rationem culpæ per generationem physicam, sed per moralem, seu alligationem voluntatum.

PROBATUR 3. Concupiscentia actualis non deliberata, vel aliæ passiones non deliberatæ nec in se, nec in sua causa coinquinant animam per alligationem physicam ad corpus: ergo nec coinquinaretur anima in sui creatione per unionem physicam cum carne defectuosa, sed tantum per alligationem moralem voluntatum.

RESPONDEO ad 1. n. a. *ad prob.* dist. Agnoscit, transfundi peccatum originale, in quantum Adamus est Caput generis humani per connexionem physicam. c. per alligationem moralem. n. Nam *D. Thomas* expresse docet, ad hoc, ut in posteris Adami possit intelligi peccatum Adami ex motione Adami, eos debere physice ita esse coojunctos Adæ, ut est conjuncta manus animæ, & sicut anima influit physice in actionem manus, ita & Adamum physice per virtutem instrumentalem debere esse causam culpæ, seu privationis in posteris. loc. cit sic habet: „Multi homines „ex Adam derivati sunt tanquam multa membra „unius corporis; actus autem unius membri, ut „puta, manus, non est voluntarius voluntate „ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo „movet membrum; unde homicidium, quod „manus committit, non imputaretur manui ad „peccatum, si consideretur manus secundum se „ut divisa à corpore, sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis, quod movetur à primo proprio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed „voluntate primi parentis, qui movet motione „generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia „membra ad actum. Unde peccatum, quod sic „à primo parente in posteros derivatur, dicitur „originale, sicut peccatum, quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale; „& sicut peccatum actuale; quod per membrum „aliquod committitur, non est peccatum illius „membri, nisi in quantum membrum est aliquid „ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum „humanum, ita peccatum originale non est proprium hujus personæ, nisi in quatum hæc persona recipit naturam à primo parente.

Ad 2. n. a. Cum enim nullus possit alligare voluntatem infantis recenter nati, vel in utero latentis ad voluntatem alterius hominis, utpote non habens potestatem in voluntates hominum, clarum est, quod ea communio bonorum, & malorum; quæ afficit membra communitatis, non fundetur in alligatione voluntatum, sed in ipso externo vinculo propinquitatis, & societatis.

Dein retorqueo. Victor, qui in urbe capta interficit etiam infantes in utero materno, non irascitur infanti, nec per eam occisionem vult punire crimen infantis, sed tantum crimen rebellium civium; econtra peccatum originale facit filium iræ, & dignum pœna damni: ergo culpa originalis non fundatur in nuda tali societate externa, aut vinculo morali.

Ad 3. dist. Non reperitur in semine causa directe effectiva culpæ. c. dispositive effectiva. n.

Sicut

Sicut enim dicitur homo generare hominem, quamvis non producat animam rationalem, nisi dispositive præparando causam materialem, & ponendo dispositiones causæ materialis ad formam; ita etiam semen ex Adamo descendens dispositive per modum causæ materialis in embrione producit culpam.

Ita plurimis in locis respondet *S. Thomas.* 1. 2. q. 81. a. 1. ad 2. ait: *Dicendum, quod etsi anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam dispositive, unde per virtutem traducitur humana natura in prolem, & simul cum materia naturæ infectio: ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpæ primi parentis, quam naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem.*

Et ad 3. *Dicendum, quod etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute humana natura, quam concomitatur talis culpa.*

Et de Malo q. 4. a. 1. ad 6. *Dicendum, quod caro nostra in sui natura bona est, sed secundum quod est privata originali justitia propter peccatum primi parentis, sic causat originale peccatum.*

Et ad 7. *Dicendum, quod originale peccatum est naturæ, non personæ, nisi ratione naturæ infectæ; actus autem generationis proprie deservit naturæ, sed carnem jam esse unitam animæ pertinet ad constitutionem personæ, & ideo caro magis causat originale peccatum, prout consideratur in via generationis, quam prout jam est unita.*

Et ad 9. *Dicendum, quod corruptio, quæ est in carne, est quidem actus naturalis, sed intentione, & virtute moralis; ex peccato enim primi hominis destituta est caro illa virtute, ut ex ea posset decidi semen, per quod propagetur originalis justitia in alios; & sic in semine defectus hujus virtutis est defectus moralis corruptionis, & quædam intentio ejus, sicut dicimus intentionem coloris esse in aere, & intentionem animæ esse in semine; & ex hoc est etiam illi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ.*

Et ad 15. *Alia est causa instrumentalis, quæ non agit per formam propriam, sed in quantum est mota ab alio, & hanc non oportet esse nobiliorem effectu, sicut serra non est nobilior, quam domus. Hoc autem modo semen carnale est causa naturæ humanæ in prole, & etiam culpæ originalis in anima ejus.*

Et ad 3. *Dicendum, quod anima hujus hominis non fuit secundum seminalem rationem in Adam, sicut in principio effectivo, sed sicut in principio dispositivo, eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur, sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit.* Et in C. *In semine corporali peccatum originale est sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana.*

Ex his textibus *D. Thomæ* manifestum est, quod sicut semen se habet per modum causæ materialis dispositive ad animam rationalem, & naturam humanam, ita se habeat per modum causæ materialis dispositive ad culpam peccati originalis. Hinc etiam patet responsio

Ad Prob. 1. dist. enim, non continet rationem culpæ actu, & formaliter. c. virtute, dispositive, ac materialiter. n. Responsionis sensus patet ex dictis, & est expresse *D. Thomæ*, qui in 2. Sent. dist. 31. a. 1. ad 2. ait: *Dicendum, quod semen non est actu subjectum culpæ, sed virtute tantum, hoc modo enim semen se habet ad peccatum originale, sicut ad naturam humanam; unde sicut in semine non est natura humana, nisi virtute, ita etiam originalis culpa, quia per virtutem, quæ est in semine, generatio ad naturam humanam terminatur infectam originali peccato.*

Ad Prob. 2. Inverto argumentum: quia eo ipso sequitur, quod non causet per alligationem; cùm talis possit etiam consistere, ac fundari in jurisdictione, & præeminentia ad extraneos familiæ non descendentes in linea recta.

Resp. 2. Si membrum separatum à corpore committeret homicidium, non haberet rationem culpæ: ergo si sit conjunctum, non habet id per alligationem moralem, sed per connexionem physicam.

Resp. 3. c. a. n. c. Quia ad hoc, ut in effectu reperiatur peccatum, non sufficit, quod effectus dependeat à membro, sed requiritur, ut membrum etiam physice dependeat à causa primo libera, nempe à voluntate aliqua motrice. Et hanc responsionem etiam dat *D. Thomas* 1. 2. q. 81. a. 4. in c.

Ad Prob. 3. c. a. n. c. & paritatem: Disparitas est, quia concupiscentia actualis, vel alia passio non voluntaria non habet connexionem ad voluntatem personalem, vel alienam in ratione principii moventis, sicut tamen concupiscentia habitualis originalis: ergo non potest fundare culpam, seu defectum justitiæ propter peccatum antecedens, à quo procedit.

Dices 1. Passio, vel concupiscentia personalis proveniens ex actu personali libero non inficit animam, si peccatum jam fuit retractatum: ergo & concupiscentia habitualis non inficeret animam connexione physica post peccatum Adami à suo Authore jam retractatum; ergo propagatio peccati originalis potius est per alligationem moralem voluntatum ad primum instans peccati Adamitici.

Respondeo 1. Invertendo argumentum: si enim daretur alligatio voluntatum, tunc moraliter destructo peccato in suo Authore non daretur amplius unio moralis ad peccatum, utpote non amplius existens: ergo post pœnitentiam Adami nemo haberet peccatum originale, adeoque dicendum, quod propagatio illius peccati potius fundetur in infectione naturæ stabili, ac permanente, quam in alligatione voluntatum. *Ant. patet* ex effectibus peccati v. g. blasphemiis in consuetudinario, vel omissione sacri ex causa libere posita, quæ non habent rationem culpæ personalis post retractationem personalem ipsius causæ.

Respondeo 2. c. a. n. c. & paritatem: Disparitas est, quia actus personales constituunt actum externum tantum denominative peccaminosum, & denominantur per malitiam suæ causæ; econtra in peccato originali causatur in singulis subjectis propria malitia, nempe materiale, & formale peccati proprium subjecto; adeoque non eo ipso destructa causa destruitur effectus perseverans in natura humana. In peccato externo actuali formale constitutivum peccati est actus

actus voluntatis non retractatus; econtra formale constitutivum peccati originalis in singulis hominibus non est voluntas Adami non retractata: sed privatio gratiæ ut dependens à voluntate Adami tanquam causa efficiente. Cessat quidem effectus cessante formali constitutivo, sed non cessat cessante causa efficiente.

Quod si dicas: In conceptu peccati originalis involvi voluntatem Adami, quia involvitur dependentia ab ejus voluntate. Respondeo: In conceptu peccati originalis in recto importari respectum, seu dependentiam ad voluntatem Adami tanquam ad causam afficientem, non tanquam ad causam formalem constitutivam: ideoque illa voluntas Adami tantum importatur in obliquo per modum connotati.

Objicitur 2. Ezechiel. 18. dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris:* ergo non traducitur originale peccatum per causalitatem physicam, sed alligationem moralem voluntatum. *Prob. Conseq.* sola alligatio facit, ut iniquitas posfit esse moraliter iniquitas filii.

2. Anima non traducitur ab Adamo causalitate physica; ergo nec peccatum, quod est accidens.

3. Illud solum traducitur ex Adamo causalitate pbysica, quod producitur physice virtute feminis; sed hoc non est peccatum: ergo. *Prob. Min.* peccatum non habet causam, nisi rationem, & voluntatem.

Respondeo *ad* 1. dist. a. Filius non portabit iniquitatem patris, nisi sit particeps culpæ c. secus n. Utrum autem aliquis tantum possit esse particeps culpæ per cooperationem, vel imitationem, an vero etiam per originem, seu causalitatem physicam, est formalissime in quæstione.

Ad 2. c. a. dist. c. Ergo nec peccatum, nisi ad animam saltem concurrat dispositive c. secus n. Accidens non traducitur, nisi saltem causa concurrat dispositive ad producendum subjectum. Disparitas est, quia potest dari ratio causæ in ordine ad accidens effective, ut aliunde præstabilitum in natura, etsi non terminetur ad existentiam subjecti, quia potest habere proportionem causæ ad accidens subjecti, licet non habeat proportionem ad ejus nauram; sic potest causa naturalis producere operationes vitales in anima, & calor calorem in quantitate Eucharistica, etsi non possit producere ejus naturam. Eodem modo potest dari causalitas ad modum animæ, etsi non detur ad ejus substantiam, nisi dispositive.

Ad 3. dist. m. Illud solum traducitur ex Adamo, quod producitur per concomitantiam, & per accidens c. quod producirur per se. n. m. Producitur enim præcise natura humana, seu hoc totum, quod est homo, quem concomitatur culpa, seu privatio justitiæ originalis.

Objicitur 3. Si anima inficeretur generatione physica, ex unione ad corpus, tunc non posset emundari, quamdiu vitiositas inhæret subjecto; sed hoc non est verum: ergo.

2. *Aristoteles* 3. Ethic. dicit, quod nullus increpet turpes per naturam: ergo nec esset increpandus homo, si defectus justitiæ originalis ipsi adjacet per generationem naturæ.

Respondeo *ad* 1. dist. *Maj.* Si anima inficeretur generatione pbysica, tunc non posset emundari &c. nisi Deus impediret effectum hujus causæ c. secus n. Per Baptismum enim, & infusionem gratiæ sanctificantis, aut per statum amicitiæ cum Deo impeditur, ne corruptio naturæ de se dispositive exigens privationem justitiæ originalis in anima inducat illum defectum.

Ad 2. c. a. n. c. & paritatem: Disparitas est, quia parentis culpa non evertit naturam prolis quoad constitutiva sua intrinseca, nisi forte quoad aliquas propensiones, sed tantum evertit jura moralia v. g. ad honores publicos, dignitates &c. adeoque ob turpitudinem corporis nemo est vituperabilis. Econtra est contemptibilis civiliter ob carentiam jurium moralium, & ob propensiones malas, si hæ sunt voluntariæ ex culpa avorum, vel parentum; & sic posset inverti: Ignominia gravis hæreditaria est objectum vituperii civilis: ergo & ignominia generis humani consistens in privatione hæreditaria justitiæ originalis est probro digna.

Objicitur 4. Si peccatum originale per generationem causalitate physica transit, eo quod operans agat ad similitudinem naturæ, tunc sequeretur, quod parentes justi generent justos, & soli peccatores generent peccatores; sed hoc non potest dici: ergo.

2. Si ipsa generatio esset causa physica instrumentalis peccati originalis, tunc non esset licita: sed hoc est falsum, ergo. *Maj. prob.* ex eo, quia esset causa peccati.

Respondeo *ad* 1. dist. *Maj.* Hoc sequeretur, si justitia personalis pertinet ad constitutionem constantem naturæ, & ad proprietatem concomitantem c. secus n. Sapientia v. gr. parentis non mutat naturam humanam, adeoque nec cum natura transit in liberos. Hinc & filius *Salomonis* legitur stultus, & frequenter filii heroum noxæ. Econtra justitia originalis sic annexa est generi humano, & naturæ, ut ejus positio, vel ejus privatio sint instar proprietatis perpetuo concomitantis eam naturam, quamdiu per gratiam, vel actionem personalem non tollitur illud vinculum inter naturam, & proprietatem annexam.

Ad 2. n. *Maj. ad prob.* dist. Non est licitum esse causam peccati actualis c. originalis *subdist.* per se. c. per accidens n. Disparitas est, quia istud peccatum non ponit novam malitiam voluntatis, sed tantum defectum habitualem naturæ; non est autem malum esse originem per accidens talis mali, quod sine devitatione majoris mali evitari non potest.

Objicitur 5. Si inficeretur anima ex unione physica ad corpus tanquam causam materialem instrumentalem peccati, tunc Deus non deberet creare animam in tam misero statu, sed hoc non potest dici: ergo.

2. Prius est peccatum originale, quam ipsa indispositio materiæ, seu concupiscentia: ergo ista non est causa instrumentalis peccati. *Ant. prob.* Ipsa concupiscentia juxta *D. Thomam* tantum oritur ex subtractione justitiæ originalis: ergo prior est subtractio, quam concupiscentia.

3. Lu-

3. Lumen per connexionem physicam non inficitur per vitrum, vel per cloacam, in qua relucet: ergo etiam anima non potest infici ex infectione subjecti.

RESPONDEO *ad* 1. dist. *Min.* Non deberet creare, si ageret per leges providentiæ singulares c. per leges universales n. Si quis infunderet pretiosum liquorem vasi impuro, *per se* ageret imprudenter, si vero agat ex altioribus motivis, non per hoc reprehenderetur. Sic & Deus habet quidem curam de omnibus, & per providentiam se extendit ad singulos homines, sed leges ejus providentiæ, quæ sunt accommodatæ singulis, non sunt innumeræ juxta numerum singulorum, sed sunt paucæ, & universales ex motivo boni generalis, quod directe respiciunt. Quodsi providentiæ intentio impediatur ex causa fecunda libera, mediata vel immediata, non imputatur providentiæ generali, etiamsi deficiat in particularibus à bono intento. Sic & Deus creationem animæ rationalis præstabilivit ex motivo generali altiorum finium, etiamsi ex unione cum corpore corrupto per malitiam primi parentis deficiant à bono illo universali. Sic & Deus ut Author naturæ agit per generales leges motuum modo simplicissimo, id est, per leges uniformes generales, quamvis in casu particulari per accidens fiant monstra.

Hæc est Responsio *D. Thomæ* 1. 2. q. 83. a. 1. ad 5. ubi ait: *Dicendum, quod bonum commune præfertur bono singulari, unde Deus secundum suam sapientiam non prætermittit universalem ordinem rerum, qui est, ut tali corpori talis anima infundatur.*

Ad 2. dist. a. Prius est peccatum originale originans c. originatum n. Peccatum Adami est originans, cujuslibet hominis est originatum: potest dici, quod Deus subtrahat vim originalem effectivam justitiæ originalis embrioni ob dependentiam à natura Adami, & ejus peccatum, tanquam causam impulsivam tollendi virtutem producendi gratiam, & justitiam originalem, & sic peccatum Adami erit causa peccati originalis originati.

RESPONDEO 2. dist. a. Peccatum originale est prius secundum esse formale, quam concupiscentia c. secundum esse materiale n. Prius est indispositio materiæ causata ex culpa Adami, quam culpa posterorum residens in anima; econtra vero prior est subtractio gratiæ sanctificantis proveniens ex hac indispositione materiæ, quam hoc totum, quod est peccatum originale, quia hoc totum involvit utrumque, formam, & materiam. Et hinc si dicas: Concupiscentia est propter privationem justitiæ originalis. RESPONDEO dist. est propter hanc privationem tanquam propter formam c. tanquam causam effectivam n. Si enim concupiscentia sumatur ut displicens Deo, sic constituitur per privationem hujus justitiæ; si vero sumatur ut existens in embrione, nec habet rationem pœnæ, nec culpæ, sed tantum dicit defectum ejus virtutis, quæ est effectiva justitiæ originalis.

RESPONDEO 2. dist. Concupiscentia est propter privationem justitiæ originalis secundum ejus materiale c. secundum formale n. Materiale in justitia originali est illa subjectio potentiarum inferiorum ad rationem, & ipsa virtus instrumentalis in natura humana ad producendam gratiam sanctificantem. Hujus posterioris defectus est causa instrumentalis peccati originalis secundum rationem formalem. Utraque responsio est consentanea *D. Thomæ.*

Ad 3. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est, quia ut *D. Thomas* observat, lux non concorporatur subjecto, cui inest, per unionem informativam, sicut anima; quod si fieret v. g. per aërem crassum, eoipso etiam inquinaretur lux à suo subjecto.

OBJICITUR 6. Si peccatum originale traduceretur per causalitatem physicam, tunc potius descenderet ex Eva, quam Adamo; hoc est contra omnes: ergo. *Maj. prob.* natura physice magis sumitur ex matre, quam patre.

2. Sequeretur, quod si quis formaretur ex carne humana per miraculum v. g. ex manu, etiam talis contraheret peccatum originale: hoc non est verum, ergo. *Min.* est *D. Thomæ* 1. 2. q. 81. a. 4. in C.

RESPONDEO ad 1. n. m. Quia humana natura primitus collata est Adamo cum dono, seu virtute propagandi gratiam sanctificantem, adeoque negatio hujus doni naturalis potius sumere dicitur originem ab Adamo quam Eva.

Ad 2. n. m. Quia privatio justitiæ originalis reperibilis in natura humana non est causa peccati originalis in prole, nisi ut connotans principium liberum, & subjectum primum hujus effectus, ut supra dictum est, eo quod hic defectus non reperiatur culpabilis, nisi ut connotans causam efficientem liberam, prout contingit in homicidio, vel alio actu peccaminoso v. g. potentiæ sensitivæ, quæ habet formalem malitiam, ut connotans liberam omissionem voluntatis non dissentientis. Econtra si per alligationem voluntatum traduceretur peccatum originale, nulla esset ratio ex natura objecti aut alia, quæ determinasset adeo unanimem sensum PP. & Theologorum, ut omnes excegerint, necessarium esse ad propagationem peccati originalis generationem: adeo, ut Trid. hanc veritatem definierit Sess. 6. c. 3. his verbis: *Revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.*

OBJICITUR 7. SS. Patres agnoscunt propagationem peccati originalis per alligationem voluntatum: ergo. *Prob. Ant.* 1. *S. Basilius* Homil. de laude jejunii dicit: *quia non jejunavimus in primo parente, ideo à paradiso exulamus.*

2. *S. Ambrosius* de fide resurrect. ait: *lapsus sum* in Adam, ejectus de paradiso in Adam, mortuus in Adam.

3. *D. Augustinus* l. 1. de peccatorum meritis, & remiss. c. 10. *Manifestum est*, inquit, *alia cuique esse peccata propria, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, in quo omnes illi unus homo fuerunt* l. 3. c. 7. *In Adamo omnes tunc peccaverunt, quia omnes unus homo ille erat.*

RESPONDEO ad 1. n. a. *Ad prob.* 1. & ad textum *S. Basilii* dist. dicit hoc sumendo totum pro parte. c. sumendo totum pro singulis partibus,

tibus, seu continentiam moralem voluntatem. n. Quod enim D. Basilius non loquatur de continentia morali voluntatum, & transgressione jejunii morali, sed physica, & personali colligitur ex eo, quia in alio loco eam nostram transgressionem vocat mentis perversitatem, quæ tantum refertur ad malitiam Adami personalem, non moralem. Homil. 9. *Quod Deus non est Author malorum* sic habet: *Adam suamet temeritate malus est factus, & mortem sibi ob discessum à Deo paravit. Quam ob rem apparet, Deum mortem nequaquam fecisse, sed nosmet ipsi ex mente prava nobis ipsis eam sponte attraximus.* Quæ verba tantum intelligi possunt de personali malitia Adami; quod autem in similibus soleat totum sumi pro parte, quomodo hic Adamus pro genere humano, manifestum est. Sic *D. Chrysostomus* in 1. ad Cor. 4. Homil. 12. ait: *Hoc universum orbem conturbat, quod ad homines magis aspicientes, quam Deum omnia faciamus. -- Rursus, quando fcortamur, homines magis timemus, quam Deum.* In quo loco utique non loquitur de se ipso, aut per alligationem moralem suæ voluntatis cum aliis, sed loquitur de parte totius communitatis, & per metaphoram partem sumit pro toto. Sic idem in Psal. 6. ait: *Nos quoque, quando loquimur cum barbaris, illorum lingua utimur, & si cum infante loquimur, una cum eo balbutimus. Idem etiam fit in rebus, ut qui & manus mordeamus, & iram simulemus, ut infantem corrigamus.* Haud dubie Chrysostomus hic loquitur nomine muliercularum: ergo eodem modo, quod in Adamo contigit, potest tribui generi humano, quin sit moraliter illorum.

Ad 2. textum *S. Ambrosii* dist. dicit, se lapsum in Adamo, quomodo dicit, se resurrexisse, & glorificandum in Christo, hoc est, mediante causalitate physica per effectum physicum intermedium. c. per alligationem. n. Id enim patet ex ipso contextu, qui sic habet: *Sicut per unum mors, ita per unum resurrectio; lapsus sum in Adam, ejectus è paradiso, quomodo revocet nisi ut in Christo justificatum.* Sicut ergo justificatio in Christo non contingit per imputationem justitiæ Christi, ut volunt Lutherani, sed per effectum physicum causatum à Deo ob merita Christi, scilicet gratiam sanctificantem, ita & mors per effectum Adami physicum, tanquam causam instrumentalem, & dispositivam peccati in nos transiit. Sic etiam Gen. 46. dicitur: *Cunctæ animæ, quæ egressæ sunt de femore illius.* Cum utique animæ non contentæ fuerint realiter, aut per alligationem voluntatum, sed per virtutem instrumentalem dispositivam ad animam.

Ad 3. textum *D. Augustini* dist. Docet hoc *Aug.* ex suppositione erroneæ hypothesis, quod anima producatur per traductionem, sicque in Adamo jam latuerit. c. ex suppositione alligationis moralis. n. Quod enim S. Augustinus supponat, peccatum originale propagari causalitate physica, non autem per alligationem moralem voluntatum, manifestum est legenti ejus Epistolas de traductione animarum. In Epist. ad Optatum 2. paucos ante annos ex manuscripto edita à RR. Abbate Gottwiensi prius incognita sic habet; *Patere, ut etiam ipse consulam, quomodo peccatum originale anima inde trahat, unde originaliter ipsa non trahitur.* Si supposuisset alligationem voluntatum, non opus habuisset generatione physica, tanquam causa. Idem apertius habet in Epist. 1. ad Optatum, ubi sic habet: *Id, quod ipse sentit, libentissime defensurus sum, si me docere poterit, quomodo animæ non ex Adam veniant, & tamen ex illo justam sortem damnationis inveniant; donec autem discam, si nullam de illa peccatrice originem ducit, quæ causa sit animæ subeundi originale peccatum, talia non audeo prædicare.*

Imo *D. Augustinus* in hoc ipso libro passim ostendit, concupiscentiam esse causam traducendi peccatum. lib. 2. c. 4. ait: *Concupiscentia manens in membris corporis hujus cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis à reatu solvitur; parvulos non baptizatos innectit.* Qui dubitat de mente *Aug.* legat ejus Opera contra *Pelagianos*, item l. 4. *de orig. animæ*, & videbit, *Augustinum* originem peccati originalis referre in traductionem animæ, adeoque in connexionem physicam, non moralem. Cæterum textum S. Patris. dist. In Adamo omnes peccaverunt, *in quo omnes fuerunt unus homo*, unitate originis. c. alligationis moralis. n. Fuimus cum Adamo omnes unus homo, sicut omnes credentes unum corpus in Christo, quæ unitas non habetur per alligationem voluntatum, aut imputationem extrinsecam justitiæ, sed per efficientiam physicam gratiæ, ac influxum physicum ipsius Christi, qua Dei.

Objicitur 8. Potest dici, quod illa alligatio voluntatum consistat præcise in decreto divino non conferendi posteris Adæ justitiam originalem nisi dependenter ab actu meritorio primi parentis: sed tale decretum est possibile, & generi humano exoptabile; ergo. *Min.* patet, quia justitia originalis erat indebita, & aliunde sperari poterat facile dependenter ab Adamo tot gratiis cumulato.

Respondeo. n. m. Quia privilegium primævæ integritatis non fuit privilegium personale Adami, & Evæ, sed generale, prout patet ex sensu SS. Patrum, & ex Scriptura. Itaque ob unius delictum personale non debuissent omnes privari illo privilegio absolute concesso.

QUÆSTIO II.

An homo per peccatum originale fuerit spoliatus donis naturæ humanæ solum indebitis? Seu quod idem est, utrum status naturæ lapsæ secundum se idem sit cum statu naturæ puræ?

Notandum I. Gravissimos Theologos docere, quod per peccatum originale homo tantum sit spoliatus donis naturæ humanæ indebitis; adeoque quod per peccatum homo tantum sit constitutus in statu puræ naturæ. Ita *Bellarminus* tom. 4. l. 1. c. 5. ubi ait: „Status hominis „post lapsum Adami à statu ejusdem in puris na„turalibus non magis differt, quam differat spo„liatus à nudo; neque deterior est humana na„tura, si culpam originalem detrahas, neque „magis ignorantia, & infirmitate laborat, quam „laboret, & laboraret in puris naturalibus con„dita. Proinde corruptio naturæ non est alicu-

„jus

„ jus doni naturalis carentia, nec est ex alicujus „ malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis amissione profluxit. Quæ sententia „ communis est Scholasticorum Veterum, & Recentiorum, & D. Thomæ. Interpretes D. „ Thomæ unanimiter docent, rectitudinem primi hominis effectum fuisse cujusdam doni supernaturalis, & eo dono remoto mansisse naturam, qualis esset, si in puris naturalibus condita fuisset, quod attinet motus inordinatos „ partis inferioris: ita Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, Medina, Dominicus Sotus, Vega, „ Durandus, Tapperus.„ Ita *Bellarminus*, qui eorum textus partim citat, partim refert.

NOTANDUM 2. A Thomistis considerari plerumque hominem in natura pura, secundum quod reperitur non tantum sine donis, seu gratiis supernaturalibus, sed etiam sine donis naturalibus gratuitis, id est, sine gratiis naturalibus indebitis. Hæc observatio bene notanda est, quia est fundamentum totius controversiæ, imo & totius Tractatus *de Gratia*. Ut hoc discrimen bene capiatur, addo verba ipsorum Thomistarum, sic *Author. Compend. Salmant.* Tract. 12. Disp. 3. Dub. 1. §. 1. n. 1. & 3. ait: „Primus status est „ naturæ puræ, qui in eo consistit, quod conde„ retur à Deo non tribuente ei nisi sua naturalia, „ materiam scilicet & formam, reliquasque pro„ prietates naturaliter exactas; nec adderetur ipsi „ aliquod donum gratuitum naturale, vel super„ naturale. Homo in tali statu creatus, prout „ creari potuit, eo diceretur, & esset in puris, „ quia nullo ornaretur dono gratiæ. Status na„ turæ integræ, qui metas ordinis naturalis non „ excederet, tunc daretur, si conderetur homo „ non in nuditate præcedenti, sed illam ornaret „ donis, & perfectionibus naturalibus, in debi„ tis tamen, roborantibus tam intellectum, quam „ voluntatem, cæterasque hominis potentias, ut „ subjicerentur rationi taliter, ut si aliquando ex„ surgerent contra illam, facile compescerentur." Similiter *Gonet* Tom. 2. Tr. 8. Disp. 6. a. 1. §. 1. ait: „ Status naturæ puræ excludit omnia dona gra„ tuita, quæ sunt duplicis generis; quædam enim „ perficiunt hominem ad finem ipsi connaturalem, „ & ad operationes ordinis naturalis, prout do„ num integritatis, de quo supra." Supra antem Disp. 3. n. 4. statum *integritatis* descripsit, quod sit ille, qui includit omnia, quæ ad naturam pertinent: & addit ei aliquid *non debitum*, nempe vigorem, quo appetitus sensitivus rationi perfecte subjicitur.

NOTANDUM 3. Ista tria nomina, *justitia originalis*, *status innocentiæ*, *integritas*, seu *rectitudo* & *sanitas* primi hominis à plerisque Theologis summi pro eodem, quamvis ab aliquibus distinguantur. Quod *D. Thomas* ea promiscue sumpserit, probatur ex variis ejus textibus. Sic Opusc. 2. c. 186. & 187. ait: „Homo in sui conditione „ taliter institutus fuit à Deo, ut corpus omnino „ esset animæ subjectum. Rursunque inter par„ tes animæ inferiores vires rationi absque repu„ gnantia subjicerentur, & ipsa ratio hominis esset „ Deo subjecta. Ex hoc vero, quod voluntas „ hominis erat Deo subjecta, homo referebat „ omnia in Deum, sicut in finem ultimum, in

„ quo ejus *justitia*, & *innocentia* consistebat. Hic „ autem hominis tam ordinatus status *originalis* „ *justitia* nominatur, secundum quam ipse suo superiori subditus erat, & omnia inferiora ei subjiciebantur.

1. p. q. 91. a. 1. dicit: „Erat *rectitudo* in primo „ homine secundum hoc, quod ratio subdebatur „ Deo, rationi inferiores vires, & animæ cor„ pus: erat autem prima subjectio prior secunda, „ & tertia." De *Sanitate* in 4. Sent. dist. 17. q. 1. a. 1. qq. 3. idem habet.

NOTANDUM 4. Justitiam originalem posse summi dupliciter, nempe *adæquate*, & *inadæquate*, ut *Gonet* tom. 2. tract. 8. Disp. 1. a. 5. observat. *Adæquate*, ac simpliciter sumpta dicit complexum ex omnibus illis perfectionibus, donis, ac privilegiis, quæ Adamo in statu innocentiæ pro ipso, & ejus posteris collata sunt. *Inadæquate* autem sumitur pro ea tantum perfectione, quæ est principalis, ac causa cæterarum, vel pro qualibet alia determinata. Hoc eodem Authore teste Recentiores communiter ipsomet consentiente defendunt, justitiam originalem non esse unum habitum, sed plurium, nempe duorum, vel plurium habituum aggregatum, quorum aliqui perficiebant potentias in ordine ad finem naturalem, alii ad finem supernaturalem.

Juxta *D. Thomam* vero justitia originalis secundum *materiale* dicit subjectionem corporis ad animam, & potentiarum inferiorum animæ ad rationem: secundum *formale* autem dicit subjectionem rationis, & voluntatis ad Deum; sed hujus causam fuisse gratiam sanctificantem, tanquam radicem. Hinc *Gonet* cum aliis identificat justitiam originalem inadæquate sumptam cum gratia sanctificante, & per integritatem naturæ solum intelligit subjectionem potentiarum ad rationem.

Scotus tamen cum aliis multis relatis à *Vasquez* Disp. 1. q. 39. n. 29. per justitiam originalem solum intelligit subjectionem potentiarum ad rationem, & rationis ad Deum, tanquam Authorem naturæ, ab eaque distinguit gratiam sanctificantem ex fine, eo quod ista conjungat Deo per amicitiam tanquam fini supernaturali: sed prævalet apud Theologos prior acceptio. Me quod attinet, summo hunc terminum in sensu *Suarii* l. 3. *de homine* c. 20. pro complexo omnium donorum, & habituum statum integritatis primi hominis constituentium.

NOTANDUM 5. Gratiam, & donum indebitum, seu gratuitum posse summi aliquando late, aliquando stricte. *Late* summitur, prout dicit quodvis divinum in ordine ad beatitudinem naturalem humanæ naturæ collatum per creationem, vel auxiliationem v. gr. vita, existentia, membrorum proportio, sanitas &c. *Gratia* autem *stricte accepta* dicit aliquid divinum naturæ humanæ in ordine ad beatitudinem spiritualem superadditum. Ita *D. Thomas* hunc terminum explicat in 2. Sent. dist. 26. q. 1. C. ubi ait: „No„ men gratiæ quamdam liberalitatem importat, „ unde ex hoc, quod gratis datur, gratia dicitur: „ liberalis autem donationis principium est amor. *Et ad* 2. „Cum dilectio Dei bonitatem creaturæ „ causat secundum diversos gradus bonitatis, un-

D „ de

„de & diligere omnes creaturas dicitur secundum „quod bonum naturæ omnibus tradit: sed in „quantum quadam amicabili societate eas trahit „in societatem suæ fruitionis, ut in hoc eorum „sit gloria, & beatitudo, quo Deus beatus est, „effectus hujus dilectionis antonomastice gratia „vocatur; quamvis & omnes naturales bonitates gratiæ dici possint, quia gratis à Deo dantur." Et sic etiam sumit *Author Compend. Salmant.* Tract. 13. dist. dub. 2. §. 3. n. 23.

NOTANDUM 6. Quæstionem potissimum versari in eo, utrum subjectio potentiarum inferiorum virium ad rationem sit homini naturaliter debita in statu puræ naturæ; adeoque sit homini connaturalis? si enim esset connaturalis, manifestum foret, hominem per peccatum originale esse spoliatum donis etiam naturæ humanæ debitis. *Contenson* Tom. 5. Dissertat. 1. c. 1. conatur ostendere, in statu naturæ puræ non dari rebellionem concupiscentiæ.

NOTANDUM 7. Posse aliquid dici naturæ, vel homini connaturale variis modis, late, & stricte. *Connaturale late dictum* est, quod naturæ additur juxta inclinationem naturæ à principio extrinseco; *Connaturale* autem *stricte dictum* est, quod naturæ additur juxta inclinationem naturæ à principio intrinseco. Ita quoad rem dicit *D. Thomas*, qui 1. 2. q. 6. a. 5. ad 2. sic habet: „Naturale dicitur, quod est secundum inclinationem naturæ, dicitur autem naturale dupliciter: uno modo, quia est à natura tanquam principio activo, „sicut calefacere est naturale igni. Alio modo „secundum principium passivum, quia scilicet est „innata inclinatio ad recipiendum actionem à „principio extrinseco; sicut motus cœli dicitur „naturalis propter aptitudinem naturalem cœlestia corporis ad talem motum, licet movens „(nempe intelligentia) sit voluntarium.

In 3. Sent. dist. 22. q. 3. a. 2. qq. 1. in C. sic habet: „Dicitur aliquis motus naturalis dupliciter: uno modo, quia in eo est principium motus activum, & sic corpora gravia moventur „naturaliter: alio modo, quia in eo, quod movetur est dispositio naturalis, per quam aliquid „est mobile ab aliquo movente; & hoc contingit dupliciter, quia vel inest hæc aptitudo ad „hoc, quod moveatur ab illo movente cum inclinatione ad contrarium motum, sicut est in „corpore animalis, & tunc dicitur motus ille violentus, quantum ad naturam corporis, in quantum „est corpus, naturalis autem, quantum ad naturam „corporis, in quantum est animatum, ut dicit Philosophus 8. Physic. aut non est aptitudo ad contrarium inclinans, sicut patet in motu cœlestium corporum, quæ moventur à substantia „separata, & tamen dicuntur moveri naturaliter.

3. p. q. 2. a. 10. in C. affert aliam notionem hujus termini dicens: „Naturale potest aliquid „dici dupliciter: uno modo, quod est tantum ex „principiis essentialibus rei, sicut igni naturale „est sursum ferri; alio modo dicit esse homini „naturale, quod ab ipsa nativitate habet secundum illud Ephes. 2. eramus natura filii iræ, & „Sap. 12. Nequam est natio illorum, & naturalis malitia illorum.

3. p. q. 34. a. 3. ad 2. id explicans ait: *Illud, quod homo habet in principio suæ creationis secundum communem naturæ cursum est homini naturale.* Ex quo infert, gratias extraordinarias in creatione concessas non esse naturales homini, nisi secundum similitudinem.

In 4. Sent. dist. 26. q. 1. a. 1. in C. explicat naturale alio modo dicens: „Dicitur aliquid esse „naturale dupliciter, uno modo sicut ex principiis naturæ ex necessitate causarum, ut moveri „sursum est naturale igni; alio modo dicitur esse „naturale, ad quod natura inclinat, sed mediante „libero arbitrio completur, sicut actus virtutes „dicuntur naturales." Idem habet 1. 2. q. 41. a. 3. in C. Et *contra Gentes* l. 5. c. 122.

NOTANDUM 8. Variis etiam modis posse aliquid dici debitum alteri. *D. Thomas* 1. p. q. 21. a. 1. ad 3. dicit: „Unicuique debetur, quod suum „est: dicitur autem esse suum aliquid, quod ad „ipsum ordinatur, sicut servus est Domini, & „non è converso; nam liberum est, quod sui „causa est: in nomine ergo debiti importatur „aliquis ordo exigentiæ, vel necessitatis alicujus, „ad quod ordinatur. Est autem duplex ordo „considerandus in rebus: unus, quo aliquid certum ordinatur ad aliud certum, sicut partes ordinantur ad totum, & accidentia ad substantias, „& unaquæque res ad suum finem. Alius ordo, „quo omnia creata ordinantur in Deum. Sic „igitur & debitum dupliciter considerari potest „in operatione divina, aut secundum quod debetur aliquid Deo, aut secundum quod aliquid „debetur creaturæ, & utroque modo Deus debitum reddit. Debitum enim est Deo, ut impleatur in rebus id, quod ejus voluntas, & sapientia habet, & quod suam bonitatem manifestat, & secundum hoc justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundum quam sibi reddit, „quod sibi debet. Debitum etiam est alicui rei „creatæ, quod habeat id, quod ad ipsum ordinatur, sicut homini, quod habeat manus, & „quod ei alia animalia serviant, & sic etiam Deus „operatur justitiam, quando dat unicuique, quod „ei debetur secundum rationem suæ naturæ, vel „conditionis, sed hoc debitum dependet ex primo, quia hoc unicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsum secundum ordinem divinæ sapientiæ, & licet Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor, quia ipse „ad alia non ordinatur, sed potius alia ad ipsum."

Ex hoc textu, & similibus multis *D. Thomæ* patet, quod Deus nulli creaturæ independenter à promisso proprie sit debitor, adeoque quidquid creaturæ confert, est mera gratia, quamvis hic terminus solum adhibeatur respectu creaturæ rationalis. Imo sequitur, quod auxilium possit esse debitum ut comparatum ad subjectum, & simul possit esse gratia, ac donum indebitum, prout comparatur ad dantem, qui non tenetur dare.

1. 2. q. 99. a. 5. in C. *D. Thomas* distinguit debitum necessitatis, & congruitatis. Ad tollendam omnem æquivocationem distinguo debitum in absolutum, & conditionatum. *Absolutum* est, quod debetur creaturæ rationali nulla intermediante actione humana libera tanquam conditione, sic v. g. membra condecentia debentur absolute generi humano. Debitum *conditionatum* est, quod

quod solum debetur homini à Deo ex suppositione amicitiæ contractæ cum homine sub reciproca conditione, si vicissim se dignum præstet, & tanquam verus amicus perseveret, & auxilia sibi ad facilem observantiam necessaria debito fervore requirat, petat, ac mereatur, interveniente actione libera, nempe oratione, vel merito: & tale est Beatitudo hominis, seu finis saltem naturalis.

DICO I. Homo per peccatum originale non est spoliatus donis suæ naturæ *absolute* debitis.

PROBATUR 1. Homini nunc debetur ordo ad finem, seu beatitudinem spiritualem quoad substantiam, nunc facilitas perveniendi ad finem suum naturalem per subjectionem potentiarum inferiorum ad rationem, nunc gratia intrinseca spiritualis; & aliud non est assignabile absolute humanæ naturæ debitum, quo fuerit homo spoliatus: ergo non est spoliatus donis naturæ humanæ absolute debitis. *Ant.* quoad 1. memb. probatur ex damnatione propositionum *Baji*, inter quas sunt sequentes: 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* 79. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia originali.*

PROBATUR 2. Deus potest ad augendum hominis meritum, & ad commendandam magnitudinem gratiæ hominem post baptismum relinquere in eadem prava dispositione, in qua prius erat: ergo & poterat ob eosdem fines laudabiles eum in hoc statu creare.

DICO II. Homo per peccatum originale vulneratus est etiam in naturalibus late dictis, & spoliatus donis sibi conditionate debitis.

PROBATUR. Homo spoliatus est subjectione potentiarum inferiorum ad rationem, & facilitate perveniendi ad finem suum ultimum, etiam naturalem, consistentem in fruitione Dei abstractiva, ut dicetur in Tract. *de Virtutibus*: sed hæc subjectio potentiarum inferiorum ad rationem, & facilitas perveniendi ad finem suum naturalem erat donum naturale humanæ naturæ conditionate debitum: ergo. *Min. prob.* in primis quoad hoc, quod sit *conditionate debitum*. Nam si Adamus perseverasset, transiisset hoc donum in debitum absolutum ex pacto. Dein etiam independenter à tali pacto Deus ex suppositione, quod per infusionem gratiæ sanctificantis ineat cum homine amicitiam, ex legibus amicitiæ tenetur amico per auxilia convenientia succurrere, ut possit emergere ex perpetua miseria, ac difficultate summa perveniendi ad finem, si ab amico auxiliorum illorum collatio, vel conservatio humiliter, & instanter petatur, vel per merita congrua exquiratur. Quod vero ejusmodi *subjectio potentiarum* ad rationem, in latiori acceptione possit vocari donum naturæ humanæ *connaturale*, probatur ex *D. Thoma*, qui in textibus *Notando* 7. allegatis vocat illud connaturale, vel naturale etiam illud, *quod est secundum principium passivum, quia scilicet rei est innata inclinatio ad recipiendum actionem à principio extrinseco.* Item *motum in eo, quod movetur secundum dispositionem naturalem, per quam est aliquid mobile ab aliquo movente.*

D. Amort Tract. de Peccato origin. & gratia.

PROBATUR 2. Authoritate *D. Thomæ*, qui asserit hominem esse vulneratum in naturalibus, eo quod sit spoliatus subjectione potentiarum ad rationem, & harmonia partium sibi connaturali; atqui ea harmonia, & subjectio non erat absolute debita, ut constat ex natura liberi arbitrii, & variis aliis textibus *D. Thomæ* apud *Gonet.* ergo fuit spoliatus tantum donis tantum late, & conditionate debitis.

In 3. Sent. dist. 20. q. 1. a. 1. in C. dicit: „Naturale dupliciter dicitur, uno modo id, quod „consequitur ex principiis speciei, & hoc non „mutatur per peccatum, nec in homine, nec in „dæmone, sicut nec species. Alio modo dici„tur naturale id, ad quod natura est ordinata, „& quantum ad hoc naturale per peccatum tol„litur, in quantum aufertur beatitudo, ad quam „natura ordinata est, & diminuitur habilitas ad „ipsam, & sic natura corrupta erat, quia non „poterat perduci ad beatitudinem ab aliquo illius „naturæ corruptæ, nisi natura reparata esset.

Idem in pluribus locis dicit, ordinem potentiarum, & subjectionem ad rationem esse naturalem. Hic q. 85. a. 3. dicit: „Per justitiam origi„nalem perfecte ratio continebat inferiores ani„mæ vires, & ipsa ratio à Deo perficiebatur el „subjecta. Hæc autem originalis justitia subtra„cta est per peccatum primi hominis, & ideo „omnes vires animæ permanent quodamodo de„stitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordi„nantur ad virtutem, & ipsa destitutio vulnera„tio dicitur naturæ.

1. 2. q. 82. a. 3. ad 1. ait: „In homine concu„piscibilis naturaliter regitur ratione: in tantum „concupiscere est homini naturale, in quantum „est secundum rationem; in quantum autem „concupiscentia transcendit limites rationis, in„est homini contra naturam.

Ibidem q. 85. a. 1. in C. „Bonum naturæ hu„manæ potest tripliciter dici. 1. ipsa naturæ hu„manæ principia, & ejus proprietates, ut po„tentiæ animæ. 2. inclinatio ad virtutem, quæ „est quoddam bonum naturæ. 3. potest summi „bonum naturæ originalis justitia. Per bonum „primi generis nec tollitur, nec minuitur. ter„tium bonum totaliter est ablatum per peccatum „primi hominis, sed medium bonum scilicet ipsa „naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per „peccatum.

Ex hoc textu patet, per peccatum originale ablatas esse aliquas perfectiones naturales non quidem absolute, & stricte, sed conditionate debitas.

PROBATUR 3. Christus comparat hominem in Adamo lapsum illi homini, qui in Jericho incidit in latrones, & plagis impositis relictus est, sed ille amisit aliquid perfectionis. Scilicet vigorem naturalem: ergo. *Maj.* patet per Interpretes v. g. per *Gregor. M.* 4. Dialog. c. 1. Et per *D. Ambrosium* in hunc locum, & Bedam, qui ait: *Peccata intelliguntur plagæ, quibus naturæ humanæ integritas violatur.*

PROBATUR 4. Moralis possibilitas servandi totam legem naturæ, & immunitas à servitute diaboli est proprietas humanæ naturæ saltem con-

ditionate debita: ſed hæc fuit amiſſa per peccatum Adami; ergo. *Min.* patebit ex dicendis in Tract. *de Gratia*, & patet etiam ex eo, quia certum eſt, *natura nos eſſe filios iræ*, *& conſtitui ſub ſervitute diaboli.*

Probatur 5. Ex diuturna privatione gratiæ ſanctificantis, & ex actibus concupiſcentiæ actualis potentiarum inferiorum ſeorſim ſumptarum nata eſt ſaltem ſucceſſive, & per accidens concupiſcentia generalis, per modum habitus vitioſi traducti in poſteros Adami: ergo ſaltem mediate, & per accidens humana natura ſpoliata eſt aliquo dono ſibi conditionate debito, nempe immunitate à morbo naturæ. *Ant. prob.* in primis ex communi ſenſu; quia juxta communem ſenſum habitualis concupiſcentia, & ſomes peccati eſt poſitiva deordinatio, ac perverſio naturæ inſtar morbi. *Prob.* 2. à pari: ſubtracto ſole naſcitur poſitivum frigus in mundo, ſubtracta harmonia partium, & proportione liquidorum cum ſolidis in corpore humano naſcitur poſitiva morbida qualitas, ac perverſio humorum: ergo idem fit in natura humana ſubtracta prima integritate. *Prob.* 3. Authoritate *D. Auguſtini*, qui l. 6. contra Julian. c. 7. ait: „Ego tanquam valetudinem „malam ex origine vitiata ingenitum eſſe dico „homini vitium, quo caro concupiſcit adverſus „ſpiritum. *Et l. 1. de nuptiis c.* 25. Concupiſcen„tia non ſubſtantialiter manet, ſicut aliquod cor„pus aut ſpiritus, ſed affectio eſt quædam malæ „qualitatis, ſicut languor.

Et c. 31. „Carnem appellavit, ubi eſt quidem „morbidus carnis affectus, non ipſam corporis „conſormationem.

Probatur 6. Authoritate *D. Thomæ*: 1. 2. q. 82. a. 1. in C. ubi ſic habet: „Duplex eſt „habitus, unus, quo inclinatur potentia ad agen„dum, ſicut ſcientiæ, & virtutes dicuntur habi„tus, & hoc modo peccatum originale non eſt „habitus. Alio modo dicitur habitus diſpoſitio „cauſæ ex multis compoſitæ, ſecundum quam „bene ſe habet vel male ad aliquid, & præcipue „cum talis diſpoſitio fuerit quaſi in naturam ver„ſa, ut patet de ægritudine, & ſanitate; & hoc „modo peccatum originale eſt habitus, & eſt „quædam inordinata diſpoſitio proveniens ex diſ„ſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat „ratio juſtitiæ originalis, ſicut & ægritudo cor„poralis eſt quædam diſpoſitio corporis, ſecun„dum quam ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit „ſanitas ratio. Unde peccatum originale lan„guor naturæ dicitur.

Et ad 1. ubi ſibi objecerat, quod peccatum originale ſit privatio originalis juſtitiæ, privatio autem non ſit habitus, reſpondet ſic: „Diendum, „quod ſicut ægritudo corporalis habet aliquid de „privatione, in quantum tollitur æqualitas ſani„tatis, & aliquid habet poſitive, ſcilicet ipſos „humores inordinate diſpoſitos: ita etiam pecca„tum originale habet privationem originalis ju„ſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem „partium animæ; unde non privatio pura, ſed „eſt quidam habitus corruptus.

Et ad 2. „Dicendum, quod originale pecca„tum eſt quædam diſpoſitio inordinata naturæ. „hujusmodi autem diſpoſitio naturæ habet ratio„nem habitus.

Et ad 3. „Peccatum originale non eſt habi„tus, quo potentia inclinatur in actum, quam„vis etiam ex peccato originali ſequatur aliqua „inclinatio in actum inordinatum, non directe, „ſed indirecte, ſeu per remotionem prohibentis, „id eſt, originalis juſtitiæ, ſicut etiam ex ægri„tudine corporali indirecte ſequatur inclinatio ad „motus corporales inordinatos.

Ex his textibus patet, quod per peccatum originale inducatur ſaltem indirecte, mediate, & per accidens vera ægritudo naturæ humanæ: cum ergo ægritudo ſit malum naturæ, & ſanitas ſit debita ſaltem debito late dicto, & conditionate, ſequitur, quod natura humana per peccatum originale ſit ſpoliata aliquo bono naturæ late dicto ſaltem conditionate debito, nempe niſi interveniat voluntaria corruptio in primo ſonte propagationis humanæ.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra 1. Concluſ. In ſtatu naturæ lapſæ datur tanta perverſitas, quæ abſolute non potuit exiſtere in natura pura: ergo per peccatum originale homo eſt ſpoliatus bonis abſolute naturæ debitis. *Ant. prob.* In ſtatu naturæ lapſæ datur tanta rebellio concupiſcentiæ, ut nemo poſſit moraliter diu ſervare legem naturæ, vel vivere ſine peccato mortali per ſolas vires naturæ; ſed hæc perverſio abſolute non potuit exiſtere in ſtatu naturæ puræ: ergo. *Min. prob.* repugnat divinæ bonitati, & juſtitiæ, ut hominem innocentem condat in eo ſtatu, in quo moraliter ipſi impoſſibile eſt obtinere finem ultimum.

2. Talis ſtatus, in quo reperitur natura lapſa, nemini eſt optabilis, ergo nec ponibilis à Deo reſpectu innocentis. *Ant. prob.* Ille ſtatus nemini eſt optabilis, in quo ex una parte reperitur moralis neceſſitas ad peccatum mortale indeterminatum, ex altera vero parte poſt peccatum grave non datur jus ad veniam: ſed talis ſtatus eſt ſtatus naturæ lapſæ. *Maj. prob.* Ille ſtatus habet moralem certitudinem damnationis æternæ reſpectu ſaltem majoris partis generis humani; ſed talis non eſt optabilis: ergo.

3. Implicat, ut juſtiſſimus, ſapientiſſimus, ac optimus Moderator mundi nulla præcedente culpa ſub comminatione æternæ pœnæ hortetur ad legis obſervantiam, & tamen ponat obicem moraliter inſuperabilem: ergo etiam implicat talis ſtatus puræ naturæ, qualis eſt lapſæ.

Respondeo ad 1. n. a. *ad Prob.* diſt. Datur tanta rebellio concupiſcentiæ, ut nemo poſſit diu vivere ſine peccatis per vires naturæ, ſi non petat à Deo gratiam. c. per vires gratiæ, ſi eam petat. n. Poſſet enim homo in tali ſtatu ſicut & nunc petere gratiam, quæ illi infallibiliter conſerretur in omni ſtatu, & debetur homini non quidem ex merito humano, ſed ex ordinatione divina, qua Deus hominem vult ſalvum fieri, nempe ex debito conditionato, facta ſcilicet ſuppoſitione, quod decenter petat.

Ad 2. n. a. *ad Prob. Tr. M. D. min.* quoad 1. part. datur talis neceſſitas ſpectatis ſolis viribus naturæ. c. viribus gratiæ. n. Senſus patet ex dictis

dictis in prima responsione, quia Deus hoc suæ ordinationi debet, ut conferat homini viatori gratiam congruam ad finem, si eam debite petat, licet ea petitio non habeat rationem meriti, nec verum sit, quod homini hæc debeatur.

Ad 3. Eodem modo dist. 2. quoad 2. memb. implicat, ut ponat obicem moraliter insuperabilem, etiam per vires gratiæ. c. a. tantum insuperabilem per vires naturæ. n. a. Sensus patet ex dictis, quia omnis difficultas in statu naturæ lapsæ reperibilis potest superari per vires gratiæ, si eam homo debite petat, licet gratiam Deus non orationi, vel homini debeat, tanquam jure ipsi debeatur, sed tantum sibi, & suæ præordinationi, quia dum hominem viatorem adhuc ordinat ad finem naturalem, vel supernaturalem, vi hujus sui decreti seu ordinationis tenetur debito conditionato homini conferre gratiam, si eam petat debite, ita ut ea petitio sit tantum conditio ad gratiam præordinatam à Deo.

Dices: Ex hac responsione sequeretur, quod auxilium divinæ gratiæ tam in statu naturæ lapsæ, quam puræ debeatur oranti, ac supplicanti: hoc non potest dici; ergo. *Min. prob.* si deberetur gratia oranti, tunc gratia jam non esset gratia, sed debitum: ergo.

2. Deus juxta *D. Thomam* nulli est debitor: ergo nec tenetur dare hanc gratiam.

Respondeo *ad* 1. dist. *Maj.* Sequeretur, quod deberetur gratia debito absoluto n. conditionato *subdist.* conditione fundata in ipsa præordinatione divina c. fundata in merito, vel jure humano n. Verum est, quod deberetur homini auxilium divinum necessarium ad obtinendum suum finem, supposito, quod illud debite petat, sed hoc ipsum debitum fundatur in præordinatione divina, qua Deus vult hominem tendere ad suum finem, & sic etiam vult conferre media ad hunc finem, supposito, quod competenter petat. Itaque origo debiti est bonitas, & præordinatio divina, non meritum humanum, & ob hoc gratia manet gratia.

Hæc responsio est *D. Thomæ* in Summa 1. 2. q. 112. a. 3. C. ubi sic habet: *Præparatio ad gratiam, secundum quod est à libero arbitrio, nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo potest considerari, secundum quod est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest. Unde si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequetur.*

Et in 2. Sent. dist. 28. q. 1. a. 4. C. dicit: *Dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare; faciendo enim quod est in se, gratiam à Deo consequetur.*

Et ibid. ad 2. *Homo non potest se ad gratiam præparare, nec aliquid bonum facere sine Dei auxilio. Et ideo rogandus est, ut nos ad se convertat. Nec tamen oportet, quod illud auxilium semper sit per aliquem habitum infusum, sed potest esse per merita, quæ exterius sunt salutis occasio, & per ipsum actum interiorem, quem Deus in nobis causat.*

Et ad 4. *Etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id, quod in ratione naturale est.* Ex his ergo patet, quod etiam in statu naturæ lapsæ possit homo infallibiliter consequi gratiam, non ex merito, sed ex præordinatione divina.

Ad 2. c. a. dist. c. ergo nec tenetur conferre hanc gratiam obligaticne fundata in merito, vel jure humano c. fundata in sua præordinatione n. Bene dicit *D. Thomas*, quod Deus non sit debitor creaturæ, nisi ex promisso, & pacto; est tamen debitor suæ sapientiæ, & suæ præordinationis, quia debet suam præordinationem implere, adeoque conferre creaturæ media ad finem, quoniam illam præordinavit ad finem, debet tamen conditionate, si creatura competenter petat.

Dices 2. *D. Augustinus* in omnibus fere libris contra Pelagianos ostendit, pertinere ad hæresin Pelagianam, vel Semi-Pelagianam, quod homo per vires naturæ possit vocare medicum, & petere sanitatem in hoc statu naturæ lapsæ: ergo homo in hoc statu est absolute in statu moralis impossibilitatis per vires naturæ consequendi finem. Et debitum hoc conditionatum sub conditione est dogma hæreticum.

Respondeo dist. Est hæreticum, quod homo possit vocare medicum, & petere sanitatem animæ oratione meritoria vitæ æternæ, aut meritoria gratiæ perducentis ad vitam æternam c. vocatione, & oratione præeunte per modum dispositionis, vel conditionis ad gratiam n. Contrarium enim ostendetur in Tract. *de Gratia*, & patet ex præadducto textu *D. Thomæ*.

Dices 3. In statu naturæ lapsæ saltem parvuli sunt in statu absolutæ impossibilitatis perveniendi ad suum finem, & in obligatione ad pœnam æternam saltem damni, sed talis status non est eligibilis ab homine, nec ponibilis convenienter à Deo independenter à suppositione peccati: ergo.

Respondeo dist. Sunt sub obligatione incurrendi pœnam damni præcise negativam sine ullo sensu illius damni, vel alterius afflictionis c. cum tali sensu n. In sequenti enim quæstione dicetur, parvulos æternum manere in eo statu, in quo eos mors reperit: cùm ergo nondum tunc agnoverint Deum, etiam eos futuros in æternum sine cognitione, adeoque sine tristitia ex amissione tanti boni; & sicut infantes mortui non habent alias pœnalitates corporis, ita erunt in eo statu æternum. Neque periculum incurrendi talem statum esset motivum infantibus non eligendi vitam, quia hoc periculum spectato cursu causarum generalium compensatur per spem prudentem perveniendi tandem ad usum rationis, & finem creationis ultimum. Neque etiam Deus generali voluntate ordinans cursum generalem causarum tenetur præcavere frustrationem ejusmodi animarum à fine; cum & multa entia alia naturalia non perveniant ad fines, ad quos ex natura destinantur, v. g. oculus ad videndum, lux in tenebris orta, & extincta, quin serviat oculo ullius animalis.

Dices 4. Nullus hominum suam prolem traderet sævissimo tyranno in servitutem motu proprio, ergo etiam repugnat bonitati divinæ, ut

ut condat hominem in ea fervitute diaboli, in qua de facto eft: ergo homo per peccatum originale fpoliatus eft immunitate à fervitute diaboli, tanquam abfolute fibi debita.

RESPONDEO 1. tr. a. n. c. & paritatem. Difparitas eft, quia Deus ex hoc poteft elicere majora bona, quod non poteft homo; & quia ipfe poteft affiftere tali homini per auxilium gratiæ perpetuum, ne accipiat detrimentum verum ex fervitute diaboli, quod iterum non poteft homo, hinc etiam Sanctos Deus nonnunquam tradit Sathanæ v. g. Jobum, eosque permittit graviffimis exagitari tentationibus; cur ergo ob fimiles fines id non poffit permittere generaliter intra moderatos limites refpectu totius generis humani?

RESPONDEO 2. tr. a. dift. c. Ergo id repugnat refpectu Dei, nifi homo in promptu habeat auxilium Dei, quo liberetur à fervitute tyranni c. fecus n. Poteft enim homo petere auxilium gratiæ pro fe, vel aliis, & fic cavere, ne patiatur verum detrimentum animæ. Hæc eft Refponfio *S. Auguftini* l. 3. de lib. arbit. c. 20. & 22. ubi excufans Deum in hypothefi, quod fingilatim animas crearit, aut alibi creatas detrufe-rit in tantam difficultatem, refpondet: *Concupifcentia refpectu talis animæ eft perficiendi admonitio, & perfectionis exordium, ut ex ipfa difficultate admoneatur eundem implorare adjutorem perfectionis fuæ, quem incboationis fentit authorem, fi quibus in ipfa ignorantia, & difficultate liberam voluntatem petendi, & quærendi, & conandi non abftulit, daturus petentibus, demonftraturus quærentibus, pulfantibus aperturus, omnino extra culpam effet.* Et c. 19. *Nulli enim hominum ablatum eft fcire utiliter, quod inutiliter ignoratur; humiliter confitenda imbecillitas, ut quærenti, & confitenti ille fubveniat, qui nec errat, dum fubvenit, nec laborat.* Et lib. de natura, & gratia c. 43. *Admonet nos Deus, facere, quod poffumus, & petere, quod non poffumus.*

OBJICITUR 2. Concilium Trid. conformiter ad Concilium Arauficanum I. expreffe definit, naturam humanam etiam fpoliatam fuiffe donis corporalibus: fed dona corporalia funt naturæ humanæ abfolute debita; ergo. *Maj. prob.* Concilium Trid. Seff. 5. fic habet: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradifo fuiffet transgreffus, ftatim fanctitatem, & juftitiam, in qua conftitutus fuerat, amififfe, incurriffeque per offenfam prævaricationis hujusmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem fub ejus poteftate, qui mortis dehinc habuit imperium, hoc eft, diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offenfam fecundum corpus, & animam in deterius commutatum fuiffe, anathema fit.*

RESPONDEO 1. dift. *Maj.* Definit, naturam humanam effe fpoliatam donis corporalibus naturæ humanæ indebitis c. naturæ humanæ debitis n. Senfus Concilii tantum eft, quod Adamo, & pofteris fubtractum fuerit donum immortalitatis, & incorruptibilitatis quoad corpus, quod donum fine dubio eft naturæ humanæ indebitum.

RESPONDEO 2. dift. Dicitur homo in deterius commutatus, comparatione facta ad ftatum juftitiæ originalis c. ad ftatum naturæ puræ n. Manifeftum eft ex contextu Concil. Araufic. ibi fermonem effe de immortalitate corporis, quæ habet locum in ftatu elevationis fupernaturalis, & innocentiæ, ut definitum eft ab Ecclefia contra *Bajum*, non autem in ftatu naturæ puræ.

OBJICITUR 3. Sententia, quod homo tantum fuerit fpoliatus donis gratuitis, fuit damnata in *Congreg. de auxil.* fub *Clemente VIII.* & *Paulo V.* ergo. *Ant. prob. Auguftinus le Blanche*, id eft, *Serryus* in Hiftor. de auxiliis gratiæ affert Bullam *Pauli V.* jam confcriptam pro damnatione hujus fententiæ.

2. Idem exhibet Canones Doctrinæ definiendæ fub Paulo V. jam à Confultoribus confcriptos, inter quos primus damnat hanc fententiam: ergo eft magnum præjudicium contra hanc fententiam, utpote poft tam accuratas difcuffiones jam damnationi proximam.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob.* dift. Exhibet Bullam conceptam à Theologis adverfæ fententiæ tr. decretam à Summo Pontifice n. Ea enim Bulla tantum erat formula proponenda Summo Pontifici pro condemnatione fententiæ. Dein, ut teftatur *Theodorus Eleutherius*, id eft, Livinus Mayr S. J. contra *Aug. le Blanche* in iisdem Congregationibus fteterunt varii Confultores pro *Molina*, videlicet *Henric. Sylvius* Vicarius Generalis Ord. Carmel. *Antonius Bovius* ejusdem Ord. Theologus, poftea Melvenfis Epifcopus, *Joan. Bapt. Blumbinus* Procurator Generalis Ord. S. Aug. & *Bafilius Pignatellus* Epifcopus Aquilanus.

RESPONDEO 2. invertendo argumentum: *Antonius Bovius* delineavit Bullam in favorem *Molinæ:* ergo oppofita fententia jam erat proxima condemnationi.

RESPONDEO 3. dift. Afferit hoc *Serryus* documentis non authenticis c. authenticis n. Declaravit *Innocentius X.* ea documenta, quæ circumferuntur *de Congreg. de auxil.* non habere fidem, & authenticam. Decretum Innocentii X. fic habet: *Cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam afferta, acta, M. S. & forfan typis excufa Congregationum habitarum coram fel. record.* CLEMENTE VIII. & PAULO V. *fuper quæftione de auxiliis gratiæ divinæ, tam fub nomine Franc. Pegnæ, olim Rotæ Rom. Decani, quam Frat. Thomæ de Lemos Ord. Prædicat. aliorumque Theologorum, & Prælatorum, qui, ut afferitur, prædictis Congregationibus interfuerunt, nec non quoddam autographum, feu exemplar affertæ conftitutionis ejusdem Pauli V. fuper definitione prædictæ quæftionis de auxiliis, ac damnationis hujus fententiæ, feu fententiarum Ludovici Molinæ S. J. Eadem Sanctitas præfenti fuo Decreto declarat, ac decernit, prædictis affertis actis tam pro fententia FFr. Ord. S. Domin. quam Ludov. Molinæ, aliorumque Societatis, & Autographo, feu exemplari prædictæ affertæ conftitutionis Pauli V. nullam omnino effe fidem adhibendam, neque ab altera parte, feu à quocunque alio allegari poffe, ac debere.* Ita Decretum.

Nec poteft dici, quod hujusmodi actis tantum fuerit abrogata fides decifiva, non autem fides hiftorica; ficut v. g. prohibitæ funt Declarationes Cardinalium *Trident.* Interpretum editæ à *Bar-*

à *Barbosa*, & universim omnes Declarationes Cardinalium in *Tridentinum* à quibuscunque editæ, ut patet ex Indice expurgatorio, quin tamen his Declarationibus adempta sit fides historica: non, inquam, sufficit hoc dicere, quia illa acta non tantum fuerunt prohibita, sed insuper declaratum est, nullam fidem iis adhibendam, adeoque nec historicam. Ex quo Pontifex videtur insinuare, quod aliqua in illis Actis contineantur de falsitate saltem suspecta.

Respondeo 4. dist. Concepta erat Bulla saltem à Theologis plerisque contra sententiam asserentem, quod homo non fuerit spoliatus etiam donis naturalibus homini debitis debito saltem late tali aut conditionato tr. stricte tali, aut absoluto n. Theologi enim illi utpote addicti sententiæ *D. Thomæ* tantum urgebant, quod homo amiserit aliquam integritatem naturæ ordinis naturalis, quamvis non voluerint asserere, eam naturæ humanæ integritatem ordinis naturalis fuisse homini absolute debitam, cum non voluerint renovare sententiam *Baji* paulo prius damnatam dicentis, quod integritas naturæ fuerit homini primo debita.

Dices: Potest dici, quod *Bajus* tantum fuerit damnatus in eo sensu, quod integritatem totalem justitiæ originalis, seu justitiam etiam ordinis supernaturalis dixerit naturæ humanæ fuisse debitam; non autem in eo sensu, quod tantum integritatem ordinis naturalis, seu subjectionem virium animæ ad rationem docuerit naturæ humanæ fuisse debitam.

Respondeo n. a. Quia inter propositiones damnatas *Baji* una loquitur de *exaltatione*, ac *sublimatione* humanæ naturæ, ad statum utique spiritualem; altera autem loquitur tantum de integritate naturæ humanæ, quæ præcise dicit subjectionem potentiarum inferiorum ad rationem.

Objicitur 4. contra 2. Conclus. Potest dici, quod naturæ humanæ contigerit, sicut Samsoni resectis crinibus, dum amisis fortitudine rediit ad infirmitatem naturæ humanæ propriam, sed ille nullum accepit vulnus naturæ, nec passus est detrimentum ullius doni naturalis: ergo nec homo lapsus.

2. *D. Thomas* loc. cit. ad 3. dicit: habitualem concupiscentiam non consistere in qualitate positiva, sed tantum in activitate potentiarum sublato fræno consistente in gratia originalis justitiæ: ergo homo per peccatum originale nihil amisit perfectionis naturalis sibi debitæ.

3. Homo in omni statu fuisset obnoxius tentationibus dæmonum, & motus potentiæ appetitivæ in omni statu habuissent suum cursum, ubi non impediebantur per supernaturale donum: ergo nulla ratione homo fuit vulneratus in naturalibus. *Ant.* quoad 2. memb. est *D. Thomæ*, quoad 1. autem patet exemplo Adami, & Evæ, qui etiam in paradiso fuerunt subjecti tentationibus, & illusionibus dæmonis.

4. Est longe expeditius, captu facilius, & minoribus difficultatibus obnoxium systema Doctrinæ de peccato originali, si homo dicatur tantum spoliatus donis gratuitis, instar rustici elevati ad dignitatem aulicam cum tota posteritate, sed ob crimen grave cum tota sua familia remissi in pristinum tugurium.

Respondeo ad 1. n. a. Quia aliis hominibus nil deest ad decentiam sui status requisitum, si illis deest tantum fortitudo Samsonis. Econtra naturæ humanæ deest requisitum ad decentiam sui status, si illi deest per se moralis possibilitas servandi legem, & perveniendi ad suum finem, & ubi datur positiva ægritudo virium animæ.

Ad 2. n. a. Solum enim dicit, quod peccatum originale non sit habitus, dicit tamen, illud, quod ex peccato sequitur, consistere in habitu positivo, nempe in qualitate physica morbida distincta à deordinatione singulorum potentiarum animæ. Nam ex subtracta originali harmonia potentiarum animæ nascitur positivus habitus, seu potius inertia earumdem potentiarum, quatenus communi quadam resistentia, seu actione contrariativa resistunt ad ductum rationis; aliud enim est, quod potentiæ singulæ non facile sequantur ductum rationis ea facilitate, & subjectione, quæ pertinet ad integritatem justitiæ originalis: & aliud est, quod positive communi actione resistant rationi, nec velint subjici, nisi per speciale auxilium divinum; hoc enim pertinet ad vulnus naturæ, & fomitem concupiscentiæ, & legem peccati dominantem in membris, ut *D. Augustinus* agnoscit, dum l. 1. *de peccat. meritis* c. 29. ait: *Quod igitur in membris corporis hujus movetur, totumque animum in se dejectum conatur attrahere, & neque cum mens voluerit, assurgit, neque cum mens voluerit, quiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo.*

Et l. 6. c. 8. *Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine vel Superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora Superioribus contumaciter reluctantur, etsi vincere non sinantur.*

Ad 3. dist. habuissent suum cursum, attamen sine obstinata resistentia difficulter superabili. c. cum tanta reluctantia. n. In statu integritatis inordinatio appetituum exsurgens facile refrænari potuisset, vel per donum naturale intellectus, & voluntatis, & potentiis superadditum, & in statu naturæ puræ antecedenter ad omnem suppositionem peccati facile illi motus compesci potuissent per providentiam ipsius hominis non permittentis eos motus transire in habitum, prout tamen de facto transierunt: ex neglectu enim celeris pœnitentiæ ultroneæ transierunt in habitum in Adamo primo parente generis humani.

Ad 4. n. a. Quia non salvatur textus Scripturæ: quod nempe simus *filii iræ*, concepti de immundo semine, & similia, nisi dicatur, quod Deus in odium primæ inobedientiæ subtraxerit homini aliquod requisitum ad decentiam ejus status, quamvis compensaverit illud per hoc, quod homini contulerit occasionem majoris meriti, & præmii, & ipsum hominem constituerit objectum suæ miserationis, sicque miserit Christum, qui alioquin forte non venisset ut Redemptor.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quæ sit pœna peccati originalis, præsertim respectu parvulorum sine baptismo decentium?

NOTANDUM I. Certum esse contra Pelagianos, & alios impugnatores peccati originalis mortem triplicem, & alias ærumnas hujus vitæ esse pœnam peccati originalis. *Bellarminus* Tom. 4. l. 6. c. 9. illa mala enumerans constituit ea in 5. classibus, nempe 1. ex parte intellectus. 2. ex parte voluntatis. 3. ex parte partis inferioris, seu potentiæ appetitivæ. 4. ex parte corporis. 5. ab extrinseco.

Ex parte intellectus sunt 1. Ignorantia rerum necessariarum tanta, quanta nec in bestiis cernitur, ut observat ex *Augustino*. 2. Fatuitas, seu tarditas ad capiendas operationes naturæ suæ congruas. 3. Horror discendi. 4. Ignoratio finis ultimi proprii. 5. Ignoratio mediorum ad finem. 6. Difficultas contemplandi, quamvis contemplatio naturæ rerum sit homini propria. 7. Ignoratio propriæ mentis. 8. Depressio intellectus per operationes corporeas. 9. Curiositas, seu studium inquirendi sibi inutilia. 10. Evagatio phantasiæ ad impertinentia etiam dum nolumus.

Reliqua mala ex parte voluntatis, áppetitus &c. videri possunt in *Bellarmino*. Solum ergo superest quæstio de pœnis alterius vitæ hominum cum solo originali peccato decedentium.

NOTANDUM 2. Varias esse hac in re sententias. *Prima* est cujusdam *Vincentii*, quem refutat *S. Aug.* & *Zwinglii*, qui censent, omnes parvulos etiam infidelium salvari, atque in regnum cœlorum admitti. Quem errorem quoad parvulos fidelium adoptarunt *Bucerus*, & *Calvinus* à *Bellarmino* refutati. *Secunda* est *Pelagianorum*, qui dicebant, parvulos non quidem admitti ad regnum cœlorum, & visionem Dei intuitivam, ac beatitudinem supernaturalem, eos tamen habituros quamdam æternam, ac beatam vitam. Huic errori, quem pluribus in locis revellit *S. Augustinus*, proxime accesserunt alli, qui licet à Pelagianis in hoc dissentiant, quod illi docuerint, parvulos esse innocentes, nec peccato originali infectos, quod ipsi concedunt, in isto tamen puncto conveniunt. Tales authores sunt *Catharinus*, *Pighius*, *Savanorella*, *Amicus*, *Sfondrati*, eamque opinionem probabilem censet *Salmeron*; *Salas*, & probabiliorem *Martinez*, & alii Recentiores, ut testatur *Author Compend. Salmantic.* *Tertia* docet, parvulos in inferno puniri morte æterna, ac privatione visionis beatificæ, sic tamen, ut exinde nullam patiantur tristitiam, nec ullum dolorem internum, vel externum. Ita docet *S. Thomas de Malo* q. 5. a. 1. ad 3. Et in 2. Sent. dist. 33. q. 2. a. 1. & Thomistæ communiter. Item *Magister*, *Scotus* cum suis, *Suarez* hic Disp. 9. Sect. 6. *Vasquez* Disp. 134. c. 3. cum aliis è S. J. *Quarta* docet, tales parvulos ex privatione visionis beatificæ pati dolorem, nempe tristitiam, ita *Aureolus* & *Bellarminus* cum aliis, quos citat. *Quinta* est, quod parvuli puniantur etiam pœna ignis. Ita *Ariminensis*, *Triedo*, & videtur esse *S. Augustini*, ac propterea communiter defenditur ab Augustinianis Eremitis.

DICO I. Parvuli sine baptismo decedentes nec fruuntur, nec post diem judicii fruentur beatitudine aliqua temporali.

PROBATUR Conclusio. Contraria sententia semper in Ecclesia habita est pro erronea, ac hæretica: ergo. *Ant. prob.* 1. ex *D. Augustino*, qui *de hæres.* c. 88. de Pelagianis loquens ait: *Promittunt parvulis, etsi non baptizentur, extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quamdam vitam suam.* Et lib. 1. de orig. animæ c. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, regnumque cœlorum quietis, vel felicitatis cujuslibet quasi medium locum; hoc enim eis hæresis Pelagiana promittit.*

Lib. 2. c. 12. *Novellos hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit authoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, & salutis locum etiam præter regnum cœlorum.* Lib. 1. de Peccat. meritis c. 28. *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Deus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait: qui non est mecum, contra me est.*

Serm. 14. *de verbis Apostoli:* Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. de vivis, & mortuis judicabitur; alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud.

PROBATUR 2. ex *Innocent. I.* qui in Epist. ad Patres Concilii Milevitani idem docet his verbis: *Illud vero, quod Pelagianos Fraternitas Vestra asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est.*

PROBATUR 3. Authoritate *Concilii Milevitani*, quod apud S. Aug. epist. 92. de Pelagianis loquens ait: *Pueros parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt.*

PROBATUR 4. ex venerab. *Beda* in c. 14. Joan. *Respuendi sunt à corde Christiano, qui putant, ideo dictum, multas esse mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid, ubi beate maneant innocentes, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, quia sine illo in regnum cœlorum ingredi non potuerunt.*

PROBATUR 5. authoritate Generalis *Concilii Lugdun. II.* 1274. & *Florentini* 1438. ubi definitum est, tanquam articulus fidei, parvulos non ire ad locum quemdam beatitudinis, sed pœnarum: nam in decreto unionis inter Ecclesiam Græcam, & Latinam sic habetur: *Hoc S. universali approbante Concilio definimus, illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Ita duo Concilia generalia.

PROBATUR 6. *Palavicinus* in Hist. Concil. Trid. l. 7. c. 8. n. 7. testatur, hanc doctrinam adversariorum in Congregationibus Trid. suggilatam esse à *Berdano* tanquam nimis recedentem à veritate: ergo & ipse judicat, illam alienam fuisse à sen-

à ſenſu communi Theologorum Concilii; quia nihil cavendum, ac ſuggilatione dignum, niſi abhorreat à communi æſtimatione. Ejus verba ſunt: *Berdanus duo hac in re de peccato originali cavenda præmonuit; alterum, ne ſiniſtra induceretur perſuaſio de divina juſtitia, dum in infantibus culpam alienam punit; in quo quantum arbitror, eorum rationem habuit, qui cum Gregor. Ariminenſi hanc pœnam extendunt ad ſenſuum cruciatus. Alterum ne pœna eouſque attenuaretur, ut citra neceſſitatem Dei filius ad nos ab ea redimendos adveniſſe videatur, eos fortaſſe denotans, qui arbitrantur, ſatis eſſe virium in corrupta natura ad univerſam legem obſervandam, & Ambroſium Catherinum præſentem id temporis in Concilio, qui infantibus in limbo naturalem felicitatem aſſignat.*

Probatur 7. Hæc doctrina fuit à 5. *Epiſcopis Galliæ* tanquam erronea denuntiata *Innocentio XII.* 1697. Epiſtola 5. illorum Epiſcoporum, inter quos etiam eſt inſignis fidei athleta *Benignus Poſſuet*, ſic habet: *Epiſcoporum eſt detegere errores, qui ſe attollunt, itaque ad Apoſtolatum veſtrum deferre cogimur propoſitiones iſtas:* 1. Quantum eſt ex parte Dei, omnes dilecti, omnes ad vitam æternam, aut aliquid, quod vita æterna melius ſit, ut de infantibus baptiſmo non tinctis poſtea dicemus, deſtinati. Hæc ſcripta legimus in libro, cui titulus: *Nodus Prædeſtinationis diſſolutus.* (Cujus Author Cardinal *Sfondrati*) Cum Author Nos ad alios remittat locos, ubi de infantibus ſermo ſit, ad eam tandem partem legendo devenimus, in qua hæe poſita ſunt: *Parvulos quod attinet, qui ſine baptiſmo decedunt, cœleſti quidem regno quaſi paternæ culpæ reos, nec expiatos excluſit: non excluſit tamen naturalibus bonis (beatitudine ſcilicet naturali) & à peccato præſervavit, cum ſola præſervatio à peccato pluris valeat, majoriſque pretii ſit, quam regnum ipſum cœleſte.* Ita Epiſcopi hanc rem fuſe diſſerentes.

Probatur 8. Authoritate Theologorum, qui interſuerunt Congregationibus *de auxiliis gratiæ*, nam ut habetur in volumine Actorum Congreg. ſub *Paulo V.* Conſultores omnes in animadverſionibus ad propoſitiones *Molinæ* obſervabant ex prædictis propoſitionibus *Molinæ* aliquas eſſe manifeſte erroneas, ac tum etiam tertiam, quæ eſt de parvulis, eorumque beatitudine cenſura notarunt.

Probatur 9. Authoritate Theologorum variorum, qui judicarunt, hanc doctrinam de beatitudine parvulorum eſſe erroneam. 1. *Bellarminus* loc. cit. c. 2. ait: *Ex enumeratis ſententiis prima, & ſecunda non ſolum falſæ, ſed etiam hæreticæ exiſtimandæ ſunt. Econtra fide Catholica tenendum eſt, parvulos ſine baptiſmo decedentes abſolute eſſe damnatos, & non ſola cœleſti, ſed etiam naturali beatitudine perpetuo cારituros.*

2. *Cardinal. de Laurea* Diſp. 27. de ſtatu parvulorum a. 3. n. 40. dicit: *Parvuli cum peccato originali decedentes abſolute damnandi ſunt, eſt communis, & ex principiis fidei colligitur.* Et a. 7. *Non potui aliquem Scripturæ locum, vel ſanctum antiquum Patrem invenire, qui parvulos cum originali collocet extra infernum in loco tertio. Quod dicunt noſtri Moderni, hucusque cenſeo inane, novum, & ridiculum, nempe de ſtatione, habitaculo, & deambulatione parvulorum ſuper terram.*

3. *Cardinal. Noriſius* in *Vindiciis Auguſtinianis* c. 3. §. 5. ubi poſt confutatum errorem Pelagianorum, quo pueris non baptizatis medium quemdam felicitatis locum concedebant, addit: *Et tamen videmus, plures Scholaſticos beatitudinem naturalem perfectiſſimam citra dolores, & triſtitiam parvuli promittere extra regnum Dei, quorum ſententia minus tolerari poteſt, quam illa Pelagianorum, quia iſti contendebant, infantes eſſe innocentes, iſti aſſerunt, eſſe labe infectos ſub poteſtate dæmonis, filios iræ, nec tamen dubitent, eis beatam quamdam vitam promittere.*

4. *Gonet* Tract. 8. de Homine Diſp. 4. §. 3. n. 52. aſſerit, hoc dogma ut Pelagianorum à *D. Auguſtino* rejici. Et hic Diſp. 7. §. 5. n. 209. dicit: *Doctrinam Catherini non ſolum eſſe abſurdam, ſed etiam affinem Pelagiano errori.*

DICO II. Parvuli cum ſolo originali decedentes non ſubibunt pœnam ignis.

Probatur 1. authoritate SS. Patrum. *Innocentius III.* in cap. *majores* Extravag. de baptiſmo dicit: *Pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei, actualis vero peccati pœna gehennæ perpetuæ cruciatus.*

2. *Gregorius Nazianz.* cujus eſt tanta authoritas ipſo *D. Auguſtino* teſte, ut, quod ipſe dixit, tota Eccleſia cenſenda ſit ipſius ore pronuntiaſſe, *orat. 4. in S. Lavacrum* dicit: *Parvulos decedentes ſine baptiſmo nec gloriam, nec ſupplicium habituros.* Quod teſtimonium adeo clarum eſt, ut *Nicetas* antiquus ejus Commentator in hanc orationem dicat: *Nazianzeni* verbis manifeſtum eſſe, quod hujusmodi infantes nullis pœnis torquebuntur.

3. *Author Commentarii in Epiſtolas* S. Pauli, qui teſtatur, ſe ſcribere ſub Pontificatu *Damaſi* Papæ, adeoque ante exortam Pelagianam hæreſin, exponens illud *Rom.* 5. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors,* ſic habet: *Mors diſſolutio corporis eſt, cum anima ſeparatur à corpore, eſt & alia mors, quæ ſecunda dicitur, in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, ſed ejus occaſione propriis peccatis acquiritur.*

4. *Gregorius Nyſſenus Orat. de Infantibus*, qui immatura morte abripiuntur, dicit: *Immatura mors infantium demonſtrat, neque in doloribus, & mæſtitia futuros eſſe eos, qui ſic vivere deſierunt.*

5. *S. Bernardus* Serm. 3. de Reſurrect. dicit: *Tolle propriam voluntatem, & non erit infernus; nihil ardebit in inferno præter propriam voluntatem.* Cum ergo infantes non habent propriam voluntatem, etiam non habent pœnam inferni.

Probatur 2. Sententia de pœna ſenſus talium parvulorum eſt contraria ſenſui omnium fere hominum, & rationi naturali, & dictaminibus humanæ prudentiæ præſumptive analogis cum principiis ſapientiæ divinæ; ergo non eſt admittenda niſi claris, & convincentibus textibus demonſtretur à Traditione Eccleſiæ. *Ant. prob.* Ipſimet Patroni contrariæ ſententiæ fatentur, ſe ſola authoritate cogi ad tam duram ſententiam adeo naturali rationi adverſam.

DICO III. Parvuli cum ſolo originali decedentes nullo afficiuntur dolore, aut triſtitia ob carentiam beatificæ viſionis. Ita *D. Thomas* in 2. Sent. diſt. 33. q. 1. a. 1. & 2. Item *ad Hanibal.* diſt. 34. q. unica. Et a. 4. *de malo* q. 5. a. 2. cum communi.

Pro-

Probatur ratione D. Thomæ, quam loc. cit. *de malo* a. 3. addit: Nullus dolet de malo, quod non cognoscit; sed tales pueri non cognoscunt illud malum, quod est privatio beatitudinis: ergo. *Prob. Ant.* Tales parvuli non habuerunt eam cognitionem in vita, ergo nec post mortem. *Prob. Conseq.* Non datur ulla ratio illis infundendi post mortem species repræsentativas hujus objecti: ergo. *Ant. prob.* Non est conveniens, quod Deus has species illis infundat ad augendam pœnam; hoc enim videretur esse crudelitas: nec etiam ad aliquam oblectationem, quia beatitudinem nullam habent; ergo satius est dicere, quod sint inter mortuos sempiternos, qui nec secundum animam, nec secundum corpus habent operationem, vel alterationem.

Confirmatur. Si tales parvuli acquirerent novam cognitionem, quam non habuerunt in vita, tunc obtinerent eam dependenter à phantasmatibus; hoc non potest dici: ergo. *Maj. patet*, quia non potest dici, quod omnes eorum cogitationes habeant causam supernaturalem. *Min. prob.* post resurrectionem corporum in hoc mundo non amplius dantur operationes phantasmatum: ergo. *Ant. prob.* Non amplius datur motus spirituum animalium dependenter à motu cœlorum, seu auræ ethereæ: ergo. *Ant. patet*, quia cessat tunc motus cœlorum. *Conseq. prob.* quia in corpore talium parvulorum spiritus animales non subjiciuntur animæ tanquam intelligentiæ motrici: ergo si non moventur ab extra ab alia causa corporea, simpliciter non moventur.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra 1. Conclus. Si parvuli non haberent naturalem beatitudinem, tunc eo ipso habebunt tristitiam: hoc non potest dici juxta Conclus. 3. ergo. *Maj. prob.* Tales parvuli cognoscunt naturalem beatitudinem: ergo ex ejus amissione tristantur. *Ant.* est *D. Thomæ de malo* q. 5. a. 3. in C.

2. Deus post resurrectionem parvulis confert alia beneficia indebita; ergo etiam confert beatitudinem naturalem. *Ant. prob.* Deus confert illis immortalitatem, impassibilitatem, & corporis staturam viro congruam, quam habituri essent, si ad ætatem adultam pervenissent: ergo.

Responde ad 1. n. *Maj. ad prob.* dist. a. Cognoscunt eam beatitudinem cognitione transeunte in morte, vel judicio universali tr. permanente n. Nulla enim est causa exigitiva, vel productiva ejusmodi cognitionis permanentis in ejusmodi parvulis. Dixi: *transeat*, quia neque hoc est certum, quod tales animæ in judicio particulari, vel in judicio universali sint habituræ majorem cognitionem, quam habuerunt in vita; in quâ nondum cognoverunt ullam beatitudinem separatam à beatitudine sensuum particulari. Nam parvuli ante usum rationis moralem circiter ante septennium non agnoscunt entia separata, adeoque nec beatitudinem aliam distinctam ab actuali fruitione sensibilium v. g. actuali quiete, actuali delectatione &c. Dico proin, parvulos non habituros in altera vita majorem cognitionem, quam habuerunt in ista vita, adeoque cum in ista vita nunquam agnoverint beatitudinem separatam etiam naturalem per modum termini meritis obtinibilis, aut tanquam universale aliquod distinctum à particulari, etiam non habebunt eam cognitionem post mortem. Responsio hæc aliquo modo coincidit cum ea, quam tradit *Gonet* dicendo, parvulos quidem cognoscere beatitudinem naturalem, sed non cognoscere, se ad illam ordinatos esse.

Ad 2. tr. a. n. c. Quia ista dona non habent rationem præmii, aut beneficii, sicut beatitudo, sed sunt indifferentia ad bonum, & malum, adeoque serviunt Deo tantum ad formandum coram beatis æternum monumentum divinæ justitiæ. Dixi: *transf.* quia staturam illam virilem non video posse probari ratione: Censeo potius, illos parvulos resurrecturos in eo statu, in quo obierunt, quia finis resuscitandi eorum corpora non alius erit, quam ut sint monumentum æternum divinæ justitiæ, ex cujus consideratione beati sunt laudaturi Deum ob misericordiam sibi exhibitam. Videtur ergo de hoc statu posse intelligi illud Thren. 3. *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.* Et illud Jobi 3. *Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? nunc enim - - sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.* In quo textu videntur Jobo minores apparuisse dolores sic in limbo quiescentium, quam sui. Vere itaque parvuli sunt mortui sempiterni, quia nulla est eorum activitas nec intellectus, nec voluntatis, nec sensuum. Huc etiam servit illud *Ezechiel.* 26. *Cum detraxere te cum his, qui descendunt in locum, ad populum sempiternum.* Sic & in vita S. Martini legitur, quod resuscitarit Catechumenum, qui fassus est, se fuisse relegatum ad turbas vulgares, nec tamen meminit ullius beatitudinis, aut doloris, nec habuit memoriam alterius rei, quam tamen habere deberet, si habuisset operationes vitales.

Objicitur 2. *S. Thomas* concedit parvulis beatitudinem naturalem: ergo. *Prob. Ant.* in 2. Sent. dist. 33. q. 2. a. 2. dicit: *Quamvis pueri non baptizati sint separati à Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam: non tamen ab eo sunt penitus separati; imo ipsi conjunguntur per participationem naturalium bonorum, & ita de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione.*

Respondeo n. a. *ad prob.* dist. Poterunt de ipso gaudere cognitione, & dilectione naturali transeunte c. permanente n. Omnis enim appetitus humanus etiam ad bonum sensibile oritur ex naturali appetitu boni ut sic; sed talis appetitus, & dilectio naturalis datur etiam in dæmonibus, ut docet *D. Thomas* 1. p. q. 60. a. 5. Hic vero appetitus non fundatur in cognitione abstracti boni per abstractionem propriam, & cum reflexione ad hoc, quod illud bonum sit revera abstractum à particularibus, & ideo non proponit hoc bonum ut obtinibile per meritum, saltem cognitione actuali permanente. Itaque hoc loco *D. Thomas* loquitur de cognitione, gaudio, & dilectione transeunte, quam parvuli habituri sunt in judicio particulari, & universali, non vero de permanente, quia nulla datur causa exigi-

exigtiva, ac productiva hujus constantis cognitionis, gaudii, & dilectionis.

Objicitur 3. Si parvuli deberent esse inclusi in limbo æternum eo ipso tristarentur: ergo si non habent tristitiam, eoipso liberabuntur ab illo carcere. *Ant. prob.* quia & spiritus damnati juxta probabilem aliquorum sufficienter torquentur per alligationem ad ignem.

Respondeo dist. a. Si habent apprehensionem mali c. secus n. si enim vir deberet esse involutus fasciis, & recumbere integro mense in cunis, haberet quidem tristitiam, sed non parvuli, quia in illis nec datur cognitio, nec appetitus boni melioris.

Dices: *D. Thomas* parvulis illia tribuit cognitionem: ergo.

Respondeo dist. transeuntem c. permanentem n. cum enim *D. Thomas* in uno loco illis neget eam cognitionem, & alibi eam concedat, sic concordari poterit. Textus *S. Thomæ* sic habent: q. 5. *de malo* a. 3. ait: *Et ideo se privari tali bono, animæ puerorum non cognoscunt, & propter hoc non dolent.* Hanc tamen cognitionem *S. Thomas* parvulis tribuit in 2. dist. 33. q. 2. addit tamen: *Nec tamen ex aliquo modo affligentur, nempe quia cognoscunt* (saltem cognitione transeunte) *se ad visionem Dei non habere aptitudinem.*

Objicitur 4. contra 2. In judicio tantum comparebunt duo genera hominum, eorum videlicet, qui à dextris, & eorum, qui à sinistris stabunt ituri in ignem æternum: ergo parvuli non habebunt locum medium.

2. Apoc. 20. dicitur: *Vidi thronum magnum, & sedentem super eum, & vidi mortuos magnos, & pusillos, & libri aperti sunt, & apertus est liber vitæ, & qui non est inventus in illo, missus est in stagnum ignis:* ergo & mortui illi pusilli.

3. Matth. 15. *Tantum fuit separatio inter triticum congregandum in horreum, & inter zizania mittenda in ignem, ergo quod in horreo non erit, in igne erit.*

Respondeo ad 1. n. a. Comparabunt quidem duo genera hominum, sed non illa sola; quod enim eo loco tantum sermo sit de determinato genere hominum, manifestum est ex adjunctis, quia solum agitur de operibus misericordiæ: patet autem, quod non omnes reprobi damnandi sint propter opera immisericordiæ.

Respondeo 2. dist. a. Comparebunt duo genera hominum judicandorum. c. non judicandorum. n. Parvuli enim supposito, quod in judicio compariturì sint, quod non est certum, saltem non comparebunt ut judicandi; quia, qui non credidit, jam judicatus est.

Ad 2. dist. Dicitur hoc de adultis magnis, & pusillis conditione. c. ætate. n. Additur enim: *Et judicati sunt secundum opera illorum*, quod de pusillis ætate intelligi non potest.

Ad 3. dist. fit separatio inter zizania jam adulta. c. secus. n. Dicitur enim: Ea zizania crevisse *usque ad messem.*

Objicitur 5. SS. Patres dicunt: parvulos torqueri pœna sensus: ergo. *Ant. prob.* 1. *S. Augustinus* Serm. 14. *de verbis Apostoli* affirmat, tales parvulos ituros in ignem æternum, quod alibi sæpius repetit. 2. *S. Fulgentius* lib. *de Fide* c. 17. dicit: *Firmissime crede, & nullatenus dubites, etiam parvulos, si sine Sacramento Baptismi transeunt, ignis æterni supplicio puniendos.* 3. *S. Gregorius* 9. Moral. dicit: *Licet ex proprio nihil egerint, tamen illuc ad tormenta perveniunt.*

Respondeo dist. a. SS. Patres hoc dicunt, ex opinione. c. ex Traditione. n. Quod enim hoc non habeant ex Traditione Ecclesiæ, manifestum est, quia alii Patres contradicunt, & quia hi ipsi Authores in aliis locis dubitant, & quia Ecclesia nunquam ab ea opinione recessisset, si aliquando fuisset universalis. Quod alii Patres contradicant, ostenditur ex probationibus Conclusionis. Quod Ecclesia huic doctrinæ non institerit, patet ex sensu Theologorum. Quod hi ipsimet Authores in aliis locis de qualitate æterni supplicii dubitent, probatur. Sic *S. Augustinus* Epist. 28. *ad Hieron.* ait: *Cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam, prorsus invenio.* Et l. 5. *contra Julian.* c. 8. *Quis dubitet, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros? quæ qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret.* Lib. 3. de lib. arbit. c. 23. *Sicut vita esse potuit media inter recte factum, atque peccatum, ita etiam potest dari sententia judicis media inter præmium, atque supplicium.*

Respondeo 2. dist. Dicunt, parvulos ituros in ignem æternum, intelligendo per ignem tristitiam transeuntem mixtam tamen cum gaudio transeunte in judicio. c. intelligendo ignem materialem. n. Ipse *S. Augustinus* in Josue q. 9. observat, per ignem quamlibet pœnam intelligi juxta Psal. 65. *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Igitur & *S. Fulgentius, & Gregor. Mag.* qui universim adoptarunt sententias, & phrases Augustinianas in eodem sensu locuti fuerunt, maxime cum *Fulgentius* hoc referat ad articulum fidei firmissimum, qui utique ad pœnam materialem ignis extendi non potest.

Objicitur 6. Parvuli in hac vita puniuntur pœna sensus: ergo & in altera. *Ant.* patet ex variis eorum morbis, & cruciatibus.

2. Si parvuli privati visione beatifica non simul punirentur pœna sensus, tunc damnati adulti propter originale, & actuale simul non haberent majorem pœnam, quam qui post baptismum damnantur propter solum actuale; hoc non potest dici: ergo. *Maj.* patet, quia privatio visionis beatificæ esset una, ac eadem in utroque, & non haberet ullam pœnam sensus.

Respondeo ad 1. dist. a. Parvuli in hac vita puniuntur pœna sensus per accidens. c. per se. n. Pœna enim peccati originalis *per se* est tantum privatio originalis justitiæ; quod autem exinde sequitur, est pœna *per accidens*, quia sequitur tantum virtute causarum naturalium agentium. In altera autem vita talia agentia naturalia non dabuntur amplius, quia cessat motus cœlorum, adeoque motus auræ ætherææ, ex quo dependent motus omnium partium corporis naturalis.

Ad 2. n. m. Quia privatio visionis beatificæ in adulto ut debita propter peccatum actuale causat dolorem, ac tristitiam: econtra ex titulo peccati originalis non parit talem tristitiam, utpote privatio rei alias indebitæ, & moraliter non obtinibilis propriis solis viribus; imprudens autem tristitia in hujusmodi subjectis, scilicet parvulis dari non potest, quia non datur motus ullus phantasiæ, aut specierum intellectualium, nisi per divinam justitiam vindicativam.

QUÆSTIO IV.

An B. Virgo fuerit concepta sine peccato originali?

NOTANDUM 1. Distinguendum esse inter conceptionem B. Virginis *corporalem*, & *rationalem*. *Conceptio corporalis* vocatur, qua formari cœpit corpus B. Virginis ante infusionem animæ rationalis. *Conceptio rationalis* vocatur ipsa animæ rationalis in corpore jam organizato receptio. Utrum vero illa conceptio corporalis facta sit ante infusionem animæ rationalis die octogesimo, vel quadragesimo, vel decimo, vel octavo; vel utrum facta sit simul in eodem momento cum infusione animæ rationalis, prout multi ex modernis Medicis universim circa generationem omnium hominum fieri contendunt, est quæstio incidens, cujus resolutio ad præsentem controversiam non est necessaria.

NOTANDUM 2. Conceptionem corporalem à nonnullis Theologis vocari *conceptionem activam*, qua parentes B. Virginis opere maritali convenientes præstiterunt ea, quæ spectabant ad ipsius corporis formationem. Econtra conceptio rationalis ab illis Theologis vocatur *conceptio passiva*. Mihi præplacet prior distinctio in *Notando* 1. explicata. Aliud enim est ipsa *actio generativa*, & aliud est ipse *effectus actionis generativæ*, qualis effectus sine dubio est ipsa conceptio corporalis, seu prima formatio embrionis ante infusionem animæ rationalis.

NOTANDUM 3. Quæstionem hanc proponi à Theologis sub variis loquendi formulis. Sunt autem hæ formulæ sequentes. 1. An Conceptio B. Virginis sit immaculata? 2. An B. Virgo in eo puncto temporis, quo anima corpori unita est, à peccato originali munda fuerit & immunis? 3. An B. Virgo præveniente gratia nunquam actu fuerit subdita peccato originali? 4. An B. Virgo primo existentiæ suæ momento fuerit prædita gratia sanctificante? 5. An B. Virgo fuerit præservata à peccato originali?

NOTANDUM 4. Aliud esse, quod mysterium immaculatæ Conceptionis *colatur* ab Ecclesia, & aliud esse, quod sit *de fide*, aut *fide divina credatur* ab Ecclesia. Ad exhibendum enim Cultum religiosum alicui rei vel mysterio sufficit *fides Ecclesiastica*, inter fidem divinam & humanam media, prout explicavi in Tractatu de fide, ubi egi de Canonizatione Sanctorum; ad hoc autem, ut aliquid sit *de fide*, aut *credatur fide divina*, necessarium est, *ut constet*, illud contineri in *Verbo Dei Scripto vel Tradito*, prout à me ostensum est in *Tractatu de fide*. Discrimen inter ea, quæ pertinent *ad cultum*, & ea, quæ pertinent *ad fidem*, facile intelligi poterit à simili ex iis, quæ contingunt in Republica humana. Sic enim jubemur *colere* matrem, patrem, Magistratum, Principem, Regem, Parochum, tanquam legitimos, licet de legitimitate non detur certitudo metaphysica aut physica, sed tantum moralis. Sic ergo etiam jubemur colere hanc numero Hostiam, quam Sacerdos elevat, has Reliquias, hunc Beatum vel Sanctum, etiamsi non sit *de fide*, hanc Hostiam esse consecratam, has reliquias esse genuinas, hunc *Sanctum* esse in cœlo, prout in Tract. *de fide* ostensum est. Cultus enim religiosus fundatur in præsumptionibus saltem moraliter certis, fides autem divina fundatur in ipso Verbo Dei Scripto vel tradito. Quod attinet Mysterium Immaculatæ Conceptionis, illud necdum esse *de fide*, aut *definitum* tanquam articulum fidei, testatur SS. D. N. Benedictus XIV. in præclaro Opere *de Festis* part. 2. §. 200., ubi sic scribit: „ Summa totius rei huc redit, ut Ecclesia ad opinionem Immaculatæ Conceptionis propensior „ sit, nondum tamen Apostolica Sedes tanquam „ fidei articulum eam definierit. *Et* 208. *sic pergit:* Quidam devotione tacti erga B. Virginem, „ tot jam Sedis Apostolicæ Actis, sententiæ de „ Immaculata Conceptione adstipulantibus, eam „ opinionem arbitrati sunt declaratam esse articulum fidei. Id vero probari non potest. Festum enim Conceptionis celebrari potest, etsi „ nihil Ecclesia de Mysterio definierit. Atque „ ita sensit *Bellarminus* Controvers. tom. 2. l. 3. c. „ 16. *Fundamentum hujus Festi præcipuum non esse* „ *Conceptionem Immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris DEI futuræ. Qualiscunque enim* „ *fuerit illa Conceptio, eoipso quod fuerit, Conceptio* „ *Matris DEI, singulare gaudium mundo affert* „ *ejus memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis, præsertim cum non sine* „ *miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque* „ *hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.* Bellarmini responsionem amplectitur Cardinalis *Gottus* in Opere suo „ adversus Piceninum Italice scripto, ubi pulchre „ animadvertit; Constitutionis, quam edidit *Clemens XI.* hunc esse titulum. *Ut Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ de præcepto* „ *ubique in posterum observetur*; vocemque illam, „ *Immaculatæ*, non ad Conceptionem, sed ad B. „ Virginem referri Pontificem voluisse, ut appareret, ipsum, cum ex præcepto observari eam „ Solemnitatem juberet, noluisse controversiam „ definire. Quin etiam cum ea Bulla in quadam „ Italiæ civitate typis impressa esset cum titulo: „ *Ut Festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ.* &c. „ vehementer magnus ille Pontifex ea de re conquestus est, ac die 12. Octobris anni 1709. „ Ordinario loci mandavit, ut eos acriter reprehenderet, qui typis eam Bullam cum adulterino hujusmodi titulo imprimendam curaverant, „ eamque in eum modum impressam supprimi „ jussit, & luce publica prohiberi.„ Ita SS. D. D. N. in suo præfato Opere, primum Italice edito, ac dein in latinum sermonem verso, ac ipsomet Authore reviso, & 1748. edito.

NOTAN-

Notandum 5. Quamvis Mysterium Immaculatæ Conceptionis necdum sit ab Ecclesia *definitum*, defendi tamen à multis Theologis, quod saltem sit *definibile*. Verum, utrum Sedes Apostolica illorum Theologorum argumenta pro convincentibus agnoverit, merito dubitari potest ex eo, quia Sedes Apostolica, utut potentissimis precibus Regum Hispaniæ sæpius instantissime interpellata necdum mysterium definierit. Videntur rei difficultatem non agnoscere, aut dubio laborare supposito, quod ab Ecclesia condi possint novi articuli fidel, etiamsi non *constet*, eos contineri in verbo Dei scripto aut tradito, quibus solis hactenus Concilia Generalia & Summi Pontifices in definiendis articulis fidei usi sunt, prout in *Tract. de fide* à me ostensum est; aut certe non satis perspiciunt, quid requiratur ad constantem, uniformem, & certam traditionem Ecclesiæ, aut quanta certitudine ex Scripturis erui debeat Conclusio aliqua Theologica ad hoc, ut definiri possit tanquam articulus fidei. Certe quam longa spes supersit obtinendi aliquando in hac re *definitionem* à Sede Apostolica, colligi poterit ex iis, quæ scribit SS. D. N. *Benedictus XIV.* in præmemorato laudatissimo Opere §. 209. his verbis: „*Suarez* in 3. q. 27. a. 2. Disp. 3. S. 5. strenue tuetur, in Festivitate Conceptionis ab Ecclesia Conceptionem ut sanctam immaculatamque celebrari; ac rationes, quas profert, fatemur esse gravissimas. Non est nostrum, Theologicis his quæstionibus implicari. Illud satis erit, hic eadem iterare, quæ primo tomo de Canonizatione Sanctorum docuimus cap. 42. num. 13. & seq. nimirum verè dici non posse, Immaculatam Conceptionem veluti fidei articulum esse definitam, etiamsi Apostolica authoritate Festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis celebretur; cum præsertim concessis Officio & Missa, & Festo ad Ritum duplicis evecto, Paulus V., Gregorius XV. & Alexander VII. declaraverint, controversiam supremo judicio non esse definitam. Præterea Christiani Orbis Potentissimi & Maximi Reges à Summis Pontificibus Urbano VIII. & Alexandro VII. postularunt, ut rem velut articulum Fidei deciderent; qui tantorum Principum precibus se non passi sunt exorari. Nuperrime eædem instauratæ sunt preces apud Clementem XII. qui post *præceptum* Clementis XI., ut Conceptionis Festivitas *ab omnibus* celebraretur, terminos Prædecessorum suorum transgredi noluit, ut apparet è quodam scripto Romæ typis edito, de quo superius à nobis mentio facta est." Ita SS[mus]. *Idem l. cc.* §. 199. *scribit*: „Hispaniarum Reges, Philippus III. apud Paulum V. & Philippus IV. apud Gregorium XV. missis etiam extraordinariis Oratoribus vehementer flagitarunt, ut ea demum controversia dirimeretur; sed nihil amplius, quam supra exposuimus, consequi potuerunt.

Notandum 6. Quamvis mysterium Immaculatæ Conceptionis necdum sit definitum tanquam articulus Fidei, non tamen censendum est, eoipso illud esse incertum, aut illud niti solum præsumptionibus moraliter certis. Ex iis enim, quæ in Tract. de Fide docui, supponendum est, Ecclesiam esse infallibilem in *Canonizatione Sanctorum*, & in definiendis *Quæstionibus facti*, connexis cum Articulis Fidei, aut connexis cum honestate Religionis, qualia facta sunt illa, quæ in cultu totius Ecclesiæ *de præcepto* necessario supponuntur, v. g. Sanctitas alicujus Sancti Canonizati habentis in tota Ecclesia cultum de præcepto. Si itaque evidens semel fuerit, cultum Immaculatæ Conceptionis esse *de præcepto* in tota Ecclesia, eoipso etiam erit infallibile, B. Virginem esse conceptam sine macula Originali. An vero cultus Immaculatæ Conceptionis sit *de præcepto* pro tota Ecclesia, intelligitur partim ex Notando 4. partim ex sequentibus Decretis Summorum Pontificum.

Notandum 7. Ne quis temeritate aut ignorantia peccet contra sanctiones aut mentem Ecclesiæ, semper præ oculis habenda esse sequentia Decreta. Primò *Concilium Basileense*, licet non sit legitimum post ejus dissolutionem factam ab *Eugenio IV.* inquantum tamen repræsentat sensum nationis Hispanicæ, Gallicæ, Anglicanæ, Germanicæ, Polonicæ, & Hungaricæ, intantum saltem repræsentat sensum maximæ partis Ecclesiæ. Itaque Sessione 36. quæ celebrata est anno 1439. sic habet: „Difficilis quæstio coram hac Sancta Synodo super Conceptione Gloriosæ Virginis Mariæ, Matris Dei, & exordio sanctificationis ejus facta est, quibusdam dicentibus, ipsam Virginem & ejus animam per aliquod tempus aut instans temporis subjacuisse actualiter originali culpæ; aliis autem è converso dicentibus; à principio creationis suæ Deum ipsam diligendo gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam Beatissimam personam liberans & præservans sublimiori sanctificationis genere redemit. Nos vero diligenter inspectis authoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque Doctrinæ coram hac Sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem, Gloriosam Virginem, Dei Genitricem Mariam, præveniente & operante divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam definimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse, in contrarium prædicare seu docere: Renovantes præterea Institutionem de celebranda Sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias Sexto Idus Decembris antiqua & laudabili consuetudine celebratur, statuimus & ordinamus, eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis & Conventibus Christianæ Religionis sub nomine Conceptionis festivis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus vere pœnitentibus & confessis ea die Missarum solemniis centum, primis autem & secundis Vesperis totidem, Sermoni vero verbi divini de ea festivitate inter-

„ essentibus centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura de injunctis sibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus elargitur. Ita Concilium Basileense, se gerens pro Concilio Oecumenico eo tempore, quo non amplius erat legitimum.

Secundo. *Sixtus IV.* in Bulla: *Grave nimis*, edita anno 1483. quæ etiam inserta est Juri Canonico inter *Extravag.* l. 3. tit. 11. *de Reliquiis & Veneratione Sanctorum* sic habet: „Cum Sacra Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione publice Festum solenniter celebret, & speciale ac proprium super hoc Officium ordinaverit, nonnulli, ut accepimus, diversorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt, eandem Gloriosam & Immaculatam Dei Genitricem absque peccati originalis macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos; ejusdem Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientes sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. Nos igitur hujusmodi assertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore vel mortaliter peccare, aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, aut hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas & erroneas, & à veritate penitus alienas editosque desuper libros id continentes tenore præsentium reprobamus & damnamus; ac statuimus & ordinamus, quod prædicatores verbi Dei, & quicunque alii, cujuscunque status, gradus, aut Ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi sic per nos improbatas & damnatas assertiones veras esse, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio, quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere; simili censuræ subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum.

Tertio. *Concilium Tridentinum* Sess. 5. in Decreto de peccato originali, postquam definierat ejus existentiam; addit: „Declarat tamen S. Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones Sixti IV., sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.

Quarto. *S. Pius V.* in Bulla: *super speculam* anno 1570. sic habet: „Quod non sine animi dolore accepimus, quidam diversorum Ordinum Regulares, Clericique sæculares, cum de Gloriosæ Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de ipsis Dogmatibus esset quæstio, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ convenire videtur; *Dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus*, cum Sancta Romana Ecclesia de ea re hucusque non definierit, nemo absque temeritate alterius partis sententiam damnare potest; & quasi desint præclarissima Inventricis gratiæ merita, & ex illo uberrimo fonte non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum utilitate atque dulcedine reficeretur, ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas scilicet & sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, utiliter percipere valeant, præsertim quoniam, ut experimento didicimus, ipsorum Concionatorum, qui ad hujusmodi quæstiones proponendas facilius erumpere solent, major numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes quæ loquuntur aut de quibus affirmant, simplicium animos indiscretæ devotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis effectu, ad tumultus & simultates concitant, quos tumultuantes atque dissidentes componere, sedareque potius oportebat, cumque parvulis in Christo lac infundere, provectis solidum cibum apponere deberent, dum in hujusmodi controversiis interminatis versantur, omnibus ubera proferunt arentia, quod non absque maledictionis nota legimus in Propheta. Nos igitur liberam cuique facultatem relinquentes opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile judicaverit, Sixti IV. statutum super ea re confirmamus & approbamus, atque ut deinceps efficacius à cunctis observetur, perpetuo statuimus, ac mandamus, quatenus nemo in concionibus, vel ubicunque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum authoritate asserendo propriam sententiam & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere vel dictare præsumant. Qui contrafecerit, suspensionis pœnam ipso facto incurrat. Cæterum, quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ Disputationibus, sive Generalium aut Provincialium Capitulorum, vel ubi alias intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa quæstione differere, & argumentis utramlibet partem vel asserere vel impugnare, dum tamen neutra velut erronea prædicetur &c. Romæ 1570.

Quinto. *Paulus V.* anno 1616. in Bulla: *Regis pacifici*, renovat Constitutionem Sixti IV. & Pii V. Recitatis præfatis Constitutionibus hæc

hæc subjungit: „Licet hæc provide statuta sint, „nihilominus nonnulli interminatis quæstionibus „nimis intenti dissensionum recisa germina coa„lescere procurant; quamobrem Constitutiones „Sixti & Pii approbamus & confirmamus, & et„iam quoad earum pœnas quascunque, etiam „absolutionis reservationem, innovamus, do„nec à Romana Sede hujusmodi controversia fue„rit definita. Ac præterea, si quis quovis mo„do contravenerit, præter supradictarum Con„stitutionum pœnas respective ipso facto incur„rendas, etiam concionandi, publice legendi „vel docendi facultate, ac voce activa & passiva „in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia „declaratione privatus existat, necnon ad con„cionandi & publice legendi, docendi, & inter„pretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter „ipso facto incurrat. Et contra hujusmodi trans„gressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis & „Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & „alias quascunque Ecclesiasticas, & Sæculares „personas cujuscunque status, gradus, ordinis „aut dignitatis tam Episcopi & Prælati, Superio„res, aliique Ordinarii locorum, quam hæreti„cæ pravitatis inquisitores procedant, inquirant, „atque in eos severe animadvertant. Nos enim „iis, & eorum cuilibet, contra eosdem trans„gressores procedendi & inquirendi, ac pœnis „coercendi & puniendi liberam facultatem & au„thoritatem tribuimus & impartimur, eosque, „ut præfertur, procedere, inquirere & punire „præcipimus & mandamus &c. Romæ 1616.

SEXTO. Idem Papa *Paulus V.* anno 1617. publicari Romæ jussit sequens Decretum. „SSmus „D. N. considerans, quod quamvis in Constitu„tione Sixti IV. & Pii V. relinquatur unicuique „libera facultas tenendi & etiam asserendi utram„que partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit „concepta cum peccato originali, dum tamen „neutra veluti erronea aut hæretica damnetur, „nihilominus ex occasione assertionis affirmativæ „in publicis concionibus, Lectionibus, Conclu„sionibus, & Actibus publicis, quod eadem Bea„tissima Virgo fuerit cum peccato originali con„cepta, oriuntur in populo Christiano cum ma„gna Dei offensa scandala, jurgia & dissensiones, „præsentis Decreti virtute mandat & præcipit „omnibus cujusvis Ordinis & Instituti Regulari„bus, & aliis quibuscunque tam Ecclesiasticis „quam Sæcularibus personis, ut in posterum non „audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, „Conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus „publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo „fuerit concepta cum peccato originali. &c. Per „hujusmodi tamen provisionem Sanctitas Sua „non intendit reprobare alteram opinionem, „nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam „relinquens in eodem statu & terminis, in qui„bus de præsenti reperitur; ulterius sub eisdem „censuris & pœnis mandans, quod negativam „opinionem, videlicet, quod non fuerit con„cepta cum peccato originali in prædictis publi„cis actibus asserentes, aliam opinionem non „impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu „tractent. Insuper expresse mandavit, ut extra „hos casus expressos publicorum Actuum in re„liquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ „& illæsæ remaneant, & exacte observentur, „perinde ac si præsens Decretum non emanasset.

SEPTIMO. *Gregorius XV.* anno 1622. jussit Romæ promulgari sequens Decretum. „SS. D. „N. considerans, quod in aliquibus regionibus „jam ortæ sunt dissensiones & discordiæ ex ser„monibus privatis occasione assertionis affirma„tivæ (B. Virginem fuisse conceptam in pec„cato originali) extendit Constitutiones Sixti „IV. & Pii V. etiam ad privata colloquia & scri„pta, mandans & præcipiens omnibus, ne de „cætero etiam in sermonibus & scriptis privatis „audeant asserere, quod eadem Beatissima Vir„go fuerit concepta cum peccato originali, nec „de hac opinione affirmativa aliquo modo „agere seu tractare, exceptis tamen, quibus „à Sede Apostolica fuerit super hoc speciali„ter indultum. Per hoc tamen Sua Sanctitas „non intendit reprobare hanc opinionem, nec „ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam re„linquens in eodem statu & terminis in quibus „reperitur, præterquam quoad in Pauli V. & „hoc suo Decreto disposita. Insuper Sanctitas „Sua, cum Romana Ecclesia de Beatissimæ Vir„ginis Conceptione festum solemniter & Officium „celebret, omnibus & singulis personis Ecclesia„sticis tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis „& Instituti Regularibus mandat & præcipit, ut „in Sacrosancto Missæ Sacrificio ac divino Offi„cio celebrandis, tam publice quam privatim, „non alio quam Conceptionis nomine uti de„beant. Contravenientes autem Sanctitas Sua „voluit & declaravit subjacere debere & subjecit „censuris & pœnis contentis in supradictis Con„stitutionibus ac præfato Decreto suorum præ„decessorum ipso facto incurrendis. Et ita de„crevit ac mandavit ubique inviolabiliter obser„vari; Volens & decernens pro executione præ„sentis Decreti & omnium in eo contentorum, „quod contra hujusmodi transgressores etiam „Regulares cujusvis Ordinis & Instituti, etiam „quomodolibet exemptos, & alias quascunque „Ecclesiasticas & sæculares personas cujuscunque „status, conditionis, gradus ordinis aut digni„tatis tam Episcopi & Prælati superiores, aliique „Ordinarii locorum, quam hæreticæ pravitatis „Inquisitores procedant, & in eos severe animad„vertant, tribuens eis liberam facultatem & au„thoritatem contra eosdem transgressores pro„cedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi.„ Eo anno 1622. idem Papa *Gregorius XV.* die 28. Julii edidit sequens Decretum. „Omnibus & sin„gulis Ordinis Prædicatorum Fratribus, ut de „cætero in quibuscunque privatis eorum collo„quiis seu conferentiis inter se dumtaxat, & non „inter alios, aut cum aliis, de materia ejusdem „Conceptionis B. Mariæ Virginis disserere & tra„ctare absque ullo pœnarum in dictis Decretis „contentarum incursu libere & licite possint & „valeant Apostolica authoritate tenore præsen„tium licentiam concedimus & impartimur.

OCTAVO. *Alexander VII.* anno 1661. ex Bulla: *Solicitudo*, sic habet: „Vetus fidelium erga „B. Virginem pietas, sententium, ejus animam in

„ primo instanti creationis atque infusionis in cor„ pus fuisse à macula peccati originalis præservatam, immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium „ & celebrantium; crevitque horum numerus „ atque hujusmodi cultus post editas à Sixto IV. „ in ejus commendationem Constitutiones. Aucta rursus & propagata fuit pietas hæc & cultus „ erga Deiparam post erecta hoc nomine approbantibus Romanis Pontificibus religiosum Ordinem, & Confraternitates ac concessas ab iisdem Indulgentias, ita ut accedentibus quoque „ plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam jam fere omnes Catholici eam complectantur. Et quia ex occasione contrariæ assertionis oriebantur scandala, Paulus V. vetuit „ horum opinionem præfatæ sententiæ publice „ doceri aut prædicari; quam prohibitionem Gregorius XV. ad privata etiam colloquia extendit. „ Nihilominus pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones „ tum privatim tum publice præfatam sententiam „ aut impugnare aut vellicare & favorem à Romanis Pontificibus cultui & Festo secundum illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur; „ imo Ecclesiam Romanam huic sententiæ & cultui juxta illam B. Virgini exhibito favere negant, „ pios Christi fideles à sua pacifica quasi possessione deturbare conando. Nos considerantes, „ quod Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale ac proprium super „ hoc Officium olim ordinavit; juxta laudabilem „ institutionem, quæ à Sixto IV. tunc emanavit, „ volentesque, laudabili huic pietati & devotioni „ & festo ac cultui secundum illam exhibito favere, nec non tueri pietatem & devotionem „ hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem à peccato originali præservatam, Constitutiones & Decreta à Sixto IV., Paulo V., & „ Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis; animam B. Virginis Mariæ in sui creatione & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, necnon & in favorem Festi & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, ut præfertur, „ exhibiti, innovamus, & sub censuris & pœnis „ in eisdem Constitutionibus contentis observari „ mandamus. Et insuper omnes, qui præfatas „ Constitutiones & Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ & festo seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, „ seu cultum in Disputationem revocare aut contra ea quoquo modo directe vel indirecte aut „ sub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus „ examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu „ occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam „ determinando aut asserendo, vel argumenta „ contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, „ aut alio quovis excogitabili modo disserendo, „ ausi fuerint, præter pœnas & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, etiam concionandi, publice legendi seu docendi, ac voce activa & passiva in quibuscunque electionibus privata esse volumus. . . Vetamus autem „ Sixti IV. constitutionibus inhærentes quempiam „ asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem „ Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, „ hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum à Romana Ecclesia & ab Apostolica „ Sede hoc nondum fuerit decisum, prout Nos „ nunc minime decidere volumus aut intendimus, „ quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV., aliique Prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in Contrafacientes huic nostræ „ Constitutioni superius inflixImus. Volentes, „ quod contra hujus nostræ Constitutionis transgressores, etiam Societatis Jesu & quomodolibet exemptos tam Episcopi & Prælati superiores, aliique locorum Ordinarii &c. procedant. „ Romæ 1661.

Nono. *Clemens X.* anno 1706. edidit hanc Constitutionem. „ Constitutio ut festum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ de præcepto ubique in posterum observetur. *Clemens „ XI.* ad pr. r. m. Commissi nobis Officii exigit „ ratio, ut Gloriosissimæ Virginis Dei genitricis „ Mariæ, cujus Conceptio gaudium annuntiavit „ universo mundo, venerationem & cultum, plurium Romanorum Pontificum more ampliare „ studentes in terris, illius, quæ pro populo „ Christiano assidue intercedit in cœlis, promovere satagamus. Itaque Festum Conceptionis „ ipsius Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ubique „ terrarum in posterum ab omnibus & singulis „ utriusque Sexus fidelibus, sicut alia festa de „ præcepto servari & celebrari, ac sub præcepto „ observationis festorum comprehendi, authoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, „ præcipimus, & mandamus. &c. Romæ 6. Decembris 1706. His prænotatis

DICO. B. Virgo fuit sine macula peccati originalis concepta.

Probatur 1. In Canticis de B. Virgine in sensu litterali dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* c. 4. v. 7. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* c. 5. v. 2. *Una est columba mea, perfecta mea.* c. 6. v. 8. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia principis!* c. 7. v. 1. *Quam pulchra es & quam decora charissima!* c. 7. v. 6. *Ecce, tu pulchra es amica mea; ecce, tu pulchra es!* c. 1. v. 14. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* c. 4. v. 1 Ergo B. Virgo fuit concepta sine macula peccati originalis. *c. patet*, quia locutiones tam indefinitæ, & cum expressione summæ admirationis divinæ, & cum contestatione puritatis singularis non reperibilis in alia anima humana, in suo significato proprio plene non verificantur, nisi B. Virgo dicatur esse immunis ab omni prorsus macula peccati tam originalis quam actualis. *Ant. prob.* Moraliter certum est, in Canticis exprimi Incarnationem Verbi, & connubium

nubium Christi cum Ecclesia tam veteri ex Judæis, quam novæ ex Gentibus, idque per modum Dialogi, in quo Verbum directe alloquitur Ecclesiam veterem in persona Mariæ, tanquam Principissæ illius, omnium filiarum Adami maternitate sua dignissimæ, Ecclesiam autem novam in persona ejusdem Mariæ, tanquam omnium fidelium Matrisfamilias sanctissimæ, & in quo simul utraque Ecclesia, Vetus & Nova, tam ipsum Christum, ut suum sponsum, quam Mariam, suam principissam & matrem, agnoscit, acceptat, miratur, & colit. Ergo præfata verba in sensu litterali de B. Virgine accipienda sunt. *Ant. prob.* Ex una parte huic Systemati savent Expositiones Cantici antiquæ primariæ; ex altera parte inter omnes Expositiones, quæ hactenus prodierunt, nulla reperitur, quæ simul assequatur & tantam verosimilitudinem singularum partium, & tantam omnium partium cobærentiam inter se; Ex tertia vero parte reperiuntur in bis Canticis Notæ Characteristicæ ex parte sponsæ, quæ non conveniunt Ecclesiæ Veteri aut Novæ spectatæ quoad singula membra sed tantum ut spectatæ personaliter in sua Principissa & Matre, cum qua unum Corpus Ecclesiæ mysticum constituit. Ergo dicendum, quod in hoc Dialogo Verbum tantum alloquatur Ecclesiam Veterem & Novam in persona Mariæ, tanquam veteris ex Judæis Ecclesiæ Principissæ, omnium sua maternitate dignissimæ, & tanquam Novæ Ecclesiæ ex Gentibus Matris sau Matrisfamilias sanctissimæ. Jam hujus mei Argumenti trimembris affero probationes per membra singula.

PRIMO. *Huic Systemati favent antiquæ expositiones Cantici Canticorum primariæ.* Conveniunt enim in hoc, quod in his Canticis agatur de speciali connubio Redemptoris cum sua Ecclesia tam veteri Judaica ante opus Redemptionis, quam nova post opus Redemptionis, ita ut in hoc Dialogo specialis persona, actio, ac locutio tribuatur Ecclesiæ Veteri, & alia specialis persona, actio, ac locutio Ecclesiæ novæ restauratæ per adventum & redemptionem Messiæ. Inter Expositiones autem Cantici pro primariis meritò tres sequentes haberi possunt:

1. *Versio Septuagintaviralis*, quæ ubi terminos in latina versione genericos magis specifice reddit, pro expositione haberi debet.

2. *Paraphrasis Chaldaica*, centum quinquaginta circiter annis facta ante nativitatem Christi.

3. Vetustissimum Exemplar Libri Canticorum, in primitiva Ecclesia usitatum, quod edidit *Jos. Blanchinus* in *Vindiciis Canonicarum Scripturarum.* Versio *Septuaginta Interpretum*, ubi in latina versione occurrit terminus *dilecti*, constanter ponit terminum *Nepotis*, manifestò indiciò, duas in Canticis exhiberi Ecclesias sorores, quarum unius Christus per Mariam sit Filius, alterius autem per eandem Nepos. *Paraphrasis* autem *Chaldaica* illas duas in Canticis Ecclesias, nempe veterem ante adventum Messiæ, & novam post ejus adventum, satis clare distinguit. Sic enim habet: „Decem Cantica dicta fuerunt in Sæculo isto. Primum Canticum dixit Adam tempore, quo dimissum fuit illi peccatum. - - - Canticum nonum dixit Salomon Rex Israel in Spiritu Prophetico. Canticum decimum dicturi sunt filii captivitatis, quando egressi fuerint de captivitate sua (nempe, Benedictus Dominus Deus Israel). - - Synagoga, quæ comparata est puellæ pulcherrimæ, & quam anima mea diligit, ambulet in viis justorum, & doceat filios suos, donec mittam eis Regem Messiam. - - Quando faciebant filii Israel voluntatem Regis sui, ipse in verbo suo laudabat eos in Consistorio Angelorum sanctorum & dixit: Quam pulchra sunt opera tua filia mea, dilecta mea, Congregatio Israel. - - Et in tempore, quo populus Domus Israel faciunt voluntatem dominatoris sæculi, laudat eos in cœlis excelsis, & dicit: Tota pulchra es Congregatio Israel, & macula non est in te. Mecum habitabis cœtus Israel, qui similis es sponsæ honestæ. Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, soror mea, cœtus Israel. - - Quam pulchæ sunt dilectiones tuæ super me soror mea, cœtus Israel, quæ comparata es sponsæ pudicæ. - - In tempore illo revelabitur Rex Messias cœtui Israel, & dicent ei filii Israel: Veni, esto frater noster, & sugemus tecum sententias legis, sicut sugit infans ubera matris suæ. Ducam te Rex Messias, & introducam te in domum Sanctuarii mei. - - In illo tempore dicent angeli cœli ad invicem. Gens una est nobis in terra & merita ejus levia sunt. Quid faciemus sorori nostræ in die, qua locutæ fuerint nationes, ut ascendant contra eam? Dicet Michael, Princeps Israel: Erimus ego & vos circumdantes eam. - - Dixit Salomon in fine prophetiæ suæ. Dicturus est Dominator sæculi cœtui Israel in fine dierum. Tu Congregatio Israel, quæ comparata es horto minimo inter nationes, & habitas in domo doctrinæ cum reliquis populis, qui auscultant vocem principis Scholæ. In illo tempore dicent senes cœtus Israel. Fuge dilecte mi Dominator sæculi de terra hac immunda, & babitet Majestas tua in cœlis excelsis, & respicies tribulationem nostram de cœlis excelsis usque ad tempus, quo beneplacitum erit tibi in nobis & redimes nos, & introduces nos in montem Jerusalem, & ibi (in superna Jerusalem) adolebunt Sacerdotes coram te incensum aromatum." Ita Paraphrastes Chaldaicus, qui licet in multis erret, præsertim in eo, quod cœtui Israel nullam peccati maculam adscribat, in hoc tamen ad propositum servit, quod in Canticis duas Ecclesias, veterem, & novam post adventum Messiæ agnoscat. Imo servit etiam hoc, quod repetitis vicibus etiam angelos inter collocutores hujus Dialogi numeret.

In Codice vetusto qui, ut Jos. Blanchinus l. cc. in Præfat. fol. 52. censet, videtur ab ipsomet D. Hieronymo ad Joannem Episcopum Cordubensem, transmissus, hæc habentur:

Cap. 1.	Osculetur me.	Vox Ecclesiæ.
	Nigra.	Vox Synagogæ.
	Indica.	Vox Ecclesiæ.
	Si ignoras.	Vox Christi.
	Fasciculus.	Vox Ecclesiæ.
	Ecce tu pulchra.	Vox Christi.
	Ecce tu pulcher.	Vox Ecclesiæ.
Cap. 2.	Ego flos.	Vox Christi.
	Sicut malus.	Vox Ecclesiæ.

Cap. 2.	Surge propera.	Vox Christi.
	Dilectus meus mihi.	Vox Ecclesiæ.
Cap. 3.	Quæ est ista.	Vox Christi.
	En lectulum.	Vox Ecclesiæ de Christo.
Cap. 4.	Quam pulchra.	Vox Christi.
Cap. 5.	Veniat dilectus.	Vox Ecclesiæ.
	Veni in hortum.	Vox Christi.
	Vox dilecti.	Vox Ecclesiæ.
	Aperi mihi.	Vox Christi.
	Dilectus.	Vox Ecclesiæ.
	Qualis est.	Vox Synagogæ ad Ecclesiam.
	Dilectus.	Vox Ecclesiæ ad Synagogam.
	Quo abiit.	Vox Synagogæ ad Ecclesiam.
Cap. 6.	Dilectus.	Vox Ecclesiæ ad Synagogam.
	Pulchra es.	Vox Christi.
Cap. 7.	Veni dilecte.	Vox Ecclesiæ ad Christum.
Cap. 8.	Quæ est ista.	Vox Synagogæ ad Ecclesiam.
	Pone me.	Vox Ecclesiæ ad Synagogam.

Hucusque iste Codex vetustus Sæculi quinti. Itaque ex his omnibus colligitur, in Canticis repræsentari duas Ecclesias, veterem Judaicam, & novam Christianam, quod primo probandum erat.

Secundum membrum, quod in nulla alia expositione hujus Cantici reperiatur tanta verisimilitudo singularum partium, & tanta omnium partium cohærentia inter se, patebit conferenti Cantici Analysin cum aliis omnibus expositionibus:

Tertium membrum, quod in hoc Cantico ex parte sponsæ reperiantur notæ characteristicæ congruentes soli B. Virgini tanquam Principissæ Veteris Ecclesiæ, præ omnibus aliis filiabus Adæ maternitate divina dignissimæ, & tanquam Matrifamilias Ecclesiæ novæ, ex sequentibus indiciis probo.

1. Nomen *Dilectæ* à Deo per Archangelum Gabrielem in Annuntiatione Incarnationis tribuitur B. Virgini privative & antonomastice. Ergo etiam in Canticis antonomastice non tribuitur toti Ecclesiæ, ut spectatæ promiscue in suis membris, sed Ecclesiæ ut spectatæ in sua Principissa, ac Matrefamilias. *Ant. prob.* Verba Archangeli Gabrielis, prout referuntur à D. Luca in textu Græco, sunt ista: χαῖρε κεχαριτωμένη. Hoc in latino idem sonat ac: *Salve dilecta, salve gratissima*, seu prout in nostra Vulgata verbis quidem diversis, sensu tamen eodem, habetur: *Ave gratia plena.* Cum enim gratiæ sint signum & effectus dilectionis, quoad rem idem dico, sive *plenitudine gratiarum cumulatam*, sive *dilectam* antonomastice vocem.

2. Illa verba: *Osculetur me osculo, quia meliora sunt ubera tua vino*, non aptè conveniunt Ecclesiæ tanquam sponsæ erga sponsum. Non enim sponsa laudat in sponso ubera. Neque etiam hæc verba conveniunt sponso Christo erga suam sponsam. Inepta enim foret hæc propositio causalis in sponso, si diceret suæ sponsæ: Osculare me, quia meliora sunt ubera tua vino, quæ ipse non sugit. Itaque ista verba congruunt soli Verbo incarnando ad B. Virginem, dum per Archangelum Gabrielem eam in suam matrem deposcit, atque ex ejus castissimis uberibus lac virgineum dulcissimum sugere petit. Hoc enim isto in loco prænuntiatur, quod in Evangelista Luca c. 1. v. 26. impletum nuntiatur, ubi dicitur: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem; & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena; Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio? Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum.*

3. Manifestum est, quod ipsa *ubera*, & *uberum fragrantia*, & *unguentorum odor* ad eandem personam referenda sint. Cum ergo ipsa ubera Christo non congruant tanquam sponso, prout ostensum est, necesse est, ut illa verba, quæ in Canticis v. 2. & 3. ponuntur, aut referantur immediate ad Ecclesiam, aut ad B. Virginem. Ad Ecclesiam autem referri non possunt; quia Ecclesia Judaica illo tempore, quo Christus venit, prout ex verbis Christi apud Matthæum & Joannem discimus, erat in pessimo statu, nec merebatur Incarnationem sua fragrantia virtutum, ut Deum è cœlo in terras attraheret. Dein in Apostolo, ubi de connubio Verbi cum Ecclesia loquitur, non dicitur, quod Ecclesia sua præcedente sanctitate Deum ad unionem secum connubialem illexerit, sed potius testatur, cum propterea venisse, ut eam qnam invenerat immundam sanctificaret ac mundaret. *Viri diligite uxores, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in Verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta & immaculata.* Ephes. 6. v. 25. Non igitur claritas gloriosi nominis, & fragrantia virtutum, & odor ex unctione Spiritus, & immaculatæ vitæ decus quoad Ecclesiam in suis membris spectatam præcessit desponsationem Christi cum Ecclesia, ita ut potuerit esse causa meritoria ac impulsiva Incarnationis ac Desponsationis, prout hoc loco insinuatur. Econtra in B. Virgine relate ad maternitatem præcessit gloria virginitatis, unctio spiritus, fragrantia virtutum, ac tota plenitudo gratiæ, prout Angelus testatur: *Ave gratia plena.* κεχαριτωμένη. De hac sola in *Tract. de Incarn.* Disp. 3. q. 3. fuse ostendi, quod, cum in Isaia c. 7. maternitas Messiæ tanquam publicum Virginitatis eximiæ præmium omnibus filiabus Adæ fuerit propositum, sola B. Virgo præ cæteris filiabus Adæ primas tulerit, & coronam maternitatis divinæ meruerit ac præripuerit juxta illud D. Augustini Serm. 11. in Natali Christi: *Præ aliis eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in se susciperet.* Itaque in Canticis vers. 2. & 3. nec Christo, nec Ecclesiæ in aliis suis membris, sed tantum B. Virgini, seu Ecclesiæ in sua Principissa, stemmatis Davidici residua, suæque gentis jure Ducissa, congruunt.

4. Cum

4. Cum illa verba: *Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te &c.* prout proxime ostensum est, nec conveniant Christo, nec Ecclesiæ in reliquis suis membris, sequitur iterum, ea tribuenda esse B. Virgini. Solum potest esse quæstio, an referantur ad B. Virginem à Deo, vel à Synagoga? Dico; ea verba ad B. Virginem referri à Synagoga, seu filiabus Jerusalem, congratulantibus illi de præmio obtento maternitatis divinæ. Æquum enim erat, ut Propheta in his Canticis prænuntiaret, quod postmodum præeunte Angelo & Elisabetha & muliere Evangelica à tota Ecclesia usque ad finem mundi observatur & impletur, dum congratulabunda salutationis angelicæ verba & maternitatis dignitatem celebrat. Prima congratulatio erat Angeli repetentis, ut bonorum Legatorum seu Nuntiorum apud Homerum est, singula sui Principalis verba, quando dixit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum Benedicta tu in mulieribus.* Secunda congratulatio Elisabethæ erat, quando Luc. 1. v. 42. ad B. Virginem dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Tertia congratulatio erat illius mulieris Evangelicæ Lucæ 11. v. 27. quæ Christo prædicante exclamavit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Quarta est congratulatio totius Ecclesiæ, quæ recitatione Corollæ Marianæ infinities læta & congratulabunda Delatæ per Angelum maternitatis decus celebrat dicendo: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Nulli ergo illa verba Cantici gratulatoria conveniunt, quam Ecclesiæ Novæ & Veteri, seu filiabus Jerusalem, mundanæ & supernæ, quibus ad B. Virginem quasi dicunt; Fama nominis tui, quod in Matrem Dei præ omnibus aliis electa sis, nos omnes in tui amorem ac venerationem pertrahit. Trahe nos post te, tuas indignas famulas; quoscunque exemplo præiveris magnis virtutum passibus, sequemur & curremus post te. Introduxit quidem Rex Salomon in ipsa cellaria offerendo vina, quæ eligeremus, optima; sed lac uberum tuorum virgineum vino regio melius est. Omnes, qui rectum diligunt, hanc electionem tui in Matrem Dei approbant tanquam justam eamque una tecum diligunt. Ita Chorus filiarum Jerusalem supernæ & mundanæ, repetens & amplificans verba Dei ad Mariam per Angelum nuntiata, ad electam Matrem Dei.

5. Illa verba Cantici c. 1. v. 4. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; filii matris meæ pugnaverunt contra me; posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi*, nec conveniunt Christo, ut per se patet; nec Synagogæ veteri, quia, cum filiæ Jerusalem sint pars Synagogæ, non apte alloqueretur filias, ex quibus constituitur. Dein nec apparet ulla connexio cum præcedentibus & subsequentibus nec ulla ratio prudens dictorum. Quod enim haberet motivum Synagoga post annuntiationem Incarnationis ex una suarum virginum sese tantopere humiliandi & excusandi coram filiabus Jerusalem? Quæ ratio, discursum inter Deum & sponsam interrumpendi hoc inepto colloquio cum filiabus Jerusalem? Dein, quæ est illa mater ipsius Synagogæ, cum potius ipsamet sit mater horum filiorum, in servitutem generans. Sic enim Apostolus ad Gal. 4. v. 22. *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta; unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar.* Itaque verisimilius est, ea verba congruere B. Virgini, cui etiam Ecclesia in Officio illa attribuit. Ia enim prout in Græco καλή, & in Hebraico נאוה significat, verborum sensus est. Nolite scandalizari in me, ô filiæ Jerusalem, aut tangi invidia prout rebelles Spiritus tacti invidia se Incarnationi opposuerunt, indignum rati, ex tam vili genere ac persona Deum incarnari. Quamvis enim obscuræ sim conditionis, nobilis tamen sum prosapiæ ex stemmate Davidico; nec nisi speciali providentia divina, cujus sol est symbolum, actum ut in hanc abjectam sortem detruderer. Id enim Deo proprium est, qui de limo hominem formavit, humilia respicere, & de stercore erigere pauperem, ut eum collocet cum principibus populi sui. Nec mea aut parentum culpa dignitate regia excidi; sed filii Ecclesiæ nostræ, meæ & communis omnium matris pugnaverunt contra me, detrusis in statum plebejum residuis stemmatis Davidici surculis principatum violenter arripientes. Hæc causa est, cur in tuguriolum vincarum custodis vilissimi retrusa, & propriam, quam hæreditate patrum acceperam vineam prædivitem, excolere non potuerim. Hic sensus verborum merito à Propheta prænuntiabatur, cum illum ipsum B. Virgo in suo Cantico toti nuntiare mundo dignum duxerit. Sic enim unisone canit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.*

6. Illa verba: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, per allegoriam continuam, quæ, prout in Prolegomenis Scripturæ ostendi, pertinet ad sensum litteralem, nulli alteri præfigurato majori similitudine congruit, quam B. Virgini in ipso negotio incarnationis; Ibi enim memor prophetiæ Ezech. 34. quod Messias in forma Pastoris venturus esset: *Ipse requiram oves meas, & educam eas, & pascam eas in montibus - - - Suscitabo super eas pastorem unum servum meum David; ipse pascet eas.* Summo Pastori se in ancillam pastoritiam subjicit, dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, sicut *Racheli*, quæ, dum pasceret oves, in sponsam à Jacobo quæsita est, vel sicut *Ruth*, quæ dum sequi noluit greges Juvenum, sponsari meruit ipsi Booz, sicque ambæ promeritæ sunt, ut essent proaviæ Christi. Ita scribitur Genes. 29. v. 6. *Ecce venit Rachel cum grege suo. - - Ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui; nam gregem ipsa pascebat.* Et Ruth. 3. v. 9. Respondit Ruth. *Ego sum Ruth ancilla tua. Et ille inquit: Benedicta es à Domino, quia non es secuta juvenes pauperes, sive divites.* At vero hæc omnia non tam apte conveniunt ipsi Ecclesiæ, quæ potius ipsam collectionem ovium quam ancillam pasto-

paſtoritiam repræſentat, niſi ſpectatæ quoad ſuam Duciſſam ac Principiſſam, cui jure hæreditario patris ſui David ſubjiciuntur.

7. Sed nec illa verba: *Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum.* Tam expedite congruunt Eccleſiæ, cujus cœtus eſt congregatio hœdorum & ovium, ut congruunt B. Virgini ferme inter meros hœdos vitam ſuam transigere juſſæ. In hebraico habetur לך, *tibi*, ita ut ſenſus ſit, ſi tibi neſcis conſulere, ſeu ut germani loquimur, **wann du dich nit verweißt**. in quo mihi ancillare valeas, habita inter tuos populares, & paſce in tua peſſima civitate Nazareth perverſos contribules juxta directionem Doctorum. Quod autem Nazareni fuerint peſſimi, in Evangelio pluries demonſtratur. Lucæ 4., ubi narratur, quod Chriſtus Nazarenis ſuis perverſitatem ob oculos poſuerit, additur, quod in præmium veritatis voluerint eum præcipitare è monte. Hinc etiam Matth. 13. v. 58. dicitur: *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* & Nathanael Joan. 2. miratur: *Si à Nazareth poſſit aliquid boni venire.* Inter hos ergo hœdos imperſcrutabilis ſapientia divina B. Virginem cum filio ſibi ſubdito per triginta annos mandato certe duro habitare juſſit, ut qua verbo, qua exemplo malos paſceret. Nc autem inſolentias & perſecutiones horum impiorum timeat, comparatur æquitatui Pharaonis in curribus inſuperabili. Si Deus loqueretur Eccleſiæ, quæ ex ovibus & hœdis componitur, non eam ad paſcendos ferme ſolos hœdos deſtinaret.

8. Illa verba: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.* potius conveniunt matri erga tenerum puſionem, quam ſponſæ erga virum. Erat autem Jeſulus B. Virgini perpetuus faſciculus myrrhæ, utpote de qua Lucæ 2. ſcriptum eſt, quod ſuam & filii paſſionem ex oraculo Simeonis non ſolum didicerit, ſed etiam perpetuo præ oculis habuerit. *Conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo*, ſeu ut ibidem v. 19. dicitur: *Conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Hoc ergo modo, ſi quis exacte diſquirere voluerit, deprehendet, in Canticis litteraliter prænuntiari myſteria inter Chriſtum & B. Virginem peracta ab Incarnatione usque ad aſcenſionem Chriſti in cœlos, ita ut ſi etiam agatur de Eccleſia, de illa agatur ut comitante ſuam Matremfamilias ac Principiſſam, cum qua unum corpus myſticum ſub capite Chriſto conſtituit, adeoque etiam communes cum illa habet actiones & paſſiones licet non habeat communia encomia extraordinaria, quæ ſoli Principiſſæ ac Matrifamilias Eccleſiæ tribuuntur. Talia ſunt, quæ c. 4. ponuntur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Veni de Libano; veni de vertice Sanir & Hermon; hortus concluſus ſoror mea, fons ſignatus. &c. Et c. 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* &c. Hæc enim omnia non conveniunt proprie Eccleſiæ ſpectatæ in reliquis ſuis membris, ſed B. Virgini. Eccleſia non eligitur immaculata, ſed redditur immaculata. Eccleſia vocatur & oritur ex Sion, non ex Montanis Libani, Sanir, & Hermon, cubilibus leonum & pardorum, in qua vicinia ſita erat Nazareth, quo forte ultimi ſtemmatis Davidici ſurculi metu perſecutionis Herodianæ erga hoc ſtemma confugerant. Eccleſia quidem hortus eſt, & fons, ſed omnibus gentibus perpetuo apertus ſicut & duodecim portæ cæleſtis in terra Jeroſolymæ: Sola B. Virgo & mater hoc encomio gaudet virginitatis fertilis & incorruptæ. Eccleſia non tantum lilia ſed & lolia nutrit; ſola B. Virgo lilium eſt in rubo, utut flagrante, illæſum. Denique in confirmationem dictorum etiam hoc non exiguum pondus adjicit, quod cum in Canticis de duabus Eccleſiis, veteri & nova, non obſcure ſermo ſit, ſemper tamen de una eademque amica & ſponſa & columba Propheta loquatur, manifeſto indicio, aliud eſſe, quod in duo diſtinguitur, nempe Eccleſiam, & aliud, quod unum idemque manet, quodque utrique Eccleſiæ per modum unius Principiſſæ & matris commune ſit, nempe B. Virgo, quæ proin ſola dilecto potuit dicere: *Omnia poma, nova & vetera, ſervavi tibi*, hoc eſt, Eccleſiæ veteris fructus & novæ tanquam illius Principiſſa, & hujus à te in Cruce conſtituta communis mater offero. Si mihi ſuppeteret tempus præ aliis ſtudiis ad emendationem morum & bonum Eccleſiæ magis neceſſariis, excerperem ex Patribus omnes textus ex Canticis quos illi de B. Virgine explicant. Oſtenderem, hos textus à Patribus ſumi litteraliter in primario ſenſu per Spiritum Sanctum intento. Hoc ſemel evicto certum eſſet, tota Cantica litteraliter loqui de B. Virgine, & ſic etiam textum in argumento poſitum.

Probatur conclusio 2. Myſterium Rubi incombuſti declarat, B. Virginem ſine macula peccati originalis conceptam eſſe. Ergo. *Ant. prob.* Si expendantur omnes circumſtantiæ hujus mirabilis viſionis, ſine dubio per allegoriam præfigurativæ alicujus futuri myſterii, non poteſt oſtendi aliud præfiguratum quoad omnes partes adæquata ſimilitudine conformius, quam myſterium Immaculatæ Conceptionis B. Virginis quoad animam. Ergo moraliter certum eſt, hoc & non aliud in illo rubo fuiſſe præfiguratum. *c. patet*, quia ſi Petrus mihi oſtendat accurratam effigiem alicujus v. g. militis, vel civis Romani, quem dicit eſſe ſuum fratrem; ſi inter centum millia civium Romanorum, aut militum unum invenero, qui exacte præmonſtratam effigiem exprimat, potero ſine hæſitatione inferre, quod hic ſit Frater Petri. Pari ergo ratione, ſi in novo Teſtamento reperimus aliquid geſtum, quod in omnibus circumſtantiis certis obviis ac compertis cum aliqua figura ſeu quaſi effigie ſimbolica Veteris Teſtamenti exacte conſentit, ſciemus, hoc objectum & non aliud ibi præfiguratum fuiſſe etiam quoad proprietatem aliunde non compertam, quo modo proin ſenſus allegoricus ad ſenſum litteralem referendus eſt, prout in Prolegomenis Scripturæ ſuſe oſtendi. *Ant. prob.* ab inductione omnium circumſtantiarum, quæ in textu referuntur. Textus Exodi 3. ſic habet: *Moyſes paſcebat oves Jethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian, cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat,*

quod

quod rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Ne appropies huc; solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum & educam de terra illa in terram bonam. Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum. De eadem apparitione legitur Deuteronomii 33., ubi Moyses moriturus benedixit Tribus Israel. Quando venit ad Tribum Joseph, ad eam sic ait: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos. Cornua Rinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Quod ille, qui apparuit, revera fuerit Deus, confirmat ipse Christus Matthæi 22., ubi ait: *Non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham.* &c. Attamen in Actis Apostolorum c. 7. S. Stephanus coram concilio dicit: *Apparuit illi* (Moysi) *in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi, & facta est ad eum vox Domini dicens: Ego sum Deus patrum tuorum.* &c. Ita textus. Ex his sic argumentor.

Primo moraliter certum est; eum, qui in Rubo apparuit, fuisse ipsum *Verbum* seu secundam in Trinitate personam, quæ descendit in terram ad liberandum suum populum ex servitute dæmonis. Id convincenter probat titulus *Angeli*, qui tribuitur apparenti in Actis Apostolorum. Hic enim titulus Verbo incarnato tribuitur Malachiæ 3. ubi dicitur: *Ecce ego mitto angelum meum & præparabit viam ante faciem meam* (nempe Joannes Bapt.) *& statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Et quis stabit ad videndum eum! Ipse enim quasi ignis conflans, & herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum.* &c. Idem confirmatur ex eo, quia non potest expeditior ratio reddi, cur Moyses super Tribum Joseph precatus sit benedictionem *illius, qui apparuit in rubo*, nisi quia Josephum Patriarcham contemplabatur tanquam figuram S. Josephi nutritii Jesu, de quo Matthæus c. 2. v. 23. scribit: Habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas: *Quoniam Nazaræus vocabitur*, qui etiam, prout *Tertullianus adversus Judeos* c. 11. observat, *per cornua crucis* totum ventilavit mundum.

Secundo certum est, in illa apparitione tractari à Verbo Incarnato seu *Angelo testamenti* de redemptione populi Dei, spectati tam in figura quam figurato. Id enim ipse textus ostendit.

Tertio certum est, rubum illum in quo Dominus apparuit, non esse ortum ex terra ob peccatum Adami originale maledicta, de qua habetur Gen. c. 3. v. 17. *Adæ dixit: Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo; spinas & tribulos germinabit tibi.* Eam vero terram, in qua rubus stetit, non fuisse maledictam, ex eo patet; quia Deus Moysi dicit: *Solve calceamentum; locus enim, in quo stas, terra sancta est.*

Quarto moraliter certum est, ex eo genere arboris, quæ hoc loco rubus vocatur, fuisse fabricatam arcam fœderis, & vetus tabernaculum, quorum prius nempe arca fœderis indubitato est figura B. Virginis, alterum vero, nempe Tabernaculum, erat figura corporis Christi. Prior præfiguratio probatur ex Apocalypsi c. 11. & c. 17. ubi arca testamenti, & mulier quæ Christum peperit, ita conjunguntur, ut non obscurum sit, ea pro eadem re haberi: *Apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti ejus in templo ejus; & signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes.* connaturalis ac obvius sensus horum verborum certe stat pro Matre Dei, ita ut figura & figuratum idem sint. De Tabernaculo seu templo vero id de suo corpore exponit ipsemet Salvator Joan. 2. v. 19. Jesus dixit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud - - Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Cæterum quod ille rubus fuerit quoddam genus arboris compactissimæ, imputribilis, & habentis tam in trunco quam in ramis secus fructus & flores longas & acutas spinas, cui arbori nomen *Sittim*, seu *Settim*, convincenter probat *Theodorus Hasæus* de ligno Sittim & *de Rubo Moysis*, cujus Dissertationes suo *Thesauro antiquitatum sacrarum* inseruit Tomo VIII. *Vgolinus*. Arbor illa vocatur in libris *Acacia*, & convenit in multis cum genere arborum, quæ in Bavaria nostra alicubi crescunt ac vocantur Eiben.

Quinto, novimus quidem, ab Ecclesia in Officio B. Virginis per Rubum incombustum intelligi intemeratam virginitatem Dei Genitricis: *Rubum quem viderat Moyses, conservatam agnoscimus tuam laudabilem virginitatem*, canit Ecclesia. Verum per hoc significatum obtineri adæquatam significationem illius figuræ, non videtur verosimile. Si enim per rubum incombustum significatur inviolata virginitas corporis, primario significari inviolatam virginitatem mentis assero. Aut enim per illum ignem, qui rubum invaserat, intelligitur ignis divinus, *conflans & emundans*, qualem Propheta Malachias superius adductus in *Angelo Testamenti*, qui in Rubo apparuit, conspicit? Vel intelligitur ignis concupiscentiæ, quo instrumento diabolus peccatum originale in mundum invexit? Si primum; cum ille ignis divinus in illo rubo prorsus nihil absumendum atque emundandum invenerit, manifestum est, nec maculæ originalis culpam, imo nec fomitem aut scoriam fuisse repertam. Si vero per ignem illum intelligatur concupiscentiæ ignis, qui per generationem parentum in Embrionem adhuc anima destitutum transierit, iterum manifestum est, animam B. Virginis tam parum fuisse læsam ab illo igne, quam parum rubus ille à flamma damni accepit. Ad illibationem autem virginitatis corporalis pertinere adæquatam significationem illius mysterii ex duabus rationibus defendi nequit. Nam quomodo per grassantes in toto rubo flammas significaretur illæsa virginitas, cum

ad Mariam in conceptu virgineo ne quidem scintilla concupiscentiæ vel à longe accesserit? Et posito etiam, quod in illa visione conceptionis virgineæ à flamma concupiscentiæ monstretur immunitas, cur ipsæ flammæ rubum corriperent? Cur Deus appareret in medio flammarum turpium? Cur denique necessum erat, ipsam terram ex qua nasceretur rubus, à maledictione præservare, & contestari sanctam? Itaque considératis omnibus totum mysterium ad immaculatam Conceptionem B. Virginis referendum est, ita ut sive per ignem illum intelligatur ignis divinus, *constans & emundans*, in Maria nihil conflandum aut emundandum invenerit; sive intelligatur generalis flamma concupiscentiæ, ea nec maledictionem originalem præsupponat in matre, utpote terra sancta, nec eam transferat in filium.

PROBATUR CONCLUSIO 3. Deus in Gen. c. 3. serpenti diabolo in ejus confusionem denuntiat; eum, sicut per mulierem sibi virum & orbem subjecerat, ita eum per mulierem superandum ac conterendum fore, quæ comminatio careret sua emphasi, & antithesis careret sua elegantia, nisi peccati originalis virus prius in fœmina, non quidem ordine meriti, sed ordine executionis deficeret. Textus in Genesi sic habet: *Dixit Dominus ad mulierem: quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me & comedi.* Et ait Dominus ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum.* Verum quidem est, quod Septuaginta Interpretes legant αὐτὸς, *ipse*, quod Christo convenit. Sed hoc non impedit, quin utraque lectio, cum utraque ab Ecclesia authoritatem acceperit, vera sit, ita ut Christus prius superet diabolum prioritate meriti, Maria prioritate executionis ex futuris meritis Christi. CONFIRMATIONEM hoc argumentum accipit ex illo Cantici c. 6. v. 8. *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ electa genitrici suæ.* Et c. 8. v. 5. *Sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua;* quibus verbis insinuatur, statim ex momento, quo Eva facta est mater morientium per originalem culpam, præordinatam & à potestate dœmonis exemptam fuisse Mariam, eamque constitutam in matrem viventium. Neque enim Maria sub arbore malo pomi noxialis diceretur vere *suscitata*, aut singulariter *electa*, nisi jam tunc à generali contagione fuisset per Decretum divinum præservata.

PROBATUR 4. Ex sensu ac traditione Ecclesiæ ab eo tempore, quo articulus de peccato Originali discuti cœpit:

1. *Acta Presbyterorum Achaiæ de Passione S. Andreæ: Sicut primus Adamus formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta; ita secundus formatus est ex terra virginea nunquam maledicta.*

2. *S. Hippolytus Martyr* in Orat. *de Consummatione sæculi* circa annum 220. ait: *Christus secundum carnem advenit ex sancta & immaculata Virgine. — Ex immaculata Maria Virgine natus est.* Quamvis in hoc textu non sit clarum, an loquatur de immaculata quoad animam, usus tamen hujus termini sequente Sæculo pro puritate animæ, argumentum præbet conjiciendi, etiam priore Sæculo terminum sic acceptum esse.

3. *Origenes* Hom. 1. in c. 1. Matthæi: *Unigeniti Dei dicitur Mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti & immaculati, una unius, unica unici.* Dum Origenes Mariam in genere immaculatarum ponit *unam*, & *dignam*, indicium est, eum loqui de immaculata quoad animam. Immaculatæ enim quoad corpus plures fuerunt virgines. Hunc sensum Origenis in eadem Homilia sequentia ejus verba magis determinant, dum Angelum Gabrielem ad S. Josephum sic loquentem introducit: *Accipe ergo eam sicut commendatum cœlestem thesaurum, Deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam justitiam. Accipe eam, sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut Creatoris omnium propria, sicut Regis cœlestis sponsi domum immaculatam.* Idem Hom. 3. in c. 2. Matth. *Hic puer* (Jesus) *non indiget patre super terram. Incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis. Non indiget matre in cœlis. Immaculatam enim & castam habet matrem in terra, hanc videlicet Beatam Virginem Mariam.* Hæc analogia & anithesis careret sua Emphasi, si verbum in terris non invenisset matrem, nisi peccato originali infectam.

4. *S. Gregorius Thaumaturgus* Origenis discipulus in Serm. 1. de Annuntiatione: *Angelus sanctæ Mariæ primo omnium Illud; Ave gratia plena præsignavit; quoniam cum ipsa totius gratiæ thesaurus reconditus erat. Ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo sancta corpore & spiritu extitit. — Ipse sanctificationis Dominus, Pater castitatis, incorruptionis author, & libertatis dator, salutis procurator, qui ex terra virgine creavit hominem & ex illius latere & costa Evam assumpsit, hic Dominus tecum & rursus ex te.* Cum ergo S. Gregorius ex eo, quod Pater castitatis ex Maria ad imitationem primævæ creationis natus sit, insinuat, eam conservatam fuisse virginem, pari ratione ex eo, quod ex ea natus sit sanctificationis Dominus, insinuare videtur, quod præsanctificata fuerit, & in ipsa creatione animæ libertate donata. Hunc sensum confirmant sequentia ejus verba: *Ave gratia plena intellectualis Solis Oriens seu aurora, flos vitæ immaculatus. Ave gratia plena vitis semper vigens, quæ animas te glorificantium lætificas. - - Cum ancilla Rex gloriæ, cum speciosa speciosus forma præ filiis hominum, cum impolluta, qui sanctificat universa. — — Surge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ. Vere enim arca est sanctissima Virgo intrinsecus & extrinsecus deaurata, quæ universum sanctificationis thesaurum suscepit.* Clarius hic sensus exprimitur in Serm. 2. qui sermo tamen Vincentio Ricardo Clerico Regulari sic existimante forte est *Procli* Patriarchæ. *Ave*, inquit, *gratia plena. Tu enim, quæ revera gaudio sunt digna, agis, quoniam immaculatam induta es vestem. - - Quoniam & tu sancta, & omni humana creatura gloriosior, ac purior, sanctior effecta, nive quidem candidiorem habes mentem, quovis autem auro quantumvis probato purificatum magis corpus. — Cum puritatis atque integritatis simulacrum esset, aspectum ipsa angelicum, sicut plures ex Prophetis, non reformidavit.* Hæc ostendunt; ubi Scriptores

ptores illi indefinitam celebrant puritatem B. Virginis, eos etiam de puritate animæ loqui.

5. *S. Cyprianus* in Orat. de Christi Nativitate: *Nihil in Maria repetiit ultio, nec præcedens delectatio expetiit pœnarum usuram. — Nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Cum dolores in partu pœna peccati originalis sint juxta illud Gen. 3. *In dolore paries*, consequens est, ut quam S. Cyprianus *exemptam jure* docet à pœna, immunem declaret à culpa. Hinc ait: *Cum aliis fœminis natura communicabat, non culpa.* Idem sic pergit: *Erat ei proprium privilegium, quod nulla mulierum nec ante nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater & virgo; unde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spiritali & corporali intus & extus Christi præsentia fruebatur.*

6. *Dionysius Alexandrinus* in Præfatione Epistolæ ad Paulum Samosatensem: „Deus Verbum „caro factum est. - - Multæ reperiuntur ma„tres; una autem & sola virgo filia vitæ genuit „Verbum vivens. *Et in quæst.* 5. Neque in ta„bernaculum ejus alius introivit aut exivit nisi „solus Dominus, & porta tabernaculi signata est „integra, & incorrupta, & inviolata; manu enim „Dei clausa est, & digito ejus signata est; neque „tabernaculum ejus ab hominibus fabricatum, „sed Spiritu Sancto firmatum est; & virtute al„tissimi protegitur illud semper laudatissimum Dei „tabernaculum Maria Deipara & virgo. *Et quæst.* 7. „Non in servo inhabitavit, sed in sancto suo ta„bernaculo, non manu facto, quod est Deipara „Maria. Illic enim in ipsa Rex gloriæ factus est „Pontifex; ex ipsa exivit Verbum factus Ponti„fex non fecundum legem carnalis mandati, sed „secundum virtutem vitæ indissolubilis. *Et „quæst.* 10. Propter nos venit conceptus in ven„tre Virginis Mariæ superveniente Spiritu Sancto „in eam, & matrem incorruptam à pedibus us„que ad caput benedictam servavit, sicut ipse „solus novit modum, conceptus & ortus sui. „Hæc enim est, quam Isaac prævidens dicebat „Jacob: Det tibi Deus benedictionem terræ ha„bentis omnia. Qui enim de cœlo descendit „Unigenitus Deus Verbum gestatum est in utero „& genitus ex Paradiso virginali habente omnia." Hi termini: *filia vitæ*, tabernaculum non ab *hominibus fabricatum*, sed à Spiritu Sancto firmatum, *semper* laudatissimum, *non manu facto*, *à pedibus usque ad caput benedictam*, benedictionem terræ *habentis omnia*, Paradiso virginali *habente omnia*; ostendunt specialem operationem & sanctificationem Dei in ipsa Conceptione B. Virginis, & exemptionem ab omni maledictione.

7. *S. Athanasius* in Serm. de Deipara: „Spi„ritus Sanctus in Virginem descendit cum omni„bus suis essentialibus virtutibus imbuens eam „gratia, ut in omnibus grata esset. Atque id„circo gratia plena cognominata est, eo quod „adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis „abundaret. Quam virtutem per omnia tempo„ra conceptus eam habuisse confido, & post con„ceptum eam retinuisse. - - Decet, te Matrem, „Regeneratricem, Dominam atque Heram co„gnominari, eo quod ex te prodiit Rex, Domi„nus, ac Deus noster, assistentem illi, nobis „quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque „gratiam largienti; qua de causa factum est, ut „gratia plena appellata sis, utpote quæ omni „gratia abundares.

8. *Titus Bostrensis* in c. 1. Lucæ. *Evangelista indicat, ex eodem Davidis genere, unde Joseph ortum trahebat, ipsam quoque inculpatissimam Virginem fuisse.*

9. *S. Ephrem* in Serm. de laudibus Mariæ, B. Virginem sic alloquitur: *Immaculata, intemerata, incorrupta, & prorsus pudica, atque ab omni sorde & labe peccati alienissima, Virgo DEI ac Sponsa, Domina nostra.*

10. *D. Basilius* in *Liturgia* Diacono decantanda sequentia verba injungit: *Sanctissimæ, intemeratæ, Dominatricis nostræ, Deique Genitricis Mariæ cum omnibus Sanctis commemorantes. - - Custodi nos Deus gratia tua Sanctissimæ & Immaculatæ Dominatricis nostræ & Dei Genitricis Mariæ cum omnibus Sanctis.*

11. *Variæ antiquissimæ Liturgiæ*, quæ, licet forte sine accessionibus aliquot terminorum ad nos non pervenerint, videtur tamen, eas accessiones post sæculum quintum non accessisse. Liturgia Jacobitarum in Oratione, quæ vocatur *Obsignatio* post Communionem, sic habet: *Propitietur Deus & dimittat ei, pro quo & cujus causa oblatum est bodie sacrificium istud per orationes & intercessionem Matris amictæ justitia, cæli secundi, Virginis Immaculatæ.* In Liturgia D. Jacobo adscripta habetur: *Sanctæ & gloriosæ semper Virginis.* In Liturgia S. Sixti Papæ: *Præcipue & primario sanctam & benedictam semper Virginem B. Mariam Dei Genitricem commemoramus.* In Liturgia S. Petri: *Dignare Domine meminisse sanctæ & præclaræ semper Virginis B. Mariæ.* In Liturgia S. Chrysostomi: *Sanctæ & Gloriosæ semper Virginis Mariæ.* In Liturgia S. Cyrilli Alexandrini: *Domine qui vis, ut Sanctorum tuorum memoria frequenter communicemus, maxime ac speciatim Gloriosæ præ omnibus Sanctis Virginis immaculatæ, sanctæque Genitricis Dei Mariæ.* Si quis objiciat alias Liturgias v. g. Liturgiam S. Jacobi, quæ vocatur *Minor*, Liturgiam S. Petri, Liturgiam S. Joannis, Liturgiam D. Marci. &c. in quibus illi termini non continentur modo præfato, responderi potest; silentium authorum harum Liturgiarum non tollere mentem authorum earum Liturgiarum, quæ attuli.

12. *S. Epiphanius* in Serm. de laudibus Mariæ. *Gratia plena es. B. Virgo solo Deo excepto cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu angelorum. - - Lætabantur Angeli, quasi ipsi duntaxat Deum haberent; quibus B. Virgo superior nata Deum habitantem in cælis concepit in terra.* Ibidem B. Virginem vocat *lilium immaculatum, ovem immaculatam.*

13. *S. Ambrosius* in Psal. 118. ad ult. vers. *Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est; suscipe non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Et in Hom. de Cain. &. Abel. *De hoc grege sancta & immaculata & intacta illa ovis processit Sancta Maria.*

14. S.

14. *S. Gregorius Nyssenus* Hom. 18. in Cant. *Christus solus de puritate virginis electus est, cujus fax nuptialis Spiritus Sancti splendor; cujus cubile vitiorum expers conditio, nuptiæ puritas incorrupta.*

15. *D. Hieronymus* in Epist. de Assumpt. B. Mariæ ad Paulam, quam alii Sophronio P. C. tribuunt, explicans illa verba *Cantici:* „Veni co„lumba mea, immaculata mea, *ait: B. Virgo* „simplicitatem columbæ in omnibus repræsentat; „quoniam quidquid in ea gestum est, totum pu„ritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, „& ideo immaculata, quia in nullo corrupta. - - „Ante hoc ipsum *(conceptum Christi)* uterus Vir„ginis quamvis mundus, quamvis impollutus, „& alienus à contagione peccati, quamvis san„ctus, adhuc tamen vilitate carnis induitur; ac „sicut lana candidissima suoque colore dealbata, „cum accessisset Spiritus Sanctus, vertitur in pur„puram. - - Quamvis Angelorum excelsior na„tura sit, non tamen gratia major; quia & ipsi „gratuita gratia, ne corruerent, sunt salvati. „Inde David: Verbo Domini cœli firmati sunt, „& spiritu oris ejus omnis virtus eorum subsistit. „Constat, Beatam & gloriosam Virginem Mariam, „ampliora promeruisse virtutum privilegia & per„cepisse gratiam ab ipsis Angelis collaudatam. „Unde etsi mirabilis est eorum firmitas, mirabi„lior tamen in Maria, quam obumbravit vir„tus altissimi, ut supra omnem virtutem sit an„gelicam quod factum est in ea, & admirabile „cunctis sæculis sacramentum. *Idem in Psal.* 77. „B. Virgo pulchre dicitur nubes diei, quia non „fuit in tenebris, sed semper in luce. *Et in c.* 9. „*Esaiæ.* In aula virginali & nulla sorde maculata „de Spiritu Sancto Dei sermo processit.

16. *Timotheus* Presbyter C. P. in Orat. de Simeone, cum alias puerperas cum Maria ad templum accedentes sic alloquitur: *Quid vos conditione ancillæ cum libera, atque adeo Domina incertatis? - - Unde etiam supra omnes inculpata & omnibus modis sancta Virgo per illum, qui domicilium habuit in ea, usque adhuc immortalis est.*

17. *S. Augustinus* l. de natura & gratia c. 36. sic scribit: „Pelagius ad hoc ut probet, ho„minem per vires naturæ sine peccato vivere „posse, adeoque non dari peccatum originale, „commemorat eos, qui non modo non peccasse, „verum etiam juste vixisse referuntur: Abel, „Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, „Joseph, Jesum Nave, Phineen, Samuel, Na„than, Eliam, Elisæum, Micheam, Daniel, „Ananiam, Azariam, Misael, Ezechiel, Mardo„cheum, Simeon, Joseph, cui desponsata erat „Virgo Maria, Joannem. Adjungit etiam fœ„minas, Delboram, Annam Samuelis matrem, „Judith, Esther, alteram Annam filiam Phanuel, „Elisabeth, ipsam etiam Domini ac Salvatoris „nostri matrem, quam dicit sine peccato confi„teri necesse esse pietati. Excepta itaque Sancta „Virgine Maria, de qua propter honorem Do„mini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, „habere volo quæstionem. Inde enim scimus, „quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincen„dum omni ex parte peccatum, quæ *(quia)* con„cipere ac parere meruit eum, quem constat, „nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine „excepta, si omnes illos Sanctos, cum hic vi„vere possemus, possemus interrogare, utrum „essent sine peccato, quid fuisse responsuros pu„tamus? Nonne una voce clamassent: Si dixe„rimus, quia peccatum non habemus, veritas „in nobis non est.„ In hoc textu duo notanda sunt. *Primo*, quod Pelagius negans existentiam peccati originalis, quantum pertinet ad B. Virginem, argumentetur ex universali sensu Ecclesiæ. *Secundo*, quod D. Augustinus se hoc *scire* fateatur, B. Virgini plus gratiæ, quam cæteris hominibus concessum esse ad vincendum *ex omni parte* peccatum. Potuisset in B. Virgine facile distinguere inter peccatum actuale & originale. Potuisset dicere, sensum universalem Ecclesiæ, quem Pelagius objecerat, tantum stare pro immunitate illius à peccatis actualibus, non vero à peccato originali; verum non est ausus in dubium revocare id, quod Pelagius objecerat, *Mariam sine peccato* (omni) *confiteri, necesse esse pietati.* Idem S. Doctor in l. de *quinque hæresibus* circa Christum, Manichæos, qui negabant, Christum natum esse ex fæmina, quia alioquin ex ea fuisset inquinatus peccato originali cap. 5. sic scribit: „Frustra Manichæe conaris adversari. Dicit tibi „Deus creator hominis, filius hominis: Quid „est, quod te permoveat in mea nativitate? Non „sum libidinis conceptus cupiditate. Ego ma„trem, de qua nascerer, feci; ego viam meo „itineri præparavi atque mundavi. Hanc, quam „despicis Manichæe, mater est mea, sed manu „fabricata est mea. Si potui inquinari, cum „eam facerem, potui inquinari, cum ex ea na„scerer. Sicut transitu meo illius non est cor„rupta virginitas, sic & mea non est ibi maculata „majestas. Stulte, unde sordes in virgine ma„tre, ubi non est concubitus cum homine patre? „Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libi„dinem, nec pariendo est perpessa dolorem? „Unde sordes in domo, ad quam nullus habita„tor accessit? Solus ad eam Dominus & fabri„cator ejus venit, vestem, quam non habebat „induit, eamque, sicut invenit, clausam reliquit.„ Hæc argumentatio D. Augustini non foret exacta, nisi Manichæum persuaderet, B. Virginem statim in ejus fabricatione seu conceptione præservatam esse à sordibus. Habitasset enim in ea diabolus & maculasset.

18. *Theodorus* Episcopus Ancyranus Hom. de Nativit. Servat. in Concilio Ephesino habita. *Dic obsecro, utrum est vilius, rubusne an uterus Virgineus, ab omni peccati affectione immunis? Ignoras, illa recentiorum eorumque, quæ nunc contingunt, extitisse figuras?*

19. *Basilius Seleuciensis* in Orat. de Verbi Incarnat. *Templum es vere Deo dignum, utpote suavissimum omnis sanctitatis & puritatis odorem spirans. O ter sacrosancta Virgo, de qua qui omnia illustria & gloriosa dixerit, nunquam à veritatis scopo aberrabit.*

20. *Theodoretus* in Cantica ad illa verba: Una est columba, ait: „Salomon divino afflatus „Spiritu Sancto ante cernens Verbi purissimi in„carnationem, & quæ ipsam sine semine genuit „Sanctissimam Dei Genitricem Mariam illam im„maculatissimam, quam omnes generationes Bea„tissimam

„ tissimam prædicant.-- Inter tot animas omnium „ hominum, qui salvantur, ut electa est una illa „ sola, quæ Christum genuit Virgo Maria, quæ „ puritate profecto Cherubin & Seraphin antecellit.

21. *Eusebius Emissenus* Serm. de Nativitat. „ Quid de Matre Domini dicam, cujus odoris „ fragrantiam Salomon admirans ait: Quæ est ista, „ quæ ascendit per desertum ut virgula fumi ex „ aromatibus myrrhæ & thuris, & universi generis pigmentarii? Ubi enim omnium Aromatum „ fumus redolet, ibi fœtoris indicium esse non „ potest.

22. *Proclus* Episcopus Cyzicenus in Orat. coram Concilio Ephesino habita: „ Sacra Deipara „ Maria in unum nos cogit, spiritualis fecundi „ Adami paradisus. Hæc admirandæ œconomiæ tela, in qua admirabilis illius unionis tunica confecta est, cujus quidem textor extitit „ Spiritus Sanctus, radius textorius immensa gestantis gratia.

23. *Sophronius* Patriarcha Jerosol. in Orat. de Angelorum excellentia: „ O Gabriel, qui Beatissimam, inculpatissimamque Sacratissimæ, purissimæque Dominæ nostræ animam ingenti gaudio „ imbuisti. - - Christe, tui gaudii inculpatæ matris tuæ, angelorumque precibus intercedentibus consortes nos effice. *Idem in Epistola ad* „ *Sergium Patriarcham C. P.* Mariæ sanctæ præclaræque ab omni contagione liberatæ (*seu ut* „ *teste Vasquezio in Vaticanis Codicibus habetur*, liberæ) & corporis & animæ & intellectus. - - - „ Ideo Virgo sancta accipitur, & corpus, animaque sanctificatur, quæ ita ministravit Incarnationi, ut munda & casta & incontaminata. - - „ Ex inviolabili & virginali sanguine sanctæ atque immaculatæ virginis Mariæ Verbum est incarnatum.

24. *Hesichius* Jerosol. in Orat. 2. de Deipara. eam *Turturem mundam* & *columbam impollutam* appellat ex Canticis. Dein ait: „ Ecce Virgo, quæ „ Adamum pudore & Evam comminatione liberavit; quæ audaciam serpentis abscidit, quam „ conscientiæ fumus non attigit, neque vermis „ voluptatis eam læsit. - - - Quia munda es à „ concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, „ & tabernaculum ab omni sorde liberum conservasti, Unigenitus ex te nascitur.

25. *S. Antiochus* Hom. 21. de innocentia Mariæ: „ Nulli possibile est ad tuæ virtutis pertingere fastigium nisi præsidio juvetur, juxta testimonium Deiparæ nulli obnoxiæ vitio. - - - „ Plena cum esset gratiæ, promeruit sibi vestem „ pertexere virginitatis nulla ruga decolorem, „ nulli obnoxiam reatui.

26. *Concilium Toletanum* 11. „ Solam Personam „ filii hominem verum sine peccato de Sancta & „ Immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse.

27. *S. Ildephonsus* in l. de parturit. & virginit. Mariæ: „ Quid legem naturæ requirunt in Maria, „ ubi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus? - - Constat, illam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non „ solum maledictio matris Evæ soluta est, verum „ etiam & benedictio omnibus condonatur. - - „ Cum dicit, gratia plena, ex integro iram ex-

„ clusam ostendit, & restitutam gratiam declarat. - - Nullas adscribant sacratissimæ matri „ contumelias, non gemitus, non dolores, non „ ærumnas, non ullas viscerum vexationes, non „ ullas diræ tristitiæ corruptiones; quia hæc omnia, „ sicut sæpe dictum est, in prima origine illatæ „ sunt vindictæ & retributiones justissimæ primæ „ prævaricationis; à quibus omnibus B. Virgo „ Maria, quantum est aliena à culpa, tantum procul dubio libera fuit à doloribus & pœna. *Et* „ *supra.* Quæ nec Adam in se admisit, nec ex Evæ „ colluvione filium suscepit, nec sub maledicto „ in doloribus & angustiis Dominum peperit. „ *Et ibidem.* Interrogemus istos sequaces Helvidii, „ qui etsi virginem eam non denegant permansisse, „ pudicitiam tamen commaculant, & gratiam, qua „ plena prædicatur, quando communi lege naturæ vitiatæ dicunt eam peperisse. Quia si ita „ peperit, ergo adhuc ac si (quasi) cum massa „ primæ damnationis contra Angeli vocem maledictioni subjacuit, ac Verbum Patris de carne „ peccati, quod absit, ut caro fieret, hominem „ assumpsit. Sed quia contra fidem Catholicam „ est sic sapere, B. Virgo plena gratia nec dolorem sensit nec corruptionem viscerum pertulit, „ quia quantum aliena fuit à culpa, Spiritu Sancto „ in ea cooperante, & virtute altissimi, non obumbratur, in totum extranea à maledicto primæ damnationis.

28. *S. Damascenus* in Orat. 2. de Dormit. B. Virginis: „ Hodie sacratissima columba & simplex „ & innocens anima & Spiritui divino consecrata „ spiritualem novi Adami Paradisum suscipit, in „ quo condemnatio abrogata; etenim ad hunc „ Paradisum serpens aditum non habuit. Etenim „ Rex ipse ad matrem suam venit, ut divinis suis „ ac purissimis manibus sanctam ac puram & labis „ expertem ipsius animam susciperet.

Denique sensum ac traditionem Christianorum Orientalium confirmat, quod ipsemet Mahometes, qui Sæculo septimo ope cujusdam Sergii Monachi vel certe ope alicujus alterius Christiani, Arriani imo & Nestoriani vel Ebionitæ, suum Alcoranum conscripsit, non obscure Immaculatam Conceptionem B. Virginis Mariæ insinuet, licet, prout more suo omnia confundit, etiam nativitatem & conceptionem non distinguat. Non est verosimile, id eum, vel ejus Magistrum Sergium, fuisse scripturum, nisi agnovisset, eam doctrinam esse apud Christianos receptam, eamque Christianis, quibus, ut eos in sua retia traheret, blandiri volebat, placituram. *Sura III* sic scribit: *Dixit uxor Amran* (S. Joachimi) *Domine mi, certe ego vovi tibi, quod est in utero meo, liberum. Suscipe ergo à me. Cum autem peperisset eam, dixit: Domine, certe ego peperi eam fœminam, & non est masculus sicut fœmina; & ego quidem eam nominavi Mariam; & ego fane confugere facio eam ad te, & prolem ejus à Satana lapidato. Suscepit ergo eam Dominus susceptione pulchra & germinare fecit eam germine pulchro.* Doctor autem Mahumedanus, nomine *Gelal*, teste *P. Maraccio*, hunc textum Alcorani sic explicat: *In historiis habetur, nullum nasci, nisi tangat eum Satanas, quando nascitur, & ideo erumpit in vagitus, præter Mariam. Referunt hoc duo Seniores.* Alius

Doctor Mahumedanus, nomine *Cottada*, teste eodem *P. Maraccio* sic scribit: *Omnis natus ex Adam confoditur in latere tactu Satanæ, quando nascitur, excepto Jesu, & matre ejus. Nam posuit Deus inter eos & Satanam velamen, ita ut tactus Satanæ steterit in velamine, nec pertigerit ad eos ulla ex parte. Præterea narratum est nobis, quod neuter commiserit ullum peccatum, sicut committunt cæteri filii Adam.* Ita isti miseri fabulatores per velamen transpiciunt inter mille ineptias aliquid nonnunquam Catholicæ veritatis.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Certum est ex constanti traditione Patrum & Doctorum Ecclesiæ, in Canticis litteraliter significari connubium spirituale Christi Regis pacifici cum sua Ecclesia. Ergo non possunt in sensu *litterali*, ac *necessario*, per Spiritum Sanctum immediate intento, explicari de B. Virgine, prout in primo argumento assumptum est. *c. patet*, quia non dantur duo sensus litterales in eodem textu.

Respondeo dist. a. Certum est, hoc connubium significari cum Ecclesia contrahendum primario & initiandum in persona B. Virginis. c. contrahendum confusim cum corpore sine ordine membrorum seu personarum n. a. Cum connubium illud spirituale Christi cum Ecclesia consistat in perfectissima unione amoris & fidei, consequitur, quod ejusmodi fœdus unionis iniri possit cum integro populo vel natione in persona illius principis. Sic enim bella inter duas nationes finiuntur per fœdera pacis initæ inter principes utriusque nationes; & dum v. g. Rea Galliæ reconciliatur alicui Reipublicæ, aut nationi, id fit in persona Principis, vel Ducis, vel Regis, qui dignitate aut potestate excellit in tali Republica, aut natione, quam repræsentat. Itaque pari ratione, quæ connubii seu unionis fœdera sanciuntur inter Salomonem æternum & Ecclesiam, convenientissime sanciri poterant in persona B. Virginis, tanquam Principissa nobilissima veteris Ecclesiæ, & tanquam Matrefamilias novæ Ecclesiæ, quam illi Christus in persona Joannis è Cruce commendavit. Et sicut in præfato genere unionum inter duas nationes fit, ut Reges pacificentes invicem in Instrumento pacis modo sermonem dirigant ad personam & personalia compacificentis, modo ad totum populum compacificenti subditum, ita in isto connubiali Cantico sermo miscetur promiscue, ut modo Rea divinus solum attingat personalia Mariæ, modo communia cum suo populo, quem repræsentat tanquam ejus Principissa & Materfamilias.

Dices Non habentur exempla in sacris Scripturis tractandi cum integro populo, aut communitate in persona unius. Ergo hic modus explicandi nec debet admitti litteraliter in Canticis.

Respondeo n. a. Hic enim modus adeo est familiaris Sacræ Scripturæ, ut scateat exemplis. Sic quod Adamo & Evæ personaliter dicitur, sine dubio dictum est in earum persona toti humano generi. *Tulit Deus hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis ut operaretur & custodiret illum; præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. Aderat huic præcepto præsens solus Adam, & tamen Gen. 3. Eva dicit: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus.* Similiter quando Deus Gen. 3. Adamo dicit: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es;* ad totum genus humanum id in persona Adami dictum est. Et quando eodem loco Evæ dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas; in dolore paries, & sub viri potestate eris*, id in persona Evæ ad omnes mulieres dictum est. Sic 2. Reg. 3. v. 12. Abner Davidi nuntiat: *Fac mecum amicitias, & reducam ad te universum Israel.* Sic in Prophetis passim habetur, quod integræ nationi dicitur, hoc regi illius nationis dicitur. Sic Esaiæ 36. Sennacherib Ezebiæ nuntiat: *Quæ est ista fiducia qua confidis? Si responderis, in Deo confidimus &c.* Sic & Petrus confitetur divinitatem Christi nomine omnium, imo nomine totius Ecclesiæ. Sic & Christus Apocalypsis 2. & 3. quod nuntiat Angelo seu Episcopo Ephesi, Smyrnæ &c. toti illi Ecclesiæ nuntiat.

Objicitur 2. Gratis asseritur; quod Patres aliquos Cantici textus, ubi loquuntur de sponsa, in sensu litterali explicent de B. Virgine. Ergo non probatur, quod etiam integrum Canticum in sensu litterali exprimat colloquium immediatum inter Verbum & B. Virginem.

Respondeo n. a. Contrarium patet ex variis testibus Patrum, quorum aliquos hic adducam. Fuse enim ista persequi, non est hujus loci. 1. ad illa verba: *Osculetur me osculo oris* Rupertus in Cantica ait: *Nonne hoc verbum Angeli Gabrielis, Spiritus Sanctus superveniet in te &c. Verbum & sponsio erat jam imminentis osculi oris Domini? Profecto liquefacta est anima tua, ut dilectus locutus est, scilicet Deus Pater locutione ineffabili, dum substantiam Verbi sui cum illo amore suo Spiritu Sancto tuæ menti tuo ventri penitus insereret, in quo nec similem visa es nec habere sequentem.*

2. Ad illa verba: *Trahe me post te. Rupertus:* Trahebatur, & currebat, & ipsam currere, id est, in montana cum festinatione abire, erat dicere, trahe me post te. Pretiosum unguentum erat, quod Dominus dederat sterili (Elisabethæ), tanti unguenti odorem perceperat; tanti beneficii famam sive nuntium ab ipso Angelo acceperat.

3. Ad illa verba: *Nigra sum. Hailgrinus:* Nigra sum *in apparentia* & despecta tanquam mater leprosi (ac percussi à Deo), sed formosa in veritatis existentia, tanquam veri Dei Genitrix gloriosa. Nigra sum tanquam tabernacula Cedar, sicut cæteræ matres, quarum ventres sunt tabernacula filiorum mœroris & tenebrarum. Verumtamen ego formosa sum sicut pelles dedicatæ vero Salomoni Christo. Nam sicut illæ pelles arcam typicam continuerunt; sic ergo intra mea viscera veram arcam continui, Christum videlicet; & sicut pelles protegebant totum tabernaculum, sic sub umbra meæ protectionis defendo totam Ecclesiam.

4. Ad

4 Ad illa verba: *Nolite me considerare, quod fusca sim.* *Rupertus*: Nolite Filiæ Jerusalem considerare me, quod sim corrupta, quia non tumentem uterum habeo, non fecit vir, sed ita decoloravit me sol. Verus sol, & sole pulchrior, semetipso me implevit, & semetipso uterum meum tumentem reddidit.

Hoc modo *Rupertus* totum Canticum de B. Virgine exponit. Alios textus Cantici de B. Virgine expositos Cornelius à Lapide attingit. Fateor tamen, verosimiliorem litteralem expositionem Cantici de B. Virgine inveniri posse, quam etiam tentarem, si tempus sinat. Quod attinet ad alias Objectiones contra Immaculatam Conceptionem depromptas ex SS. Patribus & ex D. Thoma, ad eas Respondi in Hallucinationibus Virgilianis, & in Responsione ad Responsionem Apologeticam P. Virgilii. Summa meæ Responsionis ad textus Patrum & D. Thomæ eo redit, ut si aliquando in B. Virgine videantur admittere pecccatum originale, loquantur solum *de materiali* constitutivo ipsius peccati originalis, non vero de constitutivo *formali*, quod est privatio gratiæ sanctificantis. Constitutivum autem materiale peccati originalis est *fomes* seu *concupiscentia*, non quidem *actualis* consistens in actuali rebellione carnis contra imperium rectæ rationis, sed *radicalis*, seu spectata *in actu primo*, consistens in destitutione vigoris primigenii, se tenente ex parte seminis & embrionis, de se sine speciali gratia non sufficientis ad producendam & propagandam in posteros gratiam sanctificantem. Ita quoad rem respondet Cardinalis *Bellarminus* & Cardinalis *Sfondratus*, ille in Controversiis ubi agit de peccato originali, iste in Innocentia D. Thomæ vindicata. Nolim tamen per hanc responsionem tueri, quod B. Virgo contraxerit *debitum proximum* incurrendi peccatum originale. Si enim in hominibus baptizatis concupiscentia actualis nullam amplius habet connexionem cum peccato originali, eo quod tantum *ad agonem*, ut Tridentinum loquitur, *in renatis* relicta sit, multo minus connexionem necessariam cum peccato originali in B. Virgine habebit *concupiscentia radicalis*, seu *in actu primo* spectata ante infusionem animæ rationalis. Textus D. Thomæ, & Bellarmini videri possunt locis supra allegatis.

DISPUTATIO III.

De Gratia.

In hac Disputatione quæritur:

1. Quid & quotuplex sit gratia?
2. In quo consistant errores Pelagianorum & Semipelagianorum?
3. An possit dari opus moraliter bonum sine gratia intrinsece supernaturali?
4. An homini ex viribus naturæ per gratiam extrinsece supernaturalem facienti, quod est in se, Deus infallibiliter conferat gratiam intrinsece supernaturalem tam habitualem quam actualem?
5. An gratia sufficiens detur omnibus hominibus, & semper? Et quid ea sit?
6. Quid sit gratia efficax?
7. Quid sit gratia sanctificans? vel charitas habitualis?

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit gratia?

QUÆRITUR I. Quid sit gratia?

RESPONDEO. Gratia *generice* ac *late* sumpta significat quodlibet beneficium gratuitum à Deo homini impensum. Sed *specifice*, *stricte*, & *antonomastice* accepta, prout in hac Disputatione sumitur, potest definiri, quod sit beneficium gratuitum à Deo homini impensum in ordine ad finem supernaturalem assequendum. Ita quoad rem D. Thomas in pluribus locis. In 2. Sent. dist. 26. q. 1. a. 1. c. & ad 2. sic scribit: „Nomen gratiæ „quandam liberalitatem importat, unde ex hoc, „quod gratis datur, gratia dicitur. Liberalis au„tem donationis principium est amor. Cum au„tem dilectio Dei bonitatem creaturæ causet se„cundum diversos gradus bonitatis in creatura, „diversimode Deus aliqua diligere dicitur. Un„de & diligere omnes creaturas dicitur, secun„dum quod bonum naturæ omnibus tradit. Sed „illa est simpliciter & perfecta dilectio, quasi „amicitiæ similis, qua non tantum diligit creatu„ram, sicut artifex opus, sed etiam quadam ami„cabili societate, sicut amicus amicum, in quan„tum eas trahit in societatem suæ fruitionis, ut „in hoc earum sit gloria & beatitudo, quo Deus „beatus est, & hoc est dilectio, qua sanctos di„ligit, quæ antonomastice dilectio dicitur: & „ideo etiam effectus hujusmodi dilectionis anto„nomastice gratia vocatur; quamvis & omnes „naturales bonitates gratiæ dici possunt, quia „gratis à Deo dantur.

Quæritur 2. Quotuplex sit gratia?

Respondeo. Gratia dividitur 1. in actualem & habitualem. 2. in naturalem & supernaturalem. 3. in supernaturalem intrinsece; & supernaturalem extrinsece. 4. in externam & internam. 5. in gratiam gratis datam, & in gratiam gratum facientem, seu sanctificantem. 6. in gratiam operantem, & cooperantem. 7. in gratiam prævenientem, concomitantem, & subsequentem. 8. in gratiam *excitantem* seu moventem, & in gratiam sanantem. 9. in gratiam conditoris, & in gratiam Christi seu mediatoris. 10. in gratiam sufficientem, & in gratiam efficacem. 11. in gratiam generalem & specialem. 12. in gratiam præparantem, applicantem, & protegentem. 13. in gratiam naturæ, & in gratiam individui. 14. in gratiam congruam, & non congruam. 15. in adjutorium *cum quo*, & *sine quo non*. 16. in gratiam supernaturalem *entitative* seu quoad substantiam, & in supernaturalem *quoad modum*.

Quæritur 3. Quid sit gratia *actualis* & *habitualis*?

Respondeo. *Gratia actualis* consistit in auxilio divino transeunte, videlicet vel in illustratione intellectus, vel in motione bona voluntatis. Sic enim gratiam actualem describit S. Augustinus: *Ut innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. Gratia habitualis* vero dicitur donum Dei permanens animæ collatum. Tale donum habituale est lumen fidei, gratia sanctificans, donum scientiæ, donum prophetiæ. Utramque hanc gratiam describit S. Thomas in 2. dist. 28. q. 1. a. 4. C. ubi ait: „Gratia dupliciter potest „ accipi; vel quodcunque excitativum voluntatis, exhibitum homini ab ipsa divina providentia; vel aliquod donum habituale in anima receptum, quod gratis à Deo confertur. Si primo modo accipitur gratia, nihil differt, quid quid sit illud, quod variationis *(in animo)* occasionem præbeat, quasi voluntatem excitando; sive sit admonitio hominis, vel ægritudo corporis, vel aliquid hujusmodi, quæ omnia constat divinæ providentiæ subjecta esse, & in bonum electorum ordinata. Unde quidquid illud fuerit, quod hominem excitaverit ad convertendum se, ut gratiam gratum facientem accipiat, gratia gratis data dici potest, & sic sine gratia gratis data homo se ad gratiam non præparat. Si autem accipitur gratia pro aliquo munere habituali animæ infuso, quidam dicunt, quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem præparare, nisi per aliquod lumen menti infusum. Istud autem non videtur conveniens; quia illud etiam lumen non daretur alicui, nisi qui ad illud recipiendum se præparavit *(per aliam gratiam habitualem)*, quod non potest intelligi, nisi forte gratia *(habitualis)* gratia data dicatur naturale lumen rationis, quod pertinet ad bona naturalia, & non ad gratuita, nisi large accepta.

Quæritur 4. Quid sit gratia naturalis & supernaturalis?

Respondeo. Per gratiam naturalem intelligitur beneficium gratuitum à Deo homini impensum ex suo genere ordinatum ad perfectionem naturæ humanæ naturalem. Gratia autem supernaturalis est beneficium gratuitum à Deo homini impensum ordinatum ad finem illius supernaturalem. Exemplum prioris est admonitio parentum, congrua cogitatio de vanitate mundi, memoria æternitatis, immissio divina morbi vel alterius plagæ. &c. quæ hominem ad honestatem morum inducunt. Exemplum autem gratiæ supernaturalis sunt motio interna, vel lumen internum, vel adhortatio parentum, aut immissio morbi. &c. quatenus ista à Deo ordinantur ad finem seu beatitudinem hominis supernaturalem.

Quæritur 5. Quid sit gratia *intrinsece* supernaturalis, & *extrinsece* supernaturalis?

Respondeo. Gratia *intrinsece supernaturalis* est, quæ ex suo genere ordinatur ad finem seu beatitudinem hominis supernaturalem. Talis gratia est illustratio vel motio interna divina ad eliciendos actus fidei, spei, & charitatis circa Deum unum & trinum beatifice per essentiam possidendum. Gratiæ *extrinsece supernaturales* sunt admonitio parentum, cogitatio de vanitate mundi, memoria æternitatis, immissio morbi. &c., quæ licet *ex suo genere* tantum petant ordinari ad perfectionem seu beatitudinem hominis naturalem, *in individuo* tamen hic & nunc à Deo vel ab homine ordinantur ad beatitudinem illius supernaturalem.

Quæritur 6. Quid sit gratia *externa* vel *interna*?

Respondeo. Gratia *externa* est, quæ confertur homini quoad corpus, vel quoad sensus corporeos in ordine ad finem hominis. Talis est Scriptura Sacra, prædicatio verbi divini, adhortatio amici, lectio pii libri, societas bonorum, educatio bona, suscitatio mortui, sanatio miraculosa, recta dispositio phantasiæ, & appetituum. &c. Econtra Gratiæ internæ sunt illustratio intellectus, motiones piæ & bonæ inclinationes voluntatis, voluptas prædominans ad bonum, gratia sanctificans, virtutes infusæ, character sacramentalis, donum prophetiæ. &c.

Quæritur 7. Quid sit gratia *gratis data*, & gratia *gratum faciens*, seu *sanctificans*?

Respondeo. Gratia *gratis data* vocatur illa, quæ directe homini confertur ad procurandam supernaturalem salutem alienam. Gratia autem *gratum faciens seu sanctificans* est illa, quæ ratione sui reddit hominem gratum Deo, & dignum ad obtinendam supernaturalem salutem propriam. Recte tamen hic observat Gonet Disp. 3. a. 1. n. 6., gratiam sanctificantem dividi posse in gratiam formaliter sanctificantem, & in gratiam causaliter seu efficienter sanctificantem. Formaliter sanctificans vocatur gratia, quæ ratione sui facit & denominat hominem dilectum Deo, nempe charitas infusa à Deo. Gratia autem efficienter seu causaliter sanctificans dicitur illa, quæ efficit effectum, quo homo reddatur formaliter acceptus vel acceptior Deo. Tales gratiæ causaliter sanctificantes sunt gratiæ actuales, v. g. illustrationes internæ, piæ motiones internæ, boni habitus seu inclinationes internæ ad bonum, & probabiliter etiam gratiæ sacramentales

tales in facramentis vivorum. Cæterum gratiæ gratis datæ ab Apoftolo 1. Cor. 12. enumerantur novem. 1. *Sermo fapientiæ.* 2. *Sermo fcientiæ.* 3. *Fides.* 4. *Gratia fanitatum.* 5. *Operatio virtutum.* 6. *Prophetia.* 7. *Difcretio fpirituum.* 8. *Genera linguarum.* 9. *Interpretatio fermonum.* Ut enim D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 4. C. obfervat; ad hoc, ut quis alterum dirigat ad falutem, requiritur 1. *recta cognitio*, quæ habetur per fapientiam, fcientiam, & fidem. 2. *folida probatio*, quæ habetur per miracula & effectus foli Deo poffibiles. 3. *debita elocutio*, quæ habetur per donum linguarum, notitiam affectuum humanorum, & interpretationem Scripturarum. „Dicendum, „(inquit) quod gratia gratis data ordinatur ad „hoc, quod homo alteri cooperetur, ut redu„catur ad Deum. Homo autem ad hoc operari „non poteft interius movendo; hoc enim folius „Dei eft, fed folum exterius docendo, vel per„fuadendo. Et ideo gratia gratis data illa fub „fe continet, quibus homo indiget ad hoc, quod „alterum inftruat in rebus divinis, quæ funt fu„pra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. „Primo quidem, quod homo fit fortitus plenitu„dinem cognitionis divinorum, ut ex hoc in„ftruere alios poffit. Secundo ut poffit confir„mare vel probare ea, quæ dicit: alias non effet „efficax ejus doctrina. Tertio, ut ea quæ con„cipit, poffit convenienter auditoribus proferre. „Quantum igitur ad primum tria funt neceffaria. „Oportet enim, ut ille, qui debet aliquem in„ftruere in aliqua fcientia, *principia illius fcientiæ* „fint certiffima, & quantum ad hoc ponitur *fides* „(in gradu excellenti cum quadam clariori & „fidentiori non folum de authoritate loquentis, „ac revelatione, fed etiam de credibilitate & ve„ritate articulorum notitia) quæ eft certitudo „de rebus invifibilibus. Secundo oportet, ut „Doctor recte fe habeat circa *principales conclufio„nes* fcientiæ, & fic ponitur fermo *fapientiæ*, quæ „eft cognitio divinorum (feu caufarum altiffima„rum, puta judiciorum & Decretorum divino„rum mirabilium circa falvationem & falutem „generis humani.) Tertio oportet, ut etiam „abundet exemplis & *cognitione effectuum*, per quos „interdum oportet manifeftare caufas. Et quan„tum ad hoc ponitur *fermo fcientiæ*, quæ eft co„gnitio rerum humanarum; quia invifibilia Dei, „per ea, quæ facta funt, intellecta confpiciun„tur. *Confirmatio* autem in his, quæ funt fupra „rationem divinitus revelata, eft per ea, quæ „funt divinæ virtuti propria: & hoc dupliciter. „Uno modo, ut Doctor facræ doctrinæ faciat, „quæ folus Deus facere poteft in operibus mira„culofis; five fint ad falutem corporum; & quan„tum ad hoc ponitur *gratia fanitatum*; five ordi„nentur ad folam divinæ poteftatis manifeftatio„nem, ficut quod fol ftet, aut tenebrefcat, quod „mare dividatur; & quantum ad hoc ponitur „*operatio virtutum.* Secundo, ut poffit manife„ftare ea, quæ folius Dei eft fcire, & hæc funt „contingentia futura, & quantum ad hoc poni„tur *prophetia*, & etiam occulta cordium, & quan„tum ad hoc ponitur *difcretio fpirituum.* Facul„tas autem pronuntiandi poteft attendi vel quan„tum ad idioma, in quo aliquis poffit intelligi, „& fecundum hoc ponuntur *genera linguarum*; vel „quantum ad fenfum eorum, quæ funt proferen„da; & quantum ad hoc ponitur *interpretatio fer„monum.*

QUÆRITUR 8. An inter gratis datas numerari poffit etiam character facramentalis, jurisdictio in foro interno, infallibilitas Ecclefiæ?

RESPONDEO. Rectius id negari. Prout enim *Gonetus* obfervat; iftæ gratiæ melius referuntur in eorum beneficiorum divinorum claffem, quæ Apoftolus 1. Cor. 12. vocat *miniftrationes* & *operationes.* Difcrimen autem inter has gratias & gratias gratis datas confiftit in eo, quod character v. g. ordinis, & poteftas jurisdictionis in foro interno *immediatè* concurrant ad fanctificationem formalem hominum & *effectivè*, efficientia faltem morali. Sed gratiæ gratis datæ ad eam concurrunt tantum *mediatè* & *difpofitivè*. Præterea character baptifmalis, & confirmationis nequidem mediate ordinantur ad falutem alienam. Infallibilitas autem Papæ vel Concilii Generalis non confiftit in dono fupernaturali intus infufo in anima, fed in externa affiftentia Spiritus Sancti, cogitationes Summorum Pontificum & Patrum ita dirigentis.

QUÆRITUR 9. An gratiæ gratis datæ dentur in homine per modum habitus; an vero folum per modum actionis divinæ tranfeuntis?

RESPONDEO. Gratiæ gratis datæ ordinarie conferuntur per modum habitus. Id PROBATUR 1. ex eo, quia Apoftolus de his gratiis loquitur tanquam de dono, quantum eft ex fe ftabili. Dicit enim 1. Cor. 12. divifiones gratiarum funt; & divifiones miniftrationum funt; & divifiones operationum funt. Alii datur fermo fapientiæ &c. hæc omnia operatur unus fpiritus dividens fingulis prout vult. Sicut enim corpus unum eft, & membra habet multa; ita pofuit Deus membra, unumquodque eorum, ficut voluit. Sicut ergo partes divifæ, datæ munera, qualitas membrorum in fuo conceptu important aliquid de fe ftabile, ita etiam divifio & datio ejusmodi gratiarum in membra Ecclefiæ. 2. Donum prophetiæ in Prophetis Veteris Teftamenti, v. g. in Moyfe, Samuele, Nathan, Elia, Elifæo, Daniele &c. Dabatur per modum habitus, quo uti poterant fine hæfitatione in circumftantiis ad finem gratiæ congruis. Idem obfervare licet in dono miraculorum Apoftolis Matth. 10. collato. Dicitur enim: *Dedit eis poteftatem fpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem; præcipiens eis & dicens: Infirmos curate, mortuos fufcitate, leprofos mundate, dæmones ejicite.* Sic etiam Act. 5. v. 12. dicitur: *Per manus Apoftolorum fiebant figna & prodigia multa*; ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro faltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus fuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum, afferentes ægros & vexatos à fpiritibus immundis, qui curabantur omnes. 3. Eodem modo in Scriptura vocatur gratia gratis data *donum*, quo modo vocatur collatio Spiritus Sancti donum v. g. Act. 8. Ergo ficut hoc donum

donum est habituale, ita & illud. NEC OBSTAT, quod sancti patraturi miracula prius oraverint ad Deum; quod Elisæus l. 4. Reg. 3. prius petierit psalten; aut quod D. Bernardus ante patrationem miraculorum legatur in præcordiis sensisse quemdam saporem, quasi monitorem de assistentia Dei. Nam etiam Christus ante patrationem miraculi oravit, Joa. 11. v. 41. c. 12. v. 28. etsi amsi in eo extiterit habitualiter virtus patrandi miracula. Sancti autem orarunt nonnunquam ad Deum partim ut semetipsos disponerent ad actionem tam sublimem & exercitium habitus, partim ut impetrarent à Deo lumen, an intentio conferentis donum, & natura habitus sit ordinata à Deo pro his vel illis circumstantiis. NEC OBSTAT 2. quod Act. 19. dicatur: *Deus operabatur virtutes per manum Pauli, ita ut etiam sudaria & semicinctia Pauli deferrentur super ægros & curabantur.* Nam responderi potest, habitum illum tantum consistere in speciali unione accidentali seu applicatione omnipotentiæ & bonitatis divinæ ad personas præditas tali dono; sicut infra dicetur de gratia sanctificante. Vel ille habitus est tantum causa moralis applicativa hominis ad actionem instrumentalem, qua actio hominis substat actioni divinæ. Nec denique OBSTAT 3. quod D. Gregorius M. Hom. 9. in Ezech. testetur, donum prophetiæ, miraculorum &c. inexistere permanentes. *In Sanctorum cordibus,* inquit, *Spiritus Sanctus juxta quasdam virtutes semper permanet; juxta quasdam vero recessurus venit, & venturus recedit. In fide etenim & spe atque charitate perfectorum corda non deserit. In prophetiæ vero virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit.*

RESPONDEO enim; ex hoc tantum consequi, quod sicut habitus fidei, spei, & charitatis, licet ex intentione Dei sit perpetuus, est amissibilis ex malitia hominis, ita etiam habitus gratiarum gratis datarum sit amissibilis ex defectu finis à Deo intenti, vel ex defectu conditionum requisitarum à Deo.

QUÆRITUR 10. Quid sit gratia operans & cooperans?

RESPONDEO. Gratia operans vocatur, quæ in anima operatur effectum sine cooperatione liberi arbitrii. Talis gratia est omnis actio, qua Deus in anima causat illustrationem intellectus, bonum instinctum seu motionem repentinam voluntatis, voluptatem seu inclinationem fortem ad bonum. Gratia autem cooperans vocatur, qua Deus homini cooperatur ad actum internum vel externum. Potest autem eadem gratia esse simul operans & cooperans. Nam quando Deus interius hominis voluntatem movet v. g. ad actum misericordiæ, fidei, spei, vel charitatis, in primo signo rationis datur sola motio interna, causata à solo Deo. In secundo signo rationis datur assensio ad motionem divinam de se continuam, & sic homo se habet quoad speciem actionis per modum determinantis seu operantis; Deus vero se habet per modum determinati seu cooperantis. Nec refert, utrum illa motio divina se habeat per modum actionis transeuntis, sive per modum impulsionis habitualiter permanentis. In utroque enim casu verum est, quod gratia Dei simul sit operans, & cooperans, videlicet actualiter vel habitualiter operans inclinationem ad actum vel habitum; cooperans vero ad determinationem voluntatis actualem vel habitualem. Ita quoad rem hos terminos explicat D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. ubi sic scribit: *Gratia dividitur per operantem & cooperantem. In effectu, in quo mens nostra est mota, & non movens, solus autem Deus movens, dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra & movet & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ. Et secundum hoc dicitur gratia cooperans.*

QUÆRITUR 11. An hæc divisio gratiæ in operantem & cooperantem habeat fundamentum etiam in Scriptura & Patribus?

RESPONDEO affirmativè. Sic ad *Phil.* 2. dicitur: *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Et Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* Hoc tamen non obstante Apostolus 1. Cor. 15. ait: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Et Marci 16. v. 20. *Prædicaverunt ubique Domino cooperante.* 2. *D. Augustinus* l. de grat. & lib. arbit. c. 17. *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incœpit; quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* 3. *D. Gregorius* l. 26. Mor. c. 11. *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio bonum, quod jam appetimus, agat nobiscum.*

QUÆRITUR 12. Quid sit gratia præveniens, concomitans, & subsequens?

RESPONDEO. Gratia *præveniens* vocatur, quæ homini confertur ante ejus cooperationem prioritate temporis vel naturæ. *Concomitans* est idem, ac gratia, quæ simul tempore confertur vel conservatur à Deo in homine cum ejus bona voluntate. Gratia subsequens est, quæ consequitur ad bonum actum voluntatis. Hinc eadem gratia comparativè ad aliam gratiam subsequentem potest esse præveniens, & simul comparative ad aliam gratiam præcedentem erit subsequens. D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 3. C. sic habet: „Sicut „gratia dividitur in operantem & cooperantem „secundum diversos effectus; ita etiam in prævenientem & subsequentem; qualitercunque „gratia accipiatur, (sive actualiter sive habitualiter). Sunt autem quinque effectus gratiæ in „nobis. Primus est, ut anima sanetur. Secundus, ut bonum velit. Tertius est, ut bonum, „quod vult, efficaciter operetur. Quartus est, „ut in bono perseveret. Quintus est, ut ad „gloriam perveniat. Et ideo gratia, secundum „quod causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus; & „prout in nobis causat secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus „effectus est posterior uno effectu, & prior alio, „ita gratia potest dici præveniens & subsequens „secundum eundem effectum respectu diversorum.

QUÆRITUR 13. An hæc divisio fundetur in Scriptura & Patribus?

RESPONDEO affirmativè. Fatendum tamen est, in Scriptura & Patribus ferme univer-

sim

ſim per gratiam prævenientem intelligi eam, quæ antecedit omnem noſtram operationem meritoriam vitæ æternæ. Sic Pſal. 57. dicitur: *Miſericordia ejus præveniet me.* Et Pſal. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Et 1. Joan. 4. *Ipſe prior dilexit nos.* 2. *D. Auguſtinus* l. de nat. & grat. c. 32. *Prævenit, ut ſanemur; ſubſequitur, ut ſanati vegetemur; prævenit, ut vocemur; ſubſequitur, ut glorificemur.* 3. *S. Bernardus* l. de gratia & lib. arbit. *Sane prævenire ipſi nos nequaquam poſſumus. Qui enim bonum neminem invenit, neminem ſalvat, quem non prævenit.*

QUÆRITUR 14. Quid ſit gratia *excitans* & *ſanans*?

RESPONDEO. Gratia *excitans* vocatur, quæ hominem vel in bono torpentem, vel in peccato quaſi dormientem ad converſionem excitat. Sed gratia *ſanans* vocatur, quæ pravas hominis inclinationes, vel mentis cæcitatem ſanat, ut facilius recipiat motiones gratiæ. Etiam hujus diviſionis occaſio ſumpta eſt ex Scriptura & Patribus. Sic enim Apoſtolus Epheſ. 5. dicit: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Et Apoc. 3. Deus dicit: *Sto ad oſtium, & pulſo.* Et de utraque gratia tam excitante quam ſanante loquitur D. Auguſtinus in libris Confeſſionum, ubi ait: *Vocaſti, clamaſti, rupiſti ſurditatem meam; coruſcaſti, ſplenduiſti, fugaſti cæcitatem meam: flagraſti & eduxi ſpiritum, atque jam anhelo tibi; guſtavi, & eſurio ac ſitio; tetigiſti me, & exarſi in pacem.*

QUÆRITUR 5. Quid ſit gratia *conditoris*, & gratia *mediatoris*?

RESPONDEO. Gratia *conditoris* eſt, quæ de ſe & ex ſuo genere hominem tantum ordinat ad actus virtutum moralium in ordine ad finem ſeu beatitudinem hominis naturalem. Gratia vero *mediatoris* eſt, quæ hominem in ſtaturæ lapſæ non ſolum reparat ad recuperandum perdita, ſed etiam per actus virtutum ſupernaturalium elevat ad finem ſeu beatitudinem ſupernaturalem, conſiſtentem in viſione Dei unius & trini intuitiva per eſſentiam. De gratia conditoris ut condiſtincta à gratia mediatoris ſæpe loquitur S. Auguſtinus. Sic l. 12. de Civit. c. 9. ait: *Angeli voluntatem, qua meliores eſſent, non niſi operante adjutorio creatoris habere potuerunt.* Et Epiſt. 106/186. *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo tamen modo ſeipſam creatore ſuo non adjuvante ſervaret.*

QUÆRITUR 16. Quid ſit gratia ſufficiens & efficax?

RESPONDEO. Gratia ſufficiens vocatur, quæ libero hominis arbitrio tribuit vires ad operandum meritorie in ordine ad finem ſupernaturalem. Gratia autem efficax vocatur illa, ad quam Deus certo ſcit ſecuturum eſſe voluntatis aſſenſum. *Gratia efficax* dividitur in gratiam *intrinſece* efficacem, & *extrinſece* efficacem. Gratia *intrinſece* efficax vocatur illa, quæ non poteſt conjungi cum diſſenſu voluntatis. At *extrinſece* vocatur illa efficax, quæ, licet ſpectando ejus naturam poſſit conjungi cum diſſenſu, prævidetur tamen à Deo non fore conjungenda cum diſſenſu. Et ideo etiam ſolet vocari gratia *congrua*.

QUÆRITUR 17. Quid ſit gratia *generalis* & *ſpecialis*?

RESPONDEO. Gratia *generalis* vocatur, quæ confertur omnibus hominibus. Gratia autem *ſpecialis* dicitur, quæ confertur tantum aliquibus. Sic gratia converſionis indulta latroni in cruce, Zachæo, Matthæó, Paulo. &c. erat ſpecialis. Sed gratia prædicationis Apoſtolicæ, mors Chriſti. &c. erat gratia generalis.

QUÆRITUR 18. Quid ſit gratia *præparans*, *applicans*, & *protegens*?

RESPONDEO. Gratia *præparans* conſiſtit in divina præparatione, diſpoſitione, ac coordinatione cauſarum ſecundarum naturalium vel ſupernaturalium tam remota quam proxima in ordine ad ſalutem hominis determinati. Talis gratia reſpectu Petri eſt electio divina, qua Deus inter infinita ſyſtemata poſſibilia mundi elegit potius hoc præſens Syſtema, in quo ſpectata ſerie cauſarum præcedentium viderat Petrum potius aſſenſurum gratiæ converſionis, quam diſſenſurum. Talis gratia etiam eſt præparatio priorum parentum, bonorum ſociorum, bonorum Inſtructorum, & Parochorum. *Gratia applicans* conſiſtit in illuſtratione, vel motione interna, vel delectatione ad bonum, qua Deus voluntatem immediate applicat ad eliciendum actum bonum. *Gratia protegens* eſt, qua Deus hominem ſpecialiter protegit à tentationibus gravioribus dæmonis vel mundi vel carnis; v. g. refrænando poteſtatem dæmoni, ne gravius tentet; præſcindendo occaſiones peccandi per ſocietatem pravam, vel officia & negotia periculoſa. Has ſpecies gratiarum videtur agnoſcere D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 9. C. ubi ait: *Propter varios rerum eventus neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur; & propter hoc convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem.* Et ad 2. *Operatio Spiritus S., quæ nos movet & protegit, non circumſcribitur per effectum habitualis doni, quæ in nobis cauſatur, ſed præter hunc effectum nos movet & protegit.* *Ibidem c.* Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. *Rom.* 8. Propter varios enim eventus rerum, & quia etiam nos ipſos non perfecte cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire, quid nobis expediat, ſecundum illud *Sapientiæ.* 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ; & ideo neceſſe eſt, ut à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia ſcit & omnia poteſt. Et Q. 24. *de Veritate* a. 14. *Omnes exteriores motus à divina providentia moderantur, ſecundum, quod ipſe judicat aliquem excitandum ad bonum his vel illis actionibus. Unde ſi gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis ſalutem, ſic nec ullum bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei. Sed communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali juſtificante.*

QUÆRITUR 19. Quid ſit gratia naturæ, & gratia individui?

RESPONDEO. Gratia *naturæ* vocatur, quæ nulli individuo generis humani debetur, ne quidem indeterminato. Et talis gratia eſt elevatio ad ſtatum ſupernaturalem. *Gratia* autem *individui* vocatur, quæ nulli determinato individuo debea-

debeatur, debetur tamen alicui individuo indeterminato. Talis gratia est bonitas ingenii v. g. in D. Thoma, Scoto. Hæc divisio familiaris est Goneto Disp. 1. §. 2. n. 20.

QUÆRITUR 20. Quid sit gratia congrua, vel non congrua?

RESPONDEO. Gratia *congrua* dicitur, quæ secundum se est quidem indifferens ad assensum vel dissensum, attamen prout substat scientiæ mediæ, providetur à Deo conjungenda potius fore cum assensu vel dissensu. *Non congrua* vocatur, quæ, licet secundum se posset ab homine acceptari, sicque conjungi cum assensu, prævidetur tamen, potius fore conjungenda cum dissensu quam assensu. Sic igitur eadem gratia, prout substat scientiæ mediæ, respectu unius v. g. Petri, potest esse congrua, quin sit congrua respectu alterius, v. g. Judæ.

QUÆRITUR 21. Quid sit adjutorium, *cum quo*, & adjutorium *sine quo non*?

RESPONDEO. Adjutorium *cum quo*, vocatur illa gratia, cum qua certo conjungitur assensus, sive id proveniat ex intrinseca efficacia gratiæ, prout aliqui existimant, sive ex infallibilitate scientiæ mediæ, cui substat gratia congrua. Gratia *sine quo non* vocatur illa gratia, sine qua homo vel angelus non potuit perseverare, vel proficere, ita tamen, ut illa posita non sit eoipso perseveraturus vel profecturus. De isto adjutorio *sine quo non* loquitur S. Augustinus Epist. $\frac{106}{186}$, ubi ait: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo tamen modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* De adjutorio autem *cum quo* loquitur ille textus *S. Fulgentii* l. 2. c. 3. *Non alia gratia stantem angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una in utroque est operata gratia; in hoc ut surgeret: in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto, ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit.*

QUÆRITUR 22. Quid sit gratia *entitative*, seu *quoad substantiam* supernaturalis; & supernaturalis *quoad modum*?

RESPONDEO. Gratia supernaturalis *entitative*, seu *quoad substantiam* est illa, quæ immediate ac formaliter respicit actum intrinsece supernaturalem. Sic omnis interna illustratio, vel motio, immediate terminata ad actum fidei, spei, vel charitatis, aut virtutis christianæ, v. g. obedientiæ voluntariæ, amoris persecutionum. &c. est entitative & quoad substantiam supernaturalis. Econtra omnis motio vel illustratio interna, quæ immediate terminatur ad actum ex suo genere naturalem seu moralem, quando talis motio vel illustratio à Deo tanquam remota dispositio ordinatur ad actus intrinsece supernaturales, est gratia supernaturalis *quoad modum*. Talis motio seu gratia est, quando Deus puerum movet ad libenter audiendos parentes pios, vel Magistros bonos.

QUÆSTIO II.

In quo consistant errores Pelagianorum, & Semipelagianorum de Gratia?

NOTANDUM 1. Pelagianos exortos esse Sæculo quarto exeunte. Authorem habuerunt quendam *Pelagium* monachum, virum alias specie pietatis clarum, ita ut multos falleret, antequam à Romana Ecclesia detegerentur ejus versutiæ. Videtur de hoc ipso Pelagio loqui *S. Chrysostomus*, postquam ejus venenum latena agnoverat, Epist. 4. ad Olympiadem in fine, ubi scribit: *De Pelagio monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur, quot quantique coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt, cum viros, qui tam pie, tam sancte, tantoque cum tolerantia vixerunt, abripi atque in fraudem impelli videamus.*

NOTANDUM 2. Pelagianam hæresin considerandam esse in vario statu. Postquam enim impugnari cœperat, præsertim à D. Hieronymo, & D. Augustino, perpetuo mutabat faciem. Primitus enim rotunde negabant, dari peccatum originale; neque baptismum parvulis esse necessarium; docebant etiam, hominem solis viribus sui liberi arbitrii pervenire posse ad summam perfectionem, nec opus esse gratia, ad obtinendam salutem æternam. Cum autem convincerentur variis textibus Scripturæ; gratiam homini ad salutem esse necessariam, admittebant quidem necessitatem gratiæ, sed per gratiam intelligebant gratiam *creationis* & *donum liberi arbitrii*, ita ut sola natura, & liberum arbitrium per creationis gratiam nobis collata ad omnia peccata vitanda, atque ad omnem perfectionem salutemque obtinendam nobis sufficerent. *Tertio* cum ex Scriptura ostenderetur, non sufficere solam gratiam creationis, sed etiam necessariam esse gratiam Christi, tanquam gratiam Redemptoris, confitebantur etiam gratiam Christi, sed per eam intelligebant doctrinam, exemplum, & legem Christi. *Quarto*, cum illis ex Scriptura ostenderetur, non sufficere ad sancte vivendum & salutem obtinendam solas illas gratias externas, sed ad actus meritorios vitæ æternæ internos opus etiam esse gratia interna, confitebantur tandem, etiam opus esse quadam gratia interna, sed eam tantum conferri consequenter ad meritum fidei, quam asserebant elici & obtineri ex solis viribus liberi arbitrii, præsupposita sola gratia extrinseca creationis, & magisterii per Christum. *Quinto*, cum iterum ex Scriptura convincerentur, ipsam fidem esse donum Dei; imo aliquos parvulos justificari per baptismum, alios autem parvulos perire sine baptismo, fingebant, donum fidei vel baptismi aliquibus dari ob merita vel demerita *conditionate futura*, seu *conditionate prævisa*, illa videlicet, quæ Deus prævidebat à parvulo fore ponenda, si ad provectiorem ætatem perveniret. Itaque etiam docebant, hominem prædestinari vel non prædestinari ob merita vel demerita conditionate prævisa. Qui posteriora duo effugia, nempe quartum & quintum effugia admiserant, *Semipelagiani* vocabantur.

NOTANDUM 3. Etiamsi errores Pelagianorum à D. Augustino scriptis repressi, atque à Summis Pontificibus Innocentio I., & Zosimo

Papa

Papa damnati fuerint initio Sæculi quinti, errores tamen Semipelagianorum primum plene extincti fuerunt initio fæculi fexti, nempe per Concilium *Araufícanum*, celcbratum anno 529. Et ex hoc potiffimum defumendum eft, quid in hac re judicio univerfalis Ecclefiæ tanquam fide certum pro regula tenendum fit. Quamvis enim hoc Concilium non fuerit œcumenicum, fuit tamen confirmatum à Bonifacio Papa tanquam regula fidei, & pro tali regula acceptatum à tota Ecclefia. His prænotatis

DICO. Errores Pelagianorum & Semipelagianorum erant fequentes.

Error I. Non datur originale peccatum.

De hoc errore teftatur. 1. *Marius Mercator Commonitorio.* 1., ubi refert: à Pelagianis doceri; qnod *Adamus & Eva neminem pofterorum fui prævaricatione læferint, fed fibi tantum nocuerint, & quod ii tantum illa prævaricatione teneantur, qui hunc in prævaricandis Dei mandatis voluerint imitari.* 2. *S. Auguftinus*, qui l. 2. de gratia afferit, juxta Pelagianos *Adamum non nocuiffe propagine, fed exemplo.* Item in l. de nat. & grat. c. 9. juxta eosdem Pelagianos: *Peccaffe omnes in Adam non propter peccatum nafcendi origine attractum, fed propter imitationem.*

Error II. Adamus fuiffet nihilominus moriturus, etfiamfi non peccaffet.

De hoc errore teftatur *S. Auguftinus* l. de hæref. n. 88. *Adam dicunt, etfiamfi non peccaffet, fuiffe corpore moriturum; neque ita mortuum* (effc) *merito culpæ, fed conditione naturæ.* De Geft. Pelag. n. 65. Dicunt, *Adam mortalem factum, qui five peccaret, five non peccaret, moriturus effet.*

Error III. Parvuli non baptizati, quamvis non aquirant regnum cœlorum, aquirent tamen falutem ac vitam æternam.

De hoc errore teftatur *S. Auguftinus* l. 1. de peccat. mer. c. 20. ubi de Pelagianis loquens ait; *Conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito falutem ac vitam æternam tribuere, fed quia baptizati non funt, eos à regno cælorum facere alienos.* Et l. 1. contra Jul. c. 5. Affirmat (Juliauns Epifcopus Pelagianus), *quod infantes in eo ftatu fint, in quo erat Adam ante peccatum; & etfiamfi non baptizentur, habere vitam æternam.* Et de hæref. n. 88. *Etfiamfi non baptizentur, promittunt eis, extra regnum quidem Dei, fed tamen æternam, & beatam quandam vitam fuam.* Et l. 2. de anima c. 10. *Non cælorum regnum tribuit, fed Paradifum.* Et l. 2. Op. imp. n. 113. *Facitis duas æternitates Felices.* Et de Geft. Pelag. n. 65. Docent, *quod infantes nuper nati in illo ftatu fint, in quo Adam fuit ante prævaricationem; & quod infantes, etfi non baptizentur, habeant vitam æternam.*

Error IV. Ad vivendum fancte, & eliciendos actus meritorios vitæ æternæ non eft opus gratia Dei.

De hoc errore fæpiffime teftatur *S. Auguftinus* 1. l. de hær. n. 88. *Sine gratia credunt hominem facere omnia mandata.* 2. De Geft. Pelag. n. 65. Docent, *quod gratia Dei & adjutorium non ad fingulos actus detur, fed in libero arbitrio fit, & in lege, atque doctrina. Quod non fit liberum arbitrium, fi indigeat auxilio Dei.* 3. *Idem* Epift. 194. n. 3. *Dicunt, auferri liberum arbitrium, fi nec ipfam bonam voluntatem fine adjutorio Dei habemus.* 4. *Idem* de bono perfev. n. 4. *Tria funt, quæ maxime adverfus eos* (Pelagianoa) *catholica defendit Ecclefia; quorum eft unum, gratiam non fecundum merita noftra dari, quoniam Dei dona funt. Alterum eft, in quantacunque juftitia fine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium eft, obnoxium nafci hominem peccato primi hominis.* 5. *Idem* l. 4. ad Bonifac. n. 19. Tria funt, quæ Pelagiani idiotis & incautis inftillant, nempe, *ut negent originale peccatum, ut dicant, gratiam Dei fecundum merita noftra dari, acfi gratia jam non fit gratia, & ut dicant Sanctos in hac vita non habuiffe peccatum.* Et n. 33. *Catholici afferunt originale peccatum, afferunt gratiam Dei fuper liberum arbitrium omne antecedere meritum, afferunt, fanctos homines non vixiffe fine defectu, fed juftitiam, quæ non poffit habere peccatum, in alia vita futurum eis præmium, qui jufte hic vixerint.* 6. *Idem* de nat. & grat. n. 82. *Ubi & quando boni perficiantur pleniffima juftitia, non nimis curo: ubicunque autem, & quandocunque perfecti fuerint, non nifi gratia DEI per C. D. N. perfici poffe confirmo.* Et n. 49. *Neque illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, vel fint, vel effe poffint, qui perfectam, cui nihil addendum effet, charitatem habuerint, vel habeant, quoniam id quod voluntate humana adjuta per Dei gratiam fieri poffe confiteor & defendo, quando vel ubi, vel in quo fiat, nimium certare non debeo.* 7. *Idem* l. de peccat. mer. n. 7. *Qui dicunt, effe poffe in hac vita hominem fine peccato, non eft eis continuo incauta temeritate obfiftendum. Si enim effe poffe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel mifericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Si à me quæratur, utrum homo fine peccato poffit effe in hac vita, confitebor, poffe per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium.*

Error V. Concupifcentia & debilitas ad recte vivendum non veniunt ex nativitate, fed ex prava confuetudine vitiorum.

De hoc errore Pelagianornm teftatur *S. Auguftinus* l. de nat. & grat. ubl afferit, hoc illoa effe ufos argumento: *Quomodo potuit* (peccatum originale) *humanam debilitare, vel mutare naturam, quod fubftantia caret? - - Dicunt, Adami pofteros non folum illo non effe infirmiores, fed etiam plura impleviffe præcepta, cum ille unum implere neglexerit.* Et de bono perfev. c. 5. *Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem juftum in hac vita nullum habere peccatum.* Et n. 6. de nat. & grat. *Tantam tribuunt poteftatem voluntati, ut pietati auferant orationem.* 2. *Eugippius* Serm. 5. refert, quomodo Pelagiani rogaverint Deum: *Rogamus*, inquiunt, *Deum, ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in poteftate: ne ruam de equo, ne latro me interficiat.* Obfervat Illuftr. *Maffæus* in *Hiftoria Theologica* fol. 184. hanc doctrinam à Philofophis Ethnicis hauftam fuiffe. Sic enim *Cicero* de nat. Deorum l. 3. c. 26. fcribit: *Virtutem nemo unquam acceptam Deo retulit. Si id donum à Deo, non à nobis haberemus. Num quis, quod bonus vir effet, gratias diis egit unquam? Judicium hoc omnium mortalium eft; fortunam à Deo petendam; à feipfo fumendam effe fapientiam.* Et *Seneca* Epift. 41. *Stul-*

tum est optare bonam mentem, cum possis à te impetrare. Et *Horatius* l. 1. Epist. 19. *Det vitam, det opes* (Deus) *æquum mi animum ipse parabo.*

Error VI. Gratia Christi est omnibus necessaria ad bene vivendum, sed illa gratia consistit in lege, doctrina, ac exemplo Christi, & in condonatione peccatorum.

De hoc errore & fraudulentia Pelagianorum, dum tandem oppressi communi Ecclesiarum sensu fatebantur quoad modum loquendi necessitatem gratiæ, sed per gratiam intelligendo tantum externa subsidia, testatur in pluribus locis *S. Augustinus*: 1. De fraudulentia Juliani & aliorum Pelagianorum de grat. Chr. l. 1. c. 37. sic scribit: *Mihi pene persuaserat, hanc illum gratiam, de qua quæstio est, confiteri.* Et c. 30. conqueritur, se injuste infamari, *quod ita dicat, posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium.* Et l. 2. c. 18. *Etiam nos, cum primum legimus, recta vel correcta propemodum gaudebamus.* 2. De sensu autem verborum perverso l. de hæres. c. 88. ait: *Pelagiani gratiam non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis accepit nostra natura, adjuvante doctrina.* Et l. de gratia Christi n. 9. In Epistola quinque Episcoporum ad Papam asseritur, *quod homo possit esse justus cum adjutorio divinæ gratiæ, quod Deus hoc dederit homini cum ipsa possibilitate naturæ.* Et l. de Spir. & littera n. 32. *Cum quis verecundatus fuerit dicere, per nos ipsos nos fieri justos non hoc in nobis operante gratia Dei, quia videt, hoc à fidelibus & piis ferri non posse, non ad hoc se* (cum Pelagianis) *convertat, ut dicat, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta posuit.* Et in Op. imperf. l. 1. c. 94. Pelagiani dicunt: *Gratiam Christi multiplicem confitemur. Primum munus ejus est, quod facti ex nihilo sumus. Secundum, quod ratione præstamus. Ipsa gratia legem in adjutorium misit.* 3. In hoc ergo sensu, quem mente retinebant, Pelagiani dicebant, gratiam esse necessariam. *S. Augustinus* l. 1. de Grat. Chr. c. 35. dicit: *Trecentis forte versibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium confitetur, nosque nihil omnino boni facere posse sine Deo.* Et de Grat. Chr. c. 41. Julianus Pelagianus contra Augustinum conqueritur: *quam inique nos negatione gratiæ infamare gestierit, cum per totum librum nil aliud egerim, quam ut eam profiterer. Fatemur, universa compleri posse per gratiam Christi, quæ omnibus actibus adjutrix semper & comes est. Sed & si quis dicit, homines sine Dei gratia vel adjutorio posse peccata vitare, graviter detestamur.* Et l. 1. de Grat. Chr. c. 32. S. Augustinus adducit alium textum Juliani, ubi impostor dicebat: *Et baptismum unum tenemus, quod iisdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus* (cum exorcismo) *dicimus esse celebrandum. Plus est, quod admittamus, infantes in remissionem peccatorum percipere baptismum.* Subjungit ibidem S. Doctor c. 35. *Quis crederet, sub hac quasi manifesta confessione sensum latere contrarium?* 4. Hanc gratiam humanæ voluntati tantum extrinsecum non sufficere, S. Augustinus multis locis ostendit. Epist. 144. n. 8. Pelagianos reprehendens ait: *Voluntatem, lege data, putant ad eam implendam sibi posse sufficere, nulla super doctrina legis gratia sanctæ inspirationis adjuta.*

Error VII. Quamvis gratia etiam interna sit necessaria ad bona opera, illa tamen gratia confertur per fidem, quæ non habetur per gratiam, sed per liberum arbitrium.

De hoc errore Semipelagianorum, qui orti erant post condemnationem Pelagianorum, editam ab *Innocentio I.*, *Zosimo* Papa, & à duobus Conciliis Africanis, sæpius testatur *S. Augustinus* 1. l. 3. de Doct. Christ. n. 46. *Tichonius disputans de fide & operibus, opera dixit nobis à Deo dari merito fidei; ipsam vero fidem sic esse in nobis, ut nobis non sit à Deo.* 2. l. de prædest. SS. n. 1. *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Hæc plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt. Docent; ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo supplementum.* 3. De bono persev. n. 43. *Hæc*, inquiunt, *ut à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis.*

Error VIII. Gratia datur ex merito fidei.

De hoc errore Semipelagianorum in variis locis testatur S. Augustinus, & ostendit, eos per hoc dogma resuscitasse principale aliquod principium Pelagianorum, quod gratia ex merito detur. 1. De prædest. SS. n. 3. dicit: *Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse docuit; gratiam Dei secundum merita nostra dari. Si non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus, initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis.* 2. De bono persev. n. 54. *Si à nobis esse dicimus initium fidei, ut eo cætera dona mereamur accipere concludunt Pelagiani, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* 3. Epist. 225. n. 6. *Cum duo, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat.*

Error IX. Petere à Deo gratiam sanantem depravatæ naturæ non est effectus gratiæ, sed liberi arbitrii.

De hoc errore Semipelagianorum testatur S. Hilarius inter Epist. S. Aug. 226. n. 2. ubi ait: *Neque alicui operi curationis eorum annumerandum putant, ægrotum velle sanari; & nullam naturam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit velle sanari: ut, cum annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint & crediderint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Et *S. Augustinus* C. Julianum l. 4. c. 8. *Ponere jam cœpistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur.* Et Epist. 225. n. 4. apud S. Aug. D. Prosper ait: *Docent, ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Hæc tamen omnia esse erronea, D. Augustinus in pluribus locis docet. Sic l. 1. Retract. c. 23. retractando sua prius incaute dicta ait: *Nondum* (tunc temporis) *inveneram, qualis sit electio gratiæ. Proinde dixi: Quod credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus*

tibus dat Spiritum Sanctum. Profecto non (hoc) *dicerem, si jam* (tunc) *scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei & charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est; charitas cum fide à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo. Et quod paulo ante dixi: Nostrum est credere & velle, illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris; verum est quidem; sed eadem regula & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis: ac per hoc, quod etiam postea dixi: Quia neque velle possumus, nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat, quo vocat.*

Error X. Prædestinatio fit propter merita naturalia donum fidei præcedentia, & ob perseverantiam finalem.

De hoc errore Semipelagianorum testatur S. Prosper inter Epist. S. Aug. 225. Docent, *Deum eos prædestinasse ante mundi constitutionem, qui credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt.* Et Epist. 226. n. 4. *Prædestinationem ad id valere contendunt, ut eos præscierit vel prædestinaverit, qui fuerant credituri; nec de hac fide posse dici: Quid habes, quod non accepisti? cum in eadem natura remanserit, licet vitiata.*

Error XI. Ideo aliqui parvuli, aliis sine baptismo decedentibus ad baptismum perveniunt, quia Deus illorum bonas voluntates præviderat, si diutius vixissent.

De hoc errore Semipelagianorum testatur S. Augustinus Epist. 217. n. 22. *Cum Apostolus dicat, unumquemque recepturum secundum opera sua, quomodo dicitur, propterea quibusdam* (parvulis baptismum) *non dari, quibusdam morituris parvulis Dei gratia dari, quia eorum futuras prævidet voluntates, quas habituri essent, si viverent?* Et n. 5. *In tantum quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura quæ non sint futura, confingant, novoque apud ipsos absurditatis genere & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.*

Error XII. *Sicut initium fidei, ita etiam perseverantia finalis donum Dei non est.*

De hoc errore testatur D. Augustinus l. de bono persev. n. 42. *Initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent.*

Hi igitur sunt errores Pelagianorum & Semipelagianorum, qui illia adscribuntur à S. Augustino, D. Hilario, & D. Prospero. Quia autem magnum discrimen est inter errores à Summis Pontificibus ac Conciliis aperte condemnatos, & alios ab Ecclesia nondum condemnatoa, subjungam hoc loco Canones Innocentii I., & Zosimi Papæ, & Concilii Africani & Arausicani.

I. *Innocentius I.* in Epist. 25. ad Concilium *Milevitanum* anno 417. sic scribit: "Novæ hæreseos fugiantur authores. Quid enim acerbius in Dominum fingere potuerunt, qnam cum adjutoria divina cassarent, causamque quotidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere: Qno mihi opus Deo? Negantes ergo auxilium Dei inquiunt, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata sola tantummodo libertate contendat. O pravissimarum mentium perversa doctrina! Adverte tandem, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frœnis ejus utitur, in prævaricationem præsumptione conciderit. Neque ex hac potuit erui, nisi providentia ei regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus. Audiat David dicentem: Adjutorium nostrum in nomine Domini. Et: Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Quæ incassum dixerit, si tantum in ejus erat positum voluntate, quod à Domino flebili sermone poscebat. Quæ cum ita sint, cumque in omnibus divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse cœlestibus præsidiis destitutam, quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes sibi plurimisque Pelagius Cœlestiusque persuadent? Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restituta nobis Status pristini libertate quæramus; quippe qui nec alias diaboli machinas, nisi eadem juvante, possumus vitare. Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant, hos habere, quod in eis creditur, non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci, fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Quare Pelagium Cœlestiumque, id est, inventores vocum novarum Ecclesiastica communione privari Apostolici vigoris authoritate censemus, donec resipiscant à diaboli laqueis, eosque interim Dominico ovili non recipi. Simul autem præcipimus, ut quicunque id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat; quia non multum interesse arbitror inter committentia animum, & consentientis favorem.

II. *Concilium Milevitanum* secundum, celebratum anno 416., edidit sequentes Canones.

1. "Quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

2. "Quicunque parvulos recentes ab nteris matrum baptizandos negat, aut dicit; in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nibil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere sed false intelligatur, anathema sit.

3. "Quicunque dixerit, gratiam Dei, in qua
„ justificamur per Jesum C. D. N., ad solam re-
„ missionem peccatorum valere, quæ jam com-
„ missa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non
„ committantur, anathema sit.

4. "Quisquis dixerit, eandem gratiam Dei
„ per Jesum C. D. N. propter hoc tantum nos
„ adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam
„ nobis revelatur, & aperitur intelligentia man-
„ datorum, ut sciamus, quid appetere, quid vi-
„ tare debeamus, non autem per illam nobis præ-
„ stari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam
„ facere diligamus, atque valeamus, anathema
„ sit.

5. "Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam
„ justificationis dari, ut quod facere per liberum
„ jubemur arbitrium, facilius possimus implere
„ per gratiam, tanquam, etiamsi gratia non da-
„ retur, non quidem facile, sed tamen possimus
„ etiam sine illa implere divina mandata, anathe-
„ ma sit.

6. "Quisquis sic accipiendum *putaverit, quod*
„ *ait S. Joannes Apostolus;* si dixerimus, quia pec-
„ catum non habemus, nos ipsos seducimus, &
„ veritas in nobis non est; ut dicat; propter hu-
„ militatem oportere dici, nos habere peccatum,
„ non quia vere ita est, anathema sit.

7. "Quicunque dixerit, in oratione Domi-
„ nica ideo dicere sanctos: Dimitte nobis debita
„ nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non
„ est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis,
„ qui sunt in suo populo peccatores; & ideo non
„ dicere unumquemque Sanctorum; dimitte mihi
„ debita mea; sed, dimitte nobis debita nostra,
„ ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus pe-
„ tere intelligatur, anathema sit.

Hucusque Canones Concilii Milevitani, ex quibus illi pro fidei regula habendi sunt, quos in sua ad Concilium Milevitanum Epistola, superius adducta, approbavit Innocentius I. Acta hujus Pontificis in causa Pelagiana fuisse ab ejus successore Zosimo Papa, in quæstione facti non revocata licet, ut ex ejus duabus Epistolis patet, novum iis causæ Examen ac explicationem suarum sententiarum admiserit, testatur Zosimus ipsemet in Epistola 3. ad Africanos, ubi ait: se omnia *in statu obtestationis* reliquisse.

III. *Concilium Arausicanum II.* celebratum anno 529., & confirmatum à Bonifacio Papa anno 530., habet sequentes Canones.

1. "Si quis per offensam prævaricationis
„ Adæ non totum, id est, secundum corpus &
„ animam, in deterius dicit hominem commuta-
„ tum, sed animæ libertate illæsa durante, cor-
„ pus tantummodo corruptioni credit obnoxium,
„ Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ
„ dicenti; *anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (Ezech.
„ 18.) *&: nescitis, quoniam, cui exhibetis vos ser-*
„ *vos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis?*
„ (Rom. 6.) Et *A quo quis superatus est, hujus &*
„ *servus est.* 2. Pet. 2.

2. "Si quis soli Adæ prævaricationem suam
„ non & ejus propagini asserit nocuisse; aut cer-
„ te mortem tantum corporis, quæ pœna peccati
„ est, non autem & peccatum, quod mors est
„ animæ, per unum hominem in omne genus
„ humanum transisse testatur, injustitiam Deo da-
„ bit; contradicens Apostolo dicenti: *Per unum*
„ *hominem peccatum intravit in mundum, & per pec-*
„ *catum mors, & ita in omnes homines mors pertran-*
„ *siit, in quo omnes peccaverunt.*

3. "Si quis ad invocationem humanam gra-
„ tiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam
„ gratiam facere, ut invocetur à nobis, contra-
„ dicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicen-
„ ti: *Inventus sum à non quærentibus me: palam ap-*
„ *parui his, qui me non interrogabant.*

4. "Si quis, ut à peccato purgemur, vo-
„ luntatem nostram Deum exspectare contendit,
„ non autem, ut etiam purgari velimus, per
„ Sancti Spiritus infusionem & operationem in
„ nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto
„ per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas à*
„ *Domino;* & Apostolo salubriter prædicanti: *Deus*
„ *est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro*
„ *bona voluntate.*

5. "Si quis sicut augmentum, ita etiam ini-
„ tium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo
„ in eum credimus, qui justificat impium, & ad
„ generationem sacri baptismatis pervenimus, non
„ per gratiæ donum, id est, per inspirationem
„ Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem no-
„ stram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad
„ pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit,
„ Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur;
„ beato *Paulo* docente: *Confidimus, quia qui cœpit*
„ *in nobis bonum opus, perficiet usque in diem D. N.*
„ *J. C.* Et illud. *Vobis datum est pro Christo non*
„ *solum ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo*
„ *patiamini.* Et; *Gratia salvi facti estis per fidem;*
„ *& hoc non ex vobis; Dei enim donum est.*

6. "Si quis sine gratia Dei credentibus, vo-
„ lentibus, desiderantibus, conantibus, laboran-
„ tibus, vigilantibus, studentibus, petentibus,
„ quærentibus, pulsantibus nobis, Misericor-
„ diam dicit conferri divinitus; non autem ut cre-
„ damus, velimus, vel hæc omnia, sicut opor-
„ tet, agere valeamus, per infusionem & inspira-
„ tionem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur;
„ & aut humilitati aut obedientiæ humanæ sub-
„ jungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes &
„ humiles simus ipsius gratiæ donum esse consen-
„ tit; resistit Apostolo dicenti: *Quid habes, quod*
„ *non accepisti?* Et: *Gratia Dei sum id, quod sum.*

7. "Si quis per naturæ vigorem bonum ali-
„ quid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ,
„ cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari,
„ id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse
„ confirmat absque illuminatione & inspiratione
„ Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in
„ consentiendo & credendo veritati, hæretico
„ fallitur spiritu non intelligens vocem Dei in
„ Evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere.*
„ Et illud Apostoli: *Non quod idonei simus cogitare*
„ *aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia no-*
„ *stra ex Deo est.*

8. "Si quis alios misericordia, alios vero
„ per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui
„ de prævaricatione primi hominis nati sunt, con-
„ stat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse
„ venire

„ venire contendit, à recta fide probatur alienus. „ Is enim omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum; aut certè „ ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine „ revelatione Dei mysterium salutis æternæ per „ semetipsos posse conquirere. Quod quam sit „ contrarium, ipse Dominus probat, qui non „ aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit; sicut & Petro „ dicit: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in „ cœlis est.* Et Apostolus: *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto.*

9. "Divini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia „ continemus. Quoties enim bona agimus, Deus „ in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

10. "Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis „ semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

11. "Nemo quidquam Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit, quod voveret, sicut „ legitur: *Quæ de tua manu accepimus, damus tibi.*

12. "Tales nos amat Deus, quales futuri sumus „ ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

13. "Arbitrium voluntatis in primo homine „ infirmatum nisi per gratiam baptismi non potest „ reparari: quod amissum, nisi à quo potuit dari, „ non potest reddi. Unde veritas dicit: Si vos „ filius liberavit, tunc vere liberi eritis.

14. "Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur; „ sicut dicit Psalmista: *Cito anticipet nos misericordia tua, Domine.* Et illud: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

15. "Ab eo quod formavit Deus, mutatus „ est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam. „ Ab eo, quod operata est iniquitas, mutatur „ fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi; hæc secundum Psalmistam *Mutatio est dexteræ excelsi.*

16. "Nemo ex eo quod videtur habere, gloriatur, tanquam non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus, vel ut „ legeretur, apparuit, vel ut audiretur, sonuit. „ Nam sicut Apostolus dicit: *Si per legem justitia, „ Ergo Christus gratis mortuus est. Ascendens in „ altum captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.* „ Inde habet, quicunque habet. Quisquis autem „ se inde habere negat, aut vere non habet, aut „ id, quod videtur habere, aufertur ab eo.

17. "Fortitudinem gentilium mundana cupiditas; fortitudinem autem Christianorum Dei „ charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est „ in nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus „ est nobis.

18. "Nullis meritis gratiam prævenientibus „ debetur merces bonis operibus, si fiant: sed „ gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

19. "Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo „ modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine Dei gratia salutem non „ possit custodire, quam accepit, quomodo sine „ Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?

20. "Multa Deus facit in homine bona, quæ „ non facit homo: nulla vero facit homo bona, „ quæ non Deus præstat, ut faciat homo.

21. "Sicut eis, qui volentes in lege justificari à gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus: *Si in lege justitia est; ergo Christus gratis mortuus est;* sic eis, qui gratiam, quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur: Si per naturam justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Jam „ hic enim erat lex, & non justificabat; jam hic „ erat natura, & non justificabat. Ideo Christus „ non gratis mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit: *Non veni solvere legem, sed „ adimplere;* & natura per Adam perdita per illum „ repararetur, qui dixit: *Venisse se quærere, & „ salvare quod perierat.*

22. "Nemo habet de suo, nisi mendacium „ & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irorati non deficiamus in via.

23. "Suam voluntatem homines faciunt, non „ Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. „ Quando autem id faciunt, quod volunt, ut „ divinæ serviant voluntati, quamvis volentes „ agant, illius tamen voluntas est, à quo & præparatur & jubetur quod volunt.

24. "Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil „ conferant, sed inde accipiant, unde vivant. „ Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. „ Ac per hoc & manentem in se habere Christum, „ & manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam præciso palmite, potest de viva radice alius pullulare. Qui autem „ præcisus est, sine radice non potest vivere.

25. "Prorsus donum Dei est diligere Deum. „ Ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in „ nobis, unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio.

"Ac sic secundum suprascriptas Sanctarum „ Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere; quod per peccatum „ primi hominis inclinatum & attenuatum fuerit „ liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere „ Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, „ aut operari propter Deum, quod bonum est, „ possit, nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit. Unde & Abel justo, & Noe, & Abrahæ, & Isaac & Jacob, & omni antiquorum Patrum multitudini illam præclaram fidem, quam „ in ipsorum laude prædicat Apostolus *Paulus*, „ non per bonum naturæ, quod prius in Adam „ datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus „ fuisse collatam. Quam gratiam, etiam post „ adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus & credimus largitate conferri, secundum illud, quod sæpe jam dictum est, & „ quod prædicat Paulus Apostolus: *Vobis datum „ est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed*

„ *etiam ut pro illo patiamini.* Et illud: *Deus qui* „ *cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem* „ *Domini nostri Jesu Christi.* Et illud: *Gratia salvi* „ *facti estis per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim* „ *donum est.* Et quod de seipso ait Apostolus: „ *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* Non „ dixit: quia eram, sed *ut essem.* Et illud: *Quid* „ *habes, quod non accepisti?* Et illud: *Omne datum* „ *bonum & omne donum perfectum desursum est, de-* „ *scendens à patre luminum.* Et illud: *Nemo habet* „ *quidquam, nisi illi datum fuerit desuper.*

26. "Hoc etiam secundum fidem Catholi„cam credimus, quod accepta per baptismum „ gratia omnes baptizati Christo auxiliante & co„operante, quæ ad salutem animæ pertinent, „ possint & debeant, si fideliter laborare volu„erint, adimplere.

27. "Aliquos vero ad malum divina pote„state prædestinatos esse, non solum non credi„mus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum „ credere velint, cum omni detestatione illis ana„thema dicimus.

28. "Hoc etiam salubriter profitemur & cre„dimus, quod in omni opere bono non nos in„cipimus, & postea per Dei misericordiam adju„vamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bo„nis meritis & fidem & amorem sui prius inspirat, „ ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, „ & post baptismum cum ipsius adjutorio ea, quæ „ sibi sunt placita, implere possimus. Unde ma„nifestissime credendum est, quod & illius latro„nis, quem Dominus ad paradisi patriam revo„cavit, & Cornelii Centurionis, ad quem An„gelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum „ Dominum suscipere meruit, illatam admirabi„lis fides non fuit de natura, sed divinæ largita„tis donum.

Hucusque Canones Concilii Arausicani II., desumpti maxima parte ex libris S. Augustini, ejusdemque sententiis, quas D. Prosper collegit, & quarum collectionem quandam Sedes Apostolica in Galliam transmisit.

Confirmatio Concilii hujus Arausicani facta est à Bonifacio II. in Epistola ad Cæsarium Arelatensem Præsidentem Concilii. In hac Epistola sic scribit: "Petitioni tuæ non distulimus Catholi„cum dare responsum. Indicas enim, quod ali„qui Episcopi Galliarum fidem tantum, qua in „ Christo credimus, naturæ esse velint, non gra„tiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas „ est, in libero arbitrio remansisse, non etiam „ nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate „ conferri, postulans ut, pro ambiguitate tollen„da, confessionem vestram, qua vos è diverso „ fidem rectam in Christo, totiusque bonæ vo„luntatis initium juxta Catholicam veritatem per „ prævenientem Dei gratiam singulorum definitis „ sensibus inspirari, authoritate Sedis Apostolicæ „ firmaremus; - - Atque ideo, cum de hac re „ multi Patres, sed & majores nostri Apostolicæ „ Sedis Antistites ita ratione probentur differuisse „ latissima ut nulli amplius deberet esse ambiguum, „ fidem ipsam venire de gratia; Fraternitatem „ tuam habita collatione cum quibusdam Sacer„dotibus (*Episcopis*) Galliarum juxta fidem gau„demus sensisse Catholicam, NB. in his scilicet, „ in quibus uno, ut indicasti, consensu definierunt „ fidem, qua in Christo credimus, gratia divini„tatis præveniente conferri, adjicientes, etiam „ nihil esse prorsus *secundum Deum* boni, quod „ sine Dei quis gratia aut velle aut incipere, aut „ operari, aut perficere possit, dicente ipso Sal„vatore nostro. Sine me nihil potestis facere. „ Certum est enim atque Catholicum, quia in „ omnibus bonis, quorum caput est fides, nolen„tes nos adhuc misericordia divina præveniat, „ ut velimus; insit nobis, cum volumus; sequa„tur etiam, ut in fide duremus. Unde nimis „ eos, qui contra sentiunt, admiramur, usque „ eo vetusti erroris adhuc reliquiis prægravati, „ ut ad Christum non credant Dei beneficio sed „ naturæ veniri; & ipsius naturæ bonum, quod „ Adæ peccato noscitur depravatum, authorem „ nostræ fidei dicant magis esse, quam Christum. „ Qua propter supra scriptam Confessionem ve„stram consentaneam Catholicis Patrum regulis „ approbamus.

QUÆSTIO III.

An ad opera bona universim requiratur gratia intrinsecè supernaturalis?

NOTANDUM 1. Duplicis generis esse bona opera. Aliqua sunt præcise ex suo genere *Moralia* seu *Ethica*, quæ ductu solius rationis dictantur, v. g. reverentia & obedientia erga parentes, justitia commutativa. &c. Alia vero sunt ex suo genere *supernaturalia*, v. g. *castitas* voluntaria, *obedientia* ultronea, contemptus honorum & voluptatum, *fides* rerum intellectu imperceptibilium, *spes* & *amor* rerum supernaturalium.

NOTANDUM 2. Ad gratias extrinsece supernaturales referri posse 1. *gratiam protegentem*, qua Deus inhibet vel sistit potestatem dæmonis quoad graviores tentationes. 2. *gratiam sanantem*, qua Deus per immissionem cogitationum salubrium, vel sistendo motum vehementium spirituum ad varias passiones hominem violenter rapientium, sanat pravas concupiscentias. 3. *gratiam confortantem*, qua Deus per bonos angelos infringit potestatem dæmonis nimis graviter tentantis, vel per eosdem immittit cogitationes salubres, aut per eos sistit motum spirituum ad varias passiones trahentium. Sicut enim actiones ejusmodi angelorum non referuntur ad *miracula*, sed ad *beneficia*, in quibus Deus utitur ministerio causarum secundarum, v. g. reprimendo potestates aereas, vel movendo nubes & elementa, &c. ita neque pertinent ad gratias intrinsece supernaturales. 4. *gratiam excitantem* ad actiones moraliter bonas per allocutiones, inspirationes, vel illustrationes internas. Cum enim Deus tanquam *gubernator universi providus* habeat suam conversationem familiarem immediatam cum hominibus juxta illud Prov. 8. v. 31. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*, ita ut Deus ob hanc familiaritatem perpetuam in sensu morali dici possit *anima animarum*, non possunt ad miracula, vel ad actiones divinas intrinsece supernaturales referri allocutio-

cutiones Dei internæ ad animam, quando non versantur circa objectum immediatum intrinsece supernaturale, sed tantum circa *actiones morales*. 5. *gratiam præparantem*, qua Deus sua providentia seriem causarum secundarum ita disponit, ut homini provideatur de bonis parentibus, bonis Magistris, bonis pastoribus, bonis libris, bonis sociis, bonia exemplis. &c. in ordine ad ingenerandas cogitationes bonas, & motiones bonas, disponentes ad actus supernaturales. Cum enim hæc causarum secundarum præparatio per longas series possit fieri per allocutiones & motiones internas hominum circa actiones moraliter bonas, non exigitur gratia intrinsece supernaturalis immediate influens in effectum.

DICO I. Ad actiones moraliter bonas sufficit gratia extrinsece supernaturalis.

PROBATUR. Ecclesia ex Scriptura & traditione constanter docuit, ex una parte hominem per vires liberi arbitrii posse operari actiones moraliter bonas sine gratia fidei, quæ est prima gratiarum intrinsece supernaturalium; Ergo necessarium est dicere, ad actiones moraliter bonas sufficere gratiam extrinsece supernaturalem. *ant. prob.*

I. *D. Paulus* ad Rom. 2. ait: *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Similiter *S. Pius V.* damnavit sequentem Propositionem 22. Baii: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Ex opposito autem constat ex Concilio Milevitano & Arausicano & Innocentio I. & Bonifacio II., nullum prorsus bonum fieri posse sine gratia Dei.

II. *D. Augustinus* l. de Spir. & Litt. c. 28. loquens de gentilibus naturaliter bene operantibus ait: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit; etsi non esset illa pietas, quæ transfert in vitam æternam.* Ex opposito vero S. Doctor postmodum occasione Pelagianorum in loquendo cautior redditus, docet, nullum opus bonum fieri posse sine gratia.

III. D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. scribit: *Quia natura humana per peccatum* (originale) *non est totaliter corrupta, potest etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi; non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ.*

IV. *Concilium Tridentinum* Sess. 6. Can. 1. dicit: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per JEsum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.* In hoc textu Concilium supponit, aliqua bona opera fieri posse per vires naturæ.

V. In Baio damnatæ sunt duæ sequentes propositiones, nempe 36. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducat, agnoscit. Et 61. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, seu non malus, & Christi gratiæ injuriam facit, qui ita sentit & docet. Similiter in Quesnello damnata est hæc Propositio 1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

DICO II. In statu naturæ lapsæ ad actiones moraliter bonas singulas ad hoc, ut secundum omnes circumstantias habeant rationem adæquatam boni requiritur gratia extrinsece supernaturalis.

PROBATUR 1. ex textibus Conciliorum & Summorum Pontificum. Nam 1. *Innocentius I.* Epist. 25. ait: *Cum in omnibus divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse coelestibus præsidiis destitutam, quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes sibi plurimisque Pelagius Cælestiusque persuadent? Gratiam conantur auferre, quam necesse est quæramus; quippe qui nec alias diaboli machinas, nisi eadem juvante, possumus vitare.* 2. Concilium Arausicanum II Can. 9. dicit: *Divini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Et Can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hoc eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.*

PROBATUR 2. variis testimoniis SS. Patrum, qui scripserunt post exortam hæresin Pelagianorum. Qui enim prius scripserant, minori cautela in librandis exacte verbis & sententiis usi sunt. Imo idipsum evenisse ipsimet D. Augustino & D. Hieronymo quoad libros scriptos ante Pelagianam hæresin, recte observat. Textus S. Augustini sunt sequentes:

1. *De Prædest.* n. 1. de Pelagianis devictis loquens ait: *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur; atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse, consentiant. Hæc plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt.* Si ergo Pelagiani per hoc dogma, ad quod in Concilio Diospolitano compellebantur, discreti fuerunt à suo priore errore, manifestum est, hoc dogma fuisse receptum ab Ecclesia.

2. *Epist.* 225. n. 6. *Cum in bis, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt esse obedientiam, quam gratiam.*

3. *Epist.* 217. n. 30. *Oportet sine dubitatione fatearis, voluntates hominum Dei gratia præveniri.*

4. l. 2. ad bonifac. n. 19. *reprehendit eos, qui dicebant: Idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare.*

5. l. 6. op. imp. *Nec justitiam velle aliquis potest, nisi paretur voluntas à Domino.*

6. De Corrept. & Grat. n. 2. *Desiderare auxilium gratiæ initium gratiæ est.*

7. Serm.

7. Serm. 193. n. 2. *Quis idoneus est velle & posse, nisi inspirando adjuvet, ut possimus, qui vocando præstitit, ut velimus?*

8. Gen. ad Lit. l. 9. n. 33. *Quod attinet ad naturam iniqua sua voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua adjuvatur, & instauratur.*

9. *Epist.* 188. *Proprium arbitrium nisi Dei gratia juvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.*

10. *Enchir.* c. 32. *Deus hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.*

11. *Serm.* 156. *Si nos ipse non adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus.* Et n. 10. *Quæ voluntas! Quod liberum arbitrium? nisi ille regat, cadis; nisi ille erigat, jaces.*

12. *Epist.* 186. n. 3. *Nisi adjuvet, nihil pietatis, atque justitiæ, sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possumus.*

13. *De Grat. Chr.* c. 3. *damnat* eos; qui dicunt, *gratiam Dei non ad singulos actus dari.*

14. *Epist.* 217. n. 4. *Damnata sententia est, qua dicunt, gratiam Dei non ad singulos actus dari.*

PROBATUR 3. authoritate D. Hieronymi, qui etiam ipse scripsit contra Pelagianos.

1. Epist. 133. n. 10. *Liberum arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget, quod vos* (Pelagiani) *non vultis.*

2. Ibid. n. 6. *Velle & currere meum est; sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.*

3. Dial. 3. *Justitia labore & industria ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur.*

4. Epist. 140. *Homo nihil boni agere potest absque Deo; quia ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret.*

PROBATUR 4. D. Paulus *ad Romanos* per octo priora Capitula ostendit, nullum inter gentiles & Judæos immunem fuisse à peccato, nisi per fidem, & gratiam mediatoris. Ergo manifestum est, depravationem naturæ, & potestatem dæmonis esse tantam, ut etiam in singulis actibus homo sit servus peccati, nisi ex speciali providentia Dei homo custodiatur & protegatur à potestate dæmonis; si enim ea depravatio & subjectio ad mancipatum dæmonis se non extenderet ad singulos actus, contingenter daretur aliquando absque gratia actio justa sine concomitante defectu. *Ant. prob.* c. 3. v. 9. ait: *Causati sumus, Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam; non est intelligens; non est requirens Deum; omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. - - Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Et c. 7. v. 14. *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato. Non enim quod volo bonum hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Ex his ergo patet; omnino nullum bonum, quod secundum omnes circumstantias habeat adæquatam rationem boni aut virtutis, etiam moralis, fieri posse sine gratia Mediatoris, saltem extrinsece supernaturali. Aut enim deerit circumstantia finis debiti, aut motivi, eo quod actio non referatur ad finem ultimum hominis, aut fiat modo indebito.

PROBATUR 5. authoritate & ratione *D. Thomæ*. Homo ad bene operandum in singulis actibus indiget auxilio divino movente voluntatem ad finem hominis. Ergo cum in moderna providentia finis hominis sit supernaturalis, etiam auxilium movens ad hunc finem in singulis actibus humanis erit saltem extrinsece supernaturale. 1. 2. q. 109. a. 1. C. ait: „Quantumcunque natura aliqua ponatur perfecta, non potest in suum „actum procedere, nisi moveatur à Deo, quæ „quidem motio est secundum suæ providentiæ „rationem, non secundum necessitatem naturæ. „*Et a.* 2. *C.* Natura hominis potest dupliciter „considerari. Uno modo in sui integritate, sicut „fuit in primo parente ante peccatum; alio modo secundum quod est corrupta in nobis post „peccatum primi parentis. Secundum autem „utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum vel volendum quodcunque bonum. *Et a.* 6. *C.* Duplex est præparatio voluntatis humanæ ad bonum. Una, „qua præparatur ad bene operandum & ad Deo „fruendum. Et talis præparatio voluntatis non „potest fieri sine habituali gratiæ dono, quod „sit principium operis meritorii. Alio modo „potest intelligi præparatio voluntatis humanæ „ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem, quod præparet se homo „ad susceptionem hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in „anima, quia sic procederetur in infinitum; sed „oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum „Dei, interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. His enim duobus modis indigemus auxilio divino. Quod autem ad „hoc indigeamus auxilio Dei moventis manifestum est. Necesse est enim, cum omne agens „agat propter finem, quod omnis causa convertat suos effectus ad suum finem. Et ideo, cum „secundum ordinem agentium sive moventium „sit ordo finium, necesse est, quod ad ultimum „finem convertatur homo per motionem primi „moventis. Sic igitur cum Deus sit primum movens simpliciter, ex ejus motione est, quod „omnia in ipsum convertantur secundum communem intentionem boni. Unde Dionysius „dicit; quod Deus convertit omnia ad seipsum. „Sed homines justos convertit ad seipsum sicut „ad specialem finem, quem intendunt, & cui „cupiunt adhærere sicut bono proprio. Et ideo „quod homo convertatur ad Deum, hoc non „potest esse, nisi Deo ipsum convertente. Hoc „autem est præparare se ad gratiam, quasi ad „Deum converti; sicut ille qui habet oculum „aversum à lumine solis, quod oculos suos convertit versus solem. Unde patet, quod homo non „potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius „moventis.

DICO III. Ad opera bona ex suo genere supernaturalia requiritur gratia intrinsece supernaturalis.

Probatur 1. ratione. Opera bona ex suo genere supernaturalia habent intrinsecum ordinem ad finem supernaturalem. Ergo etiam gratia movens ad talia opera, sive moveat transeunter per auxilium actuale, sive moveat permanenter per auxilium habituale, habet intrinsecum respectum ad finem supernaturalem. *c. prob.* Est idem ordo causæ & mediorum ad finem.

Probatur 2. Opera bona ex suo genere supernaturalia sunt fundata in fide supernaturali; ergo etiam ipsa dependent à gratia intrinsece supernaturali. *Ant. patet* quia bona opera ex suo genere supernaturalia non possunt ex se ordinari ad finem supernaturalem, nisi homo in actu exercito credat, dari finem supernaturalem: credere autem est actus fidei. *c. prob.* Ecclesia contra Semipelagianos definivit, initium fidei non posse haberi ex viribus naturæ seu liberi arbitrii sine dono infuso à Deo„ prout ostensum est in Quæst. 2. Ergo.

DICO IV. Perseverantia nec in operibus moraliter bonis nec in operibus supernaturalibus seu observatio mandatorum Dei usque ad mortem haberi potest sine speciali dono gratiæ habitualis.

Probatur 1. ratione & authoritate D. Thomæ. Dæmon ex Decreto Dei libero in ordine providentiæ modernæ habet potestatem quemvis hominem graviter tentandi una vel altera vice per decursum vitæ; & ordinatio hominis ad eas circumstantias, in quibus homo est superaturus eas tentationes, est specialis effectus amoris amicitiæ ad hominem. Ejusdem amicitiæ effectus est repressio violentarum passionum, quæ certo aliquoties insurgunt in vita, quarum proin moderatio ad providentiam Dei pertinet. Ergo non potest haberi perseverantia sine dono gratiæ habitualis, qua Deus hominem movet aut dirigit. Ita discurrit quoad rem *S. Thomas* 1. 2. q. 109. a. 8. C. ubi ait: „De homine dupliciter loqui possumus. Uno modo secundum statum naturæ integræ. Alio modo secundum statum naturæ corruptæ. Secundum statum naturæ integræ etiam sine gratia habituali poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter; non tamen hoc poterat sine auxilio Dei in bono conservantis. In statu autem naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino à peccato abstineat: quæ quidem sanatio primo fit in præsenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum omnino reparato. Unde Apostolus ad Rom. 7. in persona hominis reparati dicit; ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. In quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit; non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, non autem omnes; quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; & etiam, quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos. Similiter etiam, antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare, & secundum aliquod tempus; quia non est necesse, ut continuo peccet in actu; sed quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest. Unde & Gregorius dicit super Ezech. Hom. 11. quod peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Et hujus ratio est; quia sicut rationi subdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio subdi debet Deo, & in ipso constituere finem suæ voluntatis. Per finem autem oportet, quod regulentur omnes actus humani, sicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo inferiori appetitu non totaliter subjecto rationi non potest esse, quin contingant inordinati motus in appetitu sensitivo; ita etiam ratione hominis non totaliter existente subjecta Deo consequens est, ut contingant multæ inordinationes in ipsis actibus rationis. Cum enim homo cor suum non habet firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa, propter quæ consequenda vel vitanda homo recedit à Deo, contemnendo præcepta ipsius; & ita peccat mortaliter, præcipue quia in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum, & secundum habitum præexistentem, ut Philosophus dicit in 3. Eth. quamvis ex præmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non potest semper esse in tali præmeditatione, non potest contingere, ut diu permaneat, quin operetur secundum consequentiam voluntatis deordinatæ à Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur. *Et a.* 9. *C.* Propter conditionem status humanæ naturæ, quæ licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati: remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam, quid oremus, nescimus, & ideo necesse est, ut à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit & omnia potest. Et per hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem." Et ad 2. ubi objicitur; quod in homine justificato ipsemet Spiritus Sanctus, ac proin non videatur esse opus alia gratia ad perseverandum, sic respondet: „Dicendum, quod operatio Spiritus Sancti, quæ nos movet & protegit, non circumscribitur per effectum habitualis doni, quod in nobis causat; sed præter hunc effectum nos movet & protegit simul cum Patre & Filio. *Et a.* 10. *C.* Dicitur perseverantia continuatio quædam boni usque ad finem vitæ. Et ad talem perseverantiam habendam homo in gratia constitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente & protegente contra tentationum impulsus. Et ideo, postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet à Deo petere prædictum perseverantiæ donum, ut scilicet custodiatur à malo usque ad finem vitæ. *Et a.* 4. *C.* Implere mandata legis con„tingit

„ tingit dupliciter. Uno modo quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa, & fortia, & alia virtutis opera; & „ hoc modo in statu naturæ corruptæ non potest „ homo implere omnia mandata divina sine gra„ tia sanante. Alio modo possunt impleri man„ data legis non solum quantum ad substantiam „ operis, sed etiam quantum ad modum agen„ di, ut scilicet ex charitate fiant, & sic neque „ in statu naturæ integræ, neque in statu natu„ ræ corruptæ potest homo implere absque gra„ tia legis mandata. Indigent insuper in utro„ que statu auxilio Dei moventis ad manda„ ta implenda." Ex his omnibus patet, ad constanter operandum bene opus esse tam gratia habituali seu gratia sanctificante, quæ tribuat homini jus ad operationem Patris, Filii, & Spiritus Sancti, hominem moventis & protegentis; & gratia actuali intrinsece supernaturali, qua passiones refrænentur, & anima ad finem supernaturalem excitetur, ac moveatur.

Probatur 2. ex variis textibus Scripturæ Sacræ. Sic 1. *Sap.* 8. dicit Salomon: *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cujus esset hoc donum; adii Dominum, & deprecatus sum eum.* 2. Quando Matth. 19. Christus dixit: *Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cœlorum*; quærebant Apostoli: *Quis ergo poterit salvus esse?* Respondit Christus: *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* 3. Christus Matth. 6. docens orationis quotidianæ formulam vult, ut quotidie petamus auxilium divinum pro occurrentibus repentinis tentationibus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Et Matth. 26. imminente gravissima tentatione abnegandi Christum v. 41. ait: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ergo agnovit Christus, auxilium divinum, & præordinationem divinam ad eas circumstantias, in quibus homo est consensurus gratiæ, esse necessaria ad perseverantiam. 4. Apostolus 1. Cor. 15. v. 57. ait: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam.*

Probatur 3. testimoniis Conciliorum, Summorum Pontificum, & Patrum. 1. *Concilium Milevitanum* Can. 5. *Quicunque dixerit, quod possimus etiam sine gratia implere divina mandata, anathema sit.*

2. *Innocentius I.* ad Concilium Carthaginense scribit: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, necquidquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Quotidiana ille præstat remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores: necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem non adjuvante vincamur.*

3. *Zosimus* Papa, in Epist. ad Gallos c. 9. *Quod tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates.*

4. *Cœlestinus I.* in Epist. ad Gallos c. 6. *Nemo etiam baptismatis gratia renovatus idoneus est ad superandas diaboli insidias & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

5. *D. Chrysostomus* Hom. 24. in 1. Epist. ad Cor. scribit: *Sunt tentationes, quas sufferre non possumus. Et quænam sunt illæ? Omnes ut ita dicam. Possibilitas enim in divino nutu est, quam nostra allicimus voluntate. Quare, ut certo cognoscas, non solum illas, quæ virtutem nostram exsuperant, non posse sine divino auxilio facile sustinere, sed ne has quidem humanas addidit: Sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Et quidnam hoc significat? Neque enim mediocres illas propria virtute sufferemus, inquit, sed hic quoque divino indigemus auxilio, ut eas vel effugiamus vel certe perferamus.*

6. *Author Operis imperfecti* in Matth. Hom. 37. *Sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, quo tempestas voluerit, sic & homo divinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum agitur, quo non vult, sed quo diabolus vult.*

7. *S. Ambrosius* in Psal. 43. *Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat.*

8. *S. Hieronymus* l. 3. contra Pelagianos: *Nostra victoria illius protectione & clypeo paratur.*

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *contra* 1. *conclus.* Scriptura & Patres ad omnes actiones & cogitationes bonas requirunt gratiam intrinsece supernaturalem. Ergo requiritur. *Ant. prob.*

1. *D. Paulus* 2. Cor. 3. manifeste loquitur de gratia Christi, quæ semper est intrinsece supernaturalis, utpote ex sua natura ordinata ad finem redemptionis humanæ, dum ait: *Fiduciam habemus per Christum ad Deum; non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

2. *Concilium Milevitanum* Can. 4. ad omnem cognitionem vel actionem bonam requirit aliquod *donum Dei* naturæ humanæ indebitum. Sed hoc est intrinsece supernaturale. Ergo. *Maj. prob.* Can. 4. dicit: *Utrumque Dei donum est, scire quid agere debeamus, & diligere, quæ debemus.*

3. *Concilium Arausicanum* 2. universim videtur tantum agnoscere unius generis gratiam; quia nullibi distinguit inter gratias. Ergo sicut in quibusdam Canonibus loquitur indubitato de gratia intrinsece supernaturali, etiam de ea loquitur, ubi eam requirit ad singulas actiones & cognitiones. Can. 9. sic habet: *Divini muneris est cùm recte cogitamus.* Et Can. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si autem homo habet quidquam veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est.*

4. Quando Christus loquitur de sua gratia à se danda, loquitur de gratia pertinente ad munus Redemptoris adeoque intrinsece supernaturali. Sed ipse dicit; sine sua gratia nec minimum bonum opus fieri posse. Ergo. *Min. prob.* Joa. 15. Christus ad Apostolos dicit: *Sine me nihil potestis facere*; quæ verba S. Augustinus in Joannem

Tract. 81. sic explicat: *Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.*

5. Pelagiani non negarunt gratiam extrinsece supernaturalem, ergo quando in Concilio Palæstino Diospolitano coacti sunt fateri necessitatem gratiæ ad singulos actus, eoipso coacti sunt ut ad singulos actus admittant gratiam intrinsece supernaturalem.

6. *Cœlestinus I.* in Epist. ad Episcopos Galliæ c. 9. simul confundit actus supernaturales & actus moraliter bonos, dum affirmat eos ex Deo esse; ergo sicut ad illos requiritur gratia intrinsece supernaturalis; ita etiam ad istos. *Ant. prob. Ita,* inquit, *operatur Deus in cordibus & libero arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus voluntatis ex Deo sit. Omnia studia, & omnia opera, ac merita sanctorum divinæ gratiæ debent adscribi.*

7. Gratia Spiritus Sancti est intrinsece supernaturalis. Sed ea requiritur ad omne opus bonum. Ergo. *Min. prob.* S. Ambrosius l. de vocatione gentium c. 9. ait: *Omne verbum bonum & omne opus sanctum subministratio est Spiritus Sancti, sine quo nihil recte agitur.*

8. In præsenti providentia omnis actio divina, tam productiva quam conservativa, est actio providentiæ ordinantis omnes actiones humanas bonas, saltem tanquam media remota, ad finem supernaturalem. Ergo cum hæc ordinatio providentiæ dicat respectum intrinsecum actionum divinarum ad finem supernaturalem, & sine ejusmodi actione divina productiva, seu concursu divino, nullum bonum opus fieri possit, sequitur, nullum opus, etiam præcise moraliter bonum, fieri posse sine gratia intrinsece supernaturali.

Respondeo. n. ant.

Ad 1. dist. S. Paulus dicit, hominem nil posse sine gratia Christi cogitare cogitatione relativa ad finem supernaturalem. c. cogitatione relativa solum ad finem naturalem. n. Si quis operetur aliquid præcise moraliter bonum, finis ejusmodi actionis est tantum aliquod bonum naturale, v. g. honestas, bonum nomen &c. fed Apostolus loquitur de cognitionibus & actionibus salubribus ad vitam æternam. Ita respondet Concilium Arausicanum Can. 7. ubi ait: *Si quis dixerit, hominem per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere posse, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei, in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere; & illud Apostoli. Non quod idonei simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.*

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min.* Nam hic terminus, *donum Dei*, est indifferens ad dona naturæ & gratiæ: & inter dona gratiæ aliqua sunt intrinsece, alia extrinsece supernaturalia. Id observat S. Thomas in 2. dist. 26. q. 1. a. 1. ubi ait: "Deus diligere dicitur omnes creaturas, secundum quod „ bonum naturæ omnibus tradit, sed illa perfecta „ & simpliciter dilectio, qua non tantum diligit „ creaturam, ut artifex opus, sed etiam quadam „ amicabili societate, sicut amicus amicum, in „ quantum trahit eas in societatem suæ fruitionis, „ ut in hac sit eorum gloria & beatitudo. Et „ hæc dilectio antonomastice dilectio dicitur, & „ ideo etiam effectus hujus dilectionis antonomastice gratia vocatur, quamvis & omnes natu„ rales bonitates gratiæ vocari possint, quia gra„ tis à Deo dantur. *Ita S. Thomas. Et Q.* 14. „ *de verit. a.* 14. *ait:* Omnes exteriores motus à „ divina providentia moderantur, secundum quod „ ipse judicat aliquem excitandum ad bonum his „ vel illis actionibus. Unde si gratiam velimus „ dicere non aliquod habituale donum, sed ipsam „ misericordiam Dei, per quam interius motum „ mentis operatur, & exteriora ordinat ad homi„ nis salutem, sic nec ullum bonum homo potest „ facere sine gratia Dei. Sed communiter lo„ quentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo do„ no habituali justificante." Ex hoc textu patet; non omnes gratias esse intrinsece supernaturales.

Ad 3. dist. agnoscit tantum gratiam unius generis subalterni. c. infimi. n. Ex subjecta enim materia constat, à Concilio Arausicano agnosci diversas species gratiarum relate ad actiones solum moraliter bonas, & relate ad actiones meritorias vitæ æternæ, quamvis bas duas species comprehendat sub termino generico gratiæ, prout communiter fieri S. Thomas testatur in textu proxime relato.

Ad 4. c. *Maj.* dist. *Min.* dicit, nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri posse sine sua gratia. c. opus solum moraliter bonum. n. Sensus patet ex *Respons.* ad 1.

Ad 5. tr. a. n. c. & suppositum, quod in Concilio Diospolitano Pelagiani adstricti fuerint ad concedendam gratiam in ordine solum ad actus moraliter bonos. Obligabantur enim etiam ad concedendam gratiam in ordine ad actus supernaturales fidei spei & charitatis. Itaque Concilium Arausicanum non poterat esse contentum professione, solius gratiæ extrinsece supernaturalis. Vel potest

Responderi 2. Pelagianos ab initio crudo modo negasse necessitatem gratiæ etiam extrinsece supernaturalis, eo quod crediderint, aliquas actiones. v. g. in nondum renatis, ordinari tantum ad finem seu beatitudinem naturalem, nempe *ad vitam æternam*, quin ordinentur ad finem supernaturalem, seu *ad regnum æternum*, prout ab iis bas duas beatitudines distinctas fuisse S. Augustinus Quæst. 2. *Error* 3. relatus testatur.

Ad 6. n. a. Nam Cœlestinus I. ibi loquitur de gratia generice sumpta, prout abstrahit à gratia intrinsece & extrinsece supernaturali, aut si de alterutra determinate explicandus est, potius loquitur de gratia extrinsece supernaturali, quam Pelagiani negabant ad singulos actus moraliter bonos necessariam esse, utpote supponentes, dari etiam beatitudinem naturalem, pro qua proin gratia extrinsece supernaturali opus non est. De gratia autem extrinsece supernaturali verissimum est, quod ad omnes actus requiratur, quia etiam ad actus meritorios vitæ æternæ v. g. Fidei, Spei, & Charitatis prærequiritur ex parte hominis aliqua bona dispositio seu præparatio voluntatis, ad quam exigitur prævia gratia extrinsece supernaturalis.

Ad 7. tr. *Maj.* dist. *Min.* requiritur ad omne opus *perfecte* bonum, seu meritorium vitæ æternæ. c. *imperfecte* bonum, seu tantum moraliter bonum. n. *S. Ambrosius* ibi loquitur de bono opere

opere perfecte bono, seu ordinato ad finem supernaturalem. Ita *bonum opus*, seu actum virtutis sumit in variis locis v. g. l. 4. contra Julianum c. 3. ait: *Scito, nos illud opus bonum dicere; illud opus bonum sine gratia Dei non posse fieri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promisit, nihil prosunt homini virtutes, non sunt veræ virtutes.*

Ad 8. dist. est actio providentiæ divinæ omnes actiones humanas ordinantis ad finem supernaturalem ordinatione extrinseca actioni productivæ vel conservativæ. c. ordinatione intrinseca. n. Ille solum respectus actioni divinæ productivæ est intrinsecus ac essentialis, quo respicitur immediatus terminus actionis, seu effectus productus; omnes alii respectus se tenent potius ex parte agentis, seu ordinantis, adeoque tam actioni, quam effectui sunt extrinseci. Si verum esset, quod objectio prætendit, sequeretur, totam naturam esse elevatam ad statum supernaturalem, eo quod omnes actiones divinæ creativæ, ac productivæ, & conservativæ ob respectum intrinsecum ad finem supernaturalem forent intrinsece supernaturales; quod non est verosimile.

Objicitur 2. Contra 3. Conclus.

1. Si non posset elici actus supernaturalis intrinsece sine gratia intrinsece supernaturali, sequeretur quod destituti illa gratia intrinsece supernaturali non possent credere sperare, & amare Deum. Sed hoc non potest dici. Ergo.

2. Quando parens vel Magister hortatur puerum, ut credat, speret, & amet Deum, ea illustratio pueri non est intrinsece supernaturalis, & tamen est sufficiens ad hoc, ut moveat puerum ad credendum, sperandum, & amandum Deum. Ergo ad actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis non requiritur gratia intrinsece supernaturalis.

3. Rememoratio specierum de objectis & actibus supernaturalibus præteritis non est intrinsece supernaturalis; ergo neque bona inspiratio ad credendum, sperandum, vel amandum est intrinsece supernaturalis.

Respondeo

Ad 1. dist. sequeretur, quod non possent credere impotentia consequente ad suam omissionem liberam præparationis congruæ ad gratiam. c. impotentia antecedente omissionem liberam præparationis. n. Suppono, quod omnes homines habeant gratiam sufficientem ad bene operandum, seu gratiam extrinsece supernaturalem, cui si homines cooperentur, eoipso se debite præparant ad infallibiliter obtinendam gratiam intrinsece supernaturalem. Ita respondet in simili D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 8. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod homo potest vitare singulos actus peccati, non tamen omnes, nisi per gratiam. Et tamen quia ex ejus defectu est, quod homo se ad gratiam habendam non præparet, propter hoc à peccato non excusatur, quod sine peccato vitare non potest.* Et 1. 2. q. 112. a. 3. C. *Præparatio hominis ad gratiam potest considerari, secundum quod est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis.*

Ad 2. dist. est sufficiens sufficientia remota. c. proxima. n. Si enim puer cooperando ejusmodi gratiæ extrinsece supernaturali faciat quod est in se, Deus illum movebit inspiratione interna ad assentiendum, aut certe ipsa actio divina motrix liberi arbitrii erit intrinsece respectiva actus supernaturalis, ad quem movet.

Ad 3. tr. a. n. c. Disparitas est, quia causa effectiva harum specierum expressarum, per quas fit rememoratio, non est ipsum objectum vel actus, cujus fit rememoratio, sed potentia rememorativa. Cum igitur similitudo naturæ tantum locum habeat in genere causæ effectivæ inter causam & effectum, non est necesse, ut species rememorativa conveniat in supernaturalitate cum objecto vel actu supernaturali, qui cognoscitur. Econtra gratia seu inspiratio immediata se habet ad actum supernaturalem efficienter, tribuendo illi supernaturalitatem.

Objicitur 3. contra 4. Conclus.

1. Si homo non posset abstinere ab omni peccato toto vitæ tempore, non esset Dominus suorum actuum. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min.* patet, quia alioquin non esset liber.

2. Virtus est magis juxta naturam humanam, quam peccatum. Ergo per naturam facilius ponitur actus virtutis, quam vitii.

3. Intellectus per seipsum potest cognoscere verum sufficienter applicatum sine gratia. Ergo etiam per seipsum potest sine gratia velle bonum sufficienter applicatum.

4. Est connaturale homini diligere Deum super omnia, prout docet *D. Thomas* 1. 2. q. 109. a. 3. C. Ergo potest sine gratia quovis vitæ tempore Deum præferre omnibus.

5. Apostolus ad Rom. 2. ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Sed id, quod homo naturaliter facit, illud agit sine gratia. Ergo.

6. Juxta *S. Hieronymum* in Exposit. fidei ad *Damasum illi sunt maledicendi, qui dicunt, Deum præcepisse homini aliquid impossibile.* Sed impossibile est homini, quod per seipsum implere non potest. Ergo.

7. Inter omnia mandata maximum est illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Sed hoc mandatum implere potest homo ex solis naturalibus diligendo Deum super omnia. Ergo etiam potest constanter implere reliqua mandata.

Respondeo

Ad 1. dist. non esset Dominus suorum actuum, si non posset obtinere gratiam necessariam ad exercitium sui liberi dominii. c. si potest eam obtinere. n. Ex dictis ad Object. 2. constat, homini facienti quod est in se, dari gratiam necessariam pro perseverantia.

Ad 2. dist. est magis juxta naturam spectatis principiis operandi naturæ intrinsecis. c. spectatis principiis naturæ extrinsecis. n. Advenit enim naturæ de se ad virtutem dispositæ corruptio naturæ, pravæ inclinationes innatæ vel aquisitæ, & potestas magna dœmonum in genus humanum.

Ad 3. tr. a. n. c. & p. Disparitas est, quia, licet spectatis principiis operandi intrinsecis sit par inclinatio naturæ ad verum & bonum, non

tamen

tamen dantur tot principia extrinseca retrahentia positive à vero, quot dantur positive retrahentia à bono. Neque enim datur propensio positiva contraria ad assentiendum vero in ratione veri, sed tantum in ratione boni. Nec dæmon tantopere allaborat in impediendo vero, ut in impediendo bono.

Ad 4. c. a. dist. c. Ergo potest semper amare Deum super omnia spectatis principiis intrinsecis naturæ. e. spectatis principiis operandi extrinsecis naturæ. *subdist.* potest spectatis his principiis extrinsecis semper amare Deum potentia relativa ad singulos actus physica. e. potentia morali relativa ad seriem actuum diuturnam. n. Cum enim contingentia non procedant uniformiter, opus est speciali dispositione providentiæ divinæ, ne homo in tot periculis constitutus incidat in circumstantiam, in qua liberum arbitrium contingenter esset assensurum tentationi. Effectus hujus providentiæ, nempe actio divina directiva actuum humanorum, est ipsa gratia extrinsece supernaturalis, in quantum hominem ordinat ad finem supernaturalem.

Ad 5. c. *Maj.* dist. *Min.* id faciunt sine gratia intrinsece supernaturali. tr. extrinsece supernaturali. n. Hoc ipsum enim, quod Deus tales gentiles sua providentia ordinet ad circumstantias, in quibus illis veniant boni instinctus reverendi parentes, amandi virtutem, colendi justitiam; & quod suo adjutorio ad tales instinctus bonos concurrat in ordine ad finem supernaturalem, talis concursus Dei erit effectus divinæ providentiæ ordinantis hominem ad finem supernaturalem, & sic eoipso erit gratia extrinsece supernaturalis.

Ad 6. c. *Maj.* dist. *Min.* hoc impossibile est, nisi semper habeat, vel habere possit gratiam sufficientem ad operandum. e. si eam gratiam semper habeat, vel habere possit. n. Nam in ordine ad actus moraliter bonos semper cuivis homini præsto est gratia extrinsece supernaturalis; & in ordine ad actus supernaturales semper haberi potest gratia extrinsece supernaturalis, si quis se ad eam debite disponat, prout in *Respons. ad Object.* 2. ostensum est.

Ad 7. c. *Maj.* dist. *Min.* potest hoc mandatum ex viribus naturæ implere concurrente simul gratia partim extrinsece partim intrinsece supernaturali e. non concurrente utraque ista gratia. n. Ad hoc enim, ut istud mandatum impleatur, requiritur, ut homo pro priore concurrente gratia extrinsece supernaturali tendat intendat, quantum per vires naturæ potest cooperari gratiæ; & posita tali cooperatione ad gratiam extrinsece supernaturalem Deus confert gratiam intrinsece supernaturalem, qua Deus hominem excitet ad ineundam secum amicitiam supernaturalem, atque ad permanendum in homine habitualiter. Illa prior gratia extrinsece supernaturalis adest omnibus; posterior intrinsece supernaturalis potest haberi ab omnibus, si se ad eam recte disponant cooperando sufficienti gratiæ, prout l. cc. dictum est.

Objicitur 4. *Contra eandem.* Si homo non posset perseverare in bono sine speciali dono perseverantiæ, non peccaret non perseverando. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Juxta S. Augustinum l. de libero arbitrio, *nullus peccat in eo, quod vitare non potest.*

2. Si homo non posset perseverare sine speciali dono perseverantiæ, non posset corrigi, vel admoneri ad perseverantiam. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Frustra adhiberetur correctio vel admonitio in eo, quod vitari vel servari non potest.

3. Ecclesiastici 15. dicitur: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ergo semper potest agere bonum.

4. In homine justo inhabitat Spiritus Sanctus juxta illud 1. Cor. 3. *An nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Sed Spiritus Sanctus est per se ipsum sufficiens ad tuendum nos à peccato. Ergo non est opus alio dono perseverantiæ.

5. Perseverantia virtutis minus est ipsa virtute. Ergo cum ad exercendas virtutes homo non habeat opus alio dono præter gratiam sanctificantem, etiam non erit ipsi opus alio dono ad perseverantiam. *Ant. prob.* duratio mundi minus est ipso mundo.

6. Cum gratia sanctificante infunduntur simul homini omnes virtutes. Ergo etiam simul infunditur perseverantia.

7. Juxta Apostolum Rom. 7. plus restitutum est homini per gratiam Christi, quam amiserit per peccatum Adami. Cum ergo Adamus habuerit, ut posset perseverare, multo magis id homo accipit per gratiam sanctificantem.

8. Stante eadem potentia videndi & audiendi, dato objecto, & actu primo proximo eodem datur facultas semper ac constanter videndi; Ergo etiam stante eadem potentia liberi arbitrii, & actu primo proximo indifferente in utramque partem contradictionis datur facultas constanter operandi bonum.

Respondeo

Ad 1. dist. non peccaret, nisi sit in ejus potestate obtinendi ipsum donum perseverantiæ. c. secus. n. *Maj.* Est in potestate hominis, se constituendi in statu gratiæ, ac dein cooperando gratiæ obtinendi donum perseverantiæ, hoc est, talis gratiæ extraordinariæ, cum qua facile possit perseverare si velit.

Ad 2. dist. nisi ipsa admonitio vel correctio serviat homini ad obtinendum donum perseverantiæ. c. si serviat. n.

Ad 3. c. a. dist. c. Ergo semper potest agere bonum potentia mediata. c. potentia immediata. *subdist.* in sensu diviso ab actuali neglectu mediorum ad gratiam & media perseverantiæ. e. in sensu composito. n. Homo semper habet potentiam mediatam perseverandi, in quantum per gratiam sufficientem potest aquirere statum gratiæ, & cooperando sanctificanti gratiæ obtinere gratiam perseverantiæ.

Ad 4. c. *Maj.* dist. *Min.* est sufficientia subordinata sapientiæ divinæ. e. non subordinata. n. Quidquid operatur Spiritus Sanctus, operatur juxta ordinem sapientiæ divinæ. Non petit autem sapientia divina, ut eos extraordinariis donis ac gratia perseverantiæ cumulet, qui sese ad

ea non debite diſponunt, quærendo ſtatum gratiæ, & huic debite cooperando.

Ad 5. n. a. ad prob. c. a. n. c. & p. Diſparitas eſt; quia duratio mundi non ponit novum mundum; econtra perſeverantia ponit novam virtutem, facile corruptibilem, niſi novis identidem bonis actibus reſtauretur.

Ad 6. diſt. infunduntur omnes virtutes in habitu ſpectatæ. c. in actu ſpectatæ. n. Perſeverantia non dicit habitum, ſed ſeriem omnium actuum bonorum usque in finem; & ideo non comprehenditur in claſſe virtutum ſeu habituum infuſorum.

Ad 7. diſt. plus fuit reſtitutum quoad ſubſtantiam gratiæ. c. quoad modum.. n. Illa enim gratia non reddebat actu filios adoptivos Dei, licet cauſaverit ſubjectionem inferiorum virium ad rationem. Ea vero, quam nunc habemus, reddit immediate capaces adoptionis in filium, & viſionis intuitivæ Dei.

Ad 8. c. a. diſt. c. Ergo ſemper datur facultas operandi bonum mediata. c. immediata. *ſubdiſt.* in ſenſu diviſo à neglectu mediorum ad obtinendum donum perſeverantiæ. c. in ſenſu compoſito hujus neglectus. n. Senſus patet ex *Reſponſ. ad* 3.

QUÆSTIO IV.

In quo conſiſtat gratia ſufficiens? & gratia efficax?

NOTANDUM I. Terminum gratiæ ſufficientia in diverſo ſumi ſenſu. *Leſſius* in *Diſput. Apolog.* c. 9. eam ſic explicat. *Gratia ſufficiens dicitur, quod continet omnia neceſſaria ad opus, ita ut per illud in poteſtate hominis ſit, ſine alio auxilio opus facere. Nihil enim poteſt dici ſufficiens ad aliquam operationem & finem, niſi cui nihil deeſt, quod ſit neceſſarium ad illum, ut patet ex terminis.* At vero *Cumel* in 1. 2. diſt. 4. lect. 2. Concluſ. 1. gratiam ſufficientem ſic deſcribit: *Auxilium gratiæ, quod appellatur ſufficiens, non vocatur ſufficiens ex eo, quaſi ipſum ſolum ſit ſatis ad actu habendam illam operationem, ad quam ultimo ordinatur, quaſi non ſit aliquid aliud neceſſarium, niſi quod opponatur impedimentum.* Ad tollendam hanc æquivocationem termini alii diſtinguunt inter gratiam *proxime ſufficientem*, & *remote ſufficientem*. Verum ne opus ſit multiplicatione tot verborum, in hac quæſtione per gratiam ſufficientem intelligo *auxilium divinum, ſaltem extrinſece ſupernaturale, quo homo adjutus per cooperationem diſponitur ad ſimul in eodem cooperationis inſtanti recipiendam gratiam intrinſece ſupernaturalem.* Facienti enim, quod eſt in ſe, ope gratiæ extrinſece ſupernaturalis, Deus ſimul infundit gratiam intrinſece ſupernaturalem, qua homo ſimul reddatur idoneus ad operandum meritorie in ordine ad finem ſupernaturalem, prout in quæſtione præcedente *Object.* 1. ad 2. & *Object.* 2. ad 1. ex D. Thoma oſtenſum eſt.

NOTANDUM 2. Terminum gratiæ efficacis poſſe ſumi *generice* & *ſpecifice*. Generice ac late loquendo ſignificat *auxilium divinum, cum quo ſemper conjungitur aſſenſus voluntatis.* Specifice autem ſumitur, in quantum importat ipſam naturam ejuſmodi auxilii, pro varietate opinionum variam. Eſt enim quadruplex potiſſimum de natura gratiæ efficacis opinio. *Prima* ſententia eſt Thomiſtarum, qui docent, gratiam eſſe *intrinſece* efficacem, eamque conſiſtere in Præmotione phyſica, de cujus natura egi in Philoſophia, & in Tractatu *de Deo*. *Secunda* ſententia eſt quorundam, qui defendunt, gratiam efficacem conſiſtere in *præmotione morali*, attamen infallibiliter trahente aſſenſum, ad quem inclinat. Patroni hujus ſententiæ aſſerunt, quod Deus tam ſuaviter & tam attemperate ad diſpoſitionem cujuslibet hominis poſſit illuſtrare intellectum & movere voluntatem, ut licet eam neque *neceſſitet*, neque *cogat* ad aſſenſum, attenta tamen proportione inter gratiam & diſpoſitionem voluntatis infallibiliter ſit conſecuturus aſſenſum. In hac opinione Deus futuritionem actus humani liberi non prævidet in *ipſo actu* ſecuturo, ſed in *ipſa gratia*, ejusque proportione ac congruentia ad diſpoſitionem liberi arbitrii, ut impoſſibile ſit, non ſequi effectum. *Tertia* ſententia, quæ eſt addictorum principiis D. Auguſtini, conſtituit gratiam efficacem in *voluptate prædominante* ad bonum, à Deo indita. Docent enim, quemlibet hominem trahi à voluptate prædominante, neque eſſe poſſibile, ut conjungatur cum tali voluptate actus oppoſitus ſine collatione alterius voluptatia magis prædominantia ac magis trahentis. Hæc ſententia differt à priori; quia in priori ſententia futuritio actus non eſt adſcribenda intrinſecæ efficaciæ ipſius gratiæ, ſed reciprocæ proportioni inter gratiam & actum. In hac autem ſententia futuritio actus adſcribitur ſoli efficaciæ intrinſecæ ipſius motionis divinæ, quæ ſimul concurrit vel involvitur in voluptate prædominante. P. PIATTA in ſua Theologia Tom. 3. Tract. *de Gratia* quæſt. 6. *Object.* 2. de hac gratia ſic habet:
„ Concilium Tridentinum damnat eos, qui nega-
„ bant, liberum arbitrium coagere, & cooperari
„ gratiæ, ſed volebant, illud ſe habere merè paſ-
„ ſive. Contra eos declarat; quod illud agat, &
„ ſuaviter agat, ac ſine violentia, libenter obſe-
„ quendo motioni gratiæ, necnon eam ſequendo
„ tanquam vitalis facultas, & non tanquam in-
„ ſenſibilis & inanimata, ita ut habeat poteſta-
„ tem non tantum obediendi, ſed etiam inobe-
„ diendi ſeu reſiſtendi. Licet autem poſſit reſi-
„ ſtere, diſſentire & inobedire ſi velit, cum de-
„ beat inobedientia eſſe voluntaria, tamen non
„ reſiſtet, blande potenterque à gratia pellectum.
„ Quod fallit adverſarios, hoc eſt, quod non
„ ſciant diſtinguere inter hæc duo, poſſe abſolu-
„ te reſiſtere, & nolle infallibiliter reſiſtere. Tam-
„ etſi enim homo poteſtatem habeat reſiſtendi
„ gratiæ per ſe efficaci, attamen gratia interna ſic
„ eum movet, allicit, & prolectat, ut quamdiu
„ ejus dulcedinem ſentit, nunquam uſurus ſit illa
„ poteſtate; adeoque licet poſſit reſiſtere, ſi ve-
„ lit, nunquam tamen volet, quamdiu eum Deus
„ captivabit ſub ſuavi jugo gratiæ ſuæ. Habet
„ ergo talis potentiam reſiſtendi ex ingenita ſibi
„ ad malum pronitate; nunquam tamen actuali-
„ ter reſiſtet propter dulcedinem gratiæ ac chari-
„ tatis, qua perfunditur. Sic homo ſui compos,
„ in quo ratio viget, nunquam ſibi effodiet ocu-
„ los.

„ los. Hoc tamen absolute potest, seu ad actum „ illum veram habet potentiam; sed quæ ita à „ ratione cohibetur, ut nunquam fit exitura in „ actum, quamdiu ratio in ea dominabitur. Ita „ & talis homo habet potentiam resistendi, etsi „ nunquam resistet, absolute tamen liber est. Ita *Piette*. Huc videtur respicere *P. Berti* Theolog. Disciplin. Tom. 3. l. 14. c. 8. propos. 2. ubi ait: *Gratia efficax est victrix delectatio, sive charitas, quæ superat contrariam cupiditatem.* QUARTA Sententia est eorum, qui docent, gratiam efficacem non sic vocari ex sua natura, sed potius ex eventu, quia, prout substat scientiæ mediæ, noscitur conjungenda potius cum assensu quam dissensu. In horum authorum sententia non differunt quoad substantiam gratia præcise *sufficiens* & gratia *efficax*. Eadem enim gratia, quæ in uno homine est præcise *sufficiens* & actu conjungitur cum dissensu, in alio homine prorsus æqualiter disposito est *efficax*, quia conjungitur cum actuali assensu.

NOTANDUM 3. Eos, qui gratiam efficacem constituunt in præmotione physica, dividi in duas iterum sententias. Aliqui enim dicunt, quod illa præmotio physica sit *qualitas vialis voluntati impressa, & essentialiter inferens actum, & inimpedibilis*, pront in Philosophia explicatum est. Alii vero dicunt, quod præmotio physica nil aliud sit, quam ipsum decretum divinum, sine ulla alia actione vel qualitate intermedia immediate inferens actum. Ita docent duo recentiores Thomistæ, quorum unus fol. 146. num. 20. sic scribit: „Quæres, quid entitative sit, & in „ quo formaliter consistat iste concursus Dei „ simultaneus immediatus? RESPONDEO: Eun„ dem realiter, entitative, & in recto esse ipsum„ met actum divini intellectus practici & efficaci „ decreto voluntatis volentis tam actionem quam „ effectum à creatura procedentem, quo actu „ Deus fecum quasi dicit: Volo nunc talem vel „ talem actionem aut effectum à creatura exerci„ te ex suis quoque viribus producendum. Et „ hoc imperium est actus Deo formaliter ab æter„ no immanens, & virtualiter in tempore in „ omnem actionem seu effectum creaturæ termi„ native transiens, eo ferme modo, quo Deus „ in primo temporis principio totum mundum & „ omnia, quæ in eo sunt, unico omnipoten„ tiæ suæ verbo, *fiat*, ex nihilo produxit. Dein §. 2. num. 38. & 39. sic pergit: „Quæren„ ti, quid entitative & in recto præmotio physi„ ca sit? RESPONDEO: Conformiter ad supe„ rius num. 20. dicta, quod tam præmotio, quæ „ causis necessariis & liberis communis est, „ quam prædeterminatio, quæ in solis causis li„ beris locum habet, sit in recto entitative ac „ realiter actus formaliter immanens, virtualiter „ vero transiens divini intellectus practici ex præ„ supposito divinæ voluntatis decreto creaturam „ ad suæ naturæ conformiter tam in genere, „ quam specie, quam individuo, operandum ef„ ficaciter applicans; seu quod sit causalitas in„ creata causæ primæ, natura prior ad causas „ creatas ab actu primo proximo operandi ad a„ ctum secundum operationis, tam generice, „ quam specifice, & individualiter spectatum, ef„ ficaciter, & suæ naturæ conformiter reducen„ das. „ Sic iste Scriptor.

D. Amort Tr. de Pecc. orig. & gratia.

NOTANDUM 4. Aliam à doctrina Thomistarum & Augustinianorum valde diversam esse sententiam *Jansenii*. Hic enim naturam gratiæ efficacis non constituit in ipsis viribus gratiæ, *secundum se*, & *absolutè spectatis*, sed eam constituit in *respectiva majoritate inclinationis bonæ*, præviæ ad actum voluntatis, supra inclinationem malam, pariter præviam ad actum voluntatis. In hac respectiva majoritate unius inclinationis supra oppositam inclinationem constituit ipse *potentiam* agendi, & in debiliore attractione constituit *impotentiam* agendi. Consimiliter docet, dari in homine *necessitatem* agendi id, ad quod trahit inclinatio fortior, & necessitatem non agendi id, ad quod trahit debilior inclinatio. Centies enim repetit, & in suam doctrinam detorquet illud effatum S. AUGUSTINI: *Secundùm id, quod amplius nos delectat, operemur necesse est.* Cùm autem illæ inclinationes ad bonum vel malum præcedant actum voluntatis per modum præviæ dispositionis, etiam consequitur, in hac sententia dari quandam in homine necessitatem, vel impotentiam, præviam ad actum humanum, videlicet necessitatem ad eum actum, in quem respectiva inclinatio trahit fortius; & impotentiam ad eum actum, in quem respectiva inclinatio trahit debilius. Itaque diversitas hujus sententiæ à præfatis sententiis Thomistarum vel Augustinianorum in duobus consistit. Nam Jansenius docet, quod revera dari debeat, imo detur in homine vera *necessitas* vel *impotentia prævia ad actum*, seu, prout Scholæ loquuntur, se tenens ex parte actus primi proximi: Ex hoc verò inferre cogitur, imo infert, quod in homine non detur libertas à *necessitate*, sed tantùm à *coactione*. Sed Thomistæ & Augustiniani non admittunt *necessitatem* vel *impotentiam* præviam ad actum humanum, seu tenentem se ex parte actus primi proximi. Docent enim Thomistæ, quod Præmotio physica se teneat ex parte actus secundi seu ipsius actionis humanæ, tanquam actuale subjectivum indifferentiæ ad existendum, quin ullo modo respiciat, tangat, alteret, vel afficiat ipsam potentiam voluntatis, de se etiam positis quibuscunque dispositionibus, inclinationibus, delectationibus vel concupiscentiis adhuc indifferentem ad utrumque. Similiter etiam Augustiniani, qui gratiam efficacem constituunt in *delectatione simpliciter & absolutè victrice*, hujus efficaciam non constituunt in respectiva seu comparativa majoritate virium ad dispositiones voluntatis oppositas, se tenentes ex parte potentiæ volitivæ; sic enim efficacia gratiæ & necessitas ad actum specificum, vel impotentia ad oppositum, esset prævia ad actum per modum dispositionis se tenentis ex parte potentiæ, ac consequenter se teneret ex parte actus primi proximi: sed docent, efficaciam intrinsecam gratiæ seu delectationis victricis consistere in quadam *infallibilitate consecutionis*, vi cujus posita tali delectatione sem-

per consequitur actus consentaneus voluntatis, qualiscunque in oppositum sit concupiscentia sensuum & internorum appetituum. Ea autem *infallibilitas consecutionis* connexa ad talem delectationem intimam, penetrantem non tantum ad sensus, & alias potentias internas, vel appetitiones, ad quas dæmon & pravæ concupiscentiæ pertingunt, sed ad ipsum fundum, atque essentiam animæ, nempe *ad ipsam rationem*, per instinctum & *motum delectationis essentialem congenitum* vehementer tendentem ac ducentem in verum bonum, non se tenet ex parte præviarum dispositionum animæ inter se contrariarum, & viribus inæqualibus trahentium: hoc est, ex parte actus primi proximi, prout Jansenius docet, sed *ex parte actus secundi*, quem respicit & afficit sua univoca natura delectationis in vero bono, sine ullo respectu ad dispositiones concupiscentiæ oppositas. Nam sive concupiscentiæ delectationi victrici oppositæ aliquæ sint, sive nullæ; sive sint debiles, sive fortes; imo licet sint æque fortes, aut etiam fortiores, quàm sit illa victrix delectatio in vero bono; quia tamen hæc pertingit *ad ipsam rationem*, naturaliter per essentialiter congenitum delectationis motum semper delectantem in vero bono, semper ac infallibiliter illa ad fundum animæ ac *divisionem spiritus* à Deo immissa delectationis circa verum bonum gratia vincet, & obtinebit assensum, seu homogeneam & univocam delectationem voluntatis liberam circa verum bonum. Hæc pro sententia Augustiniana dicta eam à sententia Jansenii satis distinguunt; quamvis in casu, quo non datur gratia efficax, seu delectatio victrix, pro inveniendo determinativo ultimo ad speciem actus liberi indifferentis vel mali tales Authores videantur necessariò recurrere debere vel ad Præmotionem Physicam Thomistarum, vel ad sententiam addictorum scientiæ mediæ. Illud etiam observo; hanc sententiam Augustinianam de gratia delectationis victricis juvari aliquo modo, & facilius ad captum explicari posse, si non solùm cum *Cartesio*, *Cordemoy*, & aliis, tribuatur animæ aliqua essentialis ac semper actualis congenita cognitio generica, sed etiam essentialis, congenita, semper actualis delectatio generica circa verum & bonum. SECUNDUM DISCRIMEN inter sententiam Jansenii, & sententiam Thomistarum vel Augustinianorum, idque palpabile, est, quod Jansenius suam *gratiam respectivè victricem*, tantùm admittat in statu naturæ corruptæ, non autem in statu naturæ integræ, neque in statu primævo Angelico; econtra Præmotio Physica Thomistarum, & Delectatio victrix Augustinianorum erat Angelis & hominibus in primævo etiam perfectissimo integritatis statu necessaria, cùm nullus omnino actus humanus bonus poni possit sine præmotione physica, vel sine delectatione circa verum bonum. Plura de hac re videri possunt in *Tournelio*, in Tractatu de *Gratia*, *Quæstione tertia; Epocha tertia*, circa *Systema Jansenii*, & circa examen *Propositionis Jansenianæ quintæ ad finem*, ubi ex instituto examinat discrimen inter sententiam Jansenii, & sententiam Thomistarum vel Augustinianorum.

NOTANDUM 5. Etiam à *Quesnello* fuisse procusam erroneam quandam Ideam gratiæ efficacis, quæ minus exactè consideranti coincidere videri posset cum Thomistarum Præmotione Physica. Verùm exactius consideranti patebit, Quesnelli doctrinam non coincidere cum Thomistarum Præmotione physica, sed tantùm cum doctrina Jansenii, quam à sententia Thomistarum valde diversam esse, jam superius in *Notando* 4. ostensum est. Quod enim *Quesnellus* cum Jansenio conspiret, ex duobus ostenditur. Nam inprimis negat in homine gratia efficaci destituto *potentiam* benè agendi, ac consequenter in tali homine admittit *impotentiam* ad agendum bene, præviam ad actum, prout idem docuit in sua propositione 1. & 4. Jansenius. Secundò, negat *Quesnellus* existentiam gratiæ sufficientis, sed docet, universaliter omnem gratiam esse efficacem, quod ipsum in sua propositione 2. docuit Jansenius. Hæc omnia probantur partim ex ipsis propositionibus Quesnelli, partim ex confessione P. *Fontana* Societatis Jesu, qui in suo libro: *Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata*, Tomo I. ad Propositionem Quesnellianam secundam *Capite decimo*, *manero decimo quarto* illud ipsum discrimen inter doctrinam Quesnelli & Thomistarum apertè fatetur. Propositiones Quesnelli, in quibus sat manifeste cum Jansenio negat *potentiam* benè agendi deficiente gratia efficaci, & existentiam gratiarum mere sufficientium sunt sequentes:

2. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum. Absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.* In hac propositione Quesnellus cum Jansenio negat, deficiente gratia efficaci dari *potentiam* operandi ullum bonum opus, quantumvis solum moraliter bonum. Id verò Thomistæ non negant.

4. *Ita Domine omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.* In hac propositione Quesnellus cum Jansenio negat, deficiente gratia efficaci, dari in homine ex parte actus primi proximi *gratiam sufficientem*, ac *possibilitatem* ad oppositum. Hoc autem Thomistæ non negant.

9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* In hac propositione Quesnellus iterum negat; dari ullam gratiam Christi præcise sufficientem, cum qua aliquando abnegatur Christus; negat etiam, deficiente gratia efficaci in homine ex parte actus primi proximi dari *ipsum posse* seu *potentiam* confitendi Christum.

10. Gra-

10. *Gratia est operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire potest aut retardare.* In hac propositione Quesnellus negat gratiam sufficientem, quam juxta Thomistas *potest* impedire homo, spectata potentia ex parte actus primi proximi.

11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis, quod jubet.* In hac propositione Quesnellus cum Jansenio iterum negat gratiam sufficientem, stante qua juxta Thomistas aliquando non fit, quod Deus jubet. Ad eundem sensum Thomistis oppositum pertinet sequens propositio Quesnelli, una cum 21. & 23. & 24.

19. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas. Hoc est Idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis.*

21. *Gratia Jesu-Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis filium suum.*

23. *Deus ipse nobis Ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24. *Justa Idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago Ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.* In his quatuor propositionibus, dum Quesnellus indefinitè omnem gratiam constituit in actione omnipotente, cui nihil potest resistere, eoipso negat cum Jansenio omnem *gratiam sufficientem*, & *potentiam* resistendi ex parte actus primi proximi, quem tamen Thomistæ concedunt.

Idem discrimen inter doctrinam Quesnellianam & Thomisticam agnoscit P. Fontana l. c. ubi sic scribit: *Quod in supremo Ecclesiæ Tribunali damnata novitas* (Quesnelliana) *nunc pallium ambiat Thomisticum, frustra est. Hæc enim Schola cum cæteris Catholicis absente efficaci gratia potestatem solam denegat consequentem, minimè verò antecedentem, quam Quesnellus distinctissimè tollit, dicens: Absque ea* (gratia efficaci) *non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.*

Notandum 6. A Benedicto XIII. in Bulla: *Pretiosus*, edita in favorem Ordinis Prædicatorum 14. Junii 1727, omnibus fidelibus præcipi, ne Scholam Thomisticam de gratia *ab intrinseco efficaci* contumeliose impetant, ac veluti consentientem cum damnatis Jansenii, Quesnelii, & aliorum erroribus traducant. Textus Bullæ, cujus executionem omnibus Episcopis demandat, §. 30. sic habet: *Sub divini interminatione judicii, iterumque sub Canonicis pœnis omnibus & singulis Christi fidelibus mandamus, ne doctrinam memorati S. Doctoris* (D. Thomæ) *ejusque insignem in Ecclesia Scholam, præsertim ubi in eadem schola de divina gratia, per se & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla meritorum prævisione agitur, ullatenus dicto vel scripto contumeliosè impetant, ac veluti consentientem cum damnatis ab Apostolica Sede & signanter à Constitutione f. r. Clementis XI. Unigenitus, Jansenii, Quesnellii, & aliorum erroribus traducant, à quibus S. Thomas, & vera Schola Thomistica quàm longissimè abest, & abfuit. Damnamus item folia, Theses, Libros, antehac typis impressos, vel etiam, quod Deus avertat, imprimendos, in quibus ad procreandam seu fovendam doctrinæ S. Thomæ, Prædicatorum Ordini, aliisque genuinæ Thomisticæ doctrinæ Asseclis invidiam designatæ atque damnatæ à Nobis Calumniæ assertivè renovantur.* Ita Benedictus XIII. His prænotatis,

Dico. Gratia efficax consistit in supernaturali illustratione intellectus, vel motione voluntatis, prout substat scientiæ mediæ de conjungendo hominis assensu.

Probatur unico argumento. Hic modus ad captum facilius explicat, quomodo gratiæ sufficienti possit resisti, & quomodo gratia sit efficax sine periculo lædendæ libertatis, nec aliunde dicit repugnantiam, ergo est præferendus.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *contra* 1. *Conclus.* 1. Potest dici, hanc esse proprietatem omnium entium possibilium tam in Deo, quam in creaturis, ut semper sequantur *rationem melioris.* Ergo cum *ratio melioris* homini apparens se teneat ex parte gratiæ vel alterius dispositionis præviæ ad actum liberum, poterit futuritio actus prævideri ex parte gratiæ vel alterius dispositionis præviæ ad actum.

2. *D. Augustinus* agnoscit aliquam gratiam intrinsece efficacem, triumphantem, & potentissimam, cui nemo resistit. Atqui illa non potest esse physice prædeterminans. Ergo est tantum moraliter prædeterminans. *Maj. prob.* ex variis ejus textibus. Nam 1. S. Doctor ea tribuit gratiæ Epitheta, quæ non conveniunt nisi gratiæ intrinsecè efficaci. l. de correpț. & grat. c. 5. eam vocat *occultissimam & potentissimam medicinæ suæ potestatem.* Et c. 12. gratiam, *qua bonum invictissime volumus.* Et c. 14. de ea loquens ait: *Intus agit, corda tenet, corda movet; & homines voluntatibus eorum, quas ille operatus est, trahit.* Et l. 1. ad Bonifacium c. 19. gratiam vocat *mirum modum, quo de nolentibus volentes fiunt.* Et c. 20. *efficacissimam potestatem.* Item l. 2. de peccatorum meritis c. 19. gratiam vocat *victricem delectationem.* Et l. 1. de grat. Christi c. 24. *Internam, occultam, mirabilem, ineffabilem potestatem.* Et Epist. 107. *Vocationem altam & secretam, quæ sic agit sensum, ut accommodet assensum.* Et l. de grat. & lib. arbit. *vires efficacissimas.*

3. *S. Augustinus* docet, quod gratia causet consensum seu actum voluntatis. Ergo est intrinsece efficax. *Ant. prob.* ex variis ejus textibus. Sic enim l. 1. de grat. Christ. c. 25. ait: *Ut agant, quod bonum est, ab illo aguntur, qui bonus est.* Et c. 45. *Negaverat primo Petrus; negavit secundo; & non flevit; quia adhuc non respexerat Dominus; negavit & tertio; respexit Jesus, & amarissime flevit. Intus actum est; in mente actum est; in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore sua*

gratia visitavit Petrum; interioris hominis usque ad exteriores lachrymas movit & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris; ecce quemadmodum velle & operari operatur in nobis. Et l. de dono persev. c. 13. *Deus est, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur; sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere; hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo.* Et l. de correpț. & grat. c. 14. *Deus habet magis in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. De ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit, habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem.* Et Epist. 106. *Comitatur, non ducit; pedissequa est, non prævia voluntas.* Et l. de grat. & lib. arbitr. *Aufert cor lapideum, & dat cor carneum.*

RESPONDEO:

Ad 1. dist. 1. Potest dici, quod omnia entia sequantur rationem melioris speculative talis n. practice talis, *subdist.* ita tamen, ut ipsa ratio melioris in ultimo judicio practico practice talis sit aliquid essentialiter contingens. c. ut sit aliquid sine mutua prioritate naturæ determinatum à Deo. n. Suppono ex Tract. *de Actibus humanis*, quod actus humanus non sit tantum actus voluntatis, sed etiam actus rationis; ita ut ipsum ultimum judicium practicum sit pars ipsius actus liberi. Hoc ipsum ergo, quod alicui consideratis omnibus videatur practice melius, *blasphemare*, aut *amare Deum*, est aliquid primo contingens, qnin habeat determinativum formale quoad rationem specificam actus extra voluntatem humanam.

DIXI, *determinativum formale*; rationem enim *causalem*, seu rationem entis tribuendo existentiam dat solus Deus, ita ut sub ista diversa ratione detur mutua naturæ prioritas inter determinationem causalem Dei & determinationem formalem hominis in actu libero, prout in Tract. *de Deo* Disput. 5. & 6. explicatum est.

Ad 2. dist. S. Augustinus dicit, quod gratia sit *potentissima*, *invictissima*, *efficacissima &c.* potentia & efficacia fundata in congruitate gratiæ ad dispositionem hominis ut substante scientiæ mediæ. c. fundata in ipsa intrinseca efficacia gratiæ. n. Verum est, quod ultimum judicium practicum hominis se regulariter conformet rationi melioris speculative talis, aut delectationi prædominanti se tenenti ex parte actus primi proximi ad actum liberum. Hinc Deus infundendo illustrationem speculativam de ratione melioris cum delectatione *prædominante*, hoc est, *fortius trahente* in unam contradictionis partem, facile obtinet intentum hac sola via potentissimæ gratiæ *regulariter*. Quia tamen posita quacunque delectatione prædominante, vel ratione melioris speculativa non necessario illis conformatur actus liber, Deus ad obtinendam invictissime ac efficacissime & infallibiliter victoriam opus habet sua scientia futurorum, qua videt, utrum liberum arbitrium sit assensurum vel non assensurum motioni gratiæ. Hanc esse mentem S. Augustini, quod nempe simul in subsidium sumat *congruitatem* selectæ gratiæ, & *præscientiam* contingentium de futuro, patet ex ejus textibus, quos retuli in Tract. *de Gratia*. Nam l. 1. ad Simplicianum, q. 2. sic scribit: „Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo *aptum erat* eis, qui secuti sunt vocationem. - - Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis *aptum esset*, ut & moverentur & intelligerent, & sequerentur. Illi electi, qui *congruenter* vocati; illi autem, qui non *congruebant, neque contemperabantur vocationi*, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari *aptum est*, ut sequantur. - - - Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo *scit ei congruere* ut vocantem non respuat. - - Cum ergo alius sic, alius autem sic, moveatur ad fidem, *eademque res* sæpe *alio modo* dicta moveat, *alio modo* dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere, defuisse Deo *modum* vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?„ Ita S. Doctor.

Ad 3. dist. S. Augustinus docet, quod Deus operetur ipsum consensum voluntatis cum mutua prioritate naturæ, & per gratiam congruam ut substantem scientiæ mediæ c. sine mutua prioritate naturæ, quoad esse formale & causale actus, ac per gratiam intrinsece efficacem. n. Sensus patet ex dictis. Potest etiam alio modo responderi sic distinguendo. Deus causat actum quoad rationem genericam entis & quoad gradum supernaturalitatis. c. quoad rationem formalem ac specificam actus formaliter spectatam. n. Nam cum etiam ratio specifica actus dicat rationem entis, sub hac ratione etiam prædicata specifica actus sunt causata à Deo.

QUÆSTIO V.

An facienti, quod est in se, Deus infallibiliter conferat gratiam?

NOTANDUM 1. Certum esse, quod homo faciendo ex viribus naturæ, quod est in se, non possit mereri gratiam merito de condigno, aut merito de congruo stricte dicto, hoc est tali, quo posito Deus inconvenienter ageret, non remunerando talem conatum per gratiam supernaturalem. Ipsemet enim Pelagius in Concilio Diospolitano compulsus est condemnare hanc propositionem; quod *gratia detur secundum merita nostra*, prout testatur *S. Augustinus* Epist. $\frac{105}{124}$. & $\frac{106}{117}$. & $\frac{107}{186}$. *Idem* manifeste docetur in pluribus locis S. Scripturæ. v. g. Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius. - - Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Et Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Idem sæpissime inculcat *S. Augustinus* v. g. Tract. 86. in Joan. ubi ait: *Gratia non invenit, sed efficit merita; in omnibus misericordia Dei prævenit nos.* Et l. de peccat. orig. c. 24. *Spiritus ubi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens.*

NOTANDUM 2. Quæstionem non versari in eo, an Deus facienti ex viribus naturæ, quod est

est in se, *teneatur* dare gratiam, aut num eam *debeat* homioi. Cum enim constet ex dictis, nullum posse dari meritum *stricte* dictum, quo homo mereatur ex viribus oaturæ elevatioocm sui ad statum seu finem supernaturalem, manifestum est, gratiam sic elevantem noo *deberi* homini. Itaque solum quæstio est, an Deua liberrimo Decreto decreverit, ultro cuivis homini ex viribua naturæ facienti quod est in se conferre gratiam simpliciter dictam, qua homo elevatur, ac ordinatur ad statum seu finem supernaturalem, nempe ad visionem Dei intuitivam per essentiam?

NOTANDUM 3. Duas esse in hac re sententias. Una, quæ tribuitur Molinæ, asserit simpliciter, homini ex viribus oaturæ facienti quod est in se, infallibiliter cooferri gratiam. Altera id rotuode sine distinctione negat. Inter has duas extremas sententias potest esse tertia media, quod oempe facienti, quod est in se, per auxilium gratiæ extrinsece supernaturalis, omnibus semper præsentissimum, Deus infallibiliter conferat auxilium gratiæ intrinsece supernaturale, necessarium ad salutem.

NOTANDUM 4. Quæstionem hanc à Theologis variis proponi sub aliis terminis, videlicet, an homini se disponenti seu præparanti ad gratiam faciendo quod est in se Deus infallibiliter infundat gratiam? Cum enim omnes humani conatus, procedeotes ex viribus oaturæ, juxta dicta noo habeant rationem meriti stricte dicti, tantum possunt habere rationem *dispositionis* seu *præparationis* ad gratiam, prout D. Thomas loquitur. Solent quidem non solum Theologi quidam moderni, sed etiam noonulli veteres talem *dispositionem*, *præparationem*, seu potius *conditionem* ad gratiam, vocare *meritum de congruo late dictum*, verum prior modus loquendi D. Thomæ exactior, & idiomati Scripturæ, Patrum, & populorum conformior est.

DICO. Vera est hæc propositio: Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.

PROBATUA 1. Nemo facit, quod est in se, nisi per gratiam extrinsece supernaturalem. Sed facienti per gratiam extrinsece supernaturalem, quod est in se, Deus non denegat gratiam. Ergo. *Maj.* patet ex quæst. 3. *Min. prob.* Gratia extrinsece supernaturalis est dooum gratuitum homini concessum, quo Deus hominem ordinat in finem supernaturalem saltem mediate & remote; Ergo si homo faciat quod est in se cooperando illi gratiæ, Deus vi suæ ordinationis infallibiliter confert gratiam. Ita discurrit quoad rem S. Thomas io textu proxime refereodo.

PROBATUR 2. authoritate *D. Thomæ*, qui 1. 2. q. 112. a. 3. instituit hanc quæstionem:
„Utrum oecessario detur gratia se præparanti ad
„gratiam, vel facienti quod est in se? *Ad hanc*
„*quæstionem sic respondet:* Dicendum, quod præ-
„paratio hominis ad gratiam est à Deo sicut à
„movente; à libero autem arbitrio sicut à moto.
„Potest igitur præparatio dupliciter considerari.
„Uno modo, secundum quod est à libero arbi-
„trio. Et secundum hoc nullam necessitatem
„habet ad gratiæ consecutionem; quia donum
„gratiæ excedit omnem præparationem virtutis
„humanæ. Alio modo potest considerari, se-
„cundum qood est à Deo movente. Et tunc
„habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à
„Deo, oon quidem coactionis, sed infallibilita-
„tis; quia intentio Dei deficere non potest.
„Unde si ex iotentione Dei moventis est, quod
„homo, cujus cor movet, gratiam consequatur,
„infallibiliter ipsam consequitur. *Et* 1. 2. *q.*
„109. *a.* 6. *ad* 2. Nihil homo potest facere, nisi
„a Deo moveatur. Et ideo, cum dicitur homo
„facere, quod io se est, dicitur, hoc est in po-
„testate homiois, secundum quod est motus à
„Deo. *Et ad* 4. Dicendum, quod hominis est
„præparare animum; quia hoc facit per liberum
„arbitrium, sed tamen hoc non facit sine auxilio
„Dei moventis, & ad se attrahentis. *Idem in* 4.
„*dist.* 17. *q.* 1. *a.* 2. *qq.* 3. *C. ait:* Dicendum, quod
„duplex est necessitas; scilicet oecessitas absoluta,
„& necessitas ex suppositione. De prima neces-
„sitate loquendo non est necessarium, eum gra-
„tiam recipere, qui se sufficienter ad gratiam pa-
„rat. Loquendo autem de necessitate, quæ est
„ex suppositione divini propositi, quo propter
„benevolentiam suæ bonitatis voluit unicuique
„eam communicare secundum suam capacitatem,
„oecessarium est, quod cuilibet materiæ præpa-
„ratæ forma infundatur. - - - Formæ autem,
„quæ non debentur naturæ, sicut gratia & vir-
„tutes immediate à Deo productæ, nihil habent
„de necessitate absoluta, sed solum de necessitate
„ex suppositione divini ordinis, ut dictum est.
„*Et ibidem q.* 2. *a.* 5. *qq.* 1. *c.* Contritio potest du-
„pliciter considerari, vel in quantum est pars Sa-
„cramenti, vel ioquantum est actus virtutis, &
„utrobique est causa remissionis peccati, sed di-
„versimode; quia ioquantum est pars Sacramen-
„ti, operatur ad remissionem peccati instrumen-
„taliter. In quantum autem est actus virtutis,
„sic est quasi causa materialis remissionis peccati,
„eo quod dispositio est quasi necessitas ad justifi-
„cationem. Dispositio autem reducitur ad cau-
„sam materialem. *Et ibidem dist.* 20. *q.* 1. *a.* 1.
„*qq.* 1. *c.* Dicendum, quod Deus, qui dat omoi-
„bua abundanter, nulli gratiam denegat, qui,
„quod in se est facit, ut se ad gratiam præparet.
„*Idem de veritate q.* 14. *a.* 11. *ad* 1. Si aliquis ou-
„tritus io sylvis ductum oaturalis rationis seque-
„retur io appetitu boni & fuga mali; certissime
„tenendum est, quod ei Deus vel per interoam
„inspiratiooem revelaret ea, quæ sunt credenda,
„vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirige-
„ret, sicut misit Petrum ad Cornelium. *Et ibi-*
„*dem q.* 24. *a.* 1. *ad* 2. *dicit:* Quamvis gratiam,
„quæ opera meritoria facit, non possit homo
„ex libero arbitrio aquirere; potest tamen se ad
„gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo
„non denegabitur, si fecerit quod in se est. *Et*
„*Lect.* 3. *in c.* 12. *ad Hebr.* Deus voluntate sua li-
„beralissima dat gratiam omni præparanti se. *Et*
„1. 2. *q.* 114. *a.* 3. *c.* Opus meritorium hominis
„potest considerari dupliciter. Uno modo, se-
„cundum quod procedit ex libero arbitrio; alio
„modo, secundum quod procedit ex gratia Spi-
„ritus Sancti. Si consideretur secundum substan-
„tiam operis, & secundum quod procedit ex li-

„ bero arbitrio, fic non poteſt ibi eſſe condignitas (*operis ad vitam æternam*) propter maximam „ inæqualitatem, ſed eſt ibi congruitas propter „ quandam æqualitatem proportionis. Videtur „ enim congruum, ut homini operanti ſecundum „ ſuam virtutem Deus recompenſet ſecundum „ excellentiam ſuæ virtutis. Si autem loquamur „ de opere meritorio, ſecundum quod procedit „ ex gratia ſpiritus Sancti, ſic eſt meritorium vitæ æternæ ex condigno." Ad hos omnes textus D. Thomæ nil aliud reſponderi poteſt, quam hoc, quod homo ad faciendum, quod eſt in ſe, indiget *auxilio divino*, ſeu gratia. Verum quæſt. 3. ſufficienter oſtenſum eſt, ab eo per auxilium divinum intelligi gratiam extrinſece ſupernaturalem. Idipſum inſinuat 1. q. 23. a. 5. c. ubi ait: *Quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit, niſi per auxilium divinum.*

PROBATUR 3. authoritate *Alexandri de Ales*, qui part. 3. q. 61. a. 3. ex inſtituto inſtituit hanc quæſtionem: *An facienti quod in ſe eſt, neceſſario detur gratia?* Ad hanc ſic reſpondet: "Dicendum, quod neceſſitas in creatura dicitur ſecundum coactionem & prohibitionem; in Deo „ autem ſolùm dicitur neceſſitas immutabilitatis. „ Cum ergo quæritur, an Deus neceſſario det „ gratiam facienti, quod eſt in ſe, aut loquimur „ de neceſſitate immutabilitatis, aut de neceſſitate „ coactionis & prohibitionis? Hoc ultimo modo „ non dat gratiam neceſſario facienti, quod in ſe „ eſt; quia Deus non poteſt cogi. Sed primo „ modo verum eſt, quod immutabiliter ſe habet „ divina bonitas ad donum gratiæ omni volenti „ recipere, faciendo quod in ſe eſt, qua neceſſitate nulli negat ſe. Concedendum igitur, quod „ ſi homo faciat, quod in ſe eſt, quod Deus dat „ ei gratiam, & etiam neceſſario, id eſt, immutabiliter; ſicut ſol immutabiliter dat lumen ſuum „ omni volenti recipere, ſcilicet diſpoſito ad hoc, „ & ſe habenti in recta diſpoſitione ad ſolem. „ Sic etiam dicendum ex parte iſta. *Et ad* 2. Si „ neceſſarium dicatur immutabile, falſum eſt, „ quod neceſſarium & liberum opponantur. - - - „ Et ex hoc eſt laus bonitatis divinæ, quod non „ poteſt ſe negare volenti eam recipere, faciendo „ quod in ſe eſt. *Et ad* 3. Si Deus non daret facienti, quod in ſe eſt, gratiam, non faceret „ ipſi injuriam. Quod ergo Deus in homine facienti, quod in ſe eſt, imprimat formam nobilem, quæ eſt gratia, hoc eſt ex ſola liberalitate ſua, & non ex aliquo, quod debeat homini „ facienti quod in ſe eſt; quia homo faciens qnod „ in ſe eſt, adhuc indignus eſt ante ſuſceptionem „ gratiæ. *Et ad* 5. Dicendum quod nullus poteſt „ ſe ſufficienter diſponere ad gratiam, niſi Deus „ ipſum diſponat; ſed ſi faciat quod in ſe eſt, „ conſequitur diſpoſitio divini adjutorii. Unde „ ſicut in poteſtate hominis non eſt, quod removeat tenebram à domo, niſi aperiat prohibens „ lucem, ſcilicet feneſtram, & lux ipſa removet „ tenebram; ita in poteſtate hominis non eſt, ut „ removeat peccatum à ſeipſo; ſed ſi removeat „ actum ſuum voluntarium, ſcilicet diſſenſum ad „ bonum, & conſenſum ad malum, tunc removet „ illud, quod eſt prohibens gratiam, ſicut feneſtra prohibet lucem, & tunc intrat gratia in „ ipſo; & ita divino adjutorio (*gratia intrinſece „ ſupernaturali, pro priori natura ad eſſe habituale „ voluntatem ad aſſenſum excitante, eoque aſſenſu in „ altero ſigno rationis poſito, peccatum in tertio ſigno „ rationis expellentem, ac demum in quarto ſigno rationis animam & actum aſſenſionalem habitualiter informante*) removetur ab eo tenebra. Removeat ergo liberum arbitrium diſſenſum ad bonum, & conſentiat paratæ gratiæ; & hoc eſt, „ quod dicit Bernardus; Gratiæ ſolum cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit. „ *Et ad* 6. Ad videndum, quid eſt facere, quod „ in ſe eſt, notandum, quod in quolibet homine „ per naturam eſt recta ratio; & hæc rectitudo „ eſt notio boni indita à creatione, qua quælibet „ anima poteſt cognoſcere Deum, & ſcit, quod „ ab illo habet totum bonum, quod habet; & „ quod ab illo debet petere bonum, & quod per „ illum debent ſuppleri omnes ſui defectus. Si „ ergo ſecundum iſtam notionem operetur homo „ ſuo arbitrio, recurrendo ad illum, quem ſcit „ eſſe orandum ſibi, & petat ab eo lumen cognitionis fidei, & boni, dabitur ei, & ſic faciet, „ quod in ſe eſt." Hucuſque Alenſis, qui recte poſt præparationem humanæ voluntatis agnoſcit neceſſitatem *adjutorii divini* intrinſece ſupernaturalis, ſeu gratiæ actualis excitantis ad actum ſupernaturalem, attamen omnibus parati, ſi per *auxilium divinum* prævium extrinſece ſupernaturale, de quo loquitur D. Thomas in textibus ſupra relatis, faciant, quod eſt in ſe.

PROBATUR 4. authoritate Scoti, qui non eſt præſumendus docuiſſe errorem Pelagianum vel Semipelagianum, ſed potius ſuppoſuiſſe principia generalia aliunde certa, ſeu neceſſitatem gratiæ extrinſece ſupernaturalis ad omnes actus moraliter bonos, utpote in hac providentia à Deo extrinſece ordinatos ſaltem mediate ad finem ſupernaturalem. In 4. diſt. 14. q. 2. n. 13. ſic ſcribit: "Actum aliquem humanum requiri „ ad deletionem peccati poteſt dupliciter intelligi; vel ut diſpoſitionem præviam, vel ut concomitantem. Primo modo ſufficit actus informis, imo ſemper eſt informis, quia diſpoſitio „ prævia ad peccati deletionem eſt ſemper ſine „ gratia & charitate, à cujus ſolius inhærentia & „ inclinatione ad actum dicitur actus formatus. „ Secundo modo dico, quod requiritur actus formatus. Nam in illo inſtanti, in quo deletur „ peccatum, charitas ineſt, & per conſequens, „ ſi actus requiritur ut concomitans, requiritur „ formatus. Ad hujus intellectum ſciendum, „ quod peccator in peccatis exiſtens poteſt ex „ naturalibus cum communi influentia (*quæ in „ hac providentia eſt extrinſece ſupernaturalis*) conſiderare peccatum commiſſum ut offenſivum „ Dei, & ut contra legem divinam, & ut averſivum à Deo, & ut impeditivum præmii, & ut „ inductivum ſupplicii, & ſub multis talibus rationibus, & poteſt volnntas ſub aliqua iſtarum „ rationum illud peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari & intendi ante infuſionem gratiæ. Poteſt enim illa „ deteſtatio eſſe totaliter circumſtantiis moralibus „ debitis,

„ debitis. Iste autem motus dicitur attritio, & „ est dispositio, sive meritum de congruo ad de„ letionem peccati mortalis, quæ sequitur in ul„ timo instanti temporis, in quo tempore ista at„ tritio duravit. Nec est certum, si Deus talem „ attritionem velit esse dispositionem ad justifica„ tionem, nisi sit perfecte moraliter circumstan„ tiata. Et si manet idem motus contra pecca„ tum in esse naturæ & moris, qui prius, idem „ motus, qui prius fuit attritio, in illo instanti „ fit contritio, quia in illo instanti fit concomi„ tans gratiæ, & ita actus formatus, quia habens „ secum charitatem, quæ est forma actus. Ibi „ tamen oportet distinguere signa naturæ inter „ actum, ut est talis in esse naturæ, & moris, & „ inter charitatem, & inter actum ut est forma„ tus; quia in primo signo naturæ est ibi actus ta„ lis, in secundo charitas, in tertio actus forma„ tus à charitate jam inclinante & inhærente. Et „ sic attritio fit contritio sine omni mutatione „ reali ipsius actus." Ita Scotus, sufficienter ostendens, à faciente quod est in se, obtineri gratiam habitualem, quamvis non exacte distinguat signa naturæ. Debuisset enim cum D. Thoma concedere, quod gratia pro priori *inclinet* ad assensum gratiæ finalem, & posito assensu primum *inhæreat* animæ & actui quem, ut est virtualiter in habitu physico à se relicto perseverans, informat. Similia habet Scotus in 2. dist. 28. q. un.

PROBATUR 4. authoritate SS. Patrum.

1. *S. Augustinus* l. 3. de lib. arbit. n. 56. *Anima facultatem habet, ut adjuvante creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur; quanquam enim in difficultate & ignorantia nata sit, non tamen ad permanendum in eo, quo nata est, aliqua necessitate comprimitur.* Et n. 58. *Etiam in ipsa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, quærendi, & conandi non abstulit.*

2. *Idem* Epist. 157. n. 7. *Ad hoc se intelligant habere liberum arbitrium, ut pia voluntate invocent Dominum.* Et in *Psal.* 102. n. 10. *Deus autem dare vult, sed non dat nisi petenti.* Et *de nat. & grat.* n. 83. *Eoipso, quod firmissime creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus & quid agamus, & in difficilibus, quid petamus.* Et n. 50. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et in *Psal.* 102. n. 10. *Deus dare vult, sed non dat, nisi petenti.* Et l. 1. *de Divin. Quæst.* q. 1. n. 14. *Hoc restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere.* In his & plurimis ejusmodi textibus, quos S. Doctor scripsit ante hæresin Semipelagianam, in posterioribus libris hoc solum correxit, quod homo ne quidem petere aut conari possit ad bonum sine gratia late dicta, hoc est, extrinsece supernaturali. Id enim ex aliis ejus textibus desumitur; v. g. dum de Serm. Dom. in monte l. 2. n. 32. dicit: *Quis scripsit in cordibus hominum naturalem legem nisi Deus? De qua lege ait Apostolus: Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, contestante conscientia ipsorum &c. Quapropter si omnis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, &c.* Et l. de dono persev. n. 35. *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

II. *S. Hilarius* recte observat, per preces & conatum humanum impetrari gratiam habitualem supernaturalem; sed ad preces & conatum humanum prærequiri gratiam dirigentem, quæ est solum extrinsece supernaturalis. In Psalm. 118. Litt. I. n. 12. ait: *Ad quorum* (mandatorum) *custodiam, nisi à Deo dirigamur, infirmi per naturam nostram erimus. Adjuvandi igitur per gratiam ejus, dirigendique sumus.* Et Litt. VIII. *David orat, ut Deus tribuat. Est ergo à nobis, cum oramus, exordium, ut munus ab eo sit. Dehinc quia de exordio nostro munus ejus est, ex nostro rursus est, quod exquiratur, & obtineatur, & maneat,* Et Litt. 14. n. 20. *Est quidem in fide manendi à Deo munus, sed incipiendi à nobis origo est. Voluntas hoc proprium ex se habere debet, ut velit; Deus incipienti incrementum dabit, quia consummationem per se infirmitas humana non obtinet. Meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis. Idcirco Psalmum ita concludit: Declinavi cor meum ad faciendas justificationes. Cor suum ipse declinat, & ex naturæ humanæ peccatis in obedientiam Dei inflectit.* Et Litt. XVI. n. 10. *Imbecilla est per se ad aliquid obtinendum humana infirmitas, & hoc tantum naturæ suæ officium est, ut aggregare se in familiam Dei & velit & cœperit; divinæ misericordiæ est, ut volentes adjuvet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat. Ex nobis autem initium est, ut ille perficiat.* Hæc omnia pertinerent ad Semipelagianismum, nisi S. Doctor in aliis locis declararet, se etiam ad ista initialia opera requirere gratiam dirigentem & protegentem, hoc est, extrinsece supernaturalem. Hinc etiam Litt. XVII. n. 8. dicit: *Si nihil impedimenti usquam occurreret, si adversitates sibi non undique adessent, suis ipse viribus in ea, quæ agere vellet confirmaretur; sed ubi insidiæ sunt, ubi bellum est, opus est potiori auxilio.*

III. *S. Cyrillus Jerosolymitanus.* Procateches. n. 17. *Meum est loqui; vestrum est, applicare manum operi; Dei est, perducere ad terminum. Itaque intendamus cogitationes; roboremus animam, præparemus cor; quia Deus ex infideli reddere potest fidelem, dummodo ipsi offeratur cor.* Et Catechesi. 1. *Dominus feligendo animas examinat voluntatem: & si reperit dignam, huic prompte donat gratiam.*

IV. *S. Ephrem.* in Serm. de mult. peccat. *Nunquam gratia quemquam rejicit salvari cupientium. Nam ut fons, sic & divina gratia omnibus exposita est, ac patet semper ea frui volentibus, & unicuique quantum voluerit.* Et Serm. 1. de compunct. *Gratia semper visitat corda nostra, & intrat, si locum sibi præparatum invenerit. Beatus, qui divinæ gratiæ semper cor purum præparaverit.*

V. *S. Basilius.* Constit. Monast. c. 15. *Ne-*

que conatus humanus sine superno auxilio perficietur; neque superna gratia super eum venit, qui non adhibet conatum. Idem in Psal. 33. *Sicut lumen solare non lucet omnibus, sed illis, qui habent oculos, & volunt videre, & sine impedimento possunt gaudere præsentia solis; ita sol justitiæ vera luce illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed non omnes suo splendore donat, sed illos, qui ducunt vitam dignam se.* Et in Psal. 61. *Non possumus esse capaces divinæ gratiæ, si non prius ejecerimus pravas affectiones, quæ occupant animam nostram.* Et in Psal. 61. ad illud: *Mendaces filii hominum in stateris. In quovis nostrum creator posuit stateram, qua naturas rerum dijudicare possumus. Non poteris te excusare in judicio dicendo, non cognovi bonum; habes enim stateram, in qua cognoscis discrimen inter malum & bonum. Liberum arbitrium vocatur à Psalmista statera, quia æqualiter potest se inclinare in unam vel alteram partem.* Et in Hexam. Hom. 9. *Est impossibile, ut vincat, qui non prius, quantum est homini possibile, expurgat seipsum, ut possit corroborari viribus supernis; & quia anima nostra non potest resistere diabolicis insidiis, jubemur rogare Deum, ut non intremus in tentationem. Frustranei autem erunt conatus nostri; si forti auxilio liberati à telis igneis inimici non mereamur adoptionem divinam, quam impossibile est consequi eum, qui non prius se alienaverit à mundanis affectionibus, & cupiditatibus.* Et in Homil. *de beata vita. Omnium bonorum instinctus creator in sua creatura posuit, neque necesse est, honestum aliunde accersere, sed bonum, quod cupimus, ex ipsa natura sumere possumus.* Et in Isa. n. 90. *Nihil est ex sua natura malum, vel alienatum à Deo, sed apud seipsum habet principium, vel recedendi à Deo, vel accedendi ad eum.* His omnibus non obstantibus S. Basilius ad operandum moraliter bonum requirit auxilium divinum, seu gratiam extrinsece supernaturalem. Sic *Gregor. Nyssenus*, Frater S. Basilii, Hom. 2. in Eccles. ipsum liberum arbitrium vocat *donum à Deo naturæ concessum.* Et *S. Gregorius Nazianz.* Orat. 31. ait: *Cum aliqui sint tam superbi, ut omnes actiones bonas attribuant sibiipsis; & nihil referant ad factorem, magistrum, & datorem bonorum, verba Christi ostendunt, quod etiam ipsum velle, dum volumus honestum, indigeat auxilio Dei, seu potius, quod ipsum eligere honestum sit aliquid divinum, & donum benignitatis divinæ. -- Cum enim ipsum velle dependeat à Deo, recte omnia referuntur in Deum.*

VI. *S. Ambrosius* de paradiso c. 4. *Virtute sibi unusquisque gratiam comparat.* Et l. 2. de Abraham n. 74. *Talem te præbe bonis studiis, & prompta fide, ut tui misereatur & vocet te.* Hoc modo loquendi D. Ambrosius videretur favere Semipelagianis, nisi alibi etiam ad opera moraliter bona agnosceret esse necessariam gratiam extrinsece supernaturalem. In Lucam l. 2. n. 84. sic scribit: *Audeo ego quoque dicere, quod homo viam non possit adoriri, nisi Dominum habeat præviantem.*

VII. *S. Chrysostomus* Hom. 3. in Epist. ad Rom. ait: „Respondebit mihi aliquis, quod Da„niel, ne à Leonibus devoraretur, habuerit suc„cursum gratiæ divinæ. Hoc quidem verum est; „sed gratiam præelectio voluntatis præibat. Hinc „si & nos nosmetipsos tales reddiderimus, gratia „prompte aderit." *Idem* Hom. 42. in Gen. postquam Abrahamum omni virtute plenum deprædicaverat, subjungit: „Cur non omnes tales su„mus? Respondebis: Deum Abrahami specia„lem curam gessisse, eique speciali gratia prose„cutum esse. Ita est; non nego. Sed si ille „prius non fecisset, quod suum erat, non obti„nuisset, quod Dei erat. Hinc observa, quod „prius in omni occasione argumentum suæ vir„tutis dederit, & sic divinum adjutorium merue„rit. - - Vidisti, quomodo prius contulerit, „quod erat in se, & per hoc obtinuerit abundan„ter coadjutorium Dei. Eodem modo, si veli„mus & nos frui divina gratia, imitemur Patriar„cham, & amplectamur virtutem. *Et Hom.* 9. „*ad Rom. n.* 2. D. Paulus semper & ubique hæc „duo inter se distinguit; nempe quid à Christo, „& quid à nobis ipsis sit. Ipse mortuus est pro „nobis, & ad reconciliationem nos admisit; & „gratiam contulit ineffabilem; nos autem fidem „attulimus. Et qualem, dices, gratiam nobis „contulit? Hanc; quod per eum digni effecti „fuerimus ut imbuamur notitia Dei, ut ab erro„re liberemur, ut agnoscamus veritatem & ut „consequamur omnia bona per baptismum. *Et* „*in Epist. ad Philipp. Hom.* 8. Dicet quis, si Deus „in nobis operatur ipsum velle, ut quid exhor„tatur nos? Nempe, si tu volueris, ipse ope„rabitur in te ipsum velle, & tibi dabit prompti„tudinem, & executionem. Quando enim vo„luerimus, augebit ipsum velle; v. gr. quando „volo facere aliquod bonum; ipse tunc efficit „illud bonum, & ipsum velle. Sicut enim, dum „Apostolus nostra bona opera vocat donum, „vocando ea donum non excludit liberum arbi„trium, sic etiam, dum asserit, Deum in nobis „operari ipsum velle, ostendit, quod operando „bonum aquiramus magnam promptitudinem „volendi. *Et in 2. Epist. ad Tim. Hom.* 2. Qui „salvos nos fecit cum essemus inimici, multo „magis cooperabitur, cum viderit nos operari. „*Et in Ep. ad Heb. Hom.* 4. Omnium artium facil„lima operari virtutem & aquirere cœlum, si ve„limus. Sufficit enim velle, cætera sequuntur „omnia - - tunc habebimus Deum cooperantem, „& conopitulantem; sed oportet, ut resolvamus, „ut aggrediamur, ut sollicite agamus, ut opere„mur. *Et Hom.* 23. Non sufficit studium no„strum, sed oportet implorare divinum auxilium, „& indubitato veniet, & prompte aderit, & in „necessitatibus succurret. *Et Hom.* 10. Gratia non „infunditur casu aut sine ratione, sed infunditur „iis, qui volunt, & qui adhibent conatum. Hi „enim sunt, quibus data est potestas, fieri filios „Dei. Quod si non prius arripuerint bonum, „non veniet donum nec operabitur. *Et Hom.* 19. „*in Gen.* Gratia est præparata & quærit eos, qui „eam libenter eam recipiunt. *Et Hom.* 44. Quia „(Josephus Patriarcha) contulerat, quantum „erat in se, habuit sibi præsens cœleste auxilium. „*Et in Psal.* 115. Pater trahit, Filius ducit, Spi„ritus illuminat. Qualis ergo est culpa eorum, „qui non sunt tracti, nec ducti, nec illuminati? „Culpa hæc est; quod non se reddant dignos „lumine. Quamvis enim Dei sit, trahere & „conducere; requirit tamen animam docilem &

„obe-

„ obedientem, tunc præstat suum auxilium. Si „ vis divinum auxilium, fac quod est in te; non „ te advertas, & Deus præbebit manum; in po„ testate nostra sunt principia, & horum sumus „ Domini. Si igitur volumus consequi, oportet, „ ut faciamus, quod est in nobis. *Et de Compunct. „ l. 1. n. 19.* Si gratia non prius requireret opera „ nostra, diffunderetur universim in omnium ani„ mas. Sed quia requirit opera nostra, propter„ ea alios sequitur, apud alios manet, ab aliis fu„ git, ad alios non accedit. *Et in Hom. supra ver„ sum Jeremiæ: „Via hominis non est in ipso.* Ope„ rari bonum in nobis positum est, & in Deo. „ Volendo, & currendo concilias tibi benevolen„ tiam & auxilium Dei; tali enim cooperatur, & „ porrigit manum, & conducit ad terminum. „ Quod si cesses velle & currere, Deus non por„ riget manum. - - Hinc operari bonum non est „ in nobis, sed in auxilio divino; eligere tamen „ dependet à nostra voluntate. Est impossibile, „ ut si velimus, & eligamus, & deliberemus, Deus „ nos derelinquat." Ita *D. Chrysostomus*, qui tamen in plurimis aliis textibus fatetur, quod in omni actione bona opus sit auxilio divino seu gratia saltem extrinsece supernaturali; hinc etiam à *D. Augustino* l. 4. Op. imperf. citatur inter alios Doctores Catholicos contra Pelagianos.

VIII. *S. Hieronymus* in Epist. ad Ctesifontem n. 6. „Velle & currere meum est, sed ipsum „ meum sine Dei semper auxilio non erit meum. „ *Et in Dial. 3. contra Pelag.* Justitia in baptismo „ accepta labore, & industria, ac diligentia, ac „ semper super omnia Dei clementia custoditur, „ ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod ro„ gatur, nostrum incipere, illius perficere; no„ strum offerre quod possumus, illius implere, „ quod non possumus. *Et in Ezech. c. 3.* Aperto „ ore Dominus largitus est cibos, ut initia vo„ luntatis in nobis sint, & perfectionem beatitu„ dinis à Domino consequamur." Hoc non obstante ad omnia bona opera requirit gratiam extrinsece supernaturalem, prout quæst. 3. ostensum est.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *Concilium Arausicanum* docet, hominem nequidem habere vires ad hoc, ut possit laborare, conari, aut rogare pro obtinenda gratia, nisi id fiat per infusionem ac inspirationem Spiritus Sancti. Ergo hæc doctrina, quod Deus infallibiliter conferat gratiam facienti quod est in se, pertinet ad hæresin Pelagianam vel Semipelagianam. *Ant. prob.* Concilium Arausicanum Can. 6. sic habet: „Si quis sine gratia Dei, „ credentibus, volentibus, desiderantibus, co„ nantibus, laborantibus, vigilantibus, studen„ tibus, petentibus, pulsantibus nobis misericor„ diam Dei dicit conferri divinitus, non autem „ ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut „ oportet, agere valeamus, per infusionem ac „ inspirationem S. Spiritus in nobis fieri confite„ tur; & aut humilitati aut obedientiæ subjungit „ gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humi„ les simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, „ resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod „ non accepisti? Et 1. Cor. 4. Gratia Dei sum id, „ quod sum.

Respondeo dist. Docet, quod homo non habeat vires ita conandi, rogandi &c. meritoriè ac salubriter ad vitam æternam. c. dispositivè ad gratiam. n. Concilium solum dicit, hæc omnia fieri non posse sine infusione Spiritus Sancti, sicut *oportet*, hoc est, perfecte, meritorie, & salubriter in ordine ad obtinendam vitam æternam.

Objicitur 2. Concilium Tridentinum Sess. 6. Cap. 5. dicit: „Justificationis exordium in „ adultis à Dei per Christum Jesum præveniente „ gratia sumendum est, hoc est, ab ejus voca„ tione, qua nullis eorum existentibus meritis, „ vocantur.

2. *Idem Concilium Sess. 6. Can. 3. dicit:* „Si quis „ dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti illu„ stratione atque ejus adjutorio hominem crede„ re, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut „ oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, „ anathema sit." Ergo ad obtinendam gratiam non sufficit facere, quod est in se.

Respondeo

Ad 1. dist. a. Exordium immediatum est sumendum à gratia Christi, & sine meritis simpliciter dictis. c. Exordium mediatum, & sine dispositione ad gratiam. n. Ad actualem justificationem requiritur actualis conversio voluntatis ad finem supernaturalem, quæ conversio fieri nequit sine illustratione & motione gratiæ intrinsece supernaturali, per assensum voluntatis transeunte in habitum. Sed ad hanc ipsam gratiam intrinsece supernaturalem obtinendam requiritur idonea dispositio voluntatis, ad quemquam dispositionem ponendam sufficerat gratia extrinsece supernaturalis. Neque ea dispositio habet rationem meriti stricte dicti, aut proprie talis, relate ad præmium intrinsece supernaturale.

Ad 2. c. a. dist. c. Ergo ad obtinendam gratiam justificationis non sufficit facere, quod est in se. c. ad obtinendam gratiam illustrationis vel motionis præviæ ad justificationem. n. facienti enim quod est in se Deus infallibiliter confert gratiam illustrationis & motionis intrinsece supernaturalis prærequisitæ ad justificationem. Ratio est, quia prout hoc loco D. Thomas observat, si ad hanc gratiam illustrationis & motionis intrinsece supernaturalis prærequiretur alia gratia intrinsece supernaturalis, deberet pro præparatione animæ ad hanc gratiam prærequiri alia gratia, & sic procederetur in infinitum. Itaque dicendum, præparationem seu dispositionem idoneam ad gratiam intrinsece supernaturalem haberi posse per gratiam extrinsece supernaturalem.

Objicitur 3. Si facienti quod est in se, infallibiliter confertur gratia ad salutem æternam, sequitur, quod operatio facientis quod est in se, habeat connexionem cum gratia & salute æterna; sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. prob.* Operatio quoad substantiam naturalis non potest habere connexionem ad ens intrinsece supernaturale.

Respondeo dist. Sequitur, quod habeat connexionem moralem ex liberrimo Decreto Dei, sic dispositis conferendi gratiam. c. connexionem physicam. n. Sic enim etiam datur connexio

nexio inter Sacramenta & gratiam, etsiamsi illa non sit physica, sed moralis, prout ex Tract. de Sacram. suppono.

OBJICITUR 4. Si hæc doctrina esset vera, posset dari ratio, cur unus trahatur & perveniat ad gratiam, alter non trahatur & non perveniat ad gratiam. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. patet*; quia semper posset dici; ille ideo trahitur, quia se digne præparavit ad gratiam; alter non trahitur; quia non se præparavit digne ad gratiam. *Min. prob.* 1. Apostolus 1. Cor. 4. v. 7. dicit: *Quis te discernit?* In hac sententia autem posset homo respondere: *Discernit me justitia mea*, prout S. Augustinus l. de prædest. c. 5. observat.

2. *S. Augustinus* id in pluribus locis negat. Nam de l'Prædest. n. 16. ait: *Cur istum potius, quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus*; quasi dicat: *Quem trahat, & quem non trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Et l. de dono persev. c. 13. *Dilucide ostenditur, & incohandi & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam voluntatem.* Et l. 2. de peccat. merit. c. 5. *Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum; illum autem non tantum; istum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio & excellentia potestatis.*

RESPONDEO dist. *Maj.* Posset dari ratio in genere ac regulariter tr. universim & in individuo. n. Deus enim non raro extraordinarie ad gratiam & gloriam vocat etiam positive indignos, v. g. Saulum persecutorem, D. Augustinum dum adhuc erat hæreticus. Hujusmodi vocationum extraordinariarum non potest ab homine dari ratio. Dein in particulari seu individuo inprimis nemo potest scire, an fecerit quod est in se, ita ut juxta æstimationem divinam se debite ad gratiam præparaverit; dein etiam posito, quod hoc certo nosset, non potest dare rationem, cur Deus per gratiam extrinsece supernaturalem, nempe per directionem suæ providentiæ, se posuerit in ea serie causarum ac circumstantiarum, in qua erat potius operaturus bonum vel malum, v. g. cur sibi contulerit parentes bonos, magistros probos, socios pios &c.? Non itaque homo seipsum discernit, sed gratia Dei, primo quidem supernaturalis extrinsece; dein vero supernaturalis intrinsece.

OBJICITUR 5. Si Deus infallibiliter conferret gratiam facienti quod est in se, posset bono dicere, se per sua merita esse assecutum gratiam. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. patet*; Illa enim opera proprie loquendo possunt dici *meritum*, quibus gratia retribuitur, seu tanquam retributio tribuitur. *Min. prob.* ex variis textibus Patrum: 1. *S. Augustinus* l. 2. ad Bonifac. c. 8. n. 19. ait: „Si sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium; ac sic gratia à Deo non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur. *Et c.* 7. Si præcesserint bona opera, tanquam operibus redditur gratia; & sic gratia jam non est gratia.

2. *S. Prosper* adversus *Cassianum* scribens, inprimis refert ejus doctrinam & hæc verba: „Cum Deus in nobis ortum bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam, atque conservat, & incitat ad salutem, tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu videt emersisse. - - Non enim solum actuum, verum etiam cogitationum cunctarum ex Deo est principium." Recitatis his *Cassiani* verbis sic eum impugnat: „Quomodo non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis, convinceris dicere, gratiam secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas. Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia, præcipue cum omnes hujusmodi & accipere, & invenire, & intrare dicantur." Dein impugnans aliam propositionem *Cassiani*, qua dicebat: „Cum Deus viderit, nos ad bonum velle flectere, occurrit, dirigit, atque confortat, *sic hanc propositionem refutat*: Quis non videat, quod hæc doctrina meritum libero assignet arbitrio, quod præveniatur gratia, quæ ei famuletur, reddens debitum, non conferens donum.

3. *S. Fulgentius* l. de Incarnat. c. 18. ait: „Si nostrum est velle credere, priusquam Dei gratia nos incipiat adjuvare, injuste gratia dicitur; quia non gratis datur hominibus, sed bonæ retribuitur voluntati.

RESPONDEO n. *Maj. ad prob.* dist. 2. Illa opera possunt dici meritum, quibus gratia retribuitur independenter à gratuito Decreto divino tribuendi aliquod præmium transcendens omnem exigentiam creaturæ, & si illa opera fiant independenter à gratia saltem extrinsece supernaturali. c. secus n. Cassianus erravit cum Pelagianis eodem modo, sicut Bajus, quod nec justitiam, nec fidem, nec spem, nec charitatem, nec gratiam sanctificantem admiserit intrinsece supernaturalem; & hinc nec admisit gratiam illuminantem vel excitantem intrinsece supernaturalem. In hac suppositione clarum est, actus virtutum naturales esse meritum de condigno justitiæ christianæ, quæ habetur per Christum. Sed in nostra sententia, fides, spes, charitas, & gratia sanctificans, & gratiæ actuales immediate moventes ad fidem, spem & charitatem, sunt ens intrinsece supernaturale. Et hinc prævia dispositio, quæ ex liberrima voluntate divina prærequiritur & acceptatur tanquam conditio, tam parum habet rationem meriti proprie dicti, quam parum meritum vocari possunt actiones sacramentales, v. g. contritio, confessio, absolutio, relate ad gratiam sacramentalem.

OBJICITUR 6. Apostolus ad Rom. 11. dicit: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei? quoniam ex ipso sunt omnia.* Similiter Jobi 41. dicitur: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia, quæ sub cælo sunt, mea sunt.* Sic & S. Augustinus in Exposit. Psal. 51. dicit: *De me omnino nihil præsumam. Quid enim attuli boni, ut mei miserearis & justificares? Quid in me invenisti nisi peccata? Sed hæc omnia essent falsa, si Deus facienti quod est in se infallibiliter confert gratiam.* Ergo.

RESPON-

Respondeo c. *Maj.* dist. *Min.* Hæc omnia essent falsa, si Deus conferret gratiam facienti quod est in se independenter à prævia gratia extrinsece supernaturali, aut si universim conferret gratiam dependenter à tali dispositione tr. si eam confert operanti dependenter à gratia extrinsece supernaturali, & aliquando etiam sine ulla prævia præparatione. n. S. Augustino, & Saulo gratia concessa est sine prævia sufficienti dispositione; quamvis in Augustino Deus forte studium quærendæ veritatis, quod utique ex suo genere non erat peccatum, respicere potuerit, & in Saulo zelum pro Deo. Sed in aliis, in quibus Deus idoneam dispositionem reperit, eam non reperit sine sua gratia prævia extrinsece supernaturali, qua ejusmodi homines in actu primo proximo ad operandum moraliter bonum constituit.

Objicitur 7. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus 1700. 4. Sept. ut refert Contenson, damnavit duas sequentes propositiones: „*Prima*. Axioma illud Theologicum; Facienti „quod in se est, Deus non denegat gratiam, non „solum est verissimum, atque doctrinæ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum maxime consentaneum; verum etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti quod est in se, non solum facienti quod „est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui cum „non habeat gratiam, facit quod est in se, viribus naturæ. *Secunda*. Quia tamen opera viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt, „atque incapacia merendi dona intrinsecè & theologicè supernaturalia, ideo dicimus, obligationem, quam Deus habet, conferendi gratiam „facienti quod est in se ex viribus naturæ, seu „viribus gratiæ pure naturalis sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium „operum, aut ex ullo merito sive condigno sive „congruo, quod insit illis operibus in ordine ad „gratiam; sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, „respiciendo ea naturalia opera, ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigorosam „conditionem. *Censura erat hæc:* Hæ duæ propositiones, qua parte causam discernendi inter „justos & non justos in opera mere naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant mutatis „tantum vocibus. Pactum autem, quod inter „Deum & Christum asseritur, commentum est „temerarium, erroneum, nec solum tacente, „sed etiam adversante Scriptura & traditione Patrum prolatum." Ergo nostra sententia non potest admitti.

Respondeo c. a. n. c. Nostra enim sententia non dicit, Deum infallibiliter conferre gratiam facienti quod est in se ex solis naturæ viribus per opera mere naturalia & per gratiam pure naturalem, neque dicimus, ejusmodi pactum fuisse initum aut Decretum divinum stabilitum, conferendi gratiam facienti quod est in se ex solis *naturæ viribus*, per opera *mere naturalia*, & per gratiam pure naturalem. Nam, cum hoc loco per gratiam intelligatur *gratia habitualis*, duo nos ab ista damnata doctrina distinguunt. Nam

D. Amort Tract. de Peccato origin. & gratia.

inprimis in statu naturæ lapsæ ad operandum moraliter bonum non sufficit gratia pure naturalis, sed requiritur gratia extrinsece supernaturalis, nempe specialis protectio à potestate dæmonum, & specialis dispositio providentiæ divinæ, & non raro etiam sanatio naturæ, quæ licet non fiant per operationes divinas intrinsece supernaturales, pertinent tamen ad ordinem supernaturalem, & sunt gratiæ extrinsece supernaturales, quales non sunt gratiæ pure naturales. Dein juxta nos facere quod est in se per gratiam extrinsece supernaturalem non est immediata dispositio ad gratiam habitualem, de qua in his propositionibus sermo est, sed tantum ad gratiam aliquam actualem intrinsece supernaturalem, puta ad illustrationem vel motionem entitative supernaturalem, quæ si per consensum voluntatis acceptetur, transit in donum habituale. Itaque non est verum gratiam, puta habitualem, conferri positis solis actibus ex viribus naturæ elicitis, cum ille consensus voluntatis, qua gratiæ illustranti & moventi intrinsece supernaturali consentitur, non fit actus ex viribus solis naturæ elicitus.

Objicitur 8. Illud Decretum divinum conferendi gratiam facienti quod est in se, non potest probari solido fundamento. Ergo est gratis confictum.

2. Si hæc sententia vera esset, non esset homo Christo valde obstrictus.

3. In hac sententia enervaretur orandi necessitas.

Respondeo

Ad 1. n. ant. Cum enim Deus hominem obliget ad quærendum finem supernaturalem, qui sine gratia intrinsece supernaturali obtineri nequit, & Deus in dispensandis gratiis non sit acceptor personarum, nec operetur cœco modo sed juxta ordinem divinæ sapientiæ, clarum est, quod requirat præparationem congruam, quantum ea per vires gratiæ extrinsece supernaturales, quas nulli hominum denegat, obtineri potest.

Ad 2. n. a. Nam Christo obstrictus est homo, quia est author elevationis ad statum supernaturalem, & quia per eum homini veniunt gratiæ extrinsece supernaturales; sine quibus homo non potest operari moraliter bonum, prout Quæst. 3. ostensum est.

Ad 3. n. ant. Quia oratio est necessaria ad obtinendas ulteriores gratias extrinsece supernaturales, sine quibus non diu perseveratur in bono, quamvis solum moraliter honesto, prout patet ex Quæst. 3.

QUÆSTIO VI.

An omnibus detur gratia sufficiens?

Notandum 1. Gratiam sufficientem dividi à nonnullis authoribus in *proxime sufficientem*, & in *remote sufficientem*. Proxime sufficiens vocatur, qua posita non requiritur aliud ex parte hominis ad operandum salubriter in ordine ad vitam æternam. Remote sufficiens vocatur, qua posita datur quidem facultas ponendi aliquam dispositionem ad operandum salubriter,

 sed

sed nondum habetur facultas proxime expedita operandi salubriter ad vitam æternam.

NOTANDUM 2. Juxta Jansenium, ne quidem justos *semper* habere gratiam sufficientem implendi mandata. Hæc ejus mens explicatur ejus propositione damnata prima, quæ ita sonat: *Aliqua Dei mandata justis volentibus atque conantibus secundum præsentes quas habent vires esse impossibilia; deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant.*

NOTANDUM 3. Quod post damnationem hujus propositionis omnes quidem Catholici Theologi doceant, in justis dari gratiam sufficientem ad observanda omnia mandata; non tamen omnes concedunt, quod gratia sufficiens semper detur omnibus peccatoribus, præsertim excæcatis & obduratis in malo. Inter hos *P. Juenin* in Instit. Theol. part. VI. cap. 6. art. 2. sic scribit: *Infideles, qui nihil unquam audierunt de Evangelio, non receperunt olim, nec modo recipiunt gratias, quæ ad salutem sufficiant.* Et art. 3. *Omnes obcæcati & indurati non semper à Deo recipiunt gratiam sufficientem aut ad conversionem aut ad observationem mandatorum, aut ad superandam tentationem.* Verum quidem est, quod hæc Theologia fuerit confixa, & quidem ob doctrinam *de gratia*, prout patet ex libro Gallico, cui titulus: *Remarques sur la Theologie du P. Juenin.* His tamen non obstantibus scripsit anno præterito *P. Gonzalezius* Matthæo in Vindiciis Agredanis art. 10. §. 2. *Plurimos esse Theologos docentes, Deum obcæcatis & induratis denegare auxilium sufficiens, eosque prorsus destitutos remedio in pœnam suorum peccatorum relinquere &c.* His similia scribit *P. Simonetti* in Theologia Disp. 6. a. 5. Resp. 3. *de gratia.*

DICO. Nec infideles, nec peccatores, etiam indurati, ullo unquam momento, quo gaudent libero usu rationis, destituuntur gratia proxime sufficiente ad justificationem.

PROBATUR. In omni momento potest simul dari consensus ad gratiam extrinsece supernaturalem, & motio gratiæ intrinsece supernaturalis, & consensus ad hanc gratiam; Ergo cum omni momento detur gratia extrinsece supernaturalis seu remote sufficiens; & consensum huic gratiæ infallibiliter concomitetur illustratio vel motio intrinsece supernaturalis, poterit in eodem instanti reali dari etiam consensus ad hanc gratiam, & consequenter nullo momento homini deest gratia proxime sufficiens ad justificationem. *Ant. prob.* Motus continuus per plura puncta intermedia potest fieri in unico instanti ita ut sit instantaneus, prout patet ex motu radiorum solis, vel ex instantanea cognitione causæ v. g. solis, & effectuum in longa serie. Ergo etiam motus continuus voluntatis ad justificationem per plura media potest esse instantaneus. Cæterum quod gratia extrinsece supernaturalis semper homini adulto adsit, & quod facienti, quod est in se, etiam semper conferatur gratia intrinsece supernaturalis, partim ostensum est Quæst. 3. & 5. partim patebit ex dicendis.

PROBATUR 2. Nullus est hominum, etiam infidelium, & peccatorum induratorum, qui non teneatur amare Deum super omnia, præsertim in articulo mortis. Sed hoc non posset dici, si aliqui non haberent gratiam sufficientem. Ergo. *Min. prob.* Deus non potest hominem sub pœna damnationis obligare ad impossibile. Ergo.

PROBATUR 3. ex conbinatione textuum Scripturæ, in quibus universalitas gratiæ sine limitatione inter præcipua beneficia in immensum perpetuo extollitur, & assignatur pro fine primario Incarnationis; ea vero, ut ita dicam, gloriatio Dei, toties repetita, in æstimatione hominum non videretur conveniens, si infideles & peccatores indurati exciperentur. Textus autem, quos *Peletier* collegit in opusculo, cui titulus: *De la grace universelle*, sunt sequentes:

1. Matth. 1. v. 21. *Pariet filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quis excipitur?

2. Matth. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos?* An ergo Christus quempiam non est refecturus clamantem ad se? Et quis peccatori, ne clamet, os obstruet mentis?

3. Matth. 18. v. 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Venit enim filius hominis salvare, quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves & erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus & vadit quærere eam; quæ erravit. Et si contigerit, ut inveniat eam; amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. Sic non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* An ergo datur ovicula, adhuc errans in statu viæ, quam Christus non inquirat?

4. Matth. 23. v. 37. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* An pullum excæcatum excipit?

5. Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Ut quid jubet, ut omnes servent mandata, si non omnes habent gratiam sufficientem? Idem observo, ubi Christus Marci 16. v. 15. dicit: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

6. Lucæ 1. v. 79. Zacharias *pro omnibus* Salvatorem inclamat: *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

7. Lucæ 2. Simeon ait: *Viderunt oculi mei salutare tuum; quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium.* An ulli excæcato deest lumen, an aperiendi oculos voluntas?

8. Lucæ 19. v. 10. *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat?* Quem ergo non quærit?

9. Lucæ 24. v. 46. *Sic oportebat Christum pati, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Quid juvat omnibus prædicari pœnitentiam, si non omnes habent gratiam sufficientem pœnitendi?

10. Joannis 1. *Vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Joannes venit in testimonium, ut testimonium*

monium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. An lux aliquando definit illuminare? aut num aliquem excipit?

11. Joannis 3. v. 14. *Exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Non redditur causa tenebrarum defectus illuminationis, sed voluntas humana.

12. Joannis 8. v. 12. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Nulla pars mundi excipitur.

13. Act. 2. v. 17. & Joel 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Non effunditur super omnes, si non datur potentia recipiendi in omnibus.

14. Act. 10. *Vir erat nomine Cornelius* (gentilis) *religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas, & deprecans Deum semper. - - Petrus dixit: In veritate comperio, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Potuit placere Deo Cornelius, cur non & quivis alii?

15. Isaiæ 49. v. 6. *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Non per lumen doctrinæ externum, sed per lumen internum.

16. Act. 17. v. 23. *Quod ignorantes colitis, hoc annuntio vobis, Deus non in manufactis templis habitat, cum ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia; fecitque genus hominum quærere Deum, si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non sit longe ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus & movemur & sumus. Sicut & quidam vestrorum poëtarum dixit: Ipsius enim & genus sumus. Et tempora quidem ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* An jubet Deus, ut quæratur ab omnibus, & non dat gratiam sufficientem, ut inveniatur?

17. Apostolus ad Rom. c. 1. v. 5. *Accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Omnibus qui sunt Romæ vocatis gratia à Deo. Græcis ac barbaris debitor sum. Non erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum & Græco. Revelatur ira Dei super injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Et c. 2. v. 10. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum.* Si ergo etiam ab Ethnicis exigitur glorificatio Dei, gratiarum actio, & testimonium bonum conscientiæ; & si etiam in iis reperitur cogitationum defensio circa legem naturæ, non deest illis gratia sufficiens.

18. *Idem* ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt per Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Hæc non essent vera; si quibusdam Infidelibus deesset graati sufficiens.

19. *Idem* Rom. 9. 12. *Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Quis prohibet peccatores induratos, ut non invocent Christum pro tollenda cordis duritie?

20. *Idem* 1. Cor. 8. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* & 1. Cor. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit.* Quomodo anathema, si non habet gratiam sufficientem amandi? Et quomodo omnes vivificentur, si non datur libertas redeundi ad vitam?

21. *Idem* 2. Cor. 5. v. 14. *Charitas Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. - - Deo exhortante per nos obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid hæ exhortationes juvant, si deest gratia sufficiens?

22. *Idem* Ephes. 1. *Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali - - In quo habemus redemptionem secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & in terra sunt.* An ergo aliqui excluduntur ab ista instauratione? Et v. 23. *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, qui omnia in omnibus adimplet.* An ergo peccatores indurati non sunt amplius pars Ecclesiæ?

23. *Idem* Coloss. 1. v. 19. *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipso pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Nihil ex parte Dei à reconciliatione excluditur.

24. *Idem* Ephes. 6. v. 18. *Galeam salutis assumite orantes omni tempore in spiritu.* In opposita sententia debuisset dicere: assumite galeam, & orate, qui habetis gratiam sufficientem assumendi galeam, & orandi.

25. *Idem* 1. Tim. 1. v. 15. *Christus venit in mundum peccatores salvos facere.* Quos non?

26. *Idem* 1. Tim. 2. *Obsecro, fieri orationes pro regibus*

regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt. Hoc enim bonum est coram Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc scripsit Apostolus sub imperio Neronis. Quomodo autem Deus vellet orari pro omnibus, si non daret gratiam sufficientem omnibus?

27. *Idem* 1. Tim. v. 10. *Speramus in Deum, qui est Salvator omnium hominum, maxime autem fidelium.* Ergo nec infideles excluduntur à gratia salvationis sufficiente.

28. *Idem* Tit. 2. v. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.* Quomodo hoc verum, si non omnes habent gratiam sufficientem?

29. 2. *Petri* 3. v. 9. *Non tardat Dominus* (venire ad judicium) *sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ergo etiam omnibus dat gratiam sufficientem ad pœnitendum.

30. 1. Joan. 2. v. 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Propitiatio hæc non esset pro toto mundo, si Deus non daret omnibus gratiam sufficientem.

Huc pertinent illi textus Scripturæ, in quibus fit sermo de immensa charitate & misericordia Dei erga homines omnes.

Probatur 4. Constat ex libro Job; quod Deus habuerit intimam conversationem internam etiam cum gentilibus, qui non erant comprehensi in fœdere cum populo electo inito. Ergo idem dicendum de gentilibus, quibus nondum est sufficienter promulgata lex & fides Christiana, ac consequenter non est illis deneganda gratia sufficiens. *Ant. prob.* ex c. 33. ubi Eliu de inspirationibus Dei internis loquens v. 14. ait: *Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit, per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo; tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina, ut avertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eum de superbia, eruens animam ejus à corruptione. Si fuerit pro eo angelus* (v. g. custos, vel alius homo missus à Deo) *loquens, ut annuntiet æquitatem, miserebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem; inveni, in quo ei propitier. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus* (sæpe) *per singulos, ut revocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viventium.* Ita Eliu gentilis loquens de aliis gentilibus sui æqualibus. Nam, ut recte D. Chrysostomus observat, etiam Job erat gentilis, constitutus in lege naturæ.

Probatur 5. ex SS. Patribus, ac in primis ex S. Augustino.

1. *S. Augustinus* Serm. 23. inter 50. c. 6. n. 6. gentilem conversum alloquens ait: *Adulter non fuisti in illa tua vita præterita; plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi; servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non admisisti.* In hoc textu D. Augustinus manifeste in gentili agnoscit gratiam sufficientem, quæ nec potest dici intrinsece supernaturalis, nec intrinsece efficax, utpote præcise consistens in remotione occasionis, vel in incussione terroris.

2. *Idem* de lib. arbit. l. 3. n. 58. *Etiam in ipsa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, quærendi, & conandi non abstulit.*

3. *Idem* de grat. & lib. arbit. n. 31. *Homo, qui voluerit & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Non jubet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri; quis hoc nesciat? Sed ideo aliqua jubet, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.*

4. l. 1. de divin. quæst. q. 1. n 14. *Hoc restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere.*

5. Serm. 278. n. 1. *Nemo desperet de se, qui fuerit magnis peccatis involutus, & magnis sceleribus irretitus.*

6. Serm. 351. n. 12. *Quidquid feceris, quæcunque peccaveris, adhuc in vita es, unde te Deus omnino si sanari nollet, auferret.*

7. Serm. 17. n. 5. *Nondum venit tempus judicii, nondum finita est via, nondum clausus dies, non desperetur.*

8. In Psal. 17. n. 8. *Dedit illum Deus in reprobum sensum. Ea est cœcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est.*

9. In Psal. 147. n. 26. *Ecce deserit peccatorem. Ergo desperatio est? Absit. Non desperet nix; non desperet nebula; non desperet crystallum.*

10. Exposit. inchoat. in Epist. ad Rom. n. 22. *Licet advertere, etiam in ipsis Judæis, quorum blasphemiam Dominus arguit, non fuisse clausum corrigendi se, & pœnitendi locum, quod Dominus in illa reprehensione ait: Aut facite arborem bonam &c. Quod utique nulla ratione diceretur eis, si propter illam blasphemiam jam commutare animum in melius & recte factorum fructus generare non possent.*

11. Serm. 2. Dom. in monte. n. 32. *Nulla est anima, quamvis perversa, quæ ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus. Omnis anima rationalis, etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur.*

12. l. 3. de lib. arbit. n. 56. *Anima facultatem habet, ut adjuvante creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes aquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cœcante liberetur. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium. Quod si agere noluerit, peccati rea jure tenebitur, tanquam quæ non bene usa sit ea facultate, quam accepit. Quanquam enim in difficultate & ignorantia nata sit, non tamen ad permanendum in eo, quo nata est, aliqua necessitate constringitur.* In his duobus ultimis textibus S. Augustinus manifeste iterum loqui-

loquitur de gratia sufficiente extrinsece supernaturali.

13. In Psal. 119. *Nunquam tibi deest, tu tibi noli deesse.*

14. Epist. 191. *Gratiam pusillis magnisque largitur.* Et Epist. 190. *Gratia per Christum datur pusillis & magnis.* Idem habet l. 1. ad Bonifac. Plures ejusmodi textus ex Ill. *Maffeio.* attuli in Tract. *de Deo.*

PROBATUR 6. ex aliis Patribus.

1. *S. Prosper* l. de vocat. gentium. c. 14. *Neque ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ à conversione Israel spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.* Et c. 5. *Adhibita enim semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium* (efficax), *omnibus ad testimonium.* Quia nempe inexcusabiles testimonio hujus gratiæ convincuntur, eo quod gratia illa sufficiente uti potuerint, & noluerint.

2. *S. Ephrem.* Serm. de mult. peccat. *Nunquam gratia quenquam rejicit salvari cupientium. Nam ut fons, sic & divina gratia omnibus exposita est, ac patet semper ea frui volentibus, & unicuique, quantum voluerit.* Et Serm. 1. de compunct. *Neque potest nos gratia penitus deserere. A propria enim benignitate eo adigitur, ut omnium nostri misereatur.*

3. *Arnobius* l. 2. adv. gent. *An non æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat? Haud ab indulgentia principali quenquam repellit, aut respuit, qui sublimibus, infimis, servis, fœminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit. Patet omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur. Quid invitans peccat, cujus sola hæ sunt partes, ut sub tui juris arbitrio fructum sua benignitatis exponat?*

4. *S. Ambrosius* Serm. 12. n. 13. *Illud verum lumen omnibus lucet, sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine seipsum fraudabit.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Scriptura in pluribus locis testatur, non dari omnibus gratiam sufficientem. Ergo non datur. *Ant. prob.*

1. *Evangelista Joan.* 12. v. 39. dicit de induratis Judæis: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & non intelligant corde, & convertantur & sanem eos.*

2. *Lucæ* 4. v. 11. Discipulis Christum interrogantibus, cur semper loqueretur tantum in parabolis, Christus respondit: *Illis in parabolis omnia fiunt, ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant; nequando convertantur, dimittantur eis peccata.*

3. Exodi 9. v. 16. de Pharaone Deus ait: *Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Id repetens Apostolus Rom. 9. v. 11. subjungit: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.*

4. l. 2. Machab. 9. v. 23. scribitur de Antiocho: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.*

5. *Apostolus* ad Heb. 12. v. 17. de Esau loquens ait: *Scitote, quoniam postea cupiens hæreditate benedictionem reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacbrymis inquisisset eam.*

6. Idem Apostolus Hebr. 6. v. 5. *Impossibile est, eos qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi futuri, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.*

7. S. Joannes 1. Epist. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.*

8. Etiam in primitiva Ecclesia excludebantur quidam à pœnitentia Ecclesiastica. Ergo Ecclesia agnovit, eos etiam excludi à Deo à spe veniæ.

RESPONDEO

Ad 1. dist. Non poterant credere impotentia consequente ad futuritionem incredulitatis fundatam in dissensu Judæorum præviso à Propheta. c. fundatam in decreto absoluto denegandi gratiam sufficientem. n. Verba autem Prophetæ Isaiæ. 6., quæ videntur esse imperativi modi, in Hebraico sunt futuri temporis. In lingua enim Hebraica *futurum* & *imperativus* quoad modum scribendi non differunt. In latina autem versione sensus potest esse iste: Fac ea, ex quibus dependenter à causis liberis secutura est excæcatio & induratio. Sic enim dicitur obtenebrare aerem, & indurare ferrum, qui ea à luce ac igne subtrahit. Præcipitur proin, ut fiant abundantissima miracula, & profusio doctrinæ abundantissima, quorum multitudo & familiaritas ex indispositione hominum induxit vilipensionem seu contemptum sicut etiam copia lucis excæcat, & clamor aures aggravat.

Ad 2. dist. ut non videant, &c. ita ut illa particula causalis *ut* importet rationem actionis ex qua consecutura est excæcatio & induratio. c. ita ut importet finem intentionis. n. Christus hoc loco assignat rationem suæ methodi in prædicando per parabolas. Nempe, quod sic esset à Deo decretum & in Propheta Isaia prænuntiatum, Judæis tantum conferendam esse gratiam sufficientem ad agnoscendam veritatem; ad quod sufficit methodus prædicandi per parabolas; plus autem gratiæ & claritatis illis non esse conferendum, licet ea gratia sufficienti usuri non sint, sed potius exinde ansam sumpturi, ut in obstinatione & cæcitate maneant. Itaque illa particula causalis *ut* non dicit motivum intentionis in agente, sed denotat, ex parte actionis ex alio motivo & fine optimo assumptæ reperiri *causalitatem occasionalem relate ad effectum occasionatum.*

Ad 3. dist. dicitur hoc, ita ut particula causalis *ut* dicat motivum actionis divinæ collativæ gratiarum sufficientium, & promotivæ ad regnum, & subtractivæ gratiarum extraordinariarum efficacium. c. ut dicat motivum actionis divinæ subtractivæ gratiarum sufficientium. n. indurare enim dicitur, qui ex bono fine aliunde præstabilito ponit actionem de se quidem sufficientem ad liquefactionem, attamen ex malitia recipientis non intromissam ad liquefaciendum, ex quo conse-

quenter ejusmodi actio divina de se bona sit *causa occasionalis* effectus mali occasionati, seu indurationis.

Ad 4. dist. non est consecutus misericordiam quoad liberationem à morbo. c. quoad condonationem peccati. *subdist.* si non serio fuit conversus ad Deum per actum perfectæ charitatis. c. si fuit serio conversus. n. Scriptura solum testatur, quod Antiochus non fuerit consecutus misericordiam illam, quam postulabat, nempe temporalem quoad valetudinem corporis. Utrum vero non fuerit consecutus veniam peccatorum, Scriptura silet; quamvis nec istam probabilius obtinuerit, cum ejus pœnitentia videatur non fuisse seria, aut, si erat seria, tantum fuit ex metu pœnarum, non ex amore Dei. Sic etiam homines antediluviani non fuerunt consecuti misericordiam quoad liberationem à diluvio, quamvis verosimile sit, aliquos eorum vere pœnituisse, & misericordiam veniæ obtinuisse.

Ad 5. dist. reprobatus est quoad exclusionem à benedictione temporali. c. quoad exclusionem à spe veniæ. n.

Ad 6. dist. Impossibile est, eos renovari per novum baptismum remissivum peccatorum quoad reatum totalem simul pœnæ & culpæ. c. per sacramentum remissivum solius culpæ. n. Apostolus ibi loquitur de novo baptismo. a

Ad 7. dist. est peccatum continuatum usque ad actualem mortem pro cujus remissione non est amplius orandum. c. continuatum solum usque ad articulum mortis. n. S. Joannes loquitur de eo, qui moritur impœnitens, pro quo haud dubie preces Ecclesiæ non prosunt.

Ad 8. tr. a. n. c. Tales enim, qui ob apostasiam ultroneam à fide & proditionem fidelium non amplius recipiebantur in communitatem Ecclesiasticam, ne nova simulatione fumerent occasionem prodendi tyrannis conventus Christianorum nocturnos, vel subterraneos, non credebantur exclusi à spe veniæ coram Deo, sed relinquebantur misericordiæ divinæ, ut colligitur ex Libro *Pastoris*.

Objicitur 2. Dantur multi textus Scripturæ, in quibus gratia tantum promittitur multis, non omnibus; imo in quibus aliqui videntur positive excludi à gratia. Ergo non omnes habent gratiam sufficientem. *Ant. prob.* ab inductione.

1. *Lucæ* 3. v. 34. *Positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum.*

2. *Isaiæ* 53. v. 11. *Pro eo, quod laboravit anima ejus, dispertiam ei plurimos.*

3. *Matth.* 13. v. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni, illis autem non est datum.*

4. *Joannis* 17. Christus ait: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo.*

5. *Rom.* 5. v. 19. *Per unius obeditionem justi constituentur multi.*

6. *Rom.* 9. v. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* &c.

Respondeo. dist. a. dantur tales textus, in quibus tantum aliquibus promittitur gratia superabundans vocationis ad Ecclesiam. c. gratia sufficiens, absolute necessaria ad salutem. n. Omnes textus hic recensiti, & plures ejusmodi similes tantum loquuntur de gratia extraordinaria vocationis ad Ecclesiam, vel de alia speciali gratia selecta; non vero de gratia generali seu sufficiente. Dein textus 1. tantum loquitur de effectu seu eventu gratiæ, non de universalitate vel particularitate gratiæ. Forte de hoc eventu etiam loquitur *textus* 5., quamvis mihi verosimilius sit, per vasa contumeliæ intelligi Ethnicos, per vasa honoris Christianos.

Objicitur 3. Juxta S. Augustinum fides est prima gratiarum. Ergo cum infideles non habeant gratiam fidei, non habent aliam gratiam sufficientem. *Ant. prob.* ab inductione, sic l. de gestis Pelag. c. 14. n. 34. dicit: *Fides est initium, unde bona opera incipiunt.*

2. l. de prædest. c. 17. *Fides ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera.*

3. l. de Spir. & lit. c. 30. n. 52. *Fides impetrat gratiam, qua lex impleatur.*

4. l. de grat. & lib. arbit. c. 14. *Quod lex jubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.*

Respondeo. dist. a. Fides est prima gratiarum habitualium, & requisitarum ad meritum præmii supernaturalis. c. gratiarum actualium requisitarum ad dispositionem pro suscipienda gratia habituali. n. Nam fidem præcedunt multæ gratiæ actuales, partim extrinsece supernaturales, partim intrinsece supernaturales, videlicet internæ illustrationes intellectus, vel motiones voluntatis, quibus homo disponitur ad recipiendam gratiam habitualem. S. Augustinus solum docet, quod sine fide saltem generali & implicita homini nulla conferatur gratia habitualis requisita ad merendum de condigno vitam æternam. Quod vero etiam gentiles, Turcæ, Judæi, & Hæretici, si habeant ignorantiam invincibilem Religionis Catholicæ, possint habere fidem implicitam ac generalem, ostensum est in Tractatu *de Fide*, Disput. 4.

Objicitur 4. S. Augustinus in pluribus locis testatur, quod peccatores indurati non habeant gratiam sufficientem. Ergo non habent. *Ant. prob.* 1. In exposit. imperf. Epist. ad Rom. ait: *Quod tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate.*

2. *Idem* l. 1. Retract. c. 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.*

3. l. de perfect. justit. c. 19. *Excæcatum appellat desertum omni lumine veritatis.*

Respondeo dist. a. testatur, quod non habeant gratiam proxime sufficientem ad merendum. tr. remote sufficientem. n. gratia remote sufficiens est gratia extrinsece supernaturalis, qua homo potest invocare Deum, & se disponere ad gratiam actualem intrinsece supernaturalem.

Ad 1. dist. a. Hoc illi non imputabatur ad novam malitiam formalem. c. non imputabatur

ad

ad novum concretum peccati formalis. n. Sicut enim oſtenſum eſt in Tract. *de Conſcientia*, & *de peccatis*, in peccatis ignorantiæ vincibilis non reperitur quidem nova malitia formalis ſeu nova libertas, reperitur tamen novum concretum ex novo actu, & ex voluntarietate præterita, quæ denominat actum liberum in ſua cauſa. Sic Judæi, qui vincibiliter credebant, Chriſtum eſſe blaſphemum, nec tamen reflexe advertebant ſe habere ignorantiam vincibilem, dabatur quidem neceſſitas occidendi Chriſtum, per hoc tamen non excuſabantur à crimine deicidii, quia hoc illis liberum erat in cauſa necdum ſufficienter retractata. Idem ergo ſentiendum de Pharaone. Potuiſſent autem retractare ſuam ignorantiam eliciendo perfectum amorem Dei, & fervide in re tam gravi invocando Deum, hoc enim poſito Deus illis contuliſſet gratiam evadendi huc concretum peccati.

Ad 2. diſt. Eſt peccatum liberum in ſua cauſa c. in ſe liberum. n. Hic textus, qui videtur priori textui contrarius, loquitur de novo peccato in ſua cauſa libero; prior loquitur de novo peccato in ſe libero.

Ad 3. diſt. Appellat deſtitutum omni lumine habituali. c. actuali *ſubdiſt.* actuali intrinſece ſupernaturali. c. extrinſece ſupernaturali. n. Quod enim ejusmodi homines abnegantes ipſam fidem non deſtituantur omni gratia & lumine extrinſece ſupernaturali patet ex eo, quia S. Auguſtinus in iis agnoſcit ſufficientes vires invocandi Deum. In l. de nat. & grat. c. 22. ſic ſcribit: *Deſertus luce veritatis utique ſit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non ſurgat, ut ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam ſalvatoris.*

Objicitur 5. Eccleſiaſtis 7. v. 14. dicitur: *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Ergo dantur aliqui deſpecti à Deo, qui ſunt abſolute incorrigibiles.

Respondeo diſt. Nemo poteſt corrigere eum, qui non vult corrigi dependenter à gratia extrinſece ſupernaturali admonitionis humanæ, ſufficiente, & cui Deus non vult aliam extraordinariam gratiam conſerre. c. nemo poteſt corrigere, qui vult cooperari gratiæ extrinſece ſupernaturali ac ſufficienti admonitionis humanæ. n.

QUÆSTIO VII.

Quid ſit gratia ſanctificans?

Notandum 1. Terminum *gratiæ ſanctificantis* non fuiſſe uſitatum apud Patres & alios Scriptores primis undecim ſæculis. Sæculo autem duodecimo & decimotertio cœpit apud Scholaſticos uſurpari terminus *gratiæ gratum facientis*. Poſterioribus ſæculis Theologi terminum *gratiæ ſanctificantis* adoptarunt. Concilium tamen Tridentinum, cum abſtinere vellet terminis novis Scholaſticis, quantum fieri poſſet, ſed potius retinere idioma Patrum, nunquam termino gratiæ ſanctificantis uſa eſt, licet de re per nomen expreſſa ſæpius ageret.

Notandum 2. Per hunc terminum gratiæ ſanctificantis intelligi aliquod donum Dei in anima receptum, quo homo fit *gratus* Deo, *acceptus* Deo, *amicus* Dei, *filius* Dei, *hæres* Dei, *ſanctus* ſeu ſacratus Deo, *ſanctificatus* ſeu appropriatus Deo, *juſtificatus* Deo, *juſtus* ac placitus Deo, *pignoratus* & *pignoratarius* Deo, *arrhatus* & *arrhatarius* Dei, *dilectus à Deo* & faciens dilectorem perfectum Dei, *unio reciproca* amoris inter Deum & hominem, *communio realis bonorum* omnium reciproca inter Deum & hominem. Hunc ſenſum termini iſtius oſtendunt omnes textus Scripturæ, Patrum, & Concilii Tridentini, quando ſub aliis terminis loquuntur de eadem re, quam moderni Theologi à ſe ſub termino gratiæ ſanctificantis indigitari profitentur. Sic enim in Concilio Tridentino Seſſ 6. c. 7. ubi de juſtificatione, quam moderni Theologi per gratiam ſanctificantem fieri dicunt, ſermo eſt, ſic habetur: „Præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ. Hujus juſtificationis cauſæ ſunt; finalis quidem gloria Dei; efficiens vero miſericors, qui gratuitu abluit, & ſanctificat ſignans & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. - Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, juſtitiam recipientes unusquisque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cujusque diſpoſitionem & cooperationem. Quamquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita Paſſionis D. N. J. C. communicantur; id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejusdem SS. Paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret; unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque unit perfecte cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit. - - Itaque veram & chriſtianam juſtitiam accipientes eam ceu primam ſtolam pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Jeſum illis donatam, candidam & immaculatam jubentur renati conſervare, ut eam perferant ante tribunal Chriſti." Hucusque Concilium comprehendens omnes proprietates gratiæ ſanctificantis.

Notandum 3. Dari in hac re quatuor ſententias. Prima eſt Magiſtri Sententiarum, qui l. 1. Sent. diſt. 17. fuſe probat, charitatem infuſam, adeoque etiam gratiam ſanctificantem eſſe ipſummet Spiritum Sanctum ſpecialiter *unitum per operationem* animæ juſtificatæ. Secunda eſt multorum Theologorum veterum, quod *realiter* gratia habitualis ſanctificans ſit idem ac charitas theologica. Ita docent Alenſis, Albertus M., Henricus, Scotus, Durandus, Scotiſtæ anti-

antiqui & moderni, Salmero, Leſſius, Molina, Eſtius, Tournelius, & plures alii. Hi tamen authores diſtinguunt gratiam ſanctificantem à charitate ſaltem per diverſum conceptum objectivum, ita ut ſit alia formalitas gratiæ, alia charitatis. Solus Durandus ſolum admittit diſtinctionem rationis, qualis datur inter ſynonima per reſpectum ad diverſa connotata extrinſeca. Tertia ſententia eſt, quod gratia ſanctificana conſiſtat in qualitate phyſica realiter diſtincta à charitate. Hanc ſententiam tenent D. Thomas cum Thomiſtis, & plerique alii Theologi. Quia tamen aliqui horum Theologorum eam gratiam conſiderant per modum entis abſoluti, nempe per modum veſtia filiorum Dei, & per modum ornamenti in anima; alii vero eam conſiderant per modum potentialitatis ad actus ſupernaturales, quæ in ſuo conceptu dicit eſſe aliquid relativum, ideo poſſet dici ad concordandas bas ſententias, quod gratia ſanctiſicans ſit quidem qualitas abſoluta animæ exornativa, ſi *realiter* ſpectetur; *formaliter* autem ſpectata in eſſe gratiæ gratum facientis ſit entitas relativa per modum *potentialitatis*, *unionis practicæ* accidentalis inter Spiritum Sanctum & animam, ſeu *ordinis activi*, quem Spiritus Sanctus animæ imprimit ad actus & finem ſupernaturales. Idque diceretur conſentanee ad principia meæ Philoſophiæ, ubi oſtendi activitatem cresturarum conſiſtere in *ordine exiſtendi*, quem ordinem Deus rebus impreſſit. Hia prænotatis

DICO I. Gratia ſanctificans diſtinguitur realiter ab actibus & babitu charitatia.

Probatur. Non omnia cbaritatis actus, vel habitus exinde remanens aquiſitus eſt juſtificativus. Ergo gratia, quæ illum informat, diſtinguitur realiter. *c. prob.* ſi non omnis actus charitatis eſt juſtificativua, poterit in Sacramento pœnitentiæ attritua per actum dilectionis initialis, ſeu charitatia imperſectæ juſtificari per inſuſionem gratiæ, ubi manifeſtum eſt, eum juſtificari, quin actus dilectionis initialia, ſeu charitatis imperſectæ ſit juſtificativus. Antecedens vero ſuppono ex dictis *de Charitate*, & dicendis *de Pænitentia*.

DICO II. Gratia ſormaliter ſpectata conſiſtit in unione accidentali ſeu ordine activo animæ ad actus ſupernaturales impreſſo à Spiritu Sancto.

Probatur I. Hæc ſententia, quæ gratiam formaliter ſpectatam conſtituit in unione inter Spiritum Sanctum & animam ſeu in ordine activo conſormior eſt Scripturæ. Ergo. *Min. prob.* ab inductione.

In Scriptura, quandocunque ſignificatur; gratiam Spiritus Sancti dari, dicitur conſerri ipſe Spiritus Sanctus, & quandocunque ſignificatur aliquis effectus gratiæ, adſcribitur ille effectua immediate ipſi Spiritui Sancto. Ergo per gratiam Spiritus Sancti non poteſt intelligi aliquid abſolutum, ſed tantum aliquid relativum, quod habeat ſe *ut quo*, nempe quo tanquam applicatione & unione Spiritus Sanctus applicetur animæ ad in ea & cum ea producendos effectus gratiæ, ſeu actus virtutum. Textus Scripturæ ſunt ſequentes:

Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Rom. 7. v. 6. *Serviamus in novitate Spiritus.* Rom. 1. v. 4. *Secundum Spiritum ſanctificationis.* Et Rom. 8. v. 2. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis. - - Ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum. - - Qui enim ſecundum Spiritum ſunt, quæ ſunt Spiritus ſapiunt. - - Nam prudentia Spiritus vita & pax. - - Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu; ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non babet, bic non eſt ejus. Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, babitat in vobis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. - - Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. - - Noſipſi primitias Spiritus babentes intra nos gemimus adoptionem Filiorum Dei exſpectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. - - Similiter & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. Nam ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis.* Et Rom. 9. v. 1. *Veritatem dico teſtimonium mibi perbibente conſcientia mea in Spiritu Sancto.* Et Rom. 14. v. 17. *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Et Rom. 15. v. 13. *Deus ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in ſpe & virtute Spiritus Sancti. - - Audacius ſcripſi, ut oblatio gentium fiat accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto. - - Non audeo aliquid eorum, quæ per me non effecit Chriſtus verbo & factis in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti.*

Et 1. Cor. 2. v. 4. *Sermo meus non in perſuaſibilibus bumanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus. - - Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum, Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei. Nos autem non Spiritum bujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis bumanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus. Animalis autem bomo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus.* Et 1. Cor. 3. v. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei babitat in vobis.* Et 1. Cor. 6. v. 11. *Sed abluti, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. - - Qui adbæret meretrici, unum corpus efficitur; qui autem adbæret Domino, unus Spiritus eſt. - - An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem babetis à Deo, & non eſtis veſtri. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Et 2. Cor. 1. v. 22. *Unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Et 2. Cor. 5. v. 2. *Ingemiſcimus, babitationem, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes. - - Qui autem efficit nos in boc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.* Et 2. Cor. 6. v. 4. *Exbibeamus nos ſicut Dei Miniſtros in caſtitate, in longanimitate, in ſuavitate,*

in

in Spiritu Sancto, in charitate non ficta. Et 2. Cor. 13. v. 13. *Gratia Domini N. J. C. & charitas Dei, & communicatio Spiritus sit cum omnibus vobis.*

Et ad Gal. 3. v. 2. *Ex operibus Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? - - Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis. - - Ut pollicitationem Spiritus accipiamus.* Et c. 4. v. 6. *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Et c. 5. v. 5. *Qui in lege justificamini, à gratia excidistis. Nos enim Spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. - - Per charitatem Spiritus servite invicem. - - Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus Spiritum; & Spiritus adversus carnem. Si Spiritu ducimini non estis sub lege. Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax &c. Si Spiritu vivimus Spiritu & ambulemus.* Et c. 6. *Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.*

Et Ephes. 1. *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ - - Deus det vobis Spiritum sapientiæ.* Et c. 2. v. 18. *Habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem. — Omnis ædificatio crescit in templum sanctum in Domino; in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.* Et c. 3. v. 16. *Det vobis corroborari per Spiritum ejus in interiori homine.* Et c. 4. *Digne ambuletis soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis; unum corpus* (mysticum) *& unus Spiritus. - - Nolite contristare Spiritum Sanctum in quo signati estis.* Et c. 5. v. 18. *Nolite inebriari vino, sed impleamini Spiritu Sancto.*

Et 1. Thess. 4. v. 8. *Non vocavit nos Deus in immunditiam sed in sanctificationem, qui dedit Spiritum Sanctum in nobis.*

Et 2. Thess. 2. v. 13. *Elegit nos Deus in sanctificatione Spiritus.*

Et 2. Tim. 1. v. 7. *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. - - Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis.*

Et Hebr. 6. v. 5. *Qui participes facti sunt Spiritus Sancti.*

Et 1. Petri 4. v. 14. *Spiritus ejus super vos requiescit.*

Et 1. Joannis 3. v. 24. *Qui servat mandata ejus, in illo* (Christo) *manet, & ipse in eo; & in hoc scimus, quoniam manet in nobis, ex Spiritu, quem dedit nobis.* Et c. 4. v. 13. *In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Hi omnes textus, si accipiantur in sensu obvio, longe connaturalius important unionem reciprocam inter animam & Spiritum Sanctum, realem, & operativam, in quantum ea unio dicit ordinem activum ad varios effectus Spiritus Sancti juxta dispositionem subjecti, vel arbitrium concedentis. Hinc dicitur Spiritus Sanctus in uno conferri in ordine ad miracula, in alio in ordine ad scientiam, in alio ad actus fidei & spei, in justis in ordine ad actus meritorios vitæ æternæ. Itaque unio Spiritus Sancti seu applicatio est quidem diversa juxta diversum ordinem, quem animæ imprimit, Spiritus tamen, qui *datur*, qui *operatur*, qui *manet*, qui *participatur*, qui *requiescit*, qui *implet*, qui *vivificat*, & qui *inhabitat*, semper unus est. Cum autem illa *unio*, seu *ordo realis* non solum afficiat animam, sed etiam actus animæ, ad quos animam ordinat, inclinat, & movet, consequitur, gratiam sanctificantem non solum esse formam accidentalem animæ, sed etiam actuum bonorum, quos informat. D. Thomas in Summa 1. 2. q. 110. a. 3. C. existimat, quod Magister Sententiarum illam unionem Spiritus Sancti ad animam identificaverit cum charitate elicita, vel aquisita ab homine. *Quidam*, inquit, *posuerunt, idem esse gratiam & virtutem secundum essentiam, sed differre solum secundum rationem, ut gratia dicatur, secundum quod facit hominem Deo gratum, vel secundum quod gratis datur; virtus autem, secundum quod dirigit ad operandum; & hoc videtur sensisse Magister in 2. dist. 26.*

Probatur 2. Illa sententia cæteris paribus est præferenda, quæ magis in sensu obvio concordat cum textibus SS. Patrum. Sed talis est ista sententia. Ergo. *Min. prob.* ab inductione. 1. *S. Athanasius* Orat. 5. contra Arrianos: *Unus idemque Spiritus est, & qui tunc, & qui sanctificat, & consolatur eos, qui ipsum recipiunt.*

2. *S. Cyrillus* Alex. l. 5. in Joan. c. 2. *Joannes Baptista ex Deo natus est, & factus est divinæ naturæ particeps, ipsum Spiritum Sanctum incolam in se habens, atque adeo jam Dei templum est, & audit.*

3. *S. Augustinus* Serm. 13. de verbis Apostoli c. 11. ad illa verba: *Quicunque Spiritu Dei aguntur*, scribit: *Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imo & agis & ageris. Spiritus enim Dei, qui te agit, adjutor est agentibus.* Hæc, & centum hujusmodi testimonia, longe melius salvantur, si intelligatur unio realis, reciproca, & operativa inter Spiritum Sanctum & animam.

Probatur 3. Illa sententia cæteris paribus est præferenda, quæ, ubi mens Scripturæ & SS. Patrum saltem est dubia, magis concordat & conservat veterum Theologorum hac in re doctrinam quoad substantiam. Sed talis est ista sententia. Ergo. *Min. prob.* Omnes veteres Theologi in hoc conveniunt, quod gratia sit quædam realis applicatio, unio, ac relatio Spiritus Sancti ad animam, etsiamsi non conveniant, an illa relatio tantum identificetur cum ipso Spiritu Sancto, an vero identificetur cum actu & exinde relicto habitu charitatis, an vero cum qualitate per modum habitus habilitante potentias animæ ad actus supernaturales, ita tamen ut ea qualitas sit potius effectus metaphysicus ipsius applicationis & unionis Spiritus Sancti ad animam, sicut potentia admirandi & ridendi est effectus metaphysicus rationalitatis. Id probatur ab inductione.

I. *Petrus Lombardus*, dictus Magister Sententiarum l. 1. Sent. dist. 17. absolute identificat gratiam sanctificantem, seu charitatem infusam Dei erga hominem, cum Spiritu Sancto *ut applicato & unito* ad animam. Sic habet: „Accedamus ad ex-„plicandam missionem Spiritus Sancti, qua invi-„sibiliter mittitur in corda fidelium. Nam ipse „Spiritus Sanctus à Patre & Filio, ac à seipso

temporaliter procedit, id est, mittitur ac donatur fidelibus. Hoc autem ut perspici valeat, præmittendum est, quod Spiritus Sanctus amor est Patris & Filii, quo se invicem amant & nos. His autem addendum est, quod ipse idem Spiritus Sanctus est amor, sive charitas, qua (causaliter seu efficienter) nos diligimus Deum & proximum, quæ charitas, cum ita est in nobis, ut nos faciat diligere Deum ac proximum, tunc Spiritus Sanctus dicitur mitti, ac dari nobis, & qui diligit ipsam dilectionem, qua diligit proximum, in eoipso Deum diligit, quia ipsa dilectio Deus est, id est Spiritus Sanctus." De hoc *Augustinus* l. 8. de Trinit. ait: „*Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam præcipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio est; consequens ergo est, ut præcipue Deum diligat. - - Tanto ergo sanctiores sumus, quanto sumus dilectione pleniores; quo nisi Deo est plenus, qui plenus est dilectione?* His verbis satis ostendit Augustinus, quod dilectio ipsa, qua diligimus Deum vel proximum Deus est. - - Sed ne forte aliquis dicat, illud dictum esse per expressionem causæ, Deus charitas est, eo scilicet, quod charitas sit ex Deo, & non sit ipse Deus; sicut dicitur: Deus nostra patientia & spes, non quod ipse sit ista, sed quia ista ex eo sunt; occurrit Augustinus ostendens, non hoc esse dictum per causam, in l. 15. de Trinit. c. 17. ita dicens: *Non dicturi sumus, quod quidam dicunt; scilicet charitatem non propterea esse dictam Deum, quod ipsa charitas sit ipsa substantia, quæ Dei digna sit nomine, sed quod donum sit Dei, sicut dictum est de Deo: Tu es patientia mea. Hunc sensum statim refellit Scripturæ ipsa locutio.* - - Ex prædictis clarescit, quod Spiritus Sanctus charitas est, qua diligimus Deum & proximum. Unde facilius est nobis ostendere, quomodo Spiritus Sanctus mittatur sive detur nobis. Tunc enim mitti vel dari dicitur, cum ita in nobis est, ut faciat nos diligere Deum & proximum, per quod manemus in Deo, & Deus in nobis. Unde Augustinus l. 15. de Trinit. c. 17. hunc modum missionis insinuans ait: *Deus Spiritus Sanctus cum datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum & proximum, & ipse dilectio est. Non enim habet homo, unde diligat Deum, nisi ex eo.* - - Hic aperitur, quod charitas sit Spiritus Sanctus, & quomodo detur nobis. Scilicet ita impartitur alicui, id est, ita habet esse in aliquo, ut eum faciat Dei & proximi amatorem, quod cum facit, tunc dicitur dari sive mitti alicui, & tunc ille dicitur proprie habere Spiritum Sanctum. -- *Sed objiciunt;* Si Spiritus Sanctus charitas est Patris & Filii, & nostra; ergo eadem charitas est, qua Deus diligit nos, & qua nos diligimus eum. Hoc autem Sanctorum authoritates negare videntur. - - Augustinus videtur manifeste dividere dilectionem, qua nos diligimus Deum ab ea, qua ipse diligit nos. Si ergo, inquiunt, Spiritus Sanctus dilectio est, qua Deus diligit, & qua nos diligimus, duplex dilectio est, imo duo diversa est, quod absurdum & à veritate longe est. His respondemus hoc modo. Charitas non dividitur qua Deus nos diligit ab ea, qua nos diligimus; sed potius, cum sit una atque eadem charitas, ipsa Dei charitas diversis de causis & rationibus Dei charitas in Scripturis appellari ostenditur. Dicitur enim Dei charitas, vel quia Deus ea diligit nos, vel quia nos ea suos dilectores facit (nempe *causaliter* ad actum dilectionis movendo). - - Alias quoque inducunt rationes ad idem ostendendum, scilicet, quod charitas non sit Spiritus Sanctus; quia charitas affectio mentis est & motus animi; Spiritus Sanctus vero non est affectio animi vel motus mentis. Quod autem charitas sit affectio animi & motus mentis, authoritatibus confirmant. Dicit enim *Augustinus* l. 3. de doctr. christ. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum. Ad hæc dicimus; hoc ita dictum esse, sicut dicitur: Deus est spes mea, & patientia mea; quia facit nos sperare & pati. Ita charitas dicitur esse motus sive affectio animi, quia per eam movetur & afficitur animus ad diligendum Deum. Sed *dicet quis:* Si charitas Spiritus Sanctus est, quia operatur in singulis prout vult, cum per eum mens hominis afficiatur & moveatur ad credendum vel sperandum, sicut ad diligendum, quare non sic dicitur charitas motus animi ad credendum vel sperandum, sicut ad diligendum? Ad quod sane dici potest, quia alios actus atque motus virtutum operatur charitas, id est, Spiritus Sanctus mediantibus virtutibus, quarum actus sunt; utpote actum fidei, id est, credere fide media, & actum spei, id est, sperare media spe; diligendi vero actum per se tantum sine alicujus virtutis medio operatur, id est, diligere." Hucusque Petrus Lombardus; ex quibus evidens est, quod non existimaverit, actum dilectionis qua nos diligimus Deum, esse formaliter vel per identitatem Spiritum Sanctum, sed tantum causaliter seu efficienter, in quantum est effectus Spiritus Sancti vere ac physice animam per applicationem immediatam suæ virtutis inhabitantem.

II. *S. Thomas* tribuit gratiæ sanctificanti quatuor proprietates, *primò* quod voluntatem uniat Spiritui Sancto. *Secundò*, quod sit in genere qualitatis habilitantis animam ad actus, & tamen non habeat naturam habitus proprie dicti. *Tertio*, quod efficiat actus. *Quartò*, quod sit forma animæ & actuum, *exemplariter*, hoc est, in esse formali exprimens charitatem essentialem, quæ est Spiritus Sanctus. Hæ autem proprietates conveniunt unioni reali reciprocæ ac operativæ inter animam & Spiritum Sanctum seu ordini reali activo, impresso animæ ad actus & finem supernaturalem. In 1. Sent. dist. 17. q. 1. a. 1. C. dicit: „Sicut non potest intelligi, quod paries sit albus sine albedine inhærente, ita non potest intelligi, quod anima sit bona in esse gratuito sine charitate & gratia informante ipsam. Ideo oportet ponere charitatem esse habitum creatum in anima, quæ (charitas) efficienter quidem est à tota Trinitate, sed exemplariter manat ab amore; qui est Spiritus Sanctus; & ideo frequenter invenitur, quod Spiritus Sanctus sit amor, quo diligimus Deum & proximum. Magister tamen vult, quod charitas non sit aliquis habitus creatus in anima, sed quod sit tantum

„actus,

„ actus, qui est ex libero arbitrio moto per Spi„ ritum Sanctum, quem charitatem dicit. Ad „ cujus explanationem quidam dixerunt, quod „ sicut filius univit sibi naturam humanam solus, „ ita Spiritus Sanctus solus unit sibi voluntatem. „ Sed hoc non potest stare, quia unio humanæ „ naturæ in Christo terminata est ad unum esse „ personæ divinæ, & ideo idem numero actus est „ personæ divinæ & naturæ humanæ assumptæ; „ sed voluntas alicujus Sancti non assumitur in „ unitate suppositi Spiritus Sancti. Unde, cum „ operatio à supposito unitatem habeat, non „ potest esse una operatio voluntatis & Spiritus „ Sancti, nisi per modum, quo Deus operatur „ in qualibet re. Sed iste modus (generalis, quo „ Deus eum creatura concurrit ad quemlibet ef„ fectum) non sufficit ad operationis perfectio„ nem (specialem probandam vel declarandam, „ qualis tamen specialis perfectio unitiva cum Spi„ ritu Sancto admitti debet). Unde non est in„ telligere, quod sit operatio perfecta volunta„ tis, per quam uniatur Spiritui Sancto, nisi sit „ ibi habitus perficiens potentiam operativam. „ Nec potest esse similitudo actus voluntatis ad „ Spiritum Sanctum, nisi sit similitudo Spiritus „ Sancti in anima per aliquam formam, quæ est „ principium actus, quo Spiritui Sancto confor„ metur." Ita S. Thomas. Quod autem ista forma *assimilativa* & *unitiva* ad Spiritum Sanctum sit quædam tendentia seu ordo activus ad actus amoris, qualem tendentiam & ordinem activum habet Spiritus Sanctus per identitatem, utpote qui est amor subsistens, insinuat S. Doctor in solutione *ad* 1. "Dicendum, *inquit*, quod in gratifica„ tione animæ est considerare duplicem opera„ tionem Spiritus Sancti. Una quæ terminatur „ ad actum primum, qui est esse gratum; alia, „ secundum quam operatur actum secundum, qui „ est operatio movens voluntatem in opus dile„ ctionis. Quoad primum effectum charitas est „ per modum causæ formalis; ad effectum autem „ secundum, qui est operatio, charitas est in ra„ tione causæ efficientis, secundum quod virtu„ tem, quæ est principium operandi, reducimus „ in causam agentem. *Et ad* 2. Dicendum quod „ anima comparatur ad corpus non tantum ut „ causa agens, secundum quod est motor corpo„ ris, sed etiam ut forma. Unde formaliter seipsa „ facit vivere. Deus autem non est forma ipsius „ animæ vel voluntatis, qua formaliter vivere „ possit; sed dicitur vita animæ, sicut principium „ exemplariter influens vitam gratiæ ipsi (*hoc est* „ *unionem realem, seu ordinem activum ad actus dile*„ *ctionis, qui ordo activus à D. Thoma, & à Philo*„ *sophis virtus effectiva vocari solet.*)

Ibidem in 1. dist. 18. q. 1. a. 1. ad 1. *Donum, præter respectum, quem importat ad illud, cui donabile est, importat respectum ad illum, à quo est, sicut à principio.* Et a. 3. ad 3. *Oportet, quod res donata relationem significet, quia donum ut ratio dandi est amor.* Ex hoc textu D. Thomæ patet, quod gratia dicat aliquod esse relativum in genere amoris, tam respectu termini à quo, quam respectu termini ad quem. Idem repetit l. cc. a. 5. ad 1. his verbis: *Donum importat quandam relationem in actu, scilicet ad dantem, & ad eum, cui datur in actu.* Idem

D. Amort Tract. de Peccato origin. & gratia.

in 2. Sent. dist. 26. naturam gratiæ sanctificantia explicat per ordinem ad actus amoris. q. 1. a. 1. c. sic habet: "Nomen gratiæ quandam liberalita„ tem importat; liberalis autem donationis prin„ cipium est amor. Inde est, quod nomen gra„ tiæ dupliciter sumitur. Uno modo pro ipsa ac„ ceptatione amoris, secundum quod aliquis gra„ tiam alterius habere dicitur, qui eum diligit; „ alio modo pro ipso dono, quod liberaliter da„ tur ex amore. Si gratia pro ipsa divina dile„ ctione accipiatur, patet, quod aliquem effectum „ in anima ponit. Sicut enim scientia Dei est „ causa rerum, ita & jam noster amor ex bonitate „ dilecti causatur, quæ ad amorem sui trahit. Si„ militer etiam si gratia accipiatur donum gratia „ datum, oportet quod aliquid creatum intelli„ gatur. Est enim quoddam donum gratis datum, „ quod increatum est, scilicet Spiritus Sanctus. „ Sed quod hoc donum nunc habeatur, cum prius „ non haberetur, hoc non ex sui mutatione con„ tingit, sed ex mutatione ejus, cui datur. Un„ de oportet, quod ex hoc ipso, quod Spiritus „ Sanctus alicui datur, aliquid ipsi creaturæ ac„ crescat, quod prius non habebat, secundum „ cujus adeptionem Spiritum Sanctum habere di„ citur. *Et ibidem ad* 1. Cum dilectio Dei boni„ tatem creaturæ causet, diligere omnes creatu„ ras dicitur, secundum quod bonum naturæ „ omnibus tradit. Sed illa est simpliciter & per„ fecta dilectio, quasi amicitiæ similis, qua non „ tantum diligit creaturam, sicut artifex opus, „ sed etiam quadam amicabili societate, sicut ami„ cus amicum, in quantum eas trahit in societa„ tem suæ fruitionis, ita ut in hoc sit eorum bea„ titudo, quo Deus beatus est; & hoc est dile„ ctio, qua Sanctos diligit, quæ antonomastice „ dilectio dicitur; & ideo effectus hujusmodi di„ lectionis antonomastice gratia vocatur." Ex hoc textu D. Thomæ patet, quod gratia sanctificans sit realis ordo ad actus amoris reciprocos erga Deum, & ad beatitudinem.

Idem colligitur ex iis, quæ S. Doctor scribit in Summa p. 1. q. 43. a. 3. c. ubi sic scribit: "Di„ vinæ personæ convenit mitti, secundum quod „ novo modo existit in aliquo; dari autem, se„ cundum quod habetur ab aliquo. Neutrum „ autem horum est, nisi secundum gratiam gra„ tum facientem. Est enim communis modus, „ quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, „ potentiam, & præsentiam. Super istum autem „ modum communem est specialis modus, qui „ convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur „ esse, sicut cognitum in cognoscente, & ama„ tum in amante. Et quia cognoscendo & aman„ do creatura rationalis sua operatione attingit „ ad ipsum Deum, secundum istum specialem mo„ dum Deus non solum dicitur esse in creatura „ rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in tem„ plo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest „ esse ratio, quod divina persona sit novo modo „ in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. „ Unde secundum solam gratiam gratum facien„ tem mittitur & procedit temporaliter persona „ divina. Similiter illud solum habere dicimur, „ quo libere possumus uti vel frui. Habere au„ tem potestatem fruendi divina persona est so-

 „ lum

lum secundum gratiam gratum facientem. Sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus Sanctus habetur & inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus Sanctus datur & mittitur." Nisi hoc donum esset aliquid relativum per modum unionis vel ordinis, non esset bona hæc ratiocinatio D. Thomæ. Ipsemet enim l. cc. fatetur, non quemlibet specialem effectum sufficere, ut persona divina mitti, dari, haberi, & inhabitare dicatur. Nam *ad* 3. ait: *Licet per aliquos effectus Filius cognosci possit à nobis, non tamen per aliquos effectus nos inhabitat, vel etiam habetur à nobis.*

Ulterius; quod gratia sit in genere habitudinis, seu recti ordinis ac proportionis, D. Thomas docet in 2. dist. 26. q. 1. a. 4. ad 1. *Dicendum, quod gratia ad genus qualitatis reducitur, & ad primam speciem qualitatis, nec proprie tamen naturam habitus habet, cum non immediate ad actum ordinet, sed est velut habitudo quædam, sicut sanitas se habet ad corpus; & ideo dicit Chrysostomus, quod gratia est sanitas mentis.* Sanitatem autem non consistere in qualitate absoluta, sed tantum in recta proportione seu ordine solidorum & fluidorum, constat ex Philosophia.

Tertio, quod efficiat gratia actus virtutum, D. Thomas sæpe docet. Sic in 1. Sent. dist. 17. q. 1. a. 1. ad 1. dicit: "In gratificatione animæ est considerare duplicem operationem Spiritus Sancti, una quæ terminatur ad actum primum, qui est esse gratum, alia secundum quam operatur actum secundum, qui est operatio movens in opus dilectionis. Quoad primum effectum charitas (*infusa*) est per modum causæ formalis; ad effectum autem, qui est operatio, charitas est in ratione causæ efficientis, secundum quod virtutem, quæ est principium operandi, reducimus in causam agentem. *Et in* 2. *dist.* 26. *q* 1. *a.* 4. *c.* Sicut ab essentia animæ fluunt potentiæ, ab ipsa essentialiter differentes, sicut accidens à subjecto, & tamen omnes uniuntur in essentia animæ ut in radice, ita etiam à gratia fluunt virtutes, ab ipsa gratia essentialiter differentes; in gratia tamen conjunctæ sicut in sua origine per modum, quo diversi radii ab eodem corpore lucente procedunt." Circa hunc textum observo, quod, cum potentiæ animæ juxta aliorum, nempe Scotistarum & Recentiorum Philosophiam non vocentur *realiter* diversæ ab essentia animæ, ex ipsa doctrina hac D. Thomæ consequatur, juxta hunc modum loquendi nec virtutem charitatis *realiter* differre à gratia, & consequenter in sensu reali etiam gratia dicit immediatum ordinem ad actus. Idem docet S. Thomas l. cc. ad 2. *Dicendum, quod virtus dicitur dispositio perfecti ad optimum, in quantum elicit operationem, per quam res suum finem consequitur. Unde per hunc modum gratia non est dispositio perfecti ad optimum, cum non primo operationem respiciat, sicut effectum proximum.* Si igitur juxta dicta gratia non distinguitur realiter à charitate habituali, manifestum est, etiam gratiam dicere immediatum ordinem ad actus virtutum.

Quartum denique quod gratia sanctificans non solum informet animam, sed etiam actus virtutum, S. Doctor testatur in pluribus locis. In 2. dist. 29. q. 1. a. 2. ad 2. sic scribit: *Gratia præbet efficaciam merendi informando actum; & sicut majoris perfectionis est forma actus, quam ipsa substantia ejus; ita econtrario major est defectus deficere in ipsa substantia actus, quam deficere in forma ipsius.* Et in 2. Sent. q. 26. a. 3. ad 2. *Gratia non tantum dicitur gratificans essentiam animæ, sed etiam opus gratum reddens, non quidem sicut proximum informans, sed sicut primum, quod naturam in altius esse elevat.* Hoc loco D. Thomas *proximum informans* vocat, quod primo informat, sicut quantitas pro priori ac primo facit substantiam quantam, dein etiam accidentia. Et l. cc. ad 3. *Gratia immediatius voluntatem vel liberum arbitrium respicit, cum omnes actus gratia informati quodamodo sint voluntatis & liberi arbitrii.* Hucusque D. Thomas, in quo illud præterea observari meretur, quod gratiæ non adscribat existentiam propriam distinctam ab existentia sui subjecti. Si enim hoc verum sit, necesse est, quod gratia sit tantum modificatio animæ, seu ens modale, ita ut in omni mutatione sit nova mutatio substantiæ creativa. In Summa 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. sic scribit: *Omne accidens non dicitur ens, quasi ipsum esse habeat. Et quia ejus est fieri vel corrumpi, cujus est esse; ideo proprie loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur, sed dicitur fieri vel corrumpi, secundum quod subjectum incipit vel desinit esse in actu secundum illud accidens. Et secundum hoc etiam gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur, id est, in novo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud ad Ephes. 2. Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Ut enim in Tract. de Euchar. dictum est, actio creativa, conservativa, generativa, & alterativa ex parte Dei non differunt intrinsece nisi per alium respectum ad præexistentes varios terminos proportionales vel non proportionales. Hanc observationem propterea addidi, ne Philosophi Neoterici, qui nulla admittunt accidentia absoluta, statim damnentur hæresis.

III. *Albertus M.* manifeste docet, quod gratia sanctificans nil aliud sit, quam perpetua divina motio animæ ad actus virtutum, quæ motio sine unione & ordine reali divinitus animæ impresso intelligi nequit, in quantum Charitas subsistens in Spiritu Sancto, seu ipse Spiritus Sanctus applicatur animæ tanquam suo mobili. In 2. Sent. dist. 26. art. 5. sic scribit: Quæritur, utrum gratia sit vita animæ? "Dicendum, quod in veritate gratia est vita animæ, secundum quod vita formaliter adhæret vivo, ut forma effluxa à causa & fonte vitæ. Et ut hoc intelligatur, sciendum, quod corpus dupliciter vivit actu animæ. Unum enim actum habet, secundum quod anima est forma talis corporis potentia vitam habentis, & hic actus est vivere, secundum quod vivere viventibus est esse; & iste actus est simplex & non continuus, neque esse suum est continuum fieri, sed potius iste actus est terminus generationis animati. Secundum hunc modum vita animæ, metaphysice loquendo, est Deus dans esse animæ, non ut forma, sed sicut portans esse ejus, & conservans, & faciens verbo virtutis suæ. Alio modo vivit corpus secundum quod dicimus, quod spiritus vitalis vehiculum est vitæ, quæ

„con-

continue influitur corpori ab animalis ſpeciali organo, ſicut cordis, & illius eſſe eſt continue fieri, & de illa vera eſt definitio, quod vita eſt actus continuus animæ in corpus; & huic metaphyſice reſpondet vita gratiæ, quæ eſt influxa animæ à Deo, & influitur continue. *Contra hoc videtur eſſe.* Quia ſi gratia continue agit, tunc continue meretur; ergo continue intenditur & augmentatur. At hoc non dicitur eſſe verum. Ad hoc, quod objicitur, reſpondetur, quod continuitas illius actus, qui eſt eſſe, non intendit formam, ſed potius per actum, qui eſt opus, intenditur habitus & forma, qui eſt principlum illius operis, quia, ut dicit Philoſophus, ex ſimilibus actibus ſimiles habitus generantur. Tamen quidam concedunt, quod continue agit, licet non percipiatur, ſicut intellectus agens continue agit, licet non percipiatur propter tumultum, qui eſt in phantaſmatibus, ut dicunt. Sed hoc nihil eſt. Quia non ſequitur, ſi intellectus ſemper eſt actu, quod continue agat, quia deſunt ſpecies; ſicut lux continue eſt in actu, & non facit ſemper actu colores. Unde ad primam ſolutionem redeundum eſt, quæ vera eſt. Et ideo etiam, licet vita continue influatur corpori, tamen ex hoc non intenditur, quia ex talibus actibus non eſt nata generari." Ita Albertus M., ex cujus verbis, gratiam eſſe actionem perpetuam non interruptam in animam, qua Deus movet perpetuo ſicut lux & ignis, licet non perpetuo producat actualem motum virtutis, ſeu actum animæ, nempe ob defectum materiæ & diſpoſitionum in anima.

IV. *Alenſis* in pluribus locis docet, quod gratia ſanctificans ſe habeat per modum unionia realis inter animam & Spiritum Sanctum, & per modum medii *ut quo* inſtar luminis, quamvis realiter identificati cum virtutibus, requiſitis præſertim cum amore Dei ad gratiam per modum diſpoſitionis materialis. Part. 3. q. 61. membro 2. art. 2. c ſic ſcribit: "Dicendum, quod eſt gratia creata & increata, in habente gratiam. Gratia increata eſt Spiritus Sanctus, & dicitur Spiritus Sanctus gratia, ſecundum quod dicitur donum; & dicitur donum, ſecundum quod dicitur amor; ipſe enim Spiritus Sanctus ſecundum ſuam proprietatem amor eſt, & ut amor procedit à Patre & Filio: Quia ergo Spiritus Sanctus amor eſt, inde eſt, cum datur nobis, transformat nos in divinam ſpeciem, ut ſit ipſa anima aſſimilata Deo. Et alia parte debemus intelligere gratiam creatam, velut ſimilitudinem & diſpoſitionem ex parte animæ rationalis, ex qua (ſimilitudine per amorem & diſpoſitione) babet, quod ſit accepta Deo & aſſimilata, quia ibi eſt forma transformans, & hæc eſt gratia increata; ſimiliter ibi eſt forma transformata, quæ derelinquitur in transformato, ſcilicet in anima ex transformatione; & hæc eſt gratia creata. *Et ad* 1. Anima ſine medio unitur corpori, & tamen per medium unitur corpori. Sine medio unitur, quia non eſt medium ex parte ſua ad hoc, ut uniatur corpori; cum ipſa ſit forma corporis, & forma ſe unit per ſuam eſſentiam. Per medium unitur, quia eſt diſpoſitio ex parte corporis media ad hoc, ut uniatur anima ipſi. Similiter gratia increata ſine medio unitur animæ, nec requiritur medium ex parte informantis. Sed ex parte recipientis, ſcilicet animæ, requiritur, per quod uniatur, & hoc eſt gratia creata. *Et ad* 6. Gratia ſecundum rationem, qua à Deo eſt, unit & diſponit, ut anima uniatur Deo. *Et ad* 3. *ubi ex S. Auguſtino objicitur textus:* Mens nulla interpoſita natura à prima veritate formatur: de Civit. Dei. *ſic reſpondet:* Concedo, quod ex parte informantis vel aſſimilantis nihil interponitur ad hoc, ut anima aſſimiletur, & fiat grata Deo; ſed ſolum ex parte ſuſcipientis neceſſe eſt, quod interponatur diſpoſitio. *Et ad* 4. Gratia creata habet unam comparationem ad animam, ſecundum quod eſt diſpoſitio animæ; aliam, ſecundum quod eſt à gratia increata, velut lumen fluens ab ea in animam. *Et l. cc. art.* 4. *c.* Illud quo anima grata eſt, eſt gratia, quo vero bene operatur, eſt virtus. Quamvis ergo ſecundum ſubſtantiam & rem ſint idem gratia & virtus, non tamen ſecundum eſſe & rationem. Unde voluerunt quidam dicere, quod quæ eſt comparatio animæ ad ſuas potentias, eadem eſt comparatio gratiæ ad virtutem. Exemplum patet de radio & lumine. Sicut enim radius ſubſtantialiter eſt in lumine, & per hoc eſt lumen cauſa ſubſtantialis ipſius radii, & cauſa effectiva radii; ſimiliter eſt virtus in gratia ſubſtantialiter, & eſt gratia cauſa effectiva ſubſtantialis ipſius virtutis. Secundum hoc, quando dicitur: *Radius eſt lumen*, non eſt prædicatio per eſſentiam, ſed per cauſam. Similiter hic: gratia eſt virtus, vel e converſo. Sed ſunt idem ſubſtantialiter, & non formaliter; ſicut ferrum & cultellus idem ſunt, ſed non formaliter. Et ſic gratia non eſt virtus omnino ſecundum eſſe & rationem; ſed ſecundum ſubſtantiam. *Et ibidem.* Lumen eſt ſubſtantia radii; differunt tamen ſecundum rationem & eſſe (eſſentiam metaphyſicam.) Quia lumen dicitur, quod perficit aerem indiſtincte; radius autem dicit illud, quod perficit aerem per diſtinctionem in partibus; quia radius dicit directionem luminis ad hanc partem aeris, & ad illam; lumen autem non. Similiter in anima lumen eſt gratia, radius autem eſt virtus; quia gratia quæ eſt ipſa lux, perficit animam quoad eſſentiam & indiſtincte quantum ad omnes vires; virtus autem perficit animam quantum ad partes, quæ ſunt vires ejus. Quia per fidem intelligimus in anima radium quendam dirigentem vim rationalem in primam veritatem. Charitas autem eſt radius, per quem dirigitur concupiſcibilis in ſummam bonitatem. Spes vero eſt radius, per quem dirigitur iraſcibilis in ſummam majeſtatem." Ita Alenſis. Ex hujus autem verbis patet, quod ſicut lumen eſt aliquid relativum, ſe habens *ut quo*, ita & gratia. Et meretur notari, quod etiam D. Thomas adoptet hanc comparationem, quæ fit ab Alenſi inter animam & potentias, lumen & radium, & inter gratiam & virtutes.

V. *D. Bonaventura* gratiam ſanctificantem explicat per aliquod ens relativum, unitivum, &

operativum, quod se habet instar luminis. In 2. Sent. dist. 26. q. 2. c. sic scribit: „Circa hanc „quæstionem, an gratia in gratificato sit aliquid „creatum, Deo hominem conformans: & assimilans, & Deo amicum reddens, sapientes opi„nantur contrarium sapientibus. In hac enim „quæstione aliquid est, quod fides determinat, „aliquid quod ratio investigat. Fides & Scriptu„ra determinat, quod absque dono gratiæ im„possibile est placere Deo. Determinat etiam, „quod absque dono increato, quod est Spiritus „Sanctus, homo non potest fieri Deo acceptus, „nec assumi in adoptionem filiorum Dei. Et „ideo omnes recte intelligentes concedunt, in „justis esse gratiæ donum, ita ut credant, etiam „in eis esse donum increatum, quod est Spiritus „Sanctus, & hoc à fide, & à Scriptura determi„natur, & ideo, qui contrarium hujus sentiret, „esset hæreticus. Sed utrum præter donum in„creatum sit in nobis donum creatum, per quod „simus Deo accepti, vel non, quia non expresse „determinatur Scripturæ authoritate, investiga„tur à Doctoribus rationum probabilitate. Et „quoniam gratiæ est recreare, animam informa„re, vivificare, illuminare, assimilare, unire, „stabilire, acceptum facere, sursum levare, qui„dam hos actus comparaverunt ad gratiam, sicut „ad principium effectivum. Et quoniam Deus „sufficit ad hos actus vel effectus producendos, „dixerunt, quod donum creatum ponere ad hos „effectus producendos est superfluum. Alii ve„ro comparaverunt effectus prædictos ad gratiam, „sicut ad formam. Necessarium enim est, quod „vivificatio & informatio ab aliquo fit sicut ab „efficiente & ab aliquo sicut ab informante. Et „quoniam nec est possibile, nec decens, Deum „esse formam perfectivam alicujus creaturæ, ideo „præter donum increatum, quod comparatur ad „hos actus tanquam principium effectivum, con„veniens est & opportunum, ponere donum crea„tum, per quod anima informetur. Hanc au„tem positionem præferendam credo priori, tum „quia securior, tum quia etiam rationabilior. - - „Rationabiliter enim tales effectus & actus non „possunt cogitari in nobis esse, quin sint ab ali„quo sicut ab efficiente, & ab aliquo sicut ab „informante. Quomodo enim actus verus in„formationis & vivificationis erit in anima, nisi „sit aliqua forma complens, à qua anima infor„metur? Et ideo secundum hanc positionem „comparatur ipsa gratia creata influentiæ luminis, „& principium ejus comparatur soli; quia sicut „à sole materiali influitur lumen in aere, per quod „aer formaliter illuminatur; sic à sole spirituali, „qui Deus est, influitur lumen spirituale in ani„mam, à quo anima formaliter illuminatur, & re„formatur, & gratificatur, & vivificatur. Un„de inter omnia corporalia maxime assimilatur „gratiæ Dei luminis influentia. Sicut enim e st „quædam influentia, quæ assimilat corpora ipsu m „suscipientia fonti luminis quoad proprietate m, „sic gratia, quæ est spiritualis influentia, m en„tes fonti luminis assimilat & conformat. Hæc „autem influentia recte dicitur gratia; tum quia „ex mera liberalitate datur, tum quia etiam gra„tum facit. Dum enim hominem Deo conf or„mat, & assimilat, reddit illum amicum Deo, & „facit esse Deo placitum & acceptum.

Et l. cc. quæst. 3. ad 2. „Anima Deo assimila„tur, sicut divinæ similitudinis susceptiva, gra„tia vero sicut ipsa similitudo, vel donum assimi„lativum.

Et l. cc. quæst. 6. „Gratia est sicut quædam „influentia procedens à luce superna, quæ sem„per habet conjunctionem cum sua origine, sicut „lumen cum sole; & quia semper suæ origini „conjungitur, ideo non tantum attribuitur ei „operatio ratione subjecti in quo est, sed etiam „ratione subjecti, à quo est. Unde sicut lumen „non solum operatur cum aëre, sed etiam ope„ratur in ipsum aërem ratione continuationis „cum suo fonte; sic & gratia non solum opera„tur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in „liberum arbitrium, & liberum arbitrium movet. „Unde non est aliud dicere, gratiam liberum arbi„trium movere, quam gratiam esse Spiritus Sancti „instrumentum ad movendum liberum arbi„trium." Hic textus manifeste ostendit, in gratia non solum operante, seu actuali, sed etiam in gratia cooperante seu sanctificante, à qua liberum arbitrium movetur & cum ea se movet, reperiri immediatum continuum ordinem, relationem, ac unionem ad Spiritum Sanctum, cujus est instrumentum in movendo. Quod enim hic modus etiam locum habeat in gratia cooperante seu sanctificante, ostendit his verbis: *Uterque, bonum modorum rectus est, nec unus sine altero sufficit.*

Idem CONFIRMATUR ex eo, quod respondet ad objectionem 5.; cum enim sibi objiceret, quod gratia cooperans seu gratum faciens semper operaretur eundem effectum meritorium, si moveret voluntatem ad actus meritorios; quia idem manens idem semper facit idem, non negat, voluntatem à gratia sanctificante semper moveri, sed respondet, diversitatem actuum, quando voluntas finit se moveri à gratia, dependere à diversa dispositione voluntatis. „Dicendum, *in„quit*, quod illud principium; idem manens idem „semper facit idem, fallit in Deo, & ideo se„cundum quod Deus movet per gratiam, per „eandem gratiam potest excitare ad diversa ope„ra. Secundum vero quod liberum arbitrium „seipsum movet per gratiam ad diversa opera, „est in ipso cognitionis & affectionis diversitas, „secundum quas ordinari habet ad diversa ope„rum genera; & ideo quamvis gratia non varie„tur in se, movet tamen ad diversa ratione va„riationis in motore sibi conjuncto, sine quo non „potest movere.

Idem in 1. Sent. dist. 17. part. 1. q. 1. supponit, quod gratia sanctificans identificetur cum charitate seu ordine amoris per modum participationis ex amore Spiritus Sancti. *Ad* 3. sic scribit: „Ad illud, quod objicitur: Si charitas est „bonum per participationem, tunc ejus bonitas „est permutabilis in informitatem. Dicendum, „quod aliquid dicitur bonum per participationem „dupliciter. Aut quia participans & ordinatum; „aut quia participatio & ordinatio. Primo mo„do est bonum habens charitatem secundo modo „charitas, & ideo potest non esse; quia non est „ipsa

„ipsa essentia bonitatis, sed participatio; tamen non potest non esse bona vel ordinata, quia est ipse ordo amoris."

Et in c. ibidem satis ostendit, se eam charitatem seu ordinem amoris infusum identificare cum gratia sanctificante. Sic habet: „Circa hoc, an charitas sit ipse Spiritus Sanctus, fuit ab antiquo duplex opinio. Quorundam enim, ut Magistri & sequacium, opinio est, quod Spiritus Sanctus est essentialiter charitas, qua Pater & Filius diligunt nos, & qua diligimus Deum. Et quidam voluerunt dicere, quod Spiritus Sanctus potest tripliciter considerari; nempe in se, & sic est amor Patris & Filii. Potest rursus considerari, ut in bumana anima inhabitans, & sic Spiritus Sanctus dicitur gratia. Potest etiam considerari, ut unitus voluntati, & sic est charitas, qua Deum diligimus. Unde dicunt, quod Spiritus Sanctus est nostra charitas non per appropriationem, sed per unionem. Sed hæc positio non potest stare. Quia Spiritus Sanctus non est unibilis. Et præterea si esset unibilis, aut uniretur per naturam, aut per gratiam? Non per naturam. Ergo per gratiam. Ergo adhuc oportet esse habitum gratiæ disponentem animam ad susceptionem talis unionis. Et propter hoc dicendum, quod istud, quo diligimus Deum, tripliciter est accipere. Ant *quo diligimus effectivè*, & sic charitas sive amor est Trinitatis & Spiritus Sancti appropriatè. Aut *quo diligimus exemplariter*, & sic Spiritus Sanctus est unio Patris & Filii, & nexus amborum & unitas. Ad cujus imitationem charitas nos nectit. Aut *quo diligimus formaliter*, & sic secundum opinionem Magistri est animi affectio. Et in his omnibus verum dixit, nec erravit; sed defecit (hoc est, non omnia dixit). Quia præter hoc est ponere charitatem secundum communem opinionem, quæ est habitus creatus animam informans; & ratio hujus sumitur à parte essentiæ, & virtutis & operationis, quia charitas est bonitas creaturæ rationalis ipsam perficiens (supra naturam) & distinguens (à puro esse naturali) & ordinans & disponens ad vitam æternam." In hoc textu, dum S. Bonaventura fatetur, Magistrum Sententiarum verum dixisse, quod charitas, in quantum ea diligimus Deum, sit *animi affectio*, sed tamen huic affectioni aliquid addendum esse, nempe rationem distinctivam ab ente solum naturali, & virtutem operandi meritoriè ad vitam æternam, ostendit, charitatem infusam esse concretum aut metaphysicum aut physicum, compositum ex affectione animi & ex ordine quodam reali intrinsece supernaturali ad finem supernaturalem. Dixi, *metaphysicum* vel *physicum*. Utrum enim iste ordo superadditus affectioni animi cum ea uniatur inseparabiliter vel separabiliter, relinquit in bivio.

VI. *Scotus* docet, gratiam sanctificantem *realiter* non distingui à charitate seu amore, quo nos diligimus Deum, sed tantum *formaliter*, in quantum in isto amore datur specialis relatio seu ordo ad finem supernaturalem. In 2. Sent. dist. 27. q. un. sic scribit: „Opinio fuit hic aliquando, quod gratia est quoddam lumen supernaturale, se habens ad virtutes Theologicas, sicut lumen naturale ad virtutes aquisitas. Sed ex hoc sequeretur; quod fides non posset manere informis. Ideo alia est opinio, quæ dicit, quod gratia formaliter est virtus, quæ est charitas; & quæcunque excellentiæ attribuuntur gratiæ, (dicunt, quod illæ attribuantur) & charitati & è converso. Utraque enim formaliter æqualiter dividit inter filios regni & perditionis. Utraque etiam est forma virtutis, & neutra potest esse informis. Utraque etiam conjungit ultimo fini perfecta conjunctione, qualis potest esse in via. Et si poneretur (gratia à charitate) distincta, altera superflueret, quia reliqua sufficeret. Et secundum hoc potest teneri opinio Magistri, sicut tenebatur dist. 17. l. 1. Sent. quod Spiritus Sanctus non per alium habitum distinctum à charitate movet voluntatem ad diligendum Deum meritorie, & distinctum ab illo habitu, quo animam inhabitat, qui est gratia, & ipsa est charitas. Et eodem habitu quo Spiritus Sanctus inhabitat animam, inclinatur voluntas in suum actum meritorium. Non sic autem eodem habitu, quo Spiritus Sanctus inhabitat, credit omnia & sperat; sed (credit & sperat) aliis habitibus imperfectis; quia actus istorum babituum requirunt imperfectionem. Sed *objiciet quis*, *quod* ex boc videtur sequi distinctio inter gratiam & charitatem; quia charitas est perfectio simpliciter; alias enim non formaliter competeret Deo; qui secundum Joannem est charitas. Gratia autem non est perfectio simpliciter; nec formaliter ponitur in Deo. Respondeo: charitas dicitur, qua habens eam habet Deum, ita quod respicit Deum non in ratione diligentis, sed in ratione diligibilis. Gratia (vero) est, qua Deus aliquem habet gratum; quia illud dicitur gratia, propter quod Deus acceptat, habens ut dignum beatitudine, & dignitate, quæ est in correspondentia meriti ad præmium. Et ita gratia aliquam imperfectionem includit, quia talis dignitas aliquam imperfectionem ponit in digno, quia non est per se beatus. Sic ergo possumus concedere; quod licet idem absolutum sit in anima (nempe charitas), per quod anima diligit Deum, ut objectum; & per quod acceptatur speciali acceptatione à Deo & ordinatur ad beatitudinem, tamen alia & alia ratio (seu formalitas) est in isto absoluto, in quantum (uno modo) sic, & (alio modo) sic respicit Deum. Et una ratio, nempe prima, scilicet principalis, competit sibi, in qnantum est perfectio simpliciter; alia ratio, (nempe secunda) competit sibi ut est perfectio limitata. Et ita appropriatè secundum primam est cbaritas; quoad secundam dicitur gratia, & sic omnis gratia est charitas, licet non è converso. Nec tamen ista distinctio rationum, vel non-convertibilitas concludit, quod, ubi concurrunt in eadem anima gratia & charitas, quod sint distincta secundum formam. Sicut licet sapientia lit perfectio simpliciter, & sapientia talis (in Petro vel Paulo) sit perfectio limitata, ubi tamen concurrunt, non sequitur, quod hæc ab illa sit distincta secundum formam; & tamen sunt distincta formaliter. Differunt et-

„iam

„iam (charitas & gratia) in ratione connotati. „Quia illud absolutum (nempe amor) potest „considerari, ut est habenti principium operan„di. Et sic non dicit imperfectionem, &potest „esse in Deo, & dicitur charitas. Potest etiam „considerari, ut est objectum Dei in me, prout „Deus habet me gratum, & sic dicitur gratia. „Est tamen idem re." Ex his omnibus sequitur, quod juxta Scotum gratia sanctificans sit realiter idem, ac *ordo* ad beatitudinem supernaturalem, realiter identificatus cum amore actuali vel habituali *materialiter perfecto*. Dico, *perfecto*, quia Scotus hoc loco expresse advertit, quod non omnis *charitas* sit gratia, quia videlicet non omnis charitas ad eam perfectionem materialem, videlicet actus extensionem & intensionem virium pertingit, ut acceptetur à Deo per ordinem realem impressum ad beatitudinem supernaturalem.

VII. *Durandus*, *Henricus*, *Mayro*, *Scotistæ* cum *Higuæo*, *Bellarminus* l. 1. de gratia, *Salmeron*, *Lessius*, *Molina*, *Estius*, *Tournelius*, & plures alii docent, quod gratia sanctificans identificetur cum charitate, qua homo amat Deum actualiter vel habitualiter. Ergo in eorum sententia gratia sanctificans non potest consistere nisi in relatione essentiali seu ordine reali Spiritus Sancti ad animam, & animæ ad Spiritum Sanctum tanquam charitatis principium & finem beatificum, seu in unione reali inter Spiritum Sanctum & animam. Charitas enim ex suo genere, præsertim imperfecta, cum possit dari etiam in statu puræ naturæ, nisi superaddatur à Deo ordo ad finem supernaturalem, non reddit hominem Deo acceptum in ordine ad intimam amicitiam & filiationem. Omnium horum authorum sententia paucis constringitur & probatur à *Durando* in 2. Sent. dist. 26. q. 1. his verbis: „Supposito quod gratia sit „aliquid creatum in anima, oportet, quod gra„tia sit idem realiter cum virtute non quacunque, „sed cum charitate, quæ dat operibus efficaciam „merendi. Quod patet dupliciter. Primo, quia „quæ differunt per essentiam, possunt virtute „divina separari. Sed gratia & charitas nullo „modo separari possunt, ita ut sit alterum sine „altero. Alioquin sequeretur, quod idem homo „salvaretur & non salvaretur. Quia decedens in „finali gratia salvaretur; decedens vero sine cha„ritate non salvaretur. Secundo, quorum est „unus & idem actus non solum concomitativè, „sed per essentiam, illa sunt unum essentialiter, „& non solum per concomitantiam. Sed gratiæ „& charitatis est unus & idem actus non solum „concomitative, sed per essentiam. Ergo. *Min.* „*prob.* Gratiæ & similiter charitatis est duplex „actus. Primus consistit in informatione & de„nominatione subjecti. Et hic est quoad gratiam „facere Deo gratum, & quoad charitatem facere „Deo charum. Manifestum est autem, quod „hæc duo sunt unum, nec differunt nisi solo no„mine. Alius est reddere opus meritorium. Et „in isto similiter conveniunt. Et hoc videtur „sentire Apostolus, qui utrique eosdem actus „tribuit, scilicet dare esse spirituale, & proficere „ad opus meritorium. 1. Cor. 13. & 15. Ad „idem facit, quo *charis* in græco est idem quod „gratia in latino.„ Ita Durandus, & authores citati, quorum ratiocinium verum esset, si omnis charitas etiam imperfecta, quæ in Sacramento pœnitentiæ sufficit ad justificationem, esset justificativa. Cum autem hoc non possit admitti, ad salvandam saltem horum authorum mentem quoad substantiam doctrinæ cum D. Thoma quidem asserendum est, gratiam sanctificantem realiter distingui ab amore hominis erga Deum actuali vel habituali, eam tamen consistere in unione reali reciproca inter Spiritum Sanctum & animam, seu in ordine reali impresso divinitus ad actus amoris amicitiæ erga Deum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Communis sententia Theologorum docet, quod gratia sanctificans consistat in qualitate absoluta, non vero in entitate modali, vel in entitate relativa unius ad aliud. Ergo non potest dici, quod gratia sanctificans consistat in unione reali reciproca inter Spiritum Sanctum & animam.

Respondeo. n. 2. Theologi enim veteres, & insigniores ex recentioribus non exprimunt, an illa qualitas, in qua consistit gratia sanctificans, sit qualitas *absoluta* vel qualitas relativa, imo plerique ex iis potius insinuant, quod ex suo genere potius sit qualitas relativa, utpote versans in genere *potentiæ* & *habilitationis*, prout docet S. Thomas. Imo is expresse negat, quod gratia habeat propriam rationem habitus ejusmodi, qualis continetur in prædicamentis. Deinde authores, qui gratiam sanctificantem identificant cum charitate, omnes, excepto solo Durando, eam à charitate distinguunt saltem formaliter, ita ut in suo formali conceptu dicat saltem aliquod esse relativum per modum unionis, ordinis, & activitatis ad actus supernaturales.

Respondeo 3. transmisso, quod sæculo præterito ea sententia invaluerit, quæ gratiam sanctificantem constituit in qualitate absoluta, fatentur tamen ipsimet Theologi, hanc sententiam neque ex Scriptura, neque ex traditione stabiliri posse. *Vasquez* q. 198. c. 3. examinans, utrum gratia recipiatur in essentia animæ vel in ejus potentiis, quæ sunt aliquid relativum ad actus. n. 12. ait: „Præsens controversia levioris sane mo„menti est, quam recentiores nonnulli Theologi „existimarunt, neque ulla ex prædictis opinioni„bus, quantumvis authores illarum reclament, „quidquam fundamenti habet aut in Sacra Scri„ptura, aut in Conciliorum & Patrum doctrina. „Quocirca parum referre in hac quæstione hoc „aut illo modo opinari, dummodo concedamus „cum Schola Theologorum, in ipsa justificatione „infundi habitum, quo emundemur à peccatis, „& quo diligamus Deum super omnia. *Et n.* 17. „Fateor, nullam efficacem rationem & causam „subesse, ut asseramus, hos habitus (gratiæ & „charitatis) re distingui, cum omnia, quæ de „gratia & charitate dicuntur, in unum & eundem „habitum recte convenire possint. Et ideo pro„babile mihi videtur, asserere, esse unum & eun„dem habitum, præsertim, cum negare non „possimus, ipsam charitatem ex se idoneam esse „for-

„formam justificationis nostræ.„ Ex his patet, Vasquezium propendere in eam sententiam, quod gratia sanctificans habeat suum esse in potentiis, & consequenter, cum potentiæ in suo formali conceptu dicant aliquid relativum, seu ordinem realem activum ad actus, etiam gratia sanctificans dicit tale esse relativum. *Idem*, quod bene notandum est, q. 203. c. 3. n. 19. asserit, hominem probabiliter justificari per actum dilectionis supernaturalis. Sic scribit: „Probabilis sententia „mihi visa est, tam solo actu contritionis & dilectionis Dei super omnia, qui ex auxilio super„naturali procedat, quam habitu sine nova alia „gratia & condonatione justificari posse homi„nem; ac proinde hactenus ab Ecclesia definitum „non esse, adultum extra Sacramentum solo ha„bitu justificari, tametsi communis & probabi„lior opinio sit, justificationem tam adulti quam „parvuli sive in Sacramento, sive extra de facto „fieri per habitum permanentem. Porro autem „ab Ecclesia definitum non esse id, quod dixi„mus, probare conabor authoritate eorum Scho„lasticorum, qui id expresse docuerunt.„ Dein recenset Vasquez plurimos Theologos sui & anterioris temporis, qui idipsum sæculo 16. & 17. docuerunt. *Capite* 4. ex testimoniis Patrum solide confirmat. Inter Theologos bujus sententiæ recensetur ab illo 1. *Dominus Sotus*. 2. *Melchior Canus*. 3. *Stapletonus*. 4. *Jansenius Episcopus Gandavensis* c. 46. Concordiæ Evangelicæ. 5. *Albertus Pigbius*. 6. *Hosius Cardinalis* in Confess. Cath. c. 75. 7. *Caspar Cassalius* de justitia p. 1. c. 16. 8. *Cajetanus* Cardinalis. 9. *Bartholomæus Medina*. 10. *Paludanus*. 11. *Ruardus Tapperus*. 12. *Richardus* in quartum sent. 13. *Tostatus* in c. 17. Gen. 14. *Scotus*. 15. *Gabriel Biel*. 16. *Gregorius Arimin*. 17. *Okamus*. 18. *Joannes Vincentius* Ord. Præd. & Professor Salmant. in l. de gratia. q. 1. 19. *Ludovicus Montensino*. 20. *Franciscus Espinosa*. 21. *Franciscus Martinez*. 22. *Hieronymus Almonacir*. 23. *Ludovicus Tena*. 24. *Palacios*. 25. *Thomas de Guzman*. 26. *Martinus Gutierez*. 27. *Didacus Granero*. 28. *Michael de Benavides*. 29. *Alphonsus Deza*, quorum posteriores decem à Vasquezio anno 1593. consulti huic sententiæ accesserunt. Ut vero saltem aliquorum testimonia adducam; in hanc classem veniunt. 1. *Dominicus Soto* in 4. dist. 1. ubi q. 3. a. 1. scribit: „Qui intelligere cupit, quomodo „Sacramenta conferant gratiam, id primum con„stituat, oportet, fingendo nullam ejusmodi „qualitatem esse necessariam. Nam profecto „Patres nunquam de illa disputare cogitarunt. „Imo res est non adeo antiqua. Sed hoc tan„tum à tempore Apostolorum docti, docere post„modum posteros contendebant, quod Sacra„menta novæ legis in hoc sensu gratiam confer„rent, quod homines facerent Dei amicos, sive „per qualitatem id fiat, sive sine illa, ut inter „homines accidit.

Idem in 3. dist. 6. q. 1. a. 3. Conclus. 2. docet, hanc propositionem: *baptizatis infundi gratiam*, habere duplicem sensum. „Unum, quod fiunt „Deo grati. Et hic semper fuit habitus tanquam „fides catholica. Alter vero sensus est, quod „illa gratia sit qualitas ab homine distincta, di„vinitus concreata, qua fiat homo gratus, sicuti „est habitus scientiæ & virtutis aquisitæ. Et „hic sensus non est tanquam de fide usque adeo „antiquus; quoniam nec tam plane ex sacra pa„gina colligitur. Nam ut dist. 1. q. 3. explica„vimus, nihil repugnat, hominem esse Deo gra„tum absque aliqua sibi inhærente qualitate, „sicut ego gratus sum amico, eo solum, quod „diligor ab illo.„ Eadem postea docet de virtutum Theologicarum habitibus.

2. *Melchior Canus* loc. Theol. l. 7. c. 2. Disputationes Theologicas in duo genera dividit. „Unum earum rerum, quæ vere ad fidem spe„ctant. Alterum earum rerum, quæ citra jactu„ram pietatis ignorari non ab imperitis modo, „verum etiam à Doctis possunt, quod nec fidei „dogmata sunt, nec ex illis derivantur. An „gratia, qua justificamur, qualitas quædam sit „animo impressa, unde qualitates aliæ conse„quantur, hoc est, virtutes quædam tum Theo„logiæ, tum morales infusæ, per quas animus „divinas & supernaturales habeat actiones, inter „Scholasticos disputatur. Item, an Sacramen„ta, quæ causæ gratiæ & virtutum esse dicun„tur, hujusmodi effecta vi quadam & qualitate „inexistente divinitus indita efficiant. Hujus„modi vero generis quæstiones in posteriorum „ego numerum redigo, neque sacrarum Litera„rum testimonia de his qualitatibus intelligenda „esse existimo; neque controversiam Catholico„rum cum Pelagianis de gratia ad credendum, „ad sperandum, ad amandum, ad implendum „legem, ad perseverandum, de qualitatibus po„tissimum esse; sed de Dei auxilio gratuito & „speciali.„ Eadem repetit Canus releƈt. 4. de Sacramentis post conclus. 5.

3. *Bartholomæus Medina* primariæ cathedræ Salmanticensis professor in 1. 2. q. 110. a. 2. sic scribit: „Non est certum secundum doctrinam „fidei, quod gratia sit habitus infusus in ani„ma inhærens. Nam hoc non colligitur ex „sacris Litteris, neque ex traditione Ec„clesiastica, neque ex definitionibus Con„ciliorum. Et Concilium Tridentinum lo„cis supra commemoratis, ut recte admonet „doctissimus Pater Soto lib. 2. de nat. & grat. „cap. 18. consulto abstinuit à nomine habitus, „sed tantum definivit, hominem justificari per „justitiam diffusam in cordibus nostris, quæ illi „inhæreat. *Et paulo post*. Illud etiam adver„tendum, quod illa justitia interior, & inhærens, „& illa mutatio voluntatis, qua peccator ex „pravo fit rectus, potest fieri duobus modis. „Uno modo per infusionem alicujus qualitatis „supernaturalis in animam. Alio modo potest „fieri à Deo sine infusione alicujus qualitatis per„manentis, sed per solam actualem motionem „divini auxilii, quod auxilium sua efficacia con„vertit animum hominis à pravitate ad rectitu„dinem. Utrum vero Deus efficiat hanc inte„riorem renovationem per aliquam qualitatem „permanentem, & infusam; vel potius per so„lam motionem actualis auxilii divini, Conci„lium Tridentinum non definit. Non enim illa „quæstio pertinuit ad id, quod erat propositum

„ in Concilio.„ Ita Medina. Idem q. 51. & in q. 62. a. 1. reddit rationes, ob quas non est necessarium, ejusmodi habitus animis infundi.

4. *Thomas Stapletonus*, de Ecclesia optime meritus l. 5. de justificatione c. 8. format nonnullas quæstiones v. g. quid sit illud, quo nobis inhærente formaliter justificamur? an habitus virtutum infusi, atque in nobis fixi, & immanentes? an motiones animi rectæ & continuæ? An neutrum horum, sed rectitudo tantum superiorum partium intellectus & voluntatis? Utrum justitia, qua formaliter justi sumus, sit observatio legis ex fide facta? an novitas intus operans? Quas se prætererire dicit, quia sunt Scholasticæ, & ab hæreticis non controversæ, ac ideo nec olim, nec nunc à Concilio Tridentino definitæ. „De his, *inquit*, quæstionibus ad præsens institutum non pertinet, accurate aliquid determinare. Sunt enim magis „ Scholastice, quam hodie controversæ, & de „ quibus propterea, cum nihil in alteram partem „ vel olim vel nunc in Concilio Tridentino Ecclesia definierit; (nam quod unumquemque „ suam justitiam in se recipere secundum mensuram, quæ etiam singulis inhæret, propter dona infusa, Patres Tridentini docent, illud in „ quacunque prædictarum opinionum sententia „ aliquo modo verificari potest) non est magnopere cum hæreticis litigandum.

5. *Ludovicus Molina* Disput. 15. de concordia gratiæ & liberi arbitrii scribit: „Priscis temporibus in Patribus ex Scripturis lux magna „ fuerat, quousque vires arbitrii nostri se extenderent ad ea, quæ sunt ad salutem necessaria, „ sive tanquam vitæ æternæ merita, sive tanquam „ proximæ vel remotæ dispositiones ad justitiam, „ amicitiamque cum Deo comparandam, sive „ etiam ad perseverandum in gratia, legemque „ implendam. At vero utrum ejusmodi dispositionis rationes formales haberent supernaturales, ut re ipsa habent, an solum supernaturali „ ope essent elicitæ, in se vero essent naturales, „ neque erat satis cognitum, neque forte in controversiam vocatum. Hæc ita habere, satis „ pro comperto habebit, qui Patres antiquos, „ Conciliaque antiqua evolverit, atque Ecclesiæ „ decursum his mille centum anteactis annis consideravit.„ *Morinus*, qui l. 8. de pœnit. c. 7. & ipse n. 12. fatetur; *se in authoribus Ecclesiasticis nihil de ejusmodi subtilitatibus circa habitus infusos reperisse*; in testes etiam præter enumeratos adducit *Ruardum Tapperum*, *Albertum Pighium*, & *Joannem Vincentium Dominicanum*, quorum posterior l. de gratia Christi Concluſ. 6. docet, hominem justificari posse per solum actum charitatis, dummodo hic actus charitatis contra Baium afferatur supernaturalis, ita ut dici possit infusus à Deo, etiamsi non daretur habitus infusus permanens. „ Est advertendum, *inquit*, quod ejusmodi supernaturalis immutatio (per justificationem) „ in adultis fit per proprium eorum actum, videlicet per actum charitatis, & dilectionis Dei „ super omnia. Et existimo, quanquam non „ nulli ex novioribus Theologis contradicant, „ quod ipse charitatis actus ex propria sui natura „ vim habeat efficiendi immutationem prædictam „ in voluntate creata, cujus ratione voluntas, „ etiamsi Deus ei non infunderet habitum charitatis, habitualiter maneret conversa in Deum.„ Sic isti authores.

DICES I. Suarez de Gratia l. 6. c. 2. n. 6. vocat hanc doctrinam *perniciosam*, & *periculosam*. Ergo non est tenenda. Sic scribit: „Quidam putant, „ ea quæ à Conciliis dicuntur de gratia inhærente „ sufficienter salvari posse per nescio quam relationem realem ad Deum, vel specialis similitudinis ad ipsum, vel filiationis adoptivæ ad eundem. Quia his modis solet gratia in Scripturis „ significari, cum tamen relationem significent, „ quam Deus homini immediate conferre sine „ prævia entitate absoluta. Quam sententiam „ prorsus inintelligibilem judico, & perniciosam, „ ac periculosam, quia solum ad eludenda concilia excogitata videtur.

RESPONDEO. n. a. Suarez enim loquitur de pura relatione, quæ nec reperit prævium effectum gratiæ ante se, in quo fundetur, nec ponit effectum post se. Nos autem loquimur de entitate modali, nempe de unione, ordine, seu activitate supernaturali, quæ sit activa, & physice determinet & influat ad omnes actus virtutum supernaturalium, realiter identificetur cum qualitate absoluta exornativa animæ, tanquam gratiæ proprietate & effectu metaphysico. Ipsemet Suarezius l. cc. c. 13. n. 14. admittit; quod gratia sanctificans efficienter influat in omnes actus supernaturales: *Addo*, inquit, *mihi esse valde probabile, gratiam hanc habitualem habere influxum activum in omnes actus supernaturales tam via quam patria*. Nil obstat; eam activitatem esse ipsum formale constitutivum gratiæ. Id non posse rejici à Suarezio tanquam *perniciosum* aut *periculosum* exinde probo, quia ipsamet concedit, eam sententiam esse valde probabilem, quod gratia sanctificans realiter identificetur cum virtute charitatis, in qua suppositione ab authoribus gratia nil aliud est, quam activitas quædam ad actus supernaturales, seu ordo, & unio activa Spiritus Sancti ad actus vitales supernaturales, prout superius ex ipsis fontibus, seu authoribus hujus sententiæ explicatum. Suarez l. cc. c. 11. n. 2. & qq. & c. 12. n. 1. & 2. de hac re sic loquitur: „ In hoc puncto, an gratia sanctificans distinguatur realiter à virtutibus & specialiter à charitate, prima sententia est, gratiam non esse aliam „ formam, nisi charitatem; ac proinde in donis „ infusis nullum esse ex vi justificationis præter „ ea, quæ ad aliquod genus operationis immediate ordinantur. Ita Alensis, Richardus, Durandus, Scotus, Gabriel, Major, Bassolus, „ Marsilius, Vega, Bellarminus, &c. Primum „ hujus sententiæ fundamentum est &c. - - Atque hæc sunt motiva, quæ opinionem hanc „ sine dubio faciunt valde probabilem. Sententiam tamen, quod gratia sit realiter distincta à „ charitate præferendam censemus. - - Difficile „ autem est, sententiam hanc ex Scriptura, Conciliis, aut Patribus ostendere.„ In hoc textu Suarez fatetur, eam sententiam esse valde probabilem quæ gratiam sanctificantem cum charitate identificat, ejusque oppositum difficulter ex Scriptura,

ptura, Concilis & Patribus probari posse; cum ergo cum charitate nullus autborum somniaverit identificari qualitatem aliquam absolutam, seu perfectionem, quæ in suo conceptu formali non dicat esse relativum, quale ens absolutum est quantitas, color, lux. &c. non potest Suarezius *pernitiosam* aut *periculosam* vocare eam sententiam, quæ asserit, gratiam sanctificantem consistere formaliter in *unione reali operativa*, seu in *ordine activo* ad actus supernaturales.

Dices 2. Suarezius ex eo, quod gratia sanctificans non consistat in nuda *relatione reali* statim infert, quod consistat in *qualitate absoluta.* Sic enim l. cc. c. 2. n. 7. ratiocinatur: *Dico igitur, gratiam non posse esse relationem, sed entitatem absolutam.* Ergo omnem sententiam, quæ non admittit, quod gratia consistat in qualitate absoluta, habet pro *pernitiosa* & *periculosa.*

Respondeo. dist. a. Suarezius sic ratiocinatur ex principiis Philosophiæ necdum satis digestæ. c. conformiter ad principia Philosophiæ exactæ. n. Suarezius in præfatione suæ *Philosophiæ* seu *Metaphysicæ*, ut vocat, fatetur, se primum adorsum esse scribere Philosophiam, postquam jam sua Commentaria in tertiam partem Summæ ediderat; exinde enim se advertisse, quam necessario Philosophia Theologiam præeat. Itaque Suarezius in sua Theologia sequebatur communem divisionem prædicamentorum, in qua entitatibus modalibus necdum speciale loculamentum assignatum fuerat, ita ut entia modalia ac etiam relativa ad aliud, qualia sunt *unio*, *activitas*, *potentia agendi*, *ordo activus* unius ad aliud, quamvis in suo formali importent ens totaliter relativum, in classem reliquorum prædicamentorum referri debuerint, prout fatetur in Metaphysica Disput. 32. Sect. 1. Exinde factum est, cum ab Aristotele etiam *potentia agendi*, ac *potentialitas*, ad genus qualitatis relata sit, etiam Suarezius potentiam activam ad genus *accidentis absoluti*, seu *qualitatis absolutæ* retulerit. Sic enim in sua Metaphysica Disput. 42. Sect. 1. n. IV. & V. scribit: „Aristoteles dixit, omnino id, quod „ præter quantitatem in substantia inest, esse qua„ litatem; quamvis enim ille de numeris specia„ liter loquatur, nos id possumus extendere ad „ omnes substantiæ qualitates subintelligendo „ omne id absolutum, quod inest in substantia „ secundum se & in esse quieto, & perfecto, esse „ qualitatem. - - Qualitas ergo esse videtur ac„ cidens absolutum, adjunctum substantiæ creatæ „ ad complementum perfectionis ejus tam in ex„ istendo, quam in agendo. - - - Hinc exponi „ potest, cur qualitas dicatur consequi formam. „ Nam quia forma confert principalem vim agen„ di, qualitas adjungitur ad complementum per„ fectionis (seu virtutis agendi. - -) Rursus „ juxta hanc rationem intelligitur, cum dicitur „ qualitas esse modus substantiæ.„ Ex his patet, *virtutem activam* à Suarezio vocari in hoc sensu *qualitatem absolutam*, seu *accidens absolutum*, licet exacte loquendo in suo conceptu formali sit entitas vel perfectio relativa. Itaque quoad substantiam rei non repugnat Suarezio, si dicatur, gratiam sanctificantem formaliter consistere in unione reali operativa Spiritus Sancti ad animam, seu potius in ordine reali ad actus supernaturales, animæ impresso divinitus in justificatione, qui ordo à me vocatur entitas modalis, à Suarezio qualitas absoluta. Certe juxta meam Philosophiam & juxta D. Augustinum omnis activitas creaturarum consistit in *ordine existendi* rebus impresso. Itaque etiam activitas animæ supernaturalis ad actus supernaturales consistit in ordine divinitus animæ impresso ad actus & finem supernaturalem. Accedit, quod in sensu reali etiam juxta nos gratia sit qualitas absoluta exornativa animæ.

Dices 3. Saltem nullus Theologorum hoc tempore ostendi potest, qui utatur hoc modo loquendi, quod gratia sanctificans consistat in unione reali Spiritus Sancti cum anima.

Respondeo. n. a. Nam *P. Josephus Maria Platinâ* Ord. Min. Convent. & Primarius Professor Theologiæ in Universitate Patavina in *Parte I. Prælectionum Theologicarum Dissert. V. quæst. tertia* edita Bononiæ anno 1738. gratiam sanctificantem constituit in *substantiva præsentia* seu unione Spiritus Sancti ad animam. Ibi sic scribit: „Con„ troversiæ cardo in hoc est, an Patres Legis Ve„ teris non modo gratiam Spiritus Sancti per effi„ cientiam qualitatis eorum animis inhærentis, „ qua in Dei amicitiam revocati sint; verum etiam „ ipsam Spiritus Sancti substantiam receperint, „ quæ est veluti forma adoptionis filiorum Dei. „ Conclusio. Nullus ex Sanctis Legis Veteris „ substantivam Spiritus Sancti gratiam recepit. „ Hoc discrimen est, quod nos inter & Sanctos „ T. V. ponit Apostolus. Quamobrem nos non „ modo per gratiam sanctificantem in Dei amici„ tiam evehimur, ut amici, verum etiam ut fi„ lii. - - Cum oravit Christus, ut ii, qui in eum „ crediturì erant, fierent unum, id fecit, non „ modo ut eis conferretur gratia sanctificans, sed „ etiam substantiva Spiritus Sancti præsentia, per „ quam veluti adoptionis formam, filiorum Dei „ dignitatem reciperemus. - - Qua in re non „ est putandum, substantivam Spiritus Sancti in „ nobis inhabitationem non habere annexam gra„ tiam sanctificantem per modum qualitatis ani„ mis nostris inhærentem, sed ad hanc accedere „ novam substantivam Spiritus Sancti præsentiam, „ per quam adoptionem filiorum Dei recipimus, „ quæ Sanctis ante Christum communicata non „ est. - - *Urgebis:* Conjunctio Spiritus Sancti „ cum animis neque imitatur unionem animæ „ cum corpore, neque unionem Verbi cum car„ ne; quo ergo modo substantialiter nobis con„ jungitur? *Responsio P. Platinæ est ista:* Non „ inficias imus, diversam esse rationem conjun„ ctionis substantivæ Spiritus Sancti nobiscum à „ conjunctione animæ cum corpore & Verbi cum „ carne. - - Is honor nobis contingit non per „ unitionem substantivam (in unitatem substan„ tiæ ac personæ) sed per aliam, quam scimus, „ sed enarrare non possumus.„ Quam ergo unionem P. Platina non enarrat, dico esse *unionem realem activam*, qua Spiritus Sanctus in genere amantis influit in actus reciprocos amoris & aliarum virtutum, intrinsece tendentes & respicientes ad hære-

hæreditatem filiorum, seu unionem beatificam in patria.

Objicitur 2. Ex una parte Concilium Tridentinum gratiam sanctificantem manifeste distinguit à charitate, ex altera parte Clemens V. expresse docet, gratiam sanctificantem consistere in qualitate. Ergo dicendum est, quod formaliter consistat in qualitate absoluta. *Ant. prob.* Tridentinum Sess. 6. c. 7. sic habet: *In justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem.* Ergo cum remissio peccatorum fiat per gratiam sanctificantem, ea distinguitur à charitate. Et Can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, anathema sit.* In hoc Canone charitas & gratia manifeste distinguuntur. Clemens V. vero in Concilio Viennensi, relatus c. un. de Summa Trinit. sic habet: „Quia quantum ad „ effectum baptismi in parvulis reperiuntur Do„ ctores quidam Theologi opiniones contrarias „ habuisse; quibusdam ex ipsis dicentibus, per „ virtutem baptismi parvulis quidem culpam re„ mitti, sed gratiam non conferri; aliis e contra „ asserentibus, quod & culpa eisdem in baptismo „ remittitur, & virtutes, ac informans gratia in„ funduntur. Nos opinionem secundam, quæ „ dicit, tam parvulis quam adultis conferri in „ baptismo informantem gratiam & virtutes, tan„ quam probabiliorem & dictis Sanctorum & Do„ ctorum modernorum Theologiæ consonam & „ cordem sacro approbante Concilio duximus „ eligendam.

Respondeo. tr. a. n. c. aliud enim est, quod gratia sanctificans consistat in *qualitate*, & aliud, quod consistat in *qualitate absoluta* prout ad *Object.* 2. *Dices* 2. ostensum est. Illa *unio realis* seu *Ordo realis activus*, in quo constituo gratiam sanctificantem, est quidem qualitas, sed formaliter *non absoluta*, nisi *late loquendo*, prout hunc terminum sumpsit & explicavit Suarezius loco citato. Dixi *transeat*, quia *Andreas Vega*, qui interfuit Concilio Tridentino, in l. *de justificatione*, fuse & solide ostendit; mentem Concilii non fuisse, vel minimum præjudicium inferendi Scholæ Scotisticæ, identificantis gratiam sanctificantem cum charitate. Itaque ubi Tridentinum de charitate & gratia videtur loqui tanquam de diversis, intelligi de formaliter diversis Scotistæ affirmant, quorum sententiam probabilem esse cum Suarezio & Vasquezio plurimi concedunt.

Dices: In Catechismo Concilii Tridentini dicitur; gratiam sanctificantem consistere in qualitate inhærente, idque in ipso Concilio fuisse definitum. Ergo est qualitas absoluta. *Ant. prob.* Catechismus part. 2. c. 2. de baptismo. n. 38. sic habet: „Ut ad baptismi effectus oratio „ redeat, exponendum erit, hujus Sacramenti „ virtute nos non solum à malis liberari, verum „ etiam eximiis bonis & muneribus augeri. Ani„ mus enim noster divina gratia repletur, qua „ justi & filii Dei effecti æternæ salutis hæredes „ instituimur. Est autem gratia, quemadmo„ dum Tridentina Synodus ab omnibus creden„ dum pœna anathematis proposita decrevit, non „ solum per quam peccatorum fit remissio, sed „ divina qualitas in anima inhærens, ac veluti „ splendor quidam ac lux, quæ animarum nostra„ rum maculas omnes delet, ipsasque animas „ pulchriores & splendidiores reddit.

Respondeo. c. a. dist. c. Ergo est qualitas absoluta late dicta & in acceptione logica, prout explicatur à Suarezio vel *realiter* spectata. c. in rigore prout hic terminus in suo conceptu formali importat ens non relativum ad aliud n. Si dicas, à Catechismo Romano gratiam sanctificantem vocari *quasi splendorem* & *lucem*; atqui ista sunt qualitates absolutæ etiam in rigore physico. Ergo & gratia.

Respondeo. dist. gratia est *quasi* splendor ac lux causaliter. c. formaliter. n. Quod enim gratia sanctificans per modum proprietatis causet quandam pulchritudinem vel splendorem in anima, qui effectus se habeant per modum qualitatis absolutæ, & per modum vestis filiorum Dei, conforme est traditioni SS. Patrum. Cum tamen loquendo formaliter prius sit esse gratum & dilectum Deo Patri, antequam induatur filius perditus nova stola filiorum Dei, necesse est, ut ipsa gratia sanctificans sit natura vel ratione prior ad hos accidentales effectus gratiæ, licet in justificatione omnes simul infundantur. Vide dicta in Tract. *de Sacramentis* in Disput. 3. q. 2. ubi actum est de effectu Sacramentorum.

QUÆSTIO VII.

De justificatione per gratiam.

Quæritur 1. An justificatio fiat per formam inhærentem, vel per solam imputationem extrinsecam justitiæ, quæ est in Christo?

Respondeo. Justificatio fit per formam inhærentem. Ita contra Lutheranos & alios Hæreticos definitum est à Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 10. *Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.* Et Can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ CHRISTI, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Et Can. 12. *Si quis dixerit, fidem justificantem nil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.* Cæterum illam formam inhærentem consistere in gratia sanctificante, habitualiter in justis permanente, constat ex dictis quæstione præcedente.

Quæritur 2. An ad justificationem præter gratiam sanctificantem requiratur gratuita acceptatio Dei?

Respondeo. Hanc quæstionem in nostra sententia esse ridiculam, cum juxta nos gratia sanctificans formaliter consistat in unione reali seu ordine activo, quo Deus hominem & ejus

actus

actus ordinat ad finem supernaturalem, seu fruitionem sui beatificam. Cum itaque gratia in hoc sensu sit formalis effectus illius acceptationis internæ, qua Deus acceptat pœnitentiam & conversionem hominis, impossibile est in terminis, dari gratiam sanctificantem, & non dari acceptationem Dei. Eodem modo in nostra sententia superfluum est, quærere, an gratia sanctificans, vel charitas infusa possit stare cum peccato mortali sine remissione peccatorum? Id enim implicat in terminis; quia gratia sanctificans, & charitas infusa Dei ad hominem est effectus formalis illius acceptationis internæ, seu ordinationis divinæ, qua Deus acceptat conversionem hominis, eumque ordinat ad sui fruitionem.

Dixi *effectus acceptationis internæ*, quia in ejusmodi justificatione ex parte Dei datur actus internus liber, quo ordinat hominem ad finem, & qui actus est identificatus cum Deo, prout in Tract. *de Deo* ostendo.

Quæritur 3. An possit dari charitas perfecta sine remissione peccatorum, seu absque justificatione?

Respondeo. Charitas perfecta neque in præsenti statu naturæ elevatæ, neque in ullo alio statu, etiam puræ naturæ, potest dari sine remissione peccatorum. De præsenti statu id evidens fit ex dictis quæst. 3., quia DEUS in præsenti providentia facienti, quod est in se, non denegat gratiam sanctificantem. Hæc autem stare non potest cum peccato mortali, prout patet ex quæstiuncula præcedente. Idem patet ex propositione 31. & 32. Baii damnata. Prior sic habet: „Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia „bona & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine „remissione peccatorum. *Et* 32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper „conjuncta cum remissione peccatorum.

Quæritur 4. An gratia sanctificans subjectetur in essentia animæ vel in potentiis?

Respondeo. A me ex Philosophia supponi, quod essentia animæ & ejus potentiæ realiter non distinguantur. Hinc ista quæstio redundat. Si tamen loquamur in sensu formali, dico, quod formale constitutivum gratiæ pro priori signo rationis respiciat essentiam animæ, quæ unitur Spiritui Sancto, & ordinatur à Spiritu Sancto ad actus supernaturales.

Quæritur 5. An gratia sanctificans creetur, vel educatur ex subjecto?

Respondeo. Gratia sanctificans creatur, in quantum actio conservativa animæ, quæ est continuata actio creativa, terminatur pro hac vel illa differentia temporis ad novum modum essendi in anima. Ita quoad rem docet D. Thomas 1. 2. quæst. 110. a. 2. ad 3. ubi ait: „Omne accidens non dicitur ens, quasi ipsum „esse habeat. Et quia ejus est fieri vel corrumpi, cujus est esse, ideo proprie loquen„do nullum accidens neque fit, neque cor„rumpitur, sed dicitur fieri vel corrumpi, se„cundum quod subjectum incipit vel definit „esse in actu secundum illud accidens. Et se„cundum hoc etiam gratia dicitur creari ex „eo, quod homines secundum ipsam creantur, „id est, in novo esse constituuntur ex nihilo, „id est, non ex meritis, secundum illud ad „Ephes. 2. Creati in Christo JESU in operi„bus bonis.

Quæritur 6. An omnes recipiant æqualem gratiam sanctificantem?

Respondeo. In Sacramentis posita inæquali dispositione suscipientium confertur inæqualis gratia. Id ostensum est in Tractat. de *Sacramentis in genere*, Disputat. VI. & in Tractat. *de Eucharistia*. Extra Sacramentum vero contritis inæquali perfectione charitatis probabilius confertur secundum cursum ordinarium æqualis gratia remissiva peccatorum & tribuens sufficientiam ad operandum supernaturaliter. Extrinsece tamen illa gratia est inæqualis, in quantum melius exerit suas vires in subjecto bene disposito; sicut eadem anima inæqualiter operatur in corpore inæqualiter ad motum disposito.

Quæritur 7. An quis possit esse certus, se esse constitutum in gratia?

Respondeo. De hoc absque speciali revelatione nemo potest esse certus.

Id probatur 1. ex *Eccles.* 9. ubi dicitur: „Sunt justi atque sapientes, & opera eorum „in manu Dei; & tamen nescit homo, utrum „amore an odio dignus sit; sed omnia in fu„turum servantur incerta, eo quod universa „æque eveniant justo & impio, bono & malo, „mundo & immundo.

Probatur 2. ex Apostolo 1. Corinth. 4. v. 3. „Mihi pro minimo est, ut à vobis ju„dicer aut ab humano die; sed neque me„ipsum judico. Nihil enim mihi conscius „sum; sed non in hoc justificatus sum. Qui „autem judicat me, Dominus est. Itaque „nolite ante tempus judicare, quoadusque ve„niat Dominus.

Probatur 3. ex aliis Scripturæ locis v. gr. Psalm. 18. Delicta quis intelligit? „Ab „occultis meis munda me, & ab alienis parce „servo tuo. *Et Proverb.* 14. *v.* 12. Est via, „quæ videtur homini justa; novissima autem „ejus deducunt ad mortem.

Probatur 4. Dantur peccata ignorantiæ vincibilis; prout ostensum est in Tractat. *de Conscientia*, quæst. 1. Ergo nemo potest esse physice aut metaphysice certus sine speciali revelatione saltem interna per lumen divinitus infusum, se esse in gratia. Bellarminus tamen & alii concedunt, certitudinem moralem à justis haberi posse.

Quæritur 8. An DEUS possit peccatorem justificare per condonationem extrinsecam sine infusione gratiæ?

Respondeo. In hac re sunt tres sententiæ. *Prima* id negat; & hujus sententiæ est D. Thomas 1. 2. quæst. 113. a. 2. cum aliis Thomistis. *Secunda* id affirmat. Et hujus sententiæ est D. Bonaventura, Scotus in 4. dist. 19. quæst. 6. cum suis, Suarez, & alii. *Tertia* docet; in statu puræ naturæ posse hominem justificari sine infusione gratiæ, non autem in statu naturæ elevatæ. Ita sentit Bellarminus, & alii.

DICO; in nullo statu potest peccator justificari sine infusione gratiæ proportionatæ ad finem illius status. Et hinc in statu naturæ elevatæ homo non potest post peccatum justificari sine infusione gratiæ intrinsece supernaturalis ordinantis hominem & actus humanos ad finem supernaturalem. In statu autem puræ naturæ homo non potuisset justificari sine infusione gratiæ alicujus entitative naturalis ordinantis hominem ad finem naturalem. Hæc Responsio probatur authoritate & ratione D. Thomæ. Nam l. cc. sic scribit: „Homo peccando DEUM offendit. Offensa autem non „remittitur alicui, nisi per hoc, quod animus offensi pacatur offendenti. Et ideo secundum hoc peccatum nobis remitti dicitur, „quod DEUS nobis pacatur. Quæ quidem „pax consistit in dilectione, qua DEUS diligit nos. Dilectio autem DEI, quantum „est ex parte actus divini, est æterna & immutabilis; sed quantum est ad effectum, „quem nobis imprimit, quandoque interrumpitur, prout scilicet ab ipso aliquando deficimus. Effectus autem divinæ dilectionis in „nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita æterna, à qua „peccatum mortale excludit. Et ideo non „posset intelligi remissio culpæ, si non adesset „infusio gratiæ. *Et ad* 2. Sicut dilectio DEI „non solum consistit in actu voluntatis divinæ, sed etiam importat quendam gratiæ effectum; ita etiam & hoc, quod est DEUM „non imputare peccatum homini importat quendam effectum in ipso, cui peccatum non imputatur. Quod enim alicui peccatum non „imputetur, ex divina dilectione procedit.„ Hi Textus D. Thomæ, quamvis videantur solum respicere ad statum naturæ elevatæ, applicari tamen possunt etiam ad statum naturæ puræ; quia etiam ibi dilectio divina, licet non foret dilectio amicitiæ intimæ, pro objecto habere deberet quendam dilectionis effectum in anima, quo illa anima ordinaretur denuo ad suum finem naturalem. Ille autem ordo novus animæ & ejus actibus bonis impressus esset aliqua species infusæ gratiæ.

Quæritur 9. An peccatum actuale hominis adulti possit à DEO remitti sine ullo actu interno peccatoris per solam infusionem gratiæ?

Respondeo. Non potest remitti sine ullo actu interno. Ita respondet D. Thomas cum suis contra communem Scotistarum, & contra Suarezium multosque alios recentiores; quamvis, quod Scotum attinet, ille in 4. dist. 15. quæst. 1. a. 2. potius videatur sentire cum D. Thoma. Responsio probatur ratione D. Thomæ. Peccatum non potest in statu naturæ, saltem elevatæ, remitti, quin illa dilectio, qua DEUS diligere incipit donatum venia, sit amor amicitiæ. Amor autem amicitiæ erga subjectum capax redamationis non potest dari sine amore reciproco, prout in Tractat. de charitate ostensum est. *D. Thomas* p. 3. q. 86. a. 2. C. dat aliam rationem, quæ tamen ad nostram reduci potest. Observat enim, quod dilectio unius hominis erga alium hominem præsupponat in altero homine bonitatem seu perfectionem quandam dignam amore. Econtra dilectio DEI erga hominem causet bonitatem seu perfectionem dignam amore divino, qualis nulla alia esse potest nisi conversio voluntatis humanæ ad ultimum finem. Ex istis autem sequitur; ad justificationem in præsenti statu naturæ elevatæ absolute esse necessarios actus supernaturales, præsertim fidei & spei; quia voluntas humana non potest per amorem amicitiæ reciprocum respicere finem supernaturalem, nisi mediante fide & spe.

Quæritur 10. An motus contritionis vel dilectionis erga DEUM perfectæ sit prior infusione gratiæ sanctificantis?

Respondeo. Inter motum contritionis seu dilectionis perfectæ, & inter infusionem gratiæ sanctificans datur mutua naturæ prioritas. Ita docet *D. Thomas* 1. 2. quæst. 113. a. 8. Et p. 3. quæst. 85. a. 6. ad 2. & 3. Et p. 3. quæst. 86. a. 6. c. & ad 1. Ratio est; quia in justificatione peccatoris actus pœnitentiæ vel dilectionis se habent instar materiæ ad formam dispositæ; gratia autem sanctificans se habet per modum formæ. Cum ergo detur mutua naturæ prioritas inter materiam & formam in genere causæ materialis & formalis, prout ex Philosophia suppono, etiam dabitur mutua naturæ prioritas inter actus pœnitentis & infusionem gratiæ. D. Thomas p. 3. quæst. 85. a. 6. ad 2. ait: „In motibus successivis recedere „à termino est prius tempore, quam pervenire ad terminum; & prius natura, quantum „est ex parte subjecti, sive secundum ordinem „causæ materialis. Sed secundum ordinem „causæ agentis & finalis prius est pervenire „ad terminum. Hoc enim est, quod primo „agens intendit.„ Et p. 3. quæst. 86. a. 6. C. Actus humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in Sacramento pœnitentiæ. Et 1. 2. quæst. 113. a. 8. ad 2. „Dispositio subjecti præcedit susceptionem formæ ordine naturæ, sequitur tamen actionem agentis, per quam subjectum disponitur; & ideo „motus liberi arbitrii naturæ ordine præcedit „conse-

„ consecutionem gratiæ, sequitur autem gra„ tiæ infusionem.„ Ex hoc manifestum est, quod D. Thomas distinguat *consecutionem* gratiæ, & *infusionem* gratiæ, & *dispositionem* subjecti ad gratiam, & licet ea omnia ponat in uno instanti reali, in iis tamen agnoscat mutuam prioritatem naturæ in diverso genere causarum.

Quæritur 11. Utrum in justificatione impii infusio gratiæ & remissio culpæ sint duo motus seu duæ mutationes?

Respondeo. In hac re est diversa authorum sententia. *Cajetanus* 1. 2. q. 113. a. 6. censet, esse unam mutationem realiter, duas vero ratione distinctas. *Scotus* in 4. dist. 16. q. 2. censet, infusionem gratiæ esse mutationem realem; pulsionem vero culpæ esse mutationem rationis. *Vasquez* Disputat. 204. c. 3. judicat, esse duas mutationes reales, ut sunt generatio & corruptio, necessario tamen inter se connexas. *D. Bonaventura* in 3. dist. 19. q. 1. c. videtur admittere duas mutationes concomitantes, attamen separabiles ab invicem. Dicendum tamen; infusionem gratiæ & remissionem culpæ esse unam eandemque motionem ex parte DEI. Ratio est, quia licet ordine naturæ inter *infusionem* gratiæ & *remissionem culpæ*, quæ se tenent ex parte DEI ac gratiæ, intermedient duo motus liberi arbitrii, nempe motus conversionis in DEUM, & motus aversionis à peccato, hi tamen duo motus realiter in tempore concomitantur unam eandemque actionem DEI infusivam gratiæ & remissivam culpæ, prout magis intelligetur ex textu D. Thomæ proxime referendo.

Quæritur 12. Utrum in justificatione impii prior sit infusio gratiæ, quam remissio culpæ?

Respondeo. Si infusio gratiæ, & remissio culpæ considerentur active tantum ex parte DEI, sic infusio gratiæ est prior remissione culpæ solum prioritate rationis. Si autem infusio gratiæ consideretur ex parte DEI active, & remissio culpæ consideretur passive ex parte animæ, sic infusio gratiæ est natura prior ad remissionem culpæ. Ita quoad rem docet S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 8. C. his verbis: „ Dicendum, quod prædicta quatuor (aversio „ voluntatis à peccato, conversio mentis in „ DEUM, infusio gratiæ, & remissio culpæ) „ quæ requiruntur ad justificationem impii, „ tempore quidem sunt simul; quia justificatio „ impii non est successiva: Sed ordine naturæ „ unum eorum est prius altero. Et inter ea „ naturali ordine *primum* est gratiæ infusio; *se„ cundum* motus liberi arbitrii in DEUM; *ter„ tium* est motus liberi arbitrii in peccatum; „ *quartum* est remissio culpæ. Cujus ratio est, „ quia in quolibet motu naturaliter primum „ est motio ipsius moventis. Secundum au„ tem est dispositio materiæ, sive motus ipsius „ mobilis. Ultimum vero est finis vel termi„ nus motus, ad quem terminatur motio mo„ ventis. Ipsa igitur DEI moventis motio est „ gratiæ infusio. Motus autem vel dispositio „ mobilis est duplex. Motus liberi arbitrii ter„ minus autem, vel finis motus, est remissio „ culpæ. Et ideo naturali ordine primum in „ justificatione impii est gratiæ infusio; secun„ dum est motus liberi arbitrii in DEUM; „ tertium vero est motus liberi arbitrii in pec„ catum. Propter hoc enim ille, qui justifi„ catur, detestatur peccatum, quia est contra „ Deum. Unde motus liberi arbitrii in Deum „ præcedit naturaliter motum liberi arbitrii (ju„ stificationi sufficientem) in peccatum, cum „ sit causa & ratio ejus. Quartum vero & ul„ timum est remissio culpæ, ad quam tota ista „ transmutatio ordinatur sicut ad finem.

Et ad 1. „Dicendum, quod recessus à ter„ mino, & accessus ad terminum dupliciter „ considerari potest. Uno modo ex parte mo„ bilis, & sic naturaliter recessus à termino „ præcedit accessum ad terminum. Prius enim „ est in (præexistente) subjecto mobili oppo„ situm, quod abjicitur, & postmodum est „ id, quod per motum assequitur mobile. Sed „ ex parte agentis est e converso. Agens enim „ per formam, quæ in eo præexistit, agit ad „ removendum contrarium. Sicut sol per suam „ lucem agit ad removendum tenebras. Et „ ideo ex parte solis prius est illuminare, quam „ tenebras removere. Ex parte autem aeris „ illuminandi prius est purgari à tenebris, quam „ consequi lumen ordine naturæ, licet utrum„ que sit simul tempore. Et quia infusio gra„ tiæ & remissio culpæ dicuntur ex parte DEI „ justificantis, ideo ordine naturæ prior est in„ fusio gratiæ, quam culpæ remissio. Sed si „ sumantur, quæ sunt ex parte hominis justi„ ficati, est e converso. Nam prius est ordine „ naturæ liberatio à culpa, quam consecutio „ gratiæ justificantis. Vel potest dici, quod „ termini justificationis sunt culpa sicut à quo, „ & justitia sicut ad quem. Gratia vero est „ causa remissionis culpæ & adeptionis justi„ tiæ.

Et ad 2. „Dicendum, quod dispositio sub„ jecti præcedit susceptionem formæ ordine na„ turæ, sequitur tamen actionem agentis, per „ quam etiam ipsum subjectum disponitur; & „ ideo motus liberi arbitrii naturæ ordine præ„ cedit consecutionem gratiæ, sequitur autem „ gratiæ infusionem.„ Hucusque S. Thomas. Ex his autem evidenter sequitur, quod si sol simul crearet aerem, utut de se non luminosum, & simul infunderet lucem, aer ille in nullo reali instanti temporis foret destitutus luce, licet pro priori naturæ haberet debitum subeundi tenebras, nisi statim in primo reali instanti simul infunderetur lumen.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Merito per gratiam.

QUÆRITUR 1. An omnia opera, quæ non fiunt per gratiam, sint peccata?

RESPONDEO. Negative. Opera enim moraliter bona ex suo genere, v. gr. reverentia erga parentes, justitia in servandis contractibus &c. si fiant à peccatore, hæretico, vel infideli, non sunt peccata, licet habeant concomitantem omissionem efficacis ordinationis ad finem ultimum. Ea enim concomitans omissio est tantum peccatum habituale, nisi supponatur ea sententia, quod singulis momentis urgeat saltem sub peccato veniali obligatio se constituendi in statu gratiæ, quam sententiam in Tractatu de Pœnitent. amplector. Ex eo tamen, quod omissio concomitans sit peccatum, non sequitur, quod etiam ipsum opus sit peccatum. Sic enim, si quis ob pluviam tempestatem die festo non pergit ad Ecclesiam pro auditione Sacri, si interea oret, det eleemosynam, vel legat pium librum, non ipsa oratio, erogatio eleemosynæ, vel lectio sacra est peccatum, licet concomitans omissio Sacri sit peccatum, prout fuit ostensum in Tractat. de peccatis. Cæterum Responsio patet ex propositionibus damnatis in Baio. Eæ sic habent 7^ma. „Omnis „ humana actio deliberata est DEI dilectio „ vel mundi. Si DEI; charitas patris est. Si „ mundi; concupiscentia carnis, hoc est, mala „ est. *Et* 35^ta. „Omne quod agit peccator, „ vel servitus peccati (si necessario operetur,) „ vel peccatum est. *Et* 25^ta. Omnia opera in„ fidelium sunt peccata, & Philosophorum vir„ tutes sunt vitia. *Et* 38^va. Omnis amor crea„ turæ rationalis aut vitiosa & cupiditas, qua „ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, „ aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum „ Sanctum in corde diffusa DEUS amatur.

QUÆRITUR 2. Quid sit meritum de congruo, & meritum de condigno?

RESPONDEO. Meritum de condigno est, quod simul habet æqualitatem cum præmio in æstimatione prudentum, & simul à præmiante ordinatur ad tale præmium. Meritum vero de congruo est, quod non habet æqualitatem cum præmio, vel non ordinatur à præmiante ad tale præmium. Hoc autem meritum de congruo dividitur in congruum simpliciter ac stricte dictum, & in congruum minus proprie ac late dictum. Meritum de congruo stricte dictum est, quod licet non habeat æqualitatem ad præmium, & ordinationem præmiantis ad præmium, habeat tamen quandam proportionem decentiæ comparativæ ad pietatem præmiantis, cujus honestati repugnat, relinquere tale opus sine præmio. Econtra meritum de congruo late & minus proprie dictum est, quod secundum se independenter à liberrimo Decreto præmiantis nullam habet proportionem ad præmium aut pietatem præmiantis, ita ut sine indecentia antecedenter ad suppositionem Decreti liberi negari posset præmium: est tamen ejus naturæ, ut supposito semel Decreto libero præmiandi immeritos, si conatum adhibeant, reddat operantem minus indispositum vel indignum ad recipiendum præmium, semel statutum gratuito. Quod hæ definitiones bonæ sint, probatur ex eo, quia non potest ex Theologis assignari alia horum terminorum notio, quæ à plerisque vel omnibus recepta sit. Si autem reperitur diversa horum terminorum apud authores explicatio, definitio terminorum illorum, quæ naturæ rerum aliunde perspectæ magis congruat, à nobis electa est.

QUÆRITUR 3. An opera justorum mereantur vitam æternam de condigno?

RESPONDEO. Opera justorum sunt meritoria vitæ æternæ de condigno.

PROBATUR ex variis Scripturæ locis. Sic Lucæ 6. dicitur: *Exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.* Merces autem datur ad æqualitatem pro labore ex justitia. Item Sap. 5. *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Et Apocal. 22. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera ejus.* Et Sapient. 10. *Reddet DEUS justis mercedem laborum suorum.* Et 2. Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi.* In reliquo reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Non solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.

PROBATUR 2. Opera hominis justi in præsenti statu sunt opera filiorum adoptivorum DEI. Sed talia sunt meritoria de condigno, quia dignitas operantis significata per gratiam sanctificantem habet æqualitatem cum præmio, eaque à DEO ordinatur ad præmium.

QUÆRITUR 4. An ad condignitatem meritorum requiratur promissio?

RESPONDEO. In hac re sunt quatuor sententiæ. *Prima* est *Scoti* in 1. Sentent. dist. 17. quæst. 2. Gabrielis, Okami, Guilielmi Parisiensis, & aliorum, qui asserunt, opera justorum ex gratia non habere condignitatem cum præmio; sed totam condignitatem rationemque meriti habere ex pacto & promissione DEI. *Secunda* sententia docet, Opera justorum ex gratia absque ulla promissione vel acceptatione esse condigna vita æterna; ea tamen majorem dignitatem ex meritis Christi sortiri. Pro hac sententia citatur Cajetanus Tom. III. Opuscul. 10. c. 9. *Tertia* sententia condignitatem meritis adscribit ex eo solo, quod ex gratia fiant, etiamsi nullum interveniat pactum; imo meritis ne quidem fieri accessionem condignitatis ex meritis & persona Christi. Pro hac sententia adducitur *D. Thomas* 1. 2. quæst. 114. a. 3. *Richardus* in 2. dist. 27. a. 2. quæst. 3. *Capreolus, Vasquez, Vega. Quarta* sententia asserit, ad con-

condignitatem meritorum duo requiri, nempe dignitatem operum ex gratia, & pactum seu promissionem DEI liberam. Ita docet S. Bonaventura in 2. dist. 27. a. 2. quæst. 3. Valentia, Suarez, & alii.

DICO. Merita puri hominis non habent condignitatem ad ullum præmium, quin ad illud ordinentur à præmiante ad illud præmium.

PROBATUR inprimis ex humanis, quia etiamsi operarius toto die laboret, nullam mereretur de condigno mercedem, nisi conductus sit. Idem patet de pictore, statuario, vel alio artifice, si ejus opera conducta non sit.

PROBATUR 2. Implicat, dari opus factum ex gratia, nisi à gratia ordinetur ad determinatum finem tanquam ad præmium; quia finis, & bonum, & præmium quoad substantiam rei idem sunt. Ergo cum gratia moveat & ordinet ad determinatum præmium, non potest actui sic ordinato deberi ex condigno aliud præmium.

DIXI tamen; *merita hominis puri*. Si enim sermo sit de meritis Christi, qui simul est Deus, ejus condignitas non dependet ex ordinatione alterius, cum operans sit ipsum suipsius coordinans ad præmium, aut certe principium sufficiens alium indirecte movendi ad ordinandum se ad præmium, prout dicetur in Tractat. de Incarnatione.

SI QUIS OBJICIAT 1. Quod Christus Lucæ 10. dicat: Dignus est operarius mercede sua; etiamsi Apostolos seu Discipulos, de quibus loquitur, nemo conduxerit.

2. Si artifex vendendum offerat suum artefactum, omnes hoc modo loquuntur, quod dicant, illud mereri tantum pretium.

RESPONDEO enim *ad* 1. Discipulos conductos esse à cœlesti Patrefamilias, qui habet dominium omnium rerum. Vel esse sermonem de condignitate in actu primo.

Ad 2. dico, aliud esse pretium dignum, aliud præmium de condigno. Pretium enim est compensatorium reciprocæ utilitatis ad æqualitatem, non autem præmium, quod essentialiter est gratuitum.

QUÆRITUR 5. An DEUS remuneret merita justorum supra condignum?

RESPONDEO. Affirmative.

PROBATUR 1. ex propositione 15. Baii damnata, quæ ut habetur in editionibus ordinariis, sic habet: *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem quam justo DEI judicio mereantur accipere.* Asserit quidem *Vasquez* Disputat. 215. c. 4., apud se extare Bullam Manuscriptam, ubi loco hujus termini *mereantur* ponitur hic terminus, *mererentur*, ita ut propositio posset exponi in hoc sensu; *quam mererentur, si non essent informata per gratiam sanctificantem.* Imo hanc lectionem etiam habet *Berlinus* de hæresibus & alii. Si autem propositio foret damnata in hoc sensu, non eoipso foret damnata doctrina *Andreæ Vega* quæst. 5. de justificatione, ubi docet; *DEUM opera justorum dignificata seu informata per gratiam non præmiare ultra condignum.* Verum cum propositio sit indefinita, ac saltem piarum aurium offensiva, videtur esse etiam cum illa explicatione prohibita.

PROBATUR 2. ex variis textibus Scripturæ, in quibus præmium post hanc vitam reddendum affirmatur esse majus meritis nostris, haud dubie factis in gratia. Sic dicitur *Matth.* 5. „Merces vestra copiosa est in cœlo. *Et* „*Lucæ* 6. Mensuram bonam & confertam, & „coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinus „vestros. *Et Rom.* 8. Non sunt condignæ „passiones ad futuram gloriam. *Et Lucæ* 19. „*v.* 17. Venit primus dicens: Domine, Mna „tua decem Mnas aquisivit. Et ait illi: Euge „serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris „potestatem habens super decem civitates.„ Et *Matth.* 25. ubi pari modo non de distributione gratiarum in tempore, sed de sententia finali sermo est, dicitur: *Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam.*

SI QUIS OBJICIAT, quod Patres illam divisionem plurium civitatum & talentorum referant ad distributionem plurium gratiarum in tempore:

RESPONDEO, eam explicationem fieri per extensionem præmii, quod non repugnat, quin significatum primarium sit præmium finale alterius mundi. *Nec etiam obstat* textus Apostoli Roman. 2. *Reddet unicuique secundum opera sua.* Ille enim textus est intelligendus de proportione excessus in præmiando, qui excessus ordinarie est proportionalis merito operum.

QUÆRITUR 6. An damnati puniantur infra condignum?

RESPONDEO. Affirmative. Ita *Vasquez* Disputat 215. Modus tamen probandi non est idem. *Bontempius* qui hanc amplectitur sententiam, allegat D. Chrysostomum Hom. 37. in Gen. ubi ait: *DEUS cum sit benignus, non solum non inducit pœnas peccatis graviores, sed multo minores.* Verum hic textus solum loquitur de pœnis hujus mundi, quas DEUS attemperat spe conversionis. Ab eodem allegatur D. Augustinus, qui lib. 21. de Civitat. c. 24. refert quorundam sententiam, existimantium, quorundam damnatorum pœnas post extremum judicium minuendas esse. Cui sententiæ non contradicit. „Quibus placet, *inquit*, istam sen„tentiam (Psal. 76. Nunquid obliviscetur mi„fereri DEUS, aut continebit in ira misera„tiones suas) usque ad illa impiorum tormen„ta extendere, saltem sic intelligant, ut ma„nente in eis ira DEI non contineat DEUS „in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos „non tanta, quanta digni sunt pœnarum atro„citate cruciari, non ut eas pœnas vel nun„quam subeant, vel aliquando finiant, sed ut „eas mitiores, quam merita sunt eorum le„vioresque patiantur. Quod quidem non ideo „confirmo quoniam non resisto.„ Verum missa etiam hac probatione, quæ futuram aliquando diminutionem pœnarum frustra somniat, responsionem sic probo: Malitia peccati est infinita. Ergo meretur majorem intensive pœnam,

nam, quam actu infertur. Consequenter cum non possit dari pœna infinities intensa, necesse est, damnatos puniri infra condignum, quacunque determinata crucientur pœna.

Si quis objiciat illos Scripturæ textus: „Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, „tantum date ei tormenti & luctus. *Apocal.* „18. *Et illud Matth.* 5. Non exibis inde, do-„nec reddas novissimum quadrantem. *Et Lu-„cæ* 6. Qua mensura mensi fueritis, remetie-„tur vobis. *Et Deut.* 25. Pro mensura pec-„cati erit plagarum modus. *Et Jacobi* 2. Ju-„dicium sine misericordia illi, qui non fecit „misericordiam.

Respondeo. Hæc omnia ad æqualitatem vera esse quoad pœnam sensus correspondentem inordinatæ conversioni ad creaturam, non autem quoad pœnam damni ac tristitiæ ac vermis conscientiæ correspondentem aversioni à Deo, quæ pœna deberet esse infinita.

Quæritur 7. Quales requirantur conditiones ad merendum?

Respondeo. Ad merendum vitam æternam requiruntur sequentes conditiones. 1. Ut operans sit in statu gratiæ. Ita Catholici omnes contra Baium.

Probatur ex Joan. 15. „Ego sum vi-„tis, vos palmites; manete in me, & ego in „vobis. Sicut palmes non potest ferre fru-„ctum, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi „in me manseritis.„ 1. In puro homine requiritur etiam libertas contradictionis.

Probatur ex Ecclef. c. 31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino. 3. Ad merendum etiam requiritur, ut operans relate ad præmium promerendum sit viator.

Dixi, *relate ad præmium promerendum.* Nam etiam comprehensori non repugnat, quin possit promereri aliud præmium accidentale ad beatitudinem, si ita DEUS vellet. Id probatur ex persona Christi, de quo D. Thomas p. 3. q. 19. a. 3. ad 1. sic scribit: „Fruitio, quæ est actus „charitatis, pertinet ad gloriam animæ, quam „Christus non meruit. Et ideo, si per chari-„tatem aliquid meruit, non sequitur, quod „idem sit meritum & præmium. Nec tamen „per charitatem meruit, in quantum erat cha-„ritas comprehensoris, sed in quantum erat via-„toris. Nam ipse fuit simul viator & com-„prehensor. Et ideo, quia nunc non est via-„tor, non est in statu merendi.

Quæritur 8. An quodlibet opus cujuscunque virtutis in homine justo sit meritorium?

Respondeo. Tres in hac re dari sententias. *Prima* est *D. Bonaventuræ* in 2. dist. 41. quæst. 3. *Cajetani* 1. 2. quæst. 21. a. 4. *Soti* l. 3. de natura & gratia c. 4. *Valentiæ* quæst. 6. p. 3. *Vasquezii* Disput. 217., docentium, quod in homine justo omnis actus cujuscunque virtutis sit meritorius. *Secunda* est *Scoti* in 2. quæst. 41. q. un. qui docet, nullum actum esse meritorium, nisi procedat ex actuali imperio charitatis. *Tertia* est *D. Thomæ* 1. 2. quæst. 114. a. 4. & 2. 2. quæst. 23. a. 8. ad 3., docentis, quod nullus actus sit meritorius, nisi saltem virtualiter procedat ex charitate. Hanc tertiam sententiam esse tenendam, ostendi in Tract. de Spe & Charit. Disput. 3. quæst. 5.

Quæritur 9. An quis possit mereri gratiam ope ejusdem gratiæ?

Respondeo. Negative. Ita *D. Thomas* 1. 2. quæst. 114. a. 5. ad 3. *D. Bonaventura* in 2. dist. 27. *Vasquez* p. 1. Disputat. 91. c. 6. & p. 2. Disputat. 219. c. 1.

Probatur 1. Gratia essentialiter habet rationem gratiæ. Ergo non potest à DEO ordinari ad hoc, ut ea mediante csset esse gratia.

Probatur 2. Idem non potest esse pater suipsius. Ergo neque gratia in ratione meritorii potest esse principium suipsius in ratione præmii.

Probatur 3. Meritum & præmium se habent ut via & terminus, sed via non potest babere rationem termini.

Si objiciat *Suarez*, qui p. 3. Disputat. 10. Sect. 4. tenet oppositum, quod à Rege posset alicui equiti donari equus eo pacto, ut illum promereatur in prælio equestri

Respondeo, banc donationem esse conditionatam, aut certe revocabilem, ita ut deficiente conditione equus posset revocari. Sed gratia non est revocabilis, saltem si loquamur de gratia actuali. Conservatio autem gratiæ habitualis potest cadere sub meritum ope ejusdem gratiæ.

Quæritur 10. An justi quovis bono opere remisso mereantur augmentum gratiæ?

Respondeo. In hac re dari sex sententias. *Prima* docet, per quemlibet actum quamvis remissum justos mereri augmentum gratiæ, non tamen statim conferendum, sed suo tempore, quando bomo ad tale augmentum recipiendum se disposuerit per actum intensiorem habitu. Ita *Capreolus* in 2. dist. 14. quæst. 2. a. 3. *Secunda* docet, justos quolibet actu, etiam remissiori ipso habitu mereri augmentum gloriæ, illud tamen non dari statim, sed quando fuerit dispositus. Ita *D. Thomas* 1. 2. quæst. 114. a. 7. ad 3. & Cajetanus. Dispositionem vero hanc D. Thomas collocat non in actu intensiore habitu, sed in remotione peccati tanquam impedimenti, vel in multiplicatione actuum remissorum. *Tertia* sententia est *Scoti*, in 4. dist. 21. quæst. 1. justos per opera remissiora habitu mereri augmentum gratiæ, illud tamen in hac vita non conferri, sed in primo instanti mortis. *Quarta* est sententia *Durandi*, in 1. dist. 17. quæst. 8., per actus remissiores mereri nos accretionem gloriæ, non tamen accretionem habitus gratiæ. *Quinta* sententia *D. Bonaventuræ* in 2. dist. 40. c. & ad 2. justos actibus intensioribus habitu gratiæ mereri statim augmentum gratiæ; remissioribus autem actibus nec mereri gratiæ accessionem, nec ullo unquam tempore consequi, sed tantum accidentale quoddam præmium, hoc est novum futurum gaudium de bono opere. *Sexta* sententia est, justo statim,

quando

quando exercet actum meritorium, quantumvis remissum, statim conferri augmentum gratiæ & jus ad gloriam juxta proportionem singulorum actuum. Ita docent *Suarez* l. 9. c. 3. *Vasquez* 1. 2. Disput. 220. & alii non pauci. Inter tot sententias dico, in justis quolibet bono opere quantumvis remisso augeri *quoad materiale* habitus, habitum charitatis, & gloriam. Hoc videtur manifeste supponi à *D. Thoma* 1. 2. quæst. 114. a. 7. ad 3. & a. 8. ad 3. In priori loco dicit: „Quandoque actus ultimæ gratiæ non est „magis meritorius sed minus quam actus præ„cedentes propter ægritudinis oppressionem. „Unde dicendum, quod quilibet actus charita„tis meretur absolute vitam æternam, sed per „peccatum sequens ponitur impedimentum præ„cedenti merito; ut non sortiatur effectum. „*Et in posteriore loco.* Dicendum, quod quoli„bet actu meritorio meretur homo augmentum „gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ „est vita æterna. Sed sicut vita æterna non sta„tim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia „statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet „aliquis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ „augmentum.

Dixi, quoad *materiale habitus.* Ostensum enim est in Tractat. de Spe & Charitate Disput. 3. quæst. 6. Quod charitas infusa consistat in concreto ex actu vel stabili effectu exinde relicto, & ex gratia sanctificante tanquam forma actus humani & dispositionis stabilis relictæ. Hoc ergo materiale statim augetur per actus etiam remissos, sed formale illius charitatis infusæ augetur suo tempore, quando per multiplicatos actus remissos homo fit dignus majori gratia.

Quæritur 11. An quis possit alteri mereri de condigno?

Respondeo. Negative.

Probatur 1. ex Scriptura 2. Corinth. 5. Unusquisque referet propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum. Et Apoc. 14. Opera illorum sequuntur illos.

Probatur 2. ex *Concilio Trident.* Sess. 6. c. 16., ubi dicitur: Bene operantibus in finem proponenda est vita æterna tanquam gratia & tanquam merces ipsius Dei promissione bonis ipsorum (non, aliorum) operibus fideliter reddenda.

Probatur 3. ex *S. Augustino* Tract. 4. & 5. in Joan. ubi asserit, solius Christi proprium esse, ut alios reddat DEO gratos, obtinendo illis gratiam & peccatorum remissionem; & Tract. 73. & 202. docet, neminem pro alio orantem infallibiliter pro illo impetrare.

Probatur 4. Meritum supponit ordinationem divinam ad mercedem, prout ostensum est quæstiunc. 4. Ergo cum Deus non ordinet actiones humanas ad promerendum pro aliis, in eum finem non habent effectum. Ex his sequitur, actus bonos unius pro alio oblatos tantum posse habere rationem deprecationis, impetrationis, seu meriti de congruo. Idem expresse docet *D. Thomas* 1. 2. quæst. 114. a. 6. C. his verbis: „Dicendum, quod opus nostrum habet „rationem meriti ex duobus. Primo quidem „ex vi motionis divinæ, & sic meretur aliquis „ex condigno. Alio modo habet rationem me„riti, secundum quod procedit ex libero arbi„trio, in quantum voluntarie aliquid facimus; „& ex hac parte est meritum congrui; quia „congruum est, ut dum homo bene utitur sua „virtute, DEUS secundum superexcellentem „virtutem excellentius operetur. Ex quo pa„tet, quod merito condigni nullus potest me„reri alteri primam gratiam, nisi solus Christus; „quia unusquisque nostrum movetur à Deo per „donum gratiæ, ut ipse ad vitam æternam per„veniat, & ideo meritum condigni ultra hanc „motionem se non extendit. Sed anima Christi „mota est à DEO per gratiam, non solum ut „ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ, sed „etiam ut alios in eam adduceret, in quantum „est caput Ecclesiæ & author salutis humanæ. „Sed merito congrui potest aliquis alteri mereri „primam gratiam. Quia enim homo in gratia „constitutus implet Dei voluntatem, congruum „est secundum amicitiæ proportionem, ut Deus „impleat hominis voluntatem in salvatione al„terius; licet quandoque possit habere impedi„mentum ex parte illius, cujus aliquis sanctus „justificationem desiderat. *Et ad* 2. Impetra„tio orationis innititur misericordiæ; meritum „autem condigni justitiæ; & ideo multa orando „impetrat homo ex divina misericordia, quæ „tamen non meretur secundum justitiam.

Quæritur 12. An merita per peccatum mortale mortificata per justificationem reviviscant?

Respondeo. Merita quidem reviviscunt, sed secundum mensuram pœnitentiæ. *Prima* pars responsionis probatur ex *Joelis* 2. ubi dicitur: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta,* quod Glossa & alii per argumentum à pari extendunt ad reviviscentiam meritorum. Idem probatur ex Concilio Tridentino Sess. 6. c. 16. ubi dicitur: „Justificatis hominibus, sive acceptam „gratiam perpetuo conservaverunt, sive amis„sam recuperaverint, proponenda sunt Apo„stoli verba: Abundate in omni opere bono „scientes, quod labor vester non est inanis: „Non enim injustus est Dominus, ut oblivi„scatur operis vestri & dilectionis, quam osten„distis in nomine ipsius.„ *Secunda* autem pars probatur *Negative;* quia major vel alia reviviscentia non potest sufficienter probari ex Scriptura & traditione, sine qua in re tanti momenti nil temere asserendum est, prout *D. Bonaventura* in 4. dist. 14. a. 2. quæst. 1. fund. 3. observat. Ex quo sequitur; eos, qui multa merita prioris vitæ per lapsum amiserunt, fervidam agere debere pœnitentiam, si recuperare velint integre, quod amiserunt.

(o)

Tractatus
DE INCARNATIONE.

In hoc Tractatu veniunt sequentes Disputationes:

I. De natura & existentia Incarnationis.

II. De necessitate & motivo Incarnationis.

III. De causa effectiva & meritoria Incarnationis.

IV. De libertate, scientia, sanctitate, meritis, & aliis perfectionibus Christi.

V. De vero anno Nativitatis & Mortis Christi.

DISPUTATIO I.
De Natura & Existentia Incarnationis.

In hac Disputatione *quæritur*:

1. Utrum Incarnatio sit possibilis?
2. Utrum Incarnatio jam sit peracta?
3. Utrum Incarnatio sit conveniens quoad circumstantias personarum, locorum, & temporum?
4. Quæ sit natura Unionis Hypostaticæ?
5. Quid sit Unio Hypostatica in consideratione physica?
6. Quales partes naturæ humanæ fuerint assumptæ à Verbo?
7. Qualis in Christo ex duabus naturis detur communicatio Idiomatum?

QUÆSTIO I.
An sit possibilis Incarnatio?

NOTANDUM I. Per Incarnationem ab Ecclesia intelligitur *Naturæ humanæ in unitatem personæ à Verbo divino facta assumptio.* DICITUR 1. *naturæ humanæ*, per quam intelligitur aliquod compositum ex corpore & anima à Deo creata, quale reperitur in omnibus aliis hominibus. DICITUR 2. *in unitatem personæ*, ita ut in Christo non reperiantur duæ personæ, sed tantum una persona, quæ vocatur Christus. DICITUA 3. *à Verbo divino*, per quod intelligitur secunda in Trinitate persona. DICITUA 4 *facta assumptio*, per quam intelligitur *unio* seu *unitio* Verbi divini cum natura humana. Ea unio, cum faciat naturam humanam subsistere per Verbum, vocatur *Hypostatica*, seu *subsistentialis* utpote tendens in unitatem personæ.

NOTANDUM 2. Naturam Incarnationis paucis verbis describi in Symbolo, ut vocatur, Athanasiano. In eo sic habetur: *Necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem D. N. J. C. fideliter credat, qui salvus fieri velit. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus Noster JESUS Christus Dei filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia patris, ante sæcula genitus, & homo ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Æqualis patri secundum divinitatem; minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Hucusque exacta Incarnationis Idea, quam nobis tradit Ecclesia in Symbolo Athanasiano.

DICO. Incarnatio est possibilis.

PROBATUR. In Incarnatione non potest ostendi implicantia. Ergo est possibilis. *Ant. prob.* ex solutione Objectionum.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si daretur Incarnatio, Deus esset mutabilis intrinsece. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Si daretur Incarnatio, Deus acquireret novam denominationem intrinsecam; Ergo esset mutabilis. C. patet; quia nova denominatio intrinseca ponit novam formam in subjecto denominationis. *Ant. prob.* Deus denominaretur de novo unitus naturæ humanæ, cui prius non erat unitus.

2. Si daretur Incarnatio, Deus inciperet esse homo, quod prius non fuisset. Sed incipere esse hominem est mutari. Ergo.

3. Si daretur Incarnatio, in utroque extremorum unitorum deberet recipi unio hypostatica. Sed hoc est impossibile. Ergo. *Min.* patet, quia in Deo tanquam in subjecto non potest recipi novum accidens. *Maj. prob.* Non potest dici alteri unitum, quod non est receptivum unionis.

4. Quando humanitas unitur Verbo, datur ex parte humanitatis mutatio. Ergo etiam quando Verbum unitur humanitati, ex parte Verbi debet admitti mutatio.

5. Si daretur Incarnatio, Christus esset aliquod totum per accidens, sicut acervus lapidum vel strues lignorum, sed hoc est absurdum. Ergo. *Maj. prob.* Totum per accidens vocatur illud, cujus partes ex sua natura non petunt coordinari ad invicem.

6. Quod per se subsistit, non potest communicari alteri. Sed personalitas Verbi per se subsistit. Ergo. *Maj. prob.* quia, ut Boethius definit, personalitas est individua naturæ proprietas.

7. Si daretur unio hypostatica, sequeretur, quod ad motum naturæ humanæ simul moveretur divinitas. Sed hoc non potest dici. Ergo.

8. Si daretur Incarnatio Verbi, etiam daretur Incarnatio Patris & Spiritus Sancti. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Actiones trium personarum ad extra sunt communes toti SS. Trinitati. Ergo etiam operationes Verbi in natura humana sunt communes toti Trinitati.

Respondeo

Ad 1. n. a. ad prob. n. a. ad prob. dist. Deus de novo denominatur unitus denominatione partim intrinseca, partim extrinseca. c. solum intrinseca. n. Omne totum dicitur novum, quando una essentialis pars totius est nova. Esse *unitum* quoad formam denominantem seu unionem non dicit aliquid simplex, sed compositum, nempe ex duabus unionibus, quarum una est in uno extremo, altera in altero, prout suppono ex Philosophia. Itaque datur alia unio Verbi ad naturam humanam, quæ, sicut actus Deo liberi, est adæquate Deo intrinseca ab æterno, prout in Tractat. *de Deo*, ostensum est. Alia est unio naturæ humanæ ad Verbum; & hæc est nova in tempore. Hinc istud totum, quod est unio hypostatica, simpliciter est nova, licet unio se tenens ex parte Verbi ad naturam humanam, respectiva alterius termini pro certa temporum & locorum differentia, non fit nova, sed ab æterno libere identificata cum Deo, sicut alii actus liberi.

Ad 2. dist. inciperet esse homo per novam unionem se tenentem ex parte naturæ humanæ. c. se tenentem ex parte Verbi. n. Ex dictis *ad* 1. constat, unionem Verbi ad naturam humanam, quam respicit pro certa differentia locorum & temporum, esse ab æterno identificatam libere cum Deo, sicut cæteros actus Deo liberos.

Ad 3. dist. deberet recipi in utroque extremo, ita tamen ut detur duplex unio, quarum una recipitur in natura humana in tempore, altera in Deo per identitatem ab æterno. c. ita ut utraque unio in suo extremo recipiatur in tempore. n. Sensus patet ex dictis.

Ad 4. c. a. n. c. Disparitas est; quia Deus ab æterno potest secum identificare non solum actus liberos, sed etiam varios respectus ad creaturas pro diversa differentia locorum & temporum, prout suppono ex Tractatu *de Deo*. Neque illi respectus ex parte Dei sunt novi, quia ex eodem Tractatu suppono, omnia esse præsentia Deo physice ab æterno.

Ad 5. n. *Maj.* ad prob. dist. Totum per accidens est, cujus partes non petunt coordinari ad invicem etiam consequenter ad unionem. c. cujus partes tantum antecedenter ad unionem non petunt ordinari ad invicem. n. Quando unio est substantialis seu subsistentialis in unitatem suppositi aut personæ, ita ut una pars subsistat per alteram, & in operando dependeat ab altera, consequenter ad talem unionem ordine seu appetitu supernaturali petant coordinari ad invicem.

Ad 6. dist. Non potest communicari alteri communicatione destructiva perseitatis propriæ. c. communicatione conservativa perseitatis propriæ. n. Verbum communicando suam perseitatem naturæ humanæ non amittit perseitatem propriam.

Ad 7. dist. Sequeretur moveri Deitatem, nisi jam aliunde per immensitatem repleat omnia spatia. c. si jam aliunde ea repleat. n.

Ad 8. n. *Maj.* ad prob. dist. actiones ad extra non essentialiter reciprocæ sunt communes. c. essentialiter reciprocæ. n. Actiones effectivæ, quibus producitur aliquis effectus, non sunt reciprocæ, quia creatura non agit reciproce in Deum. At vero unio, & charitas, est aliquid essentialiter reciprocum. Cum ergo unio se tenens ex parte naturæ humanæ ad Deum possit esse præcisiva respiciendo unam personam, non respiciendo alteram, ideo etiam unio se tenens ex parte Verbi ut respectiva unionis præcisivæ se tenentis ex parte naturæ humanæ, debet appropriari soli Verbo.

Objicitur 2. Si daretur Incarnatio, natura humana in Christo non haberet subsistentiam seu personalitatem propriam. Sed hoc est impossibile. Ergo. *Min. prob.*

1. Subsistentia non distinguitur realiter à substantia rei. Ergo.

2. Esse substantiam individuatam, & esse eam subsistentem prorsus idem est. Ergo cum natura humana in Christo sit individuata, seu hæc numero, etiam erit subsistens. *Ant. prob.* Persona subsistens à *Boethio* & aliis Theologis definitur, quod sit *naturæ rationalis individua substantia.*

3. Subsistere nihil aliud est, quam ita per se existere, ut non petat existere in alio, prout petit alteri inesse ac inhærere accidens. Sed natura humana Christi ita per se existit, ut non petat existere in alio, vel inhærere alteri. Ergo.

4. Si deesset naturæ humanæ in Christo subsistentia, deesset illi aliqua perfectio pertinens ad esse naturæ humanæ perfectum ac completum. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. prob.* Christus assumpsit naturam humanam perfectam ac completam cum omnibus proprietatibus. Ergo.

5. Verbum dicitur assumpsisse hominem. Cum ergo homo sit persona, necessario etiam assumpsisset personam.

6. Natura humana in Christo non potest existere per existentiam alienam. Ergo etiam non potest subsistere per subsistentiam alienam.

Respondeo. c. *Maj.* n. *Min.*

Ad 1. n. a. ad prob. dist. a. Persona personalitate naturali est individua substantia. tr. persona personalitate supernaturali. n. Dixi. tr. quia etiam in naturalibus subsistentia distinguitur à substantia individua saltem *formaliter*, in quantum dicit negationem unionis cum digniori se, prout

prout alii volunt, vel omnino *realiter*, in quantum dicit determinativum positivum ad exclusionem omnis unionis vel unibilitatis cum digniori se.

Ad 3. n. a. Subsistere enim non est idem ac existere per se, quin petat inhærere alteri; sed est idem, ac non dependere in agendo per modum principii intrinseci à digniori se. Cum enim actiones sint suppositorum, illud est primo tribuens subsistentiam rei, quod in composito est primo determinativum ad agendum.

Ad 4. dist. Deesset illi aliqua perfectio pertinens ad esse personæ. tr. pertinens ad esse naturæ. n. Imo subsistentia non est simpliciter perfectio sine imperfectione, cum dicat negationem unionis cum digniori se. Hinc DIXI. tr. potest enim sic distingui. Deesset perfectio talis secundum quid, & facile supplebilis per aliam perfectionem supernaturalem ejusdem rationis ex suo genere c. non supplebilis. n.

Ad 5. dist. Dicitur assumpsisse hominem loquendo late, in quantum sub hoc termino intelligitur natura humana. c. loquendo stricte, in quantum sub hoc termino intelligitur persona. n.

Ad 6. c. a. n. c. & p. Disparitas est, quia existentia non potest concipi tanquam aliquid separabile sen distinctum à re, prout ostensum est in Philosophia. Econtra negatio unionis cum digniori se, seu determinativum ad inunibilitatem ad dignius se potest concipi ut separabile à re.

OBJICITUR 3. Si daretur unio hypostatica inter Verbum & naturam humanam, sequeretur, quod natura humana deberet denominari divina, immensa, æterna, infinita &c. Sed hoc est impossibile. Ergo. *Maj. prob.* Corpus humanum per unionem cum anima tanquam principio vitali denominatur vivum. Ergo idem deberet fieri in natura humana.

2. Inter Deum & naturam humanam, nulla datur proportio. Ergo hæc duo extrema non sunt unibilia inter se.

3. Accidens non potest uniri cum substantia in unitatem suppositi. Ergo nec natura humana cum Verbo. *c. prob.* Longe major est inter hæc duo improportio seu distantia perfectionis, quam inter illa.

4. Ex suppositione Incarnationis sequeretur, veras esse has propositiones: Divinitas nascitur, patitur, moritur; vel certe: Deus nascitur, patitur, moritur.

5. Si natura humana esset unita Verbo, esset ubique, ubicunque est Verbum. Sed hoc est impossibile. *Maj. prob.* Ubicunque est Verbum, ibi poterit dici: Huic verbo unita est per intimam præsentiam humanitas.

RESPONDEO

Ad 1. n. *Maj.* ad proh. inprimis retorqueo. Corpus ob eam unionem non denominatur rationale, spirituale, immortale &c. Ergo neque necesse est, ut natura humana in Christo recipiat omnes proprietates naturæ divinæ. Hinc RESPONDEO directe. c. a. n. c. & p. Disparitas est, quia esse vivum nil aliud est, quam esse receptivum operationum vitalium, quæ sunt aliquid distinctum à principio vitali. Econtra esse divinum, æternum, immensum, infinitum &c. dicit receptionem formæ per commensurationem. Aliud est, si dicatur, hic homo est divinus, æternus &c. Nam denominatio potest convenire toti composito ratione partis, quæ substat attentioni. Sic idem homo dicitur mortalis ratione corporis, & rationalis ratione animæ.

Ad 2. dist. nulla datur proportio perfectionis. tr. habitudinis. n. Nam etiam materia & forma, corpus & spiritus non habent proportionem perfectionis, cum versentur in diverso genere, ut sonus, & lux; habent tamen proportionem habitudinis, in quantum unum est perfectibile per alterum.

Ad 3. c. a. n. c. ad proh. tr. a. n. C. quamvis enim sit major distantia perfectionis inter Deum & hominem, quam inter accidens & substantiam, non est tamen major distantia habitudinis seu perfectibilitatis; quia accidens manendo intra speciem accidentis repugnat fieri principium omnium actionum in supposito eodem.

Ad 4. n. *Maj.* quoad primum genus propositionum. Non enim natura divina vel humana est principium actionum vel receptivum passionum; sed agere & pati convenit personæ seu toti composito. Hinc istæ propositiones: Deus *nascitur*, *patitur*, *moritur* veræ sunt.

Ad 5. n. *Maj.* ad prob. dist. ibi poterit dici: Huic Verbo unita est humanitas constituta in determinato loco & tempore. c. constituta sine loco & tempore. Sic etiam de hominis anima potest ubique dici, ubicunque est anima: Huic animæ est unitus pes, etsi pes non sit ubique, ubi est anima, v. g. in capite.

QUÆSTIO II.

An Incarnatio jam fuerit peracta?

NOTANDUM 1. In hac quæstione *directe* agi contra Judæos, qui Messiam primum venturum exspectant; indirecte vero contra hæreticos Arrianos, qui negant, Christum esse Deum.

NOTANDUM 2. Me in hac quæstione usurum potissimum argumentis, quæ affert *Daniel Huetius* Episcopus Abrincensis in *Demonstratione Evangelica*, & *Hyacinthus Serri* in *Exercitationibus de Christo*. Quamvis enim, ubi agit de mysteriis Christi, meritam Romæ tulerit à Benedicto XIII. censuram, Judæos tamen fortiter convincit, & erudite.

DICO. Incarnatio jam fuit peracta.

PROBATUR. Ex una parte Libri prophetici V. T., & historici N. T. sunt genuinus & verax eorum Scriptorum partus, quibus adscribuntur; Ex altera parte manifestum est, prophetias V. T. de Messia actu fuisse impletas. Ergo Incarnatio jam fuit peracta. *Antecedens* demonstratur à Huetio erudite & convincenter. Sic enim discurrit. Ille est liber genuinus, qui pro genuino habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus eum ætatibus, verax autem est ille liber, qui aut prænuntiat res futuras eventu deinde completas, aut narrat res præsentes eo modo, quo narrantur in multis libris

bris coætaneis aut proxime coævis. Sed talis sunt libri prophetici V. T. & historici N. T. Ergo. *Major* non solum patet ex eo, quia authentia aliorum librorum, qui habentur pro genuinis, ac veracibus, pari fundamento innititur, ut proin ratio sana utrinque parem fidem postulet; sed etiam ac potissimum ex eo, quia lumine naturali metaphysica certitudine agnoscitur, tolli providentiam divinam in mundo circa materiam religionis revelatæ, si permitteret mundum repleri documentis ac instrumentis apocryphis tanquam certissimis circa substantiam religionis, nullo alio proviso retegendi generalis erroris sufficiente remedio. Itaque in *Minori* tantum, & quidem circa libros historiales N. T., quos solos Judæi non recipiunt, adhibenda est probatio. Si enim contra Turcas vel Ethnicos agendum esset, adhibendæ forent eruditissimæ demonstrationes *Huetii*, quibus ostendit, libros Mosaicos & Propheticos V. T. ab omnibus gentibus tanquam veraces & genuinos agnitos fuisse prioribus ante Christum sæculis. Quod attinet libros N. T., ii allegantur à Scriptoribus omnibus per orbem dispersis Sæculo I. II. III. & IV. v. g. *Clemente Romano*, *Ignatio M.*, *Barnaba*, *Polycarpo*, *Justino*, *Irenæo*, *Tertulliano*, *Clemente Alexandrino*, *Origene*, *Cypriano &c.* Quod vero concernit res gestas, in libris historialibus N. T. narratas, de gestis præcipuis ibi contentis, testantur Scriptores Synchroni vel proxime coævi etiam ex Judæis & Gentilibus minime addictis Christianismo; prout Huetius *Propositione III.* fuse ostendit. In specie 1. Testatur Josephus Judæus l. 20. antiquit. cap. 8. tempore Herodis extitisse quendam Joannem cognomento Baptistam, qui Judæos exhortationibus suis ad virtutem excitaverit, & lavacrum dimittendis peccatis adbibuerit, & multos ad se allexerit, & tandem ab Herode cæsus sit.

2. Quod eodem tempore extiterit Jesus testatur Suetonius, Tacitus, Plinius Junior, Phlegon, Celsus, Lucianus, & Imperatores Trajanus, Antoninus Pius, & Marcus Philosophus.

3. Quod ille Jesus fuerit ortus in oppidulo Judææ ex paupercula puella, Fabri materiarii uxore, victum opera sua quæritante; eumque in Ægyptum profugisse, agnoscit Celsus Christiani nominis infensissimus hostis apud Origenem *C. Celsum* l. 1.

4. Quod natus sit in Bethlehem occasione Census, probant Tabulæ Censuales Romanorum, ad quas provocat Justinus in Apologia, Tertullianus adversus Marcionem & Chrysostomus. Non potuissent hi Patres, præsertim Justinus in Apologia ipsi Imperatori oblata, provocare ad tabulas Censuales, nisi adhuc eo tempore extitissent.

5. Quod natus sit in Spelunca Bethlehemica, testatur Origenes l. 1. C. Celsum, Eusebius, & monumentum Ecclesiæ splendidæ ab Helena Imperatrice erectum.

6. Novum Sydus in Christi nativitate apparuisse, non diffitetur Julianus Apostata.

7. Sævitiem Herodis in infantes ac proprium filium innuit Macrobius l. 2. Saturn. c. 4. ubi memorat dictum Augusti: *Præstare, Herodis porcum esse, quam filium.*

8. Jesum fuisse Prophetam, tradidit *Phlegon*, Adriani Imperatoris libertus in Chronicis.

9. Jesum fuisse clarum prodigiis, fassi sunt authores Thalmudici Operis, & Celsus, & Julianus, hostes Christianorum acerrimi, licet ea retulerint ad præstigias.

10. Vim profligendi dæmones etiam post mortem Jesu fatetur Porphyrius, dum conqueritur, peste urbes vastari, utpote quibus post admissum Jesu cultum Æsculapius aliique Dii excesserint, ita ut Dii non amplius prosint hominibus.

11. Quod Jesus fuerit fama miraculorum & Doctrinæ celeberrimus, testatur Josephus l. 18. antiquit. c. 4. ubi ait: *Fuit hoc tempore Jesus, vir sapiens: si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum à primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad Crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates hæc, aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.* Hic textus continetur in omnibus Codicibus Josephi tam Manuscriptis quam impressis. Eundem textum exhibet Eusebius in Demonst. Evang. l. 4. & in Historia l. 1. c. 2. Eundem expressit Hieronymus in l. de Script. Eccles. & Isidorus Pelusiota & Sozomenus, & Cedrenus, & Hegesippus de excidio Jerosolymæ.

12. De morte Christi testatur Tacitus Annalium l. 15. his verbis: *Auctor nominis ejus Christus, qui imperitante Tiberio per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Et in Thalmudico libro Sanhedrin legitur: *In vespera Paschatis suspenderunt Jesum.*

13. De obscuratione solis in morte Christi testatur Phlegon l. 13. Olymp. Chronicorum his verbis: *In anno ineuntis Olympiadis CCII.* (τῷ δ' ἔτει τῆς σβ ὀλυμπιάδος) *magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus ut stellæ in cœlo visæ sint; terræque motus in Bithinia Nicææ Urbis multas ædes subverterit.* De eadem obscuratione Tertullianus in Apolog. c. 21. scribit: *Eodem momento dies medium orbem signante sole subducta est: Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt; & tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* Ad illa Archiva etiam provocavit Nicomediæ Lucianus Martyr his verbis: *Consulite annales vestros. Invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum solem & interruptum diem.* Plura ejusmodi testimonia Scriptorum profanorum cum libris N. T. affert Huetius. Si itaque libri historici N. T. quoad primaria & generalia capita historiæ à Scriptoribus profanis confirmantur, nullo refragante, non est ratio, cur dubium moveatur de illorum veracitate circa alia facta particularia, præsertim cum es veracitas tolli nequeat, quin tollatur providentia Dei circa substantiam

reli-

religionis in mundo, quod impossibile esse, à priori lumine naturali notum est. Superest ergo, cum libri prophetici V. T. & historiales N. T. *genuini* & *veraces* sint, ut ostendatur, prophetias in Christo actu impletas esse.

Prophetia I. In V. T. prænuntiatum est, post adventum Messiæ veram religionem non solum constrictam fore in populo Hebræorum, sed in eam religionem omnes etiam gentes vocandas & recipiendas fore. Hoc autem impletum fuisse partim tempore Constantini M. partim post retectam Americam & Indiam Orientalem manifestum est. Vaticinia de conversione gentilium ad religionem Messiæ sunt ista. 1. Gen. 12. v. 3. dicit Deus ad Abraham: *In te benedicentur universæ cognationes terræ.* Et c. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

2. Gen. 49. v. 10. *Patriarcha Jacob in morte benedicens filiis ait: Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est; & ipse erit exspectatio gentium.*

3. Psal. 2. v. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Ps. 17. v. 44. *Eripies me de contradictionibus populi; constitues me in caput gentium.* Et Ps. 21 v. 28. *Convertentur ad Dominum universi fines terræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Et Ps. 71. v. 8. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum — & benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Et Ps. 85. v. 9. *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*

4. Isaias c. 49. v. 6. de Messia loquentem Deum inducit: *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob, & faces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et c. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Et c. 2. v. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.*

5. Zacharias c. 2. v. 11. *Applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.* Ne autem Judæi has promissiones exponerent de solis Judæis, ubique per orbem dispersis, in aliis textibus expresse dicitur, quod hæc universalis vocatio omnium gentium ad religionem Messiæ sit intelligenda de gentilibus idololatris, & extraneis à religione Judaica.

Sic dicitur 1. in Osea c. 2. v. 24. Dicam non populo meo; populus meus es tu; & ipse dicet; Deus meus es tu.

2. In Isaia c. 55. v. 5. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis; & gentes, quæ te non noverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Israel, quia glorificavit te. Et c. 18. v. 7. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo divulso & dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius; à gente exspectante, & conculcata. Et c. 65. v. 1. Quæsierunt me, qui ante non interrogabant; invenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego; ecce ego, ad gentem, quæ non invocabat nomen meum. Et c. 31. v. 7. In die illa abjiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ. Et c. 17. v. 7. In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi ejus ad Sanctum Israel respicient, & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, & quæ operati sunt digiti ejus, non respiciet, lucos, & delubra. Similia habentur c. 2. v. 17. 18. 19. 20. & Ps. 17. v. 45.

3. In specie de Ægypto & Æthiopia idolis plena dicitur Isaiæ c. 19. v. 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum; & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa. Et Ezechielis c. 30. v. 13. Hæc dicit Dominus Deus; disperdam simulacra, & cessare faciam idola de Memphis; & Dux de terra Ægypti non erit amplius. Et in Zacharia c. 13. v. 2. In die illa disperdam nomina idolorum in terra Ægypti, & non memorabuntur ultra, & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra. Et Ps. 41. v. 9. Coram illo (Messia) procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent. Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes gentes servient ei. Et Isaiæ 60. v. 3. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient; & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & afflues; mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Hæ Prophetiæ editæ fuerunt jam ante duo & amplius annorum millia; nec impletæ sunt in religione Judaica, sed in Christiana per Christum. Si Deus per Prophetas voluisset prænuntiare aliam impletionem futuram, non reticuisset hunc statum medium notare tetro stigmate, ne ex eo toti orbi daretur ansa scandali; ageret enim contra sapientiam & providentiam, si poneret Messiæ characteres tam æquivocos & communes pluribus.

Prophetia II. In adventu Messiæ abrogabitur vetus Sacerdotium, & introducetur novum genus Sacerdotii, & novum genus cultus religiosi, idque futurum eoipso tempore, quo gens Judaica verum Messiam negatura est. Isaiæ 1. v. 3. dicitur: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate; semini nequam; filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt Sanctum Israel; abalienati sunt retrorsum. -- Et v. 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum; holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. -- Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomeniam & Sabbatum, & festivitates alias

alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta.

2. David de Messia prophetans Ps. 109. dicit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; juravit Dominus Domino meo; tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quo textu prorsus ostenditur, Sacerdotium Leviticum secundum ordinem Aaron, in victimis occupatum animalium, convertendum in Sacerdotium, quo functus erat Melchisedech per oblationem panis & vini, prout Christus in ultima Cœna instituit.

3. Danielis 9. v. 26. Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

4. Isaiæ 66. v. 18. prænuntiatur, ex gentilibus fore assumendos Sacerdotes Messiæ. Id vero prorsus destruit vetus Sacerdotium; cum in l. Num. c. 16. v. 40. dicatur: Ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur, sicut passus est Core &c. Isaias sic habet: Ecce ego venio, ut congregem ex omnibus gentibus & linguis, & mittam ex eis ad gentes, in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me. -- & assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas.

5. Malachiæ 1. v. 10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Hæc omnia ostendunt mutationem Sacerdotii Levitici in aliud genus Sacerdotii & Sacrificii, quod non reperitur, nisi in Ecclesia Catholica.

Prophetia III. Messias prænuntiatur non tanquam bellator manu fortis, sed tanquam humilis & pacificus. Sic dicitur 1. in Ps. 45. v. 9. Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ; arcum conteret & confringet arma & scuta comburet igni. Et Ps. 75. v. 1. Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus; & factus est in pace locus ejus; & habitatio ejus in Sion; ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum.

2. Isaiæ c. 2. v. 4. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra in prælium. Similia habentur Micheæ c. 4. v. 3.

3. Isaiæ c. 11. v. 6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, neque occident animalia in universo monte sancto meo. Quod si aliquando Messias describitur tanquam bellator, id de armis spiritualibus intelligendum esse ipsa Scriptura ostendit. Sic enim Isaias c. 11. v. 4. ostendit: Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium; & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Idem insinuatur Sapientiæ c. 5. v. 17. Dextera sua reget eos, & brachio suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum; sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem duram iram in lanceam. Et Oseæ c. 1. v. 7. Salvabo eos in Domino Deo suo; & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. Et Isaiæ c. 42. v. 7. Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus; complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum. Judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam; nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium; & legem ejus insulæ exspectabunt. Et Aggæi c. 2. v. 8. Veniet desideratus cunctis gentibus; & implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ. Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus.

Prophetia IV. Messias prænuntiatur morte turpissima afficiendus. 1. In l. Sapientiæ c. 2. v. 18. machinationes impiorum adversus Messiam his verbis prædicuntur: Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur, patrem se habere Deum. Videamus, si sermones illius veri sint, & tentemus, quæ ventura sunt illi, & sciemus, quæ erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, & scientiam reverentiam ejus, & probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum.

2. Isaiæ 53. v. 7. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de judicio sublatus est, generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium. Propter scelus populi mei percussi eum.

3. Jeremiæ 11. v. 19. Ego quasi agnus mansuetus, qui paratur ad victimam; & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.

4. Za-

4. Zachariæ 12. v. 10. Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem. Spiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt. Et plangent cum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.

5. Zachariæ c. 11. v. 12. Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me; projice illud ad ſtatuarium, (cuſtodem theſauri in templo) decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos in domum Domini ad ſtatuarium.

6. Threnorum c. 4. v. 20. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.

7. Iſaiæ c. 50. v. 6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.

8. Threnorum c. 3. v. 30. Dabit percutienti ſe maxillam, & ſaturabitur opprobriis.

9. Micheæ 5. v. 1. In virga percutient maxillam Judicis Iſrael.

10. Pſal. 21. Deus Deus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me; locuti ſunt labiis, & moverunt caput; ſperavit in Domino; eripiat eum; ſalvum faciat eum, quoniam vult eum. - - Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa (ex juncturis avulſa) ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea (præ ſiti) adhæſit faucibus meis; & in pulverem mortis deduxiſti me. Quoniam circumdederunt canes multi; concilium malignantium obſedit me. Fœderunt manus meas & pedes meos (clavis in cruce.) Dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt me. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Tu autem Domine ad defenſionem meam conſpice. Salva me de ore leonis. Narrabo nomen tuum fratribus meis. In medio Eccleſiæ laudabo te. Apud te laus me in Eccleſia magna. Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ; & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium. Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Hæc omnia, ſi ſimul ſumantur, in nullo alio individuo homine impleta eſſe, niſi in Chriſto, manifeſtum eſt legenti hiſtoriam V. & N. T., præſertim legenti hiſtoriam paſſionis Dominicæ ex quatuor Evangeliſtis, & Acta Apoſtolorum quoad priora capita.

11. Zachariæ 13. v. 6. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.

12. Iſaiæ c. 53. v. 8. Abſciſſus eſt de terra viventium. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua; eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate; ſi poſuerit pro peccato animam ſuam; videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur; pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos & fortium dividet ſpolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt. Et ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogavit. Et ibidem v. 2. Non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum, deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus; unde nec reputavimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit; & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum; & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus; unusquisque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum. - - - Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Hæc omnia, ſi iterum ſimul ſumantur, in nullo alio propheta, aut perſona, niſi in Chriſto, impleta eſſe manifeſtum eſt, ſi quis legerit hiſtoriam Evangelicam.

Prophetia V. Prænuntiatum fuerat, Meſſiam venturum templo ſecundo, quod poſt captivitatem Babylonicam conſtructum fuerat, adhuc ſtante.

1. In Aggæo, qui ſcripſit poſt captivitatem Babylonicam, c. 2. v. 7. dicitur: Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus; & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus. -- Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, plusquam primæ (per Salomonem conſtructæ) dicit Dominus. Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus.

2. Malachiæ 3. v. 1. Mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & angelus Teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus. Nunc, ubi illud templum ſtetit, ædificarunt Turcæ Moſcheam.

Prophetia VI. Propheta Daniel, qui ſcripſit circiter 500. annis ante Chriſtum, exacte prænuntiavit mortem Meſſiæ per ſeriem quandam hebdomadarum, quo termino non poteſt aliud intelligi, quam ſpatium ſeptem annorum. c. 9. v. 24. ſic ſcribit: Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte. Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, usque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt. Et rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdo-

hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet hostia & Sacrificium. Et erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Ita Daniel. Quod autem per terminum hebdomadæ apud Judæos intellectum fuerit curriculum septem annorum patet ex libris Mosaicis, ubi in l. Levitici c. 25. v. 8. Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem. - - sanctificabisque annum quinquagesimum. Sunt quidem variæ sententiæ, quo anno Sermo ille, seu edictum Regis Babiloniæ de reædificanda Jerosolyma, & restaurandis ejus muris editum fuerit, sed tota illa diversitas ad paucos annos constringitur, ut proin necessarium sit, Messiam jam venisse. Parum enim ad hoc interest, utrum sermo ille vel edictum prodierit anno primo Darii Medi Persarum & Babyloniorum Regis, vel anno septimo Artaxerxis Longimani, vel ejusdem Artaxerxis anno vigesimo.

Prophetia VII. Patriarcha Jacob, qui vixit ante Christum ferme duobus annorum millibus, moriturus benedixit filiis suis, inter quos erat Judas. Huic prænuntiat, eam stirpem perventuram ad dignitatem regiam; neque ejus regimen penitus interiturum, donec veniat Messias. Cum igitur tempore Christi duo ultimi principes ex stemmate regio Judæ, nempe Hircanus, & Aristobulus, agente Herode interempti fuerint, consequens erat, Messiam venire. Prophetia Jacobi sic habet: Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda. Ad prædam fili mi ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo; & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium. Quod sub hoc termino, *exspectatio gentium* intelligatur Messias, patet ex pluribus aliis textibus Scripturæ, in quibus de Messia similia dicuntur: v. g. Aggæi 2. v. 8. Veniet desideratus cunctis gentibus. Et Psal. 21. Adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Et Isa. 2. v. 2. Fluent ad eum omnes gentes. Et c. 11. v. 10. Ipsum gentes deprecabuntur. Et c. 49. v. 6. Ecce, dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. In textu Hebraico ad litteram sic habetur: Non recedet Sceptrum de Juda, & Legislator de inter pedes ejus, usquequo veniat Siloh; & erit ei obedientia populorum. Septuaginta Interpretes textum sic vertunt; Non deficiet princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus, donec veniant, quæ promissa sunt ei; & ipse est exspectatio gentium. Textus Chaldaicus sic habet: Non auferetur habens principatum in domo Judæ, neque Scriba à filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi. Textus Samaritanus sic habet: Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de vexillis ejus, hoc est, de cohortibus ejus militaribus, donec veniat Pacificus, & ad ipsum congregabuntur populi. Textus Syriacus sic habet: Non deficiet sceptrum de Juda, & expositor de inter pedes ejus, donec veniat, cujus illud est; & ipsum exspectabunt gentes. Hæc omnia quoad substantiam idem sonant. Sic enim Isaiæ 9. v. 6. Messias vocatur *princeps pacis*. Et Psal. 71. v. 7. Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis. Et Zachariæ 9. v. 10. Loquetur pacem gentibus. Et in *Thalmud* Tract. *Sanhedrin* c. 11. Messias vocatur ab ipsis Judæis *Siloh*. Ad quæstionem enim, quodnam Messiæ nomen sit, Thalmud respondet: Qui de domo Rabbi Schillæ sunt, dixerunt, Siloh nomen ejus esse; quia dicitur: donec venerit Siloh. Cæterum Siloe in hebraica lingua idem significat, ac *missus*, in græco, *angelus*.

Prophetia VIII. Cum Israelitæ post transitum maris rubri tenderent in terram promissionis, & Balac Rex Moabitarum timeret, ne suus populus vastaretur ab Israelitis, rogabat prophetam Balaam, ut funderet preces execratorias super exercitum Israelitarum. Verum Balaam loco maledictionis bene precatus est Israeli. In fine suæ benedictionis Regem Moabitarum allocutus l. *Numerorum* c. 24. v. 14. hæc addidit: Pergens ad populum meum (moriturus) dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Dixit auditor sermonum Dei. Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel. Hanc stellam apparuisse in nativitate Christi, insinuat Matthæus c. 2.

Prophetia IX. Prophetæ nuntiant, Messiam fore Deum.

1. Baruch c. 3. v. 36. dicit: Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

2. Isaiæ c. 35. v. 4. Deus ipse veniet, & salvabit nos: tunc aperientur occuli cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

3. Isaiæ c. 25. v. 9. Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, & salvabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum & exultabimus, & lætabimur in salutari ejus.

4. Isaiæ c. 48. v. 12. Audi me Jacob, & Israel, quem ego voco. Ego ipse; ego primus, ego novissimus. Manus mea fundavit terram; & dextera mea mensa est cœlos. - - Accedite ad me, & auditehoc: Non à principio in abscondito locutus sum; ex tempore antequam fieret, ibi eram. Et nunc Dominus meus misit me, & Spiritus ejus. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus Sanctus Israel. Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas.

5. Isaiæ 45. v. 14. Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Et v. 6. Hæc dicit Dominus Rex Israel & Redemptor ejus, Domi-

Dominus exercituum. Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.

6. Zachariæ c. 2. v. 8. Ecce ego venio & habito in medii tui, ait Dominus.

7. Michææ c. 5. v. 2. Et tu Bethlehem parvulus es in millibus Juda. Ex te egredietur, qui sit dominator in Israel; & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.

8. Isaiæ c. 9. v. 6. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus. Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.

9. Jeremiæ c. 23. v. 5. Ecce dies veniunt, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium, & justitiam in terra; in diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. In textu Hebraico loco hujus termini, *Dominus*, habetur terminus, *Jehova*, quem terminum Hebræi & Scriptura constanter soli Deo tribuunt. Idem habetur Jeremiæ c. 33. v. 14. Ecce dies veniunt, & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel & ad domum Juda. In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ, & faciet judicium, & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Ubi iterum in textu Hebraico habetur terminus *Jehova*.

10. Psal. 2. v. 7. Deus de Messia dicit: Dominus dixit ad me; filius meus es tu; ego hodie genui. Et Psal. 109. Dixit Dominus Domino meo; sede à dextris meis - - in splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.

Prophetia X. Omnia cæremonialia Legis Mosaicæ erant figura rei pertinentia vel ad instructionem morum, vel ad instructionem fidei circa futura mysteria Messiæ. Ergo, quæ ad instructionem morum non habent significationem obviam; necessario habent rationem propheticæ realis symbolicæ circa mysteria Messiæ. Jam vero talia sunt:

1. Esus agni paschalis sine comminutione ossium, cum lactucis agrestibus, & cum baculis in manibus, & cum festinatione.

2. Quotidiana immolatio matutina & vespertina agni.

3. Emundatio & sanctificatio omnium rerum per effusionem vel aspersionem sanguinis ex victima.

4. Hircus emissarius in desertum, qui debebat portare omnia peccata & maledictiones populi.

5. Velum Tabernaculi & Templi ante Sancta Sanctorum, quæ nulli licebat inspicere, nisi Summo Sacerdoti, suo tempore revelanda. Hæc omnia & plura alia in solo Christo, immolato in Pascbate pro peccatis humani generis, qua hora etiam velum templi scissum est, impleta esse ostendi possunt.

Prophetia XI. Tempore Christi dabatur non solum in gente Judaica traditio, sed etiam in toto oriente fama, completa esse tempora pro adventu Messiæ. Hæc autem tam universalis traditio & fama non poterat fundari nisi in Prophetia manifesta vel scripta vel tradita oretenus. *Josephus*, qui fuerat præsens eversioni Jerosolymæ sub Tito Vespasiano, postquam enarraverat varias seditiones Judæorum, excitatas ab iis, qui dicebant, se esse Messiam, testatur de ea generali persuasione l. 7. de bello. c. 12. *Maxime*, inquit, *eos ad bellum excitaverat responsum ambiguum, itidem in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus Orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperant, multique sapientes interpretatione decepti sunt.* Ita *Josephus*, adulator Imperatoris Gentilis Vespasiani, in quo prophetiam de se minime ambiguam impletam esse adulatur.

2. *Cornelius Tacitus* l. 5. Historiarum de illis Christi temporibus scribens ait: Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur.

3. *Suetonius* in Vespasiano scribit: Percrebuerat Oriente toto Vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Juda a profecti rerum potirentur. Eadem generalis persuasio probatur ex variis textibus historiæ Evangelicæ, v. g. ex ortu stellæ & adventu Magorum, & infanticidio perpetrato jussu Herodis, Matth. 2. ex sermone mulieris Samaritanæ Joan. 4. v. 25. Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia. Et ex Prophetia *Simeonis*, de quo scribitur Lucæ 2. v. 25. Erat homo in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, exspectans consolationem Israel. Item v. 36. Erat Anna Prophetissa; & hæc superveniens loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.

Prophetia XII. Ipsa stupenda obduratio & excæcatio populi Judaici circa adventum veri Messiæ fuit prænuntiata à Prophetis. Textus Prophetarum sunt sequentes. 1. Isaiæ 1. v. 2. Filios enutrivi & exaltavi; ipsi vero spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt Sanctum Israel; abalienati sunt retrorsum. Et c. 6. v. 9. Vade & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere; videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum. Et c. 8. v. 14. Erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis & petram scandali duabus Domibus Israel, & in laqueum, & in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi & cadent, & conterentur; & irretientur, & capientur. Et c. 9. v. 17. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum; & erunt vagi in nationibus. Et c. 29. v. 10. Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; qui vident visiones, aperiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati,

quem cum dederint scienti litteras, dicentque, lege istum; respondebit, non possum; signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei, lege. Et respondebit; nescio litteras. - - Ideo ecce ego addam, dicit Dominus, & admirationem addam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim scientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentum ejus abscondetur. Et c. 8. v. 9. Quomodo dicitis, sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est. Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt. Verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis.

2. Oseæ c. 9. v. 17. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum. Et erunt vagi in nationibus.

3. Jeremiæ c. 5. v. 21. Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis; & aures, & non auditis. - - Populo huic factum est cor incredulum, & exasperans; nescierunt, & abierunt. Et c. 8. v. 5. Apprehenderunt mendacium & noluerunt reverti. Attendi & auscultavi; nemo quod bonum est loquitur. -- -- Milvus in cœlo cognovit tempus suum: turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini.

4. Ezechielis c. 12. v. 2. Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt, quia domus exasperans est.

5. Isaiæ c. 10. v. 17. Erit lumen Israel in igne, & Sanctus ejus in flamma; & succendetur & devorabitur spina ejus & vepres in die una; & gloria saltus ejus consumetur; & reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos. Et erit in die illa; non adjiciet residuum Israel. Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo. In bis textibus monstratur partim obduratio gentis Judaicæ ante Christum, partim in adventu Christi, partim post Christum, ita ut respective pauci ad veram fidem pertingant.

Plura alia argumenta videri possunt in Eusebii Neocæsariensis Episcopi *Præparatione* & *Demonstratione Evangelica*, & in variis libris SS. Patrum; præsertim ex Historia Evangelica & Actis Apostolorum, ubi narrantur multa miracula, quæ si omnia adscribantur operationi dæmonis, vel deceptioni hominum, idem dici poterit de miraculis Mosaicis & Prophetarum, & sic tollitur providentia Dei circa suam Religionem, quod est impossibile. Itaque Deus non potuit permittere tam longam & universalem fraudem hominum vel dæmonum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Verum non est, omnes gentes ad Christum conversas esse; ergo ex illa prophetia de conversione omnium gentium non potest sumi argumentum. *Ant. prob.* Adhuc plus quam dimidia pars hominum non credit in Christum; & inter eos, qui in Christum credunt, dimidiam partem constituunt sectarii. Ergo.

2. Christus crucifigendus non erat cognitus à gentibus. Ergo de illo non verificatur, quod sit *exspectatio gentium*, & *desideratus cunctis gentibus.*

Respondeo

Ad 1. dist. non est verum, omnes gentes illis temporibus adhuc incognitas ad Christum conversas esse. tr. gentes tunc cognitas. n. Licet enim aliquæ harum gentium post conversionem à fide defecerint, verum tamen est, quod aliquando ad fidem Christi conversæ fuerint. Neque Sectariorum multitudo tollit puritatem & universalitatem veræ religionis. Sic enim etiam religioni veteri non obstitit, quod ab ea deflecterent Samaritani, Sadducæi, Herodiani &c.

Ad 2. dist. non erat agnitus sub ratione individuali. tr. sub ratione generica principii beatificantis. n. Omnes enim gentes appetierunt immortalitatem beatam animorum & corporum. Cum autem nullum habuerint medium pro immortalitate vel resurrectione corporum & pro beatitudine æterna animorum, manifestum est, appetitum innatum omnium gentium reipsa eo respexisse, ut desideraret medium seu principium talis beatitudinis. Cum ergo nulla alia sit salus, nisi per Christum; consequens est, appetitum gentium objective in esse verificativo referri ad Christum. Quod autem appetitus naturalis cujusibet rei in Scriptura vocetur desiderium, habentur plures textus. Sic Deut. 11. v. 11. dicitur: *Terra montosa est, de cœlo expectans pluvias.* Et Jobi 37. v. 11. *Frumentum desiderat nubes.* Et Joelis 1. v. 20. *Quasi area sitiens imbrem.*

Objicitur 2. Ille necdum venit, cujus signa in Scripturis præmonstrata necdum comparuerunt. Sed signa Messiæ necdum comparuerunt. Ergo. *Min. prob.* Malachiæ 3. v. 1. dicitur: *Ecce, mitto angelum meum & præparabit viam ante faciem meam.* Et c. 4. v. 5. dicitur; eum præcursorem fore Eliam. *Ecce, ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & convertet cor patrum ad filios, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.*

2. Isaiæ 2. v. 2. Messias dicitur venturus in *novissimis diebus.* Ergo veniet primum in fine mundi.

3. In diebus Messiæ prænuntiatur justitia & pax. Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis. Ps. 71. v. 7. Sed hæc in mundo necdum comparuit.

4. In Scriptura Messias describitur tanquam bellator, qualis non erat Christus. Psal. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. De eodem dicitur, quod dominium temporale totius orbis habiturus sit. Ps. 2. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

5. In adventu Christi erit major lux solis & lunæ, quod non contigit tempore Christi. Isaiæ 30. v. 26. Sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui.

6. Ezechielis 40. extat magnifica descriptio templi, quod à Messia restaurandum est. Sed non est restauratum à Christo.

7. Je-

7. Jeremiæ 23. v. 5. dicitur, in adventu Messiæ Judam esse salvandum, & habitationem Israelis fore pacificam. At per Christum Judæi potius reprobati & dispersi sunt.

8. Ezechielis 38. v. 39. dicitur, quod Messias sit debellaturus Gog & Magog. Sed isti populi necdum comparuerunt.

Respondeo.

Ad 1. Dico, ibi sermonem esse de secundo adventu Messiæ *manifesto* & glorioso quando mittetur Elias ad reducendum populum ab Antichristo seductum, nc in illo extremo die prorsus totus mundus damnetur.

Ad 2. Dico, novissimos dies vocari totum spatium temporum, quod post adventum Messiæ usque ad finem mundi excurret, ita ut hic terminus *comparativè* ad priora tempora, *non absolutè*. In hoc sensu etiam Apostoli hoc spatium *novissimos dies* vocant, imo & *ultimam horam*. Monet tamen D. Petrus 2. c. 3. *quod unus dies apud Dominum sit sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus*.

Ad 3. Dico, ibi non esse sermonem de pace externa reipublicæ, sed de pace privata hominum etiam cum hostibus, quos tenemur diligere, atque ad concordiam diligere. Hic sensus colligitur ex sequenti parabola, cum dicitur, lupum cum agno, pardum cum hœdo simul habitaturum.

Ad 4. Dico, morem belligerandi sagittis materialibus jam dudum exolevisse. Itaque si ista materialiter intelligenda forent, Messias non amplius venturus esset. Potius ergo illud dominium & bellum est spirituale animorum, quam corporum. Aut si quis Judæus hæc materialiter intellecta velit, censendum est, Christum hæc omnia præstitisse per suos Imperatores & Reges Christianos, tanquam Duces suos.

Ad 5. Dico, si hoc incrementum lucis septuplum intelligendum foret materialiter, brevi omnes homines excæcandos fore. Sicut ergo alligatio vulneris in sensu morali sumenda est, ita etiam lux.

Ad 6. Dico, ibi sermonem esse de templo non per Messiam, sed per Zorobabelen post captivitatem babylonicam reædificando.

Ad 7. Dico, Messiam habuisse intentionem primo salvandi Judam & Israelem, & ideo solis prædicavit Judæis, quod etiam mandatum Apostolis inculcavit, ut irent solum ad oves quæ perierunt domus Israel. Itaque dicuntur salvari uti sanari ratione conatus salvandi & sanandi, si vellent. Postquam vero repulerunt verbum Dei, tunc primum Apostoli conversi sunt ad gentes.

Ad 8. Dico; ibi sermonem esse non de Messia, sed de vindicta Numinis in populos Gog & Magog, hoc est, Lydiæ & Syriæ, & Septentrionis, qui illis temporibus sæpius invaserant & oppresserant Israelem. Illi autem populi sic vocabantur à *Gyge* Rege Lydorum, & à Metropoli Asiæ *Magog*, seu *Jerapoli*, prout eam civitatem vocatam esse testatur *Plinius* l. 5. c. 28. De iisdem populis sermo est *Genesis* c. 10. v. 2. Quod si Judæus contendat, hæc intelligenda esse de Messia in fine mundi, id intelligendum de eversione imperii Turcarum per Imperatores & Reges Christianos tanquam Duces constitutos à Christo.

Objicitur 3. Etsiamsi tempus pro adventu Messiæ designatum jam effluxerit, potest tamen dici, eum adventum retardari ob peccata populi Judaici.

2. Etsiamsi Christus patraverit miracula, id non ostendit, eum esse Messiam, quia etiam à gentilibus aliquando fuerunt patrata miracula. Sic Exodi c. 7. & 8. legitur, Magos Ægypti stupenda operatos esse prodigia. Imo Christus Matth. 24. v. 24. ipsemet prænuntiat, Antichristum tanta operaturum prodigia, ut si possibile foret, in errorem inducantur etiam electi. Et Suetonius in Vespasiano refert, ejus sputo cœcum esse illuminatum, & calce ejus fuisse claudum sanatum. Similiter prodigia, quæ operatus est Apollonius Thyanæus, Philosophus è Secta Pythagorica, multa fuerunt, ut testatur Philostratus, qui illius vitam octo libris complexus est.

3. Propagatio religionis Christianæ non est major propagatione Sectæ Mahometanæ; ergo illius propagatio per orbem non debet poni pro signo characteristico Messiæ.

Respondeo

Ad 1. n. a. Nam in Prophetiis quoad designationem temporum nec additur, nec convenienter adderetur unquam conditio incerta. Dein propter peccata populi Judaici nunquam Deus per tantum temporis spatium, ac sunt 1750. anni, distulit liberationem sui populi, prout patet ex liberatione à servitute Ægyptiaca & Babylonica. *Tertio* Judæi nunc non sunt Idololatræ ut olim, nec dicent, se esse sceleratiores illis suis antiquis Patribus. Imo occidendo Christum, si non fuisset Messias, sed blasphemus, egissent opus summe meritorium, & nunc per tot sæcula ratione illius boni operis sustinendo tot persecutiones à Christianis & Turcis essent potius in perpetuo statu merendi. Non igitur ob eorum peccata differretur adventus Messiæ. *Quarto* Messias venit in bonum totius generis humani. Itaque non retardaretur ob peccata solius generis Judæorum.

Ad 2. Dico, non esse positive inconveniens, si Deus ad aliquod breve tempus permittat præstigias dæmonum & opera magica; interesse autem providentiæ divinæ, ne permittat, operationes dæmonum transire in religionem eminenter credibiliorem cæteris, ita ut falsæ religioni non opponat suam veram religionem cum operationibus soli Deo possibilibus. Sic Magis Ægyptiacis opposuit prodigia Moysis. Prodigiis Apollonii Thyanæi opposuit prodigia patrata à Sanctis & Martyribus illorum temporum. Dein Magi Ægyptiaci & Apollonius non operabantur prodigia post mortem. Econtra Christus operatus est prodigia perpetua etiam post mortem in suis fidelibus, uti & Martyres. Itaque id signum manifestum est cooperantis providentiæ divinæ. At vero à Judæis nulla possunt proferri prodigia, quæ opponantur miraculis Christi & ejus Ecclesiæ. Quod Apollonium attinet illius prætensa prodigia scribit unus Philostratus centum annis post mortem Apollonii, idque sine teste synchrono, nec sine contradictionibus. Miracula Vespasiani *Tacitus* l. 4. n. 81. narrat sic contigisse, ut facile ope dæmonis aut fraude humana fieri potuerint.

fuerint. Medici enim à Vespasiano interrogati, an illi defectus naturaliter curari possent, id fieri posse affirmabant.

Ad 3. Dico, religionem Mahumedanam non tam latè patere ac Christianam. Propagatio antem illius, cum laxaverit leges Christianas, non opus habuit cooperatione Dei. Econtra religio Christiana, cum miro modo constrinxerit mores ac leges gentilium, inter perpetuas trecentorum fere annorum persecutiones non potuisset adolescere sine brachio cooperantis omnipotentiæ divinæ. Hinc rectè *S. Augustinus* l. 22. de Civit. c. 8. ait: *Quisquis adhuc prodigia, ut credat*, inquirit, *magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Et qui miracula facta non credunt, nobis hoc unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.*

QUÆSTIO III.

An Incarnatio fuerit conveniens quoad circumstantias personarum, locorum, & temporum?

QUÆRITUR 1. Utrum Incarnari conveniat Deo?

RESPONDEO. Affirmative. Ratio est, quia Deo, qui est summe bonus, convenit, communicare se creaturis modo perfectissimo, quo potest se communicare. Ita respondet S. Thomas p. 3. q. 1. a. 1. C. Dicendum, inquit, qnod unicuique rei conveniens est illud, quod competit sibi secundum rationem propriæ naturæ; sicut homini conveniens est ratiocinari; quia hoc convenit sibi, inquantum est rationalis secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis. Unde quidquid pertinet ad rationem boni, conveniens est Deo. Pertinet autem ad rationem boni, ut se aliis communicet. Unde ad rationem summi pertinet, quod summo modo se creaturæ communicet. Quod quidem maxime fit per hoc, quod naturam creatam sic sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima, & carne.

QUÆRITUR 2. An conveniat Personæ divinæ Incarnari?

RESPONDEO. Affirmative. Ratio est, quia Incarnari dicit quandam actionem. Actiones autem sunt suppositorum, seu personarum. Ita D. Thomas 3. q. 3. a. 1. C. Dicendum, inquit, quod in verbo *assumptionis*, (hoc est, in termino Incarnationis) duo importantur, videlicet principium actus & terminus. Dicitur enim *sumere*, quasi ad se sumere. Hujus autem sumptionis persona est principium & terminus. Principium quidem, quia personæ propriæ competit agere. Similiter etiam persona est hujus sumptionis (seu actionis divinæ) terminus, quia unio facta est in persona, non in natura.

QUÆRITUR 3. An fuerit conveniens potius Incarnari Filium, quam Patrem, aut Spiritum Sanctum?

RESPONDEO. Affirmative. Ratio est triplex.

1. Quia Deus pater per Verbum suæ mentis tanquam Ideam creabilium creavit omnia. Decuit ergo, ut per eandem formam reformaret omnia.

2. Quia prædestinati assumuntur in filios. Decuit ergo, ut adoptarentur per filium.

3. Quia, cum Adam peccaverit per appetitum scientiæ, decuit, ut reduceretur per sapientiam Patris. Ita respondet D. Thomas 3. q. 3. a. 8. C. Dicendum, quod convenientissimum fuit, personam filii incarnari. Primo enim convenienter, quæ sunt similia, uniuntur. Ipsius autem personæ filii, qui est Verbum Dei, attenditur communis convenientia ad creaturam; quia verbum artificis id est, conceptus ejus, est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt. Unde Verbum Dei, quod est æternus conceptus ejus, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Secundo potest accipi ratio hujus congruentiæ ex fine unionis, qui est impletio prædestinationis ad hæreditatem æternam, quæ non debetur, nisi filiis. Et ideo congruum fuit, ut per eum, qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem hujus filiationis secundum adoptionem. Tertio potest accipi ratio hujus congruentiæ ex peccato primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur. Peccaverat enim primus homo appetendo scientiam, ut patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni & mali. Unde conveniens fuit, ut per Verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum.

QUÆRITUR 4. An fuerit conveniens, ut assumeretur natura humana ex genere Adami?

RESPONDEO. Affirmative. Ratio redditur à D. Thoma 3. q. 4. a. 6. C. his verbis: Dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in l. 13. de Trinit. c. 18., poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adæ, qui suo peccato obligavit genus humanum. Sed melius judicavit, de ipso, quod victum fuerat, genere assumere hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum. Et hoc propter tria. Primo quidem; quia hoc videtur ad justitiam pertinere, ut ille satisfaciat, qui peccavit. Et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secundo, quia hoc etiam pertinet ad majorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta & infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem & dignitatem est promotum.

QUÆRITUR 5. An fuerit conveniens, ut Incarnatio fieret tam sero post creationem mundi?

RESPONDEO. Affirmative. Ratio à D. Thoma 3. q. 1. a. 5. redditur triplex his verbis: Cum opus Incarnationis principaliter ordinetur ad reparationem humanæ naturæ per peccati abolitionem, manifestum est, quod non fuit conveniens à principio humani generis ante peccatum Deum incarnatum fuisse. Non enim datur medicina, nisi jam infirmis. Sed nec etiam statim post peccatum conveniens fuit Deum incarnari. Primo quidem propter conditionem humani peccati, quod ex superbia pervenerat. Unde eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret se liberatore indigere. Unde reliquit

liquit Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret. Ubi, cum deficeret, legem accepit, qua data invaluit morbus, non legis, sed naturæ vitio, ut ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium. *Secundo*, propter ordinem promotionis in bonum, secundum quem ab imperfecto ad perfectum proceditur. Unde Apostolus 1. Cor. 15. dicit; Non prius quod spiritale est, sed quod animale est; deinde quod spiritale. *Tertio* propter dignitatem Verbi Incarnati; quia quanto major judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat.

Quæritur 6. Cur non fuisset conveniens, si Incarnatio fuisset dilata usque ad finem mundi?

Respondeo. Ratio à D. Thoma 3. q. 1. a. 5. redditur sequens: Ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret; quia circa finem mundi frigescet charitas multorum. Unde Lucæ 18. dicitur: Cum filius hominis veniet, putas inveniet fidem in terra? Et a. 6. c. Si hoc remedium differretur usque in finem mundi, totaliter Dei notitia & reverentia, & morum honestas abolita fuisset in terris. S. Doctor ibidem reddit duas alias rationes; videlicet quia in iis rebus, quæ sunt causa perfectionis aliarum rerum, perfectum est tempore prius rebus perficiendis. Cum ergo Christus sit causa perfectiva hominum, debuit etiam tempore præcedere saltem respectu alicujus partis hominum. Dein quia sic magis elucescit virtus divina salvandi homines, dum unam partem hominum salvat per fidem futuri, aliam per fidem præsentis aut præteriti Messiæ.

Verum convenientiarum jam satis est; nec vacat, eas objectionibus concutere; cum certum sit, Deum etiam potuisse facere oppositum; quod si elegisset, non defuturæ fuissent etiam convenientiæ pro opposito.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit natura unionis hypostaticæ?

Quæritur 1. An unio hypostatica facta fuerit in natura humana & divina?

Respondeo. Negative. Fieri enim unionem hypostaticam in natura triplici modo intelligi potest. *Primo* sic, ut vel natura humana convertatur in divinam, vel divina in humanam, *Secundo*, quod maneat quidem utraque natura, ita tamen ut una se habeat ad alteram per modum materiæ ad formam. *Tertio*, ut ambæ naturæ maneant in suo esse perfecto, ita tamen, quod coordinentur, tanquam membra ejusdem corporis, ad idem principium commune. Sed neutro horum trium modorum potest fieri unio in natura. *Non primo*, quia definitum est in Concilio Chalcedonensi, & manifeste eruitur ex Scriptura, quod in Christo tam natura humana, quam divina, maneant in suo esse perfecto. Symbolum Concilii Chalcedonensis sic habet: Confitemur, in novissimis diebus Filium Dei Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem. *Non in secundo* sensu, quia natura divina nec se habet per modum materiæ, nec per modum formæ. Si enim natura divina se haberet per modum formæ, sequeretur, quod esset receptibilis in pluribus materiis, & sic essent possibiles plures Christi, ac plures Dii. *Nec tertio* modo; quia natura divina non potest subordinari & coordinari ad aliud commune *principium motus*, cum supra naturam divinam non detur superius quoddam principium motus. Relinquitur proin, unionem hypostaticam saltem *directe* ac immediate non fieri in natura. Ita discurrit D. Thomas 3. q. 2. a. 1. C. ubi observat, naturam *ab Aristotele* l. 2. Phys. definiri, quod sit *principium motus in eo, in quo est per se, & non per accidens*. Vel prout Boethius in l. de duabus naturis eam definit, quod natura sit *unamquamque rem informans specifica differentia*.

Quæritur 2. An unio Verbi facta sit in persona?

Respondeo. Affirmative. Ita definitum est in Concilio Ephesino contra Nestorium his verbis: Non in duas personas partitum aut divisum, sed unum & eundem Filium Unigenitum Deum Verbum D. N. J. C. confitemur. Rationem D. Thomas assignat, quia sub termino *persona* vel *suppositi* intelligitur *totum aliquod individuum* ex variis naturis tanquam partibus compositum. In p. 3. q. 2. a. 2. C. sic scribit: Dicendum, quod persona aliud significat, quam natura. Natura enim significat essentiam speciei, quam significat definitio. Et si his, quæ ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adjunctum inveniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam à supposito naturæ, quod est individuum subsistens in natura illa; quia unumquodque individuum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem, in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid, quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia, & principia individuantia; sicut maxime apparet in his, quæ sunt ex materia & forma composita; & ideo in talibus etiam secundum rem differt natura & suppositum; non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, & superadduntur quædam alia, quæ sunt præter rationem speciei: unde suppositum significatur *ut totum*, habens naturam sicut partem formalem & perfectivam sui; & propter hoc in compositis ex materia & forma natura non prædicatur de composito: non enim dicimus, quod hic homo sit sua humanitas. Si qua vero res est, in qua omnino nihil aliud est præter rationem speciei vel naturæ suæ, sicut est in Deo, ibi non est aliud secundum rem suppositum & natura, sed solum secundum rationem intelligendi; quia natura dicitur, secundum quod est essentia quædam: eadem vero dicitur suppositum, secundum quod est subsistens. Et quod est dictum de supposito (circa creaturas irrationales,) intelligendum est de persona in creatura rationali vel intellectuali; quia nihil aliud est persona, quam rationalis naturæ individua substantia secundum Boethium. Omne igitur, quod inest alicui personæ, sive pertineat ad naturam ejus, sive non, unitur ei in persona. Si ergo humana natura

Verbo Dei non unitur in persona, nullo modo ei unitur; & sic totaliter tollitur Incarnationis fides, quod est subruere totam fidem Christianam. Quia ergo Verbum habet naturam humanam sibi unitam, non autem ad suam naturam divinam pertinentem, consequens est, quod unio sit facta in Verbi persona, non autem in natura.

Verum, quia Concilium Ephesinum non est usum ratiocinio Theologico, sed testimoniis Scripturæ, ideo RESPONSIO PROBATUR hoc argumento. In Scriptura operationes humanæ naturæ in Christo tribuuntur Deo, & vicissim operationes naturæ divinæ tribuuntur homini; Ergo cum actiones sint suppositorum, necesse est, esse unam personam in Christo. *Ant. prob.* Sic dicitur Joan. 1. v. 18. *Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.* Enarrare autem est humanæ naturæ proprium. Et Baruch 3. v. 36. *Hic est Deus noster; post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Conversari est iterum humanæ naturæ. Et Joan. 3. v. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui descendit de cœlo, & sicut Moyses exaltavit serpentem, ita exaltari oportet filium hominis.* Hujusmodi textus, ubi Deo tribuuntur actiones humanæ, & homini actiones divinæ in Christo, occurrunt centum in Scriptura N. T.

QUÆRITUR 3. An Unio Verbi Incarnati facta sit in supposito, seu hypostasi?

RESPONDEO. Affirmative. Ita definitum est in Concilio Ephesino, & in Concilio Constantinopolitano II. In Concilio Ephesino approbati fuerunt duodecim anathematismi S. Cyrilli Alexandrini, in quibus Can. 2. sic habetur: Si quis non confitetur, carni secundum subsistentiam unitum ex Deo patre verbum, unumque esse Christum, cum sua carne eundem, scilicet Deum & hominem, anathema sit. Et Can. 4. Si quis personis duabus vel subsistentiis eas, quæ sunt in Evangelicis & Apostolicis Scripturis, impartitur voces, aut de Christo à Sanctis dictas, aut ab ipso de se; & quasdam quidem velut homini præter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat; quasdam vero, velut Deo decentes, soli ex Deo patre Verbo, anathema sit. Et Can. 3. Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem, sola eas copulans conjunctione, quæ secundum dignitatem quandam, vel autoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu secundum potentiam naturalem, anathema sit. Et in Concilio CP. Can. 5. dicitur: Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, anathema sit.

PROBATUR RESPONSIO 2. Si darentur in Christo duæ hypostases seu subsistentiæ in una persona, illa unitas personæ tantum posset esse moralis, prout duo homines *affectione* reciproca sunt aliquid unum, vel dignitate, vel authoritate, vel potentia, non natura. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. prob.* Si tantum daretur unitas moralis inter personam Verbi & personam hominis, simul in sensu physico, ac consequenter magis proprio possent ac deberent admitti propositiones contradictoriæ Scripturis ac Conciliis, nempe hæ: Homo non est Deus; non Deus, sed homo est natus de virgine, passus, ac crucifixus, ac sepultus. &c. quæ tamen propositiones sunt hæreticæ. Itaque debet admitti talis unitas in persona Christi, quæ excludat omne verificativum ejusmodi propositionum.

QUÆRITUR 4. An præter unionem hypostaticam in Christo detur alia unio inter illius corpus & animam?

RESPONDEO. Affirmative. Id S. Thomas 3. q. 2. a. 4. C. sic probat: Christus dicitur homo univoce cum aliis hominibus, utpote ejusdem speciei existens, secundum illud Apostoli Phil. 2. In similitudinem hominum factus. Pertinet autem ad rationem speciei humanæ, quod anima corpori uniatur. Unde necesse est dicere, quod in Christo fuerit anima corpori unita; & contrarium est hæreticum, utpote derogans veritati humanitatis Christi. Ita S. Thomas.

QUÆRITUR 5. An natura humana fuerit Verbo unita tantum accidentaliter?

RESPONDEO. Negative. Si enim daretur solum unio accidentaliter, sequeretur, dari duas personas in Christo, quod est hæreticum. Id S. Thomas 3. q. 2. a. 6. sic probat: Circa mysterium unionis duarum naturarum in Christo duplex hæresis insurrexit. *Una* quidem confundentium naturas; scilicet Eutychetis & Dioscori, qui posuerunt, quod ex duabus naturis est constituta una natura, ita quod confitentur Christum ex duabus naturis quasi ante unionem distinctis; non autem in duabus naturis, quasi post unionem naturarum distinctione cessante. *Alia* vero fuit hæresis Nestorii & Theodori Mopsuesteni, separantium personas. Posuerunt enim, aliam esse personam filii Dei, & filii hominis, quas dicebant sibi invicem esse unitas; *primo* quidem per inhabitationem; inquantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo. *Secundo* per unitatem affectus; inquantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. *Tertio* secundum operationem; prout scilicet dicebant, hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. *Quarto* secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur filio Dei, coexhibetur filio hominis propter conjunctionem ad filium Dei. *Quinto* secundum æquivocationem, id est, communicationem nominum, prout scilicet dicimus, illum hominem esse Deum, & filium Dei. Manifestum est autem, istos omnes modos accidentalem unionem importare. Quidam autem posteriores Magistri reputantes, se has hæreses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum concesserunt unam Christi personam, sed posuerunt duas hypostases sive duo supposita, dicentes, hominem quendam, compositum ex corpore & anima, à principio suæ conceptionis esse assumptum à Dei Verbo. Alii vero volentes servare unitatem personæ posuerunt, Christi animam non esse corpori unitam; sed hæc duo separata ab invicem esse unita Verbo accidentaliter, ut sic non cresceret numerus personarum. Utraque autem harum opinionum incidit in hæresin Nestorii. Prima quidem, quia idem est ponere duas hypostases, vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas. Et si fiat vis in nomine,

Per-

Persona; considerandum est, quod etiam Nestorius utebatur unitate personæ propter unitatem dignitatis & honoris. Unde etiam sexta Synodus definit anathema eum, qui dicit unam personam secundum dignitatem & honorem & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius insanientes conscripserunt. Alia vero opinio incidit in errorem Nestorii quantum ad hoc, quod posuit unionem accidentalem. Non enim differt, dicere, quod Verbum Dei unitum est homini Christo secundum inhabitationem, sicut in templo suo, sicut dicebat Nestorius; & dicere, quod unitum fuit Verbum Dei homini secundum indutionem, sicut vestimento, sicut dicit hæc opinio, quæ etiam pejus dicit aliquid, quam Nestorius, scilicet quod corpus & anima non sunt unita. Fides autem Catholica medium inter prædictas opinones tenens non dicit, unionem factam Dei & hominis secundum essentiam vel naturam, neque etiam secundum accidens; sed medio modo secundum subsistentiam, seu hypostasin. Unde in sexta Synodo (Concilio CP. II. Can. 4.) dicitur: Cum multis modis unitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarii & Eutychetis sequuntur, interimentes utramque naturam, unionem secundum confusionem dicunt. Theodori autem & Nestorii sequaces divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Hucusque S. Thomas.

Quæritur 6. An unio naturæ humanæ & divinæ sit aliquid creatum?

Respondeo. Unio hypostatica ex parte naturæ humanæ est aliquid creatum, ex parte autem Dei est aliquid increatum. Sensus responsionis & probatio patet ex quæst. 1. & sequente.

Quæritur 7. Quomodo differant assumptio naturæ humanæ & unio?

Respondeo. Differunt sicut actio unitiva, & sicut terminus actionis unitivæ. Ita D. Thomas 3. q. 2. a. 8.

Quæritur 8. An unio Hypostatica sit maxima unionum?

Respondeo. Tametsi ex parte naturarum, quæ conjunguntur, unio hypostatica maxima non sit; quia natura divina potuisset uniri cum natura angelica; est tamen maxima ex parte divinæ personæ; quia non potuisset fieri unio cum persona excellentiore. Ita D. Thomas l. cc. a. 9.

Quæritur 9. An unio duarum naturarum in Christo facta sit per gratiam?

Respondeo. Si per gratiam intelligatur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem habens, unio Incarnationis facta est per gratiam; sicut & unio Sanctorum ad Deum per cognitionem & amorem. Si vero gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, sic ipsum, quod est, humanam naturam esse unitam personæ divinæ, potest dici quædam gratia, inquantum nullis præcedentibus meritis hoc est factum. Non autem in eo sensu hoc potest vocari gratia, quasi ex parte naturæ humanæ præcedat aliqua gratia habitualis, qua mediante fiat illa unio hypostatica.

Quæritur 10. An gratia unionis fuerit homini Christo naturalis?

Respondeo. Unio hypostatica potest dici naturalis, inquantum est congenita cum natura; non tamen est naturalis in eo sensu, quasi esset orta ex principiis naturæ humanæ. Ita respondet D. Thomas l. cc. a. 12. his verbis: *Naturale potest aliquid dici dupliciter. Uno modo, quod est tantum ex principiis essentialibus rei, sicut igni naturale est sursum ferri. Alio modo dicitur homini naturale, quod ab ipsa nativitate habet. Gratia igitur Christi unionis non potest dici quasi causata ex principiis humanæ naturæ in Christo; quamvis possit dici naturalis, quasi proveniens in naturam humanam Christi causante divina natura ipsius.*

Quæritur 11. An abstracta per intellectum personalitate natura divina possit assumere naturam humanam?

Respondeo. Affirmative. Ita possibile esse probat D. Thomas 3. q. 3. a. 3. C. his verbis: *Intellectus dupliciter se habet ad divina. Uno modo, ut cognoscat Deum, sicuti est. Et sic impossibile est, quod circumscribatur per intellectum aliquid à Deo, & quod aliud remaneat; quia totum, quod est in Deo, est unum salva distinctione personarum; quarum tamen una sublata tollitur alia; quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul. Alio modo se habet intellectus ad divina, non quidem quasi cognoscens Deum ut est, sed per modum suum, scilicet multipliciter & divisim, id quod in Deo est unum. Et per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem & sapientiam divinam, & alia hujusmodi, quæ dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quæ dicuntur personalitates. Et secundum hoc abstracta personalitate per intellectum possumus adhuc intelligere naturam assumentem.*

Quæritur 12. An una persona divina sine alia possit naturam creatam assumere?

Respondeo. Non potest quidem una persona divina assumere naturam creatam sine cooparatione duarum aliarum personarum, potest tamen unio naturæ creatæ terminari ad unam personam, quin terminetur ad alteram. Sicut enim cognitio creata potest esse præcisiva, ita etiam entia relativa creata v. g. actio, unio, possunt esse præcisiva. Ex parte autem Dei omnes actiones ad extra *effectivæ* sunt communes toti Trinitati. Ita docet S. Thomas 3. q. 3. a. 4. C. *Dicendum, quod assumptio duo importat, scilicet actum assumentis, & terminum assumptionis. Actus autem assumentis procedit ex divina virtute, quæ communis est tribus personis. Sed id, quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personæ, quod non alii. Tres enim personæ fecerunt, ut humana natura uniretur uni personæ filii.*

Quæritur 13. An quælibet Persona divina potuerit humanam naturam assumere?

Respondeo. Affirmativè. Non enim est ratio, cur omnipotentia divina non potuerit producere unionem hypostaticam, quæ esset respectiva, seu terminata ad aliam personalitatem, quam Filii. Ita docet D. Thomas 3. q. 3. a. 5. C. *Divina virtus*, inquit, *potuit naturam humanam unire personæ*

personæ Patris vel Spiritus Sancti, sicut univit eam personæ Filii. Et ideo dicendum, quod Pater vel Spiritus Sanctus potuit carnem assumere, sicut & Filius.

Quæritur 14. Anplures personæ possint assumere unam numero naturam?

Respondeo. Affirmativè. Ita docet S. Thomas 3. q. 3. a. 6. ubi in argumento, *sed contra*, responsionem sic probat: *Tres personæ divinæ possunt subsistere in una natura divina. Ergo etiam possunt subsistere in una natura humana, ita scilicet, quod sit una natura humana à tribus personis assumpta.* Id vero S. Doctor positive ostendit esse possibile in Corpore articuli, ubi sic scribit: *Dicendum, quod ex unione corporis & animæ in Christo non fit neque nova persona, neque nova hypostasis; sed fit una natura, assumpta in personam vel hypostasin divinam. Est autem talis personarum divinarum conditio, quod una earum non excludit aliam à communione ejusdem naturæ, sed solum à communione ejusdem personæ. Sic ergo non est impossibile divinis personis, ut duo vel tres assumant unam naturam humanam.*

Quæritur 15. Utrum una persona divina possit assumere duas naturas divinas?

Respondeo. Affirmativè. Ita docet S. Thomas 3. q. 3. a. 7. ubi in argumento: *Sed contra*, succincte rem sic probat: *Quidquid potest Pater, potest Filius. Sed Pater post Incarnationem Filii potest assumere naturam humanam aliam numera ab ea, quam Filius assumpsit. In nullo enim per Incarnationem Filii est diminuta potentia Patris & Filii. Ergo videtur, quod Filius post Incarnationem possit aliam humanam naturam assumere præter eam, quam assumpsit.* Et in C. sic scribit: *Illud quod potest in unum & non in amplius, habet potentiam limitatam ad unum. Potentia autem divinæ personæ est infinita, nec potest limitari ad aliquid creatum. Unde non est dicendum, quod persona divina ita assumpserit unam naturam humanam, quod non potuerit assumere aliam. Videretur enim ex hoc sequi, quod personalitas divinæ naturæ esset ita comprehensa per unam naturam humanam, quod ad ejus personalitatem alia assumi non possit; quod est impossibile. Non enim increatum à creato comprehendi potest. Patet ergo, quod sive consideremus personam divinam secundum virtutem, quæ est principium unionis, sive secundum suam personalitatem, quæ est terminus unionis, oportet dicere, quod persona divina præter naturam humanam, quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere.*

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *contra* 1. ℟. S. Cyrillus Alexandrinus, prout habetur in Actis Concilii Chalcedonensis Actione I. post Epist. Cyr. ad Ep. Ant. dicit: Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ergo unio facta est in unitatem naturæ.

2. In Symbolo Athanasii dicitur; sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus. Ergo sicut ex unione animæ ad corpus fit una natura; ita ex unione Dei & hominis fit una natura.

3. Ubi datur naturarum duarum alteratarum unio, ibi resultat una natura. Sed hoc fit in Christo. Ergo. *Min. prob.* S. Cyrillus dicit l. cc. naturam divinam esse incarnatam, & vicissim S. Gregorius Naz. Epist. 1. ad Cledon. dicit; humanam naturam esse Deificatam. Ergo facta est duarum naturarum alteratarum unio.

Respondeo

Ad 1. dist. Non oportet intelligere, duas naturas divinas esse incarnatas. c. duas naturas, quarum una sit divina, altera humanà. n. Sic enim verba Cyrilli accipienda esse, constat ex Concilio C. P. II. ubi Can. 8. textus S. Cyrilli sic redditur: Si quis unam naturam Verbi Dei incarnatam dicens non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex divina natura & humana, unione secundum subsistentiam facta, sed ex talibus vocibus naturam unam sive substantiam divinitatis & carnis Christi introducere conetur, talis anathema sit.

Ad 2. dist. Dicitur hoc per comparationem suppositi ad suppositum. c. per comparationem naturæ ad naturam. n. Symbolum S. Athanasii præcise dicit; sicut ex corpore & anima fit una persona; ita ex Verbo & natura humana fieri unam personam.

Ad 3. dist. Dicitur natura divina incarnari, & natura humana deificari per unionem. c. per conversionem vel alterationem. n.

Objicitur 2. *contra* 2. ℟. 1. Persona divina & natura divina non distinguuntur inter se. Ergo si unio non est facta in natura, nec est facta in persona.

2. Natura humana in Christo non est minus perfecta, quam in nobis. Ergo cum natura humana in nobis habeat propriam personalitatem, eam etiam habet in Christo.

3. Juxta Boethium Persona est rationalis naturæ individua substantia. Ergo cum natura humana in Christo sit individua; etiam erit persona.

Respondeo

Ad 1. dist. Non distinguuntur inter se realiter. c. formaliter seu fundamentaliter. n. Cum enim præbeant intellectui fundamentum ad formandos diversos conceptus, per præcisionem fieri potest, ut unio naturæ humanæ immediate respiciat personalitatem Verbi, quin respiciat naturam divinam.

Ad 2. c. a. dist. C. Nisi perfectius sit, subsistere per subsistentiam divinam, quam per subsistentiam propriam. c. secus n. natura enim humana in Christo eoipso est perfectior, quod subsistat per subsistentiam Verbi.

Ad 3. dist. a. Persona est individua substantia, existens per se & non in digniori se. c. existens in digniori se. n. Ita textum Boethii explicat S. Thomas 3. q. 2. a. 2. ad 3. ubi ait: *Sciendum, quod non quodlibet individuum in genere substantiæ etiam in rationali natura habet rationem personæ, sed solum illud, quod per se existit, non autem quod existit in alio perfectiori. Unde manus Sortis quamvis sit quoddam individuum, non tamen est persona, quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in suo toto.*

Objicitur 3. *contra* 3. ℟. 1. S. Augustinus in Enchiridio c. 36. dicit: *Divina substantia & humana*

humana utraque est unus Dei Filius, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Ergo dantur dico supposita in Christo.

2. S. Leo in Ep. 10. ad Flavianum c. 4. ait: *Unum horum* (in Christo) *coruscat miraculis; aliud succumbit injuriis. Sed aliud & aliud differunt supposito.* Ergo.

3. Suppositum juxta Boëthium l. *de duabus naturis* nihil aliud est, quam substantia particularis. Sed in Christo dantur duæ substantiæ particulares. Ergo. *Min. prob.* Datur in Christo Hypostasis Verbi, & compositum ex anima & corpore.

4. Hypostasis Verbi nec continetur in aliquo genere, nec in aliqua specie. Econtra Christus qua homo continetur in aliquo genere & specie. Ergo Christus qua homo habet peculiarem hypostasin.

Respondeo

Ad 1. c. *Maj.* dist. *Min.* Est aliud & aliud diversitate naturarum. c. diversitate suppositorum. n. Hi termini, *aliud* & *aliud*, sunt generici ac idonei ad exprimendam quamcunque diversitatem, sive ea sit accidentalis, sive essentialis; & sive diversitas essentialis sit quoad naturam, sive quoad suppositum. Id expresse observat S. Gregorius Nazianzenus Epist. 1. ad Clidonium, ubi ait: *Aliud & aliud sunt ea, ex quibus Salvator est; non autem alius, & alius. Dico vero aliud & aliud econtrario, quam in Trinitate habet. Ibi enim Alius & alius dicimus, ut non subsistentias confundamus; non autem aliud & aliud.*

Ad 2. idem respondeo.

Ad 3. dist. Suppositum est substantia particularis in suo esse completo, quatenus non unitur digniori se. c. in suo esse incompleto, quatenus adhuc abstrahit, an uniatur digniori se. n. Ita respondet D. Thomas 3. q. 2. a. 3. ad 2. ubi ait: *Hypostasis significat substantiam particularem; non quocunque modo, sed prout est in suo complemento. Secundum vero quod venit in unionem alicujus magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus, vel pes. Et similiter humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis, quia tamen venit in unionem alicujus completi, scilicet totius Christi, prout est Deus & homo, non potest dici hypostasis vel suppositum. Sed illud completum, ad quod concurrit, dicitur esse hypostasis seu suppositum.*

Ad 4. c. a. n. c. Quia ratio generica vel specifica rei non dicit hypostasin seu suppositum. Hoc enim magis pertinet ad ultimum *complementum* seu *perfectivum individui*, quam ad constitutivum generis vel speciei.

Objicitur 4. *contra* 4. ℞. Si daretur in Christo unio inter animam & corpus, daretur etiam in Christo qua homine peculiaris hypostasis distincta à subsistentia Verbi, sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. prob.* Ex unione inter corpus & animam resultat suppositum. Ergo.

2. Ex unione inter corpus & animam constituitur natura speciei humanæ. Sed hoc in Christo non habet locum. Ergo. *Min. prob.* S. Damascenus l. 3. orthod. c. 3. dicit: *In Christo non est communem speciem accipere.*

3. Corpus in Christo poterat sufficienter vivificari per Verbum. Ergo frustranea est anima,

Respondeo

Ad 1. n. *Maj. ad prob.* dist. Resultat peculiaris hypostasis, nisi præoccupetur à digniore. c. si præoccupetur. n. Nam licet in Christo ex unione inter corpus & animam connaturaliter resultaret specialis hypostasis, ea tamen prævenitur & suppletur per hypostasin Verbi. D. Thomas 3. q. 2. a. 5. ad 1. dat aliam responsionem: *In puris hominibus*, inquit, *ex unione animæ ad corpus constituitur persona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit; quia anima & corpus in eis sic conjunguntur, ut per se existant. Sed in Christo uniuntur ad invicem, ut adjuncta alteri principaliori.* Hinc potest respondere 2. dist. resultat peculiaris hypostasis, quando illa unio non ordinatur ad aliquid dignius anima. c. secus. n.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. In Christo non est communem speciem accipere communione totius. c. communione partium. n. Hoc totum, quod est esse Christum, est essentialiter immultiplicabile in plura individua, aut in plures species. Et hoc solum vult dicere S. Damascenus.

Ad 3. dist. Corpus potest sufficienter vivificari *effectivè* per Verbum. c. informativè. n. Posset quidem Verbum producere eosdem motus, v. g. motum manuum, pedum, linguæ, oculorum &c. sed non posset animare corpus per modum formæ, seu principii vitalis, ab intrinseco elicientis sensationes, cognitiones, & volitiones, præsertim liberas, quod requiritur ad hoc, ut dicatur homo satisfacere justitiæ divinæ pro peccatis hominum.

Objicitur 5. *contra* 5. ℞. 1. In Christo natura humana se habet ad Verbum, sicut vestimentum ad hominem. Sed hoc tantum unitur homini accidentaliter. Ergo. *Maj. prob.* Phil. 2. Apostolus dicit de Christo: *Habitu inventus ut homo.*

2. Quod alteri advenit post ejus esse completum, est accidens respectu illius. Sed natura humana advenit Verbo post ejus esse completum. Ergo.

3. Quidquid non pertinet ad naturam seu essentiam alicujus rei, est accidens illius. Sed natura humana in Christo non pertinet ad naturam seu essentiam Filii Dei. Ergo.

4. Instrumentum rei se habet accidentaliter. Sed natura humana in Christo erat divinitatis instrumentum. Ergo. *Min. prob.* S. Damascenus l. 3. orth. c. 15. ait: *Caro Christi instrumentum divinitatis existit.*

Respondeo

Ad 1. dist. *Maj.* Se habet ut vestimentum aliquo modo. c. omni modo. n. Omnis similitudo est duarum rerum disparatarum tantum in uno vel altero genere conformitas. Natura autem humana in Christo comparatur cum vestimento solum in hoc, quod sicut vestimentum tegit corpus humanum, ita etiam natura humana tegat divinitatem in Christo. Dein sicut vestimentum est subjectum mutationi & corruptioni manente subjecto eodem; ita etiam natura humana in Christo est de se subjecta passioni.

Ad 2. dist. Est accidens respectu illius, nisi trahatur in communionem illius esse completi. c.

 si tra-

ſi trahatur. n. Sic enim corpus poſt reſurrectionem non erit accidens reſpectu animæ. Si autem quis dicat; ab anima connaturaliter exigi corpus tanquam compartem ad conſtituendum idem totum. *Reſpondeo*, idem præſtari poſſe ab exigentia libera Verbi, quod præſtat exigentia naturalis ipſius animæ.

Ad 3. n. *Maj.* Poteſt enim aliquid pertinere ad idem ſuppoſitum, quia pertineat ad eandem naturam.

Ad 4. n. *Maj.* Nam corpus & membra ſe habent per modum inſtrumenti ad hominem, & tamen non ſunt accidens, quia pertinent ad idem ſuppoſitum. Poſſet ergo RESPONDERI 2. diſt. Inſtrumentum ſeparatum, non aſſumptum in unitatem ſuppoſiti eſt accidens. c. Inſtrumentum conjunctum, & aſſumptum in unitatem ſuppoſiti. n.

OBJICITUR 6. *contra* 8. ℞. Major eſt illa unio, quæ ſimul fit in unam naturam & perſonam quam ea, quæ ſolum fit in unam perſonam. Sed unio inter corpus & animam in aliis hominibus fit ſimul in unam naturam & perſonam; econtra unio in Chriſto fit ſolum in unitatem perſonæ. Ergo.

RESPONDEO diſt. Niſi excellentia unitatis, quæ eſt in perſona, eminenter præcontineat ac ſuperet eam unitatem, quæ eſt in natura. tr. ſecus. n. *Maj.* Ita quoad rem reſpondet S. Thomas 3. q. 2. a. 9. ad 3. DIXI tr. quia etſiamſi illa perſonalitas Verbi in Chriſto non præcontineret eminenter unitatem naturæ, tamen per hoc unio in aliis hominibus non eſſet *ſimpliciter* major majoritate perfectionis, ſed tantum *extenſivè* majoritate extenſiva.

OBJICITUR 7. *contra* 10. ℞. Illud dicitur naturale, quod eſt ſecundum naturam; ſed gratia unionis hypoſtaticæ neque eſt naturalis in Chriſto ſecundum naturam divinam, quia ſic conveniret etiam aliis perſonis; nec etiam eſt ei naturalis ſecundum naturam humanam; alioquin conveniret omnibus hominibus. Ergo.

RESPONDEO diſt. *Maj.* Illud eſt naturale, quod eſt ſecundum naturam vel per exigentiam intrinſecam, vel per conproductionem, vel per proprietatem virtutis effectivæ. c. tantum illud, quod eſt ſecundum naturam per exigentiam intrinſecam. n. Poteſt enim aliquid tripliciter vocari *naturale* ipſi rei. *Primo*, ſi ex principiis naturæ exigatur. Sic homini eſt naturale, loqui, videre, ambulare. *Secundo*, ſi aliqua perfectio non quidem exigatur ex principiis intrinſecis naturæ, ea tamen ex libero Decreto divino in ipſa productione identificetur cum re. Sic ſi Deus vellet creare animam glorioſam, ita ut gloriam identificaret cum ſubſtantia animæ, talis gloria diceretur naturalis animæ. *Tertio*, ſi uni ſoli cauſæ competat virtus effectiva alicujus effectus; ſic enim ejusmodi effectus diceretur naturalis ſuæ cauſæ. Itaque in ſecundo ſenſu unio hypoſtatica eſt Chriſto naturalis ſecundum naturam humanam; in tertio ſenſu eſt illi naturalis ſecundum naturam divinam. Ita quoad rem reſpondet D. Thomas 3. q. 2. a. 12. ad 3. ubi ait: *Gratia unionis non eſt naturalis Chriſto ſecundum humanam naturam, quaſi ex principiis humanæ naturæ cauſata; & ideo non oportet, quod conveniat omnibus hominibus. Eſt tamen naturalis ei ſecundum humanam naturam propter proprietatem nativitatis ipſius, prout ſic conceptus eſt ex Spiritu Sancto, ut eſſet idem naturalis Filius Dei & hominis. Secundum vero naturam divinam eſt ei naturalis, inquantum natura divina eſt principium activum hujus gratiæ. Et hoc convenit toti Trinitati, ſcilicet hujus gratiæ eſſe activum principium.*

OBJICITUR 8. *contra* 11. ℞. 1. Sicut corpus eſt viſibile ratione coloris, ita natura divina eſt aſſumptiva alterius naturæ ratione perſonalitatis. Ergo ſicut remoto colore corpus non eſt viſibile; ita remota per intellectum à natura divina perſonalitate non poteſt amplius eſſe aſſumptiva natura divina.

2. Non poteſt natura humana uniri naturæ divinæ in unitatem naturæ. Ergo nec poteſt aſſumi à natura divina.

3. D. Thomas 1. p. q. 40. a. 3. dicit; quod in divinis abſtracta perſonalitate nihil manet. Ergo abſtracta perſonalitate natura divina non poteſt aſſumere naturam humanam.

RESPONDEO

Ad 1. c. a. diſt. c. Ergo natura divina non eſt aſſumptiva, niſi abſtracta per impoſſibile perſonalitate trina ſubſtitueretur per intellectum in natura divina perſonalitas una. c. ſecus. n. Ita quoad rem reſpondet S. Thomas 3. q. 3. a. 3. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quia in divinis, idem eſt*, QUO EST, & QUOD EST. *Quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſecundum ſe conſideretur aliis circumſcriptis, erit aliquid ſubſiſtens & per conſequens perſona; cum ſit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc poſitis proprietatibus perſonalibus in Deo dicimus tres perſonas; ita excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus remanebit in conſideratione noſtra natura divina ut ſubſiſtens & ut perſona. Et per hunc modum poteſt intelligi, quod aſſumat naturam humanam ratione ſuæ ſubſiſtentiæ vel perſonalitatis.*

Ad 2. c. a. n. c. quia etiam in illa hypotheſi unio non terminaretur in unitatem naturæ, ſed in unitatem perſonæ. Subſtitueretur enim per intellectum tribus perſonalitatibus una perſonalitas naturæ. Ita reſpondet S. Thomas l. cc. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod etiam circumſcriptis per intellectum perſonalitatibus remanebit in intellectu una perſonalitas Dei, ut Judæi intelligunt, ad quam poterit terminari aſſumptio, ſicut nunc eam dicimus terminari ad perſonam Verbi.*

Ad 3. Ipſe S. Thomas l. cc. ad 3. ſic reſpondet: *Dicendum, quod abſtracta perſonalitate per intellectum dicitur nihil remanere per modum reſolutionis, quaſi aliud ſit, quod ſubjicitur relationi, & aliud ipſa relatio: quia quidquid conſideratur in Deo, conſideratur ut ſuppoſitum ſubſiſtens. Poteſt tamen aliquid eorum, quæ dicuntur de Deo, intelligi ſine alio, non per modum reſolutionis* (hoc eſt diviſionis) *ſed per modum dictum.* Ex hoc patet, ſenſum verborum D. Thomæ eſſe; ſublatis perſonalitatibus in Deo nihil remanere *realiter* remanere *intentionaliter*.

OBJICITUR 9. *contra* 13. ℞. 1. Inconveniens eſſet, ſi Deus Pater fieret filius hominis. Ergo Pater non poteſt aſſumere naturam humanam.

2. Per Incarnationem homines fiunt filii adoptivi ad imitationem filiationis naturalis. Id

vero

vero nôn poſſet fieri ad imitationem paternitatis.

3. Per hoc, quod Verbum ſit Incarnatum, dicitur *Miſſum;* mitti autem non convenit Patri.

RESPONDEO

Ad 1. n. a. Quia filiatio temporalis nec ponit, nec tollit, nec mutat paternitatem, aut filiationem æternam. Ita D. Thomas 3. q. 3. a. 5. ad 1.

Ad 2. diſt. Fiunt filii adoptivi ad imitationem filiationia, ita ut iſta imitatio filiationis ſit adoptioni ſolum accidentalis. c. ut ſit eſſentialis. n. Si Pater incarnaretur, fieret quidem homo filius adoptivus Dei, ſed non per imitationem filiationis, ſed per repræſentationem ſui principii ex Patre. Ita D. Thomas l. cc. ad 2.

Ad 3. diſt. Dicitur Miſſum, ita ut eſſe Miſſum ſit tantum accidentale Incarnationi ut ſic. c. ita ut ſit eſſentiale. n. Si enim Pater incarnaretur, non diceretur Pater *miſſus*. Sed tantum diceretur natus in tempore.

OBJICITUR 10. *contra* 14. ℟. Si plures perſonæ aſſumerent unam eandemque numero naturam humanam, vel eſſet unus homo, vel eſſent plures? neutrum poteſt dici. Ergo. *Si dicatur;* fieri plurea homines. *Contra eſt*, quia per hoc, quod tres perſonæ habeant unam naturam divinam, non fiunt tres Dii. Ergo ſi tres perſonæ haberent unam naturam humanam; etiam non fierent tres homines. *Si autem dicatur*, fieri unum hominem; *contra eſt*, quia eſſe unum hominem ſignificat eſſe unam perſonam.

2. Aſſumptio naturæ terminatur in unitatem perſonæ. Id vero non eſſet verum, ſi tres perſonæ aſſumerent unam nnmero naturam humanam.

3. Juxta S. Auguſtinum l. 1. de Trinit. c. 11. 12. 13. & Damaſcenum l. 3. c. 3. & 4. vi Incarnationis quidquid dicitur de Filio Dei, etiam dicitur de filio hominia; & viciſſim. Ergo ſi Pater incarnaretur ad eandem naturam, ad quam incarnatur filius, ſicut in præfata regula verum eſſet, quod homo generet filium ab æterno, ita verum eſſet, quod Filiua Dei generet Filium Dei ab æterno: quod eſt abſurdum.

RESPONDEO

Ad 1. c. *Maj.* n. *Min.* & dico, quod eſſent unus homo. Ita reſpondet S. Thomas 3. q. 3. a. 6. ad 1. Ratio eſt, quia homines in tali caſu quoad denominationem unitatia vel pluralitatia potius reſpicerent ad rationem primo determinativam ad exiſtendum per ſe. Hæc autem ratio determinativa, cum ſit aliqua tendentia Dei ad extra, eſt eatenus communia toti Trinitati, ac conſequenter una. Itaque etiam totum quod eſt homo; erit unicum relate ad partem illius concreti obviam, nempe ad naturam viſibilem; ſic dicitur homo corporeus, ac mortalis, etſi anima ſit incorporea & immortalis.

Ad 2. diſt. terminatur in unitatem perſonæ in hac providentia. c. in illa hypotheſi. n.

Ad 3. diſt. quidquid dicitur de Filio Dei, etiam dicitur de Filio hominis quoad prædicata naturæ humanæ aut divinæ propria. c. quoad prædicata perſonalitati propria *ſubdiſt.* poteſt illud dici, prædicatione immediata. tr. mediata. n. Hinc in illa hypotheſi, ſi quis ita argumentaretur.

Pater eſt ingenitua. Ergo & homo eſt ingenitus, puta quoad perſonalitatem Patris, ea argumentatio eſſet vera. Si autem in ſua argumentatione ulterius ſic pergeret: Homo eſt ingenitus. Filius eſt homo. Ergo Filius eſt ingenitus: ea argumentatio eſſet falſa; quia eſſe ingenitum, & eſſe Filium non conveniunt eidem communi tertio per. identitatem ſecundum idem. Ita quoad rem reſpondet S. Thomas ad 3.

OBJICITUR 11. *contra* 15. ℟. 1. Si una perſona aſſumeret duas naturas ejusdem ſpeciei, v. g. humanas; ſequeretur, quod natura ejusdem ſpeciei multiplicaretur ſine multiplicatione ſuppoſiti, ſed hoc eſt impoſſibile.

2. In tali hypotheſi totum compoſitum nec poſſet dici unus homo, nec plurea. *Non unus*, quia non haberet unam naturam humanam ſed plures naturas. Neque etiam poſſet vocari *plures homines*, quia eſſet tantum unum ſuppoſitum.

3. In tali hypotheſi duæ naturæ humanæ non poſſent perfecte uniri ſibi invicem. Ergo nec poſſent perfecte uniri eidem tertio, nempe perſonalitati. *Ant. prob.* Si duæ naturæ eſſent perfecte invicem unitæ, deberet anima unius naturæ humanæ ſimul eſſe forma alterius corporis, & viciſſim, quod pareret confuſionem.

RESPONDEO

Ad 1. c. *Maj.* n. *Min.* Natura enim ejuadem ſpeciei ſufficienter multiplicatur per diverſam materiam, ſeu per diverſas circumſtantias individuantes, vel potius per reſpectum eſſentialem ad ſeriem operationum ac circumſtantiarum, prout in Logica à me oſtenſum eſt; neque ea multiplicatio dependet à multiplicatione ſuppoſiti ac ſubſiſtentiæ, ſicut poſſunt eſſe membra diverſa etſiamſi ſint viva per idem principium vitale.

Ad 2. Dico, quod etiam in hac hypotheſi tantum eſſet unus homo. Ratio eſt, quia homines, ubi cogitant vel loquuntur de unitate & pluralitate rerum, ſemper reſpiciunt, atque attendunt ad unitatem vel pluralitatem ad rationem primo ſubſiſtendi per ſe. Cum ergo in hoc caſu tantum daretur una ſubſiſtendi ratio unio hypoſtatica videlicet ex parte aſſumentis naturam humanam duplicem, etiam daretur tantum unus homo. *Nec obſtat*, quod etiam juxta prius dicta daretur unus homo, ſi tres perſonæ divinæ aſſumerent unam naturam humanam; nam cum actiones Dei ad extra, ad quas pertinet Decretum producendi ac terminandi ad ſe unam vel plures uniones hypoſtaticas, ſint toti Trinitati communca, etiam determinativum ad ſubſiſtendum per ſe erit commune toti Trinitati, ac conſequenter unum, ſive plures perſonæ divinæ aſſumant unam naturam, ſive una perſona divina aſſumat plures naturas humanas. Ita quoad rem docet S. Thomas 3. q. 3. a. 7. ad 2.

Ad 3. c. a. n. c. non enim requiritur, ut ea quæ uniuntur uni tertio, uniantur inter ſe. Imo in triduo mortis Chriſti corpus & anima Chriſti, licet non fuerint unita inter ſe, manſerunt tamen unita Verbo unione hypoſtatica. Ita D. Thomas l. cc. ad 3. Ut vero nemo ſuſpicetur, aliam eſſe mentem S. Doctoria, 3. q. 3. a. 6. ad 1. ſic ſcribit: *Hac poſitione facta, quod tres perſonæ aſſumerent*

merent unam humanam naturam, verum esset dicere, quod tres personæ essent unus homo propter unam naturam humanam. Et a. 7. ad 2. *Si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur unus homo habens duas naturas humanas.*

QUÆSTIO V.

Quid sit unio Hypostatica in consideratione physica?

NOTANDUM I. Ex Philosophia à me supponi, quod unio inter corpus & animam consistat in entitate modali, vi cujus anima formaliter determinatur ad operandum stabiliter in corpore rite disposito actione communi, ac vicissim vi cujus corpus formaliter determinatur ad stabiliter operandum in animam per sensus stantibus dispositionibus congruis.

NOTANDUM 2. Ex Philosophia à me supponi, quod detur duplex unio reciproca inter corpus & animam, una videlicet animæ ad corpus; altera corporis ad animam. Cum enim determinativum formale animæ ad operandum in corpus concipiatur tanquam forma existens in anima, & vicissim determinativum formale corporis ad operandum in animam concipiatur ut existens in corpore, ob similitudinem mundi realis & intellectualis, quæ requiritur ad verificandos nostros conceptus, necessario datur duplex ac reciproca unio inter animam & corpus.

NOTANDUM 3. Ex Tractatu de Deo à me supponi; quod actus divini liberi sint adæquate Deo intrinseci ab æterno. Itaque etiam divinum decretum uniendi sibi aliquam naturam, & constanter in illam operandi omnes operationes alioquin naturæ consentaneas erit Deo adæquate intrinsecum. Cum autem illud Decretum *formaliter determinet* Deum ad sic operandum in naturam assumptam, eoipso participat rationem *unionis* ad creaturam. Determinativum enim formale ad operandum in conpartem ejusdem totius in ordine ad actiones communes unio quædam est.

DICO I. Unio Hypostatica naturæ humanæ ad Verbum consistit in entitate modali, realiter distincta à natura humana.

PROBATUR. Unio inter corpus & animam consistit in tali entitate modali. Ergo etiam Unio Hypostatica naturæ humanæ ad Verbum consistit in tali unione. *ant.* supponitur ex Philosophia. *c. prob.* Nulla est necessitas fingendi unionem toto genere diversam ab aliis unionibus, quorum exempla habentur in natura.

CONFIRMATUR ex Symbolo Athanasiano, in quo unio hypostatica comparatur cum unione inter corpus & animam.

DICO II. Unio Hypostatica Verbi ad naturam humanam consistit in Decreto divino communicandi propriam subsistentiam naturæ humanæ per modum primi ac immediati determinativi ad omnes actiones communes.

PROBATUR. Habito hoc Decreto divino habetur in conceptu formalis unio Verbi ad naturam humanam: & illo non habito non habetur in conceptu formalis unio. Ergo. *ant. prob.* Unio juxta *Not.* 1. est formale determinativum ad stabiles actiones reciprocas ac communes conpartium Totius. Sed tale determinativum formale habetur habito illo Decreto divino; & isto non habito non habetur tale determinativum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Per illud Verbum unitur humanitati actu & formaliter, per quod actu ac formaliter in ea exercet rationem termini & ultimi complementi. Sed hoc exercet per suam Personalitatem. Ergo. *Min. prob.* Personalitas est purus actus. Ergo per seipsam exercet rationem termini & complementi.

2. Subsistentia creata in eorum sententia, qui subsistentiam constituunt in ente positivo, per seipsam immediate unitur naturæ, quam reddit subsistentem. Ergo etiam subsistentia Verbi per seipsam immediate nulla alia mediante unione unitur naturæ humanæ.

RESPONDEO.

Ad 1. n. *Maj.* Verbum enim per illud actu & formaliter unitur naturæ humanæ, per quod formaliter tollitur indifferentia Verbi ad exercendam rationem termini & ultimi complementi. Cum enim Personalitas Verbi sit indifferens ad exercendam, vel non exercendam rationem termini respecti à natura humana, necessario ea indifferentia debet tolli per aliquid saltem formaliter aut virtualiter distinctum à Personalitate Verbi. Illud autem formale sublativum indifferentiæ ex parte Dei non potest esse aliud, nisi liberum Decretum divinum, adæquate Deo intrinsecum, & toti Trinitati commune, constituendi Personalitatem Verbi pro termino respectivo ejus unionis, quæ se tenet ex parte naturæ humanæ. Imo si opposita sententia esset vera, difficulter posset salvari doctrina D. Thomæ q. 4. qq. 14. superius tradita; quod solum daretur unus homo, si tres personæ assumerent unam naturam. Darentur enim ex parte Dei tres uniones divinæ ad naturam humanam. In nostra autem sententia etiam tunc solum daretur ex parte Dei una unio, videlicet unum Decretum divinum liberum, toti Trinitati commune, constituendi omnes tres personalitates pro termino respectivo unionis se tenentis ex parte naturæ humanæ.

Ad 2. c. a. n. c. & p. Disparitas est; quia subsistentia in suo formali conceptu dicit formale sublativum indifferentiæ ad subsistendum in se vel tribuendi alteri rationem subsistendi. At vero Personalitas Verbi, cum sit indifferens ad tribuendam naturæ humanæ suam propriam subsistentiam, in suo formali conceptu non dicit formale sublativum indifferentiæ ad communicandam suammet subsistentiam naturæ humanæ.

OBJICITUR 2. Essentia divina non sit intelligibilis per speciem creatam. Ergo etiam subsistentia seu Personalitas Verbi non unitur naturæ humanæ per unionem creatam.

2. Personalitas Verbi est actus purissimus. Ergo non est in potentia ad hoc, ut ejus indifferentia tollatur per aliam perfectionem positivam tanquam sublativum indifferentiæ.

3. Personæ divinæ ex sua essentia convenit virtus infinita actu & formaliter terminandi naturam

turam creatam. Ergo non indiget unione distincta.

RESPONDEO

Ad 1. c. a. n. c. & p. Disparitas est, quia essentia divina in suo formali conceptu dicit aliquod *verum*. Omne autem verum est immediate intelligibile per se. Econtra Personalitas Verbi in suo formali conceptu non dicit terminationem ad naturam creatam. Dein posset inverti argumentum. Ad hoc, ut essentia divina fiat immediate intellecta sioe specie creata, debet dari determinativum distinctum ex parte voluntatis divinæ. Ergo etiam ad hoc, ut Personalitas Verbi actu terminet naturam humanam immediate, debet dari pro priori sublativum indifferentiæ ex parte voluntatis divinæ.

Ad 2. dist. est actus purissimus ad intra. c. ad extra. n. Deus enim non est actu volens condere alios mundos possibiles.

Ad 3. dist. Convenit illi virtus infinita immediate terminandi naturam humanam in actu primo. c. in actu secundo. n. Sic etiam omnipotentia divina creandi infinitos mundos est quidem infinita, sed non est infinita in actu secundo accepta.

OBJICITUR 3. Unio hypostatica est id, per quod Deus formaliter est homo, & per quod homo formaliter est Deus. Sed id, per quod Deus formaliter est homo, est humanitas; & id, per quod homo formaliter est Deus, est divinitas. Ergo unio hypostatica nil aliud est, quam humanitas & divinitas Christi.

2. Unio hypostatica est id, per quod humanitas formaliter subsistit in Verbo. Sed hoc est ipsa subsistentia Verbi. Ergo.

RESPONDEO

Ad 1. n. *Maj.* Unio enim inter corpus & animam non est id, per quod Petrus est formaliter animal rationale. Unio enim formaliter non tribuit denominationem animalis, vel rationalis, aut hominis, sed uniti.

Ad 2. n. a. alia enim est forma, quæ tribuit denominationem subsistentis. Et alia est forma, quæ tribuit denominationem uniti, seu sublativi indifferentiæ ad tribuendam naturæ humanæ subsistentiam Verbi.

OBJICITUR 4. Ea quæ sunt inseparabilia, nec habent oppositionem relativam producentis ad productum, identificantur inter se; sed unio hypostatica & natura humana in Christo sunt inseparabilia inter se, nec habent inter se oppositionem relativam. Ergo. *Min. q.* 1. *Membr. prob.* Quod Verbum semel assumpsit, id nunquam dimisit. Ergo unio hypostatica non potest separari à natura humana.

2. Unio hypostatica est ens nobilissimum. Ergo non est tantum entitas modalis.

3. Si daretur talis unio distincta ab extremis, vel esset accidens, vel substantia? Neutrum potest dici. Non primum; quia unio hypostatica est pars hujus totius, quod est Christus: accidens autem non est pars constitutiva. Nec secundum; quia modus non potest esse ens per se, quale est substantia.

RESPONDEO

Ad 1. c. *Maj.* n. *Min.* q. 1. m. *ad prob.* dist. Quod Christus semel assumpsit, nunquam dimisit, assumptione & dimissione totius. c. assumptione & dimissione partium. n. Ut enim in proxima quæstione dicetur, partes totius in Christo partim per evaporationem, partim per refectionem æque fuerunt dimissæ, ac corruptæ, ac id fit in aliis hominibus; licet semper manserit idem totum.

Ad 2. dist a. est nobilissimum in suo genere entium modalium, ac relativorum. c. in omni genere. n. Non enim illa unio vivit, nec intelligit, nec est ens per se, ut sunt alia entia.

Ad 3. n. *Maj.* Unio enim nec est accidens, nec substantia; est tamen aliquid substantiale, utpote per modum partis constitutivæ pertinens ad substantiam Christi.

QUÆSTIO VI.

Quales partes naturæ humanæ fuerunt assumptæ à Verbo?

NOTANDUM 1. Aliquas partes in natura humana vocari *essentiales*, alias vero dici *integrales*. *Essentiales* sunt anima, unio, & corpus humanum. Corporis autem humani partes essentiales sunt cor & cerebrum, pectus & caput, sine quibus non habetur corpus humanum. Partes corporis humani *integrales* vocantur, quæ requiruntur quidem, & exiguntur à natura humana ad perfectionem corporis humani, ita tamen ut possit naturaliter vel supernaturaliter dari corpus humanum illis non positis. Tales partes sunt manus, pedes, capilli, dentes, lingua, oculi, stomachus, viscera &c.

NOTANDUM 2. Ex Philosophia hoc loco supponi, corpus humanum componi ex minimis particulis, quæ *minima physica* appellari solent. Illas particulas minimas esse generabiles & corruptibiles, pariter ex Philosophia suppono. Denique suppono ex Logica, ubi egi *de Individuatione*, nullam dari in corporibus, etiam humanis, particulam constanter eandem, seu ut vocant, *primigeniam*, quasi individuatio corporis in perpetuitate ejusmodi particularum constanter earundem numero salvari debeat. Hæc enim perpetuitas, cum singulæ particulæ corruptibiles sint, sufficienter probari nequit. Sufficit ad individuationem conservandam identitas totius, v. g. navis, domus, templi. &c. etsiamsi non detur in toto identitas minimarum partium, si successive ac sensim per augmentationem, nutritionem, aut varia pathemata corrumpantur, substantialiter convertantur, evaporentur. &c.

NOTANDUM 3. Duplicis generis partes reperiri in corpore humano, nempe *solidas & fluidas*. *Solidæ* partes sunt ossa, nervi, caro, cartilago, musculi, tendines, dentes, capilli, ungues &c. *Fluidæ* partes sunt sanguis, spiritus animales, spiritus vitales, qui circulantur partim in venis, & arteriis, partim in nervis, serum, pituita, bilis. &c. Inter has partes aliquæ vivunt vita sensitiva, vel saltem vegetativa, prout caro,

caro, oſſa &c. aliæ autem nec vivunt vita ſenſitiva, nec vegetativa, ſed tantum moventur ab anima motu locali, & motu alterationis per ſubordinationem ad partes ſubſtantiales & conſervationem totius. Tales partes ſunt ſanguis, ſerum, bilis, & ſpiritus, & alii humores conſtanter neceſſarii ad conſervationem vitæ humanæ Quamvis enim ejusmodi humores non vivant vita ſenſitiva, aut vegetativa, nec etiam informentur ab anima tanquam forma ſubſtantiali, qualis datur in mixtis, prout ex Philoſophia ſuppono, moventur tamen ab anima tanquam motore connaturaliter conjuncto in ordine ad motus locales, & motus alterationis, quod Philoſophi hactenus & Theologi non diſtinxerunt.

DICO I. A Verbo aſſumpta fuit anima, corpus, & unio corporis ad animam.

PROBATUR. Aſſumi nil aliud eſt, quam iis tribui ſubſiſtentiam Verbi ſe uniti in ordine ad earum operationes, & functiones. Sed hoc fit reſpectu animæ, corporis, & unionis, quæ, ut fungatur actu ſuo officio, etiam ipſa indiget partialiter ſubſiſtentia totius.

DICO II. Verbum aſſumpſit etiam ſanguinem & alios humores connaturales naturæ humanæ.

PROBATUR I. Aſſumi aliquas partes naturæ humanæ nil aliud eſt, quam illis loco ſubſiſtentiæ propriæ tribui ſubſiſtentiam Verbi in ordine ad earum operationes & functiones. Sed hoc fit etiam in ſanguine & aliis humoribus connaturalibus Chriſto. Ergo. *Min. prob.* Illis humoribus non debetur ſubſiſtentia, niſi participative à ſubſiſtentia totius. Ergo cum in Chriſto natura humana non habeat ſubſiſtentiam propriam, quæ poſſit participari illis humoribus in ordine ad earum functiones naturales, neceſſe eſt, ut eam ſubſiſtentiam participent à Verbo.

PROBATUR 2. Scriptura, Concilia, & Patres docent, etiam ſanguinem eſſe aſſumptum à Verbo. Ergo eſt aſſumptus. *Ant. prob.*

1. *In Epiſt. ad Heb.* 2. v. 14. dicitur: Quia ergo pueri (id eſt, cæteri homines) communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe (filius Dei) participavit eisdem. Hæc verba S. Cyrillus Alex. in Epiſt. ad Neſtorium, à Concilio Chalcedonenſi approbata, ſic explicat: *Verbum Dei carnem fieri nihil eſt aliud, niſi quia juxta nos Verbum participatum eſt carni & ſanguini.*

2. *Concilium Ephesinum* in Anathematiſmo 1. ſic habet: *Verbum Dei carnem eſſe factum aperte docet magnus ille Evangeliſta Joannes; quia æque ac nos carnis & ſanguinis particeps & homo factus eſt.*

3. *S. Cyrillus Alex.* in Hom. ad Concilium Ephesinum dicit: *Licet Verbum Dei, cum Deus ſit, carnem aſſumpſerit ac ſanguinem.*

4. *Clemens VI.* in Extrav. *Unigenitus.* de pœnit. & remiſſ. ait: *Unigenitus Dei Filius non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet, ſed velut profluvium noſcitur effudiſſe.*

5. Scriptura in multis locis partim per figuras, partim per claros textus oſtendit; ſanguinem Chriſti eſſe cauſam remiſſivam omnium peccatorum totius generis humani. Hoc autem non poſſet convenienter dici; ſi ſanguis Chriſti non fuiſſet aſſumptus à Verbo. Apoſtolus Heb. 9. v. 7. ſic ſcribit: *In ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex introibat non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia. Chriſtus autem non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit æterna redemptione inventa.* Si *enim ſanguis hircorum & taurorum inquinatos ſanctificat, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis? - - Omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis. Non enim Jeſus intrat in Sancta in ſanguine alieno - - impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. -- Habentes itaque fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti &c.*

6. *Concilium Tridentinum* Seſſ. 13. cap. 3. docet, dari naturalem connexionem inter corpus & ſanguinem Chriſti. Ergo ſicut corpus eſt aſſumptum à Verbo, ita etiam ſanguis eſt aſſumptus. Concilium ſic habet: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini corpus verumque ejus ſanguinem una cum ipſius anima & divinitate exiſtere, ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti inter ſe copulantur.* Ex his ſimul etiam patet, quod ſanguis ſit pars naturæ humanæ in Chriſto; & quidem non præciſe accidentalis; alioquin non eſſet ratio, cur in reſuſcitatione corpurum etiam corpora glorioſa eſſent reſumptura ſanguinem.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 2. *Concluſ.* 1. Ariſtoteles l. 2. animal. dicit: *Sanguinem non eſſe partem animalium.*

2. D. Thomas 3. q. 31. a. 5. ad 1. probat, corpus Chriſti non eſſe formatum ex carne vel oſſibus B. Virginis, ſed ex ejus ſanguine; *quia ſanguis nondum eſt actu pars, ſed eſt potentia totum.*

3. Sanguis non informatur ab anima. Ergo non eſt pars hominis.

RESPONDEO ad 1. 2. & 3. diſt. Ergo non eſt pars eſſentialis. c. integralis. n. Partes integrales poſſunt eſſe etiam ea, quæ non informantur, ſed tantum moventur ab anima, & alterantur ab anima ad proprietatem congruam pro conſervatione totius. Hujusmodi partes, licet non ſint idoneæ ad recipiendam animam pro forma, ſunt tamen idoneæ ad recipiendum ab anima motum & alterationem, imo etiam ſubſiſtentiam, tanquam à cauſa ſeu principio conjuncto *unione integrali*, ita ut ſubſiſtentia ſanguinis, quam ſuppono eſſe entitatem modalem, prout in Metaphyſica oſtendi, non detur propria, quamdiu homo vivit, ſed ea ſit communis cum toto, ſicut corpus habet communem cum anima.

OBJICITUR 2. Si ſanguis eſſet aſſumptus à Verbo, daretur etiam communicatio idiomatum inter Verbum & ſanguinem. Sed hoc non poteſt dici. *Min. prob.* Non poſſum dicere: *Deus*

eſt

est sanguis; Deus est effusus; Deus concretus est clavis vel lanceæ.

2. Si sanguis esset assumptus cum aliis humoribus, etiam foret assumpta atra bilis, phlegma &c. sed hoc est absurdum.

3. Si Verbum fuisset unitum sanguini, vel mansisset unitum post ejus effusionem in Agonia, flagellatione, & crucifixione, vel non? Neutrum potest dici. Ergo. Non primum, quia sanguis effusus non amplius est pars hominis. Nec secundum; quia alioquin Christus amisisset, quod semel assumpsit.

Respondeo n. *Maj.* Quia communicatio idiomatum se non extendit ad partes naturæ humanæ, sed tantum ad totum. Alioquin sequeretur, quod sicut lingua est oblonga, oculus rotundus, ossa dura &c. etiam Deus sit oblongus rotundus, & durus.

Ad 2. n. *Maj.* Quia atra bilis dicit excessum temperamenti in bile; phlegma autem potius dicit excrementum, quam partem integralem requisitam ad conservationem totius. Excessus autem temperamenti non erat in Christo; & partes excrementitiæ non fuerunt assumptæ.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min.* & dico, quod hoc noverit Deus. Res incerta est, nec contentiose in alterutram partem disputanda. D. Thomas 3. q. 54. a. 2. ad 3. censet; Verbum mansisse unitum particulis sanguinis in passione effusi. *Dicendum, inquit, quod totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexit. Et eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem & integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro Reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa*, nempe Berytensi. Alii tamen tenent oppositum. Anno 1462. cum hæc quæstio magno fervore agitaretur, & S. Jacobus de Marchia Ordinis S. Francisci in quodam sermone ad populum assereret, sanguinem Christi è corpore effusum non amplius remansisse unitum Verbo, acriter ea de causa à Patribus Dominicanis fuit impugnatus. Hinc Pio II. avocante causam ad Sedem Apostolicam, ex una parte à Patribus Dominicanis disputante P. Dominico de *Dominicis*, ex altera parte à Patribus Franciscanis disputante P. Francisco *la Rovere*, postea ad Pontificatum evecto sub titulo *Sixti IV.* coram Summo Pontifice certatum est. Priores asserebant; in triduo mortis Dominicæ sanguinem effusum Christi mansisse unitum Verbo. Posteriores, nempe Franciscani, contendebant, sanguinem Christi non remansisse unitum Verbo. Tunc quidem nulla in alterutram partem Sententia; post biennium tamen utrique parti indictum est silentium addita severissima prohibitione, ne quis alterutram sententiam aliqua censuræ nota afficeret, donec à Sede Apostolica res definiretur. Verum adhuc sub judice lis in præsentem usque diem remansit. Hinc etiam SS. D. N. Benedictus XIV. in Opere de Beatificatione l. 4. part 2. c. 10. n. 10. postquam fuse disputaverat de sanguine Christi Mantuæ asservato, in fine observat, Ecclesiam nunquam suum interponere voluisse judicium, an sanguis ille vere manaverit ex corpore Christi, an vero ex imagine Christi Berytensi, de qua Concilium *Nicænum II. actione* 4. & *Martyrologium* Romanum ad diem 9. Novembris testatur, Beryti in Syria Salvatoris nostri imaginem à Judæis crucifixam tam copiosum emisisse sanguinem, ut Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo ubertim acceperint, quod miraculum *Sigebertus* in Chronico refert ad annum 765. Si itaque de isto Mantuano sanguine incertum est, an ex Christi corpore manaverit, ac propterea in Officio pro Ecclesia Mantuana indulto Lectiones secundi Nocturni tantum fuerint concessæ de communi ex Sermone S. Cypriani, quanto magis illud incertum erit circa guttas sacri sanguinis, quæ hoc tempore recenter obtentæ fuerunt & expositæ à plurimis Ecclesiis *sine Demonstratione originis* ex manu non per quæstum aut fraudem sordida? Certe SS. D. N. Benedictus XIV. l. cc. n. 8. testatur, ejusmodi Reliquias Sæculo undecimo fuisse adeo raras, ut Mantuæ Leo IX. anno 1053. ægre obtineret particulam, quam Romæ in Sanctuario Lateranensi collocaret. *Donesmundus*, inquit, *refert S. Leonem IX. anno* 1053. *Mantuam advenisse, ut sacrum Christi cruorem tunc repertum adoraret, nec eum Romam potuisse transferre, ut desiderabat, populo in seditionem verso, sed particulam tantum secum detulisse, quam reposuit in Basilica Lateranensi.* At vero hoc tempore asportantur in Germaniam Roma innumeræ particulæ Sanguinis Christi, quæ in Ecclesiis exponuntur pro adoratione publica. Me, quod attinet, cum norim, quam Romani Pontifices, & Cardinales, & Vicarii Papæ in dispensandis veris reliquiis exacti sint, nulli ejusmodi novæ Reliquiæ concederem cultum publicum, nisi veniret authentice ac fide indubia, vel à *Summo Pontifice*, vel ab aliquo Cardinali, præsertim à *Cardinali Vicario*, vel à *Vices-gerente* in urbe. Quæ enim ab aliis manibus sub titulo quorundam Episcoporum, præsertim in partibus infidelium, veniunt, non obstante *authentica*, ut vocatur, sigillo munita, innumeris fraudibus subjectas esse certo constat; ac propterea pro cultu publico in Ecclesiis vel Oratoriis eas non permitterem. Ne autem committantur innumeræ idololatriæ materiales, consulo Parochis, ac aliis, quorum est instruere populum, ut in hac materia exponant populo sententiam tutam Cardinalis *Lugonis*, sicque populum ad exhibendum tantummodo *cultum adorationis respectivum* disponant, qualis etiam exhibetur sanctæ Cruci, Lanceæ, vestibus &c. imo etiam Reliquiis ex solo attactu, vel *tinctione* sacris. Si enim majorem cultum suadeant, eoipso populum exponerent periculo *probabili* idololatriæ materialis. Id desumitur ex Actis Historiæ circa S. Jacobum de Marchia. Nam de sententia S. Jacobi de Marchia Raynaldus in continuatione Baronii ad annum 1462. n. 45. & 1463. n. 103. sic scribit: „Adductum tunc temporis fuerat in controversiam, an sanguis Domini pro „redimendo humano genere fusus, triduo illo, „quo anima sanctissima à corpore segregata erat, „hypostatice Verbo divino conjunctus fuisset, „dignusque extitisset latriæ cultu. Moverat eam „controversiam Brixiæ inter concionandum *Jacobus Picenus Minorita*, celeberrimus Concionator

„tor in Italia & Hungaria, qui latriæ cultu non „adorandum cenfuerat. Poftulatus ob id hære„feos à Cenfore fidei Ordinis Prædicatorum tu„multum auxerat. Delata ad Pontificem con„troverfia proximo anno celebris theologica con„certatio fuit inter utriusque Ordinis lectiffimos „viros. Sententiam (Jacobi) tuebantur Mino„ritæ, nempe fanguinem Chrifti effufum triduo „paffionis hypoftatice Verbo conjunctum non „fuiffe. At Prædicatores adverfam tuebantur „fententiam. Addebant tamen, totum Chrifti „fanguinem in paffione fufum non receptum fuif„fe, hac de caufa, ut ait Gobelinus; ne litteris „*Pii* adverfari viderentur, in queis declaraverat „Tybure manens; affertionem, quæ aliquid de „Chrifti fanguine in terris remanfiffe proderet, „Religioni Chriftianæ non effe contrariam. Le„cti funt ex utroque Ordine terni cum pari nu„mero certaturi coram Pontifice, & Cardinalium, „Epifcoporum, Præfulum, Doctorumque cœtu; „tantusque difceptantium ardor erat, ut quam„vis gelu omnia rigerent, ipfi fudore maderent. „Refert Gobelinus l. 11. utriusque partis præci„pua argumenta; atque plures Epifcopos & Ab„bates fcientia theologica infignes quæftionem „problematicam, quæ in utramque partem poffet „agitari, cenfuiffe; majoremque partem Cardi„nalium fenfiffe cum Prædicatoribus, atque etiam „*Pium* eam tenuiffe; verum quæftionis folutio„nem in aliud tempus extraxiffe. Interea ne ex „Sacrorum Ordinum contentione aliqui motus „pietati contrarii exorirentur; hæc fanxit: Pius „II. &c. Ut in Ecclefia Dei fidei unitas perfeve„ret, ftatuimus, quod nulli Fratrum Ordinum „prædictorum deinceps liceat de prædicta dubie„tate difputare, prædicare, vel publice vel pri„vate Verbum facere, feu aliis fuadere, quod „videlicet hæreticum vel peccatum fit, tenere „vel credere, fanguinem ipfum D. N. J. Chrifti „triduo paffionis ab ipfa divinitate quomodolibet „fuiffe vel non fuiffe divifum vel feparatum, do„nec fuper dubietatis hujus decifione, quid te„nendum fit, fuerit per Sedem Apoftolicam defi„nitum; mandantes univerfis eorundem & alio„rum quorumcunque Ordinum per totum Orbem „conftitutis Fratribus, præfentibus & futuris, „fub excommunicationis latæ fententiæ pœna, „quam ipfo facto incurrant, à qua nifi per nos „aut Succeffores noftros abfolvi non poffint, ne „contra ordinationem noftram facere præfumant „&c. Datum Anconæ 1464.

Cardinalis Lugo autem de Incarnatione Difp. 14. Sect. 5. n. 81. fic fcribit: „Sanguis ille, fi „quis eft, qui in terris reperitur in fpinis, in fu„dario, cruce. &c. non habet jam unionem hy„poftaticam cum Verbo divino. Hæc conclufio „eft communis omnibus, quos fequuntur Suarez „tom. 2. Difp. 47. Sect. 3. circa finem, & Vaf„quez hic Difp. 36. c. 8. Et probatur ex dictis, „quia illa pars remanens in terris jam non am„plius habet ordinem ad illam humanitatem, ut „iterum fit pars actualis illius, nec habet jus in„trinfecum vel extrinfecum ad gloriam vel ad „unionem æternam. Non eft ergo, cur adhuc „retineat unionem cum Verbo. *Confirmatur* „*primo.* Quia fi illa pars, eo quod aliquando ha„buit unionem, deberet eam confervare, idem „deberet dici de pilis, fi aliqui ceciderunt per „totam vitam ex capite vel corpore Chrifti: item „de dentibus, fi, ut alii infantes folent, eos „mutavit in infantia vel pueritia. Nam priores „illi adhuc fuiffent uniti Verbo. Item de ungui„bus & fimilibus, quæ tamen nemo concedet. „*Confirmatur fecundo.* Quia illæ maculæ rubeæ, „quæ apparent in Sindone, Sudario, Spinis. &c. „non funt jam verus fanguis, fed alia fubftantia „diverfa, in quam aliqua pars fanguinis converfa „eft. Non ergo debuit adhuc manere unita „Verbo. Alioquin omnes partes materiæ, quæ „aliquando in Chrifto unitæ fuerunt Verbo, & „poftea refolutæ ac deperditæ funt, & fub aliis „formis fubftantialibus reperiuntur difperfæ per „totum mundum, deberent adhuc manere unitæ „Verbo, quod nemo dicet. *Denique* vel illæ „partes funt iterum Chrifto conjungendæ vel „non? *Si primum dicatur;* Ergo Chriftus non„dum plene refurrexit ex omni parte; fiquidem „adhuc quoad aliquas partes refurrecturus fit in „refurrectione univerfali noftra. *Si dicas fecun„dum.* Ergo Verbum in æternum manebit uni„tum in Sudario, vel Spinis, quod eft ridicu„lum. *Vel illa unio aliquando deftruetur?* Non „eft autem major ratio dimittendi tunc, quod „femel affumpferat, quam fuerat in ipfo puncto „refurrectionis. Tunc enim fuit illa eadem ra„tio, quod fcilicet jam ille fanguis cenfebatur „pro derelicto & non pertinente ad eam humani„tatem, nee uniendo iterum cum illa.„ Hucusque Cardinalis Lugo. Cæterum qui videre defiderat fundamenta pro fententia D. Thomæ, quod non extet verus fanguis, qui fluxit ex corpore Chrifti, legere poterit *P. Honoratum à S. Maria*, editum latine ex idiomate Gallico Venetiis 1739. in libro cui titulus: *Animadverfiones in Regulas & ufum Critices*, Tom. III. Differt. 5. §. 1. & 2. Edit. Venetæ. Ex omnibus his patet, non folum admodum incertum effe, an hæc vel illa Reliquia fit verus fanguis è Chrifti corpore effufus, fed etiam pofito, quod vere fluxiffet è corpore Chrifti, juxta communem Theologorum fententiam eum non amplius effe unitum Verbo; & hinc ad cavendam omnem idololatriam materialem fic populos inftruendos effe à Parochis, cultum adorationis, qui præftatur ejusmodi facro fanguini, folum effe *cultum refpectivum*, qualis præftatur Cruci & Clavis Chrifti; licet refpectus feu relatio ipfa fpecie diverfa fit.

QUÆSTIO VII.

Qualis in Chrifto ob unionem Hypoftaticam in duabus naturis detur communicatio Idiomatum?

NOTANDUM I. Per *idioma* hoc loco intelligi quodvis *prædicatum* naturæ divinæ, vel humanæ *proprium*. Sic effe *æternum*, *immenfum*, *omnipotens*, *omnifcium*, *immortale*, *impaffibile*. &c. funt prædicata foli Deo, feu illius naturæ propria. Econtra effe creatum, finitum, infirmum, mortale, paffibile, fubjectum humanis affectionibus v. g. triftitiæ, timori. &c. funt prædicata humanæ

humanæ naturæ vel creaturis etiam aliis propria.

NOTANDUM 2. Quæstionem in eo versari; utrum prædicata alioquin soli Deo propria, v. g. esse æternum, immensum, omniscium, omnipotens. &c. in Christo possint ita communicari naturæ humanæ, ut in Christo verum sit dicere: Homo est æternus, homo est immensus, homo est omnipotens, homo est omniscius? Item; an vicissim prædicata homini propria; v. g. esse mortale, passibile, crucifixum, contristatum, fatigatum, &c. possint in Christo communicari Deo; ita ut verum sit dicere: Deus est mortuus, Deus est passus, Deus est crucifixus, Deus est contristatus, Deus est fatigatus &c.? Hæc ergo reciproca communicatio prædicatorum inter Deum & hominem in Christo intelligitur per *Communicationem idiomatum*.

DICO I. Datur in Christo vi unionis Hypostaticæ communicatio Idiomatum.

PROBATUR 1. ex Scriptura. Sic Joan. 1. v. 14. dicitur: *Verbum caro factum est.* Et v. 15. *Joannes testimonium perhibet de ipso & clamat: Hic ante me factus est.* Et v. 34. *Hic est filius Dei.* Et c. 8. v. 25. *Dicebant ei; tu quis es? Dixit Jesus: Principium, qui & loquor vobis.* Et v. 58. *Amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum.* Et Hebr. 1. *Locutus est nobis in filio, qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram majestatis in excelsis -- eum autem Jesum videmus propter passionem mortis gloria coronatum, ut pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem & per quem omnia, per passionem consummari.* Hujusmodi textus reperiuntur multi in Scriptura. v. g. Apoc. 1. v. 8. *Ego sum α. & ω principium & finis, dicit Dominus Deus. - - Ego sum primus & novissimus, & fui mortuus.*

PROBATUR 2. ex Symbolo Apostolico, ubi dicitur: *Credo in Deum Patrem; & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. &c.* In hoc manifestum est, eum dici *passum* & *mortuum*, qui Filius Dei *unicus*, ac consequenter *Deus* est.

DICO II. In Christo non datur communicatio Idiomatum inter naturam divinam & naturam humanam in abstracto sumptas.

PROBATUR 1. Juxta Scripturam & traditionem Ecclesiæ non sunt veræ istæ propositiones: *In Christo natura divina est natura humana*; aut vicissim: *Natura humana est natura divina.* Neque veræ sunt hæ propositiones: *Natura divina nata est in tempore; passa, mortua, sepulta. &c.* aut vicissim; *natura humana est æterna, omniscia, consubstantialis, & æqualis Patri. &c.*

PROBATUR 2. authoritate Vigilii Papæ, qui in l. 2. Contra Eutychen, sic scribit: „Hic „unus atque idem & æqualis Patri secundum Deitatem, inferior est Patre secundum humanitatis naturam; atque ita nec initium habet, quia „Deus est; & habet initium, quia idem Deus „homo est. Si ergo me interroges, utrum Christus habeat initium, an non habeat; respondebo tibi: Et habet: & non habet. Habet secundum humanitatem suam. Non habet secundum divinitatem suam. Cum dico: Habet, „vel non habet; ad personæ pertinet unionem. „Cum dico: Secundum divinitatem & secundum „humanitatem, ad naturarum pertinet proprietatem. · · Quia Verbum cum carne ita est „inexplicabili modo unitum, ut ipsum Verbum „caro dicatur, licet Deus non sit caro; quia non „est in carnem mutatum; ut caro dicatur Deus, „licet non sit in Deitatis naturam mutata; sed „Verbum propter carnem suam homo sit, & „caro propter Verbum Deus sit, & quidquid est „proprium Verbi, sit commune cum carne; & „quidquid est proprium carnis, commune cum „Verbo sit; quomodo Verbum & caro unus est „Christus, & una persona. Idcirco propter hanc „communionem, quam salva naturarum proprietate personæ unio præstat, & Verbum cum carne, id est, filius hominis, legitur descendisse „de cœlo, cum solum Verbum sine carne descenderit, & Deus legitur sepultus, & in monumento tribus jacuisse diebus, cum sola caro „sepulta est.

DICO III. Datur in Christo communicatio Idiomatum inter naturam divinam & humanam in concreto spectatas, saltem per se.

PROBATUR. Naturam divinam vel humanam in concreto spectari nil aliud est, quam spectari naturam divinam *ut unitam* naturæ humanæ vel naturam humanam spectari *ut unitam* naturæ divinæ. Sed hoc modo spectando has duas naturas gaudent communicatione Idiomatum. Ergo. *Min. prob.* ex communi modo loquendi Scripturæ & Patrum.

1. *S. Maximus* in Disput. cum Pyrrho: „Illa, „quæ utrivis Christi parti naturaliter competunt, „vicissim alterius propria redduntur propter inexplicabilem unitionem, nulla unius in alteram „secundum naturalem rationem mutatione confusioneque facta.

2. *S. Damascenus* l. 3. c. 3. ait: „Verbum ea, „quæ humana sunt, sibi propria facit. Hæc enim „illius sunt, quæ sunt sanctæ carnis ipsius; & „quæ sibi propria sunt, communicat carni modo „quodam mutuæ permutationis, propter partium „inter se commeationem & unitionem secundum „hypostasin. *Et c.* 5. Hic modus est mutuæ permutationis (ἀντιδόσεως), utraque natura cum „altera communicante, quæ sua sunt, propter „hypostasis identitatem, & ipsarum in se invicem „commeationem (περιχωρεῖν).

3. *Gregorius Nyssenus* l. 5. contra Eunomium: „Sic mortis perpessio ad eum, qui patibilis naturæ particeps fuit, refertur, propter hominis „cum ipso copulationem; & sublimia Deoque „congruentia nomina in hominem descenduut; „adeo ut ille, qui in cruce conspectus est, Dominus gloriæ nuncupetur ob ejus, quod abjectum est & humile, compositionem (ἀνακράσει), „nominum quoque dono in humanam simul transeunte naturam. *Et l.* 4. Propter coagmentationem & connexionem (συνάφειαν, συμφύαν) „communia fiunt utriusque utraque, ita ut & Dominus serviles vibices in seipsum assumeret,

„& fervus honore Dominico glorificaretur."
Et in Epist. ad Theophilum contra Apollinarem: „Propter exactam unitionem assumptæ carnis & assumentis divinitatis mutuo transferuntur vocabula, ut & humanum ex divino, & divinum ex humano denominetur.

4. *Euthymius* Panopl. Tit. 7. „Assumpta natura propter hypostaticam conjunctionem & identitatem hypostasis statim ab ipsa copulatione communioneque deificata particeps fuit excellentium & magnificorum divinitatis ornamentorum.

5. *S. Augustinus* l. contra Sermonem Arrianorum c. 8. „Propter istam unitatem personæ, in utraque natura intelligendam, filius hominis dicitur descendisse de cœlis, quamvis sit ex ea, quæ fuerat in terra, virgine assumptus; & Filius Dei dicitur crucifixus, mortuus & sepultus, quamvis hæc non in divinitate ipsa, qua est unigenitus Patri coæternus, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Hanc unitatem personæ Christi sic ex natura utraque constantem, divina scilicet atque humana, ut quælibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, & divina humanæ, & humana divinæ, beatus ostendit Apostolus &c.

6. *Vigilius* Papa l. 4. „Cum Jesus Christus non Verbi, sed carnis proprium sit nomen, & Deus proprium Verbi, non carnis, constet esse vocabulum, tamen & Verbum propter carnem suam homo Jesus Christus, & caro propter Verbum Deus Verbum est. Antequam ab illo forma servi erat accepta, nondum fuerat Christus, sed tantummodo Verbum; id est, antequam esset homo, nondum erat homo, sed tantummodo Deus; nondum erat Christus, antequam nostri habitus similitudine homo esset inventus; & tamen Christus in forma Dei, Christus in forma servi, Christus æqualis Patri, Christus inferior Patre, idem Deus, idem homo. Unde constat, & divinitatem humanitatis habere vocabulum; id est, Verbum dici carnem, & carnem dici Verbum, non quod utrumque in se mutatum sit; sed quia utrumque una persona, id est, unus Christus sit. Et ideo recte credimus cum Apostolo, Deum crucifixum & mortuum in humana natura, quæ ex uniti Verbi consortio Deitatis poscit & nomen.

Qui legere voluerit plures alios Patrum de communicatione Idiomatum textus, eos reperiet in *Petavio* Tom. V. l. 4. c. 15. & c. 16.

DICO IV. Natura divina, & natura humana in Christo in concreto spectatæ *per accidens* non gaudent communicatione illorum Idiomatum, quæ ex modo prædicandi non important formam denominantem præcise unitam, sed etiam receptam, eamque inconpossibilem cum natura recipiente.

PROBATUR & EXPLICATUR Conclusio in exemplis. Sic enim verum est dicere: natura humana in Christo ut unita Verbo est omnipotens, omniscia, infinite justa, infinite sancta, infinitæ dignitatis &c. quia hæc prædicata ex modo tendendi vel tantum important omnipotentiam, & infinitudinem sapientiæ &c. ut unitam in Verbo, cujus sunt præcise effectus formales; vel si important formam receptam in natura humana; præcise dicunt habitudinem seu potentiam producendi infinitos syncategorematice effectus omnipotentiæ, justitiæ, sapientiæ, meriti &c. cujus habitudinis seu potentiæ natura humana ratione unionis cum Verbo non est incapax, cum habitudo illa & potentia naturæ humanæ in suo conceptu nil aliud dicat, quam unionem ad omnipotentiam, & omniscientiam &c. naturæ divinæ. Econtra falsæ essent hæ propositiones: Natura humana ut unita Verbo est ubique, est immensa, est æterna, est producta vel genita ante mundum, est identificata cum Verbo, & Patre, & Spiritu &c. Ratio est, quia in his propositionibus ex modo prædicandi & ex communi acceptione hominum importatur aliqua forma ut recepta in natura humana, cum ea inconpossibilis, nempe infinitorum locorum ubicatio, seu ubicatio actu infinita, duratio successiva actu infinita, actio productiva prior ante seipsam, identitas cum Verbo. Alii hanc conclusionem sub aliis terminis proponunt, dum ajunt; non dari communicationem eorum Idiomatum, quorum *non est capax* illa natura, cui deberet communicari. Verum cum redeat quæstio; cur natura v. g. humana sit capax unius & non sit capax alterius Idiomatis, hujus ratio ex nostra Conclusione petenda est, quod nempe una denominatio ex modo tendendi & acceptione hominum importet formam denominationis præcise ut unitam, altera ut receptam, eamque impossibilem pro subjecto receptionis.

DICO VI. In hac materia præ oculis haberi merentur *Petavii* de Incarnatione l. 4. c. 16. *Canones*, ut vocat, quos potius tamen *observationes* dicerem.

CANON I. Duarum naturarum proprietates in Christo non sunt in duas personas partiendæ, sed uni Christo, Deo hominique in solidum tribuendæ.

Patet ex illo Apostoli Heb. 13. *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* - - Et Rom 9. *Ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

CANON II. Nonnunquam totus Christus ab una natura ejusque proprietatibus denominari solet interdum à duabus.

Patet ex observatione *S. Damasceni* l. 3. c. 4. ubi ait: Interdum ab utroque Christum denominamus, v. g. Deum & hominem simul; alias ab una tantummodo parte, v. g. Deum duntaxat, & Dei filium; vel hominem tantum & hominis filium.

CANON III. De eadem Christi persona propter diversitatem naturarum & unitatem personæ contraria nonnunquam prædicantur.

Patet ex variis exemplis, quæ à SS. Patribus afferuntur. *Athanasius* in Epist. ad Epict. ait: Mirum ac paradoxum est, ut idem & pateretur & non pateretur. Sic & *Gregorius Nyssenus* in Ephesina Synodo relatus ait: Vita mortem degustat; Judex ad judicium agitur. Et *Atticus C. P.* ibidem relatus. Qui sub tactum non cadit, quia incorporeus est, tangitur: qui sine initio est, sub initium corporeum redigitur: perfectus augescit: immu-

immutabilis proficit. Et *Sophronius* Patriarcha in Concil. VI. Act. 11. Invisibilis est visibilis; idem est creatus & increatus; idem est corpus, & expers corporis, attrectabilis idem, & non attrectabilis; circumscriptus & incircumscriptus; terrenus idem & cœlestis. Et *S. Ambrosius* de Incarnat. c. 5. Idem patiebatur & non patiebatur; moriebatur & non moriebatur; sepeliebatur & non sepeliebatur; resurgebat & non resurgebat. Et *S. Augustinus* in Enchiridio c. 10. Minor est factus, & mansit æqualis &c.

CANON IV. In Christo aliud est, unde communis est homini Deoque contumelia, & aliud, unde communis est gloria.

Patet ex observatione *S. Leonis* Papæ Epist. 10. c. 4. ubi ait: Quamvis in Christo Dei & hominis una persona sit; aliud tamen est, unde contumelia in utroque communis; aliud, unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas; de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas.

CANON V. Si exacte loquendum sit; denominationes utrique naturæ in Christo communes dicuntur *in Christo* existere; proprietates autem naturarum rectius dicuntur *ipsi Christo* competere.

Patet ex observatione Vigilii Papæ, qui in l. 5. contra Eutychen sic scribit: Diversum est; initium non habere, & ex initio subsistere; mori, & mori non posse. Et tamen sicut *ipsi Christo* proprium est utrumque; ita *non ipsi*, sed *in ipso* est utrumque commune. Si enim dicamus, quia ipsi est commune, necesse est, ut exigatur à nobis ostendere alium, cum quo ei sit hoc ipsum commune. Melius igitur & catholice dicimus; *in ipso*, & non, *ipsi*, esse commune. Et melius *ipsi*, & non in ipso dicimus proprium esse. Ergo proprium est illi mori propter naturam carnis, quæ mortalis est. Et proprium est illi non mori propter naturam Verbi, quæ mori non potest. Item propter ineffabile mysterium unionis utrarumque naturarum communis in ipso fuit mortalitas carnis Verbi naturæ, quæ mori non potuit. Et communis in ipso est immortalitas Verbi naturæ carnis, quæ morti succubuit. Ergo sicut illi mori & non mori ex utrisque naturis est proprium; ita commune est in ipso utrisque naturis, quod illarum est proprium. Ita Vigilius Papa.

CANON VI. Proprietatum in Christo communio non fit secundum formam seu in sensu formali, sed secundum materiam, seu in sensu materiæ; hoc est, quoad subjectum denominationis, quod est ipsum suppositum, seu persona.

Patet ab explicatione. Sic enim; quando homo Deus, Deus homo, Verbum caro factum dicitur, non sic intelligitur, ut hominis natura, seu forma hominis ipsam divinitatis naturam acceperit; aut vicissim Deus in sua natura novam formam admiserit, sed ut idem suppositum utrumque capiat.

CANON VII. Nomina, quæ naturam præcise significant, non promiscue communicantur.

Patet, quia non potest dici, divinitas est humanitas, vel natura divina est natura humana. Sic & *S. Damascenus* l. 3. c. 4. ait: Non dicimus divinitatem patibilem aut creatam; nec dicimus, humanitatem increatam. Aliud dicendum; quando ejusmodi nomina sumuntur *concretivè*, prout Conclus. 3. ostensum est.

CANON VIII. Quando singularum naturarum proprietates de ipsis mutuo vel de toto Christo prædicantur, propositiones affirmativæ absolute; propositiones autem negativæ non nisi restrictim efferendæ sunt.

Patet ab explicatione. Sic enim absolute dicere in sensu affirmativo possumus, Christus est mortuus; Deus fuit passus & mortuus. Sed non possumus absolute sine restrictione dicere: Christus, seu Filius Dei non est mortuus. Ut enim hæc propositio negativa sit vera; debet addi restrictio; *secundum divinitatem*, vel *qua Deus* non est passus. Ratio est, quia particula negativa est malignantis naturæ, ac consequenter negat prædicatum de subjecto quoad omnem modum & speciem.

CANON IX. Quæcunque naturæ cum persona unitionem exprimunt, à lege communionis Idiomatum excipiuntur.

Patet ab exemplo, quod sibi Scotus objicit. Si quis enim ob communicationem Idiomatum sic ratiocinaretur: Deus factus est homo; sed homo est Deus; ergo Deus factus est Deus; huic respondendum censet Scotus, quod tò *fieri* vel *factum* esse dicat unitionem, econtra communicatio idiomatum jam præsupponat unitionem.

CANON X. Communio Idiomatum aliquo modo in Incarnatione latius patet, quam in Trinitate.

Patet ex eo, quia in SS. Trinitate unitio fit in natura, non in persona; econtra in Incarnatione unitio fit in persona, non in natura. Cum ergo in SS. Trinitate, quod uni personæ proprium est, non communicetur alteri, in Incarnatione vero, quod uni naturæ proprium est, communicetur alteri; sequitur, *aliquo modo* majorem esse communionem proprietatum seu idiomatum in Incarnatione, quam in SS. Trinitate.

CANON XI. In Christo datur duplex communio proprietatum, una naturalis seu substantiva; altera secundum habitudinem.

Patet ab explicatione. *Naturalis* vocatur illa, qua solum assumitur alia natura, & quæ illius naturæ propria sunt, v. g. si dico: Verbum caro factum est. *Secundum habitudinem* seu *electiva* (χετικὴ) vocatur, dum voluntate libera simul alliumuntur alterius naturæ miseriæ vel affectiones ex actu libero secutæ. Sic Apostolus 2. Cor. 5. dicit: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Et Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Et Isaiæ 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Iniquitates eorum ipse portavit, & ipse peccata multorum tulit*. Hæc distinctio est S. Damasceni l. 3. c. 15.

CANON XII. Communicatio Idiomatum in Christo necessario admitti debet ad defendendam doctrinam Ecclesiæ contra errores Nestorii & Eutychetis, quorum prior in Christo admisit duas personas, posterior unam naturam.

Patet, quia si darentur duæ personæ, diversa idiomata non tribuerentur eidem personæ, sed diver-

diversis personis. Si autem daretur una solum natura, tolleretur diversitas proprietatum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Nomen Dei est incommunicabile. Ergo communicatio idiomatum est de subjecto non supponente. *Ant. prob.* Sap. 14. dicitur: *Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.*

2. Non datur Hircocervus, aut Vulpanser per communicationem idiomatum. Ergo nec potest dari Homo-Deus per eam communicationem idiomatum.

Respondeo

Ad 1. dist. a. nomen Dei est incommunicabile per unionem ad diversa supposita. c. per unionem ad diversam naturam. *subdist.* Deitati incongruam. c. congruam. n. In textu adducto sermo est de impositione divini nominis ad diversa supposita, qualia sunt ligna & lapides habentes propriam subsistentiam.

Ad 2. c. a. n. c. Nam per Hircocervum & Vulpanserem intelligitur totum, in quo daretur simul dualitas & identitas duarum naturarum.

Objicitur 2. Vera est hæc propositio, quæ habetur in Antiphona Breviarii: In ligno mortua vita fuit. Ergo datur communicatio idiomatum quoad naturas etiam in abstracto sumptas.

2. Hæc propositio *Deitas est passa* antiquitus usurpabatur à nonnullis Scriptoribus Catholicis. Ergo est catholica.

Respondeo c. a. n. C. quia hoc loco Poëta sub termino vitæ intellexit non naturam divinam, sed suppositum, seu personam Verbi.

Ad 2. tr. a. n. C. Quia hæc propositio implicite damnata est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi dicitur: Credimus, quod Christus secundum divinitatem sit immortalis & impassibilis. Dixi tr. quia illi authores veteres nonnul li non loquendo exacte sumpserunt Deitatem *concretivè*, non *abstractivè*.

Objicitur 3. Si daretur communicatio Idiomatum, hæc propositio: *Deus est homo*, deberet tam esse vera, ac vera est ista propositio: *Petrus est homo*. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. prob.* In hac propositione posteriore prædicatum adæquate sic identificatur cum subjecto, ut verum sit dicere: *Petreitas est humanitas:* econtra in priore propositione prædicatum non sic identificatur adæquate cum subjecto, ut possit dici; Deitas est humanitas.

2. Si daretur communicatio Idiomatum, veræ essent sequentes propositiones: *Christus est creatura, Deus est creatura; Christus est minor Patre, Persona Verbi est minor Patre; Filius Dei non est consubstantialis Patri; Verbum est mutatum, Verbum cœpit esse in tempore.* Sed hæc omnia sunt falsa. Ergo.

3. Ex eo quod corpus & anima uniantur in unitatem personæ, non sequitur communicatio idiomatum, nec dici potest; Petrus v. g. est immortalis, vel spiritualis, licet anima sit immortalis & spiritualis. Ergo nec dabitur talis communicatio Idiomatum in Christo ob unionem duarum naturarum in unitatem personæ.

Respondeo

Ad 1. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* c. a. n. c. Quia aliud est, unam propositionem esse *tam veram*, ac est altera; &, unam propositionem *eodem modo* significandi esse veram ac alteram. Sic ista propositio; murus est albus *tam vera* est; ac ista propositio, murus est substantia, & tamen illud est *diverso modo* verum, nempe accidentaliter; istud autem est verum substantialiter. Itaque etiam in illis duabus propositionibus: *Deus est homo; Petrus est homo*, stante eadem seu æquali veritate ambarum potest ex subjectæ materiæ diversa capacitate importari diversus modus significandi. Ibi enim importatur duarum naturarum diversitas in unitate suppositi, seu identitas personæ in duabus naturis. Hic vero importatur identitas duorum extremorum.

Ad 2. n. *Maj.* Quia omnes hæ denominationes, licet earum aliquæ videantur esse affirmativæ, reipsa tamen sunt negativæ in esse verificativo, quia important aliquod *esse defectivum*, seu *negationem*, ac *defectum*. Sic enim esse *creaturam* dicit formaliter defectum aseitatis; *minoritas* dicit defectum alicujus perfectionis coæquantis; *mutari* dicit defectum perfectionis, ad quam fit mutatio; *incipere esse* in tempore, dicit defectum aseitatis. Cum ergo propositiones negativæ juxta *Canonem VIII.* Petavii non possint de Christo dici *absolutè*, sed tantum *restrictim* cum particula limitante ad naturam imperfectam; hæ propositiones sine clausula limitante admitti non possunt.

Si dicas: In homine absolutè admittendas esse ejusmodi propositiones negativas implicitas v. g. dum dico: *Petrus est mortalis;* nec posse dari rationem disparitatis, cur in Christo potius admitti debeant propositiones affirmativæ quam negativæ.

Respondeo. Hanc esse rationem disparitatis; quia ubi loquimur de Christo, objectum attentionis humanæ est ac debet esse perfectio seu dignitas personæ ac personalitatis, independentis à natura imperfecta, cui tribuit subsistentiam; & hinc non tribuitur toti composito esse defectivum sine particula restringente. Econtra in aliis suppositis subsistentia quoad sui conservationem dependet à natura subjecta, cui tribuit subsistentiam. Et ideo non est incongruum simpliciter & absolute toti composito tribuere esse defectivum.

Si dicas 2. Si in Christo non admittuntur simpliciter propositiones negativæ sine restringente termino; cur ergo absolute dicitur: *Deus est passus, mortuus, sepultus?* Ergo in hac re datur inconsequentia, ac proin falsitas doctrinæ.

Respondeo. Etiam in his propositionibus adjici ab Ecclesia particulas restringentes, prout ex innumeris textibus Petavius ostendit. Verum cum fastidiosum sit, eas clausulas restringentes toties repetere, eæ ab omnibus fidelibus prius in juventute de restrictivo sensu bene instructis tacite in omnibus ejus familiaribus loquendi formulis

nulis fubintelligantur. Id vero non contingeret in aliis propofitionibus inufitatis ac infuetis populo.

Ad 3. c. a. n. c. & par. Difparitas eft, quia, ut dictum eft, in ejusmodi compofitis fubfiftentia totius in confervatione fui dependet à natura fubjecta. Et ideo attentio hominum potius in denominationibus fertur ad naturam ignobiliorem, fibi magis notam, utpote fenfibus obviam. Et ideo fimpliciter & abfolute efferuntur propofitiones negativæ. Econtra in Chrifto fubfiftentia totius, quæ eft ipfa Perfonalitas Verbi, non dependet in effe & confervari à natura fubjecta, cui tribuit fubfiftentiam. Et ideo propofitiones importantes effe defectivum non nifi reftrictim efferri decet.

DISPUTATIO II.

De neceffitate, & motivo Incarnationis.

In hac Difputatione *quæritur:*

1. Utrum Incarnatio fuerit neceffaria abfolute? vel faltem ex fuppofitione mundi conditi?
2. Utrum Incarnatio fuerit neceffaria ex fuppofitione naturæ lapfæ, & reparationis humanæ?
3. An peccatum mortale fit malitiæ fimpliciter infinitæ?
4. An purus homo poffit condigne fatisfacere pro peccato mortali?
5. Vel faltem veniali?
6. An Chriftus veniffet, fi Adam non peccaffet?

QUÆSTIO I.

Utrum Incarnatio fuerit neceffaria abfolute? Vel faltem ex fuppofitione mundi conditi?

NOTANDUM 1. Dupliciter Incarnationem poffe dici neceffariam; videlicet *abfolutè* & ex *fuppofitione*. ABSOLUTE diceretur neceffaria; fi Deus fuiffet neceffitatus ad ponendam Incarnationem *pro priori* ac *independenter* à Decreto libero producendi aliquem mundum. *Ex fuppofitione* autem *mundi conditi* diceretur Incarnatio neceffaria, fi Deus non potuiffet convenienter condere mundum, nifi fimul poneretur Incarnatio. In priori fententia creatio mundi tantum confequeretur ad Decretum Incarnationis, quia non poffet convenienter poni incarnatio, nifi fimul crearentur angeli & homines pro cultu Verbi Incarnati; ficut Rex non poteft convenienter poni fine fubditis. In pofteriori autem fententia Incarnatio confequeretur ad intentionem feu Decretum condendi mundum.

NOTANDUM 2. Neceffitatem dividi in metaphyficam, phyficam, & moralem. *Neceffitas metaphyfica*, prout hic fumitur eft, qua exiftentia effectus ita connectitur cum exiftentia caufæ, ut illo non pofito eoipfo tolleretur aliqua perfectio divina, ac confequenter Deus. *Neceffitas phyfica* eft, qua exiftentia effectus ita connectitur cum Decretis Deo liberis aliunde præftabilitis, ut illo non pofito deberet mutari curfus caufarum fecundarum præftitutus à Deo. *Neceffitas moralis* eft, qua exiftentia effectus ita requiritur ad perfectionem operis divini, ut eo non pofito daretur pofitiva imperfectio ex parte operis, & pofitiva inconvenientia ex parte Dei artificis, nifi defectus suppleretur feu compenfaretur per aliud donum. Sic enim fi Deus conderet homines antecedenter ad peccatum originale fine oculis, manibus, ac pedibus, hoc opus foret pofitive imperfectum, utpote cujus non fatiaretur naturalis impotentia, & ex parte Dei daretur pofitiva inconvenientia, nifi hic defectus compenfaretur à Deo per aliud donum æqualis vel majoris valoris. *Neceffitas antecedens* vocatur, quæ datur antecedenter ad fuppofitionem alterius effectus vel Decreti divini. *Neceffitas confequens* eft, quæ datur ad fuppofitionem alterius effectus vel Decreti divini. Patet autem ex datis definitionibus, tam neceffitatem antecedentem quam confequentem dividi rurfus poffe in *metaphyficam*, *phyficam*, & *moralem*.

NOTANDUM 3. Eam fententiam, quod Deus neceffitetur ad Incarnationem, communiter tribui B. Raymundo Lullo, qui in Infula Balearica ab Hifpanis colitur pro Martyre, & cujus Commentaria in quatuor libros fententiarum prodierunt Lugduni, Panormi, & Venetiis. Verum fi legantur ejus Difputationes cum Mahomedanis habitæ, quarum fumma recenfetur in Actis Bollandianis ad 30. Junii c. 3. & 4. dubitari poteft, an B. Raymundus adeo ftrictam neceffitatem agnoverit. Verum quidem eft, quod c. 3. narretur, hoc fyllogifmo eum ufum effe in Difputatione cum Saracenis habita. *Illam fidem tenere decet, quæ Deo attribuit majorem bonitatem, poteftatem, gloriam, & perfectionem, & etiam hujusmodi tribuit omnia in majori æqualitate & concordantia; & quæ inter Deum & ejus effectum majorem ponit concordantiam feu convenientiam. Sed talis eft fides Chriftiana &c.* Sed in c. 4. refertur alia Difputatio illius cum Saracenis habita, in qua fupponit, mundum non neceffario fuiffe à Deo conditum. Sic enim argumentatur: *Omne ens perfecte bonum eft*

eſt in ſe ita perfectum, quod non indiget facere bonum extra ſe. Sed tu (Saracene) *dicis, quod Deus eſt perfecte bonus ab æterno. Ergo non indiget facere bonum extra ſe &c.* Ita B. Lullus. Sed quidquid ſit de ejus mente; ſaltem conſtat, *Leibnizium* in ſua *Theodicæa* ſtatuiſſe hoc principium, quod Deus teneatur ſequi *rationem melioris.* Et hinc juxta hoc principium Leibnizii Lutherani teneretur Deus ponere Incarnationem, ſi conſideratis omnibus videretur Deo melior poſitio Incarnationis, quam oppoſitum.

DICO I. Incarnatio non fuit neceſſaria neceſſitate abſoluta.

PROBATUR 1. negative; quia non poteſt oſtendi ratio hujus neceſſitatis in Deo.

PROBATUR 2. Scriptura & Patres ſupponunt; Incarnationem fuiſſe Deo liberam. Ergo non fuit neceſſaria. *Ant. prob.* Scriptura & Patres ſupponunt, Incarnationem eſſe omnium gratiarum maximam, atque eam eſſe effectum non naturæ, ſed voluntatis divinæ. Id vero non contingeret, ſi foret neceſſaria abſolute. *Maj. patet* ex textibus in decurſu hujus Diſputationis recenſendis.

DICO II. Incarnatio nec fuit neceſſaria ex ſuppoſitione mundi conditi.

PROBATUR 1. negative; quia non poteſt oſtendi ratio hujus neceſſitatis.

PROBATUR 2. Si Incarnatio foret neceſſaria ex ſuppoſitione mundi conditi, non foret gratiarum maxima, diſtincta à gratia creationis. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Min. patet* ex dictis in Tract. *de Gratia*, ubi oſtenſum eſt, Pelagianos etiam ea de cauſa fuiſſe damnatos, quia confuderunt gratiam Chriſti cum gratia creationis, & ejus ſequelis.

PROBATUR 3. Si Incarnatio foret neceſſaria ex ſuppoſitione mundi conditi, non eſſet poſſibilis ſtatus puræ naturæ. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Min. patet* ex damnatione propoſitionum Baji, de quibus actum eſt in Tractatu *de Gratia. Maj. prob.* Poſita Incarnatione per ſe exigitur elevatio angelorum & hominum ad finem ac ſtatum ſuo Capiti ſupernaturali congruum, conſequenter ad *quendam* ſtatum ſupernaturalem.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 1. *Concluſ.* 1. Patres paſſim docent, quod Deus ſemper faciat optimum. Sed Incarnatio eſt omnium optimum. Ergo.

2. Incarnatio eſt Deo poſitive conveniens. Ergo ejus omiſſio eſt Deo poſitivè inconveniens, ac conſequenter impoſſibilis. *c. patet*, quia impoſſibile eſt, in Deo admitti poſitivam inconvenientiam.

3. Eſt de ratione ſummi boni, quod eſt Deus, ut ſit ſumme communicativum ſui. Atqui non eſſet ſumme communicativum ſui, niſi ſuam naturam communicaret creaturæ per unionem hypoſtaticam. Ergo.

4. Etiamſi Pater ſe ad intra ſumme communicet Filio, non tamen poteſt quieſcere, quin ſe etiam ſumme communicet Spiritui Sancto. Ergo etiamſi ſe communicet ſumme ad intra, non tamen poterit quieſcere, quin ſe ſumme communicet etiam ad extra.

5. Quod alicui convenit ſecundum ſuam naturam; hoc illi convenit neceſſario. Sed Incarnari convenit Deo ſecundum ſuam naturam. Ergo. *Min.* eſt D. Thomæ, prout oſtenſum eſt *Diſput.* 1. de convenientia Incarnationis.

6. Major eſt communicatio ſui, ſi Deus modo perfectiſſimo ſe ſimul communicet ad intra & ad extra. Ergo hoc tribuendum eſt Deo per Incarnationem.

7. Bonum finitum, licet ſit tantum finitæ virtutis, ſe neceſſario communicat ad extra. Ergo etiam Bonum infinitum, quod eſt virtutis infinitæ & inexhauribile, ſe neceſſario communicat ad extra.

8. Deus habet naturalem inclinationem communicandi ſe ad extra. Ergo neceſſario ſe communicat. *Ant. patet*; quia ſummum bonum habet complacentiam, ac conſequenter etiam inclinationem ad omne bonum. *c. prob.* Deus non poteſt agere contra ſuam naturalem inclinationem: alias ſe conſtitueret in ſtatu violento.

9. Chriſtus eſt bonum objectivè infinitum. Ergo Deus ad illum habet etiam propenſionem ſeu inclinationem ſubjective infinitam. Atqui propenſioni infinitæ Deus non poteſt reſiſtere. Ergo.

10. Ex eo, quod Deus habeat majorem inclinationem ad B. Virginem, quam ad alios Sanctos, recte infertur, quod velit illi conferre majores perfectiones. Ergo ex eo, quod Deus habeat ſummam inclinationem ad Chriſtum, recte infertur, quod illi velit ſummam perfectionem. Atqui hoc non vellet, niſi illi vellet exiſtentiam. Ergo.

RESPONDEO.

Ad 1. diſt. Patres docent, quod Deus ſemper velit optimum *formaliter*. c. optimum *materialiter*. n. Optimum formaliter eſt perfectiſſimus ordo partium in ſyſtemate entium finito, quod Deus libere ex infinito cumulo poſſibilium eligit. Sed *materialiter* optimum vocatur, quod ſecundum ſe ſpectatum eſt perfectius. Sic mundus eſſet materialiter perfectior, ſi haberet animam mundi, ac eſſet animal; ſi montes omnes eſſent aurei, vel gemmæ, ſi dentes eſſent aurei, & cornua animalium eburnea &c. Sed, quia Deus ſcit, eum modum perfectionis non congruere ordini omnium partium & cauſarum in univerſo, non elegit hoc materialiter optimum. Plura vide in Tract. *de Deo*, ubi examinata eſt hæc quæſtio, an Deus ſemper teneatur facere optimum?

Ad 2. tr. a. n. c. Multa enim ſunt homini poſitive convenientia v. g. eſſe grammaticum, eſſe theologum, quin negatio horum ſit poſitive inconveniens. Sic etiam elevare hominem in ſtatum filiorum Dei, dare gratiam extraordinariam, patrare miracula &c. ſunt aliquid poſitive conveniens Deo, quin horum oppoſitum fuiſſet poſitive inconveniens, ita ut exinde refunderetur imperfectio in Deum.

Ad 3. diſt. Eſt de ratione ſummi boni, ut ſit ſumme communicativum ſui ad intra. c. ad extra *ſubdiſt.* ut ſit ſui communicativum ad extra in actu primo. c. in actu ſecundo. n. Si ſummum

bonum

bonum esset necessario communicativum sui ad extra summo modo, eoipso cessaret esse summum bonum; quia illa necessitas poneret in Deo triplicem imperfectionem. Nam primo tolleret Deo libertatem. Secundo ostenderet, Deum non posse quiescere in seipso, nec sibi sufficere ad suam beatitudinem. Tertio statim exhauriret suam omnipotentiam. Nisi enim produceret omne bonum producibile, eoipso non esset summe communicativus sui ipsius.

Ad 4. c. a. n. c. & par. Disparitas est, quia summa sui communicatio ad intra non dicit imperfectionem; non enim per eam communicationem additur naturæ divinæ novum prædicatum absolutum, sed tantum alia relatio ad seipsum. Econtra per communicationem ad extra tenderet per relationem necessariam ad creaturas, & consequenter ad istam perfectionem relativam indigeret creatura, quod involvit tres imperfectiones in præcedenti Responsione indicatas.

Ad 5. n. *Maj.* Esse enim grammaticum, theologum &c. convenit homini secundum suam naturam, & tamen non convenit ei necessario.

Ad 6. dist. Est major communicatio majoritate materiali & objectiva. tr. majoritate formali, ac subjectiva. n. Sicut ignis non per hoc perfectior est, quo alium ignem, aut mille ignes per accensionem pulveris pyrii accendat, ita in Deo non ponitur majoritas perfectionis ex productione creaturarum, sed ea majoritas se tantum tenet ex parte creaturarum, quæ producuntur.

Ad 7. tr. a. n. c. & par. Disparitas est, quia bonum finitum eoipso quod sit finitum non potest quiescere in seipso, nec potest ab authore naturæ ordinari ad seipsum; econtra Deus eoipso quod sit bonum infinitum, potest quiescere in seipso. Dein etiam non est verum, quod ens finitum, in agendo liberum, v. g. homo, se necessario communicet ad extra. Et hinc posset inverti argumentum. Homo se non necessario communicat ad extra. Ergo nec Deus.

Ad 8. dist. Deus habet naturalem inclinationem communicandi se ad extra consequenter ad sui liberam determinationem. c. antecedenter ad sui determinationem. n. Inclinatio cujuslibet rei seu propensio nihil aliud est, quam ordo ab authore naturæ ad finem rebus impressus, vel ordo amoris à libero arbitrio elicitus. Cum autem Deus nullum talem ordinem ab alio, vel à sua natura ad creaturas habeat, necesse est, ut etiam nullam ad extra habeat inclinationem ad aliquid extra se, sed tantum ad ea quæ sunt intra se.

Ad 9. dist. Christus est bonum infinitum in esse ideali. c. in esse reali. *subdist.* consequenter ad sui productionem. c. antecedenter ad sui productionem quoad esse naturæ humanæ. n. Christus in statn ideali, prout est in mente divina, tantum habet infinitudinem idealem, & sic præcise ad se terminat quandam complacentiam divinam speculativam.

Ad 10. tr. a. & c. n. Sppositum subsumpti, quod detur in Deo inclinatio ad B. Virginem, aut Christum, nisi per Decretum creationis, quo Deus decernit producere B. Virginem & unionem hypostaticam ac naturam humanam in Christo. Inclinatio proin ad B. Virginia & Christi personam non antecedit ejus existentiam, sed est ipse ordo divinus liber voluntatis ad ponendam eam existentiam.

Dices. Datur in Deo moralis necessitas operandi juxta exigentias causarum secundarum. Ergo etiam potest admitti in Deo moralis necessitas ponendi Christum saltem ex suppositione mundi conditi. *Ant. prob.* Nisi daretur talis moralis necessitas, non possemus esse certi de secuturis effectibus naturalibus, v. g. de crastino ortu solis, de accensione ignis &c.

Respondeo n. a. *ad prob.* n. a. Ea enim physica certitudo de secuturo effectu naturali non fundatur in morali necessitate se tenente ex parte Dei, sed in Decreto Dei libero constanter conservandi cursum ordinarium causarum secundarum, nisi pro circumstantia intervenientis extraordinarii motivi altioris ordinis; quod rarissime accidit.

Objicitur 2. *contra eandem.* Deus defacto semper fecit optimum. Ergo supponendum est, in eo dari moralem necessitatem ad faciendum optimum. *Ant. prob.* ab inductione omnium effectuum. Sic enim melius erat, mundum esse, quam non esse, sic de sole, luna &c. discurrendum est. Idem *confirmatur* ex Gen. 1. ubi producto sole, luna, luce, firmamento &c. ubique additur: Vidit Deus esse bonum.

2. Voluntas divina conformatur intellectui divino. Sed divinus intellectus evidenter judicat, melius esse, si promoveatur gloria Dei extrinseca per productionem mundi & Incarnationem.

3. Qui Deum perfecte amat, necessario illi vult gloriam extrinsecam pro viribus. Sed Deus seipsum perfecte amat. Ergo.

4. Siquis sibi ipsi vel proximo non vult bona extrinseca, non perfecte amat seipsum vel proximum. Ergo idem dicendum de Deo.

5. Bonum est homini, necessitari ad optimum. Ergo talis necessitas etiam foret perfectio in Deo.

6. Non obstat perfectionibus divinis necessitas non peccandi. Ergo etiam non obstat perfectionibus divinis necessitas faciendi optimum.

7. Deus est perfectissima liberalitas non tantum in actu primo, sed etiam in actu secundo. Ergo necessario exercet summam liberalitatem; quod fieri nequit sine Incarnatione. *Ant. prob.* In homine turpis foret perpetua liberalitas vel misericordia in actu primo, si accedente occasione nunquam exiret in actum secundum.

8. Deus est sapientissimus artifex non tantum in potentia, sed etiam actu. Ergo necessario operatur actu.

Respondeo

Ad 1. dist. Deus semper fecit optimum formaliter. c. optimum materialiter. n. sensus patet ex dictis ad *Objectionem* 1. Imo ne quidem in mente Dei potest dari *optimum* materialiter; quia, ut suppono ex Philosophia *de infinito*, in mente Dei non potest dari *objective* infinitum categorematicum, adeoque Deus non potest quidpiam cognoscere comparative ad infinitum collective sumptum,

ptum, sed tantum comparativè ad collectiones finitas in infinitum, ita ut possit v. g. dicere, hoc systema mundi est melius illo, & isto mundo possibili, & hac collectione finita mundorum possibilium, & ista, distributivè accepta. Et hinc in Genesi solum dicitur; esse *bonum*, non, *optimum*.

Ad 2. tr. *Maj.* dist. *Min.* Dicit, esse melius melioritate materiali & objectiva, se tenente ex parte creaturæ. c. melioritate subjectiva se tenente ex parte Dei. n. Sicut enim non fit melior ac perfectior ex eo, quod producat alios ignes, ita nec Deus per rerum productionem fit in se perfectior.

Ad 3. dist. Vult illi gloriam extrinsecam, si possit eam gloriam Dei extrinsecam considerare tanquam aliquid inadæquate perfectivum sui. c. si non possit eam sic considerare. n. Homo gloriam Dei extrinsecam potest considerare tanquam partem suæ beatitudinis, quia bona amici reputat sua, & exinde concipit novum gaudium. Deus vero gloriam suam extrinsecam non potest considerare tanquam partem suæ beatitudinis, quia nihil exinde perfectionis recipit.

Ad 4. c. a. n. c. & par. Disparitas patet ex dictis; quia homo per bona extrinseca cum suo amico communia recipit novam partem suæ beatitudinis, v. g. novum gaudium; econtra Deus exinde non recipit novam partem suæ beatitudinis.

Ad 5. n. a. Ea enim necessitas destrueret liberum arbitrium hominis, ac consequenter ipsam naturam humanam, & meritum, & gloriam æternam respectivam meriti.

Ad 6. c. a. n. c. & parit. Disparitas est, quia necessitas peccandi præcise tollit potentiam ad imperfectionem; necessitas autem operandi optimum tolleret perfectionem, nempe libertatem, & infinitudinem.

Ad 7. dist. Est liberalitas in actu secundo actualitate potentiæ. c. actualitate objecti. n. Sic homo est rationalis ac risibilis in eo sensu, quod non tantum habeat potentia, sed etiam actu potentiam ratiocinandi; sed licet in actu secundo habeat rationalitatem, & risibilitatem, non tamen datur in actu secundo objectum seu effectus hujus potentiæ. *Ad rationem* c. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia homo liberalitatis exercitio potest se perficere, augendo virtutes & meritum & beatitudinem, Deus autem non potest se perficere vel addere sibi novam perfectionem per exercitium suæ liberalitatis.

Ad 8. dist. Est actu sapientissimus artifex actualitate potentiæ. c. actualitate objecti. n. Sensus patet ex dictis.

Objicitur 3. *contra* 2. *Conclus.* 1. Posito, quod Deus voluerit producere mundum; debuit eum producere perfectissimum. Sed non esset perfectissimus sine Incarnatione. Ergo. *Maj. prob.* Artificis perfectissimi est, optimum artefactum producere.

2. Posito, quod Deus voluerit producere mundum, debuit in eo ponere omnes gradus entium possibilium. Sed hoc non fieret sine Incarnatione. *Min. patet*, quia est possibilis gradus intermedius inter Deum & angelum, nempe Deus-homo; vel Deus-angelus. *Maj. prob.* Mundus est idem ac Universum; & Universum in suo conceptu dicit *Compendium possibilium.*

3. Si Deus potuit & noluit gignere Filium, fuisset invidus, prout SS. Patres agnoscunt. Ergo etiam foret invidus, si vellet condere mundum sine Incarnatione.

Respondeo

Ad 1. dist. Debuit eum producere formaliter optimum in ordine ad fines à se libere præstabilitos. c. materialiter optimum. n. Sensus patet ex dictis. Potuisset enim Deus ponere gradus ac species angelorum perfectiores iis, quas actu creavit. Potuit etiam incarnari Pater & Spiritus Sanctus, & ab iis assumi natura angelica & humana, imo infinitæ naturæ humanæ vel angelicæ numero diversæ, prout in Disput. 1. Quæst. 4. qq. 14. & 15.

Ad 2. dist. Debuit in eo ponere omnes gradus entium ex sua natura coordinatorum in ordine ad fines libere à Deo præstabilitos. c. non coordinatorum ex sua natura. n. Incarnatio dicit objectum non ex sua natura coordinatum ad reliquas partes hujus universi. Et hinc falsum est; mundum seu Universum esse compendium omnium possibilium ex sua natura non coordinatorum ad invicem. Argumentum probaret, quod in hoc mundo etiam deberet dari, Incarnatio Patris, Incarnatio Spiritus Sancti, assumptio naturæ angelicæ Cherubinæ, assumptio naturæ Seraphinæ, assumptio cujuslibet alterius naturæ angelicæ possibilis, assumptio naturæ humanæ, imo naturæ etiam numero diversæ, vel specie diversæ, si in Planetis ponerentur homines specie diversi, prout possent poni, quæ omnes sequelæ ne quidem ab adversariis admittuntur.

Ad 3. c. a. n. c. & parit. Disparitas est, quia infinita suæ naturæ communicatio ad intra est possibilis perfectio, quam consequenter Deus non communicando fuisset invidus. Sed exhaustio omnipotentiæ divinæ per effectus finitos, & sublatio libertatis seu electionis divinæ erga bonum solum finitum est aliquid impossibile. Dein argumentum retorqueri potest in omni communicationis genere, quo Deus se potuit communicare, & tamen se non communicabit. Potuit enim se per unionem hypostaticam etiam Pater, & Spiritus Sanctus; potuit qualibet trium Personarum, vel omnes simul se communicare cuicunque speciei angelicæ & humanæ; imo etiam pluribus naturis solo numero diversis, prout Disput. 1. q. 4. l. cc. ex D. Thoma ostensum est. Itaque forent possibiles innumeri gradus entium, quibus Deus se potuit, & tamen se non communicavit, quin propterea dici possit invidus. Invidia enim dicit retinentiam communicationis ex tristitia vel displicentia de bono alieno rectè ordinato, quod Deo ex aliis motivis suam communicationem retinenti, nempe ex defectu rationis sufficientis, non convenit.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Incarnatio fit necessaria ex suppositione naturæ humanæ lapsæ? vel ad statum supernaturalem elevatæ?

NOTANDUM I. Quæstionem in eo versari, an genus humanum post lapsum Adami potuisset relinqui sine ulla condonatione peccati, prout contigit Apostatis angelis? Vel, si Deus voluisset remittere peccatum, an id præstari potuisset sine Mediatore Christo?

NOTANDUM 2. Naturam humanam à Deo elevari potuisse ad statum supernaturalem, hoc est, ad visionem sui intuitivam per essentiam tam ante peccatum, quam post peccatum. Sed quæritur, an id à Deo præstari potuisset sine Incarnatione Verbi? *Esparza* & alii nonnulli existimarunt, supernaturales gratias, quæ in statu naturæ elevatæ in homines diffunderentur, connaturalem habere connexionem cum Christo tanquam suo fonte, ita ut sine illo dari non possint sine miraculo, hoc est, sine actione contraria exigentiæ rerum connaturali.

DICO I. Incarnatio non fuit necessaria ex suppositione naturæ humanæ lapsæ.

PROBATUR I. negative, quia non potest ostendi ratio hujus necessitatis. Cur enim Deus non potuisset relinquere in suo peccato originali totum genus humanum, sicut relinquuntur multi parvuli decedentes sine baptismo, vel Ethnici; quibus non illuxit lumen fidei? Aut cur Deus adultos constitutos in peccato originali, si fuissent operati congruenter ad dictamen rectæ rationis, donare venia, ac provehere ad beatitudinem quandam intrinsece naturalem? Nulla in hac re apparet implicantia.

PROBATUR 2. Redemptio generis humani per Incarnationem Filii Dei in Scriptura adscribitur speciali misericordiæ ac charitati divinæ, qui actus virtutum sunt ex sua natura liberi ac gratuiti. Ergo Incarnatio non est necessaria ex suppositione naturæ lapsæ. *Ant. prob.* Apostolus Rom. 5. v. 8. dicit: *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et Ephes. 2. v. 4. *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, convivificavit nos in Christo.*

PROBATUR 3. SS. Patres docent, Deum habuisse alios modos reparandi genus humanum, quam per Incarnationem. Ergo non fuit necessaria ex suppositione naturæ lapsæ. *Ant. prob.* 1. *S. Augustinus* l. 13. de Trinit. c. 10. ait: *Parum est, ut istum modum, quo nos per Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonæ & divinæ congruum dignitati; verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent; sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem alium modum nec fuisse, nec esse oportuisse.* Et l. de Agone Christiano c. 11. *Sunt autem stulti, qui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem.* 2. *S. Leo* Serm. 2. de Nativit. c. 3. *Verax misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa sup-*

D. Amort Tract. de Incarnatione.

peterent, hanc potissimum consulendi viam elegit. 3. *Hugo à S. Victore* l. 1. de Sacramentis p. 8. c. 10. ait: *Veraciter profitemur, quod redemptionem generis humani etiam alio modo Deus perficere potuisset.* 4. *S. Thomas* 3. q. 1. a. 2. C. *Dicendum, quod ad finem aliquem dicitur aliquid necessarium dupliciter; uno modo, per quod melius & convenientius pervenitur ad finem, sicut equus necessarius est ad iter. Primo modo Deum Incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ. Deus enim per suam omnipotentem virtutem potuit humanam naturam multis aliis modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit Deum Incarnari ad humanæ naturæ reparationem.* Ita S. Thomas, admittens solum eam necessitatem, quæ dicitur *ad melius esse*. De hac tamen hoc loco non est quæstio.

DICO II. Incarnatio nec fuit necessaria ex suppositione naturæ humanæ ad statum supernaturalem elevatæ.

PROBATUR negative, quia hæc necessitas non potest sufficienter probari.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. *contra* I. *Conclus.* Antiqui Doctores asserunt, absolute necessarium fuisse Deo, ut repararet genus humanum. Ergo. *Ant. prob.* 1. *S. Athanasius* l. 1. de Incarnat. ait: *Indecentissimum erat, Dei artem in hominibus extingui vel per ipsorum incuriam, vel per dæmonis imposturam. -- Absurdum indecorumque erat, ejus opera interire, idque potissimum sub opificis ipsius conspectu.*

2. *S. Cyrillus Alex.* l. 5. Thesauri c. 7. ait: *Quoniam imperfectum esse Opus Dei non decuit, & reparari aliter non potuit, necessario Deus factus est homo.*

3. *S. Anselmus* l. 1. & 2. *Cur Deus homo;* & *Richardus à S. Victore* l. de Incarnat. c. 8. ostendunt, naturam humanam lapsam necessario debuisse reparari, ut numerus angelorum, qui ceciderunt, restauretur.

RESPONDEO. n. a.

Ad 1. dist. Indecentissimum erat indecentia objectiva se tenente ex parte æstimationis humanæ, vel diabolicæ. c. indecentia subjectiva se tenente ex parte Dei. n. Homines, qui non capiunt abyssum judiciorum divinorum, conquesti facile fuissent de sua derelictione, & dæmones de ea derelictione, tanquam de re, quæ dedeceret Deum, fuissent gloriati. Deus autem non solum non vult *esse* injustus, & immisericors; sed nec vult *videri* injustus aut immisericors; licet absolute non teneatur curare ejusmodi erronea judicia hominum vel dæmonum.

Ad 2. dist. Reparari aliter non potuit ad priorem statum, in quo homo erat ante peccatum. tr. ad alium statum. n. D. Cyrillus hoc loco supponere videtur, quod Christus venisset, etiamsi Adam non peccasset; ac consequenter illum anteriorem Adami statum jam fuisse statum adoptionis in consortium Filii Dei. Ad hunc ergo statum, qui jam involveret Incarnationem, haud dubie reparari non poterant sine Incarnatione.

RESPONDEO 2. dist. Aliter non potuit reparari potentia ordinaria respectiva ad leges pro-

videntiæ

videntiæ præsentes, quibus pro reparatione peccatoris exigitur satisfactio condigna. c. potentia extraordinaria, respectiva ad beneplacitum independens Dei. n.

Ad 3. tr. a. n. c. Quia potuit genus humanum replere ruinas angelorum, etsiamsi alio modo, quam per Incarnationem fuisset reparatum. Quod si quis supponat, angelos lapsos jam fuisse assumptos ante lapsum in ordinem mysterii Incarnationis, verum quidem esset, hominem in supplementum lapsorum recipi non potuisse, nisi & ipse reciperetur in eum ordinem. Sed in hac suppositione Incarnatio jam præsupponeretur stabilita à Deo, etsiamsi Adam non peccasset; adeoque non fuisset necessaria ex suppositione naturæ lapsæ, sed ex suppositione antecedentis Decreti divini liberi.

Objicitur 2. Si Deus non reparasset genus humanum, cum facile potuisset, fuisset crudelis & immisericors. Sed hoc non potest dici. Ergo.

2. Si Deus non reparasset genus humanum, fuisset totaliter frustrata divina intentio, qua totum genus humanum ordinavit ad finem ultimum. Sed hoc est impossibile. Ergo.

3. Si Deus non reparasset genus humanum, hujus creatio fuisset prorsus inutilis sine compensatione per aliud majus bonum. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. prob.* Deus non potest permittere malum quin illud compenset per æquale vel majus bonum.

Respondeo

Ad 1. dist. Fuisset crudelis & Immisericors, nisi homini viatori contulisset media sufficientia ad obtinendam saltem aliquam condonationem peccati originalis extrinsecam ac dein ad obtinendam saltem beatitudinem aliquam naturalem. c. secus. n. Quamdiu homo est viator, habet instinctum naturalem seu motionem à Deo ad appetendam suam beatitudinem. Vi hujus suæ motionis tenetur Deus ad conferendas homini gratias sufficientes, quibus possit consequi finem suum.

Ad 2. dist. *Maj.* Fuisset frustrata totaliter intentio divina, si Deus in ejusmodi negotio tenderet modo tendendi objective absoluto. c. si tantum tendit modo tendendi objective conditionato. n. Deus ordinando hominem ad beatitudinem tendit modo tendendi objective conditionato, ita ut si homo nolit manere in ordine gratiæ, incidat in ordinem severæ justitiæ. Et sic, quidquid homo faciat, Deus semper habebit suum intentum.

Ad 3. n. *Maj.* Quia manifestatio divinæ justitiæ coram angelis, quibus genus humanum fit spectaculum, est æquale bonum cum manifestatione suæ gratiæ. Illa proin manifestatio hanc compensasset.

Objicitur 3. *S. Ambrosius* in illud ad Heb. c. 9. v. 15. *Et ideo novi Testamenti*, scribens ait: Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi omnipotens Filius Dei moreretur pro nobis.

2. *S. Leo* Epist. 81. ait: Quæ reconciliatio esse poterat, quâ humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam Mediator Dei hominumque susciperet.

3. Deus non potest peccatum impunitum relinquere sine competenti satisfactione. Sed hanc nemo præstare potest præter Christum.

4. Si Deus genus humanum aliter reparare potuisset quam per Christum, injuste egisset exigendo tam rigorosam satisfactionem à Christo. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Rex terrenus injuste ageret, si suum unigenitum, sese pro salute regni offerentem, morti traderet, ubi salutem regni obtinendi suppeterent faciliora media.

Respondeo

Ad 1. dist. Tantum fuit peccatum nostrum, ut ex suppositione decreti divini liberi exigendi condignam satisfactionem, non possemus aliter salvari. c. independenter à suppositione talis decreti. n.

Ad 2. eodem modo dist. Quæ reconciliatio esse poterat? facta suppositione decreti de exigenda condigna satisfactione. c. non facta tali suppositione. n. Cum enim condigne pro peccato satisfieri nequeat nisi per Christum, & Deus congruenter ad leges justitiæ, semper ingredientis harmoniam cum aliis virtutibus divinis, per se petat condignam satisfactionem, ex parte hominis non poterat sperari venia, nisi per Christum.

Ad 3. dist. Deus non potest peccatum impunitum relinquere, nisi concurrente motivo compensante jus divinæ justitiæ. c. secus n. Christus actu ex plenitudine potestatis concurrentibus motivis altioris ordinis remisit peccata impunita v. gr. Magdalenæ, paralytico, Zachæo, & universim omnibus baptizatis in adulta ætate.

Ad 4. dist. Injuste ageret, nisi se ultro Christus offerret. c. secus. n. *ad prob.* dist. nisi leges regni pragmaticæ aliud peterent, & Rex ille habeat potestatem resuscitandi Filium, aut Filius resurgendi. c. secus n. Harmonia divinarum virtutum in Deo petit talem satisfactionem, si inveniatur, qui se ad eam ultro offerat. Deus Pater potest etiam resuscitare Filium; imo Filius potest resurgere à somno mortis virtute propria.

Objicitur 3. Deus non potest ullum malum permittere, nisi intuitu majoris vel æqualis boni, eruibilis ex malo; sed peccatum est malum, quod compensari nequit æquali bono, nisi per Incarnationem. Ergo non poterat à Deo permitti sine simultaneo decreto Incarnationis.

Respondeo dist. Non potest permittere peccatum, nisi intuitu æqualis boni, obtinibilis per gratiam. c. solum obtinibilis per justitiam. n. Posset enim Deus constituere angelum vel hominem, qui pro peccato alterius hominis redderet æquale æqualitate rationis, prout dicetur in sequenti quæstione, quamvis illa compensatio non haberet rationem condignæ satisfactionis.

Respondeo 2. c. *Maj.* n. *Min.* Ipsa enim manifestatio justitiæ vindicativæ per cruciatus æternos delinquentium est bonum æquale manifestationi divinæ excellentiæ per cultum & præmium, quamvis illud non sit eligibile à Deo absolute, sed tantum ex suppositione peccati.

Obji-

Objicitur 4. *contra 2. Concluſ.* 1. Exiſtentia Chriſti eſt ex ſua natura connexa cum ſtatu elevationis ad ſtatum ſupernaturalem. Ergo Incarnatio eſt neceſſaria neceſſitate phyſica ex ſuppoſitione naturæ humanæ ad ſtatum ſupernaturalem elevatæ. *Ant. prob.* ſtatus naturæ elevatæ connaturaliter exigit exiſtentiam Chriſti. Ergo. *Ant. prob.* nobiliſſimo effectui debetur cauſa nobiliſſima. Sed gratia elevationis eſt effectus nobiliſſimus; & Chriſtus eſt cauſa nobiliſſima. Ergo. *Maj. prob.* Cauſæ nobiliſſimæ debetur effectus nobiliſſimus. Ergo etiam viciſſim effectui nobiliſſimo debetur cauſa nobiliſſima.

2. In ſtatu elevationis neceſſario dantur habitus virtutum ſupernaturalium. Ergo in eo ſtatu datur etiam exigentia ad Incarnationem. *c. prob.* Habitus virtutum ſupernaturalium connaturaliter diſponunt ad mores divinos congruentes filio adoptivo Dei. Ergo. *c. prob.* filii adoptivi Dei non habentur, niſi per Incarnationem.

3. Per habitus fidei, ſpei, & charitatis reddimur capaces agendi familiariter cum Chriſto. Ergo datur connaturalis connexio inter habitus naturæ humanæ ad ſtatum ſupernaturalem elevatæ, & exiſtentiam Chriſti.

4. Gratia habitualis eadem ratione, qua nos facit adoptivos filios Dei, etiam facit cohæredes Chriſti. Ergo hæc duo invicem connectuntur. *Ant. prob.* ad Rom. 8. dicitur: *Sumus filii Dei; ſi autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

5. Fideles ſe habent ad Chriſtum tanquam membra ad caput, palmites ad vitem, ut habetur ad Epheſ. c. 1. 4. & 5. Et Joan. 15. Sed iſta habent connexionem reciprocam. Ergo.

6. Fideles ſe habent ad Chriſtum tanquam media ad finem. Sed media prudenter intendi non poſſunt ſine fine. Ergo. *Maj. prob.* ad Rom. 10. dicitur: *Finis autem legis Chriſtus.*

7. Pertinet ad dignitatem Chriſti, ut nullum donum ſupernaturalis ordinis in homines defluat, niſi ex hoc fonte. Ergo.

Respondeo

Ad 1. n. a. *ad prob.* n. a. *ad prob.* tr. *Maj.* diſt. *Min.* Chriſtus eſt cauſa nobiliſſima in genere cauſarum nobiliſſimarum poſſibilium inadæquata. c. adæquata. Nam etiam Deus eſt cauſa nobiliſſima, ſi ſe ſolo producat effectus ſupernaturales.

Ad 2. n. a. *ad prob.* tr. a. n. c. *ad prob.* n. a. Poſſet enim Deus immediatè adoptare hominem in Filium ſine Incarnatione.

Ad 3. e. a. n. c. Sola enim habitudo ad effectum ſupernaturalem, quæ datur in natura qualibet, ac etiam in homine ante elevationem ad ſtatum ſupernaturalem, non fundat jus aut connexionem naturalem ad ſtatum elevationis.

Ad 4. diſt. Facit nos cohæredes Chriſti in moderna providentia & per reſpectum accidentalem. c. in omni providentia & per reſpectum eſſentialem. n. gratiæ habituali ex ſuo genere ſpectatæ in conſideratione metaphyſica accidit reſpectus eſſentialis ad cohæreditatem cum Chriſto, ſicut animalitati accidit rationalitas, & rationalitati Petreitas vel Pauleitas.

Ad 5. diſt. Fideles ita ſe habent ad Chriſtum reſpectu accidentali in moderna providentia. c. reſpectu eſſentiali in omni providentia. n. Senſus patet ex dictis.

Ad 6. diſt. Se habent tanquam media ordine accidentali in moderna providentia. c. ordine eſſentiali & in omni providentia. n. Senſus patet ex dictis.

Ad 7. diſt. Pertinet hoc ad dignitatem Chriſti, ſi exiſtat. c. ſi non exiſtat. n. Sicut enim non entis nullum eſt jus, nulla proprietas; ita non entis nulla eſt dignitas, cui aliquid debeatur, niſi in mente divina, ubi omnia exiſtunt tantum in ſtatu poſſibilitatis, ſeu in poſſibilitate agendi, merendi, exigendi &c.

QUÆSTIO III.

An peccatum mortale ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ?

Notandum 1. Quod malitia peccati mortalis non conſiſtat in aliquo poſitivo, ſed tantum in *eſſe negativo*, in quantum dicit defectum ordinis ad finem ultimum, ſeu in privatione finis ultimi. Id ſuppono ex Tract. *de peccatis.*

Notandum 2. Negationes ſeu privationes, ſicut non habent *eſſe* in recto conſideratæ, ita proprie loquendo nec habent infinitudinem in ſe ipſis ex parte recti conſideratæ. Tota ergo infinitudo eſt ex parte obliqui, nempe ex parte termini, cujus ſunt negationes, & ex parte effectuum, quos cauſant, ſeu ad quos fundant obligationem ac debitum.

Notandum 3. Infinitum *ſimpliciter*, & infinitum *ſecundum quid* potius differre ſecundum noſtram conſiderationem, quam ſecundum rem ipſam. Infinitum enim simpliciter vocatur, cujus infinitudo ſecundum noſtram conſiderationem non limitatur ad determinatos effectus, vel connotata. Infinitum autem *ſecundum quid* vocatur, quod relate ad unum effectum vel connotatum eſt infinitum, relate autem ad alium effectum vel connotatum non eſt infinitum. Et hinc præſens quæſtio multum habet de nomine.

Notandum 4. In hac re varias eſſe authorum ſententias. Thomiſtæ cum Goneto, Godoy, & nonnullis ex Societate, Tannero, Viva & aliis defendunt; peccatum mortale eſſe malitiæ ſimpliciter infinitæ. Econtra Scotiſtæ cum Scoto, ex Societate Suarez, Vasquez, Lugo, Arriaga, Palavicinus, Gormaz, Ulloa, Marinus, & alii docent, peccatum mortale non eſſe malitiæ ſimpliciter infinitæ.

Notandum 5. In peccato mortali diſtinguenda eſſe duo; nempe ejus *materiale*, & ejus *formale*. Materiale, ſeu ut aliqui volunt, *morale* peccati mortalis conſiſtit in *converſione* inordinata ad bonum commutabile. Inquantum enim homo contra rectum ordinem rationis amore irrefrænato convertitur ad creaturam, in tantum reperitur in peccato quædam inhoneſtas ſeu turpitudo conſiſtens in defectu ordinis præſcripti à recta ratione tanquam immediata regula actuum humanorum. Formale autem peccati mortalis conſiſtit in *averſione* ab ultimo fine, ſeu in defectu ordinis

ordinis ad finem ultimum. Converſio ad bonum creatum fundat jus ad pœnam ſenſus. Averſio autem ab ultimo fine fundat jus ad privationem gratiæ, & amicitiæ divinæ, & viſionis beatificæ. Cum autem quælibet res *ſimpliciter* accepta potius importet ſuum formale, quam materiale, ideo etiam in hac quæſtione ſolum agetur de peccato mortali quoad ſuum eſſe formale ſpectato, in quantum videlicet dicit *averſionem* ab ultimo fine, ſeu *defectum* ordinis ad ultimum finem.

DICO. Peccatum mortale formaliter ſpectatum eſt malitiæ ſimpliciter infinitæ.

PROBATUR 1. Peccatum mortale formaliter ſpectatum dicit privationem infiniti boni ſecundum adæquatam rationem illius boni infiniti. Ergo etiam ipſum peccatum mortale formaliter ſpectatum eſt malum infinitum. *Ant. patet*, quia peccatum mortale privat hominem, ſi in ſtatu hoc decedat, omni effectu bonitatis divinæ. *c. prob.* privationes ſolum poſſunt menſura termini menſurari, quem negant, & quo privant, cum nullum aliud habeant eſſe poſitivum, à quo poſſint menſurari.

PROBATUR 2. Peccatum mortale fundat ex parte Dei offenſam ſeu jus ad indignationem ſimpliciter infinitam. Ergo etiam ipſum eſt malitiæ ſimpliciter infinitæ. *Ant. prob.* Dignitas perſonæ per peccatum mortale offenſæ ſeu animo totaliter alienatæ eſt ſimpliciter infinita. Ergo etiam offenſa ſeu totalis alienatio animi & jus ad indignationem ſunt ſimpliciter infinita. *c. prob.* Gravitas offenſæ, ſeu totalis alienationis in animo, creſcit juxta dignitatem perſonæ, quæ offenditur. Ergo. *Ant. prob.* In humanis ſicut injuria irrogata plebejo, v. g. inflictio alapæ, ſe habet ad ſimilem injuriam irrogatam nobili, ita cæteris paribus ſe habet injuria eadem irrogata nobili ad eam quæ irrogatur regi. Ergo.

Idem CONFIRMATUR ex ſenſu Patrum, v. g. *Salviani* l. 6. de provid. c. 7. ubi ait: *Si illuſtrem ac præpotentem virum exhonorari nequaquam à quoquam licet; & ſi quiſquam exhonoraverit, Decretis legibus reus ſiſtitur, & injuriarum author jure damnatur; quanto utique majoris periculi crimen eſt, injurioſum quempiam Deo eſſe? Semper enim per dignitatem injuriam perferentis creſcit culpa facientis: quia neceſſe eſt; quanto major perſona eſt ejus, qui contumeliam patitur, tanto major ſit noxa ejus, qui facit.*

PROBATUR 3. authoritate D. Thomæ, qui in 2. diſt. 42. q. 1. a. 5. ſic habet: *Ratio, quare mortale peccatum ad æternam pœnam obligat, poteſt ſumi ex tribus. Primo, ex parte ejus, in quem peccatur, qui eſt infinite magnus, ſcilicet Deus; unde & offenſa illius infinita pœna digna eſt; quia quanto eſt dignior in quem peccatur, tanto peccatum magis punitur.* Et ad 2. *Ex hoc, quod in infinitum peccat, debetur ſibi pœna infinita Non poteſt autem eſſe infinita in acerbitate; quia in creatura finita non poteſt eſſe qualitas infinita, ſed compenſatur per durationem infinitam.* Ita S. Thomas, qui dum loquitur de peccato in Deum, haud dubie loquitur de peccato gravi, quod fit cum totali alienatione animorum, ita ut Deus fiat averſus non tantum ab opere, ſed ab ipſa perſona operante, quod non contingit circa peccatum veniale; quia in hoc Deus non avertitur ab homine.

Idem 3. q. 1. a. 2. ad 2. ait: *Peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate divinæ majeſtatis; tanto enim offenſa eſt gravior, quanto major eſt ille, in quem delinquitur; unde oportuit ad condignam ſatisfactionem, ut actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei & hominis exiſtens.* Hæc ratiocinatio D. Thomæ, dum ad delendum peccatum mortale requirit efficaciam ſimpliciter infinitam, non eſſet bona, ſi per illam *quandam infinitatem*, quam peccato mortali tribuit, tantum intelligeret *infinitatem ſecundum quid*. Itaque dicendum; illam reſtrictivam particulam, *quandam*, non importare reſtrictionem infinitudinis ſe tenentis ex parte averſionis à Deo, ſed monſtrari, in peccato mortali reperiri etiam aliam malitiæ *infinitudinem ſecundum quid*, nempe eam, quæ ſe tenet ex parte converſionis ad bonum commutabile, in quantum homo rationem finis ultimi ſeu boni infiniti conſtituit in bono finito.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si peccatum mortale eſſet malitiæ ſimpliciter infinitæ, id ideo eſſet, quia quo major eſt dignitas perſonæ, eo major eſt ipſa offenſa. Sed hæc ratio eſt nulla. Ergo. *Min. prob.* Si hæc ratio valeret, ſequeretur, quod etiam peccatum veniale ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Maj. prob.* Etiam peccatum veniale eſt offenſa Dei. Ergo.

2. Quando forma adæquata conſtitutiva rei in eſſe ſuo formali non eſt ſimpliciter infinita, etiam res ſic conſtituta non eſt ſimpliciter infinita. Sed forma adæquata conſtitutiva peccati in eſſe offenſæ divinæ non eſt ſimpliciter infinita. Ergo. *Maj. patet* in exemplis. Sic enim ſi ſanctitas, ſapientia, albedo &c. quibus denominatur homo ſanctus, ſapiens, vel murus albus, non eſt infinita ſimpliciter, etiam non erit verum, ſimpliciter hominem eſſe infinite ſanctum, ac ſapientem, vel murum eſſe infinite album. *Min. prob.* forma adæquata conſtitutiva peccati mortalis in ratione gravis offenſæ divinæ eſt libertas actus, plenitudo conſenſus, & plena advertentia ad gravem prohibitionem Dei. Sed hoc totum non eſt ſimpliciter infinitum.

RESPONDEO

Ad 1. tr. *Maj.* n. *Min.* ad prob. n. *Maj.* ad prob. diſt. Peccatum veniale eſt offenſa Dei ſecundum quid, & partialis relative ad opus. c. eſt offenſa ſimpliciter, & totalis relative ad perſonam. n. In peccato mortali eſt totalis averſio animorum inter Deum & hominem, ita ut Deus non tantum odio habeat *opus*, ſicut contingit in peccato veniali, ſed etiam *perſonam* peccantis. Exemplum habetur in Patre erga filium, cui parat hæreditatem, & quem intime diligit, licet eum ob leves defectus caſtiget. Talis Pater odit exceſſus, & actus filii, non odit perſonam filii. Sic etiam iſte terminus, *offenſa Dei*, ſimpliciter & antonomaſtice acceptus, importat in ſuo formali conceptu odium Dei erga perſonam hominis, ſeſe avertentis totaliter à Deo, ac conſtituentis rationem finis ultimi in creatura. Si quis autem velit litigare de nomine, huic reſpondeo; in

Scholis

Scholis eſſe loquendum idiomate uſitatiore Scholarum; in Eccleſia vero eſſe loquendum idiomate populari, res in confuſo repræſentante & ſignificante. Quod autem peccatum veniale juxta idioma Scholarum uſitatius non vocetur offenſa Dei ſimpliciter, patet ex uſu loquendi in Schola Thomiſtica, & ex principiis D. Thomæ. Nam 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. dicit: *Diviſio peccati in veniale & mortale non eſt diviſio generis in ſpecies, quæ æqualiter participant rationem generis, ſed analogi in ea, de quibus prædicatur ſecundum prius & poſterius. Et ideo perfecta ratio peccati, quam Auguſtinus ponit* (quod ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam) *convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale; ſicut accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam ſecundum imperfectam rationem entis. Non enim eſt contra legem; quia venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, ſed facit præter legem, quia non obſervat modum rationis, quem lex intendit.* Hoc textu S. Thomas oſtendit; omnes leges divinas directe ferri ad objecta graviter præcepta vel prohibita. Quia autem ex ejusmodi legibus nobis innoteſcit rectiſſimus ordo in omnibus actionibus humanis etiam quoad minoris momenti objecta ejusdem rationis v. g. mendacii, furti &c. juxta intentionem divinam, necdum aperta & explicita lege particulari homini explicatam, ideo, qui in re minoris momenti mentitur, vel furatur, non dicitur agere contra legem, ſed contra ordinem rationis in mente divina præſtabilitam, quem lex quidem intendit, ſed necdum ſatis expreſſit per legem ſpecialem, ab ea diſtinctam, qua objectum ex ſuo genere præcipitur vel prohibetur ſub gravi. Alia indicia de mente Angelici ſunt, quod 1. 2. q. 89. a. 1. C. & 3. q. 87. a. 2. ad 3. doceat; à peccato veniali nullam cauſari maculam in anima, videlicet provenientem ex diminutione gratiæ habitualis, ſeu charitatis Dei erga hominem. Item quod 3. q. 87. a. 1. ad 3. C. docet; per peccatum mortale hominem averti à Deo; non autem per peccatum veniale. Item quod docet, 1. 2. q. 74. a. 9. C. & q. 88. a. 1. ad 1. & 2. 2. q. 105. a. 1. ad 1. peccatum mortale eſſe contra præceptum Dei, non autem veniale, ſed præter præceptum.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min.* ad prob. diſt. Libertas, plena advertentia &c. ſunt conſtitutiva peccati mortalis in ſuo eſſe materiali ſpectati. c. in ſuo eſſe formali ſpectati. n. Libertas, plena advertentia &c. ſunt tantum materiale ipſius peccati theologici, prout in Tractatu *de peccatis* oſtenſum eſt. Si enim omnibus iſtis poſitis non daretur averſio à fine ultimo, non daretur offenſa Dei, niſi fundamentaliter. Igitur malitia formalis peccatorum non conſiſtit in illis, ſed in privatione infiniti boni, ſeu in averſione à fine ultimo. Ea autem privatio eſt malum ſimpliciter infinitum.

OBJICITUR 3. Si peccatum mortale eſſet malitiæ ſimpliciter infinitæ in ratione offenſæ, ſequeretur, unum peccatum in ratione offenſæ divinæ non eſſe majus altero. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Maj. patet*, quia unum infinitum non poteſt eſſe majus altero. *Min. prob.* Si unum peccatum in ratione offenſæ non eſſet majus altero, ſequeretur, quod blaſphemia, ſacrilegium, formale odium Dei &c. non eſſet majus peccatum, quam ebrietas, ſimplex furtum &c. ex fragilitate humana, aut graviſſima tentatione commiſſum.

2. Si peccatum mortale eſſet malitiæ ſimpliciter infinitæ in ratione offenſæ, eoipſo etiam eſſet infinitæ malitiæ in ratione demeriti. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Min. prob.* Si peccatum mortale eſſet infinitæ malitiæ in ratione demeriti, ſequeretur, quod omne peccatum mortale mereretur tam pœnam damni, quam pœnam ſenſus ſimpliciter infinitam, eamque æternam, ac ſummam tam intenſive, quam extenſive. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Maj. patet*, quia demeritum nil aliud eſt, quam præbere Deo jus ad infligendam pœnam. *Min. prob.* ex communi ſenſu fidelium. Omnes enim credunt, majori peccato deberi majorem pœnam, & plura peccata eſſe majori ſupplicio digna, quam unum peccatum.

3. Si peccatum eſſet malitiæ ſimpliciter infinitæ, mereretur pœnam non ſolum extenſive infinitam quoad durationem æternam, ſed etiam intenſive quavis excogitabili determinata pœna majorem ac majorem in infinitum; ſed hoc non poteſt dici. Ergo. *Min. prob.* Niſi fides nos cogeret ad confitendam æternitatem pœnarum pro actu peccati tranſitorio, ea pœnarum æternitas foret incredibilis. Ergo multo magis ſpectata ratione naturali erit incredibile, quod peccato tranſitorio correſpondeat pœna tam intenſive quam extenſive infinita; ac conſequenter, cum fides ad duplicem hanc infinitudinem admittendam nos non compellat, admittenda non eſt.

RESPONDEO.

Ad 1. diſt. Sequeretur, quod unum peccatum non eſſet majus altero quoad ſuum eſſe formale. tr. quoad ſuum eſſe materiale. n. formale in omnibus peccatis ſecundum conſiderationem theologicam eſt averſio à fine ultimo; & ea averſio quatenus dicit negationem in ſubjecto de ſe idoneo, non poteſt major in uno peccato quam in alio, ſicut poſt extinctionem lucernæ negatio lucis non poteſt eſſe major in uno aëris puncto, quam in alio. Similiter cœcitas, ſeu negatio potentiæ viſivæ, non poteſt quoad ſuum formale eſſe major in uno oculo, quam in alio; nec ſurditas, ſeu negatio auditivæ, quoad ſuum conſtitutivum formale poteſt eſſe major in una aure, quam in altera. Hoc tamen nonobſtante poteſt eſſe major nox, cœcitas, ac ſurditas, in quantum ſubjectum eſt magis incapax ad oppoſitum privationis. Pari modo majus eſt unum peccatum altero quoad materiale peccati, inquantum peccator ſe reddit magis incapacem ac indiſpoſitum ad bonum oppoſitum peccato, dum majori deliberatione, ac advertentia, aut majori paſſione amoris vel odii, aut frequentiori iteratione fertur in peccatum.

Ad 2. diſt. Eſſet infinitæ malitiæ in ratione demeriti demerito privativo. c. demerito infinitæ pœnæ poſitivæ exactivo. n. Suppono ex D. Thoma, quod pœna poſitiva cruciatuum in inferno corre-

correspondeat peccato quoad ejus conversionem ad creaturam; pœna autem privativa correspondeat peccato quoad ejus aversionem ab ultimo fine. Inquantum peccatum se avertit ab ultimo fine, meretur exclusionem ab omni bono, & ab omnibus effectibus bonitatis divinæ, puta ab omnibus operationibus beneficentiæ, tuitionis, ac misericordiæ divinæ; & eatenus aversio ab ultimo fine fundat demeritum privativum. Inquantum vero peccatum convertitur ad creaturam contra ordinem seu ordinationem rectæ rationis tanquam regulæ immediatæ humanarum actionum, eatenus debetur peccatori, ut contra eum per contrarietatem afflictivam pugnent ipsæ creaturæ tanquam tortores ac vindices juxta ordinem ac mensuram sapientiæ divinæ, & sic peccatum fundat demeritum pœnarum exigitivum. Cum autem sapientia divina omnia disponat in numero, pondere, & mensura, necesse est, ut conversioni ad creaturam ac deordinationi rationis quoad omnes terminos finitæ adordinet pœnam de se quoad modum intensionis finitam. Itaque demeritum *positivum* seu *exigitivum pœnarum*, se tenens ex parte peccati quoad ejus *materiale*, est finitum; demeritum autem *privativum* se tenens ex parte peccati quoad ejus *formale*, est simpliciter infinitum. Hæc responsio conformis est Scripturæ & D. Thomæ. Nam Apoc. 18. v. 7. dicitur: *Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* D. Thomas vero 1. 2. q. 87. a. 4. C. sic scribit: *In peccato duo sunt; quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum. Unde ex hac parte catum est infinitum. Aliud, quod est in peccato, est inordinata conversio ad commutabile bonum. Et ex hac parte peccatum est finitum; tum quia ipsum bonum commutabile est finitum; tum etiam, quia ipsa conversio est finita. Non enim possunt esse actus creaturæ infiniti. Ex parte igitur aversionis respondet peccato pœna damni, quo etiam est infinita. Est enim amissio infiniti boni, scilicet Dei. Ex parte autem inordinatæ conversionis respondet ei pœna sensus, quæ etiam est finita.* Et ad 3. *Culpa, quæ est irreparabilis, de se habet, quod perpetuo duret; & ideo debetur ei pœna æterna; non autem ex parte conversionis habet infinitatem. Et ideo non debetur ei ex hac parte pœna infinita secundum quantitatem.*

Dices: Si quis occidit plebejum & regem, debetur ei extremum supplicium tanto acerbius, quanto plus dignitatem plebejam excedit dignitas regia. Ergo cum dignitas Dei infinities excedat dignitatem regiam, committenti crimen læsæ majestatis divinæ debetur supplicium infinities acerbum.

Respondeo dist. Debetur ei supplicium tanto acerbius excessu acerbitatis secundum proportionem geometricam. c. secundum proportionem arithmeticam. n. Proportio geometrica salvatur per analogiam inter genera statuum, & genera suppliciorum. Sicut ergo in genere dignitatum suprema est inter homines dignitas regia, & inter omnia possibilia dignitas divina, ita in genere suppliciorum humanorum supremum genus supplicii correspondet crimini læsæ majestatis humanæ; in genere autem suppliciorum possibilium crimini læsæ majestatis divinæ correspondet supremum genus suppliciorum possibilium, licet in eodem genere sint possibiles species infinitæ & gradus infiniti.

Objicitur 3. D. Thomas in textu probationis tertiæ adductus, quando dicit; quod peccatum habeat *quandam infinitatem*; potest explicari de infinitate secundum quid. Ergo ex illo textu nil probatur.

2. D. Thomas in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. qq. 1. comparat infinitatem peccati cum infinitate visionis beatificæ. Sed hæc est tantum infinitas secundum quid. Ergo & illa.

Respondeo

Ad 1. dist. Potest ita explicari de infinitate secundum quid, nisi S. Doctor in aliis textibus hoc ipso termino soleat uti ad significandam infinitatem simpliciter dictam, & alium sensum contextus commonstret. c. secus. n. Sic D. Thomas in 4. dist. 14. q. 2. a. 1. ad 4. dicit; passionem Christi esse valoris *quodammodo* infiniti; cum tamen certum sit esse valoris simpliciter infiniti. Sic etiam *de Verit.* q. 20. a. 3. ad 4. docet, quod meritum Christi habeat *quandam* infinitatem, licet certum sit, illud meritum esse simpliciter infinitum. Similiter in 2. dist. 9. q. 1. a. 8. ad 2. asserit; gratiam Christi esse *quodammodo* infinitam; licet juxta communem theologorum sententiam sit simpliciter infinita.

Ad 2. dist. Comparat peccatum cum visione beatifica quoad genus infinitudinis. c. quoad speciem infinitudinis. n. D. Thomas solum dicit, quod utrinque reperiatur aliqua infinitudo, non tamen dicit, quod utrinque reperiatur eodem modo. In visione enim beatifica reperitur infinitudo ex parte obliqui, seu ex parte termini respecti; in peccato autem formaliter sumpto reperitur infinitudo ex parte recti, quia negationes, ad quas reducuntur privationes, sua extrema negata important in recto, prout suppono ex philosophia. Et hinc patet etiam responsio ad aliam objectionem, qua dicitur: Charitas Dei, etsiamsi attingat & uniat objectum infinitum, non est simpliciter bonitatis infinitæ. Ergo etiam peccatum, licet privet bono infinito, non est infinita. Disparitas enim est; quod infinita bonitas divina non involvatur in conceptu charitatis ex parte rei; econtra malitia peccati in suo formali conceptu, in quantum dicit aversionem à summo bono reciprocam, adeoque etiam negationem summi boni, importat bonum infinitum, cum omnis negatio extrema negata quoad modum essendi & concipiendi importet in recto. Sic enim tenebræ, seu nox, quæ *secundum modum enuntiandi* dicuntur esse negatio lucis in aëre, quoad modum essendi & concipiendi nil aliud sunt, quam aër, & lux, seorsim in diversis locis ac separatim intellecta.

QUÆSTIO IV.

An pura creatura possit condigne satisfacere pro peccato mortali?

Notandum 1. Per puram creaturam intelligi quemcunque hominem vel angelum non assum-

assumptum in unitatem personæ cum aliqua ex tribus personis divinis. Hinc etiam homo originaliter in gratia conditus, vel angclus summis gratiarum donis prædituss; imo ipsa Mater Dei & Virgo in classe purarum creaturarum veniunt.

NOTANDUM 2. Per condignam satisfactionem à nobis intelligi *obsequium ad compensandam injuriam offenso exhibitum, quod juxta rectam æstimationem non solum adæquat offensam, sed etiam offensum obligat ad acceptandam compensationem.* Hinc ad condignam satisfactionem requiruntur quatuor conditiones. 1. Ut sit *obsequium libere exhibitum*; & hinc afflictiones justorum, aut animarum purgantium, quatenus non sunt liberæ habent potius rationem *satispassionis*, quam *satisfactionis.* 2. Ut ordinetur ad *compensandam injuriam* illatam. Si enim obsequium ordinetur potius ad promerendum aliquod præmium, quam ad compensandam injuriam, habebit potius rationem *meriti*, quam satisfactionis. 3. Ut in æstimatione prudenti saltem adæquet offensam æstimabilitate intrinseca. Si enim tantum adæquaret valore extrinseco, v. g. si pro amputatione auriculæ vel minimi digiti darentur pauperi centum aureorum millia, non daretur condigna satisfactio, sed potius *compositio* cum offenso, vi cujus offensus juxta arbitrium judicis deberet esse contentus in casu impossibilitatis ad obtinendum æquale. 4. Ut illud *obsequium obliget offensum* ad acceptandam compensationem. Nam, si v. g. princeps regius se offerat ad subeundam fustigationem, à gregario milite pro delicto perferendam, quamvis substitueretur æqualis pœna, non tamen teneretur rex acceptare eam compensationem. Idem dicendum, si pro decoctione bonorum statuta sit pœna incarcerationis, Magistratus non tenetur acceptare compensationem, etiamsi Rex Galliæ vel Hispaniæ pro condonanda pœna incarcerationis Magistratui sibi non subdito offerret centum milliones aureorum. Neque enim illa redundantia aureorum, quæ æquaret & superaret debitum incarcerandi pecuniarium, foret condigna satisfactio pro delicto & negligentia vel fraude decoctoris.

NOTANDUM 3. Duas hac in re dari sententias. *Prima* est D. Thomæ, & aliorum, qui absolute negant; à pura creatura posse condigne satisfieri pro peccato mortali. Eandem cum Thomistis ex Societate sequuntur Suarez, Vasquez, Lugo, Arriaga, Ulloa, & alii. *Secunda* est Scoti & aliorum, qui affirmant, à pnra creatura posse condigne satisfieri pro peccato mortali. Hanc sententiam communiter sequuntur Scotistæ. Observant tamen aliqui, Scotistas habere aliam definitionem seu conceptum condignæ satisfactionis. Dicunt enim; ad rationem condignæ satisfactionis non requiri, ut per eam offensus obligetur ad acceptandam compensationem; alioquin sequeretur, quod nec Christus condigne satisfecerit pro peccatis humanis; eo quod etiam in Christo ad hoc, ut redimeretur genus humanum, requisita fuerit libera acceptatio Dei. Et hinc cum authores oppositarum duarum sententiarum non conveniant in notione terminorum, hæc quæstio magna ex parte redit ad quæstionem de nomine. Verum quia in quæstionibus de nomine loquendum est juxta idioma Scripturæ & Patrum

DICO. Nulla pura creatura potest condigne satisfacere pro peccato mortali.

PROBATUR 1. ex SS. Patribus. 1. *S. Basilius Hom. in Psal.* 48. ad illa verba: Frater non redimit, redimet homo, sic scribit: *Neque igitur fratrem in redemptionem quære, sed aliquem qui tuam excedet naturam; neque hominem nudum, sed hominem Deum, Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest placationem.*

2. *S. Cyrillus* Alexandrinus, probaturus contra Nestorium, quod Christus non sit purus homo, eo potissimum utitur argnmento, quia alioquin non potuisset præstare puram satisfactionem pro nostris peccatis; nisi simul fuisset Deus & homo. In *Epistola* 1. ad Valerianum Episcopum sic scribit: *Quo pacto unus pro omnibus mortuus justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cujusdam hominis fuisse dicamus?* Similiter l. 1. de fide ad Reginas ait: *Si ut vulgaris homo concipitur Christus, quomodo illius corpus vita omnium æstimationem ac dignitatem exæquat? Aut quomodo Deus haberi non debet, qui suo sanguine credentes in ipsum emundat?*

3. *S. Augustinus* in Enchiridio c. 108. scribit: *Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum, nisi esset & Deus.*

4. *S. Leo* Serm. 1. de Nativit. ait: *Nisi esset Deus, non afferret remedium; nisi esset homo, non præberet exemplum.* Item Serm. 12. de passione Domini ait: *Quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit de cœlo medicus singularis.*

5. *S. Fulgentius* l. de Incarnat. c. 2. docet, nec Angelico subsidio hominem redimi potuisse, saltem ad promerendam reparatricem humanæ naturæ corruptæ gratiam; & c. 4. addit: *Nullatenus humana natura ad auferendum mundi peccatum sufficiens atque idonea fieret, nisi in unionem Verbi Dei transiret.*

6. *Proclus* Cyzicenus, postea Patriarcha C. P. in Hom. de B. V. *Duorum alterum oportebat fieri; vel omnes sententiæ mortis subjici, eo quod omnes peccaverunt; vel ejusmodi pretium rependi, quod ad illam rescindendam damnationem pleno jure valeret.* (ᾧ πᾶν ἤπειγε δικαίωμα) *Jam vero homo salutem conferre non poterat; quippe qui & ipse peccati debitum contraxerat. Sed nec angelus humanum genus poterat redimere. Nam talis pretii inops erat. Restabat igitur, ut pro iis, qui peccaverant, impeccabilem mori oporteret Deum. Id enim supererat unicum mali remedium.*

7. *S. Anselmus* in l. 2. Cur Deus homo? c. 6. *Hanc satisfactionem non potest facere, nisi Deus; nec debet, nisi homo; necesse est, ut eam faciat Deus-Homo.*

8. *Richardus à S. Victore* l. de Incarn. c. 8. *Ad hanc plenitudinem oportuit, ut tanta esset humiliatio in expiationem, quanta fuerat præsumptio in prævaricatione. Quando ergo homo præsumpsit adversus Deum, facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo, ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de summo ad imum; sed hoc omnino non potuit fieri, nisi ab aliqua in Trinitate personarum.*

9. Nec

9. Nec prætermittendus D. Athanasius, qui Orat. 1. sic habet: *Opus erat ipso Deo, ut maledicto subjectos liberare posset.* Et Orat. 4. *Si quæ propria sunt carnis, Verbi propria non dicerentur, non ab ipsis prorsus liberatum esset genus humanum.*

Probatur 2. Ex una parte peccatum mortale in genere malorum juxta æstimationem rectissimam Dei est summum malum; ex altera parte obsequium creaturæ Deo exhibitum in genere obsequiorum est obsequium infimum. Ergo unum per alterum adæquari non potest juxta rectissimam æstimationem Dei. *Ant. q.* 1. *Min. prob.* Nam inprimis Deus in Scriptura peccatum repræsentat tanquam caput malorum in oculis Dei. Sic Jerem. 2. v. 12. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas.* Similes gravissimæ lamentationes Dei habentur Isaiæ 1. v. 2. *Audite cœli, & auribus percipe terra! Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Et Deut. 32. v. 1. *Audite cœli! audiat terra! Generatio prava atque perversa. Haeccine reddis Domino, popule stulte & insipiens?* Hæ lamentationes signa sunt animi divini malum summum æstimantis. Econtra ubi de obsequiis creaturarum sermo est, vilipensionis potius quam summæ æstimationis signa occurrunt. Sic *Lucæ* 17. v. 10. Christus dicit: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Et *Psal.* 15. v. 2. *Dixi Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Et *Jobi* 35. v. 7. *Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

Confirmatur. Gravitas peccati crescit ex dignitate personæ offensæ; & vilitate personæ offendentis; econtra valor satisfactionis decrescit ex dignitate personæ, cui fit satisfactio, & comparativa vilitate personæ, quæ satisfacit; ergo malitia peccati & valor satisfactionis ex pura creatura non possunt adæquari. *c. patet*, quia inter personam satisfacientem & eam, cui satisfit, semper datur infinita inæqualitas. Nec potest dici, eam inæqualitatem personarum compensari posse æqualitate operum. Valor enim operum bonorum & malorum intrinsece in suo conceptu involvit dignitatem aut vilitatem operantis, & ejus, cui exhibetur illud opus. Cum ergo dignitas infinita Dei valorem malorum operum augeat, econtra valorem bonorum operum minuat, non potest haberi exæquatio operum bonorum & malorum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Quando Patres docent, quod purus homo non possit condigne sasisfacere pro peccato mortali, loquuntur tantum de homine peccatore, vel descendente ab Adamo, vel solum instructo donis gratiæ ordinariis. Ergo nihil probant. *Ant. prob.* Patres passim supponunt, omnem hominem & angelum non unitum Verbo, peccatis obnoxium esse. Ergo. *Ant. prob.* Photius Patriarcha C. P. contra Nestorium sic scribit: *Nec illud animadvertebat Nestorius, quod si naturam humanam à Verbi persona separaret, eam propriis morbis laborantem reliquisset.*

2. SS. Patres possunt intelligi de peccato originali, quod totum genus humanum infecit, vel de peccatis actualibus omnium hominum simul sumptis. Ergo ex iis non probatur, ne quidem pro uno peccato in particulari posse exhiberi condignam satisfactionem.

3. Potest dici, Patres solnm loqui de majori congruentia satisfactionis per Christum, ita ut per nullam creaturam posset tam congruenter fieri. Ergo non evincitur absoluta impossibilitas. *Ant. prob. S. Augustinus* de hac impossibilitate æqualis congruentiæ loquitur l. 3. de Trin. c. 10. ubi ait: Fuit quidem & alius modus redemptionis nostræ possibilis, sed nullus sublevandæ miseriæ con gruentior.

4. Potest dici, SS. Patres solum loqui de impossibilitate redemptionis per puram creaturam qnoad reparationem naturæ corruptæ, & elevationem ad statum supernaturalem, & collationem donorum gratiæ supernaturalium. Ergo non probatur; nullam à pura creatura præstari posse condignam satisfactionem pro peccato præcise in ordine ad condonationem ejus extrinsecam.

5. Potest dici, SS. Patres solum loqui de impossibilitate consequente ad Decretum Dei præstabilitum non remittendi offensam, nisi posita condigna satisfactione per Verbum; non vero de impossibilitate antecedente omne Decretum.

6. Persona plebeja vilissima per opera heroica multiplicata potest regi pro offensa condigne satisfacere non obstante perpetua inæqualitate respectiva inter personam satisfacientem, & eam cui satisfit. Ergo idem potest fieri respectu Dei.

7. Peccatum Sacerdotis majus est, quam idem peccatum à persona plebea commissum. Ergo falsum est; gravitatem peccati crescere ex vilitate personæ offendentis. *Ant. patet* ex *S. Isidoro* l. 2. de summo bono, ubi ait: *Tanto majus cognoscitur peccatum, quanto major, qui peccat, habetur.* Similiter etiam Regi non deberetur majus stipendium, si fungeretur munere militis gregarii, aut operarii diurni. Ergo etiam hoc falsum est in probationibus, quod valor obsequii decrescat ex respectiva inæqualitate exhibentis & recipientis obsequium.

8. Etiam obsequia à puro homine exhibita in oculis Dei habentur pro magnis. Ergo probatio ultima non subsistit. *Ant. prob.* Christus Matth. 5. mulieri gentili dicit: *Magna est fides tua.* Et *Lucæ* 1. de S. Joanne B. dicitur: *Erit magnus coram Domino.* Et Matth. 5. Christus ait: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

Respondeo.

Ad 1. n. a. Illi enim textus, quos attuli, sunt indefiniti. *ad prob.* dist. supponunt, omnem hominem vel etiam angelum peccatis obnoxium esse in actu primo seu potentia. c. in actu secundo. n. Potuit enim & homo & angelus perseverare in prima gratia. Cum autem ipsa etiam satisfactio ab ejusmodi homine vel angelo præstanda fundetur in gratia, non potest habere rationem compensationis ad æqualitatem.

Ad 2.

Ad 2. n. a. Textus enim adducti, & ratio in iis allegata, se extendunt ad omne peccatum etiam particulare.

Ad 3. dist. Potest hoc dici de uno vel altero textu SS. Patrum. c. de plerisque. n. Ad mentem SS. Patrum rimandam inspiciendum, non quo aliquando exspatientur, sed ubi in unum conveniant, & constantia sententiarum uniformi acconcordi quiescant.

Ad 4. dist. Potest hoc dici de uno vel altero textu SS. Patrum à me non adducto. c. de plerisque, præsertim de adductis. n.

Ad 5. n. a. Ratio enim à Patribus adducta est intrinseca rei; adeoque antecedens omne Decretum liberum rei.

Ad 6. tr. a. n. C. & par. Disparitas est, quia offensa regis est aliquid finitum. Ergo etiam poterit adæquari per multiplicata facta heroica.

Ad 7. dist. Est majus peccatum majoritate transeunte in aliam speciem peccati. c. manente intra eandem speciem. n. Illa enim majoritas peccati sumitur vel à facratione personæ, vel à scandalo; & sic transit in aliam speciem peccati, nempe sacrilegii, ingratitudinis, officii, pacti, charitatis &c. Ad alterum INSTANS dist. non debetur tali regi majus stipendium æris. c. honoris. n. crescit enim gloria ex majori humiliatione.

Ad 8. dist. Sunt magna comparativè ad alias creaturas. c. ad Deum. n. Quæcunque enim in mundo magna sunt, solum comparative magna sunt, prout ex Philosophia suppono. Hæc autem comparativa magnitudo solum habet locum relate ad creaturas. Respectu enim Dei omnia parva, imo nihilum sunt. Sic enim dicitur Sap. II. v. 23. *Tanquam momentum stateræ sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani.* Et Psal. 38. v. 6. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.*

Objicitur 2. Ea, quæ sunt ordinis superioris, possunt adæquari per ea, quæ sunt ordinis inferioris. Ergo licet malitia peccati mortalis sit ordinis superioris quam obsequia creaturarum Deo exhibita, poterit tamen illa adæquari ab istis. *Ant. prob.* Licet aurum sit ordinis superioris quam argentum, adæquatur tamen in æstimatione morali argento sufficienter multiplicato. Sic etiam, licet actus virtutum Theologicarum, v. g. fidei, aut spei sint ordinis superioris, quam actus virtutum moralium, v. g. temperantiæ, justitiæ; poterunt tamen hi numero & perfectione ita crescere, ut adæquent aut etiam superent meritum virtutis theologicæ.

2. Status Matris Dei habet dignitatem quandam infinitam. Ergo saltem merita Deiparæ in ratione satisfactionis possunt adæquare malitiam peccati mortalis. *Ant. prob.* ex D. Thoma.

3. Creatura posset exornari gratia infinita. Ergo etiam posset condigne satisfacere pro peccato malitiæ infinitæ.

Respondeo

Ad 1. dist. Possunt adæquari valore extrinseco. c. intrinseco. n. valor extrinsecus solum dependet à voluntate humana vel divina libera, tribuente eundem effectum uni ac alteri, præcise moralem, seu dependentem à voluntate humana vel divina libera; sed hic quæstio est de valore intrinseco, ita ut voluntas ob illum valorem intrinsecum ex justitia obligetur seu necessitetur ad tribuendum æqualem effectum utrisque. Argentum autem & aurum solum æqoantur valore extrinseco.

Ad 2. dist. Habet quandam dignitatem *infinitam secundum quid.* c. *simpliciter infinitam.* n. Nam dignitas Matris Dei consistit in relatione causalitatis partim ad conceptionem partim ad unionem hypostaticam naturæ humanæ in Christo. Ea autem relatio solum dicit aliquid infinitum in obliquo, non autem in recto, prout tamen malitia peccati mortalis, seu aversio ab ultimo fine, consistens formaliter in privatione, dicit aliquid infinitum in recto, sicut superiore quæstione explicatum est. Nox enim nil aliud est, quam *alibi aër*, & *alibi lux*, & sic in cæteris.

Ad 3. n. a. Non enim est possibile infinitum actu, prout suppono ex Philosophia, nisi solus Deus; quia esse *creaturam*, & esse *limitatum*, & esse *divisum* ab infinito cumulo perfectionum, & esse à Deo *ordinatum* ad effectus finitos, idem sunt.

Objicitur 3. Qui facit, quantum potest, condignè satisfacit; sed creatura potest facere, quantum potest. Ergo. *Maj. prob.* Deus tenetur acceptare talem satisfactionem. Ergo est condigna. *Ant. prob.* Deus talem hominem viatorem ridicule moveret ad quærendum ultimum finem, nisi teneretur recipere facientem quod est in se.

2. Qui pro beneficio reddit, quantum potest, perfecte satisfacit obligationi gratitudinis. Ergo etiam qui pro peccato reddit quantum potest, condigne satisfacit suæ obligationi. *c. prob.* Deus non potest hominem obligare ad plus, quam potest.

3. Qui homini reddit, quantum abstulit, condigne satisfacit. Ergo etiam qui Deo reddit, quantum abstulit, condigne illi satisfacit. Sed qui Deo restituit rationem finis ultimi per amorem, reddit illi, quod per peccatum abstulit. Ergo.

Respondeo

Ad 1. n. *Maj.* Alioquin, qui incensa urbe, vel caussata strage integri exercitus per proditionem faceret, quod potest, condigne satisfaceret, quod nemo dixerit. *ad prob.* dist. Tenetur acceptare talem satisfactionem vi suæ ordinationis. tr. vi condignæ satisfactionis. n. Si enim Deus hominem peccatorem adhuc relinquat in statu viæ, eoipso per appetitum ultimi finis, & per obligationem suarum legum illum ordinat & movet ad finem ultimum. Itaque vi hujus suæ ordinationis tenetur facienti quod est in se remittere peccatum, prout in Tractatu *de Gratia* dictum est, quamvis ad hoc non obligetur vi condignæ satisfactionis. Accedit; quod etiam ex hoc principio suæ ordinationis non teneatur hominem restituere ad omnem priorem gratiam amicitiæ, dummodo eum reciperet in servum.

Ad 2. tr. a. n. C. & parit. Disparitas est, quia virtus gratitudinis in suo conceptu nil aliud dicit, quam promptum animum reddendi par pro viribus. Econtra *satisfactio condigna* non dicit promptitudinem seu affectionem animi, sed æqualitatem operum.

Ad 3. dist. Qui tantum reddit æqualitate injuriæ & compensationis. c. qui præcise tantum reddit æqualitate rerum. n. Alioquin sequeretur, eum condigne satisfacturum, qui contemptim coram multitudine spectantium detraxisset coronam, paludamentum & omnes vestes usque ad interulam, si hæc omnia illi iterum restitueret.

Objicitur 4. Homo potest elicere actum tam bonum, quam malum est peccatum. Ergo potest condigne satisfacere. *Ant. prob.* Si quis v.g. peccet per puram omissionem actus interni charitatis, actus charitatis de novo elicitus tam erit bonus, quam mala erat illius omissio.

2. Actus charitatis in casu, quo urget obligatio ad ejus exercitium, tantum amatur à Deo, quantum odio habetur ejus omissio. Ergo datur æquale pro æquali. *Ant. prob.* Deus in tali casu æque vult actum charitatis, ac non vult ejus omissionem.

3. Pondus præmii correspondentis pro actu charitatis majus est, quam gravitas pœnæ correspondentis pro omissione charitatis. Ergo in æstimatione divina actus charitatis plus valet, quam ejus omissio.

4. Deus interdum finit hominem labi in grave peccatum ad obtinendam majorem ejus humiliationem, & perfectiorem cultum, & amorem ardentiorem, prout docet *D. Gregorius* l. 6. Moral. Ergo ejusmodi actus magis placent, quam displiceat peccatum. *c. prob.* Philosophorum Axioma est: *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale.*

Respondeo

Ad 1. n. a. ad prob. dist. In hoc casu actus charitatis erit tam bonus entitative, & in consideratione physica. c. moraliter, & in consideratione theologica. n. In consideratione morali, & theologica considerantur etiam circumstantiæ, relationes, jura, & obligationes actuum humanorum; & juxta has actui peccaminoso debetur privatio infiniti boni; actui autem charitatis per se independenter à gratuita ordinatione Dei non debetur præmium infinitum. Separare enim se homo potest ab infinito bono, sed sibimet per suas vires conferre non potest infinitum bonum.

Ad 2. dist. Tantum amatur æqualitate amoris & odii subjectiva. c. æqualitate objectiva. n. Quando enim Deus amat infantem recenter baptizatum, & latronem in cruce exauditum, & B. Virginem, verum est dicere, sicut amat illum, ita & istum; æque datur amor unius ac alterius. Sed ille amor est inæqualis objective; quia Deus plus gratiæ & gloriæ vult conferre uni, quam alteri. Sic etiam, dum Deus pro peccato mortali ratione ejus demeriti intrinseci vult privationem omnis boni, & econtra pro actu charitatis ratione ejus valoris intrinseci non vult collationem omnis boni, sed præcise ratione gratiæ ac suæ ordinationis, non est æqualitas objectiva in amore & odio.

Ad 3. dist. Est majus ratione ordinationis extrinsecæ per gratiam c. ratione valoris intrinseci. n. Sensus patet ex dictis.

Ad 4. dist. Deus finit hominem sic labi intentione permissiva. c. intentione electiva mediorum ad finem. n. Discrimen inter intentionem *permissivam* & *electivam* est, quod intentio electiva utrumque velit, & *medium*, & *finem*; econtra intentio permissiva non vult utrumque, voluntate saltem antecedente, sed unum permittit, illudque consequenter ad suam malitiam ordinat in rationem medii ad finem aliunde generaliter volitum. Deus enim humiliationem, cultum, & amorem perfectum semper, & absolute ab homine requirit ac vult, etiam independenter à suppositione peccati. Axioma Philosophicum solum verum est in voluntate *electiva*, quando homo voluntate absoluta & antecedente præsuppositionem medii vult & *medium*, & *finem*.

Dices. Si valor charitatis solum ideo non æquat ex condigno infinitam malitiam peccati, quia hujus valor est intrinsecus, illius autem valor solum extrinsecus ex gratia & ordinatione divina, sequeretur, quod actus charitatis non mereretur de condigno vitam æternam ac visionem intuitivam Dei. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Etiam vita æterna seu visio intuitiva Dei per essentiam est aliquid intrinsecè infinitum; & actus charitatis non est aliquid intrinsece infinitum. Ergo hac ratione etiam non esset æqualitas inter actum charitatis & vitam æternam.

Respondeo dist. *Maj.* Sequeretur quod non mereretur de condigno vitam æternam, si actus charitatis spectetur quoad suum esse materiale. c. si spectetur concretivè cum suo formali. n. Actus enim charitatis de condigno meretur vitam æternam concretive spectatus, in quantum pro suo formali involvit gratiam remissivam peccati, & adoptivam in statum filiorum Dei. Ea gratia, cum se habeat tantum per modum unionis accidentalis inter animam & Spiritum Sanctum, prout ostensum est in *Tractatu de Gratia*, ex parte unius terminorum unitorum, nempe ex parte Spiritus Sancti, qui datur, est aliquid simpliciter infinitum. Et ideo datur condignitas charitatis ad vitam æternam. Econtra actus charitatis non potest spectari concretive pro priori ad remissionem peccati proprii, cum gratia formaliter dicat remissionem peccati personalis in recipiente gratiam. Et si spectetur concretivè in ordine ad peccatum alienum, sicut illa gratia collata non habet *ordinem* ad peccatum alienum seu *voluntatem Spiritus Sancti* remissivam peccati alieni, ita nec habet condignitatem relate ad peccatum alienum ejus, pro quo deberet satisfieri. In aliis rebus, in quibus reperitur valor intrinsecus & condignitas, æstimantur & comparantur res non animatæ ad invicem. Hic vero, ubi agitur de valore charitatis formaliter seu concretive sumptæ, cum charitas infusa sit Spiritus Sanctus, valor hujus charitatis æstimari debet ex voluntate Spiritus Sancti ut uniti cum anima, eatenus non relativi ad sanctificationem alienam.

Objicitur 5. Si peccatum mortale esset malum tam grave, ut nullis obsequiis ullius creaturæ compensari posset, non potuisset à Deo permitti sine Decreto mittendi Christum. Sed hoc non potest dici, prout patet ex Quæst. 2.

2. Pura creatura potest elicere actum incompossibilem cum reatu peccati mortalis. Ergo eo-

ipso

ipso potest condigne satisfacere pro peccato mortali. *Ant. prob.* Pura creatura potest elicere actum perfectæ charitatis erga Deum. Sed actus perfectæ charitatis est incompossibilis cum reatu peccati mortalis. Ergo. *Min. patet* ex illo 1. Pet. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Et ex propositione 70. Baji: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

3. Si homo non posset condigne satisfacere pro peccato mortali, haberet majores vires ad se perdendum, quam salvandum. Sed hoc non potest dici. Ergo, *Min. prob.* Ex una parte id repugnat bonitati ac providentiæ divinæ; ex altera parte observatur, quod intellectus possit inhærere bono, quin possit inhærere falso. Ergo etiam de voluntate præsumendum, quod non necessario adhæreat peccato semel commisso.

4. Pura creatura potest altri mereri remissionem peccatorum. Ergo etiam potest condigne satisfacere pro peccatis alienis. *Ant. prob.* videtur colligi ex eo, quia homo potest sibi mereri vitam æternam, quod plus est, quam remissio alieni peccati. *c. prob.* Christus non aliter satisfecit pro peccatis humanis, nisi quatenus meritus est remissionem peccatorum: & per se patet, quod posito tali merito offensus amittat jus ad indignationem.

5. Potest homo purus constitui caput aliorum hominum in ordine gratiæ, ita ut aliis mereretur & in eos transfunderet gratiam; quale caput probabile est actu fuisse Adamum. Ergo etiam potest condigne satisfacere pro peccatis alienis.

RESPONDEO

Ad 1. n. *Maj.* Quia potuisset peccatum remitti facientibus quod est in se etiam sine condigna satisfactione, & sic eo magis resplendere bonitas ac misericordia Dei.

Ad 2. dist. a. Potest elicere actum incompossibilem incompossibilitate fundata in præordinatione divina gratuita. c. fundata in æqualitate satisfactionis ad offensam n. Ratio cur actus perfectæ charitatis non possit dari sine remissione peccati tam in præsenti statu naturæ elevatæ, quam etiam in statu naturæ puræ, est sola præordinatio divina, qua hominem viatorem obligat, ordinat, & movet ad tendendum in finem ultimum. Ex hoc enim Deus vi suæ ordinationis tenetur homini facienti quod est in se aut condonare peccatum per condonationem extrinsecam vel collationem gratiæ alicujus tanquam effectum alicujus benevolentiæ divinæ erga hominem, prout fieret in statu puræ naturæ, vel per infusionem gratiæ sanctificantis adoptivæ in statum filiorum Dei, prout fit in statu naturæ elevatæ. Itaque incompossibilitas charitatis perfectæ cum peccato non fundatur in suo valore intrinseco, sed in præmotione divina, qua Deus ad talem actum præmovet in ordine ad finem ultimum.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min.* Manifestum enim est, quod homo possit seipsum occidere, quin possit se resuscitare ad vitam. *ad prob.* dist. repugnat hoc bonitati divinæ, nisi Deus omni homini viatori conferret gratiam sufficientem. c. secus. n.

Altera probatio præcise probat, quod sicut intellectus potest recedere ab opinione falsa, quam prius apprehendebat ut veram; ita etiam voluntas possit recedere à malo, quod prius sectabatur ut bonum; per hoc tamen, quod mutetur voluntas humana, non sequitur, eoipso etiam mutari voluntatem divinam indignantem homini & vindicantem ratione actus præteriti; aut si necessario mutatur voluntas divina erga elicientem actus perfectæ charitatis, id non fit ob æqualitatem charitatis ad offensam, sed ob præordinationem Dei, ut dictum est.

Ad 4. tr. a. n. C. & par. Disparitas est, quia ad meritum condignum requiritur ordinatio ejus, qui conducit alterius operam ad aliquid promerendum, ad quam ordinationem non requiritur rigorosa æqualitas operæ & mercedis. Econtra ad condignam satisfactionem requiritur tam rigorosa æqualitas inter compensationem & offensam, ut offensus obligetur ratione hujus æqualitatis ad condonandam offensam.

Ad 5. c. a. n. C. & par. Ad eam namque distributionem ac transfusionem gratiarum nil aliud requiritur, quam ordo supernaturalis in serie causarum; sicut & Sacramenta possunt habere ejusmodi sibi impressum ordinem ad causandam gratiam, ubi manifestum est, inter causam & effectum non requiri æqualitatem, sed tantum connexionem, seu ordinem existendi. Econtra condigna satisfactio in suo formali conceptu in humanis, importat æqualitatem inter offensam & compensationem; ergo etiam in divinis; quia non est necessaria variatio significationis in hoc termino.

OBJICITUR 6. authoritas *S. Thomæ.* Nam 1. in 4. dist. 15. q. 1. a. 2. ad 1. scribit: *Sicut offensa habuit quandam infinitatem ex infinitate divinæ Majestatis, ita & satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ.* Ergo par infinitas offensæ pari infinitate satisfactionis compensatur.

2. *Ibidem* ad 5. dicitur: *Peccatum originale per unius hominis satisfactionem expiari non potuit, sicut actuale.* Ergo supponit; peccatum actuale posse expiari per unius hominis satisfactionem.

RESPONDEO

Ad 1. c. a. dist. C. Si illa infinitas divinæ misericordiæ sit intrinseca operi satisfactorio, sicut infinitas Dei est intrinseca offensæ, seu aversioni à summo bono. c. secus. n. Concurrit quidem tam in offensa quam in satisfactione infinitudo quædam, sed ea infinitudo Dei satisfactorio operi est extrinseca, utpote solum importata in obliquo; econtra infinitudo summi boni, in cujus privatione consistit formalis malitia peccati, est intrinseca ipsi offensæ, prout in decursu hujus quæstionis sæpius ostensum est.

Ad 2. dist. Peccatum originale non potuit sic expiari sicut actuale per satisfactionem imperfectam. c. loquendo de satisfactione perfecta. n. D. Thomas hoc loco docet, quod homo pro suo peccato actuali possit præstare satisfactionem imperfectam, faciendo quod est in se; qualem tamen non potest præstare pro toto genere humano, ad quod actio unius hominis nullam omnino habet proportionem, quæ petat acceptari à Deo ratione vel æqualitatis, vel præordinationis di-

vinæ, qnalis tamen proportio ratione præordinationis divinæ reperitur in ſatisſactione pro peccato actuali proprio. Hæc enim proportio ſufficit ad rationem ſatisſactionis imperfectæ. *Ibidem* in C. ſic ſcribit: *In honoribus, qui ſunt ad parentes & Deos, ſecundum Philoſophum impoſſibile eſt, æquivalens reddere ſecundum quantitatem, ſed ſufficit, quod homo reddat, quod poteſt; quia amicitia non petit æquivalens, niſi ſecundum quod poſſibile eſt. Et hoc etiam æquale eſt aliqualiter, ſcilicet ſecundum proportionalitatem; quia ſicut ſe habet, quod Deo eſt debitum, ad ipſum Deum; ita hoc, quod iſte poteſt reddere, ad eum; & ſic aliquo modo forma juſtitiæ conſervatur. Unde non poteſt homo ſatisfacere, ſi ly* SATIS, *æqualitatem quantitatis importet: contingit autem; ſi importet æqualitatem proportionis. S. Doctor* 3. q. 1. a. 2. ad 2. eam æqualitatem proportionis dicit ſufficere tantum ad conſtituendam ſatisfactionem imperfectam. *Dicendum*, inquit, *quod aliqua ſatisfactio poteſt dici dupliciter ſufficiens. Uno modo perfecte, quia eſt condigna per quandam adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ, & ſic hominis puri ſatisfactio ſufficiens eſſe non potuit pro peccato. Alio modo poteſt dici ſatisfactio hominis eſſe ſufficiens imperfecte, ſcilicet ſecundum acceptationem ejus, qui eſt ea contentus, quamvis non ſit condigna; & hoc modo ſatisfactio puri hominis eſt ſufficiens. Et quia omne imperfectum præſupponit aliquid perfectum, à quo ſuſtentetur; inde eſt, quod omnis puri hominis ſatisfactio efficaciam habet à ſatisfactione Chriſti.*

QUÆSTIO V.

An purus homo poſſit condigne ſatisfacere pro peccato veniali?

NOTANDUM I. Ferc omnium inſignium Theologorum ſententiam eſſe, quod purus homo poſſit condigne ſatisfacere pro peccato veniali. Ita docent Thomiſtæ, Scotiſtæ, & ex Societate Suarez, Vasquez, Lugo, Haunoldus, Marinus, Viva, & plures alii. Hoc tamen non obſtante reperiuntur, quid id negant inter modernos Theologos.

NOTANDUM 2. Ab authoribus negativæ ſententiæ in peccato veniali diſtingui *reatum culpæ*, & *reatum pœnæ*. Per reatum culpæ intelligunt jus quod homo ſubit ad levem Dei diſplicentiam. Per reatum autem pœnæ intelligunt jus ſeu obligationem paſſivam, quod homo ſubit ad punitionem peccati. Cæterum an illa culpa peccati venialis conſiſtat in macula, ſeu imminutione gratiæ ſanctificantis, prout multis videtur, vel in ſola deordinatione rationis, prout D. Thomas cum ſuis docet, non eſt operæ pretium, hoc loco diſcutere. Illud tamen ex Tractatu *de Gratia* & *de Pœnitentia* ſuppono; illam ipſam deordinationem rationis eſſe quandam maculam in anima, utpote conſiſtentem in defectu perfectionis & exinde reſultantis pulchritudinis debitæ.

DICO. Homo purus poteſt condigne ſatisfacere pro peccato veniali.

PROBATUR. Malitia peccati venialis non eſt ſimpliciter infinita; nec datur alia ratio, cur non poſſit præſtari ſatisfactio condignæ. Ergo. *Ant. q.* 1. *Mn. prob.* Peccatum venlale non fundat privatioxem infiniti boni. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Peccatum veniale eſt vera offenſa Dei, & vera inobedientia ac irreverentia erga Deum. Ergo non poteſt pro illo ſatisfieri à puro homine. *c. prob.* Omnis offenſa etiam leviſſima erga Deum creſcit in immenſum ex infinita dignitate perſonæ offenſæ & vilitate perſonæ offendentis, & econtra omne obſequium creaturæ erga Deum decreſcit in immenſum ex dignitate perſonæ offenſæ, & vilitate perſonæ offendentis. Ergo non poteſt dari adæquatio inter malitiam peccati venialis & obſequium creaturæ.

2. Pœnæ purgatorii, quæ infliguntur pro peccato veniali, ſunt majores omnibus cruciatibus, qui ab homine in hoc mundo infligi poſſunt. Ergo etiam malitia peccati venialis eſt major omnibns obſequiis, quæ ab homine in hoc mundo Deo exhiberi poſſunt. *Ant. prob.* ex *D. Auguſtino* in Pſal. 37. ubi ait: *Gravior eſt ignis purgatorii, quam quicquid homo poteſt pati in hac vita.* Item ex *D. Thoma* in 4. diſt. 21. q. 1. a. 1. qq. 3. ubi ait: *In purgatoria erit duplex pœna, una damni; altera ſenſus. Et quantum ad utramque pœna purgatorii minima excedit maximam pœnam hujus vitæ.*

3. Ad condgnam ſatisfactionem requiritur *primo*, ut ſit ex bonis propriis. *Secundo* ut ſit ex bonis aliunde indebitis. *Tertio* ut ſit æquivalens. Sed etiam pro peccato veniali non poteſt Deo aliquid præſtari ex bonis propriis, ac aliunde indebitis. Ergo. *Min. prob.* Omnia, quæ homo operatur bona, fiunt Deo largiente vires, præmovente & cooperante; ergo omnia ſunt bona Dei, ac eoipſo titulo creationis, conſervationis & cooperationis debentur Deo. *Ant. prob.* ex Scriptura. Sic Iſaiæ 26. v. 12. dicitur: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis.* Et Act. 17. v. 28. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Et 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepiſti?* Et 2. Cor. 3. v. 5. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

RESPONDEO.

Ad 1. tr. a. n. C. ad prob. diſt. Creſcit in immenſum, ita tamen ut infinita dignitas Dei ſe non communicet intrinſecè peccato veniali. c. ut ſe communicet intrinſece. n. Peccatum enim veniale non privat infinito bono, prout privat peccatum mortale. Itaque ea immenſitas, ad qnam excreſcit peccatum veniale ſolum eſt extrinſeca, & importatur ſolum in obliquo, non in recto, dum concipitur malitia peccati venialis. Quoad alterum membrum, quod obſequium creaturæ erga Deum ex iiſdem principiis decreſcat, non tollitur, quin idem obſequium ex ſe viliſſimum poſſit ad æquale vel ſuperius genus appretiationis divinæ evehi per gratiam ſanctificantem, quæ eſt quædam participatio ſeu exigentia naturæ divinæ in beatitudine aſſequendæ, & unio accidentalis ad Spiritum Sanctum in animas operantem.

Ad 2.

Ad 2. c. a. n. C. & par. Disparitas est, quia in obsequiis Deo exhibitis non operatur sola natura, sed gratia & charitas, quæ sunt superioris ordinis in genere honorum, quam pœnæ purgatorii in genere malorum. Hinc si potentia humana elevaretur in hoc modo ad infligendos malefactoribus tam acerbos cruciatus, ac sunt in purgatorio; longe excellentior esset potentia eliciendi actus charitatis, quam inferendi tales cruciatus; & in eo casu daretur in potestate humana utrumque oppositorum; adeoque etiam eatenus possent æquiparari quoad potentiam suæ causæ.

Ad 3. dist. Requiritur, ut fit ex bonis propriis ac indebitis, ita ut sint saltem in dominio basso operantis. c. ita ut etiam sint in dominio alto operantis. n. Sicut Deus hominibus non obstante titulo creationis & conservationis concessit dominium bonorum temporalium, sibi duntaxat reservato dominio alto; ita homini reliquit dominium bassum seu particulare suorum actuum internorum, ita ut non omnes actus exigat sibi impendi titulo gratitudinis, vel canonis; sed permittat eos elici etiam ad merendum vel satisfaciendum; Ita ut ea Deus accipiat, sicut oblationes sacras, tanquam homo ea de suo dederit.

QUÆSTIO VI.

An Christus venisset, si Adam non peccasset?

NOTANDUM I. Quæstionem *primario* non versari in eo, quid Deus *decreturus* fuisset aut facturus, si Adam non peccasset? sed quæri, quid *actu decreverit?* An videlicet actu secum decreverit, illudque Decretum nobis per Scripturam vel traditionem manifestaverit, quod Christus tanquam caput omnium angelorum & hominum fuerit in mente divina præstabilitus antecedenter vel certe independenter à lapsu Adami? Hinc in eundem sensum quæstio sub his aliis terminis institui solet; an Christus vi alicujus *præsentis Decreti* venisset, si Adam non peccasset? Cum tamen quæstio videatur à moltis tractata fuisse in priori sensu, in utroque sensu specialem conclusionem statuere decet.

NOTANDUM 2. Tres potissimum esse in hac re sententias. *Prima* est D. Thomæ cum Thomistis, & plerorumque ex Societate, Christum non fuisse vi alicujus præsentis Decreti venturum, si Adam non peccasset. *Secunda* est Scoti cum Scotistis, qui docent, Christum Adamo non peccante fuisse venturum in carne impassibili & gloriose tanquam caput generis humani & angelorum. *Tertia* sententia est quorundam Neotericorum, v. g. *P. Marini* S. J. qui censent, Adamo non peccante Verbum assumpturum fuisse naturam quandam Angelicam, natura humana longe superiorem.

NOTANDUM 3. Tam à Thomistis, quam à Scotistis statui in Deo quendam ordinem Decretorum; non quidem in eo sensu, quasi unum Decretum præcedat tempore; aut quasi unum Decretum divinum ab altero distinguatur realiter, sed quod Decreta divina ordine rationis diversa & ordinata sint. Itaque in eorum sententia, qui cum Thomistis docent, Christum non fuisse venturum Adamo non peccante, statui solet similis Ordo Decretorum. 1. Decrevit Deus producere totum Universum, nempe cœlum & terram, angelos & homines, ac inter eos Protoparentem Adamum. 2. Decrevit tam in angelis quam in Adamo permittere peccatum originale. 3. Decrevit pro reparatione generis humani mittere Christum. In Scotistarum vero sententia solet poni hic ordo Decretorum divinorum. *Primo* decrevit Deus condere Universum, & in eo ponere tam angelos quam homines. *Secundo* decrevit, in caput tam angelorum quam hominum constituere Christum, atque in ejus gloriam referre totum reliquum Universum. *Tertio* decrevit, tam in angelis, quam in hominibus permittere peccatum. *Quarto* decrevit, occasione peccati Adamici mittere Christum in carne passibili, quem alioquin missurus fuisset in carne impassibili. Possunt etiam alio modo coordinari Decreta divina, prout per decursum hujus quæstionis patebit.

DICO I. Probabile est, Christum venturum fuisse in natura sublimiore vi alterius Decreti, si Adam non peccasset.

PROBATUR. Ex una parte pro sententia Scoti stat sensus Theologorum sufficiens, puta Alexandri de Ales, Alberti M., Scoti, & aliorum quos refert Suarez hic Disput. 5. Sect. 2. quos ex Societate sequuntur Hurtadus, Gormaz, Thyrsus, Ulloa, Viva, Marinus & alii plures. Ex altera parte argumenta hujus sententiæ in objectionibus referenda videntur saltem probare summam congruentiam proportionis objectivam inter partes Universi & Christum, anteriorem ad omne Decretum Dei liberum. Cum ergo à posteriori constet; Deum in Universo eas posuisse partes, quas summa congruentia proportionis ad summam Universi pulchritudinem exigit, probabile est, Deum in Universo etiam positurum fuisse Christum. *c. prob.* Ex constanti praxi seu consuetudine actionum humanarum & divinarum, probabiliter inferimus, quid acturus sit homo & Deus in futurum. Ergo ex eadem praxi actionum divinarum recte conjicimus, quid facturus fuisset in alia simili hypothesi Deus.

DICO II. Probabilius est, Christum vi præsentis Decreti non venturum fuisse, si Adam non peccasset.

PROBATUR I. Authoritate Sanctorum Patrum, qui in re dependente à libera voluntate divina præsumuntur uberius collustrati lumine superno.

I. *S. Irenæus* l. 5. c. 14. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset; & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.*

II. *S. Athanasius* in Orat. 3. contra Arrianos observat; quod Scriptura, quando agit de attributis Christi secundum naturam divinam, non assignet hujus rei causam, utpote necessariæ; econtrà quando loquitur de attributis Christi secundum naturam humanam, præmittit rei causam, utpote contingentis. Sic ubi Scriptura dicit: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum.* Joan. 1. Et: *Qui cum sit splendor substantiæ ejus.*

ejus. Heb. 1. nulla redditur hujus rei causa. Sed ubi in Scriptura dicitur: Christum *exinanisse seipsum*, & *accepisse formam servi*, & *humiliasse seipsum*, ac *factum esse obedientem*, reddi causa debuit: *Necesse est*, inquit, *causam illius præcedere, sine qua ne quidem extitisset*. Dein causam Incarnationis determinans subjungit: *Nam humanæ naturæ susceptionem antecedit hominum necessitas, sine qua carnem non induisset. - - Quod autem homo est factus, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset.*

III. *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. 36. *Quænam Incarnationis, qua Deus propter nos homo factus est, causa extitit? Nempe ut nos omnes salutem adipisceremur. Quid enim aliud causæ afferri potuit?*

IV. *Andreas Cretensis* Hom. 1. in Exalt. Crucis: *Nisi crux fuisset, Christus in terra versatus non fuisset.*

V. *S. Ambrosius* in l. de Incarnat. c. 6. *Didicistis, quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?*

VI. *S. Augustinus* in Psal. 68. *Deus fecit hominem. Atque utinam maneret in eo, quod Deus fecit. Si maneret homo in eo, quod Deus fecit, non ille infixus esset, quem Deus genuit. Porro autem, quia per iniquitatem homo lapsus est à substantia, in qua factus est, venit Filius Dei ad limum profundi, & infixus est.* Idem in Psal. 36. *Si tu homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Et Serm. 8. de Verbis Apost. c. 2. *Attende Evangelium. Venit enim filius hominis quærere & salvare quod perierat. Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Et c. 7. *Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum. Hæc est causa, cur veniret, peccatores salvos facere.*

VII. *S. Leo* Serm. 3. de Pentecoste: *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in sua honore naturæ mansisset, nec diaboli fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret; neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam servi & similitudinem carnis peccati assumeret.*

VIII. *S. Gregorius M.* vel quisquis est author in l. 4. Regum. *Si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret: Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.*

IX. *S. Cyrillus* Alexandrinus l. 5. Dialog. de Trinit. *Dicam, non curans etiamsi minus decorum videatur; quoniam necessarium hominum lapsibus & nostris peccatis erat, Unigenitum pati, maximam gratiam habeat ipse; sciat autem, quod humanitatis crimina illi divinæ gloriæ occasio fuerint. Nam si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinuisset; & si non mortuus esset, non esset affecutus, ut adoraretur à nobis, & à sanctis.*

X. *Rupertus* Abbas l. 2. de Oper. Spiritus Sancti c. 6. *Etsi quidem multum tibi debemus nos Deus Christe, quia homo factus es. At tu econtra multum nobis debes homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es. Nam nisi fuissemus peccatores, causa, cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset. - - Nisi peccassent servi, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis.*

XI. *Petrus* Cellensis Abbas in l. de panibus: *Non inclinaret cœlos partus virgineus, si pomum prohibitum non contingeret Evæ contactus temerarius.*

XII. *Origenes*, utut non sanctus, quamdiu tamen cum Ecclesia sentiebat, magnis luminibus à Deo illustratus, *Hom.* 24. in *Numeros* ait: *Si non fuisset peccatum, non necesse fuisset, Filium Dei agnum fieri, nec opus fuisset, eum in carne positum jugulari; sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum.*

PROBATUR 2. authoritate S. Thomæ & S. Bonaventuræ, qui & ipsi de Decretis divinis in rebus tam latæ consequentiæ præsumuntur habuisse majora lumina. *S. Thomas* scribens in Ep. 1. ad Tim. c. 1. Lect. 4. ait: *Authoritates videntur expresse sonare, quod non fuisset incarnatus Deus, si non peccasset homo; in quam partem ego magis inclino.* Idem 3. q. 1. a. 3. C. ait: *Quidam dicunt, quod etiamsi homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Alii vero contrarium asserunt, quorum assertioni magis assentiendum videtur.* Idem in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. qq. 1. duas nostras conclusiones eatenus confirmat, dum sic ait: *Ea quæ ex sola Dei voluntate pendent, nobis ignota sunt, nisi inquantum nobis innotescunt per authoritates Sanctorum, quibus Deus suam voluntatem revelavit. Et quia in Canone Scripturæ, & in dictis Sanctorum Expositorum hæc sola assignatur causa Incarnationis, redemptio scilicet hominis à servitute peccati, ideo quidam probabiliter dicunt, quod si homo non peccasset, Filius Dei homo non fuisset. Quod etiam ex verbis* LEONIS *Papæ habetur. - - Item* AUGUSTINUS *in Oratione ad Beatam Virginem. Ut quid enim nescium peccati pro peccatoribus pareres, si deesset, qui peccasset? Aut quid Mater fieres Salvatoris, si nulla esset indigentia salutis? Item super illud Matth.* 1. IPSE ENIM SALVUM FACIET POPULUM A PECCATIS, *secundum Augustinum. Si homo non peccasset, Virgo non peperisset. Alii vero dicunt, quod cum per Incarnationem Filii Dei non solum liberatio à peccato, sed etiam humanæ naturæ exaltatio, & totius Universi consummatio facta sit, etiam peccato non existente, propter has causas Incarnatio fuisset. Et hoc etiam probabiliter sustineri potest.* Ita S. Thomas, qui tamen dum solvit omnes objectiones contra priorem sententiam, ostendit, se illi insistere. *S. Bonaventura* in 3. dist. 1. a. 2.

PROBATUR 3. In Scriptura constanter pro motivo Incarnationis assignatur sola redemptio generis humani. Ergo non est verosimile, fuisse aliud primarium motivum Incarnationis quoad substantiam. Quæ enim causa foret, constanter reticendi causam incarnationis quoad substantiam, & semper tantum allegandi motivum incarnationis quoad modum? Sic enim, si amicus ex remota provincia causa negotiorum propriorum vel publicorum proficisceretur ad me in Bavariam, ac prætenderet constanter hoc unicum motivum, quod mei amore tam longum iter susceperit, ridiculus plane foret, etiamsi hoc motivum secundarium subsisteret. *Ant. prob.* Lucæ 19. Christus dicit: *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Et 1. Tim. 1. *Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum*

tum primus ego sum. Et 1. Joan. 3. *Scitis, quod ille apparuit, ut peccata nostra tolleret.* Et c. 4. *Dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

Probatur 4. Repeririuntur textus varii in Scriptura, in quibus videtur positive excludi omne aliud motivum Incarnationis quoad substantiam, quam redemptio generis humani. Ergo aliud non datur. *Ant. prob.* Sic dicitur Matth. 9. v. 13. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Et Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et Joan. 6. v. 38. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est enim voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo sed resuscitem illud in novissimo die.* Si primarium motivum Incarnationis fuisset gloria capitis, non recte diceretur: *Non veni vocare justos; non veni ministrari; non ut faciam voluntatem meam &c.*

Probatur 5. Si daretur in Deo decretum præstabilitum mittendi Christum in statu glorioso independenter à peccato Adami, eoipso daretur etiam Decretum anterius præstabilitum Christum mittendi in statu glorioso independenter à passione, humiliatione, & exinanitione Dominica. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. patet*, quia Adamo non peccante fuisset Christo collata gloria, & supremum dominium in omnes creaturas sine prævia passione. *Min. prob.* Christus & Apostoli sæpius testantur, Christo decretam fuisse illam gloriam dependenter à passione. Sic Christus Lucæ 24. v. 26. ad discipulos ait: *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Et Isaiæ 53. v. 12. *Ideo dispertiam ei plurimos & fortium dividet spolia pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Et ad Philipp. 2. v. 7. & 8. *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Et ad Heb. 2. v. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Hæc omnia inconvenienter dicerentur, si in Deo daretur Decretum anterius absolutum Christo conferendi illam gloriam independenter à passione; neque enim Decretum absolutum manens idem sine mutatione substantiali potest transire in conditionatum, præsertim tam onerosum. Sic si quis statuat alteri donare equum, & quidem voluntate absoluta, & gratuita; postea autem Titio ad promerendum equum ponat conditionem durissimam, nemo dicet, hoc fieri posse sine mutatione prioris voluntatis absolutæ. In Deo autem non decet admittere ejusmodi variationem Decretorum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Christus fuit decretus ante omnes homines & angelos. Ergo fuit etiam decretus ante Adamum, ac consequenter etiam ante ejus lapsum. *Ant. prob.* ex illo textu Prov. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* vel ut Septuaginta vertunt: Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua.

Respondeo dist. Christus fuit decretus ante omnes homines & angelos anterioritate principalitatis in genere motivorum & finium ad decernendum unico decreto præsens systema naturæ & gratiæ concurrentium. c. anterioritate decreti absoluti. n. Suppono enim ex Tractatu *de Deo*, quod Deus per scientiam mediam viderit infinita possibilia systemata naturæ & gratiæ. Inter illa infinita systemata possibilia erat unum, in quo mitti posset Christus Adamo non peccaturo; & aliud systema causarum erat possibile, in quo posito tali actu primo proximo Adamus esset peccaturus, & in quo si mitteretur Christus ut reparator, sequeretur immensa series bonorum ex manifestatione perfectionum divinarum. Deus ergo per scientiam mediam intuendo infinita systemata, & in quolibet systemate intuendo omnia bona & mala, quæ relate ad gloriam Dei extrinsecam sequerentur, statuit unico decreto formaliter indivisibili eligere præsens systema, motus complexo omnium bonorum & finium ad suam gloriam in hoc systemate adminiculantium. In hoc complexo bonorum & finium ad manifestandas creaturis omnes perfectiones divinas in optima harmonia concordes servientium quoad statum possibilitatis spectato præ omnibus aliis creaturis hoc systema ingredientium eluxit, placuit, movit, atque ad præeligendum ac per unicum fiat decernendum hoc systema objective in mente divina Deum determinavit Christus. Illud unicum proin *fiat* in mente divina seu decretum anterioritate principalitatis ordinavit Verbum ad unionem hypostaticam cum natura humana descendente ex Adamo lapsuro, atque ad omnes effectus in hoc systemate à principio mundi usque ad ejus finem evolvendos. Posita hac explicatione dico, *Proverbiorum* 8. per illos terminos *possedit, creavit*, nil aliud designari, quam æternam *ordinationem* divinam Verbi ad hoc systema causarum & effectuum, seu quod idem est, formationem in mente divina alicujus *Ideæ practicæ* totius præsentis systematis, qua Idea practica hoc systema jam non amplius repræsentatur ut aliquid solum possibile, sed ut actu futurum. Quomodo autem Ideæ speculativæ, & Ideæ practicæ in Deo differant, & quomodo ideæ practicæ in esse repræsentativo practico formentur in Deo, sicut actus liberi adæquatè Deo intrinseci, explicatum est in Tractatu *de Deo*. Cæterum quod hi termini, *possedit, creavit*, juxta mentem SS. Patrum de illa æterna *ordinatione* divina *Verbi* ad opera præsentis systematis, & de formatione *Ideæ practicæ* in mente divina de Christo omnium commodissime explicentur, ex sequentibus textibus, à *Petavio* Tom. 2. l. 2. c. 1. relatis, ostendo.

1. *Athanasius* in Orat. de Incarnat. *Quando dicit: Dominus creavit me initium viarum suarum, de Ecclesia hoc dicit creata in ipso. Non enim ipse creator omnium factura est, sed factura in factore renovatur, juxta illud Pauli: Ipsius factura sumus creati in Christo.* Et Orat. 3. contra Arrianos: *Dominus creavit me in opera. Mea est enim imago, quæ in creatis rebus apparet; ac sic ego me ad opificium accommodavi.*

2. *Eusebius* de Eccles. Theol. l. 3. c. 2. prout refertur à Socrate l. 2. c. 20. *Dominus constituit me, ut*

ut præessem viis ejus; sic 1. *Petri* 2. *v.* 13. *dicitur: Subjecti estote omni creaturæ, id est, omnibus principibus & magistratibus à Deo constitutis. Et Amos* 4. *v.* 13. *creans spiritum, hoc est, ventum immittens.*

3. *S. Augustinus* in l. contra adversarium legis c. 33. ad illa verba Isaiæ: Ego sum Deus faciens bona & creans mala, ait: *Si, quomodo Scripturæ sanctæ loqui soleant, perscrutemur, creari; ex eo, quod erat, condi aliquid, vel constitui reperimus; sicut discimus, creari magistratus atque urbes. Nam & illi ex iis, qui jam homines erant, constituuntur in honoribus, cum Magistratus creantur. Et ligna & lapides, quibus construuntur urbes; utique jam erant; sed nondum in illam rerum faciem, quam videmus in urbibus, quodam ordine & compositione venerant; quod cum fit, creari urbes dicuntur. Quod enim Græci, κτίζειν, appellant, hoc nostri aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere interpretantur.* Hanc expositionem confirmat Biblia Vulgata, dum utitur termino, *possedit*. DOMINUS POSSEDIT ME, hoceſt, me in suum usum ad suos fines convertit ac direxit. Varias alias expositiones l. cc. affert Petavius, quarum tamen nulla anterioritatem unius decreti de Christo ad alterum decretum de conditione mundi, sed tantum anterioritatem prædefinitionis simplicis æternæ de Christo ad actualem creationem mundi ostendit, ita ut Scriptura ostenderet, omnia à Verbo condita esse & ab eo omnia ordinata, & ad idem rursus ordinari. Vide Petavium l. cc. n. 10. ubi sic scribit: *Deus sapientiam possedisse, id est, aquisivisse dicitur, hoc est, apud se & in animo suo condidisse. Etenim artifex, antequam opus suum moliatur, ejus rationem ac descriptionem in mente designat, eaque delineatio formam tantum continet intelligibilem rei futuræ. Sic igitur Deus, antequam mundum fabricaret, ejus apud se speciem formavit.*

OBJICITUR 2. Apostolus ad Rom. 8. v. 29. dicit: Christum ante omnes alios homines prædestinatum esse. Ergo datur decretum anterius ponendi Christum independens à creatione vel lapsu hominum. *Ant. prob.* textus l. cc. sic habet: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

2. Idem confirmatur ex alio textu ad Coloss. 1. v. 15. ubi dicitur: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

RESPONDEO n. a. ad prob. dist. Vocatur primogenitus in multis fratribus ordine dignitatis, motivi, & finis, ita ut Christus passus fuerit motivum primarium & finis principalis præeligendi hoc systema inter infinita systemata possibilia, in quibus nunc salvandi non fuissent salvati. c. primogenitus ordine decretorum. n. Apostolus tantum vult dicere, quod Deus præelegerit præsens systema naturæ & gratiæ ad hoc permotus per complexum omnium bonorum & finium, quod intuebatur in hoc systemate reperiri per unionem reciprocam Christi ut capitis in suos electos.

Ad 2. dist. Christus vocatur primogenitus omnis creaturæ ob communicationem Idiomatum. c. ob anterioritatem decreti prædefinitivi. n. Manifestum est, hunc morem loquendi similem esse illi, in quo Scriptura simpliciter asserit, Christum fuisse ante mundum, vel ante tempora sæcularia. Sic enim Christus Joan. 8. v. 58. dicit: *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Et Micheæ 5. v. 2. *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Sic & Joan. 1. v. 10. dicitur: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Sic etiam hunc textum de Christo secundum ejus divinitatem Verbi exponit S. Augustinus l. 1. de Trinit. c. 12. his verbis: *Secundum formam Dei primogenitus omnis creaturæ & ipse ante omnes est, & omnia in illo constant.* NEC OBSTAT, quod in illo textu videatur institui comparatio & oppositio prioritatis inter generationem Christi, & generationem aliarum creaturarum, quæ comparatio videretur fieri inconvenienter, si in uno comparationis termino poneretur generatio Verbi æterna; in altero generatio temporalis per creationem, utpote toto genere diversa. Cum tamen ordo prioritatis & posterioritatis debeat versari inter ea, quæ sunt in eodem genere. Igitur sermo est de prioritate Christi, secundum generationem temporalem, non ordine temporis: ergo ordine decretorum.

RESPONDEO enim; etiam generationem æternam Verbi, & generationem temporalem creaturarum convenire sub quadam ratione communi, prout Petavius l. cc. n. 7. ex Basilio Ancyrano observat; si nempe omnes differentiæ & imperfectiones, quæ in generatione creaturarum reperiuntur, ab illa generatione æterna auferantur, ita ut sola remaneat notio originis principiati à suo principio. Alii aliter respondent & dicunt; etsiamsi in illo textu sermo foret de Christo homine passo, tamen eum rectè vocari *primogenitum* omnis creaturæ ordine dignitatis, amoris, & causalitatis intentionalis, inquantum est primarium motivum & finis ejus decreti, quo Deus inter infinita systemata naturæ & gratiæ possibilia potius hoc præsens systema elegit. Sic enim more Scripturæ vocantur primogeniti, qui præ cæteris diliguntur. v. g. Psal. 88. *Primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Et Jerem. 31. *Ephraim primogenitus meus es.* Et Exodi 4. v. 22. *Primogenitus meus Israel.* Sic istum textum etiam exponit S. Hieronymus in c. 1. ad Coloss. ubi ait: *Est primogenitus omnis creaturæ etiam secundum assumpti hominis formam, non tempore, sed honore.*

OBJICITUR 3. Christus est *finis cui*, & objectum attributionis, ad quod in intentione divina omnes aliæ creaturæ referuntur. Ergo cum in omni electione finis sit ipsum primo volitum, ac primum in intentione, necesse est, etiam Christum fuisse decretum ante omnem aliam creaturam, ac consequenter etiam independenter ab existentia vel lapsu Adami, sicut sanitas pro priori appetitur ad appetitum mediorum. *Ant. prob.* Apostolus ad Heb. 2. dicit: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari.* Et 1. Cor. 3. v. 23.

Omnia

Omnia vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei. * Item: Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 7. ait: *Justificationis nostræ causam finalem esse gloriam Dei & Christi.*

RESPONDEO dist. Christus est finis cui & objectum attributionis dependenter à motivo principali, quod est complexum omnium bonorum & finium in præsenti systemate naturæ & gratiæ reperibilium. c. independenter ab hoc motivo. n. Suppono ex Tractatu de Deo, quod Deus in suis Decretis prædefinitivis non moveatur à bonitate partium, sed à bonitate totius systematis, quod præeligit, ita ut in consultatione, ut ita dicam, deliberativa seu electiva non comparet partes alicujus systematis ad partes, sed integra systemata ad integra systemata. Cum itaque in quolibet systemate possibili detur ordo & subordinatio connaturalis ad finem principalem, decretum præelectivum unius systematis præ alio non decernit prius finem dein media, sed totam subordinationem causarum & effectuum in tali systemate simul uno decreto approbat & decernit, sicut Rex inter tria vel plura systemata gerendi belli uno verbulo approbat & eligit.

OBJICITUR 4. SS. Patres docent, Christum fuisse venturum Adamo non peccante. Ergo. *Ant. prob.*

I. *S. Irenæus* l. 3. c. 33. ait: *Prædestinante Deo primum animalem hominem*, (Adamum) *cum præexisteret salvans, oportebat & quod salvaretur fieri, ut non in vacuum sit salvans.*

II. *S. Cyrillus* Alex. l. 5. Thesauri c. 8. *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur ante initium mundi in præscientia Dei. - - Creator rerum Christum nostræ salutis fundamentum etiam ante initium mundi fundavit, ut si prævaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur. Quantum igitur ad præscientiam & consilium & propositum Patris & omnis Deitatis Christus ante sæcula fundatus est.*

III. *S. Augustinus* l. 1. de nuptiis c. 21. docet, in Paradiso seu in statu innocentiæ futura fuisse tria bona matrimonii, nempe propagationem prolis, immunitatem à libidine, & *sacramentum significationis*, nempe unionis inter Christum & Ecclesiam. *Certe*, inquit, *his tribus bonis perfecte se haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ.* Sed hoc tertium bonum non fuisset, nisi Christus venisset. Ergo.

RESPONDEO n. a.

Ad 1. dist. Ait, præexstitisse salvans in actu primo, ac propterea oportuisse fieri salvandum consequentia decentiæ. c. præexstitisse salvans in actu secundo vel decreto, & fieri oportuisse salvandum consequentia necessitatis. n. S. Irenæus tantum voluit dicere, ab æterno extitisse Verbum, in actu primo misericors, ac potens salvare peccatores. Propterea, ne hæ perfectiones divinæ remanerent æternum otiosæ, decuisse, ut inter creaturas conderetur homo mutabilis in malum & bonum, sicque permissione peccati daretur occasio Deo exhibendi suam misericordiam modis sibi placitis, quin tamen pro modo salvationis necessario eligeretur Incarnatio Verbi.

Ad 2. dist. Præfundatur ante nos Christus anterioritate dignitatis, motivi, & finis. c. anterioritate decreti. n. Sensus patet ex Responsione ad Objectionem primam. Deus enim sua decreta non dividit per partes systematum possibilium, sed sua decreta refert ad integra systemata, seu, ut exactius loquar, ad totalitatem systematum. Sicut autem in omni systemate possibili partes illius totius habent inter se quendam connaturalem ordinem dignitatis, & subordinationem objectivam, tanquam membra unius magni corporis, ita Deus, præeligendo aliquod integrum systema naturæ & gratiæ ob complexum omnium bonorum & finium in tali systemate reperibilium, eoipso vult singula membra illius systematis in eo ordine & gradu, in quo objective sunt, & insuper à singulorum membrorum bonitate tanquam motivo & fine partiali sinit se moveri ad præeligendum potius hoc systema præ alio systemate. In hoc ergo sensu verum est, quod Deus præeligendo inter infinita possibilia systemata naturæ & gratiæ præsens systema coordinaverit Christum cum aliis compartibus tanquam fundamentum, & etiam in ordine motivorum partialium magis respexerit ad bonitatem, quæ in hoc systema refunditur ex Christo, quam in bonitates aliarum partium hujus systematis, quamvis nullam partem decreverit decreto solitario & absoluto seorsim, sed tantum uno decreto totum systema.

Ad 3. dist. Docet, in Paradiso matrimonium habiturum fuisse significationem Sacramenti relate ad individuam vitæ societatem inter conjuges. c. relate ad unionem Christi cum Ecclesia. n. S. Augustinus ibi expresse contradistinguit individuam vitæ societatem à duobus aliis bonis matrimonii, nempe à bono prolis, & à bono pudicitiæ; additque, tertium hoc bonum, quod nunc in hac providentia est Sacramentum *magnum* relate ad Christum, ibi futurum fuisse Sacramentum *parvum* relate ad conjuges. Et ad redemptionem aliorum hominum posterorum Adæ, quorum aliqui sine dubio peccassent. tr. vi præsentis decreti. n. Alio modo responderi posset; D. Augustinum in aliis locis supra allegatis docuisse contrarium, & quidem in Concionibus, ubi mens liberius sua sensa depromit, quam in Opusculis contentiosis, quale est liber de nuptiis. In his enim nonnunquam ad retundendos adversarios Ecclesiæ sufficit probabilitas unius alicujus sententiæ inter eas, quas defendunt Doctores Ecclesiæ. Verum prior Responsio sufficit, & solida est

OBJICITUR 4. Qui ordinate vult, prius vult finem, quam media, & inter media vult prius ea, quæ sunt fini obtinendo magis accommoda, seu propinquiora. Atqui Deus ordinate vult, & Incarnatio est medium magis accommodum seu propinguius fini per creationem mundi intento. Ergo. *Min. prob.* Finis à Deo per creationem mundi intentus est gloria Dei extrinseca. Sed huic fini est magis accommoda Incarnatio.

2. Si Adamo non peccante Christus non venisset, Incarnatio esset bonum tantum *occasionatum.* Sed hoc est absurdum. Ergo.

3. Si Adamo non peccante non daretur Incarnatio, sequeretur, quod peccatum Adami fuisset necessarium ad procurandum tantum bo-

num. Sed hoc est absurdum. Ergo. *Maj. prob.* D. Thomas sic ratiocinatur in simili 1. q. 98. a. 1. C. ubi quærit, an in Paradiso extitisset generatio, si Adam non peccasset. *Dicendum*, inquit, *quod in statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem humani generis; alioquin peccatum hominis fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consecutum est.*

RESPONDEO.

Ad 1. dist. Prius vult finem & media viciniora prioritate decreti. n. prioritate dignitatis, motivi & finis. *subdist.* ex præsuppositione quod eligens per legem prudentiæ teneatur eligere media fini accommodatiora. c. secus. n. Homo non eligendo media fini accommodatiora ageret contra leges prudentiæ, quia negligeret aliquam sui perfectionem ad finem necessario volitum, nempe ad beatitudinem. At beatitudini divinæ nihil accedit vel decedit, sive creet hunc vel illum, sive nullum mundum. Hinc cum gloriam suam extrinsecam non necessario velit, non agit contra leges prudentiæ, etiamsi inter infinita possibilia systemata eligeret minus conducibile ad illum finem sibi liberum.

Ad 2. n. *Maj.* Bonum enim præcise occasionatum est illud, quod non est eligibile per se & ratione sui. Incarnatio autem semper fuisset eligibilis ratione sui, licet in circumstantia & occasione peccati magis serviat ad manifestandam integram harmoniam perfectionum divinarum, puta etiam misericordiæ, justitiæ &c.

Ad 3. n. *Maj.* Illud enim dicitur necessarium, sine quo in ordine naturæ vel gratiæ alterum nec petit nec convenienter potest fieri. Incarnatio autem potuisset convenientissime fieri, etiî Adamus lapsus non esset. *ad prob.* nego paritatem. Si enim generatio seu propagatio generis humani tantum existeret ob peccatum Adami, verum esset, nullum alium fore in natura finem, quod manifeste falsum est. Cum etiam independenter à lapsu Adami homini connaturalis futura esset mors, ac consequenter naturalis exigentia ad conservationem speciei, sicut in aliis rebus corruptibilibus.

OBJICITUR 6. Ex hac sententia sequerentur varia absurda. Ergo non debet admitti. *Ant. prob.* Nam sequeretur 1. Quod Christus debeat hominibus gratias, quod peccarint; & quod Christus possit speculative gaudere de peccato Adami; quia si homo non peccasset, ipse non existeret.

2. Quod homo defacto sit melioris conditionis, quam si non peccasset. Quia si non peccasset, non habuisset Christum, quem defacto habet.

3. Quod Deus magis amasset hominem lapsum, quam Christum; quia Christo tantum fuisset usus tanquam medio ad reparandum hominem lapsum.

RESPONDEO. n. a.

Ad 1. dist. Deberet gratias homini pro peccato, si hoc esset medium de se aptum & ex intentione hominum ordinatum vel ordinabile ad obtinendam Incarnationem. c. secus. n. Sicut enim Martyr non debet Diocletiano gratias pro corona, quam ille non intendit conferre, sed impedire, ita Christus non debet homini gratias pro peccato, quod potius fuisset impeditivum Incarnationis. Quod si Rupertus Abbas, & Cyrillus Alex. in familiari alloquio cum Christo gratias à Christo referendas censeant, est familiaris modus amoris postulandi à Christo gratiam.

Ad 2. dist. Est melioris conditionis, attamen difficilioris. c. facilioris. n. Quamvis enim per Christum status, ad quem homo evehitur sit sublimior, est tamen simul difficilior. Et hinc ista melioritas non est omnimoda, eaque non *per se*, tanquam ex causa per se ordinata ad hunc effectum, sed *per accidens* præter intentionem agentis & ordinem causarum.

Ad 3. dist. Id sequeretur, si Christus non esset intendibilis, nisi in ratione medii. c. secus. n. Certe Christum ratione sui esse amore etiam practico magis amabilem, quam homines, ex eo patet, quia Deus illi infinities contulit majores excellentias, quam præcise exigerentur in bonum hominum. EADEM RESPONSIO servit ad objectionem aliam, qua dicitur: Si Deus contulisset existentiam aliis creaturis ac hominibus, quin eam conferret Christo, sequeretur, quod plus dilexisset alias creaturas & homines, quam Christum. RESPONDEO enim n. *Maj.* quia si sermo sit de amore *speculativo* ac *conditionato* erga res, quatenus sunt objective in mente Dei, falsum est, alias res magis amari quam Christum; quia semper in Deo reperitur voluntas exhibendi Christo plures effectus amoris, quam aliis creaturis, si deducantur è statu possibilitatis ad statum existentiæ. Si autem sermo sit de amore *practico*, in ea hypothesi comparatio foret de subjecto non supponente. Sicut enim non potest dici, quod unus murus sit magis albus, quam alter, si alter prorsus omni careat albedine; ita non potest dici, quod Deus practice magis diligat ens, quam non ens; cum non ens careat prorsus omni effectu amoris divini.

OBJICITUR 7. Est communis doctrina SS. Patrum, ac ipsius D. Thomæ, quod Adamo in Paradiso ante peccatum fuerit revelatum mysterium Incarnationis. Sed hoc non potuisset convenienter fieri, si Incarnatio dependeret à lapsu Adami. *Maj. patet* ex D. Thoma 2. 2. q. 2. a. 7. C. ubi ait: *Illud proprie & per se pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem consequitur, Via autem hominibus veniendi ad beatitudinem est mysterium Incarnationis, & Passionis Christi. Et ideo Mysterium Incarnationis Christi oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimode tamen secundum diversitatem temporum & personarum. Nam ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato per passionem & resurrectionem; quia homo non fuit præscius peccati futuri. Min. prob.* Si Adamus in Paradiso fuisset præscius sui peccati, summam contraxisset tristitiam, quod repugnat illi felicissimo statui.

RESPONDEO tr. a. n. c. Quamvis enim Adamo revelata forte fit Incarnatio Verbi, non tamen ipsi revelata fuit causa. Sic enim etiam Apostolis, ac ipsi Judæ, revelata fuit passio & crucifixio Christi, quamvis Judæ non fuerit revelatum, seipsum fore causam hujus passionis per traditionem. Ita respondet D. Thomas 3. q. 1. a. 3.

a. 3. ad 5. *Dicendum*, inquit, *quod nihil prohibet alicui revelari effectum, cui non revelatur causa. Potuit igitur primo homini revelari Incarnationis Mysterium, sine hoc quod esset præscius sui casus.* Idem S. Doctor in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. ad 7. respondet de diabolo, quod ante lapsum suum agnoverit futuram Incarnationem, & tamen non agnoverit ejus causam, nempe suum casum.

DICES 1. Incarnatio Verbi erat causa omnium gratiarum Angelis & Adamo in primo momento eorum collatarum. Ergo extitisset independenter à lapsu Adami. *c. prob.* Si non extitisset independenter à lapsu Adami, sequeretur omnia illa gratiarum dona pependisse à peccato destructivo earum gratiarum, quod in terminis repugnat.

RESPONDEO c. a. n. c. Deus enim in sua præscientia potuit habere hunc modum tendendi; si primum hominem conderem ad beatitudinem excedentem vires humanas, ad promerendam illam beatitudinem possem illi ponere mandatum de non comedendo fructu. Et si ponerem illi hoc mandatum, ille peccaret. Tunc possem mittere Salvatorem. Si illum mitterem, systema naturæ & gratiæ ad meam gloriam extrinsecam foret optimum; & si hoc systema eligerem, deceret, ut ille Christus esset caput omnium hominum & angelorum, utque intuitu illius omnes gratiæ conferrentur, & augerentur, quas alioquin eo non misso essem collaturus angelis & hominibus in prima eorum creatione. Hoc ergo totum systema, seu totum complexum bonorum & finium *fiat*. In hoc modo tendendi per unicum verbulum, seu decretum mentale, *fiat*, habetur totum, quod à nobis asseritur, nempe motivum Incarnationis ex lapsu Adami, & causalitas Incarnationis ad primas Adami & angelorum gratias, quia omnes respectus partium hujus systematis ad invicem, qui in scientia media habebant tantum *esse conditionatum* sine ulla confusione aut mutua prioritate, per unicum, FIAT, ponuntur in *esse absoluto* sine ulla confusione & mutua prioritate. *Ad prob.* nego, illa dona pependisse à peccato tanquam à causa, aut tanquam à conditione per se ac connaturaliter necessaria; quia potuissent conferri sine peccato Adami. Quod autem in præsenti systemate naturæ & gratiæ Deus voluerit illas gratias conferre post peccatum, motivum non erat peccatum, sed Incarnatio. Hinc peccatum Adami proprie loquendo nequidem habebat rationem *conditionis*, sed tantum *occasionis*, quia peccatum tantum præbuit occasionem Decreto alligandi primas Adami gratias ad Incarnationem, quin hoc decretum formaliter respiciat peccatum. Sunt enim in uno eodemque realiter decreto mille ac mille decreta formaliter inter se distincta, respicientia duorum extremorum meritum objectivum reciprocum inter se, quin respiciant formaliter alias partes totius systematis & occasiones suipsius. Hinc etiam in hoc unico *fiat* potuit Deus respicere Incarnationem ut merito præservativam B. Virginis à peccato originali, & debito illius proximo; quia potuit hoc modo per scientiam mediam conditionatam tendere; *si Adamo peccante mitterem Christum, deceret, ut ejus matrem præservarem etiam in embrione à concupiscentia radicali, seu à debito proximo ad maculam peccati originalis;* ac dein eundo per omnes partes præsentis systematis potuit Deus subjungere. Hoc totum complexum bonorum, in esse intentionali conditionatum, FIAT absolutum in esse reali.

DISPUTATIO III.

De Causa effectiva & meritoria Incarnationis.

In hac Disputatione quæritur:

1. An B. Virgo physicè causaverit Incarnationem?
2. An Christus meruerit Incarnationem?
3. An & quomodo B. Virgo meruerit maternitatem Dei?
4. An & quomodo Progenitores Christi meruerint vel mereri potuerint Incarnationem?

QUÆSTIO I.

An B. Virgo physicè causaverit unionem hypostaticam?

NOTANDUM 1. Certum esse de fide, quod B. Virgo sit *Mater Dei* seu *Dei Genitrix;* id enim expresse fuit definitum in Concilio Ephesino contra Nestorium, & in Concilio Chalcedonensi, & in Synodo Generali V. Tota ergo quæstio est, in quo sensu hoc verum sit? An videlicet causalitate sua physica se tantum extenderit ad naturam humanam in Christo, cui Deus sua omnipotentia addiderit unionem cum Verbo? An vero sua causalitate physica etiam se extenderit ad ipsam unionem hypostaticam?

NOTANDUM 2. Ab omnibus concedi, causalitatem naturalem in B. Virgine se non posse extendere ad producendam unionem hypostaticam. Itaque, si produxit eam physice, necesse est, eam causalitatem fuisse intrinsece supernaturalem.

NOTANDUM 3. A me ex Philosophia supponi; omnem causalitatem physicam consistere in *ordine existendi*, seu in ordine continuo unius ad aliud divinitus rebus impresso ad existendum in determinata serie entium. Hinc juxta hanc doctrinam si Deus muscæ imprimeret ordinem existendi ad elephantem in communi materia, musca eoipso supernaturaliter produceret elephantem.

Notandum 4. A Vasquezio non solum negari, quod B. Virgo fuerit causa physica per se unionis hypostaticæ, sed etiam, quod fuerit causa Instrumentalis. In 3. p. Disput. 25. c. 1. n. 9. sic scribit: *Quod prædicti Theologi asserunt, probabilius sibi videri, B. Virginem non fuisse instrumentum physicum unionis* (hypostaticæ), *nobis maxime probatur*. Et Disput. 71. n. 25. scribit: *Quamvis generatio terminetur ad esse creatum naturæ genitæ, nempe humanitatis in Christo, & ita prius intelligatur humanitas genita, quam assumpta, nihilominus dica, Deum esse filium Virginis, & Virginem esse Matrem Dei; quia, ut B. Virgo sit & dicatur Mater Dei, non est necesse, ut efficacitate matris attingat unionem humanitatis cum Verbo, sed tantum unionem animæ cum carne, ex qua conflatur humanitas, quæ revera unita fuit Verbo, ratione cujus unionis ita mutuo communicantur idiomata naturarum, ut Deus dicatur homo, & homo Deus; ac proinde Mater illius hominis dicatur Mater Dei ab initio conceptionis humanitatis. Neque ad rationem maternitatis requirebatur, ut B. Virgo ut instrumentum physicum attingeret unionem humanitatis cum Verbo; tum quia talis actio instrumentalis impossibilis est; tum quia, etiamsi esset possibilis, ea non esset fundamentum aut conditio relationis maternitatis. Hæc enim relatio solum oritur ex modo agendi aut concurrendi naturali.* Ita Vasquez. Idem Disp. 25. n. 9. dixerat: *Licet verum esset, id non implicare contradictionem, non satis esset, ut id statim affirmaremus, quod ad majorem dignitatem Virginis pertineret; siquidem ad dignitatem illius etiam pertineret, ut assumeretur tanquam instrumentum ad creandam animam Christi; ob id tamen non est asserendum, defacto ad id assumptam fuisse.* Similem impossibilitatem causalitatis physicæ agnoscunt Medina, Alvarez, Joannes à S. Thoma, Molina &c.

Notandum 5. A Suarezio, Becano, & aliis Recentioribus agnosci, saltem probabilem esse quorundam veterum Theologorum sententiam, qui docuerunt, B. Virginem fuisse instrumentum physicum, quo mediante Deus humanam naturam Verbo conjunxerit. Gonetus existimat, hoc quidem possibile esse, sed defacto Deum hanc causalitatem sibi soli reservasse. Suarez autem de Incarnatione Tom. 1. Disp. 10. Sect. 1. sic scribit: *De ipsa Virgine dubitari potest, an effective attigerit ipsam unionem hypostaticam humanitatis ad Verbum? Videri enim potest hoc probabile - - Est quidem hoc pium & probabile, non tamen necessarium. - - Quocirca verosimilius est, à solo Deo fuisse factam nulla media creatura, & B. Virginem solum concurrisse ad unionem naturalem animæ & corporis, & hac ratione esse Matrem Dei & hominis.*

Notandum 6. Pro sententia pia, seu affirmativa nullos quidem à Suarezio, Vasquezio, & Gooeto nominatim exprimi authores, eam tamen fuse defendit P. Sylvester *de Saavedra* in l. *Sacra Deipara* Disput. 12. Sect. 2. ubi pro se citat *Granadum* Cootrov. 1. de Incarnatione tit. 4. Disp. ult. Sect. 1. n. 5. *Baptistam Novatum* de Excellentia Virginis. Tom. 1. c. 7. q. 37. Idem testatur multos pro hac sententia referri Theologos *à Palatios* in 3. d. 4. Disp. 2. Eandem sententiam defendit *Gormaz* de Incarnat. Disp. 13. Sect. 2. n. 544. *Kamperger.* de Incarnat. Disp. 22. c. 1. n. 599.

DICO. B. Virgo fuit causa instrumentalis physica Incarnationis.

Probatur 1. Illa est causa instrumentalis physica, quæ, dum peragit actionem sibi propriam, simul ab agente principali movetur seu ordinatur ad effectum principalem, sed id cootigit in B. Virgine. Ergo. *Maj. patet* ex definitione, & ab exemplo, quo uti solet D. Thomas, dum v. g. culter fungendo sua actione sibi propria, quod est secare, dirigitur ab artifice actione communi ad formandam statuam. *Min. prob.* Si Deus non movisset Deiparam actione communi ad efficiendam unionem hypostaticam, non esset causa *per se* hujus totius, quod est Christus Deus-Homo, sed tantum *per accidens*, sicut artes ministeriales, quæ præparant materiam alteri arti, v. g. coriaria respectu sutariæ, lateritia respectu architectonicæ, grammatica respectu Rhetoricæ &c. in quibus omnibus præparatio idoneæ materiæ ad introducendam ab alia arte formam non sufficit ad hoc, ut ars ministerialis dicatur causa per se artefacti principalis.

Probatur 2. B. Virgo est vere Mater hujus totius, quod est Christus; sed non esset Mater hujus totius, nisi causaret unionem inter partes hujus totius. Ergo. *Maj.* est de fide. *Min. prob.* Esse Matrem hujus totius est esse causam hujus totius. Sed esse causa hujus totius noo potest, nisi causet unionem inter partes totius. Ergo. *Min. prob.* Universim in omnibus effectibus tam accidentalibus quam substantialibus, tam artificialibus quam moralibus nihil dicitur causa rei, nisi inquantum unit partes totius. Sic in effectibus naturalibus tam accidentalibus quam substantialibus D. Thomas plus quam centies affirmat, nec materiam fieri, nec formam fieri, sed tantum fieri unionem formæ cum hac materia, seu, prout loquitur, ut forma incipiat esse in hoc subjecto. Sic quando ignis calefacit lignum, juxta S. Doctorem nec lignum fit, nec calor, sed *calidum*, nempe totum, inquantum calor incipit aquirere novam existentiam in hoc subjecto: & quando ignis incendit lignum; joxta eum oec igneitas fit, nec materia fit, sed *totum* fit, inquantum forma ignis unitur huic subjecto. Idem observare licet in artificialibus & moralibus, v. g. domus ex lignis & lapidibus, sphæra ex ære, Sacramentum ex materia & forma. Unio enim partium est ipsa causalitas totius.

Confirmatur. Si actio generativa in fœmina tantum terminaretur ad animam sensitivam in embrione sine ulteriore ordine virtuali ad animam rationalem, nec pater nec mater recte dicerentur generasse hominem. Ergo etiamsi actio generativa in B. Virgine tantum terminaretur ad naturam humanam sine ulteriore ordioe virtuali ad Verbum, non recte diceretur Mater Christi, seu totius theandrici. *Maj. prob.* Illa actio generativa noo excederet facultatem bruti, & tamen nemo dicet, quod brutum possit esse Pater aut Mater hominis.

Probatur 3. Textus Conciliorum & Patrum, quando loquuntur de maternitate Deiparæ, in sensu obvio & naturali videntur importare

tare immediatam relationem causalitatis ad unionem hypostaticam. Ergo ea causalitas debet admitti. *Ant. prob.* ab inductione.

I. *Concilium Ephesinum* approbavit duodecim anathematismos Cyrilli Alex. inter quos primus sic habet: *Si quis non confitetur Emanuelem verum Deum esse, & ob hoc Sanctam Virginem Deigenitricem; genuit enim secundum carnem incarnatum Dei Verbum, anathema sit.* In hoc textu ambiguum quidem est, an ille terminus, *secundum carnem*, seu prout in græco habetur, σαρκικῶς, referendus sit ad tò *Incarnatum*, vel ad tò *genuit*; quoad substantiam autem nihilominus sensus idem est, quod generatio, quæ immediatè terminabatur ad naturam humanam, non quieverit, sed attingendo naturam humanam simul habuerit respectum, ordinem & relationem ad ipsum suppositum, seu Emanuelem, & Verbum, qui ordo non potest esse alius nisi effectivus unionis. Hinc Photius, ubi Acta Concilii Ephesini refert, ait: *Nestorius ne quidem Dei secundum carnem Matrem, quæ proprie & vere Verbum incarnatum peperit, Deigenitricem vocandam censuit.* Nemo autem non videt, hanc proprietatem locutionis contra Nestorianos & Mahumedanos facilius defendi, si dicatur, B. Virginem physice produxisse ipsam unionem seu relationem ad Verbum in natura humana.

II. *Synodus V.* Collat. 8. Can. 6. sic habet: *Si quis abusive & non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam; vel secundum relationem,* (ἀναφορὰν) *quasi homine puro genito, & non Verbo Deo incarnato, & eam, quæ ex ipsa est, generationem hominis ad Deum Verbum referendam esse, tanquam simul coexistentem seu assistentem homini, & non proprie ac vere Dei Genitricem ipsam confitetur, anathema sit.* In hoc textu, dum Concilium *relationem* generationis Virgineæ non ad hominem præcise, sed ad Verbum incarnatum confitendam adstruit, videtur longe connaturalius menti Patrum satisfieri, si dicatur, actionem generativam B. Virginis per relationem, respectum, seu ordinem realem physicum respiciendo naturam humanam in Christo simul respicere immediate unionem naturæ humanæ cum Christo, seu Verbum ut determinativum naturæ humanæ in esse subsistens. Textus græcus sic habet: Εἴ τις κατὰ ἀναφορὰν, ὡς ἀνθρώπου ψιλοῦ γεννηθέντος, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ Θεοῦ λόγου σαρκωθέντος, καὶ τῆς ἐξ αὐτῆς ἀναφερομένης δὲ κατ' ἐκεῖνα τῆς τοῦ ἀνθρώπου γεννήσεως ἐπὶ τὸν θεὸν λόγον, ὡς συνόντα τῷ ἀνθρώπῳ γενομένῳ - - - ἀλλὰ μὴ κυρίως, καὶ κατὰ ἀλήθειαν θεοτόκον αὐτὴν ὁμολογεῖ - - ἀνάθεμα ἔστω.

III. *S. Ignatius* in Epist. ad Ephesios. Deus Jesus Christus unus est, factus & non factus, & ex Maria & ex Deo. Ergo sicut actio generativa Dei refertur immediate ad totum suppositum, quod fieri nequit, nisi formalissime referatur ad unionem hypostaticam immediate, ita etiam actio generativa B. Virginis immediate refertur ad suppositum, ac consequenter formalissime ad unionem.

IV. *Dionysius Alexandrinus: Verbum caro factum est, non divisum in carnem & Verbum, tanquam in homine habitet Deus. Hoc enim est vitare generationem. Siquidem jam olim habitabat in iis, in quibus plures inventæ sunt matres. Sed una sola virgo, filia vitæ, genuit vivens Verbum & subsistens.*

V. *S. Athanasius* in l. de adventu Christi: *Qui existit ante sæcula Deus, homo apparuit genitus ex Maria Virgine & Spiritu Sancto. - - Deus decrevit novum opus ex utero virgineo excitare sibi naturali generatione.* In textibus æquiparatur actio B. Virginis cum actione Spiritus Sancti, quæ sine dubio fertur ad unionem & totum suppositum. Similiter novi operis excitatio, quod est suppositum, adscribitur naturali generationi. Ergo hæc habuit ordinem seu relationem causalitatis ad novum hoc opus subsistens, in esse subsistentiæ spectatum.

VI. *Cyrillus Jerosol.* Catechesi 12. *Crede; ipsum Dei unigenitum filium ex virgine iterum esse genitum.* Et Catech. 4. *Crede, hunc unigenitum Dei filium ex Sancta Virgine ac Spiritu Sancto esse genitum.* Hic generatio immediate refertur ad totum suppositum, & tribuitur duabus partialibus causis.

VII. *Gregorius Nazianz.* Epist. 1. ad Cledonium: *Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnatione dignus est. Hoc enim non Dei generatio est, sed fuga generationis.* Ab hac damnatione sine dubio longius recedunt & certius, qui dicunt, actionem generationis Marianæ realiter ac physice non pro suo termino respexisse præcise naturam humanam, sed etiam unionem naturæ humanæ cum Verbo.

VIII. *Julius Firmicus* de errore profanarum religionum c. 26. *Maria Virgo Deum concipit ut humanum genus per hominem pariter & Deum æquata societatis comparatione conjunctum ad immortalitatis imperium perveniret.* Hic conjunctio societatis inter naturam humanam & divinam æqua pariatione adscribitur homini, nempe B. Virgini & Deo.

IX. *S. Ambrosius* Epist. 82. *Per hominem* (virum) *& mulierem caro ejecta est de paradiso; per virginem juncta est Deo.* Et in l. de Incarnat. c. 5. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio Generationi non præjudicat.* Hic unitio adscribitur B. Virgini, & tam Patris quam Virginis generatio ad eundem actionis generativæ terminum immediatum refertur. Alteritas enim actionis non dicit alium actionis terminum, sed alium modum & aliud subjectum.

X. *Maxentius* in Dialogo primo introducit Nestorianum quendam hæreticum sic loquentem: *Theodoxon B. Virginem confiteri nec ego refugio; non tamen quod Deum, sed quia hominem genuerit Deo unitum, idcirco confiteor eam theodoxon.* Respondet Catholicus: *Si non Deum sed hominem Deo unitum genuit Sancta Virgo Maria, est sine dubio juxta te anthropodoxos, hoc est, hominis genitrix, non theodoxos. Quo ergo modo theodoxon eandem Virginem profiteris, quam non Deum, sed hominem tantummodo prædicas genuisse?* Reponit Nestorianus: *Unitione factum est, ut is, qui ex ea natus est, Deus appelletur, propter Deum videlicet, cui uniri, unamque cum eo dignitatem & authoritatem habere meruit.* Ab hac Nestorianorum versutia longe melius se expe-

expediunt, & apertius recedunt, qui asserunt, actionis generativæ in B. Virgine immediatum ac formalem terminum non fuisse præcise naturam humanam, sed hujus unionem hypostaticam cum Verbo.

XI. *Cyrillus Alex.* l. 1. contra Nestorium: *Fingitur infans in utero, sed quamdiu nondum formatus est, animam non habet. At ubi figuram & speciem accipit, animatur à Deo. Quemadmodum ergo mulier corpus quidem gignit, Deus autem animam infundit, neque dici potest mulier animæ genitrix, quod animatum genuerit, sed potius dicenda erit hominis genitrix; ita B. Virgo, etsi hominem peperit, transeunte una cum illo Dei Verbo, ut Nestorius loquitur, non propter hoc Dei Genitrix appellari posset.* In hoc textu S. Cyrillus instituendo paritatem inter generationem hominis & generationem Dei satis clare insinuat, sicut actio generativa virtualiter in embrione perseverans ordinatur ad unionem corporis cum anima, ita generationem B. Virginis terminari ad unionem naturæ humanæ cum Verbo, non contranseunte, sed subsistentiam tribuente in unitatem suppositi. Idem magis explicat in *Epistola ad Monachos*, ubi sic scribit: *Etsi mulieres nonnisi terrenorum sint corporum matres, nihilominus cum totum animal pepererint, ex anima & corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, v.g. Elisabetham Matrem Joannis, esse carniparam, non autem viviparam, seu animæparam, σαρκοτόκον, ψυχοτόκον. Peperit enim animatum Baptistam, ac si tanquam unum aliquid ex ambobus hominem, anima videlicet ac corpore. Tale omnino (τοῦτον) factum esse fatemur etiam in Emanuelis generatione - - necessario profitendum, illum ex muliere secundum carnem esse genitum, quemadmodum & homini anima cum proprio corpore gignitur.*

XII. *Anonymus apud Euthimium* in calce tit. 7. Panopl. *Deum inhumanatum, & Deum carne passum dicimus: divinitatem autem inhumanatam aut carne passam non dicimus, si proprie loquimur; nam Virgo Deum quidem genuit; divinitatem vero non genuit; sed divinitatis hypostasin solam incarnatam, quæ est filius. Etenim gigni naturæ non est, sed hypostasis.* Hic textus omnium clarissimus est; ostendit enim, actionem generativam non terminari ad naturam, sed ad hypostasin seu unionem hypostaticam, vel, ut in aliis compositis contingit, subsistentialem.

XIII. *Hesychius* Hom. 2. de Deipara *Eam vocat instrumentum Incarnationis. Instrumentum autem ab agente principali præter actionem instrumento propriam habet realem motionem ac ordinem ad totum, quod intenditur ab agente principali.*

XIV. *S. Bernardus* Hom. 4. super, *Missus est*, docet, *B. Virginem fuisse illam mulierem, quæ bene fermentavit tria sata Evangelica, quia carnem animæ, & divinitati conjunxit. Ergo ejus actio generativa effecit etiam unionem cum Verbo, sicut effecit unionem carnis cum anima.*

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *D. Thomas* 3. p. q. 31. a. 5. C. docet: *Quod B. Virgo se non habuerit active ad conceptionem naturæ humanæ in Christo; sed quod præcise ministraverit materiam, ex qua Deus formavit corpus Christi. Ergo multo minus se habuit per modum causæ activæ relate ad unionem naturæ humanæ cum Verbo.*

Respondeo dist. *S. Thomas* docet, quod B. Virgo se non habuerit in conceptione Christi active fœcundando & in matricem transvehendo materiam generationi idoneam. e. præparando & ordinando materiam ad generationem. n. D. Thomas non negat, quod ipsa natura in matribus præparet materiam proximam generationi idoneam, & quod ipsa natura eam materiam ordinet ad generationem, quod sine actione naturali matrum fieri nequit. Solum autem docet, quod semen muliebre se solo non habeat sufficientem virtutem fœcundandi materiam generationi idoneam, eamque transferendi in matricem. Et quamvis nondum illis temporibus agnoverit, illam materiam proximam generationi idoneam consistere in ovulis, quæ continentur in ovariis mulierum, prout apud modernos Anatomicos certum est, sed existimaverit more veterum, eam materiam proximam consistere in sanguine specialiter digesto, in ordine tamen ad præsentem quæstionem perinde est, quia saltem agnovit in matribus virtutem generativam præparatoriam materiæ, & ordinem activum plasticum huic materiæ impressum quamvis insufficientem & imperfectum, nisi fœcundetur per spiritus vitales seminis virilis. Hunc revera esse sensum *D. Thomæ* patet ex ipso textu l. cc. *Dicendum*, inquit, *quod in conceptione Christi fuit secundum conditionem naturæ, quod est natus ex fœmina, sed supra conditionem naturæ, quod est natus ex Virgine. Habet autem hoc naturalis conditio, quod in generatione animalis fœmina materiam ministret, ex parte autem maris sit principium activum in generatione, sicut probat Philosophus. Fœmina autem, quæ ex mare concipit, non est virgo; & ideo ad supernaturalem modum generationis Christi pertinet, quod activum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis divina. Sed ad naturalem ejus modum pertinet, quod ejus materia, de qua corpus ejus conceptum est, sit conformis materiæ, quam aliæ fœminæ subministrant ad conceptionem prolis. Hæc autem materia secundum Philosophum est sanguis mulieris non quicunque, sed perductus ad quandam ampliorem digestionem per virtutem generativam matris, ut sit materia apta ad conceptum. Et ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum.* Ita S. Thomas. Ex his ergo patet, falsum esse, quod B. Virgo non cooperata sit ad conceptionem Christi active per virtutem generativam disponendo materiam, eique imprimendo ordinem ad prolem concipiendam. Cæterum, quandonam illa materia compleatur in sua ultima dispositione per matrem, est alia quæstio. Censeo, in sua ultima dispositione poni in ipsa conceptione, ministrante matre spiritus maternos ovulo, per activum principium excitato, fœcundato, & in uterum translato ex ovario.

Objicitur 2. Unio hypostatica est infinitæ perfectionis ex parte alterius unius termini, quem nectit. Ergo non potest produci à pura creatura.

2. Si daretur in B. Virgine quædam supernaturalis virtus unitiva Verbi ad naturam humanam,

illa

illa virtus unitiva haberet potestatem super ipsum Deum. Sed hoc implicat. Ergo.

3. Nulla est proportio inter puram creaturam & personalitatem Verbi. Ergo non potest dari activitas creata ad uniendum Verbum.

4. Non datur subjectum, in quod B. Virgo possit operari ad producendam unionem hypostaticam. Ergo non potest ab ea produci. *Ant. prob.* subjectum hujus unionis non potest esse Verbum, utpote immutabile; nec etiam natura humana, quia natura humana non præexistit ad unionem hypostaticam.

RESPONDEO.

Ad 1. n. a. Terminus enim infinitus, qui respicitur ab unione hypostatica, non est ejus pars intrinseca, saltem ex parte recti consideratæ. Alias potest argumentum retorqueri in visione beatifica, charitate ad Deum &c. quæ etiam respicit objectum infinitum, & participat bonum infinitum.

Ad 2. dist. Haberet potestatem super ipsum Deum, ipsomet Deo ultro volente ligari hoc vinculo, & ad se ligandum præmovente. c. invito Deo. n. Sic etiam B. Virgo habuit etiam potestatem in Deum, ipsum ligando fasciis. RESPONDEO 2. dist. Haberet potestatem in Deum, si produceret unionem hypostaticam se tenentem ex parte Verbi ad naturam humanam. tr. si tantum produeit unionem hypostaticam naturæ humanæ ad Verbum. n. Ut enim in Disp. 1. ostensum est, datur unio duplex, seu reciproca partium unitarum in omni composito. Unio Verbi ad naturam humanam identificatur cum Deo, sicut actus Dei liberi, quos suppono esse adæquate Deo intrinsecos. Sed unio naturæ humanæ ad Verbum est entitas modalis, sublativa indifferentiæ ad subsistendum in altero.

Ad 3. dist. Nulla est proportio entitativa perfectionis. c. relativa habitudinis seu perfectibilitatis. n. Argumentum potest retorqueri etiam in visione beatifica.

Ad 4. n. a. *ad prob.* dist. q. 2. m. Natura humana non est prior prioritate temporis. c. prioritate naturæ. n. Natura enim humana, licet non habeat subsistentiam propriam, habet tamen existentiam propriam, ita ut possit esse natura prior ad unionem. Quod si etiam haberet existentiam à Verbo, nihilominus unio posset recipi in illa natura, sicut actio creativa juxta D. Thomam & alios recipitur in creatura, quæ per eam creatur. Ita docet S. Thomas 1. q. 45. a. 3. ad 3.

QUÆSTIO II.

An Christus meritus sit Incarnationem?

NOTANDUM 1. Humanitatem Christi posse considerari pro priori naturæ ad unionem hypostaticam. Natura enim prius est *esse*, quam *uniri*. Pro illo priori necessario in natura humana etiam involvitur potentia intellectiva & volitiva. Certum enim est de fide, & contra Monothelitas definitum ab Ecclesia, quod dentur duæ volitiones in Christo, humana videlicet & divina. Hoc ergo supposito posset quæri; an natura humana pro priori naturæ ad unionem hypostaticam potuerit elicere actum volitionis meritorium, quo fuisset promeritus Christus unionem hypostaticam?

NOTANDUM 2. Meritum dividi in *impetratorium*, & *compensatorium*. MERITUM IMPETRATORIUM est, quo quis meretur gratiam primum obtinendam. MERITUM COMPENSATORIUM est, quo quis meretur gratiam antecedenter liberaliter sine prævio merito concessam. Supposito ergo, quod Christus non potuerit mereri Incarnationem merito impetratorio, saltem quæritur, an eam non potuerit mereri merito saltem compensatorio?

NOTANDUM 3. Non esse quæstionem, an Christus mereri potuerit, ut Verbum, vel alia in Trinitate persona uniretur etiam alteri individuæ naturæ, humanæ vel angelicæ? Id enim à multis conceditur, qui docent, merita Christi esse valoris simpliciter infiniti.

DICO I. Christus pro priori naturæ ad unionem hypostaticam non potuit mereri unionem hypostaticam.

PROBATUR 1. Pro priori naturæ ad unionem hypostaticam non datur ulla actio in natura humana. Ergo nec potest dari fundamentum ullius meriti. *Ant. prob.* Actiones sunt suppositorum. Ergo non potest in natura humana intelligi ulla actio pro priori ad unionem hypostaticam cum Verbo, quod tribuit naturæ humanæ subsistentiam.

PROBATUR 2. authoritate *S. Augustini*, qui l. de prædest. c. 15. sic scribit: „Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, quæso, ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitate personæ assumptus Filius Dei Unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque præcessit? Quid egit ante? quid credidit? quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? *Et l. 2. de peccatorum meritis c. 17. ait:* „Vitiorum omnium humanorum causa superbia est. Ad hanc auferendam Deus humilis descendit per misericordiam; gratiam claram manifestamque commendans in ipso homine, quem tanta præ participibus suis charitate suscepit. Neque enim & ipse ita Verbo Dei conjunctus, ut ipsa conjunctione unus Filius Dei & unus idem ipse filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Unum quippe ipsum esse oportebat. Essent autem & duo & tres, & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. *Et l. de corrept. & gratia c. 11. ait:* Deus naturam nostram, id est, animam rationalem, carnemque hominis Christi suscepit susceptione mirabili, ut nullius justitiæ suæ præcedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio, quo esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum una persona esset. Neque enim quispiam tanta hujus rei cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu Sancto & Virgine Maria filium „homi-

„ hominis natum per liberum tamen arbitrium „ bene vivendo, & fine peccato bona opera faciendo meruiſſe, ut eſſet Dei Filius, reſiſtente Evangelio. Nam Virgine requirente quomodo fieret? Angelus reſpondit: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi; propterea, quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. Propterea, inquit, non propter opera, quæ nondum nati utique nulla ſunt; ſed propterea, quia Spiritus Sanctus ſupervenit in te. Iſta nativitas profecto gratuita conjunxit in unitate perſonæ hominem Deo, carnem Verbo. Iſtam nativitatem bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt.

DICO II. Chriſtus etiam de potentia abſoluta non potuit mereri Incarnationem pro priori naturæ ad unionem hypoſtaticam.

PROBATUR. De potentia abſoluta fieri nequit, ut actio procedat à natura non ſubſiſtente. Ergo ante unionem hypoſtaticam, qua mediante primum fit, ut Verbum ſuam ſubſiſtentiam communicet naturæ humanæ, non poteſt in natura humana fingi ulla actio. *Ant. prob.* Subſiſtentia eſt ipſum formale determinativum naturæ ad operandum independenter ab unione ad dignius ſe. Ergo. *Ant.* ſuppono ex Philoſophia.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Actus perfectæ contritionis poteſt eſſe meritorius juſtificationis merito congruo late dicto etiamſi contritio perfecta involvat pro ſua forma ipſam gratiam ſanctificantem, ſeu charitatem infuſam tanquam formam contritionis perfectæ. Ergo etiam poteſt pro priori naturæ in natura humana Chriſti dari actus meritorius Incarnationis, etiamſi ille actus meritorius realiter pro ſui forma involvat ipſam unionem hypoſtaticam, ſeu Incarnationem.

RESPONDEO c. a. n. c. & par. Diſparitas eſt, quia ad infuſionem gratiæ ſanctificantis poteſt dari actio humana, in qua tanquam in materia poteſt dari diſpoſitio congrua ad formam, quæ congrua diſpoſitio vocatur meritum de congruo late dictum. Econtra in natura humana pro priori naturæ ad unionem hypoſtaticam non poteſt fingi ulla actio humana, quia pro illo priori naturæ necdum ponitur ſubſiſtentia, utpote primum conſequens ad unionem hypoſtaticam.

OBJICITUR 2. Accidens poteſt operari ſine ſubjecto, ut patet ex Euchariſtia. Ergo etiam natura humana in Chriſto divinitus potuit operari ſine ſubſiſtentia ac principio ſubſiſtentiæ pro priori naturæ ad unionem hypoſtaticam; ac conſequenter etiam potuit mereri.

2. Chriſtus potuit ſuis progenitoribus mereri gratiam juſtificationis, antequam erat in rerum natura. Ergo etiam ſibi potuit mereri unionem hypoſtaticam ſaltem pro priori naturæ.

3. Non repugnat, ut principium merendi cadat ſub merito. Ergo neque id repugnat in Chriſto. *Ant. prob.* Poteſt Rex euidam militi dare equum & arma in præmium pugnæ ſtrenuæ, ſi actione generoſa promeruerit hunc equum & arma. Sed in hoc caſu principium ſeu inſtrumentum merendi cadit ſub meritum. Ergo.

4. Plebeus evectus ad dignitatem regiam poteſt mereri hanc promotionem per opera intrinſece dignificata per dignitatem regiam. Ergo etiam natura humana in Chriſto evecta ad dignitatem infinitam per opera intrinſece dignificata per illam dignitatem poteſt mereri unionem hypoſtaticam.

RESPONDEO

Ad 1. retorquendo. Accidens poteſt conſervari mille annis ſine ſubjecto. Ergo etiam natura humana poteſt mille annis conſervari ſine ſubſiſtentia. RESPONDEO 2. c. a. n. c. & parit. Diſparitas eſt; quia individuatio accidentis poteſt intelligi per reſpectum eſſentialem ad ſubjectum, in quo fuit, vel futurum eſt. Econtra naturæ individuatio non poteſt intelligi ſine reſpectu eſſentiali ad ſeriem ſuarum operationum atque ad ſyſtema univerſi, prout in Logica de Individuatione à me oſtenſum eſt. Itaque ſi pro aliqua temporis differentia habet determinativum ſeu ſublativum indifferentiæ ad non eſſe unitum cum digniori ſe, pro ea temporis differentia erit eo ipſo ſubſiſtens ſeu ſuppoſitum.

Ad 2. diſt. Potuit mereri ut intentionaliter exiſtens in mente Dei tanquam aliquid diſtinctum à gratia promerenda. c. tanquam idem n. Nihil enim eſt meritum ſuiipſius, ne quidem intentionaliter. Verum de hoc exactius dicetur in ſequenti quæſtione.

Ad 3. diſt. Id non repugnat, ubi principium merendi eſt tantum conditionatum, extrinſecum ipſi merito, & revocabile non ſecuta conditione c. ubi eſt abſolutum & irrevocabile. n. In illo caſu equus tantum donatur conditionate, aut ſi donatur tantum *ſub modo*, & non conditionate, donatur ſolum revocabiliter. Dein equus non eſt conſtitutivum meriti, ſed tantum inſtrumentum; adeoque non eſt intrinſecum ipſi merito, prout tamen eſt intrinſeca ſubſiſtentia Verbi actionibus humanis in Chriſto, utpote quæ intrinſece petunt procedere à perſona ſubſiſtente.

Ad 4. tr. a. n. c. & parit. Diſparitas eſt, quia dignitas regia ineſt actionibus ejuſmodi regiis tantum moraliter; econtra ſubſiſtentia Verbi ineſt actionibus theandricis per modum principii, & per reſpectum earum actionum eſſentialem ad ſuum principium. Forma autem moralis à ſuo ſubjecto, cum quo conſtituit unum totum morale, eſt ſeparabilis ac revocabilis, & ideo poteſt conferri conditionate aut revocabiliter. Econtra relatio eſſentialis actionum humanarum ad principium ſuæ ſubſiſtentiæ ab iis tolli nequit; quin deſtruatur individuum. Itaque nihil fingi poteſt, quod ex donatione conditionata vel modali revocabili faciat abſolutam, ſicut in iſtis caſibus, quin phyſice ac intrinſece in ipſa actione meritoria involvatur etiam denominative accepta. In præfato caſu dignitas regia non eſt intrinſeca actionibus regiis denominative acceptis, ſed tantum concretive ſeu reduplicative ſumptis. Et hinc datur ſaltem fundamentum merendi realiter diſtinctum à forma dignificante. Sed in noſtro caſu datur aliquid participatum eſſentiale à forma dignificante ex parte ipſius fundamenti ad meren-

merendum, nempe respectus essentialis intrinsecus actionum humanarum ad principium subsistendi.

Objicitur 3. Christus actu meruit conservationem unionis hypostaticæ; ergo etiam meruit productiorem ejusdem unionis. *c. prob.* actio conservativa & productiva rei quoad substantiam est eaden actio; imo conservatio rei nil aliud est, quan continuata vel repetita productio.

2. Christus de facto meruit unionem hypostaticam cum particulis carnis de novo adgenitis.

3. Idem meruit reproductionem unionis hypostaticæ cum unione physica inter corpus & animam Christi, quæ in morte Christi fuit destructa, in Resurrectione vero denuo producta & assumpta à Verbo.

4. Idem meruit reproductionem sui in Eucharistia per actionem totalem.

Respondeo

Ad 1. n. a. Conservatio enim illa Christo per se fuit debita; adeoque non erat materia meriti; neque etiam actiones theandricæ in Christo ordinabantur à Deo ad promerendam hanc conservationem, quod tamen requiritur ad rationem meriti, prout ostensum est in Tractatu de Gratia.

Ad 2. n. a. Ob eandem rationem; quia unio cum particulis de novo connaturaliter adgenerandis per se debebatur toti supposito, seu personæ.

Ad 3. & 4. c. a. dist. C. Ergo meruit unionem hypostaticam quoad novum modum jam præsuppositа illa unione quoad substantiam. c. meruit illam quoad substantiam. n. ad ejusmodi meritum jam requirebatur unio hypostatica quoad sui rationem genericam ac specificam. Sed quod in individuo spectata in continua productione vel reproductione aquirat novum respectum essentialem ad has vel illas partes, ac differentias locorum & temporum, pertinet ad modum individualem, identificatum cum re.

QUÆSTIO III.

An B. Virgo sit promerita Maternitatem Christi?

Notandum 1. Meritum dividi in meritum de condigno, & meritum de congruo. Meritum de condigno requirit æqualitatem operis cum præmio, & ordinationem præmiantis, qua ipsum opus in ordine ad tale præmium ab operante requisivit, prout suppono ex Tractatu *de Gratia*. Meritum de congruo subdividitur in meritum de congruo late dictum, & stricte dictum. Meritum de congruo stricte dictum dicit talem dispositionem ad gratiam, ut eam præmians vel ratione suæ promissionis, ordinationis, aut convenientiæ non possit denegare licet non reperiatur æqualitas operis cum præmio. Meritum autem de congruo late dictum dicit nudam dispositionem ad gratiam, quam præmians sine ulla injustitia, aut imperfectione, vel positiva dedecentia sic disposito posset denegare. Alii recte subdividunt meritum de congruo in meritum *absolutum*, & *ex suppositione*, seu conditionatum. Meritum *ex suppositione* foret, si supposito decreto divino assumendi naturam humanam pura creatura mereatur, ut eam assumat ex fœmina; vel si supposito; quod Deus decreverit nasci ex fœmina, B. Virgo mereatur, ut potius nascatur ex se, quam ex alia.

Notandum 2. Aliud esse, quod B. Virgo dicatur mereri, ut prædestinetur seu eligatur in Matrem Dei; & aliud est, quod mercatur executionem, seu esse Matrem Dei. Illud prius quidam vocant maternitatem in actu primo; alterum vocant maternitatem in actu secundo. Aliud etiam esse, quod B. Virgo dicatur meruisse gratias dispositivas ad actualem maternitatem, & aliud quod dicatur meruisse ipsam actionem supernaturalem aut virtutem physice effectivam unionis hypostaticæ. Quod B. Virgo ne quidem de congruo merita sit prædestinationem seu electionem sui in matrem, defendit *Suarez* in 3. Disp. 11. Sect. 8. additque: *Hanc conclusionem censeo esse certam, eamque propterea Theologos omnes potius supponere, quam disputare.* Ego censeo; in hac re, quæ multum habet de quæstione nominis, non contentiose disputandum, sed plano modo loquendum.

DICO. B. Virgo merita est maternitatem Christi merito de congruo stricte dicto.

Probatur 1. ex D. Thoma 3. q. 2. a. 11. ad 3. ubi ait: *B. Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium; non quia meruerit, ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum, ut congrué posset esse Mater Dei.*

Probatur 2. ex SS. Patribus. 1. *S. Hieronymus* in Epist. ad Eustatium: *Propone tibi B. Virginem, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Dei esse mereretur.*

2. *S. Augustinus* Serm. 11. in Natali Christi: *Præ aliis eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in se susciperet.* Et l. de natura & gratia: *B. Maria concipere Deum meruit & parere.* Et Serm. 18. de Sanctis, gloriam maternitatis adscribit merito obedientiæ & fidei, & humilitatis, quando dixit: *Ecce ancilla Domini.*

3. *S. Petrus Damianus* Serm. 2. de Assumpt. *Singularis ejus sanctitas & gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter judicata est digna.*

4. *S. Ambrosius* l. 2. de Virginibus: *Quid de singulis moror? Quæ digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur.*

5. *S. Basilius* Hom. de hum. Christi generatione: *Digna Unigeniti divinitati conjungi fuit.*

6. *S. Chrysostomus* Hom. 49. in Gen. *Quomodo fieret istud, quoniam virum non cognosco? Atqui propter hoc ipsum fieret. Nam si cognovisses virum, non fuisses habita digna, ut huic ministerio deservires.*

7. *S. Epiphanius* Hæresi 78. *Quomodo audent impetere impollutam virginem, quæ digna facta est fieri habitaculum filii Dei, & electa ex multis millibus, quo vas & habitaculum dignum esset?*

8. *S. Damascenus* l. 4. c. 15. vocat B. Virginem *Sanctum, admirabile, ac summo Deo dignum templum.*

9. *S. Bernardus* Serm. 1. de assumpt. *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit.* Et Serm. 4. *Quæ vel*

angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit, Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum filii Dei. Et Serm. de Nativit. Mariæ: *Plena est gratia, & adhuc gratiam invenit, digna prorsus invenire, quod quærit.*

10. *S. Gregorius*, seu author in l. 1. Reg. c. 1. *Incomparabilibus illustrata meritis Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum.*

11. *Fortunatus* l. de æternis gaudiis: *Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis; quæ meruit Dominum progenerare suum.*

12. *S. Anselmus* l. de Excellentia B. Mariæ c. 9. *Pura sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem sive sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis benignissime foret.*

13. *Euthymius* Panopliæ part. 1. tit. 2. *Usque ad sanctissimam Mariam nondum Incarnatione digna inventa fuerat officina.*

14. *Ecclesia* in Hymno Paschali. Regina cœli lætare, *quia quem meruisti portare.* Et in oratione ad Hymnum: *Ave Regina, ut dignam filii tui habitaculum effici mereretur.*

Probatur 3. Illud cadit sub merito de congruo strictè dicto, quod, licet valore suo longe excedat valorem impensi operis, ordinatur tamen à præmiante & spondetur in compensationem certo subjecto omnium respectivè dignissimo. Sed tale præmium est maternitas Messiæ. Ergo. *Maj. patet* ex omnibus præmiis constitutis pro carmine, oratione, solutione problematis, pictura, sculptura, inventione artefacti cursione &c. inter omnes concertantes perfectissima. Sic enim inter eos custodes regios, qui Esdræ 3. c. 3. concertarunt de problemate: *quid sit fortissimum?* rectè dicitur meruisse merito de congruo strictè dicto purpuram, & amicitiam regiam, licet valor ingeniosæ solutionis nec æquet, nec obtinere soleat tam ingens præmium. *Min. prob.* Virginitati filiarum Adæ omnium quoad animam pulcherrimæ Virginis per Scripturam V. T. & Traditionem, ac etiam inspirationem internam tacite promissa fuit maternitas Messiæ. Ergo cum B. Virgo virginitate & virtute inter omnes Adæ filias primas laudes tulerit, re vera maternitatem merito de congruo strictè dicto meruit. *Antecedens* colligitur partim ex prophetia illa Isaiæ 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*, & ex responso B. Virginis ad Angelum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Est possibile meritum de condigno relate ad maternitatem Christi. Ergo id in B. Virgine debet admitti. *Ant. prob.* quia non potest ostendi implicantia æqualitatis inter meritum & maternitatem, præsertim cum ex dictis in Disput. 1. juxta doctrinam D. Thomæ constet, potuisse à qualibet persona assumi innumeras naturas humanas, & consequenter dari posse innumeras maternitates Dei, in quo casu maternitas jam non esset summa dignitas in omnibus creaturis, præsertim si aliqua persona divina simul assumpsisset aliquas naturas angelicas.

2. Est saltem probabile, quod B. Virgo de condigno merita sit maternitatem Christi; ergo cum cultores Marianos deceat propendere in sententiam magis piam, id asserendum est. *Ant. prob.* Id docuerunt *Gabriel* in 3. dist. 4. q. 1. a. 3. dub. 3. *Almainus* q. 1. dub. 3. *Major* q. 4. *Abulensis* Paradoxo 1. c. 34. & 38. Alii etiam docuerunt, quod B. Virgo merita sit maternitatem *de digno*, qui modus loquendi non videtur differre à priori. Ita locuti sunt *S. Bonaventura* dist. 4. a. 2. q. 2. *Richardus* dist. 4. a. 3. q. 1. *Marsilius* in 3. q. 5. a. 3. dub. 1. conclus. 2. & 3.

Respondeo

Ad 1. & 2. Me nec de possibilitate, nec de probabilitate meriti de condigno velle contendere. Sed relinquo id cujuslibet judicio. Observo tamen, quod Gabriel per *meritum condigni*, ut vocat, videatur idem intelligere, quod nos intelligimus per meritum de coagruo strictè dictum, quia cam condignitatem non fundat in æqualitate operis ad præmium, sed in *acceptatione* Dei, qua B. Virginis opera ordinavit & acceptavit ad tale præmium. S. Bonaventura autem expresse meritum B. Virginis tantum vocat *meritum congrui.* Suarez l. cc. Disp. 10. Sect. 7. sic scribit: *B. Virgo non meruit de condigno esse Mater DEI. Hæc sententia est communis inter Theologos.* Eodem modo sentit Savedra Disp. 11. Sect. 3. Cur autem communis Theologorum neget meritum de condigno, videntur moveri *partim* 1. ex ipsa impossibilitate talis meriti, *partim* 2. quia merita omnium hominum ac ipsius B. Virginis ordinantur à Deo ad promerendam æternam beatitudinem; *partim* 3. quia existimant, semel concesso, quod detur meritum de condigno ad maternitatem Christi etiam consequi meritum de condigno relate ad ipsam Incarnationem; *partim* etiam, quia videntur obstare quidam textus Patrum. Sic enim *S. Hieronymus* Dial. 1. contra Pelag. ait: *Adverte, quod beatam se sic dicat non proprio merito, atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia.* Et *S. Bernardus* Serm. de Nativit. B. V. *Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit.* Et *D. Fulgentius* de Incarnat. c. 7. *Ipsum Deum hominem factum, non humanis meritis; sed concepti nascentisque ex ea summi Dei dignitate promeruit.* Verum an solidæ sint hæ rationes, nolim contendere. *Ad secundum* enim videtur responderi posse, non omnia merita hominum etiam de facto sic ordinari ad æternam beatitudinem, ut homo justus ex speciali ordinatione, inspiratione, vel permissione divina non possit de condigno mereri aliud præmium vel gratiam. Imo etiam *Wittasse* de Incarnatione quæst. 4. Sect. 3. assert. 2. actu id concedit in B. Virgine. *Beata Virgo*, inquit, *de condigno meruit eum sanctimoniæ statum, quo posito electa est in Matrem Dei. Ad tertium* posset responderi; meritum de condigno referri ad Maternitatem merito conditionato, seu potius ex suppositione; sicut de facto merita humana merentur de condigno visionem beatificam ex suppositione elevationis naturæ corruptæ ad statum supernaturalem, licet non mereantur de condigno ipsam elevationem naturæ. *Ad quartum* posset dici, Patres illos loqui de merito relate ad ipsam prædestinationem seu electionem in Matrem Dei, ac consequenter ad prædonationem gratiarum excellentium,

lentium, quibus B. Virgo dotata merita esse possset de condigno Maternitatem; sicut D. Paulus & alii Sancti, licet mereantur de condigno coronam justitiæ, non tamen prætendunt aut habent meritum de condigno relate ad gratiam præventionis, qua præventi sunt gratuito tot extraordinariis gratiis. Imo etiam Sancti in cœlo non prætendunt aut jactant meritum, sed eas coronas, quas Apostolus vocat coronas justitiæ, cum gratiarum actione deponunt ad thronum Agni. Itaque relinquitur sola ratio prima ducta ex inæqualitate meritorum cum Maternitate Dei, qui status ex suo genere re vera videtur excedere statum quemcunque creaturæ, ornatum quibuscunque gratiæ donis. Quod si essent plures Matres Dei, semper tamen verissimum esset, eum statum incomparabiliter excedere quemcunque alium hominum & Angelorum statum, sicut semper verum est dicere, statum regium excedere statum mendicabuli in suo genere ditissimi.

Objicitur 2. Potuit Deus B. Virgini conferre gratiam intrinsece ordinatam ad Maternitatem, & propriam Maternitati, sicut gratia sanctificans est quædam participatio naturæ divinæ anticipata per arrham & vestem filiorum Dei amissibiliter. Ergo etiam, sicut per gratiam sanctificantem gratis donatam homo potest mereri de condigno visionem seu actualem participationem Dei; ita fieri potuit circa Maternitatem B. Virginis.

2. B. Virgo de condigno meruit gratiam sanctificantem; ergo multo magis de condigno meruit maternitatem. *c. prob.* Gratia sanctificans est majus donum, quam ipsa maternitas. Ergo. *Ant. prob.* Christus Luc. 11. v. 27. muliere quadam exclamante: *Beatus venter, qui te portavit*, respondit: *Quin imo beati, qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud.*

3. *S. Augustinus* l. de Virginitate c. 3. ait: *Felicior fuit Maria concipiendo mente quam ventre.*

4. Gratia sanctificans constituit hominem filium adoptivum Dei, non maternitas Dei. Ergo cum gratia sanctificans possit cadere sub meritum de condigno, idem dicendum de maternitate.

5. B. Virgo de condigno meruit dispositionem ad maternitatem, seu statum sanctitatis requisitum ad hanc dignitatem. Ergo etiam sic meruit ipsam maternitatem.

6. Textus nonnulli Patrum supra relati agnoscunt in B. Virgine dignitatem ad statum maternitatis asserendo quod sit *digna* Mater Dei, & hic terminus potest exponi de ratione merendi de condigno. Ergo à cultoribus Marianis sic decet exponi.

Respondeo me nolle de hac re contendere. Responderi tamen posset

Ad 1. tr. a. n. C. & p. Disparitas assignari potest, quia gratia amissibilis ad obtinendam maternitatem non æquivalet ipsi maternitati. Econtra gratia sanctificans dicit ipsam collationem, præsentiam, inhabitationem, & donationem, seu unionem Spiritus Sancti, ita ut arrha, & præmium non sint aliud, sed idem alio modo applicatum. Si autem gratia sanctificans explicatur per qualitatem absolutam, objectio profecto habet difficultatem. Viderint ergo, unde impossibilitatem meriti de condigno probent, qui gratiam sanctificantem sic explicant, ut per eam tanquam unionem accidentalem & modum applicativum dicatur conferri ipse Spiritus Sanctus.

Ad 2. n. a. Id enim fieri non potest, nisi per aliam gratiam ejusdem valoris, ita ut solum sub meritum cadat perseverantia gratiæ, vel modus gratiæ.

Ad 3. dist. Fuit felicior in genere beatitudinis essentialis. c. in genere gloriæ accidentalis. n.

Ad 4. c. a. n. c. & suppositum, quod gratia sanctificans quoad substantiam possit cadere sub meritum de condigno.

Ad 5. c. a. n. c. quia dispositio ad maternitatem Dei non necessario post se trahit maternitatem; neque dicit æqualitatem cum illa.

Ad 6. tr. a. n. c. quia ad excellentiam Matris Dei plus servit, si dicatur ea maternitas tantæ dignitatis, ut non possit in infinito possibilium creaturarum reperiri æquivalens, quam si dicatur, dari æquivalens, quo posito sit obtinibilis per meritum de condigno.

Objicitur 3. Scriptura & Patres maternitatem Dei in B. Virgine nulli merito, sed soli gratiæ adscribunt. Ergo B. Virgo eam ne quidem merita est de congruo. *Ant. prob.* Lucæ 1. B. Virgo miratur, quod Deus *respicere* dignatus sit *humilitatem*, hoc est, vilitatem & abjectionem suam, qui modus loquendi non solet adhiberi ab eo, qui merito suo bravium aut præmium obtinere connitebatur.

2. *Gabriel* in Annuntiatione ad B. Virginem ait: *Invenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies.* Sed alias qui læta nuntiant, etiam merita allegant, ubi aliqua reperiunt. Sic eodem capite Lucæ 1. Angelus ad Zachariam ait: *Exaudita est deprecatio tua, & uxor tua pariet tibi filium.*

3. *S. Bernardus* supra relatus, licet alioquin summus Encomiastes B. Virginis, rotunde sine exceptione ullius generis meritorum ait. *Quærant alii meritum, nos invenire* (in B. Virgine) *gratiam studeamus.*

4. B. Virgo ante annuntiationem angelicam ne quidem agnovit, se fore Matrem Dei; nec ejus modestiæ convenit, ut hanc dignitatem precibus ambiat, vel ad eam impetrandam sua bona opera ordinet. Ergo falsum est, quod in probatione 3. assertum est, ejus bona opera ad hoc præmium filiabus Adæ propositum cucurrisse.

5. B. Virgo independenter ab ullo merito est electa in Matrem Dei. Ergo hanc dignitatem non obtinuit ex merito. *Ant. prob.* Ideo fuit à Deo præservata à peccato originali, & à primo conceptionis rationalis momento tot gratiis cumulata, quia jam fuerat electa in Matrem Dei. Ergo.

6. Mereri maternitatem Dei idem est, ac mereri, ut aliqua pars suæ carnis, vel sanguinis uniatur hypostatice Verbo. Sed hoc non potuit mereri B. Virgo. Ergo *Min. prob.* id mereri idem foret, ac mereri unionem hypostaticam.

7. Maternitas B. Virginis habet quandam dignitatem infinitam. Ergo non substat merito totaliter finito. *Ant. prob.* Id docet S. Thomas

1. q. 25. a. 6. ad 4. his verbis: *Dicendum, quod humanitas Christi ex hoc, quod est unita Deo, & beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei, & Beata Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus; & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis.*

8. Maternitas Dei dicit quandam affinitatem cum Deo. Ergo non potest dari meritum humanum, cui ea affinitas sine positiva inconvenientia denegari non possit. *Ant. prob.* D. Thomas 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. ait: *Hyperdulia* (quæ debetur B. Virgini) *est potissima species Duliæ communiter sumptæ. Maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum.*

9. Maternitati Dei debentur gratiæ majores ac majores in infinitum. Ergo nulla possunt poni merita, quibus ille fons gratiarum infinitarum denegari non possit. *Ant. prob.* Matri Dei debentur majores gratiæ quam omnibus creaturis aliis in ea dignitate maternitatis non constitutis. Ergo debentur majores ac majores in infinitum. *c. patet*, quia sunt possibiles creaturæ plures ac plures in infinitum. *Ant. prob.* Decet, Matrem Dei à Deo honorari, ac majoribus gratiis cumulari, quam omnes alias creaturas puras.

10. Quando Patres dicunt, quod B. Virgo fuerit *merita* maternitatem, aut quod fuerit digna isto honore, possunt intelligi de merito congruo late dicto. Ergo nil cogit, ut statuatur ex iis meritum de congruo stricte dictum. *Ant. prob.* Quando loquimur de persona assecuta inopinatam fortunam, aut favorem primarium principis, aut Officium excellens, ad quod ne quidem aspirare unquam ausa fuerat, dicimus; quod fuerit *digna* illa gratia, & quod eam merita sit ob præclaras dotes, ob probitatem morum, vel ob justitiam, vel ob fidelitatem &c. etiamsi centum aliæ personæ in regno sint, qui similem babent capacitatem vel meritum. Ergo manifestum est, in communi modo loquendi non significari hujusmodi terminis meritum de congruo stricte dictum, cui donum convenienter denegari non possit, sed late dictum.

RESPONDEO

Ad 1. n. a. *ad prob.* dist. Non sic solent loqui, qui à præmiante non sunt prælecti & specialibus mediis instructi ad promerendum bravium. c. qui sunt prælecti & specialibus mediis instructi. n. Sic si Rex donaret gregario militi equum cursorium eminenter optimum ad lucrandum bravium in certamine cursorio equorum, lucratus bravium regium merito suam indignitatem in gratiarum actione fateretur. Equus autem iste sessorius gratia Dei præexcellens est.

Ad 2. Dico illa verba Angeli esse tacitam deprædicationem meriti. Invenire enim gratiam dicitur, qui illam solicite quærit, juxta illud Christi Matth. 7. *Qui quærit, invenit.* Sic dicitur Genesis 6. de Noe: *Noe vero invenit gratiam.* Et Deus ad *Moysen* Exodi 33. v. 17. *Invenisti gratiam coram me.* Et *Ruth* c. 2. v. 10. ad Booz: *Inveni gratiam ante oculos tuos*, quam deserta sua patria quæsierat. Et *Esther* c. 7. ad Assuerum: *Si inveni gratiam in oculis tuis, quam etiam cum periculo vitæ & trino convivio & probitate sua meruerat.* Imo ubi Angelus B. Virginem *gratia plenam*, seu ut in textu græco habetur, *dilectam* salutat, reciprocam tacite Mariæ dilectionem commendat, cum charitas infusa pro suo materiali dispositione dilectionem in persona à Deo amata quasdam mutua naturæ prioritate supponat, prout in Tractatu de charitate ostensum est.

Ad 3. dist. Hoc dicit Bernardus loquendo de merito relativo ad prædestinationem divinam & collationem anticipatam gratiarum B. Virgini intuitu prædestinationis à prima Conceptione B. Virgini collatarum. c. loquendo de merito relativo ad executionem. n.

Ad 4. dist. Non agnovit, se fore Matrem Dei, cognitione certa. c. spe certa & conditionata, si præ aliis filiabus Adæ se digne disponeret. n. Nec repugnabat modestiæ B. Virginis, si se ad hanc gratiam cum aliis devotis filiabus Adæ disponeret; non enim id egerat causa ambitionis, sed ex amore generis humani, ac sui inprimis populi, ut ex servitute diaboli tandem aliquando eriperentur; ut promissiones Dei non diutius differrentur, ut potentia dæmonum toti orbi dominantium frangeretur, ac denique ut semper in populo suo vigeret zelus Deo gratus virginum ad tam sublime bonum anhelantium, & virtute concertantium.

Ad 5. c. a. n. c. Contrarium patet ex eo, cui donatur equus cursorius à Rege ad merendum bravium regium.

Ad 6. dist. Est hoc mereri merito unionis ex *suppositione tali*, quod à Deo quoad substantiam ex aliqua filiarum Adæ jam fuerit præstabilita. tr. merito absoluto. n. Sensus patet ex superius dictis. DIXI tr. quia suppono ex Philosophia, nullam particulam matris sine mutatione substantiali transire in sobolem.

Ad 7. c. a. dist. C. Ergo non substat merito stricte tali quoad substantiam, & absoluto. c. quoad modum, & ex suppositione decreti divini, eum honorem filiarum Adæ omnium dignissimæ deferendi. n.

Ad 8. c. a. dist. C. Non potest meritum absolutum, & relate ad substantiam maternitatis. c. meritum ex suppositione decreti divini eam conferendi filiarum Adæ pulcherrimæ ac dignissimæ. n. Sensus patet ex dictis.

Ad 9. dist. Debentur majores ac majores in infinitum gratiæ debito conditionato, si Deus voluerit per totam æternitatem semper plures & plures creaturas condere. tr. si noluerit. *subdist.* debentur in actu primo. tr. in actu secundo. n. DIXI tr. quia, sicut in Tractatu de Gratia ex D. Thoma circa gratiam justificationis facienti quod est in se dictum est, magis proprie loquendo Deus talem gratiam potius debet suæ præordinationi, quam homini.

Ad 10. n. a. *ad prob.* inverto argumentum. Si Rex omnium dignissimo promitteret officium à rege secundum, ille diceretur hoc mereri merito de congruo stricte dicto, qui eminenter præ omnibus merito excelleret. Ergo cum SS. Patres in B. Virgine agnoscant meritum incomparabile ad reliquas Adæ filias, & excellens eminenter, etiam in ea agnoscunt meritum de congruo stricte dictum.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An & quomodo Progenitores Christi meruerint, vel mereri potuerint Incarnationem?

NOTANDUM I. Aliud esse, mereri Incarnationem *quoad substantiam*, hoc est, ut Deus moveatur ad decernendam unionem hypostaticam alicujus personæ divinæ cum natura humana? & aliud esse, mereri Incarnationem *quoad circumstantias*, videlicet, ut supposito decreto divino uniendi aliquam personam divinam cum natura humana illa Incarnatio fiat potius *ex hac stirpe*, quam alia, nempe ex stirpe Abrahami & Davidis, potius *in hoc loco*, quam alio, nempe in Bethlehem; potius *hoc tempore* præsenti, quam futuro.

NOTANDUM 2. A nonnullis institui specialem quæstionem, an pura creatura mereri possit Incarnationem quoad substantiam? Verum cum commode otiosum fuerit multiplicare, sufficienter resolvi possunt ex dictis in præcedente quæstione sine necessitate ejusmodi quæstiones exiguæ consequentiæ.

DICO I. Nec progenitores Christi, nec ulla alia pura creatura potuit de condigno mereri Incarnationem in præsenti providentia.

PROBATUR authoritate & ratione D. Thomæ, connaturalis appetitus omnium actionum humanarum terminatur præcise ad illam unionem cum Deo, quæ habetur per visionem intuitivam Dei. Ergo non fertur ad sublimiorem unionem, nempe hypostaticam, 3. q. 2. a. 11. C. sic scribit: *Dicendum, quod neque opera alterius cujuscunque hominis potuerunt esse meritoria hujus unionis ex condigno.* PRIMO *quidem, quia opera meritoria hominis proprie ordinantur* (hoc est, quantum ad eorum naturam & connaturalem exigentiam pertinet, petunt ordinari) *ad beatitudinem, quæ est virtutis præmium, & consistit in plena Dei fruitione. Unio autem Incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis. Et ideo non potest cadere sub merito* (utpote ad quod requiritur ordinatio & appetitus connaturalis etiam operantis). SECUNDO, *quia gratia non potest cadere sub merito; quia est merendi principium. Unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ: juxta illud Joannis* I. GRATIA ET VERITAS PER JESUM CHRISTUM FACTA EST. TERTIO; *quia Incarnatio Christi est reformativa totius humanæ naturæ. Et ideo non cadit sub merito alicujus hominis singularis; quia bonum alicujus puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ.*

DICO II. Progenitores Christi sunt meriti de congruo Incarnationem quoad circumstantias.

PROBATUR I. ratione & authoritate S. Thomæ, qui l. cc. C. sic scribit: *Ex congruo tamen sancti Patres meruerunt Incarnationem desiderando & petendo. Congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.*

PROBATUR 2. ex variis textibus Scripturæ. Sic enim tam Abrahæ, quam Davidi promissum est ob eorum merita, ex eorum stirpe nasciturum Christum; & Danieli Prophetæ, & Zachariæ Patri S. Joannis B. promissa est acceleratio Incarnationis ob meritum precum. Gen. 22. v. 18. dicit Deus Abrahamo: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Et Psal. 131. de Davide, eo quod voverit constructionem templi, dicitur: *Juravit Dominus David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam &c.* Et 2. Reg. 7. v. 27. *Quia revelasti aurem servi tui dicens: Domum ædificabo tibi; locutus es ad servum tuum bona hæc.* Et Danielis 9. v. 23. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es; septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt &c.* Et Lucæ I. Patri S. Joannis B. dicitur: *Exaudita est deprecatio tua & uxor tua pariet tibi filium, & ipse præcedet ante illum.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Progenitores Christi de condigno meriti sunt vitam æternam. Ergo etiam de condigno meriti sunt Incarnationem. *c. prob.* Qui meretur finem, sub eadem ratione meretur media ad finem.

2. Patres V. T. non tantum petierunt circumstantias Incarnationis, sed etiam ipsam Incarnationem. Ergo si precibus suis & bonis operibus meriti sunt eam Incarnationem, eam promeriti sunt quoad substantiam.

RESPONDEO c. a. o. c. *ad prob.* dist. Nisi ea, quæ requiruntur ad finem, requirantur simul ad ipsum meritum. c. secus. o. Ita respondet D. Thomas 3. q. 2. a. 11. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod hoc est falsum, quod sub merito cadit omne illud, sine quo præmium esse non potest. Quædam enim sunt, quæ non solum requiruntur ad præmium, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut divina bonitas & ejus gratia, & ipsa hominis natura. Et similiter Incarnationis mysterium est principium merendi, quia de plenitudine Christi omnes accepimus, ut dicitur Joan.* I.

Ad 2. dist. Petierunt ipsam Incarnationem ex suppositione promissionis divinæ de illa aliquando ponenda. c. secus. n. Quando res ipsa promittitur, etiam desiderari ac precibus postulari potest etiam quoad substantiam, sed illa desideria & preces non sunt meritum de congruo stricte dictum, quia promissio non est facta meritis, sed gratuito. Solæ autem circumstantiæ appromissæ sunt meritis.

OBJICITUR 2. Homo per actum mere naturalem ne quidem de congruo potest mereri gratiam supernaturalem quoad circumstantiam v. g. intensionis, accelerationis &c. Ergo neque progenitores Christi potuerunt de congruo mereri Incarnationem quoad circumstantias. *c. prob.* est major distantia perfectionum in istis, quam in illis.

2. Circumstantiæ Incarnationis habent intrinsecam ac essentialem connexionem cum Incarnatione. Ergo non possunt esse objectum meriti de congruo, quin simul habeatur pro objecto meriti ipsa Incarnatio, quod est impossibile. *Ant. prob.* Illæ circumstantiæ consistunt in certis durationibus, ubicationibus, actionibus generationum &c. quæ intrinsece respiciunt suos terminos ubicatos, productos, & durantes &c.

 RESPON-

RESPONDEO

Ad 1. dist. Non potest mereri gratiam supernaturalem quoad circumstantiam merito de congruo stricte dicto. c. late dicto. n. In Tractatu de Gratia ostensum est, quod juxta Theologos dispositio ad gratiam, dum homo facit, quod est in se, vocetur meritum de congruo late dictum.

RESPONDEO tamen 2. tr. a. n. c. *ad prob.* dist. Est major distantia perfectionum entitativa. c. habitudinis. n. Nam in Patribus V. T. dabatur gratia justificationis, & amicitiæ supernaturalis cum Deo, cui Deus sine inconvenientia non poterat denegare circumstantiam Incarnationis aliunde præstabilitæ, si ponerent conditiones omnium decentissimas. Econtra in actu mere naturali nil reperitur, cui gratia supernaturalis aut circumstantia illi intrinseca convenienter denegari non possit.

Ad 2. tr. a. dist. e. Non possunt esse objectum meriti, nisi simul pro objecto habeatur Incarnatio, ut aliunde præstabilita. e. ut præstabilienda. n.

DISPUTATIO IV.

De Libertate, Scientia, & aliis perfectionibus Christi.

In hac Disputatione quæritur:

1. An & quomodo Christus sit impeccabilis?
2. An Christus habuerit præceptum rigorosum moriendi?
3. Qualis fuerit Scientia in Christo?
4. Qualis fuerit Sanctitas & Gratia in Christo?
5. An operationes Christi fuerint valoris meritorii simpliciter infiniti?

QUÆSTIO I.

An & quomodo Christus fuerit impeccabilis?

NOTANDUM I. Certum esse de fide, quod in Christo dentur duæ voluntates, & duæ volitiones, nempe humana & divina, ita tamen ut voluntas ac volitio humana semper sit perfectissime subordinata voluntati seu volitioni divinæ. Ita ab Ecclesia definitum est contra Monothelitas. Id ostenditur inprimis ex Scriptura in variis textibus v. g. Lucæ 22. v. 42. ubi Christus in Oliveto dicit ad Patrem: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Aliunde autem constat, unam esse Patris & Filii voluntatem ad extra. Idem ostenditur in Epistolis doctrinalibus Leonis I., Martini I. & Agathonis Summorum Pontificum. Veritas autem Catholica definita est in Concilio Lateranensi sub Martino I. qui definitionem Concilii ad omnes Ecclesias tanquam regulam fidei transmisit in Epistola Synodica. Definitio sic habet: „Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propric & secundum veritatem substantialiter differentiam naturarum inconfuse & indivise in eo salvatam, condemnatus sit. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem naturarum substantialem unitionem indivise & inconfuse in eo cognitam, condemnatus sit. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem naturales proprietates Deitatis ejus & humanitatis indiminute in eo, & sine deminoratione salvatas, condemnatus sit. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem duas unius, ejusdemque Christi Dei nostri voluntates cohærentes unitas, divinam & humanam, ex hoc, quod per utramque ejus naturam voluntarius (operator) naturaliter idem consistit nostræ salutis, condemnatus sit. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem duas unius ejusdemque Christi Dei nostri operationes cohærenter unitas, divinam & humanam, ab eo, quod per utramque ejus naturam operator naturaliter idem existit nostræ salutis, condemnatus sit. Si quis secundum sceleratos hæreticos unam Christi Dei nostri voluntatem confitetur & unam operationem in peremptionem sanctorum Patrum confessionis, & abnegationem ejusdem Salvatoris nostri dispensationis, condemnatus sit. Si quis secundum sceleratos hæreticos in Christo Deo in unitate substantialiter salvatis, & à sanctis Patribus nostris pie prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, divina & humana, contra doctrinam Patrum unam voluntatem, atque unam operationem confitetur, condemnatus sit. Si quis secundum sceleratos hæreticos unam voluntatem & unam operationem prout ab hæreticis sumitur, impie confitetur, & duas voluntates, pariterque & operationes, hoc est, divinam & humanam, quæ in ipso Christo Deo in unitate salvantur, & à sanctis Patribus orthodoxe in ipso prædicantur, denegat & respuit, condemnatus sit. Si quis secundum sceleratos hæreticos Deivirilem operationem unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, hoc est, divinam & humanam, aut ipsam Deivirilis, quæ posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificæ & gloriosæ unitionis demonstrativam, condemnatus sit. Si quis secundum sceleratos hæreticos in peremptione salutia in Christo Deo essentialiter in unitione, & à sanctis Patribus pie prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, hoc est, divina & humana, dissensiones & divisiones insipienter mysterio dispensationis ejus innectit, & propterea Evan-

„gelicas

„ gelicas & Apostolicas de eodem Salvatore voces non uni eidemque personæ & essentialiter tribuit eidem ipsi Domino, & Deo nostro Jesu Christo, secundum B. Cyrillum, ut ostendatur Deus esse & homo idem naturaliter, condemnatus sit.

NOTANDUM 2. Certum esse de fide, quod Christus, cum sit Deus, sit impeccabilis. Quæstio autem ac difficultas in eo est, quomodo ea impeccabilitas consistere possit cum libertate liberii arbitrii, quæ est in natura humana Christi? Supponitur autem, ad veram libertatem humani arbitrii in ordine ad merendum non sufficere libertatem à coactione, sed requiri libertatem à necessitate. Id patet ex damnata propositione Jansenii 3. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Item ex damnata propositione Baji 39. *Quod voluntate fit, libere fit, quamvis necessario fiat.*

NOTANDUM 3. Impeccabilitatis in Christo assignari varias radices à Theologis. Thomistæ pro immediata radice impeccabilitatis assignant unionem hypostaticam. Cum enim voluntas humana in Christo sit physice unita voluntati divinæ, & actiones sint suppositorum, impossibile est, oriri ullam actionem voluntatis humanæ non determinante ad hoc voluntate divina. Alii pro causa impeccabilitatis in Christo assignant ejus visionem beatificam, qua fruebatur. Visio enim beatifica non relinquit judicium indifferens ad obediendum Deo, vel non obediendum. *Scotus* censet; naturam humanam in Christo de se, ac intrinsece manere indifferentem ad peccandum, vel non peccandum; eam tamen impediri à Verbo per specialem protectionem, ne actu peccet. Quidam existimant, naturam humanam habere tantum libertatis, ut possit se separare à Verbo, sicque se dividere ab unione hypostatica, & dein subsecuta divisione demum peccare. *Suarez* existimat; impeccabilitatem naturæ humanæ in Christo fundari in jure ad gratias congruas, quæ, prout substantiæ mediæ, semper obtinet effectum intentum à gratia. *P. Lienhardius* in *Ogdoade Erotematum* à Sacra Facultate Dilingana Theologica *post accuratam & iteratam lectionem ac considerationem approbata* Erot. 6. §. 3. aliam viam aggressus est conciliandi libertatem cum impeccabilitate in Christo, dicendo: *Unio hypostatica non fuit impedimentum inausferibile à voluntate Christi, sed probabilius voluntas Christi fuit objective libera ad unionem hypostaticam.* Verum hoc totum Erotema 6. per Decretum S. Congregationis Indicis anno 1747. 18. Aprilis, & post novum Examen 1749. supprimi jussum est.

NOTANDUM 4. Consideratione digna esse ipsa verba, quibus Scotus & Suarezius exprimunt suam sententiam. *Scotus* in 3. dist. 12. q. un. sic scribit: „Dico, quod cum Christus in primo instanti unionis ejus cum Deo fuit beatus, beatitudo abstulit sibi omnem peccabilitatem vel possibilitatem peccandi, quæ potest auferri per beatitudinem; plenitudo enim gloriæ, qua ipse fuit conjunctus fini, non minus quam alius beatus, æque excludit omnem potestatem in eo, se avertendi à fine, sicut in aliis (beatis). *Et ad* 2. Dico, quod natura, quam assumpsit, erat de se possibilis peccare; quia non erat beata ex vi unionis, & habuit liberum arbitrium, & ita vertibile ad utrumlibet. Sed per beatitudinem est confirmatum à primo instanti, ut sit impeccabile, sicut beati sunt impeccabiles." *Suarez* vero *de Incarnatione* Disput. 37. Sect. 3. sic scribit: „Constat ex dictis, omnibus pensatis absolute & simpliciter non potuisse in Christo esse peccatum, non ex defectu libertatis, sed ex divina motione & regimine ita sibi debito ratione unionis, ut nullo modo posset illo carere. Et ideo solum sequitur, Christum non esse impeccabilem ex vi modi intrinseci & proprii operandi suæ voluntatis; cum quo tamen stat, ut ex conditione personæ & ex modo regendi illam voluntatem sit impeccabilis; & quia Christus simpliciter dictus includit illam personam & illud regimen, ideo simpliciter dicendus est impeccabilis. - - Ad rationem (objectam) respondetur; hic applicari optime distinctionem illam de sensu composito & diviso. Nam licet simpliciter loquendo Christus ita libere operaretur, ut considerato intrinseco modo operandi suæ voluntatis posset operari & non operari, tamen ex suppositione divinæ præscientiæ & motionis infallibile erat, talem actum esse operaturum; & ita in sensu composito non poterat aliud fieri, quia non poterat divina præscientia falli, neque alius actus componi cum tali motione divina.

DICO. Voluntas humana in Christo fuit impeccabilis ratione unionis hypostaticæ.

PROBATUR 1. Voluntas humana in Christo, spectata simpliciter in ratione principii *operativi, potentis ad agendum*, seu *activi*, involvit subsistentiam Verbi. Ergo est impeccabilis ratione unionis hypostaticæ ad hypostasin seu subsistentiam Verbi. *Ant. prob.* Voluntas humana in Christo sumpta realiter, ut est à parte rei, non potest spectari in ratione principii operativi, nisi spectetur vel in raione principii *proxime* operativi, vel in ratione principii remote operativi. Si spectetur primo modo, manifestum est, involvi subsistentiam, quia actiones sunt suppositorum; ac consequenter etiam proxima potentia agendi supponit ac involvit subsistentiam. Si vero spectetur secundo modo per modum principii remote activi, seu operativi in actu primo remoto, sic dicit realiter secum identificatum respectum essentialem individualem ad hanc determinatam subsistentiam potius quam aliam, quæ in hoc casu est subsistentia Verbi. Ergo voluntas humana in Christo ne quidem in ratione principii remote activi, seu operativi in actu primo remoto est realiter secundum se indifferens ad agendum aliquid independenter à subordinatione reali intrinseca ad subsistentiam Verbi. *Ant. prob.* Si non daretur ille respectus essentialis ac individualis ad hanc determinatam subsistentiam, posset eadem numero natura successive aquirere diversas subsistentias. Sed hoc est impossibile ex dictis in Disput. 1. Ergo.

PROBATUR 2. Si natura humana in Christo non esset intrinsece impeccabilis, sed tantum ratione visionis beatificæ, sequeretur *primo*, quod ea impeccabilitas posset amitti, si Christus aliquando suspenderet influxum Verbi in visionem animæ beatificam, v. g. in sacrificio crucis. *Secundo* sequeretur, quod ea impeccabilitas etiam posset communicari homini, si Deus jure stabili v. gr. B. Virgini, donaret visionem beatificam. Idem sequeretur, si Deus homini, v. g. B. Virgini, donaret jurejurando jus perpetuum ad gratias congruas. Sed hæc non possunt admitti, quia Patres in textibus proxime referendis impeccabilitatem Christi considerant tanquam proprietatem Christi inseparabilem, & aliis hominibus incommunicabilem.

PROBATUR 3. SS. Patres impeccabilitatem naturæ humanæ in Christo immediate referunt in ejus unionem cum Verbo, vel in divinitatem totius suppositi, seu personæ. Ergo non est quærenda alia radix impeccabilitatis in natura humana Christi. *Ant. prob.* ab inductione.

I. *Origenes* in l. 2. Periarchon c. 6. in hac re non male sic discurrit: „Ferri metallum capax est frigoris & caloris. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc, quæ ex sua natura ferri massa est, in igne positam & indesinenter ardentem posse frigus aliquando recipere; quin imo, quod verius est, magis eam totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea, nisi ignis cernitur; sed etiam, si quis attrectare tentaverit non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est; omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; & ideo nec convertibilis, nec mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit. Ad omnes quidem Sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse; in hac autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse credendus est. Quando Psalmista dixit: Unxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis; ostendit, quod aliter anima ista oleo lætitiæ; id est, Verbo Dei fungitur, & aliter participes ejus, id est, sancti Prophetæ & Apostoli. Illi enim in odore unguentorum ejus cucurrisse dicuntur; ista autem anima vasculum unguenti ipsius fuit. Sicut ergo aliud est unguenti substantia, aliud odor ejus; ita aliud est Christus; & aliud participes ejus; & sicut vas ipsum, quod substantiam continet, & unguentum, nullo genere potest aliquid recipere fœtoris; ita Christus, velut vas ipsum, in quo unguenti erat substantia, impossibile fuit, ut contrarium reciperet odorem.

II. *Dionysius* Alexandrinus in Epist. Synod. *Nisi Christus idem esset Dei Verbum, non poterat esse impeccabilis.* (ἀναμάρτητος).

III. *S. Athanasius* in l. de Incarnat. „Confitendum est; Deum apparuisse in carne secundum justitiam, quam Dominus habuit in spiritu, hoc est, non humana mutatione, sed divina puritate. Impossibile enim erat, alio modo integritatem, & impeccabilitatem (τὸ καθαρὸν, καὶ ἀναμάρτητον) in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse, qui impeccabilem justitiam in mundum invexit. Quod enim scriptum est: Non est justus super terram, qui non peccet, commune est utique omnibus hominibus. Ideo de cœlo descendit, qui illibatam justitiam ex seipso donaret, Verbum scilicet." *Et in alio Tract. de Incarnat. adversus Apollinarem:* „In natura nostra ex invento diaboli exorta pugna perseverat, & superseminationis progressus. At Verbi Incarnatio secundum naturam Dei facta neutiquam capax fuit illarum rerum, quæ etiamnum hærent ex vetustate nobis insolita.

IV. *Cyrillus Alexandrinus* l. 5. in Joannem: „In Christo creaturæ funditur inclusus est immutabilis & invariabilis status, eodemque modo se semper habens ex natura sua. Id enim soli conveniet revera existenti Deo. Hoc ipsum in filio recte perspicitur. Peccatum enim non fecit, ut ait Petrus. Deus est igitur, & ex Deo secundum naturam filius, illo, inquam, Deo, qui peccare, mutarique nescit; neque hoc prætergreditur unquam, quod naturæ propriæ congruit." *Et l. 6. ad illa verba Christi:* „Quis ex vobis arguet me de peccato? *ait:* Prorsus fieri nequit, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus. Quippe Christus peccatum non fecit. Nam omne peccatum ex deflexione ab eo, quod melius est ad id, quod dissimile est, originem accipit, & in eis gignitur, qui natura sua verti possunt, & in ea, quæ dedecent, mutationem capere. Quomodo ergo peccare intelligetur, qui conversionem nescit, neque capax est commutationis in aliquid, quod sit disconveniens, sed inconcussus manet in pristinis, innatisque bonis, & hoc non aliunde habet, sed à seipso." Similia habet l. 9. & 11. & in l. de recta fide. *Idem in Isaiam sic scribit:* „Cæteri homines, postquam adoleverunt, agendarum rerum liberam instituunt electionem. At divina natura ratione propriæ congruentisque sibi sublimitatis vitio est inaccessa & pravitatis omne genus depellit; quin potius naturaliter & substantive malitiæ reluctatur. Quod igitur divinæ naturæ proprium est, in bono stabilem ac defixam esse; hoc etiam de Christo vere dicitur. *Et in l. de recta fide*: Dei filius humanam animam propriam sibi fecit, eamque peccato omni superiorem reddidit, naturæ suæ firmitate ac immutabilitate cum illa communicata, perinde ac lanam tingendo colore imbuisset. *Idem in Homilia 24. ad illa verba Apostoli:* Per omnia fratribus assimilatus est, uno excepto peccato; *ait:* Non enim fieri poterat, ut divina & incorrupta natura peccati laqueis caperetur. Siquidem lux est vera, & tenebræ eam non comprehenderunt.

V. *S. Augustinus* l. contra Sermonem Arrianorum c. 7. „Ut Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus non faceret propriam, quæ Deo adversa est, voluntatem; non erat tantum homo

„ homo, sed Deus & homo, per quam mirabi-„ lem, singularemque gratiam humana in illo fine „ peccato ullo posset esse natura. Propter hoc „ ergo ait: Descendi de cœlo non ut faciam vo-„ luntatem meam, sed voluntatem ejus, qui me „ misit; ut ea causa esset tantæ obedientiæ, quæ „ omnino sine ullo peccato esset, hominis, quem „ gerebat, quia de cœlo descenderat; hoc est, „ (quia) non tantùm homo, verùm etiam Deus „ erat." Et in l. de corrept. & grat. c. 11. „Ne-„ que metuendum erat, ne isto ineffabili modo „ in unitatem personæ à Verbo Deo natura hu-„ mana suscepta per liberum voluntatis peccaret „ arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut „ natura hominis à Deo ita suscepta nullum „ in se motum malæ voluntatis admitteret." Et in Enchiridio c. 36. „Per eandem gratiam „ justificantur homines à peccatis, per quam fa-„ ctum est, ut homo Christus nullum posset habere „ peccatum." Dein c. 40. hanc gratiam consti-tuit in unione hypostatica: „Modus iste, quo „ natus est Christus, insinuat nobis gratiam Dei, „ quo homo in ipso exordio naturæ suæ, quo es-„ se cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam „ personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius „ Dei, qui Filius hominis, ac sic in naturæ huma-„ næ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia „ illi homini naturalis, quæ nullum peccatum „ possit admittere.

VI. *S. Hilarius* l. 5. de Trinit. „Non fuit „ caro illa caro peccati, sed similitudo carnis pec-„ cati, dum similitudo carnis peccati à vitiis hu-„ manæ carnis aliena est. Ita homo Christus Je-„ sus & in veritate nativitatis est, dum homo „ est; & non est in proprietate peccati, dum „ Christus est. Quia & qui homo est, non po-„ tuit non homo esse, quod natus est; & qui „ Christus est, non potuit amisisse, quod Chri-„ stus est. Atque ita, dum homo Christus Jesus „ est, habet & nativitatem hominis, quia homo „ est; nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia „ Christus est.

VII. *S. Fulgentius* l. 3. c. 38. „Ægrotare „ non potest solus; infirmari non novit virtus; „ nescit saturitas esurire, via nequit errare, sa-„ pientia non mutatur, vita non moritur, lumen „ non extinguitur, nec veritas depravatur; nescit „ tristari lætitia: Deitas non potest superari. „ Propterea utique etiam Christi humanitas sine „ peccato permansit, quia eam in unitate perso-„ næ divinitas accepit quæ naturaliter peccare „ non potuit.

VIII. *S. Hippolytus* Martyr in Excerp. 8. asse-rit: *Christum naturaliter à peccato & malitia alienum fuisse.*

IX. *S. Maximus* Aquilejensis in Lateranen-si Synodo sub Martino I. similiter dicit: *Christum naturaliter à peccato alienum & peccati interemptorem fuisse.*

In his omnibus textibus impeccabilitas Chri-sto tribuitur quoad naturam humanam non ra-tione visionis beatificæ, aut ratione juris ad gra-tias congruas, vel intrinsecè efficaces, sed ratio-ne personalitatis divinæ.

D. Amort Tract. de Incarnatione.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. SS. Patres docent, impec-cabilitatem non fuisse intrinsecam naturæ huma-næ in Christo, sed extrinsecam, inquantum divi-nitas humanam naturam à corruptione *protexit*, à tentationibus custodivit; cujus cogitationes *di-rexit* & bonum inspiravit. Ergo impeccabilitas naturæ humanæ in Christo solùm provenit ab unione hypostatica mediate, in quantum tribuit jus ad gratias congruas, vel inquantum mediante visione beatifica tollit judicium indifferens ad utramque contradictionis partem. *ant. prob.* 1. S. Hippolytus Martyr explicat impeccabilita-tem naturæ humanæ in Christo per similitudinem cum incorruptibilitate arcæ ligneæ, eo quod fuerit protectum à carie per aurum, quo tegeba-tur. In dialogo 1. Theodoreti referuntur hæc ejus verba: „Arca ex lignis, quæ putrescere „ nequeunt fuit ipse Salvator. Illa quippe putre-„ dine inductum tabernaculum significabat ipsius, „ quod nullum peccati putredinem genuit. Do-„ minus impeccabilis erat ex lignis carnem non „ sentientibus quatenus homo fuit; hoc est, è „ Virgine & Spiritu Sancto, intus & foris tan-„ quam purissimo Divini Verbi auro undiquaque „ tectus.

2. *S. Irenæus*, prout refertur à Leontio Bi-zantino in l. 1. contra Eutychianos ait: „Quem-„ admodum arca deaurata erat intus & foris „ auro purissimo; sic & Christi corpus purum „ erat & splendidum, intus quidem verbo deco-„ ratum; foris autem à Spiritu custoditum, ut „ ex utrisque naturarum splendor ostendere-„ tur.

3. *Epiphanius* in Ancorato refellens Apolli-naristas, qui, ne cogerentur admittere peccabilita-tem in Christo, in eo negabant animam, sic scri-bit: „Quis dicere audebit, pro eo, quod carnem „ Salvator assumpsit, illecebra carnis abductum, „ ut quæ carnis sunt, rationi minimè consenta-„ nea perficeret, ut qui, licet illud omne, quod „ cum corpore conjunctum est, etiam vilissimum „ haberet, ipsamque adeo carnem, eam tamen „ in nulla re peccantem susceperit. Etenim „ Deus Verbum corpus suum velut fræno quo-„ dam moderabatur; & pro voluntate sua con-„ tinere ipsum ab omni carnis immoderatione „ poterat; atque ubi libitum erat, liberè ferri „ permittebat ad corporeas dumtaxat ejusmodi „ necessitates, quæ conformes essent rectæ ratio-„ ni, & ipsius divinitati congruerent. - - - - - „ Si vim suam inspiravit Sanctis, & quibus inspi-„ ravit, de his testimonium dicitur, eos sanctos, „ justos, & in diebus suis provectos sine ulla re-„ prehensione vixisse: quanto ipse magis omni-„ no, in quo complacuit omnem divinitatem ha-„ bitare corporaliter, & si carnem veram ex Ma-„ ria semper Virgine sumpserit, & humanam re-„ vera animam atque mentem, & si quid aliud „ inest homini, in se ipse ita continere omnia po-„ tuit, tanquam Deus, ut nec in vitium sparge-„ rentur, neque hostis improbi fraude delitiis „ frangerentur, neque voluptatum caperentur il-„ lecebris, nec Adami delicto subjicerentur.

I Respon-

Respondeo n. a.

Ad 1. c. a. n. c. Cum enim Hippolytus teftetur, ipfa ligna, ex quibus arca fabricata erat, putrefcere non poffe, etiamfi inaurata non fint, oftenditur, aurum fuiffe fuperinductum pro confervatione naturæ ab intrinfeco incorruptibilis, ne corrumperetur ab intrinfeco, v. gr. igne, aere. Itaque etiam natura humana in Chrifto erat ab intrinfeco incorruptibilis feu impeccabilis, utpote intrinfece fubordinata ad hypoftafin Verbi.

Ad 2. c. a. n. c. Ex eo enim, quod arca fuerit contecta auro, non fequitur, ipfa ligna, quæ auro tegebantur, fuiffe fecundùm fuam naturam corruptibilia. Ergo etiam à pari, ex eo, quod natura humana in Chrifto fuerit quafi deaurata Verbo, non fequitur, illam ex fe fuiffe corruptibilem.

Ad 3. dift. a. Dixit hoc S. Epiphanius tanquam refponfum fufficiens pro enervando Apollinariftarum argumento, eorumque captui accommodum. c. tanquam fufficiens pro explicatione perfecta myfterii. n. In eo loco S. Epiphanius fatis præftiterat, fi oftenderet, rationem Apollinariftarum, ex qua animam in Chrifto negaverant, videlicet, quia alioquin daretur in Chrifto natura peccabilis, effe invalidum; quia potuiffet Verbum cogitationes & motiones in anima Chrifti fic dirigere, ut nullum effet fecuturum peccatum.

Objicitur 2. Humana natura in Chrifto præcife ob unionem cum Verbo intrinfece non fit perfectior. Ergo nec per eam fit intrinfece impeccabilis. *art. prob.* corpus humanum præcife per unionem cum anima non fit intrinfece perfectius. Ergo nec natura humana in Chrifto per unionem ad Verbum.

2. Licet fubfiftentia Verbi fit immortalis, non tamen reddit humanitatem Chrifti immortalem. Ergo etiam, licet Verbum fit impecabile, non tamen per fui unionem reddit naturam humanam impeccabilem.

3. Tota ratio, cur naturæ humanæ in Chrifto negetur peccabilitas, eft hæc, quia potentia peccandi non poteft conjungi cum Verbo; fed hæc ratio nihil probat. Ergo. *min. prob.* Poteft dici, quod in cafu, in quo hæc potentia reduceretur in actum fecundum, eo ipfo diffolveretur unio cum Verbo. Ergo licet peccatum non poffit conjungi cum Verbo, poteft tamen conjungi potentia peccandi.

Respondeo

Ad 1. dift. Non fit intrinfecè perfectior quoad prædicata generica, & fpecifica c. quoad prædicatum individuale n. Suppono ex mea Philofophia, Auguftæ, & Venetiis edita, quod individuatio cujuslibet confiftat in refpectu effentiali ad feriem omnium effectuum & circumftantiarum rem per decurfum fui præfiniti temporis involventium. Itaque etiam refpectus effentialis cujuslibet naturæ ad fuam fubfiftentiam, quam fuppono effe realiter à re diftinctam, pertinet ad prædicatum individuale naturæ humanæ. Cum ergo natura humana in Chrifto fubfiftat per fubfiftentiam Verbi, refpectus illius naturæ effentialis ad fubfiftentiam Verbi, reddit eam naturam individualiter perfectiorem intrinfecè præ naturis aliorum hominum individualiter fpectatis. Sic etiam corpus humanum, licet alioquin forte non differat fpecie à corpore organico bruti, v. gr. fimiæ, eft tamen intrinfecè perfectius individualiter corpore bruti ob illum intrinfecum ordinem feu refpectum ad animam rationalem.

Ad 2. c. a. n. c. & p. Difparitas eft quia Deo non repugnat mori in actu fecundo fecundum naturam humanam, ac effe principium determinativum ad actualem mortem fuæ naturæ humanæ; econtra repugnat Deo peccare in actu fecundo, feu effe principium determinativum ad peccatum naturæ humanæ, prout tamen effet, cum actiones fint fuppofitorum.

Ad 3. tr. maj. n. min. ad prob. n. a. Si enim natura humana in Chrifto foret determinativum primum ad peccandum, & ad diffolvendam unionem hypoftaticam, eo ipfo fupponeretur habere fubfiftentiam propriam; cum actiones fint fuppofitorum. Itaque impoffibile eft ut in natura humana fingatur ulla actio, determinatio, vel electio in Chrifto, nifi præmovente ad eam actionem Verbo, in quo fubfiftit illius natura humana.

DICES: Poteft dici, ita fe habere naturam humanam in Chrifto ad acceptationem unionis hypoftaticæ, ficut fe habet liberum ad acceptationem gratiæ fanctificantis & actualis. Ergo ficut liberum pro priori figno rationis poteft peccare non acceptando gratiam; ita etiam natura humana potuit peccare non acceptando unionem hypoftaticam.

Respondeo n.a. Liberum enim arbitrium habet fuam propriam fubfiftentiam prius & independenter ad gratiam, & fic etiam poteft effe principium operativum pro priori ad gratiam; econtra natura humana in Chrifto non poteft pro priori naturæ ad unionem cum Verbo habere propriam fubfiftentiam, cum repugnet, ut eadem res, manens numero eadem, obtineat fucceffivè duas vel plures fubfiftentias; igitur natura humana Chrifti pro priori ad unionem cum Verbo non poteft effe principium operativum acceptando vel recufando unionem hypoftaticam.

Objicitur 3. Nihil eft denegandum Chrifto, quod eft laudabile; fed poffe peccare, & non peccare, eft laudabile. Ergo *Min. prob.* In Ecclefiaftico cap. 31. v. 10. laudatur juftus, *qui potuit tranfgredi & non eft tranfgreffus, facere mala & non fecit.* Ergo.

2. Juxta S. Hieronymum folus Deus eft, in quem non poteft cadere peccatum. Sed natura humana in Chrifto non eft Deus.

3. Si daretur in natura humana Chrifti impeccabilitas, ea vel effet æqualis impeccabilitati ipfius Dei vel non? neutrum poteft dici. Ergo. *Min. prob.* Si dicatur effe æqualis, creatura æquatur Deo; fi dicatur effe inæqualis, jam erit in hoc genere defectuofa ac defectibilis.

4. Peccabilitas eft proprietas naturæ humanæ de fe defectibilis. Ergo non poteft feparari à natura humana in Chrifto. *Ant. prob.* Peccabilitas fundatur flexibilitate voluntatis humanæ.

5. Vo-

5. Voluntas humana in Christo non fuit mota ad bonum per gratiam intrinsecè efficacem, sed tantùm per gratiam congruam quæ potuit stare cum assensu & dissensu voluntatis. Ergo in Christo dabatur saltem potentia remota ad peccandum.

6. Potentia peccandi non est vituperio digna. Ergo potest admitti in Christo. *Ant. prob.* Ea stat in maximis Sanctis cum gratia sanctificante.

RESPONDEO

Ad 1. Retorquendo hoc argumentum in Deo & Sanctis Beatis. RESPONDEO 2. d. nihil laudabile est denegandum, si non babeat admixtam imperfectionem. c. secus n. datur enim laus *absoluta* & *pura*, quæ nullam præsupponit imperfectionem, ut est, amare Deum; & datur alia laus ex *suppositione* imperfectionis, & talis est, pœnitere de peccato, vel non esse transgressum in natura defectibili.

Ad 2. dist. Solus Deus est impeccabilis comparativè ad alia supposita, capacia ad operandum per modum principii motus rationalis. c. comparativè ad alia entia, quæ non sunt supposita, vel incapacia ad operandum per modum talis principii. n. Natura humana in Christo non est suppositum, quia non habet subsistentiam propriam: & ideo, nisi moveatur à Verbo, nec potest operari bonum, nec malum.

Ad 3. c. Maj. n. Min. Et dico, quod sit inæqualis inæqualitate originis seu principii; quia impeccabilitas naturæ humanæ in Christo dependet à subsistentia aliena; in Deo autem à subsistentia propria.

Ad 4. dist. Est proprietas naturæ humanæ habentis subsistentiam propriam vel Angelicam. c. habentis alienam, eamque divinam. n. vel potest dici, eam peccabilitatem non esse proprietatem primo modo, quæ conveniat *omni*, *soli*, & *semper*.

Ad 5. n. a. Omnis enim motio in Christo fuit motio ab intro ex Verbo, quæ non fuit indifferens ad contradictorium, utpote cum deficiente alia subsistentia motio contraria fuerit impossibilis.

Ad 6. tr. a. n. c. Etiamsi enim non sit vituperio digna, esset tamen imperfectio incompossibilis cum perfectionibus divinis. Vituperio solùm digna sunt, quæ pendent à culpa, non autem defectus naturæ, ad quos pertinet potentia peccandi.

QUÆSTIO II.

Qualis fuerit libertas in Christo? Et num Christus babuerit præceptum rigorosum moriendi?

NOTANDUM 1. Difficultatem quæstionis in eo consistere; quomodo Christus habere potuerit libertatem moriendi vel non moriendi, si rigoroso præcepto Patris æterni mori jussus est? Cum enim non potuerit peccare, prout in quæstione præcedente dictum est, sequitur, quod etiam non babuerit libertatem transgrediendi hoc præceptum: quod si non habuit libertatem transgrediendi illud præceptum, nascitur alia difficultas, quomodo Christus per suam mortem potuerit mereri redemptionem generis humani, & suam gloriam, si illa mors non fuit ipsi libera?

NOTANDUM 2. Hanc quæstionem non solùm procedere de morte Christi, sed etiam de omnibus ejus actionibus, cum Christus in pluribus locis Evangelii protestetur, se in omnibus suis actionibus sequi voluntatem Patris sui. Sic Joan. 4. v. 34. dicit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Et Joan. 5. v. 30. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Et Joan. 6. v. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Et Joan. 12. v. 49. *Ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio, quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.*

NOTANDUM 3. Varias esse in hac re pro expedienda difficultate Theologorum sententias. *Lugo* de Incarnat. Disp. 26. Sect. 7. & 8. recenset *quatuor*, his verbis: „Communior solutio in hac „difficultate est, Christum fuisse liberum in ope„ribus præceptis, quia licet supposito præcepto „v. gr. moriendi, non posset non acceptare mor„tem; erat tamen indifferens ad acceptandam „mortem ex hoc vel illo motivo, hoc vel illo „tempore, actu intenso vel remisso. Hæc solu„tio est P. Vasquez Disp. 74. Valentiæ, Lessii, „& eam tandem approbat Suarez Sect. 4. & in ea „libenter conquiescunt communiter nostri Re„centiores. Aliter respondent aliqui recentio„res, qui dicunt, ipsam mortem quoad substan„tiam fuisse Christo liberam, & meritoriam ra„tione divinitatis. Quippe idem Christus ut „Deus poterat impedire & non impedire mor„tem illius humanitatis. Licet enim actio secun„dùm se, prout ab humanitate Christi procedit, „non sit libera quoad substantiam mortis, tamen „prout conjuncta cum persona Verbi, quæ ha„bebat pleuam potestatem in mortem, habebit „libertatem plenissimam. *Tertia* via ad solven„dam hanc difficultatem, facilis est, sed singula„ris, dicendò, Christum non habuisse præceptum „mortis obligans sub peccato, sed solum præce„ptum seu mandatum Dei, quatenus extenditur „ad ordinationem, directionem, & regulam su„perioris, potentis obligare sub peccato, non „tamen obligantis; sicut regulæ Religionum & „ordinationes Prælatorum diriguntur ad subdi„tos; & tamen regulariter non obligant sub pec„cato; sunt tamen materia obedientiæ, & qui„dem perfectioris obedientiæ, ut docet S. Tho„mas 2. 2. q. 104. a. 2. his verbis: *Voluntas supe„rioris quomodocunque innotescat, est quoddam tacitum „præceptum; & tanto videtur obedientia perfectior, „quanto expressum præceptum obediendo prævenit volun„tate superioris intellecta.* Et a. 5. *Sic ergo potest tri„plex obedientia distingui; una sufficiens ad salutem, quæ „scilicet obedit in bis, ad quæ obligatur; alia perfecta, „quæ obedit in omnibus licitis; alia indiscreta, quæ etiam „in illicitis obedit.* „Hoc ergo supposito facile di„citur: Christum babuisse perfectissimam obe„dientiam, non tamen præceptum moriendi ex „obligatione; & per consequens potuisse plenè „& adæquatè mereri in hac obedientia. Hanc

„ sententiam acriter tenuit M. VICTORIA, & „ MEDINA 1. 2. q. 114. a. 1. eam probabilem „ reputat, & nunc eam latè docet M. LORCA „ q. 19. disp. 63. & pro ea affert PALUDANUM „ in 3. dist. 12. q. 2. a. 3. DIONYSIUM CI- „ STERC. in 3. q. 3. a. 2. Conclus. 6. ALBER- „ TUM M. c. 3. de virtutibus, CHRYSOSTO- „ MUM Hom. 59. & 75. in Joannem, ubi expres- „ se negat talem obligationem præcepti in Chri- „ sto, sed dicit, vocari præceptum humano mo- „ re. Et Hom. 28. in Epist. ad Hebr. ad illa ver- „ ba: *Qui proposito sibi gaudio*, infert Chrysosto- „ mus: *Licebat illi nihil pati, si voluisset*. In eadem „ sententia est CYRILLUS ALEXANDRINUS „ l. 7. in Joan. c. 7. Et quamvis ille liber non sit „ Cyrilli, sed alterius, insinuatur tamen ab eo- „ dem l. 10. c. 20. Item THEOPHILACTUS in „ c. 14. Joan. EUTHYMIUS in c. 10. Joan. AN- „ SELMUS Opusculo de Meditatione Redemptio- „ nis c. 3. & 4. & alibi sæpe. QUARTA senten- „ tia est C. Lugonis, quod Christus habuerit „ quidem præceptum moriendi, potuerit tamen „ petere dispensationem, & sic mortem impedire. Ita Theologorum sententias recenset Lugo. Verùm Gonet disp. 21. a. 3. eas sententias sic recenset: „ PRIMUS modus asserit, Christo imposi- „ tum non fuisse præceptum strictum, ipsum ob- „ ligans ad culpam, sed solùm ei fuisse insinua- „ tam voluntatem Dei, quæ decreverat ipsum „ pro salute hominum mortem subiturum, quæ „ voluntas rationem præcepti ad culpam obligan- „ tis non babebat, ac proinde, licet Christus ab „ intrinseco esset impeccabilis, potuit tamen mor- „ tem non subire, & illam non acceptare. Ita „ LORCA. SECUNDUS modus asserit, quod li- „ cet Christus præsupposito tali præcepto non „ potuerit non mori, hæc tamen moriendi neces- „ sitas non fuit antecedens, sed consequens li- „ bertatem Christi; quia liberè postulavit à Pa- „ tre, hoc præceptum sibi imponi, & liberè illud „ acceptavit. Ita quidam, quos suppresso nomi- „ ne refert VINCENTIUS *à gratia*, quos sequun- „ tur CABRERA, & PRUDENTIUS. TERTIUS „ modus est, quem ex Recentioribus Baesa, & „ de Lugo proposuerunt, asserentes, Christum „ potuisse petere dispensationem vel commuta- „ tionem. QUARTUS modus est Valentiæ, Vas- „ quez, Lessii, Moncæi, Theophili Raynaudi & „ aliorum, qui dicunt, quod, licet Christus non „ fuerit liber circa substantiam suæ mortis, fuerit „ tamen indifferens & liber ad moriendum ex hoc „ vel illo motivo, fortitudinis nimirum vel pa- „ tientiæ vel misericordiæ, pro hoc vel illo tem- „ pore, actu intenso vel remisso. Dein §. 13. ponit Gonet suum & *communem*, ut asserit, *omnium Thomistarum* modum his verbis: „ Modus verè „ conciliandi in Christo circa præceptum mortis „ ei à Patre impositum libertatem à necessitate „ cum omnimoda ipsius impeccabilitate, in eo „ consistit, quod licet non potuerit Christus vel- „ le non mori in sensu composito, hoc est, velle „ conjungere negationem mortis cum præcepto „ obligante ad mortem, bene tamen in sensu di- „ viso, id est, velle negationem mortis, ut abstra- „ ctam à præcepto. „ Ita Gonet, qui ibidem n. 85. conqueritur, quod *omnes fere Theologi Societatis* hanc doctrinam in sensu à Thomistis nunquam intento exponant, quasi videlicet Thomistæ dicerent, quod Christus non habuerit potentiam ad non moriendum supposito præcepto mortis, sed solùm quæ in eo extitisset, si ablatum fuisset præceptum obligans ad mortem.

NOTANDUM 4. Distinguendum esse inter mandata *timoris*, & inter mandata *amoris*. Illa sunt ex parte præcipientis absoluta, & quidem sub comminatione, puta vel pœnarum *inferni*, prout contingit circa leges obligantes *sub peccato mortali*, vel pœnarum temporalium in hoc mundo aut *purgatorio*, prout contingit circa leges obligantes *sub peccato veniali*; vel *exclusionis à gratiis* indebitis, jam præparatis, & alioquin certo conferendis; prout contingit circa mandata parentum, destinantium obedientibus liberis hæreditatem ex asse, inobedientibus solam legitimam; quod ipsum contingit circa leges divinas & humanas solùm directivas, obligantes *sub imperfectione*, & sub exclusione gratiarum destinatarum exactis observatoribus præceptorum directivorum, v. g. Constitutionum Monasticarum, Regulæ, inspirationum internarum ad actus determinatos, &c. Econtra mandata amoris ex parte præcipientis sunt tacitè conditionata sub hac conditione, *si amore gratuito vi aliorum mandatorum indebito amas me?* Iste modus præcipiendi continet tacitè pactum reciprocum exhibendi reciprocè actus amoris aliunde indebitos. Tale erat mandatum Christi ad Petrum Joan. 2., ubi illi demandavit atque injunxit regimen Ecclesiæ his verbis: *Petre amas me? pasce oves meas.* Sic etiam Pater cœlestis potuit filio suo divino dicere; si me amas amore gratuito, exple ordinem redemptionis humanæ, tibi præmonstratum, in quo mihi complacui. Ut hoc à te obtineam, præveni Te immensis gratiarum donis, tanquam tot pignoribus amoris mei; & si hoc obsequium amoris mihi præstiteris, compensabo amore reciproco gratuito aliunde indebito per collationem proportionatæ communis gloriæ.

DICO. Mandatum moriendi Christo impositum fuit mandatum amoris, non timoris.

PROBATUR. In hoc solo genere mandati concurrunt omnia, quæ Scriptura mandato moriendi per modum proprietatis annectit. Ergo mandatum moriendi in Christo ad hoc genus mandati referendum est. *Ant. prob.* In mandato moriendi reperitur 1. propria ratio mandati. 2. libertas in acceptante. 3. motivum dilectionis. 4. ratio pacti. 5. obedientia. Sed hæc omnia reperiuntur in hoc genere mandati. Ergo. Maj. patet ex variis locis Scripturæ. Sic ratio mandati & simul dilectionis exprimitur Joan. 14. v. 31. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et Joan. 15. v. 9. *Sicut dilexit me Pater, & ego* (præveniendo gratiis) *dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione.* Libertas autem Christi patet ex illo Joan. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à meipso; & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc*

manda-

mandatum accepi à Patre meo. Ratio pacti insinuatur Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum &c.* Et ad Hebr. 10. v. 5. *Ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi* (medium ordinatum ad mortem, ex quo ordinem tui consilii ac destinationis agnoscerem.) *Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam.* De obedientia habetur ad Philipp. 2. v. 6. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; propter quod & Deus exaltavit illum.* Huc revocari possunt sequentes textus. Joan. 5. v. 19. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Et c. 8. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Et c. 10. v. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam.* Et Joan. 18. v. 11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Et Matth. 26. v. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et v. 42. *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Et v. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum; & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim Legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri.* Et Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Hebr. 9. v. 14. *Si sanguis hircorum inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum* (amoris) *semetipsum obtulit Deo.* Et Rom. 8. v. 32. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et ad Gal. 2. v. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et ad Ephes. 5. v. 1. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Hæc omnia ostendunt in Christo perfectam libertatem, Verbo & humanitati communem, ad exercendum actum amoris heroicum, nulla absoluta necessitate, aut mandato absoluto divinitati debitum, sed tantùm mandato amoris tacitè conditionato impositum, videlicet, si excellentissimo genere amoris me amoveris respiciente solùm ad nutus mei beneplaciti, quamvis Verbum non necessariò humanitatem tuam ad exercitium hujus amoris impulsurum sit, sed liberè; cum Deus, & consequenter singulæ tres Personæ liberrimæ sint ad exigendum à creaturis rationalibus supremum gradum amoris, vel non exigendum, utpote cum per hoc divinis perfectionibus in se nec accedat aliquid, nec decedat.

PROBATUR 2. SS. Patres ita agnoscunt mandatum moriendi in Christo, ut simul agnoscant, ejus obedientiam fuisse actum amoris excellentis liberum erga Patrem cœlestem. Ergo dicendum, illud mandatum fuisse mandatum amoris tacitè conditionatum. *Ant. prob.* ab inductione.

I. S. AUGUSTINUS l. 13. c. 15. explicans actiones liberas Angelorum, eas per amorem Dei, semel liberè præstabilitum, & gratiâ visionis intuitivæ confirmatum explicat: *Vident faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt. Semper legunt, & nunquam præterit, quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui.* IDEM Tract. 79. in Joan. Tanquam ei diceretur: *Cur ergo moreris, si non habes peccatum, cui debeatur mortis supplicium? Continuò subjecit: Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

II. CYRILLUS ALEXANDRINUS in Joan. l. 4. „Quid in Christo voluntarium & non voluntarium? Ludibria, convitia, mors corporis. Hæc enim propter nos volens sustinuit, & voluntarium facit, quod præter voluntatem erat, Deo ac Patre consentiente, & omnia libenter pro salute omnium pati comprobante. Quemadmodum nos ex eo, quod subjecti sumus & parentibus obsequimur, obsequium instar præclaræ cujusdam virtutis colimus; ita de Patre & Filio censendum est. Nam cum sit ex Deo Deus, Perfectus ex Perfecto, nihil aliud cogitabit, quàm quod ille cogitaverit, cujus est consilium ac Verbum; sed eadem planè cum Patre volet, iisdem plane, ut ita dicam, consubstantialitatis legibus ad omnia volendum cum Patre bona unà cum ipso constrictus. Et l. 11. c. 6. „Clarificasse (Christum) suum Patrem ac Deum dicimus consummato opere, quod accepit ab eo, non tanquam servus; hominum enim est, servorum more divinis nutibus subjici.„ Et l. 6. in Joan. „Cum Deus & Pater sit dilectio, & non tantùm bonus, sed ipsamet bonitas; quando vidit Filium suum per dilectionem erga nos & bonitatem servantem germanas suæ naturæ notas, meritò dilexit, veritatem suæ substantiæ in Filio conspiciens, dilectionis enim opus est ipsum pati, idque cum ignominia propter aliquorum salutem. Dilectus igitur semper existens propter naturam, dilectus etiam fuisse censebitur, quod per dilectionem nostri Genitorem suum oblectaverit, cernentem illinc omnino puram ac vividam, nulloque fuco elucentem suæ ipsius naturæ imaginem.„ Et in Joan. l. 11. „Nequaquam sibi dilectionem à Patre accepisse censebitur; erat enim semper & ab æterno dilectus; sed ut nobis dilectionem à Patre conciliaret, hanc ab eo accipit, etiam cum homo factus est. Quemadmodum igitur conformes gloriæ ejus erimus, ita & dilectionis veluti conformitatem habuimus, primas in omnibus Unigenito tribuentes, naturæ divinæ in nobis bonitatem mirantes.„ Et l. 2. in Joan. ad illa verba: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me,* scribit: „Ait; missum se à Deo & Patre vel ratione Incarnationis, per quam mundo cum carne illuxit beneplacito & nutu Patris, vel ut Verbum ex Genitoris mente prodiens quodammodo; & voluntatem suam adimplens, non ut alienæ voluntatis executor assumptus, sed ipse cum sit & Verbum vivens, & manifestissima Patris voluntas, promptè servans eos, qui perierunt. -- Cum ergo Filius sit bona Patris voluntas, perficit opus ejus, salutem tribuens credentibus in eum.„ Et l. 10. in Joan. „Cum Deus & Pater genus humanum salvare voluis-

» fet, & hoc creaturarum vires longè excederet, » ipse dispensationem illam subiit, quippe cum » Dei & Patris voluntatem Deus Unigenitus » agnosceret. Sic autem in subjectionem voluntariam ultro descendit, ut etiam ad mortem usque eamque turpissimam se demitteret. Habes igitur in subjectione voluntaria voluntatem » Patris adimpletionem, quas loco mandatorum » Filius apud se esse ait: Nam cum Patris consilia, utpote ejus Verbum intelligat, ejusque » profunda scrutetur, voluntatem ejus ad opus » perducit, mandati loco eam habens, atque ita „ humano more eam nuncupans.

III. Gregorius Nyssenus Orat. 2. adv. Eunom. „Factus est obediens propter amorem & benevolentiam.

IV. S. Damascenus l. de forma hominis: „ Obtemperabat ultro paternæ voluntati voluntas humana.„ Et l. de duabus voluntatibus: „ Improbat mala, & sequitur bona Christus, dum „ paternæ voluntati ut homo liberè obsequitur. „ Delectus enim liberæ est voluntatis. Sed non „ nostro more consultabat aut judicabat, nec „ duorum contrariorum, virtutis nempe & vitii, „ rationem ducebat, aut eorum notitiam habebat, sed solius boni, in quo est decretum divinæ voluntatis.

V. S. Anselmus in l. 1. cur Deus homo, c. 9. „ Non coëgit Deus Christum mori, sed ipse „ sponte sustinuit mortem, non per obedientiam „ servandi vitam, sed propter obedientiam servandi justitiam. -- Ipse cum Patre sanctoque „ Spiritu disposuerat, se non aliter, quàm per „ mortem celsitudinem omnipotentiæ suæ ostensurum mundo.

Ex omnibus colligitur, voluntatem moriendi in Christo fuisse liberam, quæ libertas fundabatur in amore tam humanæ naturæ quàm ipsi Verbo circa objectum beneplaciti divini libero.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Si præceptum moriendi in Christo explicatur per mandatum amoris conditionatum, sequitur, illud mandatum non differre à mero consilio. Sed hoc non potest dici. Ergo. Min. patet, quia consilium propriè loquendo non potest vocari præceptum aut mandatum; neque potest quis dici exercuisse actum obedientiæ, qui præcise secutus est consilium, v. g. paupertatis Evangelicæ, aut castitatis perpetuæ. *Maj. prob.* Non potest ostendi discrimen inter ejusmodi mandatum amoris, & inter purum consilium.

2. Non potest ex Scriptura ostendi, quod hic modus tendendi conditionatus: Si me eximiè amas, exhibe mihi tale obsequium, vocetur præceptum seu mandatum. Ergo non est mandatum.

3. Hæc propositio conditionalis; *si me eximiè amas*, relatè ad Christum à Patre est de conditione necessaria, ac similis isti, si es homo. Ergo hoc mandatum, sicut in aliis propositionibus quoad modum tendendi conditionatis sub conditione necessaria de præsenti, vel præterito contingit, est objectivè potius absolutum quàm conditionatum. *Ant. prob.* Christus non est liber ad eximiè amandum Deum, vel non eximiè amandum; imo ex sua natura necessitatur ad perfectissimè amandum Deum, & amore intensissimo.

4. Si daretur alia libertas in Christo ad moriendum, quàm præcise libertas à coactione, illa libertas deberet dari ex parte Verbi, & non ex parte naturæ seu voluntatis humanæ, sed ex parte Verbi. Sed hoc non potest dici. Ergo. Maj. patet, quia, cum natura seu voluntas humana in Christo non habeat propriam subsistentiam, non potest exire in ullum actum, nisi ut determinata à Verbo, quod tribuit subsistentiam. *Min. prob.* Verbum non habet voluntatem ad extra sibi propriam, quæ non sit communis toti Trinitati. Ergo. *Ant. prob.* omnis actio ad extra est communis toti Trinitati.

5. Si daretur libertas indifferentiæ in Christo & vera obedientia; sequeretur, quod Verbum obediret Patri, sed hoc non potest dici. Ergo min. prob. omnis voluntas ad extra in Deo est naturæ divinæ & communis toti Trinitati. Ita docet cum omnibus Theologis S. Damascenus in l. *de duabus voluntatibus*, his verbis: *Quoniam una est Christi persona, unusque Christus, sit, ut unus sit, qui utraque natura velit: ita tamen, ut qua ex parte Deus est, imperet, & censeat: ut autem homo, pareat & obediat; imperet quidem ut Deus paterna, divinaque voluntate cum Patre & Spiritu; ut autem homo nostra voluntate divinæ suæ ac paternæ voluntati morem gerat. Neque enim Patri obedit divina sua voluntate; quippe cum divina voluntas nec pareat nec imperium recuset. Quandoquidem hæc sint, ut ait Gregorius Theologus* (Nazianzenus) *eorum, qui in ditione alterius sunt, & servi formæ, quam ex nobis Christus assumpsit.*

Respondeo

Ad 1. n. maj. ad prob. n. a. & dico, *mandatum amoris* conditionatum, & *purum consilium* differre in hoc; quod mandatum amoris in mandante præsupponat voluntatem absolutam efficacem obtinendi aliquod bonum proprium quocunque demum medio sibi possibili cum præparatione omnium mediorum ac donorum ad obtinendum speratum assensum ab amante, & cum recusatione specialium præmiorum destinatorum amori heroico sperato ab amante. Econtra merum consilium principaliter non tendit in bonum proprium, non habet pro objecto bonum absolutè præstabilitum & obtinendum quocunque media, non præordinat omnia media, quæ præbeant fundamentum spei ad assensum, nec prædestinat præmia recusanda titulo defectus amoris eximii. Itaque Deus Pater ut principium Verbi & Spiritus Sancti communi cum ipsis voluntate specificata à Patris personalitate decrevit redimere genus humanum per mortem alicujus naturæ humanæ assumendæ ab una personarum divinarum. Verbum communi etiam voluntate Trinitatis, specificata tamen à Verbi personalitate se obtulit liberè ad assumendam naturam humanam; nam posito decreto divino communi, unam ex personalitatibus uniendi cum natura humana adhuc erat Deo liberum, unire naturam humanam potius cum hac, vel illa persona divina, & ideo erat ponibilis actus liber in Deo, adæquatè

quatè intrinsecus, seu identificabilis Deo, & specificabilis à personalitate Verbi vel Spiritus Sancti. Facta autem ea oblatione Verbi ad sui unionem adhuc possibilis erat alius actus liber in Deo, quo Verbum communi quidem voluntate, attamen specificata per suam personalitatem in esse relativo, voluit uniri potius huic numero naturæ humanæ, quàm alteri individuo, & potius cum uno individuo, quàm pluribus. Facta autem unione ad naturam humanam individuam, licet non daretur possibilitas peccandi aut possibilitas omittendi actus amoris per se Deo debitos, dabatur tamen tam ex parte Verbi, quàm ex parte naturæ humanæ indifferentia seu libertas ad determinatos gradus, vel determinatum genus amoris. Deus enim, cum essent possibiles infiniti gradus amoris, & infinitæ species amoris, non necessitabatur ad exigendum gradum potius hunc vel illum, speciem potius hanc vel illam, aut omnium gradum vel genus perfectissimum, utpote impossibilem. Omnes enim gradus vel species amoris sunt bonum finitum, ad quod eligendum nec Deus necessitatur, nec voluntas humana. Itaque Verbum poterat liberè specificare communem voluntatem Trinitatis subsistentiam Verbi extendendi ad actum humanæ naturæ bonum, intrinsecè contingentem, specificativum formaliter in genere determinativi formalis tam causæ primæ effectivæ tribuentis rationem genericam entis, quàm causæ intrinsecæ subsistentialis tribuentis indifferenter subsistentiam cuivis actui bono naturæ humanæ, & præmoventis ad exercitium actus. Itaque suppositis iis, quæ in Tract. *de Deo*, circa decreta divina prædeterminantia dicta sunt, præter illam mutuam prioritatem, quæ datur in actibus liberis aliorum hominum quoad *esse* genericum seu existentiam, & speciem seu formale actus, datur in actibus Christo liberis duplex mutua naturæ prioritas; Una videlicet inter *esse*, & speciem actus, ubi ad esse prædeterminat Deus ut Author naturæ, ad speciem creatura; Altera inter *subsistentiam* Verbi, & speciem actus humani, ubi ad *subsistentiam* pro priori determinat voluntas Verbi Trinitati communis & specificata à Verbo; ad speciem autem formaliter, liberè ac contingenter voluntas humana in Christo intra limites bonorum non necessitantium. Hoc est meum Systema de libertate Christi, quod non potest intelligi, nisi intelligantur ea, quæ scripsi in Tract. *de Deo*, circa actus liberos Deo adæquatè intrinsecos, & circa decreta prædeterminantia ad esse seu existentiam actuum humanorum pro priori naturæ ad determinationem creaturæ formalem, quæ etiam est natura prior, in genere videlicet determinativi ac specificativi formaliter.

Ad 2. n. a. Nam S. Joannes 1. Ep. c. 3. v. 22. hæc duo pro eodem sumit, facere mandata Dei, & facere ea, quæ sunt placita ei. *Quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* Filius Lucæ 15. v. 29. ad patrem suum dicit: *Tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi.* Licet verosimile non sint, ea mandata fuisse rigorosa sub comminatione exhæredationis, vel alia distincta à mandatis amoris. Quando Dalila ad Samsonem Judicum 16. v. 15. dixit: *Quomodo tu dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* non erat locutio consilii, sed dominationis fœmineæ.

Ad 3. n. a. modus enim amandi non importat necessitatem pro priori ad mandatum absolutum. Ad Prob. d. Christus necessitatur ad perfectissimè amandum Deum amore formaliter perfectissimo. c. materialiter perfectissimo. n. amor formaliter perfectissimus reperiebatur in quovis opere theandrico de se etiam vilissimo, v. g. commestione, dormitione, in quantum illud perfectissimè erat idoneum ad finem contingenter electum. Sic, eum Christus in Oliveto consideraret omnia mala ex scandalo crucis usque ad finem mundi oritura, poterat materialiter videri melius aliud Systema salvationis, in quo non tot perirent. Electionis ergo liberæ esse poterat acceptatio oblatæ crucis ex motivo amoris heroici, qui etiam in alio systemate æquè heroicus esse poterat diverso modo. Cæterum quod Christus fuerit necessitatus ad amorem intensissimum, concedi non potest, cum ne quidem sit possibilis.

Ad 4. e. maj. n. min. & dico, quod detur libertas à necessitate tam ex parte Verbi, quàm ex parte naturæ humanæ ad varias species & systemata bonorum, quæ se habent per modum excedentis & excessi, prout in Responsione ad 1. ostensum est.

Ad 5. d. Sequeretur, quod Verbum obediret Patri agendo personam inadæquatè diversam ab ea, quæ sub una voluntate communi est consubstantialis Patri. c. agendo personam adæquatè eandem. n. Sic etiam Rex, Princeps, vel Magistratus potest simul agere personam præcipientis, & obedientis. In quantum enim cum assensu Consortis imperii ederet leges pro vasallis regni, pro tutoribus, pro testibus, &c. geret personam mandantis; in quantum verò habet ratione suæ familiæ feuda, tutelam, vel munus testis in ultimis voluntatibus, in tantum subjicitur legi. Itaque sive mandatum moriendi in Christo rigorosum sive mandatum amoris sit, Verbum tanquam personæ consors Imperii in Trinitate potest habere personam præcipientis, & tanquam directivum naturæ humanæ in unitatem personæ secum assumptæ potest habere personam liberè obedientis.

Dices: Pertinet ad perfectionem amoris formaliter spectatam, ut mens amantis perfectissima assimilatione sine ulla dissimilitudine se conformet intentioni & desiderio amati. Ergo, cum Christus necessitetur ad amandum Patrem amore formaliter perfectissimo, etiam necessitatur ad amplexum crucis, quando ex mandato amoris conditionato intelligit, præ omnibus aliis obsequiis suæ intentioni paternæ & desiderio præplacere amplexum crucis.

Respondeo. e. a. d. c. si Pater cœlestis ostendat, amplexum crucis sibi præplacere præ omnibus obsequiis infinitis possibilibus. c. si tantùm ostendat, sibi eum amplexum præplacere præ aliis obsequiis finitis. n. Suppono, in Deo non dari infinitum objectivum in mente Dei collectivè sumptum. Itaque fieri nequit, ut Deus dicat,

dicat, hoc systema crucis comparativè ad infinita systemata salvationis possibilia est evidenter melius, quin se alia habeant in bonitate per modum excedentis & excessi. Itaque cum Deus inter infinita systemata possibilia systema crucis liberè eligat, illudque mandato amoris conditionato proponat, *si se eximiè amet*, non potest hunc modum amandi proponere, ut unicè eligibilem, sed tantùm ut eligibilem inter infinitos modos amoris eximii, perfectione materiali se habentis per modum excedentis & excessi.

Dices 2. Si ita se habet mandatum amoris conditionatum, sequitur, quod hoc mandatum vel dependeat à gratuita acceptatione Christi, vel ab omissione petitionis pro dispensatione vel commutatione; & sic conclusio redit vel in sententiam Lugonis, vel in eorum sententiam, qui dicunt, Christum voluisse, ut sibi imponatur vinculum rigorosi mandati. Ergo non est opus ista nova explicatione per mandatum amoris.

Respondeo. n. a. omnes enim hæ sententiæ admittunt rigorosum mandatum, quod declinatur in nostra sententia. Rationes autem recusandi omnes hos modos sunt; quia, si rigorosum mandatum præcedit, ejus naturæ repugnat, ut dependeat ab acceptatione; & si petitur sibi imponi mandatum ad actum particularem determinatum cum omnibus circumstantiis, tantùm præcavetur mutabilitati voluntatis propriæ circa executionem de futuro rei arduæ, quæ volubilitas consilii & mutabilitas in Christo non habet locum. Si autem petitur mandatum superioris ad actum de præsenti, v. g. ad pronuntiandum reverenter nomen Jesu, mandatum illud, eum sit potius imperatum, quam imperativum, non habet rationem mandati rigorosi, nec ea obedientia, quæ ejusmodi mandato præstatur, est in effectu, sed in affectu. Sed nec sententia Lugonis placet; quia dispensatio, quæ est exemptio unius vel paucorum ab onere plurimorum ob causas particulares, non habet locum in mandatis, quæ respiciunt personas particulares relatè ad circumstantias particulares, sed in legibus, quæ feruntur pro communitatibus in genere, quin omnes particulares circumstantiæ prævideri aut aptè determinari possint.

Objicitur 2. Martyres dicuntur liberè subire mortem, etiamsi à tyrannis necessitentur ad subeundam mortem. Ergo etiam Christus posset dici liberè mori, etiamsi ad moriendum necessitetur vi præcepti rigorosi.

2. Si præceptum non fuisset rigorosum, ac independens à libertate Christi, non potuisset Apostolus ad Rom. 8. v. 32. scribere: *Deus etiam proprio filio suo non pepercit*. Debuisset enim potius scribere: *Filius sibi ipsi non pepercit*.

3. Si præceptum illud non fuisset rigorosum, sed conditionatum, habuisset hunc sensum: *Si vis crucifigi, crucifigere*. Sed hoc est absurdum. Ergo.

4. Si præceptum hoc non fuisset rigorosum; Christus in Oliveto non debuisset dicere: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*; sed potius debuisset dicere: *etiamsi possibile sit, ut transeat à me calix iste, volo tamen, ut tua potius, quàm mea voluntas fiat*. Sed hoc non potest dici.

Respondeo

Ad 1. dist. dicuntur liberè subire mortem, si obediendo tyrannis possunt se liberare à morte. c. si se non possunt liberare. *subdist*. dicuntur liberè subire mortem, ita ut mors sit tantùm libera in sua causa necdum retractata. e. ita ut sit libera in se. n.

Ad 2. dist. non potuisset hoc scribere, nisi mortem Filii sub conditione amoris eximii eum directa ordinatione & præparatione mediorum à Filio exegisset. c. secus. n. Apostolus utrumque testatur; quod nempe Pater Filium tradiderit, & quod Filius seipsum tradiderit; hi autem duo textus melius concordari nequeunt, quàm in nostra sententia.

Ad 3. n. maj. Pater enim positivè postulavit mortem Filii sub conditione amoris eximii determinati circa hoc objectum, atque in eum finem ordinavit omnia media naturæ & gratiæ. Modus ergo tendendi non erat indifferens, qualis in objectione adducitur.

Ad 4. n. maj. quia possibilitas amotionis calicis non dependebat à voluntate Filii, sed à convenientia rei in oppositum, & confirmatione decreti paterni. Sensus enim illorum verborum erat iste: Si datur aliud Systema gratiæ, æquè conducens ad gloriam divinam, in quo non tot ex scandalo crucis & ob persecutiones perpetuas justorum perituri, & amici mei non tam atrocia à mundo passuri sunt, & si necdum hoc Systema Decreto immutabili à te stabilitum est, impone mihi potius aliud Systema gratiæ, quàm istud. Si autem præcessisset Decretum rigorosum, non decuisset ejusmodi precum oblatio. At quia erat mandatum amoris, locus humili deprecationi eum perfecta resignatione relictus est.

Dices 2. Ex dictis sequeretur: 1. quod Christus ignorasset convenientiam vel inconvenientiam Systematum gratiæ possibilium, & mobilitatem vel immobilitatem consilii divini super salutem generis humani. Sed hoc non potest dici. 2. quod in actionibus ac electionibus theandricis determinatio voluntatis humanæ in Christo præcederet determinationem Verbi. Sed hoc non potest dici, cum actiones sint suppositorum.

Respondeo

Ad 1. dist. sequeretur, quod hæc Christus quoad naturam humanam ignorasset notitia experimentali seu actuali. e. habituali. m. Sensus patebit ex dicendis in sequenti quæstione. Christus enim in actu secundo circa multa objecta noluit uti sua scientia habituali omnium possibilium, sed passus est se dirigi per scientiam experimentalem ex speciebus finitis acquisitis vel infusis.

Ad 2. dist. sequeretur, quod determinatio voluntatis seu naturæ humanæ in Christo præcederet determinationem Verbi quoad specificationem actus liberi. c. quoad existentiam & subsistentiam actus. n. Tota & unica clavis in hac materia, ubi agitur de libertate Christi, consistit in eo, quod detur duplex mutua naturæ prioritas in actionibus theandricis Christo quà homini liberis. Una est inter prædeterminationem Dei ad esse seu existentiam actus, & specificationem actus.

actus. Altera est inter prædeterminationem ad subsistentiam actus in hoc subjecto, & inter specificationem actus. Quoad specificationem actus intra fines bonorum aliunde non necessarios præcedit in genere causæ formalis determinatio voluntatis humanæ in Christo utramque prædeterminationem divinam tam ad existendum, quàm ad subsistendum. Sed in genere causæ efficientis præcedit prædeterminatio Dei ut Authoris naturæ ad esse actuum humanorum; & in genere causæ subsistentialis præcedit prædeterminatio Verbi ad subsistentiam actus theandrici in hoc subjecto. Utraque autem ista prædeterminatio est de se indifferens ad speciem actus, dummodo sit bonus, & decens personam Christi. Hæc doctrina sola concordat innumeros textus Patrum, & Scripturæ, quorum aliqui adscribunt libertatem indifferentiæ Christo quà homini; alii autem imperium Verbo in naturam humanam tanquam in instrumentum divinitatis, prout videri potest in *Petavio* & *Thomassino?*

QUÆSTIO III.

Qualis fuerit scientia in Christo?

NOTANDUM 1. Duplicem dari in homine scientiam; nempe *habitualem* & *actualem*. HABITUALIS est præcontinentia specierum aut principiorum, & potentia se reflectendi ad has species vel principia. Talis scientia habitualis v. g. Grammaticæ, Musicæ, &c. reperitur etiam in dormiente, orante, comedente, &c. quo homo totaliter abstractus est circa alia objecta, ut non nisi cum quadam difficultate recogitet eorum, quæ latent in memoria. Scientia autem actualis est, dum homo actu suam attentionem convertit ad species vel principia latentia in memoria.

NOTANDUM 2. Simili modo in Christo distingui à Theologis eam notitiam, quam habuit ex unione sui ad Verbum; & eam, quam habuit per species finitas partim naturæ humanæ infusas, partim ex visu, auditu, tactu, gustu, odoratu, acquisitas. Unde in Christo distingui debet duplicis generis scientia habitualis. Unum genus scientiæ habitualis erat, in quantum natura humana in Christo uti poterat speciebus infusis & acquisitis, quandocunque voluit, etsi actualem attentionem ad eas non semper converteret. Alterum genus scientiæ habitualis erat, in quantum natura humana in Christo unita Verbo potest uti omniscientia divina, quandocunque & quomodocunque voluerit, exprimendo in sua anima & cognitione speciem impressam aut expressam de objecto scibili, aut se convertendo ad species seu ideas existentes in Deo.

NOTANDUM 3. In cognitione seu intellectione distinguendas esse duas res, formaliter inter se distinctas; nempe ipsam *tendentiam mentis*, quæ est actio vitalis essentialiter immanens, in ipsum objectum intentionale, quod cognoscitur; & hoc ipsum esse objectivum intentionale, in quod tenditur. Hoc enim posterius vel est ipsa *essentia* rei cognitæ, prout contingit circa actus internos, utpote per suammet essentiam à nobis cognitos, vel species impressa, ad quam se mens convertit, vel species expressa, vel ipsa essentia divina continens Ideas omnium rerum, & loco speciei impressæ aut expressæ immediatè applicata intellectui creato.

DICO 1. Humanitas Christi nec intelligit nec intelligere potest per intellectionem increatam Verbi.

PROBATUR 1. Intellectio formaliter dicit actionem mentis vitalem procedentem ab intrinseco, & essentialiter immanentem. Ergo non potest esse ab extrinseco. *Ant. prob.* Intellectio formaliter dicit tendentiam mentis in objectum cognoscibile, prout à propria cujusvis experientia interna animi notum est.

PROBATUR 2. Humanitas Christi nec vult nec potest velle per volitionem increatam. Ergo nec potest intelligere per intellectionem increatam. *Ant. patet* ex dictis, & definitionibus Ecclesiæ contra Monothelitas, relatis Quæst. 1. hujus Disp.

DICO 2. Potest tamen intellectus creatus in Christo omnia, quæ vult, intelligere sine specie creata impressa vel expressa.

PROBATUR. Datur in beatis visio intuitiva Dei per essentiam sine specie creata. Ergo etiam in iis potest dari visio intuitiva omnium Idearum divinarum per essentiam sine creata specie. Atqui si talis visio potest dari in beatis, etiam dari poterit in Christo. *Ant. patet* ex dictis in Tract. *de Deo.* Quod autem Christus habuerit visionem beatificam, patet ex dicendis.

DICO 3. Christus toto vitæ tempore etiam quoad naturam humanam habuit visionem intuitivam Dei eo modo, quo illam habere voluit.

PROBATUR hæc Conclusio. Christus ratione unionis hypostaticæ habuit jus ad perpetuam visionem intuitivam Dei, nec decuit, ut ea visione intuitiva Dei vel unico momento abstineret. Ergo. *Ant. prob.* Ea visio intuitiva Dei erat ipsi pro luce directiva in omnibus actionibus ad exequendos exactissimè nutus beneplaciti divini, juxta illud Joan. 5. *Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille facit, & Filius similiter facit. Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.*

PROBATUR 2. Christus Joan. 3. de se ut homine loquente Nicodemo: *Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, nisi fuerit Deus cum eo, respondit: Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur; nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cœlo.* Hæc non essent vera, nisi Christus corpore constitutus in terra saltem per visionem beatificam juxta modum visionis intuitivæ sibi libitum posset dici esse in cœlo. Item Joan. 1. v. 18. dicitur: *Veritas per Jesum Christum facta est; Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* In quo textu pro ratione veritatis Evangelicæ redditur, quia Christus videt Deum.

PROBATUR 3. ex sensu Theologorum; de quo Petavius de Incarnatione l. 11. c. 4. n. 2. & 8. sic scribit: *An ab eo momento, quo existere cœpit ani-*

ma Christi, compos supremæ beatitudinis, & perspicua Dei visionis fuerit, nulla est hactenus, non dicam inter Doctos & Theologos, sed inter Christianos ea de re controversia, affirmantibus universis, nullum, ex quo primum extitit, vacuum præteriisse tempus homini Christo ab intuitu divinitatis. Tametsi nec Scripturæ hoc disertis verbis, expressisque testificentur; & paucissimi ex antiquis Patribus illud aperte tradiderint in terminis. Quamvis in quibusdam tum illius, tum horum sententiis quoad sensum contineri videatur. - - - Quocirca pauci occurrunt modò Veterum, qui disertè aperteque dicant, Christum quà hominem, cum in utero gestaretur, sive ante resurrectionem, supremæ felicitatis, hoc est, visionis divinæ, compotem esse factum. Facile tamen assentior gravissimis ac doctissimis Theologis, qui licet nondum hoc ad fidei dogma pertinere putent, quod locus in Scriptura sit nullus, qui id perspicue declaret, nec ullius auctoritate Synodi Generalis, aut alia quadam fidei regula decretum, & constitutum fuerit, errori tamen & hæreticæ impietati proximum censent, negare, Christi animam etiam mortali circumfusam corpore Deum rectâ vidisse facie, summamque felicitatis æternæ gradum attigisse. Quod quidem, omissis cæteris rationibus, quas non improbabiles (ex Scriptura & Patribus) *reddidimus, una mihi res, credo & aliis, persuadere solet, admirabilis omnium in eo Christianorum, Doctorum pariter, imperitorumque consensio. Nam nemo hactenus bona fide Christianus, id est, Catholicus Scriptor extitit, qui de Christo aliter existimaret, quàm eum nunquam, ex quo vivere cœpit, divino aspectu caruisse, nec hodie quisquam est, rudis licet litterarum & idiota, qui, utcunque, quid Christus sit, noverit, non idem de eo rogatus respondeat. Quæ communis singulorum Ecclesiæ membrorum professio illam esse totius corporis sensum certissimè demonstrat. At verò, qui toti adest Ecclesiæ & per totum corpus infunditur, veritatis Spiritus, idem singulos regit, iisque lucem suæ veritatis aspirat; ut quod singillatim universi firma & inconcussa persuasione, non ex composito, perceperint, id illius instinctu Spiritus exceptum, & eorum animis consignatum meritò videatur.* Ita vere & eleganter PETAVIUS de communi sensu Theologorum, ubi nulla alia uniformitatis apparet causa universalis.

PROBATUR 4. authoritate quorundam Patrum.

I. S. AUGUSTINUS l. 4. de Consensu Evang. c. 10. & ult. ad illa verba: *Si sic eum volo manere donec veniam*, scribit: *Mihi videtur, alto documisse mysterio, istam ipsam Joannis Evangelicam dispensationem* (doctrinam de Divinitate Verbi) *qua in lucem liquidissimam Verbi sublimiter fertur, ubi Trinitatis æqualitas & incommutabilitas videri potest, & qua maximè proprietate distat à cæteris homo, cum susceptione Verbum caro factum est, perspicuè cerni, cognoscique non posse, nisi cùm ipse Dominus venerit.* Hoc loco S. Augustinus tria distinguit & docet: nam *primò* ostendit, Evangelium S. Joannis perfectè intelligi non posse ante adventum Domini in fine mundi. *Secundò* S. Joannem, dum scriberet tam sublimia mysteria, participasse aliquid de luce, in qua videtur Trinitas. *Tertiò*, ipsam autem lucem, in qua videtur Trinitas, soli homini Christo propriam esse. Idem l. 83. qq. quæst. 65. agens de Sudario Lazari, quod erat super faciem, ait: *Post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. Quantum autem intersit inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, & cæteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur, id est, etiam renata* (per Baptismum) *anima nisi resolutione corporis libera ab omni peccato & ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum & in ænigmate videt dominum. Illius autem linteamina & Sudarium, qui peccatum non fecit & nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse solus in carne linteis implicatus non est, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret.*

II. *S. Leo* Epist. 11. ad Julianum. *Cum incommutabilis natura Deitatis tota sit semper in sua essentia, sic naturam assumptam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat.*

III. *S. Fulgentius*, cum Ferrandus Diaconus illi proponeret hanc quæstionem; „Utrum „anima Christi susceptricis Deitatis plenam „habeat notitiam; & quemadmodum se norunt „Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ita idem Filius seipsum per id, quod homo est, in eo „quod Deus est noverit, ex utraque atque in „utraque substantia totum sapiens Patrem? *Respons.* 3. *sic respondet:* „Si animæ Christi non „ad mensuram dedit Deus Spiritum, necesse est, „ut nihil minus habeat sapientiæ, nihil minus „scientiæ. Ac per hoc ad ejus quoque animam „pertinet illa perfectionis prærogativa, quam „ipsi Apostolus assignat dicens: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. „In quantum Spiritus datur, in tantum cognitio „divinitatis accipitur. Ubi autem Spiritus non „est mensura, necesse est, ut plena sit divinitatis „immensa notitia. Non accipit Spiritum Sanctum Divinitas Filii. Restat itaque, ut anima „Christi Spiritum Sanctum accipiat, quem tamen „non ad mensuram accipit, sed totum accipit. „Ubi enim mensura non esse dicitur, plenitudo „perfectionis, & perfectio plenitudinis invenitur. Nescio, quomodo accipimus, unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, si illi „plenitudini gratiæ non in esse veritatis plenitudinem æstimamus. Non autem plenitudo veritatis habetur, quando veritatis ipsius aliquid „ignoratur, quod absit, ut de Christo sentiamus. „Quàm verò perdurum est, & à sanitate Fidei „penitus alienum, ut dicamus, animam Christi „non plenam suæ Deitatis habere notitiam, cum „qua natura unam creditur habere personam: „Non enim existimo, illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est „persona cum Verbo, quam sic Sapientia suscipit, ut eadem sapientia ipsi sit. Quod si anima Christi minorem habet in aliquo divinitatis „suæ notitiam, non in se habet totam sapientiam; participium ergo habet, non ipsa est Christus, si partem habet notitiæ divinitatis suæ. „Quis dicat, animam Christi aut minus percipere veritatis, aut minus habere aliquid charitatis? Ipse autem Christus est veritas. Quomodo ergo illa anima minus in se notitiam veritatis habere dicitur, quæ ipsius veritatis anima „singulariter invenitur? Sicut Christus homo „singulariter habet, ut verus Deus sit, sic totam „divinitatem suam singulariter novit. Illi, in „quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non „potest ipsius plenitudinis plena non inesse notitia.

„ titia. Possumus planè dicere, animam Christi „ habere plenam notitiam Deitatis suæ. Nescio „ tamen, utrum debeamus dicere, quod anima „ Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodum seipsam divinitas novit? An hoc potius „ dicendum est, quia novit quantum illa; sed „ non sicut illa? Ipsa enim Deitas seipsam ita novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse, quod novit, illa autem sic totam Deitatem suam novit, ut ipsa tamen Deitas non sit. Deitas illa „ ipsa est naturaliter notitia sua; anima verò illa „ ab ipsa Deitate quam planè (plenè) novit, accepit ut noverit.' Hucusque S. Fulgentius. Plures ejusmodi textus ex S. Isidoro, S. Gregorio M, D. Bernardo, S. Hyeronimo, S. Eulogio, S. Damasceno, Dyonisio, Alexandrino, Hugone & Richardo à S. Victore adducit Thomassinus Dogmatum Theolog. l. 7. c. 2. 3. & 4.

DICO 4. Anima Christi in Verbo habitualiter non solùm cognoscit omnia futura, sed etiam omnia possibilia, & conditionatè futura.

PROBATUR pro hac conclusione urget eadem ratio & authoritas, quæ urget pro conclusione præcedente; pro eadem etiam reperitur sufficiens authoritas Scolasticorum, nempe d. *Bonaventuræ* in 3. dist. 14. a. 2. q. 3. *Scoti*, *Gabrielis*, *Almaini*, *Marsilii*, nec datur ratio, hanc scientiam in Christo restingendi. Ergo.

DICO 5. In Christo præter scientiam, quæ habebatur per conversionem mentis in Verbum actualem vel habitualem, dabatur etiam scientia *infusa* rerum ad Christum pertinentium, & experimentalis *acquisita* per sensus vel ratiocinium: & utraque poterat esse actualis, vel solùm habitualis, prout ipsi libuit.

PROBATUR Ex una parte Christo nihil humani denegandum est, quod nullam involvit imperfectionem moralem; ex altera parte, nisi admittatur hæc triplicis generis scientia, nempe *visionis* intuitivæ in Verbo per liberam conventionem mentis ad Verbum, *infusa* per unam vel plures species, & *acquisita*, difficulter possunt conciliari textus Scripturæ & Patrum, ad speciem sibi invicem contrariantes, prout ex solutione objectionum patebit.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Contra 3. Conclus. Si anima Christi habuisset visionem intuitivam Dei, jam fuisset beata in hoc mundo. Sed hoc non potest dici. Ergo. Maj. patet ex illo Christi Joan. 13. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te.* Min. prob. Lucæ 24. v. 26. dicit Christus: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.*

2. Etiamsi Patres loquantur de visione Dei, possunt tamen explicari, quod anima Christi tantùm habuerit eam visionem per communicationem idiomatum, sicut etiam de Christo dicitur, quod fuerit ab æterno, & de anima Christi, quod fuerit & sit omnipotens.

3. Argumenta ex Scriptura & Patribus desumpta plus non probant, quàm quod anima Christi habuerit visionem intuitivam in actu primo, sicut habuit omnipotentiam in actu primo etiamsi non semper usus fuerit omnipotentia sua in actu secundo. Sic etiam homo est rationalis, admirativus, visivus, etiamsi non semper utatur in actu secundo his potentiis.

4. Si anima Christi habuisset perpetuò visionem intuitivam Dei, vel ea visio fuisset comprehensiva omnium perfectionum reperibilium in Deo, vel præcisiva? neutrum potest dici. Ergo. Min. prob. si dicatur primum, sequeretur, quod visio illa, quæ erat aliquid creatum, fuerit æqualis visioni divinæ, qua Deus cognoscit seipsum, & quod fuerit ens actu infinitum, distinctè in esse repræsentativo continens perfectiones infinitarum rerum cognosibilium virtualiter inter se distinctas, quod est impossibile. Si autem dicatur, quod sit præcisiva, assignari posset, quas perfectiones divinas anima Christi agnoverit, quas non? Et sequeretur, quod anima Christi saltem aliquas perfectiones divinas non agnoverit.

5. Omnis visio intuitiva Dei ex se perpetua ac indestruibilis est essentialiter beatifica. Sed visio Dei, quæ dabatur in anima Christi tempore passionis, præsertim in cruce, non erat beatifica. Ergo Min. prob. Est contra sensum communem fidelium, quod anima Christi tempore passionis, præsertim in cruce, gavisa sit summa beatitudine & delitiis summis.

RESPONDEO

Ad 1. dist. Fuisset beata beatitudine accidentali n. beatitudine essentiali *subdist.* beatitudine essentiali spectata in se. c. spectata in suis proprietatibus, & effectibus. n. Beatitudo essentialis in se spectata consistit in intima unione cum Deo per claram visionem & amorem reciprocum; & hanc Christus semper habuit, etiam in cruce. Sed connaturales proprietates & effectus hujus beatitudinis sunt voluptas,gaudium,delitiæ, suavitas, consolatio,& dulcedo &c. quæ in animam diffunduntur. Dico proin, quod Christus hos effectus beatitudinis in hoc mundo parcissimos habuerit, & tempore passionis, præsertim in cruce omnino nullos. Id enim monstrant illi textus Scripturæ, in quibus dicitur: Matth. 27. v. 46. Marci 15. v. 34. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Et 14. v. 33. *Cœpit pavere & tædere*; & ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem; & orabat; ut si fieri posset, transiret ab eo hora.* Et Matth. 26. v. 37. *Cœpit contristari & mœstus esse; Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad* MORTEM. Et Lucæ 22. v. 43. *Apparuit illi Angelus confortans eum; & factus in agonia prolixius orabat; & factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Et ad Hebr. 5. *Cum clamore valido & lacrimis offerens supplicationes ad eum, qui posset illum salvum facere à morte exauditus est.* Et 12. v. 2. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, ut ne fatigemini.* Et Psalm. 87. v. 16. *Ego in laboribus à juventute mea; exaltatus autem* (in cruce) *humiliatus sum & conturbatus; in me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me.* Et Psal. 37. v. 18. *Dolor meus in conspectu meo semper.* Hæc & multa alia similia de passione Dominica pro populo Christiano ad imitationem patientiæ scripta non moverent rudem populum, si illis Theologus diceret, quod anima Christi in passione & in cruce simul nataverit in immenso mari delitiarum.

rum. Id enim vix unus caperet, & qui possibilitatem hujus rei caperet, non moveretur ad imitationem patientiæ, dum ipse destituitur omni solatio. Dein in hac doctrina mea omnia procedunt connaturaliter, nihil apparet fucatum aut hypocriticum in illo mœrore, pavore, sudore sanguineo, derelictione, prout plebi aut certè profanis videri posset factum in opposita sententia; datur etiam in hac doctrina connaturalis locus consolationi & confortationi Angelicæ; evitatur etiam perpetuum valde innaturale miraculum, quod cum perpetuis doloribus & cruciatibus internis Christi consocientur immensæ delitiæ: & magis salvatur præcipuum punctum salvationis totius generis humani, quod nempe per tribulationes & desolationes debeat perveniri ad gloriam, dum ipse Christus non solùm voluit passionibus mereri gloriam corporis, sed etiam illam beatitudinem accidentalem animæ, quæ consistit in præfatis effectibus visionis intuitivæ Dei, puta delitiis internis, quos Deus intuitivè visus animabus beatis, nisi aliud velint, ultrò & liberè infundit.

Ad 2. n. a. Quia ratio omnipotentiæ in suo conceptu formali non importat actionem vitalem ab intrinseco, sicut *scire*, *cognoscere*, *videre*, sed tantum ordinem existendi inter causam & effectum, qui ordo potest esse ab intrinseco.

Ad 3. tr. a. n. c. Non enim deest ulla conditio ad visionem Dei intuitivam in actu secundo, sicut homini deest objectum vel applicatio ad perpetuandum exercitium ratiocinationis, admirationis aut visionis. Hinc posset inverti argumentum. Si daretur perpetuum objectum proximè applicatum & finis sine ullo obice ratiocinationis & visionis, potentia ratiocinandi & videndi semper exirent in actum secundum. Ergo idem dicendum de potentia videndi intuitivè Deum in anima Christi.

Ad 4. Dico, quod anima Christi fuerit *habitualiter* comprehensiva totius Deitatis, & omnium in Deo reperibilium; *actualiter* verò fuit præcisiva. Habitualiter comprehensivam dico, inquantum ob unionem hypostaticam habuit potentiam, suam attentionem, quæ est actio vitalis finita ad objectum finitum, convertendi ad perfectiones divinas, quascunque vellet, per collectiones finitas in infinitum. Actualiter autem præcisivam esse affero, inquantum inter infinitas rationes seu ideas possibilium, quæ per identitatem reperiuntur in sapientia, providentia, omnipotentia, & bonitate divina, tantum potest attingere collectiones finitas in infinitum. Inter infinitas verò collectiones ajo ab anima Christi, dum erat in mundo, illas saltem cognitas fuisse actu, quæ ejus officium redemptoris attingerent, sicut in Tractatu de Deo ostensum est, quod beati in cœlo illa in Verbo videant acta hominum in terris conversantium, quæ ipsos attingunt. Sic ex Evangelio discimus, quod Christus viderit absentem Nathanaelem sub ficu Joan. 1. v. 48.; quod mulieris Samaritanæ totam vitam noverit Joan. 4.; quod occasione adulteræ secreta accusatorum peccata in terra scripserit, prout colligitur ex Joan. 8.; quod de extremis temporibus mundi & excidio Jerosolimæ, aliaque varia prænuntiaverit: imo quod etiam omnes homines à se redemptos in animo suo præsentissimos habuerit juxta illud Apostoli: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. v. 20. Hæc omnia Christus non solùm in Verbo, sed etiam in sua anima per scientiam infusam cognovisse censendus est, quia interrogatur ut homo, & loquitur ut homo, nec contra connaturalem modum agendi & contra exigentiam potentiarum internarum concurrendi ad actiones toti supposito communes otiatur ut homo.

Ad 5. dist. Est beatifica in actu primo. c. in actu secundo. *subdist.* quoad effectus visionis intuitivæ, statui redemptoris, & pacto inter Deum & Christum inito conformes c. non conformes n. sensus patet ex Responsione *ad* 1.

OBJICITUR 2. Est contra communem Doctrinam Theologorum, quod Christus non fuerit in sua anima gavisus perfecta beatitudine etiam quoad effectum immensæ voluptatis, & delitiarum, ac gaudiorum, quibus beati in cœlo potiuntur. Ergo hæc responsio non est admittenda. *Ant. prob.* Nisi hoc doceretur ab omnibus fere Theologis, frustra inter se contenderent, quomodo in Oliveto & in cruce summus dolor & summa voluptas potuerint in Christo simul stare. 2. Voluptas summa est connaturalis effectus visionis intuitivæ. Ergo non potuit impedire sine perpetuo miraculo, & sine violentia illi statui inferenda, cum tamen non sit verosimile, visionem intuitivam Dei fuisse in perpetuo statu violento. 3. Textus Scripturæ de derelictione & agonia possunt exponi de derelictione externa & agonia in sensibus externis. 4. Est possibile, stare simul summum dolorem & summam voluptatem. Ergo non est ratio exinde movendi difficultatem. 5. Si extitisset in anima Christi visio intuitiva Dei sine summis delitiis, sequeretur, quod tantùm vidisset Deum ut justum, non verò ut sibi bonum & beatificum. Sed hoc non potest dici. Ergo. Min. patet, quia visio intuitiva Dei per essentiam non est præcisiva. Maj. prob. Videre intuitivè in hoc loco idem significat ac experiri & gustare experimentaliter.

RESPONDEO

Ad 1. dist. Est contra communem Doctrinam Theologorum, ita tamen ut nostra fulta sit authoritate sufficiente, & ratione potiore c. secus. n. Pro nostra sententia stat Melchior Canus de Locis Theol. l. 12. c. 13. ubi sic scribit: O*lim coram celebri Theologorum concione diximus, quod sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret; sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suapte natura ex clara Dei notitia prodiret. Gaudium, fateor, ex Deo viso in voluntate necessariò nasci, non secus ac ex sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquando* (in morte Christi) *sol radios suos, & ne calefaceret, comprehensus est etiam* (in fornace Babilonica) *ignis. Quare nihil mirum videri cuipiam debet; si in hominum redemptione, per hominis unius dolores explenda, voluptas omnis reprimeretur, quam aliàs ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Nec obstat, quod beatitudinem Benedictus XII. definivit in visione & fruitione consistere; Christus autem beatus fuerit in via; quoniam illud Pon-*

tifex

tifex tradit de beatitudine consummata; Christus autem, licet habuerit essentiam beatitudinis, non tamen accidentia, quæ inde per se etiam consequuntur. Decuit enim, eum per passionem consummari. Quanquam & fruitio sine gaudio intelligi potest. Fruitur enim arboris suæ fructibus homo etiam tunc, cum per morbum nullam voluptatem capit ex eis. Ita Christus non solùm videbat, sed etiam fruebatur, quamvis derelictus à Deo, omnique penitus solatio destitutus non gaudebat. Quamobrem, ut cæteri Martyres, gaudium sibi futurum ante occulos ponebat, ut crucem sustineret, confusione contempta. Ita Canus. 2. S. AMBROSIUS ad Gratianum Imperatorem scribit: *Sicut suscepit voluntatem meam, ita suscepit tristitiam meam.* Et Lib. 10. in Lucam. c. de tristitia Christi. *Sequestrata delectatione divinitatis æternæ tædio meæ infirmitatis afficitur.* 3. LUCAS BRUGENSIS, proximè referendus. 4. FROMENTIERE, Episcopus in Gallia, in sequenti responsione adducendus. 5. VICTOR ANTIOCHENUS in Marcum.

Ad 2. dist. a. Est connaturalis effectus dependenter tamen ab actione libera Dei. c. independenter. n. In causis & effectibus supernaturalibus hoc peculiare est, quod licet habeant quandam exigentiam ad invicem, non tamen habeant efficacem ordinem ad invicem sine speciali decreto divino libero: & ideo si desit ordinatio particularis divina unius ad alterum, non propterea ad suspendendum effectum opus est miraculo; nec propterea causæ non ordinatæ efficaciter ad suos effectus erunt in perpetuo statu violento.

Ad 3. dist. a. Possunt ita exponi, ita tamen ut in nostra expositione omnia fiant connaturalius & conformius tam ad rerum naturas, quàm ad decreta divina præstabilita c. secus n. Deus generali decreto juxta S. Augustinum l. 14. de Civit. voluit omnes miserias humanas assumere, quæ ex charitate suscipi & imperari possunt. Unde etiam Joan. 11. v. 33. assumpsisse legitur voluntarium quendam mœrorem, ubi dicitur: *Infremuit spiritu, & turbavit seipsum, & lachrymatus est Jesus.* Cum hoc fecerit in resuscitatione Lazari, cur non idem præstiterit in passione, in qua præbere voluit exemplum perfectæ patientiæ? Certè hic modus exinanitionis longè magis servit ad fovendam pietatem fidelium, prout CANUS l. c. his verbis observat: *Est hoc eo plausibilius, quò majores in nobis igniculos excitat cum pœnitentiæ, tum amoris, tum gratitudinis.* Idem sensus longè planior est, prout colligitur ex interpretatione eorum Scriptorum, qui non serviliter inhærent Scholarum præjudiciis. LUCAS BRUGENSIS in c. 27. Matthæi sic scribit: *Ut quid dereliquisti me? Hoc est, reliquisti me inter manus inimicorum, nec liberans me ab his afflictionibus, nec consolans me, aut dolores, & mœrores influxus tui dulcedine mitigans. Non ergo derelictum se affirmat Christus, quo Deo irato exitium metuat, sed quod divina natura humanam relictam sibi ad omnem persecutorum libidinem exponat, nullum adferens auxilium corpori, nullum præbens solatium animæ; nec tantùm non liberet, verùm neque ulla consolatione sive exteriore sive interiore resocillet. Solet Deus sanctos suos in tribulatione constitutos certè interiori solatio ita levare, ut exteriora mala levius ferant. At Christo homini in cruce nec tantillum solatii permisit Deus fluere vel à divinitate, vel à superiori ratione humana in inferiores animæ vires, sed totum ipsum & animam & corpore expesuit tormentis crucis mortisque. Potiori ergo jure sic loqui potuit Christus. Deus repulisti nos & destruxisti nos. Psal.* 59, *qui nec inter labores consolatione recreatus, quod plerique alii, verùm sibi soli relictus, totusque hostium libidini expositus, ita ut ipso nullus unquam fuerit magis à Deo derelictus, ne nos derelinqueremur. Quare* VICTOR ANTIOCHENUS *in Marcum scribens inquit: Ostendit per hæc, æquè se omnes cum natura nostras miserias & languores in se transtulisse. Si quæratur, cur Christus* (suam desolationem internam) *verbis exprimere voluerit? Respondeo, eorum causa, qui in eum credituri erant in ipsum, Dominum declarasse naturæ suæ desiderium, ne existimarent, cruciatus ipsi toleratos fuisse aut nullos, aut interiori animi gaudio solatioque, quod à divinitate acceperat, ita mitigatos, ut non admodum acerbi ipsi fuerint.* Idem in c. 26. Matth. v. 38. *Christus ita tristitiam in appetitu sensitivo excitavit, ut eam permiserit & in reliquas animæ partes exuberare, totamque occupare animam, etiam voluntatem, id est, appetitum rationalem, non quatenus agit ut ratione præditus, sed quatenus agit ut natura. Nam ut deliberandi vi præditus, erat morti cupidissimus.* Ludovicus de FROMENTIERE, Episcopus d'Ayre Concione 2. habita in Paresceve sic habet: *Christus toto vitæ cursu inclusam servabat in anima gloriam, ne diffunderetur in corpus, nisi in transfiguratione: Et hoc erat perpetuum miraculum, quod illa gloria sic detineretur in statu violento, ne ex anima erumperet in corpus. Sed est aliud miraculum majus priore in passione dominica. Hic enim anima suam gloriam non solùm non communicat corpori, sed eam ne quidem communicat ipsis animæ potentiis. Gaudium, quod visio beatifica necessariò gustandum præbet cordi, exinde pellere non valet profundam tristitiam. Explico hoc miraculum verbis Ambrosii l. 10. in Lucam. Sequestrata omnis divinitatis æternæ delectatione nostræ infirmitatis tædio affectus est. Hinc ipsemet se privavit omni vel minima consolatione suæ beatitudinis, quam retinuit.*

Cornelius à Lapide scribens in c. 27. Matth. adducit similem expositionem ex S. Laurentio Justiniano, qui Tract. de agone Christi c. 8. docet: Christum hic conqueri, se à Deitate desertum, quia Deitas ei ad aliud non succurrebat, quàm ut eum sustentaret in tormentis.

Ad 4. tr. a. n. c. Sensus enim communis fidelium est, quod Christi anima in cruce non nataverit in mediis delitiis. Nec iste communis sensus fidelium non corrigitur per hoc, quod dicatur, partem inferiorem animæ fuisse destitutam omni consolatione; sed partem superiorem gavisam esse perfecta beatitudine. Populus enim, qui novit, animam esse spiritum indivisibilem, inter partem animæ superiorem & inferiorem non distinguit.

Ad 5. n. Maj Clarissimè enim vidit Deum æque bonum ac justum, sed justitiam vidit ac sensit, tanquam aliquid relativum ad præsens tempus passionis; bonitatem autem divinam vidit ac sensit ut relativam ad se pro alio tempore, nempe resurrectionis. Hinc Deitate etiam frnebatur tanquam causa pro hoc tempore effectiva afflictionum, pro alio tempore autem ut effe-

ctiva consolationum. Ex parte recti non dabatur præcisio; dabatur autem ex parte obliqui.

Dices. Ex dictis sequitur, quod anima Christi fruitivè fuerit unita in cruce integro mari deliciarum & immensæ voluptati, subsistenti in Deo, sese communicante per essentiam. Ergo ad beatitudinem perfectam in cruce anima Christi non indiguit ullo effectu creato beatitudinis, seu consolatione creata.

Respondeo. dist. sequitur, animam fruitivè fuisse unitam integro mari deliciarum sine apperceptione vitali relativa ad hanc perfectionem divinam formaliter ab aliis perfectionibus divinis distinctam. c. cum tali apperceptione seu gustatione ac sensatione interna. n. Itaque actio intellectiva animæ sistebat quidem totam Deitatem sibi intime præsentem, sed altera actio vitalis animæ, quæ est quædam gustatio ac sensatio, deerat; & hoc intelligo, dum dico, omnem effectum beatitudinis essentialis, qua fruebatur anima Christi, in passione Dominica defuisse; in vita autem valde tenuem extitisse. Neque exinde sequitur, sic Deum videri tantùm per speciem, & non per essentiam. Gustatio enim seu sensatio non exprimit in se similitudinem formæ gustatæ ac perceptæ.

Objicitur 3. contra 4. & 5. Conclus. 1. Lucæ 2. v. 52. dicitur: *Jesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum.* Ergo non scivit omnia. 2. Matthæi 24. Discipulis interrogantibus de eversione Jerosolymæ, & fine mundi: *Dic nobis, quando hæc erunt?* Christus respondit: *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Marci 13. v. 32. dicitur: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

Respondeo

Ad 1. dist. proficiebat sapientia quoad actus & habitus acquisitos. c. quoad habitus innatos & infusos. n. Nihil perfectionis humanæ Christo denegandum est. Itaque sicut Christo in corpore conceditur decor, bonum temperamentum, bonum ingenium, sanitas, &c. ita neque in anima illi boni habitus innati & acquisiti denegandi sunt, tanquam ornamenta animæ, & tanquam principia directiva immediata, ac determinativa fere omnium actionum ordinariarum in Christo, servata tamen semper subordinatione ad directionem ac determinationem Verbi, ubi gloria divini Patris aliud requirebat. Habitus verò innati, quales in animalibus v. g. apibus, araneis, avibus, &c. reperiuntur ad suas artes, in Christo consistebant partim in unione ad Verbum, in quo videre poterat, quidquid volebat, si attentionem mentis ad determinata objecta dirigeret, partim in delineatione totius mundani systematis ab origine usque ad finem mundi, cerebro tanquam tabulæ subtilissimè insculpta saltem quoad partes præcipuas, partim in lumine prophetico infuso, quo mediante agnosci poterant quarumvis partium mundani systematis relationes ad invicem innumeræ, si Christus attentionem mentis ad eas converteret, partim in accidentali speciali unione, seu applicatione Spiritus Sancti ad animam Christi, vi cujus illi deberetur absentium & futurorum infusa cognitio, etiamsi nollet anima Christi eam cognitionem habere per cognitionem sublimiorem ac magis extraordinariam in Verbo. Dico proin, quod Christi sapientia creverit quoad actus, & habitus acquisitos, à quibus tanquam determinativo specificabantur pleræque actiones in Christo, Deo præmovente indifferenter ad *esse* seu existentiam, & Verbo præmovente indifferenter ad esse subsistentiale actionum eliciendarum à natura humana in Christo. Responsio hæc conformis est ad mentem SS. Patrum, Theologorum veterum, & Interpretum.

Cornelius a Lapide in hunc textum sic scribit: *Nota; in anima Christi triplicem fuisse scientiam, scilicet* BEATIFICAM, *qua Deum videbat, & omnia in Deo. Secundò* INFUSAM A DEO. *Tertiò* EXPERIMENTALEM, *vel usu quotidiano* ACQUISITAM. *Duæ priores Christo inditæ fuere à primo instanti conceptionis suæ ita perfectè, ut eas augere non posset. — Propriè tamen crevit Christus sapientia experimentali. Ipso enim usu multa expertus majorem acquisivit experientiam; Hinc ad Hebr.* 5. *v.* 8. *scribitur:* DIDICIT EX IIS, QUÆ PASSUS EST OBEDIENTIAM. *Et licèt propriè Christus non creverit sapientia & gratia habituali, crevit tamen actuali & practica.* D. Thomas 3. p. q. 12. a. 2. c. sic scribit: *Habitus scientiæ infusæ in Christo non est augmentatus, & multò minus scientia beata in eo augeri potuit. Si igitur præter habitum scientiæ infusum non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisitæ, ut quibusdam videtur, & mihi aliquando visum est, nulla scientia in Christo augmentata fuit secundùm essentiam, sed solùm per experientiam, id est, conversionem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata; & secundùm hoc dicunt, quod scientia Christi profecit secundùm experientiam, convertendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea, quæ de novo per sensum accedit. Sed quia inconveniens videtur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis deesset; cum extrahere species intelligibiles à phantasmatibus sit quædam naturalis actio hominis secundùm intellectum agentem, conveniens videtur, hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, qui per hujusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari.* Et *ad* 1. *Tam scientia infusa animæ Christi, quàm scientia beata fuit effectus agentis infinitæ virtutis, qui potest simul totum operari; & ita in neutra scientia Christus profecit, sed à principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successivè. Et ideo secundùm hanc scientiam Christus non à principio scivit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet in perfecta ætate: quod patet ex hoc, quod Evangelista simul dicit, eum profecisse scientia & ætate.* Textus Patrum huc spectantes videri possunt in sequenti Responsione.

Ad 2. dist. De illo die & hora Filius non scit notitia actuali. c. habituali. *subdist.* habituali acquisita. c. habituali beatifica, aut infusa, n. Christus illum diem, horam, & momentum scivit habitualiter cognitione habituali beatifica, in quantum potuit attentionem mentis convertere ad veritates determinatas, in mente divina idealiter repræsentatas tanquam in speculo. Cognovit etiam illum diem & horam habitualiter per habitum scientiæ infusum, in quantum mediante

lumine

lumine prophetico potuit cognoscere omnes relationes mundani systematis suo cerebro divinitùs impressi; si vellet attentionem mentis ad talia objecta convertere. Verùm cum actualis conversio attentionis ad determinata objecta, in Verbo aut in habitu infuso cognoscibilia, sit Christo libero, censeo, à Christo ad dandum exemplum refrænandæ omnis curiositatis, mentem nunquam actuali attentione fuisse conversam ad hoc objectum scibile. Hinc Christus verè potuit dicere, à se nesciri diem & horam extremi judicii, etiamsi rem ipsam exactè sciverit. Sic ii, qui exactissimè norunt Historias Biblicas, vel alia facta particularia, quibus ipsimet ante multos annos intereant, sæpe dicunt, se ignorare circumstantiam temporis, anni, mensis, diei, etiamsi eam scire ac discere possint ex libro domestico, vel ex libro manuali, quem secum gestant, vel ex propria memoria, si exactiori discussione velint attentionem intendere. Alii respondent, Christum fuisse locutum de scientia communicabili, sicut Legati vel Consiliarii intimi Principum, vel Confessarii, interrogati de rebus notitia secreta cognitis, solent respondere, ea à se ignorari. Verùm cum ad ejusmodi faciendas æquivocationes ac restrictiones debeat concurrere necessitas, ex qua fiant absolutè sensibiles, & in Christo nulla ejusmodi appareat necessitas, priori responsioni, præsertim cum etiam principiis ac doctrinæ plurium antiquorum Patrum conformis sit, insistendum censeo. Suffecisset enim Christo ad evitandam omnem æquivocationem ac restrictionem respondere, prout responderat Joan. 21. Petro interroganti: *Domine; hic autem quid?* Respondit enim: *Quid ad te? tu me sequere.* Et Act. I. v. 6. interrogantibus discipulis: *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* respondit: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Itaque, quando professus est, diem illum ignorari, locutus est de aliquo proprio genere ignorantiæ; non habitualis, ergo actualis, consistentis in libero & laudabilissimo defectu attentionis ad rem hic & nunc scitu inutilem, omnibus hominibus, præsertim Clericis ac Religiosis ad refrænandam curiositatem summopere imitando. Quod autem plures antiquorum Patrum aliquod genus *ignorantiæ doctæ* ac *virtuosæ* in Christo agnoscant, ex sequentibus textibus conspicitur. I. S. ATHANASIUS Orat. 4. contra Arrianos objicientes, quod Christus non possit esse Deus, cum diem extremi judicii ignoraverit, respondet, Christum quà Deum hunc diem scivisse, quà hominem verò, eum ignorasse, videlicet ignorantia actuali, non verò habituali. *Si*, inquit, *contentiosius insistant, audiant, nullam in divinitate ignorantiam esse; carnis verò esse proprium ignorare.* Hominum proprium est nescire; propterea ignorantiam hominum tanquam homo factus ostendit, primùm quidem, ut demonstret, humanum se habere revera corpus; deinde, ut & hominum ignorantiam habens in corpore ab omnibus liberatum ac repurgatum hominem perfectum ac sanctum Patri repræsentaret. -- Non igitur Verbum quà Verbum erat id, quod proficiebat; utpote quod perfectum est è perfecto Patre, rei nullius indigens, sed & alios ad profectum deducens; verùm quà homo dicitur (ἀνθρωπίνως) etiam in hoc loco proficere; quandoquidem proprius est hominum profectus. Corporis igitur proprius est ille profectus. 2. S. BASILIUS respondens Amphilochio, quomodo Christus diem judicii ignoraverit, interroganti Epist. 391. respondet: *Quod jam à multis investigatum est, quomodo Christus diem consummationis nesciat, quod ab Anomæis perpetuò objicitur ad evertendam consubstantialitatem Filii cum Patre, id nunc à te ut novum proponitur. Itaque quæ à pueritia ex Patribus audivimus, & citra examen suscepimus, hæc possumus dicere. -- Si quis æquo animo consideret, multa ex humana parte Dominus differit hominibus. Nam illud Joan. 4. ad mulierem Samaritanam: Da mihi bibere; non est Domini corpoream indigentiam explens. Atque is, qui petebat, non erat caro inanimata, sed divinitas carne animata utens. Ita & nunc, si quis ignorantiam illam ad eum referat, qui omnia* (humana) *prudenti œconomia suscepit, & coram Deo & hominibus sapientia & gratia profecit, is extra piam non feretur sententiam.* 3. S. GREGORIUS NAZIANZENUS Orat. 36. n. 61. *Eccui dubium esse potest, quin horam quidem, ut Deus, cognitam habeat, ignoret autem ut homo, si quis partem aspectabilem ab ea disjungat, quæ mente sola perspici potest? Nam quia absolutè hoc loco ac sine relatione, Filii nomen ponitur, nec adjungitur, cujus? idcirca nobis ansa porrigitur ita existimandi, ut ignorantiam hanc sensu maximè pio interpretemur, eamque humanitati, non divinitati adscribamus.* 4. THEODORETUS l. 6. Thes. Cyrilli, relatus à Petavio l. II. c. I. *Non erat ignorantia ista Dei Verbi; sed servilis formæ, quæ tanta per id tempus noverat, quanta habitans in ea divinitas revelarat.* 5. CYRILLUS ALEXANDRINUS in Thesauro l. 6. *Novit quidem Christus* (illum diem) *divinitùs, utpote sapientia Patris. Sed quoniam ignorantiis humanitatis mensuram subiit, per dispensationem istud etiam cum aliis sibi tanquam proprium adscivit.* Et l. 5. *Dicimus igitur, quod ignorare secreta Dei mysteria non sit inconveniens aut indecorum creaturæ.* 6. S. FULGENTIUS l. I. c. 7. *Si anima in Christo defuisse credatur naturæ humanæ, quid in infantem* (Christo juxta Prophetam Isaiæ 7. & 8.) *bonum malumque dicitur ignorasse? An illam divinam Filii Dei naturam ignorantiæ boni, malique subjicimus, ut humanam in Christo animam denegemus? Anima igitur humana, quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum malumque in infante Christo nescisse dicitur, quæ secundùm Evangelicam veritatatem in puero Jesu sapientia & gratia profecisse narratur. Nam sicut carnis est ætate proficere, sic est animæ, sapientia & gratia profecisse; quæ tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam, quæ hominibus rationis causa concessa est, non haberet.* 7. S. AMBROSIUS l. de Incarnatione sic scribit: *Quomodo proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, ut secundùm hominem crederes dictum. Ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem à sensu proficit, quia à sensu sapientia. Jesus autem proficiebat ætate & sapientia. Quis sensus proficiebat? Si humanus? Ergo & ipse susceptus est. Si divinus? Ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in melius. Sed quod divinum*

vinum est, non mutatur. Sensus igitur proficiebat humanus. Sensum ergo suscepit humanum. Et ut sciamus, quia secundum hominem loquebatur, præmisit dicens: Puer autem crescebat & confortabatur, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat in illo. Et puer nostræ nomen ætatis est. Quæ igitur implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia. (Isaiæ c. 8. dicitur de Christo.) *Priusquam puer sciat patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci. Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorat.* 8. VIGILIUS Papa l. 5. contra Eutychen: *Natura Verbi non est confortari, nec crescendi augmenta suscipere, nec sapientia impleri. Quia ergo naturæ Verbi ista non conveniunt in Christo, carni ejus congruant necesse est, secundum quam dicitur jure confortatus, jure sapientia impletus, jure crevisse.* 9. RUPERTUS l. 1. in Gen. c. 21. *Licet Christus secundum humanitatem sapientia, ætate & gratia profecerit, attamen secundum id, quod erat Deus, nullum profectum habuit. Verum creatura non solum humana, sed & angelica profecit.*

OBJICITUR 4. Multi SS. Patrum expresse docent, quod Christus non vere profecerit sapientia, sed quod tantum hominibus visus sit crevisse sapientia, in quantum per operationes luculentiores sapientiæ successive suam sapientiam immensam apertius demonstraverit. Ergo non debet in Christo admitti verus profectus, ac vera depulsio ignorantiæ.

2. Superius à me jam concessum est, quod Christus à primo momento suæ conceptionis in suo intellectu delineatum habuerit totum Systema mundi. Ergo impossibile est, quod ignoravit diem extremi judicii.

3. Etiamsi Christus non habuisset semper actualem attentionem ad diem extremi judicii, non tamen propterea posset dici, eum ignorasse diem illum. Ergo. *Ant. prob.* Ex eo, quod homo noctu vel inter alia negotia non habeat actualem attentionem ad objecta suæ artis vel scientiæ, non sequitur, ea à se ignorari.

4. Damnata est sæculo 6. hæresis *Agnoitarum*, qui tribuebant Christo ignorantiam quarundam rerum. Ergo. *Ant. patet* ex textibus in Responsione referendis.

RESPONDEO

Ad 1. dist. SS. Patres docent, quod Christus non vere profecerit quoad scientiam habitualem. c. actualem. n. Cum in Christo juxta S. Thomam detur etiam scientia *experimentalis* & *acquisita*, necesse est, ut in hoc genere de novo aliquid actu cognoscat, quod prius in hoc genere scientiæ actualiter non cognoverat, sed tantùm habitualiter, in quantum etiam secundùm humanitatem habebat in se duplicem potentiam proximam actu cognoscendi, quæcunque volebat, nempe unionem ad Verbum, & scientiam habitualem infusam de rebus ad se pertinentibus.

Ad 2. dist. Habebat in se delineatum totum Systema mundi ita tamen ut relationes omnium partium ad invicem quoad differentias temporum & numerorum indiguerint operatione mentis actuali. c. ita ut tantùm indiguerint simplici intuitu, eoque necessario ac semper actuali. n. Christus totum Systema mundi vidit in momento æternitatis, sed quot anni sint & dies, & horæ, & minuta ab origine mundi usque ad Christum, vel usque ad finem mundi, in illa delineatione non necessariò exprimebatur. Sic enim ex alta turri possumus distinctè videre totam processionem, vel ordinem transeuntium, quin sciamus illorum numerum, nisi numeremus singulos. Numerus enim rerum & motuum non est in rebus ipsis, nisi fundamentaliter, sed in numerante. Cum ergo solius Dei sit, comprehendere omnes numeros seu numerationes possibiles, & numeratio revolutionum solarium usque ad finem non pertineat ad officium Mediatoris, poterat humanitas Christi carere illa numeratione, vel actuali attentione ad aliorum hominum numerationes. Itaque etiamsi etiam in anima Christi annus, dies, & hora ultimi judicii expressus fuisset, non tamen putandum est, animam Christi fuisse necessitatam ad actualem perpetuam considerationem omnium partium Systematis mundani sibi per scientiam habitualem infusam impressi.

Ad 3. dist. non posset dici, eum ignorare diem judicii absolutè, simpliciter, ac strictè loquendo. c. restrictivè, vulgariter, ac latè loquendo. n. Verum est, quod exactè, & sine addito particulæ restringentis loquendo, qualis usus loquendi est Dogmaticus, & Ecclesiasticus, nun sit verum, in Christo fuerit ulla ignorantia, quia Scholæ & Ecclesia in propositionibus ejusmodi nudè prolatis respiciunt ad habitum scientiæ vel artis, atque ad potentiam proximè expeditam utendi illo habitu, quando volumus; Et sic dabatur in Christo scientia habitualis duplex omnium, etiam extremi judicii, nempe scientia habitualis per unionem ad Verbum, & scientia infusa. Sed cum populus de scientia infusa parum sciat, & ordinariè, quando invicem de variis rebus interrogant, ipsa sua interrogatione attentionem actualem ad ejusmodi objecta excitent, in usu loquendi vulgari interrogantes & respondentes solùm de notitia actuali sermo est. Itaque etiam Christus, si causa vitandæ curiositatis exemplum præbere atque attentionem nullam ad istud objectum præcise habere voluit, de sola notitia actuali, quam habere noluit, locutus est.

Ad 4. dist. ita tamen ut illa hæresis consisteret in abnegatione quoad animam Christi omnis scientiæ etiam habitualis ex unione hypostatica, & infusæ. c. ut consisteret in abnegatione scientiæ actualis vel acquisitæ. n. Agnoitæ propterea ab Ecclesia rejecti sunt, quia naturæ humanæ in Christo tribuerunt omnimodam ignorantiam etiam habitualem, ita ut nequidem haberet ratione unionis hypostaticæ potentiam proximè expeditam ad intelligendum actu, quæcunque vellet, sive in Verbo, sive per scientiam infusam. Hæc eorum mens manifestè colligitur ex testimoniis Patrum Synchronorum, quæ NATALIS ALEXANDER in sua Historia Ecclesiastica solertissimè collegit. Sæculo VI. c. 3. art. 3. n. 2. sic scribit: „Themistius Diaconus interrogavit Timo„theum, Alexandrinum Episcopum, an Christus „ignorasset aliqua? Id Timotheus negavit. A „cujus

„ cujus communione deficiens Themistius, & „ ignorantiam Christo adscribere perseverans, Agnoetarum Sectam condidit. Agnoetarum errorem confutavit Eulogius Alexandrinus Patriarcha, cujus Scripta approbavit Gregorius M. In eo tamen non erat posita illorum „ hæresis, quod ignorantiam Christo, ut homo est, „ tribuerent, sed quod Christum penitus ignorasse dicerent, quæ nesciebat ejus humanitas, quia „ unam tantùm naturam in Christo compositam „ agnoscebant. Bellarminus Agnoetarum errorem male refert l. 4. de Christo c. 1., asserens, „ hanc fuisse illorum hæresin, quod diei judicii „ ignorantiam non divinitati Christi, sed ejus animæ tribuebant. Refellitur autem ex Leontio, „ S. Isidoro, & S. Joanne Damasceno. „ Idem Alexander Sæculo VI. Dissert. VII. sic scribit: „ Si qui Patres Christum reipsa profecisse sapientia videntur affirmare, ut S. Ambrosius & S. „ Fulgentius, de scientia acquisita commodè explicari possunt, in qua non minus, quàm in ætate profecit, non autem in scientia beata vel „ infusa. QUÆRES: An Agnoetis accensendus „ esset, qui Christum ut hominem aliquid ignorasse assereret eorum, quorum scientiam quovis modo habere homo potest? RESPONDEO. „ Hunc non fore Agnoetam; quia hæretici illi „ ignorantiam Christo non solùm secundùm naturam humanam, sed absolutè secundùm naturam omnem affingebant. Unam enim dumtaxat naturam post Incarnationem agnoscentes, „ nullam in eo agnoscebant naturam, per quam „ sciret illa, quæ antiqui Patres dicunt illum secundùm humanam naturam nescivisse, at secundùm Deitatem semper perfectissimè cognita habuisse. Quando igitur Themistioni Monophysitæ dicebant, Christum ut hominem ignorare „ diem judicii, intelligebant, eum penitus ignorare diem illum, adeò ut secundum nullam naturam ipsum cognoverit. Quod perinde erat, „ ac si cum Arianis disertè assererent, Christum „ secundùm Deitatem non scire omnia, quæ scit „ Pater. „ Ita Natalis. Cæterùm, quod Agnoetæ Christo quà homini umnem cognitionem etiam habitualem abnegaverint, nec aliam circa mysteria illi indulserint, nisi quam etiam alii homines ex speciali revelatione nancisci possint, patet ex modo impugnandi, quo SS. Patres contra illos dimicarunt. Solùm enim pro fundamento universalis scientiæ in Christo homine ponunt unionem ad Verbum, ratione cujus naturæ humanæ debeatur scientia omnium, utique non actualis, cum non possit esse actu infinita, prout est actu infinita in Deo, sed habitualis. EULOGIUS Agnoetus, prout Photius Cod. 230. refert, sic refutat: „ Christus neque secundùm humanitatem quidem, multò minùs secundùm Divinitatem ignoravit ultimum diem. Neque enim „ humanitas Christi in unam substantialis sapientiæ hypostasin admissa quidquam rerum præsentium vel futurarum poterit ignorare. Neque „ falsum esse potest, quod dicit: Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt. An ergo & Patri ignorantiam adscribent? „ Et CYRILLUS ALEXANDRINUS l. 3. contra Nestorium: „ Credimus, ex ipso ventre Emanuelem, qui Deus „ erat, hominem prodiisse plenum omnino sapientia, quæ illi naturaliter inerat. Quodnam „ igitur incrementum caperet ille, in quo sunt „ omnes thesauri sapientiæ, qui cœlestis gratiæ „ unà cum Deo Patre largitor est? „ Et S. GREGORIUS M. l. 8. Ep. 42. ad Eulogium Patriarcham Alexandr. „ De doctrina vestra contra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde, quod „ admiraremur, quod autem displiceret, non fuit. „ Unigenitus factus pro nobis homo perfectus in „ natura quidem humanitatis novit diem & horam judicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non „ ex ipla novit, qua Deus est homo factus; diem „ & horam judicii non nisi per Deitatis suæ potentiam novit. — Diem ergo & horam judicii „ scit, quia Deus est homo. Res autem valde „ manifesta est; quia quisquis Nestorianus non „ est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui „ ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua „ mente valet dicere, esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret? „ Et S. DAMASCENUS l. 3. c. 22. „ Qui sic Christum sapientia & gratia profecisse ajunt, tanquam horum incrementum acciperet, non à primo carnis ortu factam esse unionem asserunt, nec unionem secundùm hypostasin tuentur; sed vanissimo Nestorio auscultantes unionem quandam secundùm affectionem ac nudam in nudam inhabitationem „ fingunt. Nam si caro à primo statim ortu Deo „ unita est, & identitatem secundum hypostasin „ cum Deo habuit, qui fieri potuit, ut non omnibus prorsus sapientiæ & gratiæ dotibus affluxerit? Non quidem ut gratiam participaret, nec „ per gratiam in communionem eorum, quæ Verbi erant, veniret; quin potius ob unionem illam secundùm hypostasin, cum humana, divinaque unius Christi propria facta essent, quippe qui Deus simul & homo erat, gratiam & sapientiam & bunorum omnium plenitudinem „ fontis instar mundo profuderit. „ Ex his, & pluribus similibus textibus manifestum est, quod Patres, ubi denegant Christo omnem ignorantiam, hos ad divinitatem personæ Deovirilis referant, aut si ad humanitatem aliquo modo omniscientiam referant, eam agnoscant in habitu, non in actu, cum infinita scientia creata in actu secundo dari nequeat. Certè iidem Patres, qui præfato modo umnem ignorantiam à Christo excludunt, in ejus humanitate aliquod genus ignorantiæ agnoscunt. LEONTIUS Bizant. l. de Sectis Act. 10. sic scribit: „ Agnoetæ ajunt, per omnia Christum nobis assimilari; quod si nos „ ignoramus, & ipsum ignorasse. Nos autem dicimus; non adeo de his subtiliter inquirendum; quippe nec Synodus (sexta) curiosius de „ hoc dogmate solicita fuit. Sciendum tamen, „ complures ex Patribus ac propemodum universos videri dicere, quod ignoret. Nam cum „ per omnia nobiscum unius substantiæ dicatur, „ & nos ignoremus, nimirum ignorabat & ipse. „ Quin & ipsa Scriptura dicit; cum profecisse statura & sapientia, nempe discentem id, quod nesciebat. „ Ita Leontius adversus Agnoitas. Huc pertinet, quod S. Damascenus l. 3. c. 13. scribit: „ Profitemur, Christum omnia habere, quæ Pa„ ter

„ter habet, excepta ingeniti proprietate; & o- „mnia, quæ primus Adam, excepto solùm pec- „cato; quin habere etiam, uti duabus naturis „consentaneum est, duplices duarum naturarum „naturales proprietates, hoc est, duas naturales „operationes, divinam & humanam, duas natu- „rales arbitrii libertates, divinam & humanam, „ac denique duplicem sapientiam & scientiam du- „plicem, divinam & humanam.„ Ita Damascenus.

Dices: Natalis l. c. asserit; sine errore defendi non posse, Christum secundùm humanam naturam aliquid ignorasse. Ergo datæ responsiones non procedunt.

Respondeo. dist. asserit, sine errore defendi non posse, Christum secundùm humanam naturam aliquid ignorasse ignorantia habituali. tr. actuali. n. Rationes à Natali adductæ plus non probant, quàm quod anima Christi ratione communis hypostasis cum Verbo habitualiter omnia sciverit, in quantum potuit attentionem animi convertere ad quamcunque veritatem in Verbo per essentiam suæ potentiæ intellectivæ unito repenbilem, etiamsi neque necessarium neque possibile sit, ut eam attentionem ad omnes veritates in Verbo contentas actu convertat.

Dixi. tr. quia ipsemet Natalis cum D. Thoma in Christo admittit scientiam acquisitam successivè. Itaque necessariò admittere debet aliquod genus ignorantiæ etiam habitualis, antequam perficiatur plene ille habitus scientiæ acquisitæ.

QUÆSTIO IV.

Qualis in Christo fuerit sanctitas & gratia?

Notandum 1. Per Sanctitatem intelligi illam formam, qua homo formaliter redditur *purus* aut *sacratus* Deo. Ita enim hic terminus sumitur in Scriptura. Purus dicitur, in quantum est immunis non solùm ab omni peccato, sed etiam ab omni defectu aut imperfectione morali. In hoc sensu Deus in Scriptura dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Levit. 11. v. 44. Sacratus autem Deo dicitur, in quantum deputatur unicè in obsequium Dei tanquam res propriè ad eum pertinens. In hoc appropriationis sensu dicitur: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Exodi 13. Quæritur proin, utrum illa forma sit ipsum Verbum? vel unio cum Verbo? vel aliqua alia qualitas distincta realiter tam ab unione hypostatica, quàm à Verbo? Paludanus, Durandus, & Scotistæ defendunt humanitatem Christi reddi formaliter sanctam per ipsam gratiam sanctificantem. Thomistæ verò & alii communiter docent, eam reddi sanctam per ipsam sanctitatem Verbi, & applicativè per unionem hypostaticam.

Notandum 2. In aliis hominibus gratiæ habitualis seu gratiæ sanctificantis esse quatuor formales effectus. Nam reddit hominem sanctum, hoc est, purum à peccato, & sanctificatum seu sacratum Deo. Secundò reddit hominem gratum & acceptum Deo. Tertiò reddit illum filium adoptivum Dei & cohæredem regni cœlestis cum Christo. Quartò reddit hominem promptum ad actus virtutum, & actus virtutum acceptos facit Deo. Prout in Tract. *de Sacramentis*, & *de Gratia* dictum est.

Notandum 3. Circa virtutes potissimum quæri, an in Christo exstiterint virtutes morales, & fides & spes? De charitate enim certum est, quod in Christo fuerit.

Dico 1. Humanitas Christi erat formaliter sancta per ipsam sanctitatem substantialem Verbi, applicativè autem per unionem hypostaticam.

Probatur 1. Hæc sententia est conformior phrasi Scripturarum & SS. Patrum. Ergo. *Ant prob.* 1. Cyrillus Alexandrinus l. 5. in Joan. reddens rationem, cur Christus dicere potuerit Joan. 8. v. 20. *A me ipso facio nihil, & quæ placita sunt ei, facio semper*, quod sine dubio ad sanctitatem pertinet, sic scribit: „Neque ex „stimabimus, Filium virtutem ex electione habituque profectam illis verbis præferre, quin „potius naturæ immutabilis fructum, quæ, quod „Deo conveniens est, agere neutiquam delibe- „rando dignum arbitratur. Etenim in divina „substantia omni mutatione sublata fructus erit „naturæ alienissimæ ab omni mutatione bonum, „quemadmodum in igne calor, aut in nive fri- „gus. Non enim in voluntate ignis situm est, „efficere calorem, sed hoc ipsi naturaliter & sub- „stantialiter inest, ita ut aliter agere nequeat. Et l. 11. in Joan. c. 10. „Quoniam non est per „seipsam sancta caro (natura humana) Christi, „propterea sanctificata est etiam in Christo; quo- „niam Verbum, quod habitavit in illa, per Spiritum Sanctum proprium templum sanctifica- „vit, & in propriæ naturæ transmutavit efficaci- „tatem. Etenim ideo sanctum & sanctificum „Christi corpus intelligitur, quod templum sa- „ctum est uniti sibi Verbi corporaliter, ut ait „Paulus.„ Et eodem l. 11. „Sanctum illud est „omne, quod à mundi sordibus est immune. „Quod naturaliter est in Christo ad Patris simili- „tudinem; adscititium verò & adventitium inest „sanctis Discipulis per sanctificationem, quæ est „ex gratia.„ 2. S. Augustinus Tract. 109. in Joan. ad illa verba: *Pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate*, sic scribit: „Filius hominis sanctificatus est ab initio crea- „tionis suæ, quando Verbum caro factum est; „quia una Persona facta est Verbum & Homo. „Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est se ho- „minem in se Verbo, quia unus est Christus „Verbum & Homo, sanctificans hominem in „Verbo.„ 3. Titus Bostrensis Comment. in Lucam, ad illa verba: „Quod ex te nascetur „Sanctum, vocabitur Filius Dei. Non ob id „vocabitur Sanctum, quod velut inhabitatorem „habiturum sit Filium Dei, & participatione san- „ctificandum sit; sed quod homo natura sua „idem est & unus Dei Filius.„ 4. Dionysius Alexandrinus in Epist. Synodica: „In eo „ostendebatur Christi ab Joanne discrimen ex „summa munditia & incomparabili justitia; quod „opus quidem justitiæ Joannes erat, Jesus au- „tem natura.„ 5. S. Basilius in Psal. 44. ad illa verba: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*, sic

sic scribit: „Cæteri homines labore, exercitatione, & attentione animi hoc assequuntur, ut „ad honestatem benè sint affecti, & à malo aversi; tibi verò naturalis est quædam cognatio „cum bono, & alienatio ab iniquitate.„ 6. EUSTATHIUS Orat. in Psal. 92. „Si ungens Deum „designat, is qui unctus est, adventitiam virtutem accepit ex habitantis in ipso Divinitate. Hæ Patrum phrases, sicut in comparationibus respiciunt ad causam formalem, ita etiam in Christo per oppositionem videntur potius respicere ad causam formalem, quàm effectivam.

PROBATUR 2. Sanctitas, à qua in Christo natura humana denominatur sancta, in Scriptura significatur per oleum, quo Messias ungendus dicitur Psal. 44. v. 8. & Psal. 88. v. 21. Sed illud oleum est ipsa divinitas Verbi. Ergo. Maj. & min. est SS. Patrum. 1. S. GREGORIUS NAZIANZENUS Orat. 5. „Perspectum hoc habet „Pater Christi, quem exultationis oleo præ con„sortibus suis perfudit, cum humanitatem divi„nitate unxit, ut faceret utraque unum.„ Et Orat. 36. „Christus (hoc est, unctus) dicitur pro„pter divinitatem. Hæc enim unctio est huma„nitatis, non operatione, ut in Christis cæteris, „ungens, sed totius ungentis præsentia, cujus „hic effectus est, ut faciat hominem unctum, & „Deum faciat ungentem. (ἢ ἔργον ἄνθρωπον ποιῆσαι τὸ Χρίον, καὶ ποιῆσαι θεὸν τὸ Χριόμενον.) 2. S. DAMASCENUS l. 1. de imaginibus: „Quemad„modum qui ungitur igni, non natura, sed uni„tione, & accensione, & communione ignis; „sic etiam de incarnati Filii Dei carne idem affe„ro. Nam illa Divinitatis secundùm hypostasin „communione non mutata Deus extitit, non o„peratione Dei uncta ut unusquisque Propheta„rum, sed totius ungentis præsentia.„ Idem quoad rem ostendunt alii Patres, dum afferunt, humanitatem Christi ipso Spiritu Sancto unctam esse, prout in proxima Conclusione dicetur.

DICO 2. In Christi anima dabatur gratia habitualis distincta à Verbo & ab unione hypostatica.

PROBATUR 1. ratione & authoritate D. Thomæ. Datur sufficiens finis hujus gratiæ habitualis in Christo. Ergo, cum nulla perfectio ejus statui conveniens deneganda sit, ea admittenda est. *Ant. prob.* Etiamsi tres primi effectus gratiæ sanctificantis in Christo non haberentur per donum distinctum à Verbo & unione hypostatica, potest tamen dari quartus effectus consistens in dispositione potentiarum ad actus virtutum. Ergo. *Ant. prob.* Decet, ut Verbum humanitatem sibi unitam communicando suam subsistentiam indifferentem ad omnes species actuum humanorum regat ut principium specificativum actuum humanorum & instructum decentissimè ad omne exercitium actuum bonorum. Ergo etiam decet, ut eam humanitatem moveat tanquam præditam gratia habituali dispositiva potentiarum ad actus virtutum. C. patet, quia gratia habitualis est dispositio potentiarum animæ ad virtutes. In hoc sensu D. Thomas 3. q. 7. a. 13. C. docet, quod gratia habitualis in Christo primùm consequatur ad unionem hypostaticam. „Dicendum, inquit, quod unio humanæ „naturæ ad divinam personam præcedit gratiam „habitualem in Christo, non ordine temporis, „sed naturæ. Ratio hujus ordinis sumi potest „ex fine gratiæ. Ordinatur enim ad bene agen„dum. Actiones autem sunt suppositorum. Un„de actio & per consequens gratia ad ipsam ordi„nans præsupponit hypostasin.

PROBATUR 2. Gratia habitualis est qualitas relativa, consistens in speciali unione accidentali seu applicatione Spiritus Sancti ad animam. Sed talis applicatio seu unio Spiritus Sancti datur etiam in Christo. Ergo. Maj. patet ex dictis in Tract. de Gratia. Min. prob. ex testimonio Christi, quod habetur Lucæ 4. v. 14. ubi sic habetur: *Consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo, & regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæa. Et venit Nazareth, & intravit in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me,* (C. 61.) *propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit, sanare contritos corde, &c. Et cœpit dicere: quia bodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Hæc autem non possunt dici impleta sine speciali applicatione Spiritus Sancti ad animam Christi. Eadem Minor probatur ex testimoniis Patrum, qui unctionem Christi, de qua in isto textu Isaiæ mentio fit, explicant de quadam speciali infusione Spiritus Sancti in animam Christi. 1. EUSEBIUS l. 1. Hist. c. 4. ait: „Unguentum non quod „ex rebus corporeis conficitur, sed ipsomet Dei „Spiritu, Deo congruens, participatione inge„nitæ & paternæ Divinitatis accepit.„ 2. IRENÆUS l. 3. c. 20. „In Christi nomine subaudi„tur qui unxit, & ipse qui unctus est, & ipsa „unctio, in qua unctus est. Unxit Pater, unctus „est Filius in Spiritu, qui est unctio; quemad„modum per Esaiam dicit sermo: Spiritus Do„mini super me, propter quod unxit me, signifi„cans & ungentem Patrem, & unctum Filium, & „unctionem, qui est Spiritus.„ 3. S. AMBROSIUS l. 1. de Spiritu Sancto c. 3. „Si Christum „dicas, & Deum Patrem, à quo unctus est Fi„lius, & ipsum, qui unctus est Filium, & Spiri„tum, quo unctus est, designasti.„ 4. NOVATIANUS explicans illum locum Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, l. 3. de Trin. c. 29. ait: „Spiritus habitat in solo Christo ple„nus & totus, nec in aliqua mensura aut portio„ne mutilatus, sed cum tota sua redundantia cu„mulate distributus & missus, ut ex illo deliba„tionem quandam gratiarum cæteri consequi pos„sint, totius Sancti Spiritus in Christo fonte re„manente, ut ex illo donorum atque operum „venæ ducerentur, Spiritu Sancto in Christo af„fluenter habitante.„ 5. HUGO ETERIANUS in Disp. de Spiritu Sancto. „Si in animabus ho„minum Spiritus Sanctus habitare pollicetur, „multo magis in Christi anima idem Spiritus ha„bitavit. Unctus est autem Christus (Spiritu) „non ut Deus, sed ut homo. Nequaquam enim „ut Dei Filius ungitur, sed caro Christi vera „unctione uncta est adventu Spiritus Sancti in „ipsa Filii hominis conceptione; & præ partici„pibus. Illis enim, ut capere poterant, parti„cularis quædam Spiritus Sancti emanatio tri-

„ buta est.„ 6. S. Augustinus, Seu quisquis est author Quæstionum in N. T. reddens rationem, cur in Baptismo Christi super ejus Caput Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuerit, ait: „Qui credentibus Spiritum Sanctum à Deo „ dari promittebat, debuit illud in semetipso vi„ sibiliter demonstrare, quo comperto credentes „ invisibiliter se posse Spiritum Sanctum habere „ sperarent. Salvator, cum de Spiritu Sancto „ nasceretur, purificatum corpus habuit. Unctio „ enim carni ejus spiritaliter in utero Virginis da„ ta est.„ Plures ejusmodi textus videri possunt in Petavio l. 11. c. 8. Ex omnibus autem patet, quod Spiritus Sanctus habuerit quandam specialem applicationem perpetuam seu unionem accidentalem ad animam Christi, quæ unio à me vocatur gratia habitualis.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *Contra* 1. *Conclus.* Humanitas Christi per charitatem increatam Verbi erga Patrem non denominatur formaliter amans Patrem; aut potens amare Patrem. Ergo etiam per sanctitatem increatam Verbi non redditur formaliter sancta. *Ant. prob.* Humanitas Christi per intellectum increatum Verbi non redditur formaliter intelligens, aut potens intelligere. Ergo à pari. 2. Reliqui homines sanctificantur formaliter per gratiam sanctificantem creatam. Ergo etiam humanitas Christi. *Ant. patet* ex illo Trid. Seff. 6. c. 2. ubi dicitur: *Unica formalis causa justificationis nostræ est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit. C. prob.* Unius effectus formalis non potest esse causa, nisi unica causa formalis ejusdem rationis. Sic enim nihil potest esse album, calidum, &c. nisi per id, quod est in eodem genere albedinis vel caloris. 3. Sanctitas increata Verbi non est forma informativa naturæ humanæ. Ergo non potest illam denominare per modum formæ inhærentis subjecto.

Respondeo.

Ad 1. c. a. n. c. & p. Disparitas est; quia amor & potentia amandi dicit actum vitalem, quæ, cum importent motum ab intrinseco, non possunt suppleri ab extrinseco. Econtra Sanctitas tantùm dicit puritatem à defectu, & sacrationem, quæ possunt venire à prohibente defectum, seu removente potentiam defectibilitatis.

Ad 2. c. a. n. c. ad prob. dist. Unius effectus formalis specie infima ejusdem est unica causa formalis c. effectus specie infima diversi n. Sanctitas Christi & sanctitas aliorum hominum non conveniunt specie saltem specie infima.

Ad 3. dist. Non est forma informativa quoad esse formæ informativæ imperfectum c. quoad esse formæ informativæ perfectum n. Sicut Deus assumit omnes perfectiones naturæ humanæ, quin assumat ejus imperfectiones; ita etiam Sanctitas Verbi recipit rationem formæ informativæ quoad ejus esse perfectum, videlicet in quantum omnis forma est perfectiva sui subjecti denominationis; etiamsi non assumat imperfectionem formæ informativæ creatæ, nempe dependentiam à subjecto in existendo & conservando.

Objicitur 2. Si sanctitas increata Verbi uniretur physicè alicui naturæ irrationali, v. gr. plantæ, non tamen eam sanctificaret formaliter. Ergo nec sanctificat formaliter humanitatem Christi. *C. prob.* datur æqualis in utraque ad formam increatam de se infinitam improportio. 2. Actio creativa, qua Verbum aliquid creat, non denominat humanitatem Christi creantem, etiamsi per potentiam obedientialem creatura sit capax potentiæ creativæ. Ergo idem dicendum de sanctitate Verbi. 3. Etiamsi volitio & intellectio Verbi sit realiter identificata cum Verbo, non tamen reddit illam formaliter intelligentem aut volentem. Ergo idem dicendum de sanctitate Verbi. 4. Etiamsi *sapientia, misericordia, & justitia* increata realiter identificentur cum Verbo, non tamen humanitas Christi formaliter denominatur sapiens, misericors, justa &c. per sapientiam, misericordiam, aut justitiam increatam. Ergo idem dicendum de sanctitate Verbi. 5. Humanitas Christi non denominatur formaliter omnipotens per omnipotentiam increatam Verbi, etiamsi omnipotentia non dicat actionem vitalem aut connexionem essentialem cum actione vitali. Ergo idem dicendum de sanctitate Verbi. 6. Si humanitas Christi redderetur formaliter sancta per sanctitatem Verbi, deberet etiam reddi formaliter æterna per æternitatem Verbi vel immensa. Sed hoc non potest dici. Ergo.

Respondeo tr. a. n. c. & p. Disparitas est, quia planta caret ipso genere sanctitatis in suis actionibus & potentiis; ubi autem deficit genus, species locum habere non potest. *Dixi* tr. quia licet plantæ non possit communicari sanctitas quoad effectum puritatis à defectu morali, posset tamen communicari quoad effectum sacrationis.

Ad 2. Nego suppositum, quod creatura sit capax potentiæ vel actionis creativæ etiam per potentiam obedientialem.

Ad 3. c. a. n. c. Volitiones enim & Intellectiones sunt actiones vitales, quæ essentialiter in suo conceptu formali sunt ab intrinseco.

Ad 4. c. a. n. c. Sapientia enim, misericordia,& justitia dicunt actionem vitalem in Deo,quæ non fieri potest vitalis in homine. Econtra sanctitas dicit remotionem seu exclusionem omnis defectus moralis, quæ exclusio fieri potest in humana potentia per receptionem formæ essentialiter exclusivæ omnium defectuum possibilium.

Ad 5. c. a. n. c. & p. Disparitas est, quia omnipotentia dicit etiam potentiam creandi, cujus creatura capax non est; quia tota activitas creaturæ consistit in ordine unius ad alterum, non verò in præcontinentia perfectionum eminentiali, qualis datur in Deo. Ordo autem inter creaturam, & non ens seu nihilum esse non potest. Quod si hæc responsio alicui non placet, poterit admitti, quod natura humana in Christo reddatur formaliter omnipotens per unionem hypostaticam ad omnipotentiam Verbi.

Ad 6.

Ad 6. n. Maj. Ratio disparitatis est, quia hi termini in subjecto corporeo quale est humanitas Christi, dicerent actualem extensionem infinitam quoad differentias locorum & temporum, qualis ne quidem in Deo est possibilis. In ente autem spirituali dicunt necessitatem essentialem intrinsecam ad conpræsentiam & cooperationem in omni ente creato, ubicunque sit & quandocunque fit. Hinc, si concedatur, naturam humanam in Christo reddi formaliter omnipotentem per omnipotentiam Verbi, in præfato sensu quædam immensitas, quæ non habetur per ubicationem, sed per operationem, naturæ humanæ in Christo concedenda foret.

Objicitur 3. Contra 2. Conclus. 1. Humanitas Christi sufficienter fuit sanctificata per sanctitatem increatam. Ergo superflua est sanctitas creata. 2. Sanctitas increata eminenter continet creatam. Ergo ubi est illa, hæc redundat. 3. Sanctitas V(..)i est infinita. Ergo per se solam explet totam capacitatem naturæ humanæ in Christo. 4. In Christo non dabatur habitus Fidei, Spei, & Pœnitentiæ, quia fuisset otiosus. Ergo idem dicendum de habitu sanctitatis creatæ. 5. Si Christus habuisset gratiam habitualem creatam esset simul Deus per *essentiam*, & per *participationem*, sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* gratia sanctificans est quædam participatio naturæ divinæ, juxta illud D. Petri 2. Epist. 1. v. 4. *Ut efficiamur divinæ consortes naturæ.* 6. Si humanitas Christi habuisset gratiam sanctificantem, sequeretur, quod Christus ut homo fuisset Filius adoptivus Dei. Sed hoc non potest dici. Min. patet, quia hoc fuit damnatum in Concilio Francofurtensi anno 749. Contra Elipandum Toletanum, & Felicem Urgellitanum Episcopos. *Maj prob.* Primarius effectus gratiæ sanctificantis est, reddere hominem Filium adoptivum Dei. 7. Si daretur gratia creata in Christo, sequeretur, quod illa fuisset finita. Sed hoc non potest dici. Ergo. Maj. patet, quia nulla creatura est infinita. Min. prob. si hæc gratia fuisset finita, sequeretur, quod posset adæquari meritis puræ creaturæ, item, quod Christus aliis hominibus meritus fuisset majorem gratiam, quàm ipse habuit, & quod gratia Christi potuisset augeri: Sed hæc omnia non possunt dici. Ergo. Min. prob. Prima & secunda sequela est per se absurda; tertia autem est contra D. Thomam 3. q. 7. a. 12. ubi ait: "Dicendum, quod aliquam „ formam non posse augeri contingit dupliciter. „ Uno modo ex parte ipsius subjecti, quando „ subjectum attingit ad ultimum gradum in participatione illius formæ secundùm suum modum, „ sicut si dicatur, quod aer non potest crescere „ in caliditate, quando pertingit ad ultimum gradum caloris, qui potest salvari in natura aeris, „ licet possit esse major calor in rerum natura, „ quàm est calor ignis. Ex parte autem formæ „ excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subjectum attingit ad ultimam perfectionem, quam potest talis forma habere in natura, sicut si dicamus; quod calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris, quam ille, ad quem pertingit ignis. „ Sicut autem aliarum formarum est ex divina sapientia determinata propria mensura, ita & gratiæ. Mensura autem unicuique formæ præfigitur per comparationem ad suum finem. Finis „ autem gratiæ est unio creaturæ rationalis ad „ Deum. Non potest autem esse nec intelligi „ major unio creaturæ rationalis ad Deum, „ quàm quæ est in persona. Et ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic „ igitur manifestum est, quod gratia Christi non „ potest augeri ex parte ipsius gratiæ; sed nec „ etiam ex parte subjecti, quia Christus secundùm „ quod homo à primo instanti suæ conceptionis „ fuit plenus comprehensor. Unde in eo non „ potuit esse gratiæ augmentum, sicut nec in beatis, quorum gratia augeri non potest, eo quod „ sunt in termino.

Respondeo

Ad 1. dist. Fuit sufficienter sanctificata sufficientia necessitatis c. sufficientia congruentiæ. n. Sic sufficeret sola omnipotentia divina ad producendos omnes effectus in mundo sine causis secundis, & sine dispositionibus præviis. Sed cum deceat Deum operari sapienter ac ordinatè in numero, pondere, & mensura, etiam decet, ut sanctitas increata in operationes Christi sanctas non influat, nisi quoad specificationem actuum determinetur à dispositionibus causæ secundæ, consistentibus in gratia habituali infusa.

Ad 2. c. a. dist. l. Nisi causam immediatam secundam dispositivam exigat ordo sapientiæ divinæ, omnibus effectibus præordinantis causas secundas ac dispositiones congruas c. secus n. Sensus responsionis patet ex dictis.

Ad 3. dist. Est infinita in genere causæ primæ potentia agere sine dispositione causarum secundarum c. in genere causæ ordinatæ volentis agere sine tali dispositione causarum secundarum n. In creatura non solùm datur capacitas ad recipiendam actionem seu causalitatem causæ primæ ad effectus, sed etiam datur capacitas ad recipiendam eam causalitatem ordinatè juxta dispositiones congruentes ordinationi divinæ sapientiæ.

Ad 4. tr. a. n. c. & p. Disparitas est, quià habitualis gratia in Christo non est otiosa. Determinat enim Sanctitatem increatam quoad specificationem actuum, & facit, ut Sanctitas increata influat in operationes sanctas ordinatè ac sapienter. Dixi tr. de his enim dictum est suo loco.

Ad 5. n. Maj. Gratia enim habitualis in Christo dispositiva ac specificativa ad operationes sanctas non ordinatur ad merendum sibi ipsi participationem naturæ divinæ, sed ad merendum eam participationem aliis hominibus.

Ad 6. n. Maj. Quia gratia habitualis in Christo non ordinatur ad merendam vel obtinendam adoptionem propriam utpote impossibilem, cum adoptio præsupponat distinctionem personarum ac suppositorum inter adoptantem & adoptatum; sed ordinatus ad promerendam eam adoptionem aliis hominibus, atque ad promerendam suam gloriam ac hæreditatem accidentalem, v. g. corporis, & Ecclesiam Sponsam.

Ad 7. Maj. n. Min. prob. dist. Potuisset *adæquari* à gratia aliorum hominum, & *superari*, & *augeri*,

geri, quoad esse materiale hujus gratiæ, & quoad considerationem physicam. tr. quoad esse formale bujus gratiæ, & quoad considerationem Theologicam. n. gratia habitualis in Christo sumitur formaliter, in quantum dignificatur ab infinita sanctitate Verbi ad merendam in actu primo infinitis hominibus remissionem peccatorum ex condigno; & sic etiam spectatur in consideratione Theologica. Si verò consideretur tantùm entitativè, inquantum præscinditur à dignificatione, qua dignificatur ab infinita sanctitate Verbi, & à fine omnium effectuum, ad quos à Deo efficaciter in hac providentia ordinatur gratia Christo collata, sic ista gratia posset augeri, adæquari & superari ab alia gratia possibili, v. g. si Deus voluisset condere plures mundos, & ad omnium eorum redemptionem ordinare actu operationes Christi. Idem contingeret, si voluisset etiam mereri aut mori pro redemptione Angelorum. *Neque aliud probat textus D. Thomæ*, ut patet consideranti. Solum enim loquitur de impossibilitate augmenti formalis ex suppositione termini libero decreto divino præstituti. Id l. cc. Insinuat ad 1. ubi ait: *Dicendum, quod si loquamur de quantitatibus mathematicis, cuilibet finita quantitati potest fieri additio; quia ex parte quantitatis finitæ, non est aliquid, quod repugnet additioni. Si verò loquamur de quantitate naturali, sic potest esse repugnantia ex parte formæ, cui debetur determinata quantitas, sicut & alia accidentia determinata. Unde Philosophus l. 2. de anima dicit, quod omnium natura constantium est terminus & ratio magnitudinis & augmenti. Et inde est, quod quantitati totius cœli non potest fieri additio.*

Dices. Ex his saltem sequitur, quod gratia Christi potuert augeri quoad ejus esse materiale.

Respondeo dist. Sequitur, quod potuerit augeri quoad esse materiale, si Deus ita voluisset c. si non ita voluit n. D. Thomas censet, quod ea dona, quæ sunt effectus solius Dei, statim ab initio conferantur in suo esse perfecto. Et hinc docet l. cc. ad 3., in Christo non fuisse auctos ipsos habitus sapientiæ & gratiæ, sed tantùm effectus fuisse auctos. *Dicendum*, inquit, *quod in sapientia & gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundùm ipsos habitus sapientiæ & gratiæ augmentatos; & sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundùm effectus, inquantum scilicet aliquis sapientiora & virtuosiora opera facit; & sic Christus proficiebat sapientia & gratia, sicut in ætate.* Ita S. Thomas. Verùm, cum Deus non solùm in ordine naturæ, sed etiam in òrdine gratiæ quoad specificationem effectuum agere soleat ut dispositivè determinatus à causis secundis, & ipsemet S. Doctor fateatur, Christum successivè *virtuosiora opera fecisse*, quæ connaturaliter sunt dispositio ad majorem gratiam; ac præterea primarium motivum admittendi gratiam habitualem virtutum in Christo sit ordo divinæ sapientiæ, quo singulis effectibus præparatur causa secunda juxta dispositiones potentiarum prævias, videtur, principiis his & luminibus generalibus D. Thomæ longè conformius, si etiam in gratia habituali quoad ejusdem materiale juxta incrementum materiale *virtuosiorum operum* admittatur incrementum. Sic enim magis salvatur analogia cum incremento sapientiæ quoad habitum acquisitum, quod quæstione præcedente admittendum esse ostendi, & servatur major proprietas verborum Evangelistæ; dum asserit, Jesum *profecisse sapientia & gratia coram Deo & hominibus*; sicque etiam magis exprimitur illud Apostoli ad Hebr. 2. v. 17. *Debuit per omnia fratribus similari*, Ita ipsomet volente, & Verbo sua hypostasi actiones omnes ac dispositiones Deo viriles etiam gratiarum successivè ordinatim juxta congruentias caufarum specificantium evolvente.

QUÆSTIO V.

Utrum actiones Christi fuerint valoris meritorii simpliciter infiniti?

Notandum 1. Quæstionem eodem modo instituti solere de satisfactionibus Christi, an fuerint valoris simpliciter infiniti in genere satisfactorio; quo modo hic instituitur quæstio, an actiones Christi fuerint valoris infiniti in genere meritorio? In utraque quæstione *Conclusiones, rationes*, & *objectiones* ferme eædem sunt. Discrimen hanc in hoc consistit; quod actiones Christi, quatenus dicuntur *satisfactoriæ*, offerantur & ordinentur à Christo ad placandum Deum offensum pro peccatis generis humani; econtra eædem actiones, quatenus dicuntur *meritoriæ*, offerantur & ordinentur à Christo ad promerendum sibi & aliis hominibus varia dona & præmia. Manifestum tamen est, quod oblatio satisfactoria relatè ad alios homines præcedat in Christo saltem prioritate rationis oblationem meritoriam.

Notandum 2. Duas esse in hac re sententias. Scotus cum Scotistis docet, actiones Christi esse quidem valoris infiniti in esse meritorio, eam tamen infinitudinem non provenire ex valore intrinseco ipsius operis theandrici, sed ex acceptatione gratuita Dei. Sed Thomistæ cum aliis Theologis communiter docent, actiones Christi in genere meritorio esse ab intrinseco valoris simpliciter infiniti.

DICO. Actiones Christi fuerunt ab intrinseco valoris simpliciter infiniti.

Probatur Actiones Christi esse valoris simpliciter infiniti ab intrinseco nil aliud est, quam eas esse tantæ dignitatis, ut si ordinarentur tam ab operante quàm præmiante ad qualecunque præmium, quovis determinato assignabili majus & majus in infinitum, in æstimatione tam divina quàm humana offeretur æquale imo superabundans pretium. Sed tales sunt actiones Christi. Maj. patet ab explicatione terminorum in ea suppositione, quod ad rationem meriti de condigno requirantur tria, nempe æqualitas inter mercem & pretium, conductio ipsius præmiantis, & ordinatio ipsius operantis, prout in Tract. *de Gratia* dictum est. Min. prob. 1. Ex *natura rei*, quia ipsum principium operans est infinitæ dignitatis, & ipsa actio non ostenditur incapax ad communicationem hujus idiomatis, nempe infinitæ dignitatis in hoc sensu, quod actio sit ordinabilis ad quovis præmium majus & majus in infinitum in proportione superæqualitatis.

litatis. 2. Ex *Scriptura*, quia Apoſtolus ad Rom. 5. v. 15. dicit: *Sed non ſicut delictum ita & donum; ſi enim unius delicto multi mortui ſunt*, (hoc eſt, tota multitudo generis humani excepta B. Virgine) *multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit* (nempe, etiam in myriades myriadum Angelorum) .. *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Et Joan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Si ergo merita Chriſti excedunt præmium, ad quod fuerunt conducta à Patre, non eſt ratio, eorundem valorem per æquam commenſurationem reſtringendi ad aliud poſſibile præmium præciſe finitum. 3. Ex Conſtitutione, *Unigenitus*, CLEMEMTIS VI. quæ habetur inter *Extravagantes*. Tit. *de pœnitentiis & remiſſionibus*, ubi Pontifex loquens de theſauro meritorum Chriſti, ex quo ſumuntur indulgentiæ, ait: *Chriſtus non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet, ſed copioſe velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe. Quantum ergo theſaurum Eccleſiæ acquiſivit, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, de cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum propter infinita Chriſti merita.* 4. Ex SS. Patribus: ſic CYRILLUS ALEX. in Epiſt. 2. ad Reginas ait: *Pretium non fuiſſet ſatis magnum, ſi Chriſtus purus homo fuiſſet. Ipſi vero Deo incarnato univerſa creatura comparata modicum quid eſt, & ideo mors ejus abunde ſat eſt ad liberationem.* S. CHRYSOSTOMUS in c. 5. ad Rom. in redemptione generis humani ita factum eſſe per Chriſtum aſſirmat ac *ſi quis decem obulos debeat, ac propterea conjiciatur in carcerem, dein vero alius non decem ſolum obolos, ſed innumera auri talenta pro ejus liberatione numeret.* PROCLUS Orat. 1. *Chriſtus non ſolum adæquatam cum reorum multitudine dignitatem & æſtimationem habet, ſed ex omnium, calculis ſententiiſque majorem.* AUTHOR Sermonis inter Auguſtinianos de tempore 114. *Indubitanter credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas inſignis pretii ſupergreſſa eſt.* Et PETRUS CLUNIACENSIS in lib. *Nucleus. Mors Dei & hominis tanti ponderis in ipſa ipſius juſtitiæ lance cognoſcitur eſſe, ut ad juſte ordinanda mundi peccata longe magis præponderet mors tranſitoria Filii Dei, quam æterna Filiorum hominum.* Et S. ANSELMUS l. 2. Cur Deus homo? c. 19. ſcribit: *Chriſtus tale quid ſponte dedit Deo, cui, quidquid Deus non eſt, comparari non poteſt.* Quamvis autem hi textus ſolum loquantur de ratione ſatisfactoria operum Chriſti, ob paritatem tamen rationis applicari poſſunt etiam ad rationem meritoriam.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Opus, quod non eſt dignum infinito præmio, non eſt valoris ſimpliciter infiniti. Sed opera Chriſti non erant digna infinito præmio. Ergo. Min. prob. Non eſt poſſibile infinitum præmium. Ergo. *c. patet*, quia non datur meritum ad impoſſibile vel ad Chymæram. 2. Si Pater divinus incarnaretur, id ſic petente & merente Filio, illa Incarnatione condigne præmiaretur, ac conſequenter exhauriretur meritum Filii. Sed quod exhauriri poteſt, non eſt infinitum. Ergo. 3. Infinito non poteſt dari infinitum majus alterum. Sed in Chriſto unus actus in ratione meritoria eſt major altero. Ergo. *Maj. patet*, quia infinito nihil poteſt addi. *Min. prob.* Actus intenſiſſimæ charitatis in Chriſto eſt magis meritorius, quam actus v. g. reverentiæ erga parentes, vel temperantiæ. 4. Effectus dependens à pluribus cauſis, quarum una eſt finita, non eſt infinitus. Sed talis effectus ſunt actiones Chriſti. Ergo. *Min. patet.* Nam actiones Chriſti ſimul dependent a gratia habituali, à voluntate, & ab objecto. *Maj. prob.* In concurſu plurium cauſarum cauſa infinita neceſſario ſuam virtutem attemperat concauſæ. 5. Valor meritorius operum dependet ab eorum bonitate morali. Ergo, cum hæc ſit finita, etiam valor meritorius eſt tantum finitus. *Ant patet*, quia bonitas moralis actionis præſupponitur ad bonitatem ſupernaturalem. Si quælibet actio Chriſti eſſet valoris infiniti, ſequeretur, quod Chriſtus prima ſua actione jam meruiſſet infinita præmia, ſed hoc non poteſt dici, Ergo. *Min. prob.* Si Chriſtus jam prima ſua actione meruiſſet infinita præmia, ſequeretur, quod per ſuas ſubſequentes actiones nihil amplius meruiſſet. Sed hoc eſt abſurdum.

RESPONDEO *Ad* 1. diſt. Opus, quod non eſt dignum præmio ne quidem ſyncategorematice infinito, non eſt infiniti valoris. c. quod ſolum non eſt dignum præmio categorematice infinito. n. actiones enim Chriſti quovis finito præmio aſſignabili digniores ſunt; adeoque merentur quantum ad valorem ſpectatæ præmium majus & majus in infinitum. GONET reſpondet, quod actiones Chriſti fuerint dignæ præmio ſimpliciter & actualiter actualiter infinito, nempe unione hypoſtatica alterius perſonæ divinæ cum alia natura humana vel angelica.

Ad 2. tr. maj. diſt. min. illud non eſt infinitum, quod exhauritur præmio infinito. n.

RESPONDEO 2. n. maj. Dico enim, valorem operum Chriſti ne quidem tali Incarnatione exhauriendum fore; quia dignitas actionis theandricæ æquivalet infinitis effectibus bonitatis divinæ non ſolum finitis, ſed etiam infinitis, ſicut perfectio infinita Patris æquivalet perfectioni tam Filii quam Spiritus Sancti ſimul ſumptorum.; Sic ergo etiamſi darentur mille & mille Incarnationes, daretur tantum una perfectio infinitans operum abſoluta.

Ad 3. diſt. Poteſt unus actus in Chriſto eſſe perfectior altero quoad materiale perfectionis. c. quoad formale perfectionis. *ſubdiſt.* quoad formale formalitatis moralis. c. quoad formale formalitatis infinitantis. n. In genere actuum humanorum, ac moralium & theologicorum eſt quidem unus actus in Chriſto altero perfectior; ſed in quantum recipiunt infinitudinem dignitatis in hac vel illa ſpecie actuum a dignitate infinita perſonæ operantis, ſic illi actus ſunt æquales, ſicut diverſa membra corporis; utut inæqualia in perfectione ad invicem, participant tamen æqualiter rationem ſeu gradum vitalitatis ab eadem anima.

Ad 4. diſt. maj. Effectus dependens a pluribus cauſis in genere cauſæ efficientis, ex hoc præciſe non eſt infinitus. tr. dependens a pluribus cauſis partim in genere cauſæ efficientis,

partim in genere causæ formalis. n. Dignitas infinita personæ in Christo se communicat ejus actionibus per modum causæ formalis, sicque constituendo usum concretum valoris infiniti.

Ad 5. dist. Dependet a bonitate morali cum dependentia reciproca ejusdem bonitatis moralis tanquam causatæ & mensuratæ a se per modum comparatis. c. sine reciproca dependentia ejusdem bonitatis moralis, aut cum dependentia ab illa tanquam mensurante se. n. Sicut dispositiones in materia ad ignem, v. g. calor sunt priores & posteriores forma ignis, utpote a qua recipiunt existentiam, ita bonitas moralis actuum in Christo dependet ab hypostasi totius, hoc est a subsistentia, consequenter etiam ab infinita dignitate Verbi.

Ad 6. n. maj. alind enim est, mereri infinita præmia, & aliud est, valorem æquare infinita præmia. Ad merendum enim requiritur, ut actio ab operante ordinetur, a præmiante autem & ordinetur, & conducatur, & acceptetur ad tale præmium. Constat autem, quod redemptio generis humani, & gloriæ pro humanitate Christi fuerit alligata passioni & morti Dominicæ Itaque licet aliæ actiones fuerint infiniti valoris, non tamen fuerunt infiniti actualis meriti, quia non fuerunt ordinatæ, & acceptatæ in ordine ad infinita præmia. Hoc discrimen recte advertit Gonet hoc loco Disput. 21. art. 4. n. 107. ubi ait: *Notandum, me consulto non dixisse, an Christi meritum fuerit infinitum simpliciter, sed an ejus operationes fuerint valoris meritorii simpliciter infiniti, &c.*

DISPUTATIO V.

Quo anno natus, ac passus sit Christus.

§. I.

Prænotanda.

NOTANDUM I. Per Æram Vulgarem intelligi primum annum numerationis annorum apnd Cbristianos consuetæ. Dum enim in anno jnbilæo numeramus, v. g. 1750. primns annus numerationis, inchoatus ac currens, Æra Vulgaris dicitur.

NOTANDUM 2. Juxta commnnem persuasionem Christum natum esse vel ipso primo anno Æ. V. exeunte, nempe 25. Decembris, vel prout alil putant, sextiduo ante initium Æ. V. nempe anno præcedente exeunte. Utriusque opinionis patroni sunt & dicuntur sectatores Æræ Vulgaris, in quantum primus annus Æ. V. nativitatem Christi vei includit, vel immediate insequitur.

NOTANDUM 3. Modernos Historicos ferme universos defendere, quod Christus natus sit non tantum uno anno ante initium Æ. V. nempe anno præcedente exeunte, sed etiam pluribus annis. Horum enim aliqui asserunt, Christum natum esse anno secundo, alii tertio, plerique quarto vel quinto, Blanchinus & alii sexto, nempe exeunte, ante primum annum Æ. V.

NOTANDUM 4. Decisionem hujus controversiæ potissimum dependere ab exacto catalogo Romanorum Consulum. Si enim constet, quo anno Æræ Vulgaris, vel quoto anno ante Æ. V. quisque eorum suum consulatum gesserit, eoipso etiam constabit, quo anno res gestæ fuerint, cum veteres Scriptores plerumque gesta temporum solom ad Consulatus annuos Romanorum Consulum mediate vel immediate retulerint.

NOTANDUM 5. Cuivis consulatui correspondere partialiter dnos annos Olympiadum, & duos annos ab Urbe condita. Cum enim consulatus annui incipiant a primo die Januarii, & anni Olympici a plenilunio proxime seqoente post solstitinm æstivum, quod plenilunium interdum contingit mense Junio, interdum mense Julio; Eestum antem *Urbis conditæ*, seu *Palilium*, a Romanis celebratum fuerit die vigesimo primo Aprilis, manifestum est, quod eidem consulatui correspondeant duo anni Olympici nempe *unus excurrens*, & *alter incipiens* in Plenilunio ad solstitium æstivum subsequente; & duo anni ab U. C. nempe unus excurrens, & alter incipiens in Festo Palilium. Similiter eidem cosulatui correspondebant partialiter duo anni Syro-Macedonum, quibus in usu civili utebantur etiam Judæi ab eo tempore, quo Syria parebat Græcis. Hi enim anni inchoabantur in Autumno a Novilunio proxime præcedente Æquinoctium autumnale.

§. II.

Conclusio cum Summario argumentorum.

DICO. Christus natus est aono ante Æram Vulgarem sexto.

Argumentum I. Moraliter certum est, Herodem, qui nato Christo occidit pueros in Bethlehem, jam obiisse anno quarto vel quinto ante Æram Vulgarem. Ergo Christi nativitas, quæ contigit in fine anni, nempe 25. Decembris refarenda est ad annum sextum ante Æ. V. [illegible] partim ex Eclipsi Lunari, quæ observata est Jerosolymis paulo ante ejus mortam, partim ex calculo annorum, quibus ejus filii regimen susceperunt vel amiserunt. De his enim annis morali cartitudine coostat, prout ex testimoniis & documentis Synchronis monstrabitur.

Argumentum II. Ex traditiooe moraliter certum est, Christum passum essa sub Consolatu *duorum Geminorum*, nempe *Ruffii Gemiai*, & *Rubellii Gemini.* Cum ergo ex Catalogo Romanorum Consulum constet, eos consulatum gessisse aono vigasimo octavo Æræ Vnlgaris, & ex Historia Evangelica colligatur, Christum passum esse anno ætatis suæ trigesimo tartio completo cum tribus mensibus, necesse ast, aum fuisse oatum ante Æ. V. sexto exeuote.

Argumentum III. Ex Traditione & Evangelio constat, Christum passum essa die 25. Martii, Feria sexta, & quidem proxime, immioente Plenilunio, seu Festo Paschali. Id enim ex textibus D. Marci & D. Joannia, & aliorum Evangelistarom eruitur, dum diem passionis vocant *parasceven*, hoc est, præparatorium ad Fastum, io quo adhuc licebat laborara, emara & vendere, quod in dia Sabbati sequentia non licebat. Atqui hoc complexum circumstantiarum non reperitur in ullo alio anno, quam in anno vigesimo octavo ante Æram Vulgarem. In hoc anim solo aono incidit in diem vigesimum octavum Martii Plenilunium Paschale, ita ut Festum Paschatis fuerit celebratum die Lunæ, & inchoatum ad Vesperam die Solis. Feria autem V. prout Exodi 12. præcipitur, incipiebat post solis occasom *Parasceve*, seu præparatio quatriduana ad Festum, consistens in saquestratiooe, & alligatione Agni Paschalis

§. III.

Catalogus Romanorum Consulum.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
122	L. Opimius. Q. Fabius Max. Æmilianus.	632 633	164. 3. 164. 4.	
121	P. Manilius. C. Papirius Carbo.	633 634	164. 4. 165. 1.	
120	L. Cæcilius Metellus Calvus. L. Aurelius Cotta.	634 635	165. 1. 165. 2.	
119	M. Porcius Cato. Q. Marcius Rex.	635 636	165. 2. 165. 3.	
118	L. Cæcilius Metellus. Q. Lucius Scævola.	636 637	165. 3. 165. 4.	
117	C. Licinius Geta. Q. Fabius Max. Eburnus.	637 638	165. 4. 166. 1.	
116	M. Cæcilius Metellus. M. Æmilius Scaurus.	638 639	166. 1. 166. 2.	
115	M. Acilius Balbus. C. Porcius Cato.	639 640	166. 2. 166. 3.	
114	C. Cæcilius Metellus Caprarius. Cn. Papirius Carbo.	640 641	166. 3. 166. 4.	
113	M. Livius Drusus. L. Calpurnius Piso Cæsoninus.	641 642	166. 4. 167. 1.	
112	P. Cornel. Scipio Nasica. L. Capurnius Bestia.	642 643	167. 1. 167. 2.	
111	M. Minucius Rufus. Sp. Posthum. Albinus.	643 644	167. 2. 167. 3.	
110	Q. Cæcilius Metell. Numid. M. Junius Silanus.	644 645	167. 3. 167. 4.	
109	Serv. Sulpitius Galba. M. Aurelius Scaurus.	645 646	167. 4. 168. 1.	
108	L. Cassius Longinus. C. Marius.	646 647	168. 1. 168. 2.	
107	Q. Servilius Cæpio. C. Atilius Serranus.	647 648	168. 2. 168. 3.	
106	P. Rutilius Rufus. Cn. Mallius *vel* Manilius.	648 649	168. 3. 168. 4.	

105

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
105	C. Marius II. C. Flavius Fimbria.	649 650	168. 4. 169. 1.	
104	C. Marius III. C. Aurelius Oreſtes.	650 651	169. 1. 169. 2.	
103	C. Marius IV. Q. Lutatius Catulus.	651 652	169. 2. 169. 3.	
102	C. Marius V. M. Aquilius Nepos.	652 653	169. 3. 169. 4.	
101	C. Marius VI. L. Valerius Flaccus.	653 654	169. 4. 170. 1.	
100	M. Antonius. A. Poſthumius Albinus.	654 655	170. 1. 170. 2.	
99	Q. Cæcilius Metellus Nepos. T. Didius Vivius.	655 656	170. 2. 170. 3.	
98	Cn. Cornelius Lentulus. P. Licinius Craſſus.	656 657	170. 3. 170. 4.	
97	Cn. Cornelius Lentulus. P. Licinius Craſſus.	657 658	170. 4. 171. 1.	
96	Cn. Domitius Ahenobarbus. C. Caſſius Longinus.	658 659	171. 1. 171. 2.	
95	C. Cœlius Caldus. L. Domitius Ahenobarbus.	659 660	171. 2. 171. 3.	
94	C. Valerius Flaccus. M. Herennius.	660 661	171. 3. 171. 4.	
93	Cornelius Cethegus. Q. Flaminius. NB. Hi duo in Faſtis paſſim omittuntur, ſed Flörchenius ex Plinio L. 19. c. 8. reſtituendos oſtendit.	661 662	171. 4. 172. 1.	
92	C. Claudius Pulcher. M. Perperna.	662 663	172. 1. 172. 2.	
91	L. Marcius Philippus. Sex. Julius Cæſar.	663 664	172. 2. 172. 3.	
90	L. Julius Cæſar. P. Rutilius Lupus.	664 665	172. 3. 172. 4.	
89	Cn. Pompejus Strabo. L. Porcius Cato.	665 666	172. 4. 173. 1.	

CATALOGUS ROMANORUM CONSULUM.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
88	L. Cornelius Sylla.	666	173. 1.	
	Q. Pompejus Ruffus.	667	173. 2.	
87	Cn. Octavius.	667	173. 2.	
	L. Cornelius Cinna.	668	173. 3.	
86	L. Cornelius Cinna II.	668	173. 3.	
	C. Marius VII.	669	173. 4.	
85	L. Cornelius Cinna III.	669	173. 4.	
	Cn. Papirius Carbo I.	670	174. 1.	
84	L. Cornelius Cinna IV.	670	174. 1.	
	Cn. Papirius Carbo II.	671	174. 2.	
	NB. Poſt Cinnæ interitum Carbo ſolus.			
83	L. Cornel. Scipio Aſiaticus.	671	174. 2.	
	C. Norbanus Flaccus.	672	174. 3.	
82	Cn. Papirius Carbo III.	672	174. 3.	
	C. Marius. C. F.	673	174. 4.	
81	M. Tullius Decula.	673	174. 4.	
	Cn. Cornel. Dolabella.	674	175. 1.	
80	L. Cornelius Sylla Felix II.	674	175. 1.	
	Q. Cæcilius Metellus Pius.	675	175. 2.	
79	P. Servilius Vatia.	675	175. 2.	
	Ap. Claudius Pulcher.	676	175. 3.	
78	M. Æmilius Lepidus.	676	175. 3.	
	Q. Lutatius Catulus.	677	175. 4.	
77	D. Junius Brutus.	677	175. 4.	
	M. Æmil. Lepidus Livianus.	678	176. 1.	
76	Cn. Octavius.	678	176. 1.	
	C. Scribonius Curio.	679	176. 2.	
75	L. Octavius.	679	176. 2.	
	C. Aurelius Cotta.	680	176. 3.	
74	L. Licinius Lucullus.	680	176. 3.	
	M. Aurelius Cotta.	681	176. 4.	
73	M. Terentius Varro Lucullus.	681	176. 4.	
	C. Caſſius Varus Longinus.	682	177. 1.	
72	L. Gellius Poplicola.	682	177. 1.	
	Cn. Aufidius Oreſtes.	683	177. 2.	

CATALOGUS ROMANORUM CONSULUM.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
71	M. Licius Craffus.	683	177. 2.	
	Cn. Pompejus Magnus.	684	177. 3.	
70	Q. Hortenfius.	684	177. 3.	
	Q. Cæcilius Metellus.	685	177. 4.	
69	L. Cæcilius Metellus. *quo mortuo*	685	177. 4.	
	Q. Marcius Rex. *folus.*	686	178. 1.	
68	C. Calpurnius Pifo Frugi.	686	178. 1.	
	M. Acilius Glabrio.	687	178. 2.	
67	M. Æmilius Lepidus.	687	178. 2.	
	L. Volcatius Tullus.	688	178. 3.	
66	P. Cornelius Sulla.	688	178. 3.	
	P. Autronius Pætus.	689	178. 4.	
65	L. Julius Cæfar.	689	178. 4.	
	C. Marcius Figulus.	690	179. 1.	
64	M. Tullius Cicero.	690	179. 1.	
	C. Antonius.	691	179. 2.	
63	D. Junius Silanus.	691	179. 2.	
	L. Licinius Murena.	692	179. 3.	
62	M. Pupius Pifo.	692	179. 3.	
	M. Valerius Meffala, Niger.	693	179. 4.	
61	Q. Cæcilius Metellus Celer.	693	179. 4.	
	L. Afranius.	694	180. 1.	
60	C. Julius Cæfar.	694	180. 1.	
	M. Calpurnius Bibulus.	695	180. 2.	
59	L. Calpurnius Pifo Cæfoninus.	695	180. 2.	
	A. Gabinius.	696	180. 3.	
58	P. Cornel. Lentulus Spinter.	696	180. 3.	
	Q. Cæcilius Metellus Nepos.	697	180. 4.	
57	Cn. Corn. Lentulus Marcellinus.	697	180. 4.	
	L. Marcius Philippus.	698	181. 1.	
56	Cn. Pompejus Magnus II.	698	181. 1.	
	M. Licinius Craffus II.	699	181. 2.	
55	L. Domitius Ahenobarbus.	699	181. 2.	
	Ap. Claudius Pulcher.	700	181. 3.	
54	Cn. Domitius Calvinus.	700	181. 3.	
	M. Valerius Meffala.	701	181. 4.	

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
53	Cn. Pompejus Magnus III. Q. Cæcil. Metell. Pius Scipio.	701 702	181. 4. 182. 1.	
52	Serv. Sulpitius Rufus. M. Claudius Marcellus.	702 703	182. 1. 182. 2.	
51	L. Æmilius Paulus. C. Claudius C. F. Marcellus.	703 704	182. 2. 182. 3.	
50	C. Claudius M. F. Marcellus. L. Cornelius Lentulus.	704 705	182. 3. 182. 4.	
49	C. Julius Cæfar II. P. Servilius Vatia Ifauricus.	705 706	182. 4. 183. 1.	
48	Q. Fufius Calenus. P. Vatinius.	706 707	183. 1. 183. 2.	
47	C. Julius Cæfar III. M. Æmilius Lepidus.	707 708	183. 2. 183. 3.	
46	C. Julius Cæfar IV. *folus; fed cùm Confulatum abdicaret, illi fuffecti funt* Q. Fabius Maximus. C. Trebonius Maximus. *Et cùm hic moreretur ultima die Decembris, illi ad paucas horas fuffectus eft* C. Caninius Rebilus. NB. *Hic annus vocatur AN-NUS CONFUSIONIS.*	708 709	183. 3. 183. 4.	
45	Julius Cæfar V. M. Antonius. M. F. *qui occifo Julio Cæfare fuffectus eft.* P. Cornelius P. F. NB. *Hic facta à Julio Cæfare correctio Calendarii; & incipit ANNUS I. JULIANUS.*	709 710	183. 4. 184. 1.	CB.
44	C. Vibius Panfa. A. Hirtius. *His fuffecti funt* C. Octavianus. C. Carrinas.	710 711	184. 1. 184. 2.	A.
43	L. Munatius Plancus. M. Æmilius Lepidus.	711 712	184. 2. 184. 3.	G.
42	L. Antonius. P. Servilius Rauricus.	712 713	184. 3. 184. 4.	F.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
41	Cn. Domitius Calvinus. C. Afinius Pollio. *His fuffecti* L. Cornelius. P. Caffidius.	713 714	184. 4. 185. 1.	E D.
40	L. Marcius Cenforinus. C. Calvifius Sabinus.	714 715	185. 1. 185. 2.	C.
39	App. Claudius Pulcher. C. Nortanus Flaccus.	715 716	185. 2. 185. 3.	B.
38	M. Vipfanius Agrippa. L. Caninius Gallus.	716 717	185. 3. 185. 4.	A.
37	L. Gellius Publicola. M. Coccejus Nerva.	717 718	185. 4. 186. 1.	CF.
36	L. Cornificius. Sextus Pompejus.	718 719	186. 1. 186. 2.	E.
35	T. Sempronius Atratinus. M. Antonius. *Huic fuffectus* L. Scribonius Libo.	719 720	186. 2. 186. 3.	D.
34	C. Cæfar Octavianus II. *Sed cùm fe ipfa die Kal. Jan. abdicaret, fuffectus eft* L. Volcatius Tullus.	720 721	186. 3. 186. 4.	C.
33	Cn. Domitius Ahenobarbus. C. Sofius.	721 722	186. 4. 187. 1.	B A.
32	Octavianus III. M. Valerius Meffala Corvinus.	722 723	187. 1. 187. 2.	G.
31	Octavianus IIII. M. Licinius Craffus.	723 724	187. 2. 187. 3.	F.
30	Octavianus V. Sextus Appulejus.	724 725	187. 3. 187. 4.	E.
29	Octavianus VI. M. Vipfanius Agrippa II.	725 726	187. 4. 188. 1.	D C.
28	Octavianus VII. M. Vipfanius Agrippa III.	726 727	188. 1. 188. 2.	B.
27	Octavianus VIII. T. Statilius Taurus.	727 728	188. 2. 188. 3.	A.
26	Octavianus IX. M. Junius Silanus.	728 729	188. 3. 188. 4.	G.

CATALOGUS ROMANORUM CONSULUM.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
25	Octavianus X. C. Nortanus Flaccus.	729 730	188. 4. 189. 1.	F E.
24	Octavianus XI. Cn. Calpurnius Piso.	730 731	189. 1. 189. 2.	D.
23	L. Arruntius. C. Marcellus Æserninus.	731 732	189. 2. 189. 3.	C.
22	Q. Æmilius Lepidus. M. Lollius.	732 733	189. 3. 189. 4.	B.
21	M. Apulejus Nepos. P. Silius Nerva.	733 734	189. 4. 190. 1.	A G.
20	C. Sentius Saturninus. Q. Lucretius Vipsalio.	734 735	190. 1. 190. 2.	F.
19	P. Cornelius. Cn. Cornelius Lentulus Augur.	735 736	190. 2. 190. 3.	E.
18	C. Furnius. C. Junius. (Silanus.)	736 737	190. 3. 190. 4.	D.
17	L. Domitius (Ahenobarb.) P. Cornelius Scipio. *Huic suffectus* L. Tarius Rufus.	737 738	190. 4. 191. 1.	C B.
16	M. Livius Drusus. L. Calpurnius Piso.	738 739	191. 1. 191. 2.	A.
15	M. Licinius Crassus. Cn. Cornelius Lentulus.	739 740	191. 2. 191. 3.	G.
14	Ti. Claudius Nero. P. Quintilius Sex. Varus.	740 741	191. 3. 191. 4.	F.
13	M. Valerius Messala Con. P. Sulpitius Quirinus.	741 742	191. 4. 192. 1.	E D.
12	Paulus Fabius Max. Q. Ælius Tubero.	742 743	192. 1. 192. 2.	C.
11	C. Julius Antonius African. C. Fabius Maximus.	743 744	192. 2. 192. 3.	B.
10	Nero Claudius Drusus. T. Quinctius Crispinus.	744 745	192. 3. 192. 4.	A.
9	C. Marcius Censorinus. C. Asinius Gallus.	745 746	192. 4. 193. 1.	G F.

CATALOGUS ROMANORUM CONSULUM.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
8	Ti. Claudius Nero. Cn. Calpurius Piso.	746 747	193. 1. 193. 2.	E.
7	D. Lelius Balbus. C. Antistius Vetus.	747 748	193. 2. 193. 3.	D.
6	Octavianus XII. L. Cornelius Sulla.	748 749	193. 3. 193. 4.	C.
5	C. Calvisius Sabinus. L. Passenus (Crispinus) Rufus.	749 750	193. 4. 194. 1.	B A.
4	L. Cornelius Lentulus. M. Valerius Corvinus Messala.	750 751	194. 1. 194. 2.	G.
3	Octavianus XIII. M. Plautius Silvanus.	751 752	194. 2. 194. 3.	F.
2	Cossus Cornelius Lentulus. L. Calpurnius Piso Augur.	752 753	194. 3. 194. 4.	E.
1	C. Julius Cæsar Vipsanianus. L. Æmilius Paulus.	753 754	194. 4. 195. 1.	D C.
1	P. Vinicius. P. Alfenius Varus.	754 755	195. 1. 195. 2.	B.
2	P. Ælius Lamia. M. Servilius.	755 756	195. 2. 195. 3.	A.
3	L. Ælius Catus. C. Sentius Saturninus.	756 757	195. 3. 195. 4.	G.
4	L. Valerius (Messala) Volosus. Cn. (Cornelius) Cinna Magnus.	757 758	195. 4. 196. 1.	F E.
5	M. Æmilius Lepidus. L. Arruntius.	758 759	196. 1. 196. 2.	D.
6	A. Licinius Nerva Silianus. Q. Cæcil. Metell. Cret. Silan.	659 760	196. 2. 196. 3.	C.
7	M. Furius Camillus. Sex. Nonius.	760 761	196. 3. 196. 4.	B.
8	Q. Poppæus Sabinus. Q. Sulpitius Camerinus.	761 762	196. 4. 197. 1.	A G.
9	P. Cornelius Dolabella. C. Junius Silanus.	762 763	197. 1. 197. 2.	F.
10	M. Æmilius Lepidus. T. Statilius Taurus.	763 764	197. 2. 197. 3.	E.

11

CATALOGUS ROMANORUM CONSULUM.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
11	Germanicus Cæsar Aug. C. Fontejus.	764 765	197. 3. 197. 4.	D.
12	C. Silius. L. Munatius Plancus.	765 766	197. 4. 198. 1.	C B.
13	Sex. Pompejus. Sex. Appulejus.	766 767	198. 1. 198. 2.	A.
14	Drusus Cæsar. C. Norbanus Flaccus.	767 768	198. 2. 198. 3.	G.
15	T. Statilius Sisenna Taurus. L. Scribonius Libo.	768 769	198. 3. 198. 4.	F.
16	C. Pomponius Flaccus. C. Cælius Rufus.	769 770	198. 4. 199. 1.	E D.
17	Augustus III. Germanicus Cæsar.	770 771	199. 1. 199. 2.	C.
18	M. Junius Silanus. L. Norbanus Balbus.	771 772	199. 2. 199. 3.	B.
19	M. Valerius Messala. M. Aurelius Cotta.	772 773	199. 3. 199. 4.	A.
20	Augustus IV. Drusus Augustus II.	773 774	199. 4. 200. 1.	G F.
21	D. Naterius Agrippa. L. Sulpitius Galba.	774 775	200. 1. 200. 2.	E.
22	L. Asinius Pollio. C. Antistius Vetus.	775 776	200. 2. 200. 3.	D.
23	L. Cornelius Cethegus. L. Visellius Varo.	776 777	200. 3. 200. 4.	C.
24	Cossus Cornelius Lentulus. M. Asinius Agrippa.	777 778	200. 4. 201. 1.	B A.
25	Cn. Cornelius Getulicus. C. Calvisius Sabinus.	778 779	201. 1. 201. 2.	G.
26	M. Licinius Crassus Frugi. L. Calpurnius Piso.	779 780	201. 2. 201. 3.	F.
27	Appius Junius Silanus. P. Silius Nerva.	780 781	201. 3. 201. 4.	E.
28	C. Rufius Geminus C. Rubellius Geminus.	781 782	201. 4. 202. 1.	D C.
29	L. Cassius Longinus. M. Vinicius.	782 783	202. 1. 202. 2.	B.

CATALOGUS ROMANORUM CONSULUM.

Anni ante Æram Vulgarem.	CONSULES.	Anni ab Urbe condita.	Olympiades.	Littera Dominicalis.
30	Auguftus V.	783	202. 2.	A.
	L. Ælius Sejanus.	784	202. 3.	
31	Cn. Domitius Ahenobarbus.	784	202. 3.	G.
	M. Furius Camillus Scribonianꝰ.	785	202. 4.	
32	L. Sulpitius Galba.	785	202. 4.	F E.
	L. Cornelius Sulla Felix.	786	203. 1.	
33	Paulus Fabius Perficus.	786	203. 1.	D.
	L. Vitellius.	787	203. 2.	
34	C. Ceftius Gallus.	787	203. 2.	C.
	M. Servilius Nonianus.	788	203. 3.	
35	Sex. Papirius Allenius.	788	203. 3.	B.
	Q. Plautius.	789	203. 4.	
36	Cn. Acerronius Proculus.	789	203. 4.	A G.
	Cn. Pontius Nigrinus.	790	204. 1.	
37	M. Aquilianus Julianus.	790	204. 1.	F.
	P. Nonius Afprenas.	791	204. 2.	
38	C. Cæfar Aug. German. II.	791	204. 2.	E.
	L. Apronius Cæfianus.	792	204. 3.	
39	C. Cæfar Aug. Germ. III.	792	204. 3.	D.
	folus.	793	204. 4.	
40	C. Cæfar IV.	793	204. 4.	C B.
	C. Sentius Saturninus.	794	205. 1.	
41	C. Cæfar Aug. V. occifus IX. Kal. Febr.	794	205. 1.	A.
	Tit. Catius.	795	205. 2.	
	P. Cærclius.			
	NB. *Confules fortè abrafi.*			
42	Ti. Claudius Aug. II.	795	205. 2.	G.
	C. Cæcina Largus.	796	205. 3.	
43	Ti. Claudius Aug. III.	796	205. 3.	F.
	L. Vitellius.	797	205. 4.	
44	L. Quinctius Crifpinus.	797	205. 4.	E D.
	M. Statilius Taurus.	798	206. 1.	
45	M. Vinicius.	798	206. 1.	C.
	Taurus Statilius Corvinus.	799	206. 2.	
46	Valerius Afiaticus.	799	206. 2.	B.
	M. Junius Silanus.	800	206. 3.	
47	Ti. Claudius Aug. IV.	800	206. 3.	A.
	L. Vitellius.	801	206. 4.	
48	A. Vitellius.	801	206. 4.	G F.
	L. Vipfianus.	802	207. 1.	
49	Q. Veranius.	802	207. 1.	E.
	A.Pompejus(Longinus)Gallus.	803	207. 2.	
50	C. Antiftius Vetus.	803	207. 2.	D.
	M. Svillius Nervillianus.	804	207. 3.	
51	Ti. Claudius Aug. V.	804	207. 3.	C.
	Ser. Corn. Ophitus.	805	207. 4.	

§. IV.

schalis immolandi in Paschate, & in purificatione hominum, prout colligitur ex Josue 4. v. 19. ex eo die sanctificante populum, & ex ritu decimi diei aliorum mensium, ut constat ex Levit. 16. 19. & 23. v. 27. & 25. v. 9., vel in *præparatione proxima*, quæ fiebat in die præcedente solennitatem Paschalem, & consistebat partim in emundatione domus ab omni fermento, & confectione Panum Azymorum, & occisione Agni Paschalis, sed textus D. Marci c. 14. evincit, id de præparatione proxima intelligendum esse. Hanc autem circumstantiam concurrere cum anno 28. Æræ Vulgaris patet ex Tabulis Astronomicis, ex quibus manifestum est, Plenilunium Paschale incidisse in 28. Martii Hora noctis duodecima completa.

§. IV.

Demonstratio hujus Catalogi.

In hoc Catalogo quatuor demonstranda sunt. 1. Quod cuilibet Consulatui adscribatur *Annus Æræ Vulgaris* competens. 2. Quod cuilibet Consulatui adscribatur *Annus ab Urbe condita* congruens. 3. Quod cuilibet Consulatui rectè adscribatur conveniens *Annus Olympiadis*. 4. Quod cuilibet Consulatui ab anno Juliano I. rectè adscribatur *Littera Dominicalis*. Demonstranda etiam foret ipsa series Consulum, nisi *Blanchinus*, & *Flörchenius* in sua *Chronologia*, edita *Hildesii* anno 1741. & dedicata SS. D. N. Benedicto XIV. partim ex Scriptoribus Romanis, partim ex Nummismatis, partim ex antiquis Inscriptionibus eam tam luculenter demonstrassent, ut in hac materia oleum & operam perderem. Neque etiam circa ultimum specialiter infudandum censeo; cum cuivis ex sola annorum numeratione à tempore Concilii Nicæni, & Litteræ Dominicalis adscriptione, aut sola Blanchinianæ deductionis inspectione Demonstratio in promptu sit. Constat namque, tempore Concilii Nicæni, celebrati anno Æ. V. 325. Litteram Dominicalem fuisse C.; uti etiam anno Æ. V. 222. quo S. HIPPOLYTUS suum Canonem Paschalem marmori inscripsit, Litteram Dominicalem fuisse F, prout ex Demonstratis à BLANCHINO in editione Operum hujus S. Martyris liquet. Itaque ascendendo usque ad tempora Nativitatis Dominicæ, aut annum Julianum I, quilibet agnoscere poterit, rectè cujuslibet Consulatus anno Litteram Dominicalem adscriptam esse. Sit ergo

DEMONSTRATIO I. CIRCA PRIMUM; *Quod in Catalogo cuivis Consulatui annus Æræ Vulgaris competens rectè adscriptus sit.*

NAM PRIMO; quod Consulatui L. Æmilii Pauli correspondeat annus ante Æram Vulgarem LI, probatur ex Eclipsi solari, quam ad illud tempus signat Dion. L. 43. Illam enim contigisse ac fuisse Romæ Centralem anno ante Æ. V. 51. die 7. Martii ostendit ex Calculo Petavius L. 8. c. 13. Idem ex Tabulis de la Hire confirmat Bianchinus Tom. 2. fol. 151. & Part. 2. fol. 284. ubi exhibet calculum.

Secundò. Quòd Consulatui *Claudii Marcelli* & *Cornelii Lentuli* correspondeat annus ante Æ. V. 50, probatur ex alia Eclipsi Solari, quam Dion. L. 43. assignat huic tempori. Eam enim contigisse annu ante Æ. V. 50.; & fuisse Romæ 7. digitorum die 21. Augusti, testatur Bianchinus. l. c. ex Tabulis de la Hire, ac demonstrat fol. 286. ex Calculo.

Tertiò. Quòd Consulatui IV. Julii Cæsaris eo anno, quo erat in expeditione Hispanica, & præcedente annum suæ mortis, correspondeat annus ante Æ. V. 46., probatur ex ortu Lunæ media nocte *Mundæ* in Hispania 5. die Martii, quem contigisse ex die testatur *Hirtius*, comes Julii Cæsaris in illa expeditione. Eum ortum Lunæ contigisse anno ante Æ. V. 46. demonstrat Bianchinus Calculo Astronomico inferiùs exhibendo.

Quartò. Consulatum V. & mortem Julii Cæsaris contigisse ante Æ. V. 45. probatur ex Correctione Calendarii, quam Julius Cæsar fecit initio sui Consulatus V., & anno post expeditionem Hispanicam. Julium Cæsarem pro ea correctione selegisse diem 1. Januarii, quo simul inciderat Novilunium, ut hoc modo Annus Civilis aptiùs regularetur ex Cyclis Lunaribus, ostendit Norisius & Bianchinus l. c. fol. 289. ex Macrobio L. 1. Saturn. c. 14. Jam verò Novilunium illud die 1. Januarii, & consequenter primum annum Julianum correctum incidere in annum ante Æ. V. 45., cum omnibus Astronomis ostendit Bianchinus l. c. fol. 289. ex Tabulis de la Hire.

Quintò. Quòd Consulatus *Domitii Calvini* & *Asinii Pollionis*, *M. Vipsanii Agrippæ* & *Caninii Galli* rectè ponantur in annum ante Æ. V. 41. & 38., probatur ex Eclipsi Lunari facta ante mortem Herodis non diu ante tempus Paschale. Nam eam contigisse anno quarto ante Æ. V. ostendetur infrà *Argumento I.* Cùm ergo Josephus infrà *Argumento I.* referendus testetur, eam mortem contigisse annis 34. à morte Antigoni; mortem autem Antigoni contigisse sub Consulatu Marci Agrippæ & Caninii, triennio post Consulatum Domitii Calvini, & Asinii Pollionis, manifestum est,. Consulatum Asinii Pollionis anno 41. & Agrippæ anno 38. rectè esse positum.

Sextò. Quòd Consulatus *Æmilii Lepidi* & *Aruntii* rectè fuerit positus anno Æræ Vulgaris 5., probatur ex Eclipsi Solari, quæ teste Dione L. 55. contigit Anno ab Urbe condita 758., & anno Æ. V. 5. die 28. Martii, prout ostendit Petavius suo calculo, quem exhibet L. 8 c. 13.

Septimò. Quòd Consulatus *duorum Sextiorum* rectè ponatur ad annum Æ. V. 13., probatur ex Eclipsi Solari, quæ contigit ante mortem Augusti, juxta Scriptores Romanos, prout ostendit Bianchinus Tom. 2. part. 1. fol. 13. ex Dione L. 56. secutam sub Consulatu duorum Sextiorum. Et eam Eclipsin contigisse anno Æ. V. 13. die 28. April. dum Sol vergeret ad occasum, ostendit Bianchinus l. c. Idem testatur, hanc Eclipsin in Scotiæ Borealis Insulis fuisse totalem. Addo, etiam in aliis Provinciis magis Meridionalibus & Orientalibus potuisse existimari totalem in actuali occasu, dum Luna emergeret ex

 parte

parte Orientali, & altera pars Solis jam esset sub Horizonte.

Octavò. Quòd Consulatus *Drusi* & *Norbani Flacci* rectè collocari potuerit anno Æ. V. 14., probatur ex Eclipsi Lunari, quæ teste TACITO conspecta est in Pannonia à Legionibus tumultuantibus post mortem Augusti. TACITUS non exprimit, utrùm eodem Anno Civili, an altero sequente anno contigerit. Talem verò conspectam fuisse anno Æ. V. 14. die 27. Septembris, ostendit Petavius ex Calculo, quem exhibet L. 8. c. 13.

Nonò. Quòd Consulatus *Vinicii* & *Statilii Corvini* rectè positus fuerit ad annum Æ. V. 45., probatur ex Eelipsi Solari, quam Dion L. 60. boc tempore eontigisse testatur. Nam eam eontigisse anno Æ. V. 45., evincit Petavius L. 8. c. 13. suo ealculo, quem ibi exhibet.

DEMONSTRATIO CIRCA II. Quòd in hoe Catalogo singulis Consulatibus rectè adscripti fuerint anni ab Urbe condita, evincitur ex testimoniis Scriptorum eoævorum postremis in hoe Catalogo Consulibus.

Primò. Vellejus Paterculus L. 1. asserit; à Roma condita usque ad Consulatum *M. Vinicii* & *Cassii Longini* præteriisse jam annos 782., id est $\frac{782}{783}$.

Secundò. Idem L. 2. scribit: *Hic est Opimius, à quo Consule celeberrimum Opimiani Vini nomen; cùm ab eo sint à te, M. Vinici, Consulem anni* 151. Si ergo ab anno 783., quo *Vinicius* omnium publica supputatione suum insigniebat Consulatum, subtrahantur anni 151., prodeunt pro Consulaut *Opimii* anni 632., quos exprimit Catalogus.

Tertiò. Plinius L. 36. c. 6. ait: *M. Lepidus Catuli in Consulatu Collega fuit Consul anno Urbis* 676.

Quartò. Idem L. 8. c. 7. *M. Antonium* & *A. Posthumium* Consules refert ad annum Urbis conditæ 655.

Quintò. Dio L. 59. & in Catalogo Consulum Operi præfixo Consulatum *Aquilii Juliani*, & *Noni Asprenas* ponit ad annum Urbis conditæ 791. & Fontin. de Aquæduct. ait: *Cajus Cæsar, qui Tiberio successit, altero Imperii sui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Asprenate Coss. anno Urbis conditæ* 790. *duos ductus inchoavit.*

Sextò. Vellejus L. 2. c. 123. Consulatum Vinicii, cui librum dedicat, asserit distare sedecim annis à Consulatu duorum Sextiorum, *Pompeji* & *Apuleji*. Ergò cùm Vinicio in conspectu totius Romæ, tune actu gerenti Consulatum, tribuat annum 782. transeuntem mense Majo in 783., neeesse est, ut duobus SEXTIIS tribuatur annus $\frac{766}{767}$. Qui plura ejusmodi argumenta cupit, ea reperiet in P. Flörchen, qui in sua Chronologia solerter collegit Scriptorum Romanorum circa Fastos Consulares Notas temporum characteristieas.

DEMONSTRATIO CIRCA III. *Quòd Olympiades rectè adscribantur singulis Consulibus.*

Primò. Bellum inter Mithridatem & Romanos motum est sub Consulatu *Cornelii Sylla* & *Pompeji Ruffi*; illud bellum confectum est intra triennium. Sequenti anno sub Consulatu Papiril Carbonis II. post interitum Cinnæ Sylla gessit bellum in Italia. Prius actum est *circa Olympiadem* 173. hoc est $\frac{173}{173}$. $\frac{1}{2}$. Posterius verò *Olympiade* 174. Ita testatur APPIANUS L. *de Bello Mithridatico* his verbis: *Primùm moverunt contra se invicem Romani & Mithridates circa* 173. *Olympiadem.* Idem L. 1. *de Bello Civili: Sylla tunc Consul Asiam cum Mithridatico Bello sortitus est provinciam. — Porro Sylla reditum contra inimicos* (in Italia) *approperans Mithridatem debellavit celeriter, ne integro quidem triennio.* Inimicus Syllæ erat Fimbria Senator, qui Ilienses Syllæ amicos deleverat. *Hæc autem Iliensium clades incidit in finem Olympiadis* 173. prout asserit APPIANUS *de Bello Mithridatico.* Sequenti anno Sylla in Italiam trajiciens Brundusium appulit, de quo APPIANUS L. 1. de Bell. Civ. scribit: *Initium autem belli hujus, quando Sylla Brundusium appulit, incidit in* 174. *Olympiadem.*

Secundò. Circa Consulatum *duorum Sextiorum* testatur Dio L. 56. & alii, sub isto Consulatu obiisse *Augustum*, quod factum est mense Augusto. *Augusto* immediatè successit Tiberius. Hoc autem contigit Olympiade 198. anno 2. *Ait enim Phlegon, ipsum regnare cœpisse anno* 2. *Olympiadis* 198. ùt habetur apud Rieciolum Chronol. L. 8. e. 12.

Tertiò. Circa Consulatum *Pompeji Galli* & *Veranii* SOLINUS c. 2. scribit his verbis: *Cùm C. Pompejus Gallus & Q. Veranius anno U. C.* 801. *fuerunt Consules, Consulatu eorum Olympias* 207. *actis publicis annotata est.*

Quartò. Josephus infrà referendus L. 14. c. ult. scribit: *Jerosolymam captam esse ab Herode sub Consulibus Marco Agrippa & Caninio Gallo Olympiade* 185.: *econtra Herodem in Regem creatum esse sub Consulatu C. Demetrii & C. Asionis Olympiade* 184. Ex quo patet, Consulatum Asinii Pollionis nec posse serius poni in Olympiadem 185., nec Consulatum Agrippæ & Caninii Galli posse citius poni in Consulatu 184., eùm hi duo Consulatus integro quadriennio differant.

SI QUIS OBJICIAT, quod Dionysius Halicarnassæus Consulatum Claudii Neronis & Calpurnii Pisonis ponat ad annum U. C. 745. cum tamen in hoe Catalogo ponatur anno U. C. $\frac{746}{747}$.

RESPONDEO. Quod Dionysius uno anno erret ex incuria, atque in hoe puncto sibi ipsi contradicat, ae eum errorem retegat, prout observat l'Academie Royale des belles Lettres Tom. 2. part. 2. fol. 44. Nam ipsemet Dionysius testatur, Romam conditam esse die 21. Aprilis. Ergo dum asserit, conditam esse Olympiade 7. anno primo, si exactè scriberet, debuisset potius dicere, Romam conditam esse ante Olympiadis 7. annum 1. incipientem mense Julio, nempe anno 4. Olympiadis 6.

Ex his ergo omnibus liquet, hunc Catalogum tam in annis Æram vulgarem præcedentibus & subsequentibus, quàm in annis Olympiadum & Urbis conditæ ita exactum esse, ut moraliter certum sit, eum ultra annum, multo minùs ultra biennium aut triennium aberrare non posse. Q. E. D.

§. V.

§. V.

ARGUMENTUM I.

Moraliter certum eſt; Herodem jam objiſſe ante æram vulgarem quatuor annis. Ergo eoipſo etiam certum eſt; Chriſtum natum eſſe quinque aut ſex annis ante æram vulgarem.

Pro fundamento hujus Argumenti aſſumo teſtimonium Joſephi, qui ad annum obitus Herodiani ponit ſequentes quatuor Notas Characteriſticas; 1. Eclipſin Lunarem, quæ contigit non diu ante obitum Herodis, defuncti circiter octiduo ante Feſtum Paſchale. 2. Annos XXXIV. à morte Antigoni. 3. Annos XXXVII. à tempore, quo Herodes Regnum à Romanis acceperat. 4. Succeſſionem filiorum Herodis, nempe *Herodis Antipæ*, *Philippi* & *Archelai*, quorum primus in tetrarchia Galilææ, alter in tetrarchia trachonitidis, tertius in tetrarchia Judææ ſuo Patri ſucceſſerat.

Jam verò has quatuor Notas Characteriſticas concurrere in quarto anno ante æram vulgarem, adeo evidenter oſtendam, ut prudens dubium ſupereſſe non poſſit. Sit itaque

I. Tesimonium Josephi, „quo oſtenditur; in morte Herodis concurrere quatuor præfatas Notas Characteriſticas, & quidem veſtitas ejuſmodi circumſtantiis, ut neceſſariò incidere debeant in annum quartum aut quintum ante æram vulgarem.„ In l. 17. Antiquitatum c. 8. ſic ſcribit: „*Herodes* morbo prægravatus furia incenſus volebat Judæorum cuncta diſperdere. Cauſa hujus rei erat, quòd caſum ſuum jucundè gentem totam exiſtimabat accipere. Super hæc quoque quidam popularium hominum ſeditionem excitaverant. Erat quidam *Judas Ariſei*, & *Mathias Margalothi*, Legis expoſitores Doctiſſimi. Iſti audientes Regem morbo prægravatum, & remedii minime receptabilem, omnem excitavere Juventutem, ut opera à Rege contra Legem facta everterent. Nam conſtruxerat ſupra portam templi aquilam auream immanem. Prohibet autem Lex imaginum elevationes, & animalium poſitiones conſtituere. Proinde hortabantur illi Legis Doctores, aquilam illam (quam Herodes ſupra portam templi poſuerat) loco divellere. Deinde defertur ad eos repente rumor; Regem vita deceſſiſſe (quando videlicet exiſtens trans Jordanem utebatur balneo; & ſemel ex balneo olei ita defecerat, ut ab omnibus mortuus putaretur, ac proclamaretur, ut infra dicetur:) Igitur media Die aſcendentes evulſere aquilam & ſecuribus concidere. Irruente Duce Regis cum militibus omnes continuò fugerunt; ſoli quadraginta Juvenes remanſerunt, quos Dux apprehendit cum principibus facti, *Juda* & *Mathia*. Hos omnes perducit ad Regem. Quos vinculis conſtringi præcipiens evocavit ex Jerichunte Judæorum Principes, quibus advenientibus Conventus omnium congregatur. Ipſe verò in lecto recumbebat, & ſtare non poterat. Exprobrabat igitur præſumptiones ſeditioſorum Juvenum. Illi humiliter reſponderunt; neque ex ſua ſententia contigiſſe, neque illa commiſſa inulta eſſe debere. Ille verò *Mathiam* qui ſeditionem excitaverat, & aliquos viros ex ſociis ſeditionis illius vivos igni contradidit. Sed etiam luna eadem nocte defecerat. Herodem porro amarior in dies morbus urgebat. Ipſi tamen ſpes ſalutis multum inſtabat. Medicos advocabat, & tranſiens Jordanem fluvium aquis calidis, quæ ſunt circa Calliorsm, die noctuque fovebatur. Præterea viſum eſt Medicis, ut eum in dolio oleo pleno confoverent, ubi cum miſſus eſſet, ita defecit, ut ab omnibus mortuus putaretur. Tunc grandis ſervorum ululatus exortus eſt. Cum igitur nulla jam de eo ſpes ſalutis exiſteret, reverſus in Jerichuntem prævalentibus nigris coleris exaſperatus eſt iniquius, ut ipſo moriente indignum facinus ageretur. Venerant quippe ex locis omuibus per ejus præceptum Judæorum optimates; & erant plurimi; ſiquidem ex omni gente fuerant convocati; adhæc etiam fuerat mors contemptoribus præcepti propoſita. Magna igitur Regis furia in omnes concitata eſt; propterea culpabiles & inculpabiles in hippodromio concludens, dixit (ad ſuos) cum videritis me animam exſpirantem, circumvallantes hippodromium omni militia, necdum mea morte vulgata, confeſtim omnes illos incluſos jaculari perficite; ita ſuper ſuam mortem luctum celebrandum magnificum. Hæc igitur illo ſuis demandante, deportantur litteræ à legatis, qui ad Cæſarem (Auguſtum) Romam fuerant miſſi, quarum hæc erat ſententia: Antipatrum (Filium Herodis) in Patris voluntate dimiſſum. His auditis Herodes pauliſper animum refovit, ſublevatus poteſtate, quam acceperat in filium. Sed prævalentibus Doloribus interitui propinquabat. (C. 9.) Quæ cùm ad *Antipatrum* perveniſſent, totus animo geſtiebat. Tunc cepit cum Cuſtode ergaſtuli de ſua dimiſſione fabulari. Ille cuncta Regi denuntiat. Tunc Herodes, quanquam in extremo vitæ teneretur, celeriter necari jubet Antipatrum. Teſtamentum interea ſcribebat. His diſpoſitis quinto die, poſtquam *Antipatrum* filium necaverat, defungitur, regnans, poſtquam *Antigonum* interemit, annos XXXIV. poſtquam autem à Romanis Regnum perceperat XXXVII. At *Salome* & *Alexas*, antequam mors Regis divulgata erat, ex Hippodromio omnes Judæos abire permittunt ad proprias domos, Beneficium illi genti præſtare cupientes. (C. 10.) Tunc *Salome* & *Alexas* cunctam militiam congregantes in Amphitheatro, quod Jerichunte erat, primùm quidem Epiſtolam Regis legi fecerunt, quam ad milites fecerat; tunc petitiones quoque ejus inſinuant, ut ſimiles ſe circa *Archelaum* filium exhiberent, quem Regem conſtituit. Fit continuo fragor ingens, honorantium *Archelaum*, Regemque proclamantium. (C. 11.) Dehinc ſepulturam Regi præparabant. *Archelaus* autem per ſeptem Dies luctum ſuper Patrem ex more gerit. Tum tribunal conſcendens omnibus benigna loquebatur; ac roga-

„bat,

„ bat, ut nunc ſibi parcerent, Regis nomine ho-
„ norare. Sufficere ſibi dignitatem poteſtatis,
„ quam tunc firmam eſſe dicebat, cùm teſtamen-
„ tum à Patre ſcriptum à Cæſare firmaretur.
„ Illi verò, ut plebea multitudo conſuevit, in
„ ipſis primis diebus videntes Regis lene Princi-
„ pium, voluntates ſuas laudibus efferebant.
„ Dein ad numerum petitiones vertuntur.
„ Alii functionum publicarum lævigationem cum
„ clamore poſtulabant. Pars vinctorum ſolutio-
„ nes petebat; alii gravedines in emptionibus &
„ Nundinis auferri vociferabantur. *Archelaus*
„ porro in nullo illis contraria reſpondebat. De-
„ hinc ad ſacrificia Deo offerenda convertitur.
„ (C. 13.) Cùm hæc interim aguntur, congre-
„ gantur Judæorum Juvenes plurimi, & cœpe-
„ runt de morte *Mathiæ*, aliorumque cum eo ab
„ Herode interemptorum tumultuoſa voce cau-
„ ſari. Congregabatur magis magiſque numero-
„ ſa multitudo, & ultionem mortuorum fieri ab
„ Archelao poſcebant ſuppliciis eorum, qui ſub
„ Herode fungebantur honoribus. *Archelaus* an-
„ nuebat; ſe de eorum petitionibus legitimè di-
„ ſpoſiturum, quando ex præcepto Cæſaris cum
„ firmitate Regni (Roma) rediret. Sed amplior
„ fremitus & turba movebatur, concurrente et-
„ iam plurima multitudine; quod illa tempeſtate
„ Judæis dies feſtus imminebat, quando Azima
„ ſecundum obſervationem paterni moris exer-
„ cent: Paſcha enim illa feſtivitas vocatur. Sed
„ juvenes, qui ſeditionem excitaverunt, *Judam*
„ *Mathiamque* lamentantur, & perſiſtebant in tem-
„ plo. *Archelaus*, ne in deterius eorum proceſ-
„ ſiſſet audacia, cunctam mittit militiam. Ce-
„ duntur ab equitibus circiter tria millia homi-
„ num. Cæteros ad ſuas regiones diſcedere ju-
„ bet *Archelaus*. Quique continuò diſceſſerunt
„ feſtivitatem deferentes minimè celebratam.
„ Interea *Archelaus* ad mare proximum cum Ma-
„ tre deſcendit. Obviam fit *Archelao Sabinus* Cæ-
„ ſaris Curator earum rerum, quæ in Syria poſſi-
„ debat, in Judæam pergens, pro conſervatione
„ theſaurorum *Herodis*; quem *Varus* ab hac in-
„ tentione revocavit. (C. 14.) Sed cùm Romam
„ navigaſſet *Archelaus*, *Sabinus* aſcendit in Jeroſo-
„ lymam, & aulas regias obtinet. (C. 16.) *Ar-*
„ *chelao* verò apud Romam commorante aliorum
„ negotiorum principia pullularunt; quorum
„ hæc erat cauſa. Venerat Romam Legatio Ju-
„ dæorum, petentium, ut ſuis Legibus viverent;
„ qui ceperunt pro diſſolvendo Regno multa lo-
„ qui. Petebant ergo, ut eorum Provincia Re-
„ gibus careret, & Syriæ jungeretur, ut ab illis
„ Judicibus regerentur. Cæſar hinc inde quæ
„ dicta ſunt audiens, conventum dimiſit, & poſt
„ paucos dies *Archelaum* quidem non pronuntiat
„ Regem: Dimidiæ verò Judææ Regionis, quæ
„ *Herodi* tributa reddebat, tetrarcham conſtituit.
„ Alteram dimidiam biſariam diſtribuit alteris
„ Herodis Filiis, *Philippo* ſcilicet & *Antipæ*, hoc
„ eſt, Herodi Antipæ, qui contra fratrem *Arche-*
„ *laum* de Univerſo Regno certaverant. Et huic
„ quidem Regio trans Jordanem Galilæa tributa
„ reddebat; *Philippo* autem Batanæa cum tracho-
„ nitide & Auranitis reddebat talenta: Cæterum
„ *Archelao Idumæa* & *Judæa* & *Samaria*. Et hæc
„ quidem de Filiis Herodis ordinata ſunt. (C. 18.)
„ *Archelaus* autem tetrarchiam ſuſcipiens mox ut
„ Judæam attigit, *Joazarum* de Pontificatu remo-
„ vit. Ædificat etiam in Jerichunte aulam Re-
„ giam cum decore & elegantia mirabili. Interea
„ decimo anno Principatus Archelai Primates
„ Judæorum non ferentes ejus Tyrannidem apud
„ Cæſarem accuſationem inſtituunt: *Archelaus* in
„ exilium trudi præcipitur in Vienna Civitate
„ Galliæ habitaculo tributo. *Archelai* verò Re-
„ gio tributaria facta Syriæ diſpenſationi conjun-
„ gitur. Interea *Cirinus* vir conſularis à Cæſare
„ deſtinatur, cenſum in Syria diſpoſiturus, & do-
„ mum *Archelai* redditurus. (L. 18. C. 1.) *Cirinus*
„ autem unus de his, qui ſemper in Conſultatio-
„ ne congregabantur, vir per omnium Magiſte-
„ riorum & Principatuum officia celebratus, per
„ cunctas adminiſtrationes Conſulatus culmen
„ aſcendens, & in cunctis adminiſtrationibus cla-
„ rus cum paucis venit ad Syriam, Cenſor gentis à
„ Cæſare deſtinatus, & appretiator uniuſcujuſque
„ ſubſtantiæ. (C. 2.) Mittitur etiam cum eo *Co-*
„ *ponius* poteſtatem omnium Judæorum gerens.
„ Venit etiam *Cirinus* Judæam; nam diſpenſatio-
„ ni Syriæ fuerat adunata, univerſorum depræda-
„ turus ſubſtantias. Porro Judæi, licet in ipſis
„ initiis deſcriptionis nomen dirum haberent,
„ perſuadente *Joazaro* Bocthi, filio, deprædari
„ ſuas permiſere ſubſtantias. (C. 6.) Herodes au-
„ tem & *Philippus* tetrarchiam ſuam eorum unuſ-
„ quiſque ſuſcipiens, *Herodes Sephorin* muro cir-
„ cumdedit; *Philippus* autem *Betſaidam* proximam
„ ſtagno Geneſar ædificat, *Coponio* illo tempore
„ Judæam adminiſtrante. (C. 7.) *Coponius* autem
„ non poſt multum temporis Romam revertitur,
„ cui ſucceſſor regendæ provinciæ *Marcus* effici-
„ tur. Sed huic quoque ſuccedit *Annius Rufus*,
„ ſub quo etiam Cæſar emoritur, Romanorum
„ ſecundus Imperator in imperio annos LVII.
„ advivens, menſes VI. ex quibus XIV. annis
„ *Antonius* cum eo Reipublicæ gubernacula rexe-
„ rat. Huic ſuccedit *Tiberius Nero*, ſub quo
„ quintus Judæorum rector *Valerius Gratus* effici-
„ tur; *Annii Rufi* ſucceſſor. Et *Gratus* Romam
„ revertitur, poſtquam annos XI. in Judæa com-
„ pleverat. Huic ſucceſſor *Pontius Pilatus* effe-
„ ctus eſt. Herodes autem tetrarcha ad magnam
„ amicitiam Tiberii pervenit, ædificans Civita-
„ tem, quam ejus nomine *Tiberiadam* denomina-
„ vit, in regno Galilææ juxta ſtagnum Geneſar.
„ (C. 8.) *Pilatus* autem Judææ rector exercitum
„ de Cæſarea ſecum aſſumens tendit ad Jeroſoly-
„ mam, ut Leges ſolveret Judæorum. Voluit
„ etiam ex opibus templi aquæductum in Jeroſo-
„ lymam fabricare. Sed Judæi non libenter ac-
„ cipiunt. Plerique maledictionibus utebantur,
„ contumelias quoque jactantes. Ille verò dato
„ ſigno militibus, ut Judæos invaderent. Mili-
„ tes, ampliora, quam juſſi erant perpetrantes,
„ multitudinem magna Cæde proſternunt. (C. 9).
„ Fuit autem iiſdem temporibus *Jeſus*. Hunc
„ cum Pilatus in crucem agendum decreviſſet,
„ apparuit tertia die iterum vivus. (C. 11.) Tunc
„ *Pilatus*, poſtquam in Judæa decimum annum
„ complevit, pergit Romam *Vitellii* juſſione com-
„ pulſus. Sed antequam *Pilatus* Romam veniret,
„ *Tibe-*

„ *Tiberius* ex humanis rebus abſceſſit. *Vitellius* autem, qui per id tempus gerebat Principatum, (C. 12.) Veniens in Judæam, aſcendit Jeroſolymam, & erat tunc feſtivitas, quæ Paſcha vocatur. (C. 13.) Tunc etiam *Philippus* Herodis (Antipæ) frater vita defungitur, viceſimo ſecundo anno (prout antiqua verſio Latina legit) imperante Tiberio; ipſe autem per annos XXXVII. rector advixit. (L. 18. C. 15.) *Cajus*, ut Herodem ſuſcepit, qui tetrarcha erat Galilææ, confeſtim *Agrippæ* ſuſcepit Epiſtolas, quibus accuſationes continebantur Herodis. Tunc Cæſar veram credens accuſationem: Tetrarchiam ejus abſtulit, & *Agrippæ* regno conjunxit; ipſum autem æterno condemnavit exilio, habitaculum illi conſtituens in Lugdunenſi Galliæ civitate.„ Et l. 19. c. 7. „Rex *Agrippa* continuò ventris dolore vita privatus eſt, habens annum ætatis LIV. regni verò VII. quatuor namque ſub Cæſare *Cajo* regnavit *annis*; *Philippi* quidem tetrarchia potitus per *triennium*; *quarto* verò *Herodis* (Antipæ) quoque tetrarchia adjuncta. *Tribus* porro reliquis ſub Claudii Cæſaris Imperio exactis.„ Hucnſque teſtimonium Joſephi, quod, cùm in punctis præcipuis fine ullo annorum notabili diſcrimine cum Scriptoribus Romanis concordet, fundat moralem certitudinem, eum ſaltem ultra annum non aberrare.

Jam ſupereſt, ut oſtendam, quatuor Notas Characteriſticas, à Joſepho ad annum obitus Herodiani affixas, tantùm concurrere in anno quarto vel quinto ante Æram vulgarem.

DEMONSTRATIO I. *Annus XXXIV. à morte Antigoni incidit in annum quartum ante Æram vulgarem.* Id ſic demonſtro. Mors *Antigoni* contigit ſub Conſulatu *Marci Agrippæ* & *Caninii Galli*. Cùm ergò Conſulatus *Agrippæ* & *Caninii* incidat in annum 38. ante Æ. V. prout patet ex Catalogo Conſulum ſuperius demonſtrato; facta ſubtractione 34. annorum neceſſe eſt, annum 34. à morte Antigoni incidere in annum quartum ante Æ. V. Quod autem mors Antigoni contigerit ſub Conſulatu M. Agrippæ & Caninii Galli, oſtenditur ex Joſepho, qui L. 20. C. 8. ſic ſcribit: *Hunc* (ANTIGONUM) *cùm tres annos ac totidem menſes imperaſſet* SOSIUS *&* HERODES *obſidione expugnarunt; abductùmque Antiochiam morte affecit Antonius.* Et l. 14. C. ult. *Hæc paſſio Jeroſolymorum Civitati contigit Conſulibus* MARCO AGRIPPA *&* CANIDIO (CANINIO) GALLO, *centeſima & octuageſima quinta Olympiade, tertio menſe, in celebratione jejuniorum, tanquam reverſa tempeſtate, quæ ſub Pompejo Judæis illata eſt. Nam tunc eodem die Captivitatis viginti ſeptem anni noſcuntur.* HERODES *autem veritus, ne cuſtoditus Antigonus Senatui demonſtraret, quod oporteret filios ſuos regnare, multis pecuniis compulit* ANTONIUM, *ut* ANTIGONUS *interficeretur; quod cùm factum fuiſſet, Herodes metum depoſuit.*

DEMONSTRATIO II. *Annus XXXII. ex quo Herodes à Romanis regnum accepit, incidit in annum quartum ante Æram vulgarem.* Id ſic demonſtro. Herodes ſuum regnum à Romanis accepit ſub Conſulatu *Caji Domitii Calvini, & Caji Aſinii Pollionis*, prout Joſephus teſtatur. Cùm ergo hic Conſulatus incidat in annum 41. ante Æ. V. prout patet ex Cathalogo Conſulum ſuperius demonſtrato; neceſſe eſt, ut facta ſubtractione annorum 37. annus ultimus regni & mors Herodis incidat in annum quartum ante Æ. V. Joſephus L. 20. C. 24. ſic ſcribit: *Cùm* HERODES (ab Antigono ope Parthorum pulſus) *triremes conſtruxiſſet, Romam perrexit, ubi* ANTONIO *retulit, quod Parthi* ANTIGONUM *Regem ordinaſſent. Cùm verò Senatus commotus fuiſſet, decreverunt, eum creare Regem. Herodem autem primo die Regni vita privavit* ANTONIUS, *cujus initium fuit centeſima octogeſima quarta Olympiade, Conſulibus* GAJO DEMETRIO (DOMITIO CALVINO) *ſecundo & Gajo Aſione.*

DEMONSTRATIO III. *Quod Filii Herodis ſuo Patri ſucceſſerint anno quarto ante Æram vulgarem.* Id demonſtro inprimis circa *Archelaum.* De hoc Joſephus l. 17. c. ſcribit; eum ſua tetrarchia Judææ exauthoratum fuiſſe anno decimo, prout ſuperius oſtenſum eſt. *Decimo anno, inquit Principatus Archelai Primates Judæorum non ferentes ejus Tyrannidem apud Cæſarem accuſationem inſtituunt. Archelaus in exilium trudi præcipitur. Interea Cirinus à Cæſare deſtinatur, cenſum in Syria diſpoſiturus, & Domum Archelai redditurus.* Et l. 18. c. 2. *Venit etiam Cirinus in Judæam.* Et l. 18. c. 5. *Cirinus opibus reſtitutis Archelai, deſcriptioneque perfecta, quæ facta eſt triceſimo ſeptimo anno, poſtquam Antonius Actiaco Bello fuerat ſuperatus, Joazerum Pontificem depoſuit.* Jam verò ex Hiſtoricis Romanis conſtat, Pugnam Actiacam factam eſſe ſub Conſulatu OCTAVIANI IMPERATORIS III. & VALERII *Meſſala Corvini*, qui incidit in annum 32. ante Æram vulgarem, prout patet ex Catalogo Conſulum ſuperius demonſtrato. Jam ſi anno 32. ante Æ. V. addantur anni 37. fiet annus 7. Æræ vulgaris, quo illa reſtitutio opum & Domus Archelai facta eſt. Si ſubtrahuntur anni 10. quibus Archelaus ſuam Tetrarchiam poſſedit, & unus annus, quem Cirinus inſumpſit in cenſitione bonorum, inter exauthorationem Archelai & reſtitutionem bonorum intermedius, fiet annus ante Æ. V. 4. adeoque mors *Herodis* figetur ad annum quartum ante Æ. V.

CIRCA PHILIPPUM, alterum *Herodis* filium, idem demonſtratur ex Joſepho, quod ſuo Patri ſucceſſerit anno quarto ante Æ. V. nam Joſephus l. 18. c. 13. ſcribit: Philippus *vita defungitur, viceſimo ſecundo anno imperante Tiberio. Ipſe autem per annos XXXVII. Rector advixit.* Dein l. 19. c. 7. teſtatur, *Herodem Agrippam* quarto anno ante obitum Caji Caligulæ, & imperium *Claudii Philippo* in ſua Tetrarchia ſucceſſiſſe. Nam de Herode Agrippa loquens ait: *Agrippa vita privatus eſt habens annum Regni VII. quatuor namque ſub Cajo Cæſare regnavit annis; Philippi Tetrarchia potitus per triennium; Quarto verò Herodis quoque Tetrarchia adjuncta. Tribus reliquis ſub Claudii Cæſaris imperio exactis.* Cùm ergo conſtet, Caligulam obiiſſe, & Claudium ſucceſſiſſe ſub Conſulatu *Acerronii Proculi, & Pontii Nigrini*, qui incidit in annum 36. Æræ vulgaris, ſi ab his ſubtrahantur 37. & quatuor, fiet annus quartus aut quintus ante Æ. V. prout quisque hos annos completè aut incompletè ſumendos duxerit.

CIRCA

Circa Herodem Antipam, tertium filium Herodis, quod suo Patri anno quarto ante Æ. V. successerit, id duo indicia evincunt; *inprimis* videlicet Nummus Herodis Antipæ, in quo scribitur Tetrarcha anno 43. Secundo annus ejus exauthorationis, qui fuit Caji Caligulæ quartus, hoc est 39. annus Æ. V. De ejus exauthoratione Josephus l. 18. Antiquit. c. 15. sic scribit: „Tunc *Tiberius Cajum* (Caligulam) successorem pronuntians defungitur. Imperavit „dies 3. menses 6. annos 22. *Cajus* autem *Agrippam* accersivit, & Diadema capiti ejus imposuit. Verum secundo anno *Caji* Cæsaris *Agrippa* postulat, ut navigare permitteretur ad „propria, & permittente Imperatore venit in patriam. Et l. 19. c. 7. *Agrippa* vita privatus est „habens Annum Regni VII. Quatuor namque „sub *Cajo* Cæsare (Caligula) regnavit annis, *Philippi* Tetrarchia potitus per triennium; Quarto verò Herodis quoque Tetrarchia adjuncta. „Tribus reliquis sub *Claudii* Cæsaris imperio exactis.„ Itaque si anni 43. quibus Herodes Antipas sua Tetrarchia potitus est, ab isto anno quarto *Caji Caligulæ*, seu 39. Æ. V. subtrahantur, manifestum est; *Antipam* suo Patri successisse anno quarto ante Æ. V. Cæterùm nummus Herodis Antipæ, à variis Authoribus explicatus est, in quo testatur, se hunc nummum cudisse anno XLIII. suæ Tetrarchiæ.

Inscriptio Nummi, prout exhibetur à *Blanchino* tom. 2. fol. CLXV. & à Patre Monelia in Differt. de Annis Christi, edita Romæ 1741. & in l'Academie Royale des belles Lettres Tom. 2. part. 2. f. 187. sic habet: Cajo Cæsare Germanico Augusto Herodes Tetrarcha anno XLIII. ΓΑΙΩ. ΚΑΙCΙ. ΓΕΡΜ. CΕΒ. ΗΡΩΔΗC. ΤΕΤΡΑΡΧΗC. L. Μ. Γ.

In hac inscriptione per L. significari Annum, quia veteres Annum *Lycabantas* vocabant, Antiquariis notum est.

Jam verò, cùm ex hactenus deductis clarum sit, Herodem obiisse anno quarto ante Æ. V. idem evincitur ex Eclypsi Lunari, quæ teste Josepho præcessit mortem Herodis & Festum Paschale. Ut verò ostendatur, nullam reperiri Eclypsin, quæ mortem Herodis & Festum Paschale congruenter ad feriem actorum præcedere potuerit, nisi annus ante Æ. V. quartus aut quintus, à Fevreto, peritissimo Astronomo in Gallia, omnes Eclypses Lunares exacto calculo deductæ fuere, quæ intra octo annos ante Æram vulgarem contigerunt. Intra hos octo annos reperit tres Eclypses, quæ Festum Paschale præcesserant, & Jerosolymis erant visibiles. Prima contigit anno quinto ante Æ. V. die 23. Martii. Verùm quia in hunc ipsum diem incidit Festum Paschale, & illa Eclypsis, quæ mortem Herodis præcessit, eo ipso etiam præcessit Festum Paschale duabus aut tribus Septimanis, non videtur de ista sermonem esse apud Josephum. P. Lamy, & Fevretus quidem observant, quod illo anno Æquinoctium inciderit in diem 22. Martii, hora 5. pomeridiana, ita ut dubitari possit, utrum Judæi Plenilunium altero die hora 9. pomeridiana subsecutum habere voluerint pro Paschali. Verùm inprimis hoc dubium leve est; cùm distantia Plenilunii ab Æquinoctio fuerit integræ diei, adeoque sufficiens ad hoc, ut haberi potuerit pro Paschali; dein verò, si quis hanc Eclypsin à Josepho designari voluerit, sequetur omnino, mortem Herodis quinto anno ante Æ. V. contigisse.

Secunda Eclypsis contigit 13. Martii anno quarto ante Æ. V. & hæc exactè cum testimonio Josephi congruit. Tertia Eclypsis contigit 10. Januarii anno unno ante Æ. V. Quòdsi de ista loqueretur Josephus, sequeretur nihilominus, Christum biennio ante Æ. V. natum esse. Verùm huic Eclypsi obstat, quòd à Paschali Festo illo anno incidente in diem 7. Aprilis, nimis remota sit; dein verò potissimum, quia die 10. Januarii Herodes adhuc erat Jerosolymis, prout colligitur ex Evangelio & ex Traditione, quòd Magi Jerosolymis ab Herode de ortu stellæ interrogati fuerint, quod in Januario contigit; econtra illa Eclypsis, de qua loquitur Josephus, contigit, dum Herodes ex balneo Transjordano reversus est Jerichuntem, ubi etiam in eo morbo obiit. Cæterùm de his octo annorum Eclypsibus P. Lamy in *Apparatu Chronologico* Part. 1. c. 8. §. 4. 5. & 6. sic scribit: *Subjicio calculos, quos rogatu meo subduxit, & ad me misit vir incredibilis diligentiæ & sagacitatis in Rebus Astronomicis, Joannes le Febure, Socius Regiæ Academiæ Mathematicorum Parisiensium.* Intra octo annos, intra quos necessariò revocandus est obitus Herodis, Eclypses Lunæ Jerosolymis visibiles calculo subduxit idem Astronomus, ut sequitur:

Ante Æ. V. anno

8. Nulla erat Jerosolymis Lunæ Eclypsis visibilis.
7. Nulla contigit Lunæ Eclypsis.
6. Nulla fuit Jerosolymis Eclypsis Lunæ visibilis.
5. Duas totales Eclypses fieri contigit; Primam 23. Martii. Hora 9. vespere. Secundam 15. Septembr. Hora 2. in nocte.
4. Defecit Luna 13. Martii. Hora 3. matutina.
3. Non defecit Luna.
2. Nulla erat Eclypsis visibilis.
1. Fuit Eclypsis Lunæ totalis 10. Januarii, Hora l. matutina.
   Alia incidit in 29. Decembris, Hora 5. serotina, 15. minutis. Lata fuit sex digitis. Sol autem hac die occidit Jerosolymis Hora quinta.

Tabula

Tabula
Noviluniorum & Pleniluniorum Paſchal. ex Fevreto.

Anni ab U. C.	Anni Periodi Julianæ.	Ante Æ.V.	Menſes.	Horæ.
Novilunia			**Paſchalia.**	
746	4706	8	12. Martii.	6. Matut.
747	4707	7	30. Martii.	11. Serot.
748	4708	6	20. Martii.	-- Matut.
749	4709	5	8. Martii.	7. Matut.
750	4710	4	27. Martii.	6. Matut.
751	4711	3	16. Martii.	10. Serot.
752	4712	2	4. April.	11. Serot.
753	4713	1	24. Martii.	2. Serot.
Plenilunia.				
746	4706	8	26. Martii.	2. Serot.
747	4707	7	14. April.	2. Serot.
748	4708	6	4. April.	7. Matut.
749	4709	5	23. Martii.	9. Serot.
750	4710	4	11. April.	6. Serot.
751	4711	3	31. Martii.	9. Serot.
752	4712	2	19. April.	22. Serot.
753	4713	1	7. April.	3. Serot.

Huic teſtimonio ac Calculo Fevreti ſubjungo aliud *P. Nicaſii Grammatici*, S. J. Aſtronomi periti ſſimi, & Amici mei, dum in vivis ageret, chariſſimi, & ob Commercium Epiſtolare, quod cum plerisque Europæ Aſtronomis habuit, notiſſimi. Is in ſuo libro, quem de *Æra* inſcripſit, atque Ingolſtadii 1734. edidit, Sect. 3. c. 4. ſic ſcribit: *Subductis Calculis Lunarium Eclypſium compertum habeo ex Tabulis Hirianis, Plenilunium verum Jeroſolymis anno Juliano* 41. *die* 23. *Martii media circiter hora poſt octavam veſpertinam commiſſum eſſe, centraliter ferè deficiente ſydere; adeoque Lunaris ille defectus ab initio uſque ad finem in Horizonte Jeroſolymitano ſpectari potuit. Phænomenon æquale alterum exhibuit dies* 15. *Septembris anno eodem, quando dimidia pene hora ante mediam noctem Solymis centrum umbræ terræ meditullium diſci Lunaris ſubiit. Anno autem* 42. *die Martii* 13. *hora matutina tertia defectio Lunaris contigit in ſacra urbe integrè conſpicua Luminari ultra novem digitos obſcurato. Notandum autem propter Calendarii Juliani labem (quæ duravit ab anno Juliano* 36. *uſque ad annum Julianum* 49. *prout videri poteſt in Petavio. l.* 4. *c.* 3. *§. quocirca) biduo ſuccidendos ante notatarum Eclypſium dies. Anno Juliano* 42. *Paſcha Judæorum incurrit in diem decimam Aprilis, anno Juliano* 43. *in trigeſimam Martii.* Hucuſque P. Nicaſius Grammatici, qui à Rege Catholico in Hiſpaniam vocatus eſt ex Univerſitate Ingolſtadienſi pro reſtauranda ſcientia Aſtronomica; ſed cùm experiretur debita non provideri Inſtrumentorum artis ſubſidia Germaniam repetiit. Tertium teſtimonium eſt *Petavii*, qui in ſua Chronologia tom. 1. l. 8. c. 13. ſic ſcribit: *Calculus Lunaris deliquii, quod incidit anno Periodi Julianæ* 4710. *Juliani* 42. *ſub Herodis obitum ante Æram Chriſti IV. oppoſitio media Lutetiæ facta eſt Martii XII. hora* 13. *à media nocte, Jeroſolymis hora* 15. 48'. *Digiti Ecliptici* 6. *& paulo plus. Initium Eclypſis* (Pariſiis) *hora* 1. 17'. *Medium hora* 2. 45'. *finis hora* 2. 16'.

D. Amort Tract. de Incarnatione.

§. VI.

ARGUMENTUM II.

Moraliter certum eſt; Chriſtum paſſum eſſe ſub Conſulatu duorum Geminorum. *Ergo etiam moraliter certum eſt, eum natum eſſe pluribus annis ante Æram vulgarem.*

Ut hoc argumentum valeat; duo mihi oſtendenda ſunt. *Primò*, quòd Conſulatus *duorum Geminorum* incidat in annum 28. Æræ vulgaris, & quòd Chriſtus obierit anno ætatis 33. Ex hoc enim per ſe conſequitur, Chriſtum jam fuiſſe natum ante Æram vulgarem quinto aut ſexto. *Secundò*, quòd Chriſtus revera crucifixus fuerit ſub Conſulatu *duorum Geminorum.*

Circa primum non eſt magna difficultas. Id enim patet ex Catalogo Romanorum Conſulum ſuperius demonſtrato. Quòd autem Chriſtus anno ætatis ſuæ 33. paſſus ſit, non indiget probatione, cùm Evangelium D. Lucæ c. 3. teſtetur; cum baptizatum fuiſſe anno ætatis quaſi trigeſimo; & ſeries Hiſtoriæ Evangelicæ omnium conſenſu monſtret, eum poſt ſuſceptum baptiſmum adhuc prædicationi per integrum adhuc biennium vel triennium ſeſe impendiſſe.

Itaque relinquitur ſolùm demonſtrandum ſecundum, quòd Chriſtus ſub Conſulatu duorum Geminorum, videlicet *Rufii Gemini*, & *Rubellii Gemini* mortem ſubierit.

Id verò oſtenditur ex conſtanti traditione SS. Patrum & Eccleſiæ; quæ *uniformis* traditio, *circumſtantiata*, *intrepida*, & *circa rem publicam*, omnium ſummæ attentioni expoſitam, *nullo* perito Scriptore quoad ſubſtantiam *repugnante*, pro Argumento ad minimum moraliter certo habenda eſt.

I. Lactantius de *vera Sapientia* l. 4. ſic habet: *Duobus Geminis Conſulibus Judæi Chriſtum ante diem* 7. *Calend. April. cruci affixerunt.*

II. D. Augustinus l. 18. de Civit. c. 54. *Mortuus eſt Chriſtus duobus Geminis Conſulibus* 8. *Calend. Aprilis.*

III. Antiquissimus Catalogus *Romanorum Pontificum* tempore Liberii Papæ conſcriptus, qui extat in *Propylæo Henſchenii*, ſic habet: *Imperante Tiberio Cæſare paſſus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus duobus Geminis Coſs.* 8. *Calend. Aprilis.*

IV. Sulpitius Severus l. 2. Hiſt. aſſerit: *Chriſtum Dominum crucifixum Rufio Gemino, & Rubellio Gemino.*

V. Victorinus Aquitanus in Canone Paſchali: *Crucifixio Chriſti duobus Geminis Ruffino & Rubellio.*

VI. Idatius in Faſtis à Sirmondo editis: *Rufo & Rubellione bis Coſs. paſſus eſt Chriſtus die decimo Calend. April. & reſurrexit octavo Calend. eaſdem.*

VII. Antiqui Catalogi *Consulum* apud Cuspinianum habent: *Passum esse Dominum nostrum Jesum Christum Coss. duobus Geminis.*

VIII. Cedrenus: *Exactius tempus istius supplicii à Romanis est notatum evenisse, nimirum Geminis Coss.*

§. VII.

ARGUMENTUM III.

Moraliter certum est, Christum passum esse Feria VI, die $\frac{25}{26}$*. Martii, eumque diem fuisse* Parasceven, *seu* præparatorium *ad Pascha. Ergo etiam moraliter certum est, Christum esse passum anno* 28. *Æræ vulgaris.* Dico $\frac{25}{26}$*. Martii, quia aliqui Scriptores veteres passionem Domini ad VII. Cal. April., alii ad VIII. Cal. consignant.*

Ut hoc argumentum sit convincens, tria mihi demonstranda sunt. 1. Quod Christus sit passus Feria VI. die $\frac{25}{26}$. Martii, seu quod idem est VII. vel VIII. Kal. Aprilis. 2. Quod ille dies fuerit *præparatorius* ad Pascha. 3. Quod præfatæ circumstantiæ in nullo alio anno concurrant, quam in anno Æræ vulgaris vigesimo octavo.

Primum: Quod Christus fuerit passus Feria VI. die $\frac{25}{26}$. Martii, ostendo ex constanti traditione Occidentalis Ecclesiæ. Nam

I. S. Hippolytus M. qui vixit sæculo tertio, & ex instituto tractavit hanc materiam, marmori incidit Canonem Paschalem, etiamnum asservatum in Bibliotheca Vaticana, in quo repeiuntur hæc verba: Η. ΚΑΛ. ΑΠΡΕΙ. ΠΑΘΟΣ ΧC. hoc est: Die VIII. Kal. April. Passio Christi.

II. Tertullianus, qui scripsit circa annum Æ. V. 200. in l. contra Judæos: *Christus passus est annos habens* 33. (ut legit Hieronymus in c. 9. Daniel.) *quæ passio perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino, & Rufio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ die* 8. *Cal. April.*

III. Lactantius, qui scripsit circa annum Æ. V. 300. l. 4. *de vera sapientia: Duobus Geminis Coss. ante diem* 7. *Calend. April. Judæi Christum cruci affixerunt.*

IV. Antiquissimus Catalogus tempore *Liberii* Papæ conscriptus circa annum 350. *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis Consulibus* 8. *Calend. April.*

V. S. Chrysostomus in Hom. de Nativ. S. Joann. B. loquens de Annunciatione B. V. *Fuit igitur, quando hæc Angelus ad Mariam annunciavit, VIII. Calend. Aprilis, mense Martio, qui est dies Paschæ Domini & Conceptionis ejus, in qua enim die conceptus, in eadem & passus est.*

VI. S. Augustinus l. 18. de Civit. c. 54. *Mortuus est Christus duobus Geminis Coss.* 8. *Calend. April.*

Idem l. 4. de Trinit. c. 5. *Sicut à Majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas, VIII. Kalendas Aprilis conceptus traditur, quo & passus. Natus autem traditur VIII. Kalendas Januarii.*

VII. Victorius, seu, ut alii vocant, Victorinus, ex instituto egit de hac materia; edidit enim magna exactitudine Canonem Paschalem anno 457. eumque inscripsit ad Hilarum, S. Leonis M. Archidiaconum, in quo sic scripsit: *Die VIII. Kalendas Aprilis Feria V. primo vero Azymorum die Dominus noster Jesus Christus Cœnans cum Discipulis suis, postquam sui Corporis & Sanguinis Sacramenta patefecit, ad montem Oliveti progressus, ibique detentus est à Judæis. Dehinc sexta Feria subsequente, id est, VII. Kalend. Aprilis, crucifixus est. Tertia die, hoc est, V. Kalend. April. Dominica surrexit à mortuis.*

VIII. S. Proterius in Epistola Paschali ad Leonem M. *Dominus, quinta Feria, decima quarta Luna mensis primi in Cœnaculo cum Discipulis Pascha manducans paulo post à Juda traditur; & sequenti die XV. Luna crucifigitur, id est, Feria sexta.*

Similia habent Martyrologia antiqua, & Scriptores Sæculi 8. 9. & 10. Idem confirmat constans praxis Ecclesiæ, quæ semper celebravit anniversariam memoriam Passionis Dominicæ Feria VI. & Resurrectionis in Dominica proximè insequente ad Plenilunium, quod subsequitur ad Æquinoctium Vernale. Beda verò Sæculo octavo l. de Temp. Rat. c. 40. scribit: *Habet, nisi fallor, Ecclesiæ fides, Dominum paulo plus quàm XXXIII. annis vixisse . . . . . Nam quod Dominus XV. Luna Feria sexta crucem ascenderit, nulli licet dubitare Catholico. Quod autem VIII. Kalend. April. Crucifixus, VI. Kalendarum earundarum die resurrexerit, multorum latè Doctorum constat sententia vulgatum.* Ubi Beda distinguit certitudinem circa Feriam VI. & sententiam Doctorum de die Crucifixionis. Hanc enim non adeo certam animadverterat, cùm antiquiores tantùm initium passionis ad VIII. Cal. April. consummationem vero ad VII. Cal. April. retulerint, ut ostensum est.

Ex his ergo moralis habetur certitudo, quòd Christus passus sit Feria VI. die $\frac{25}{26}$. Martii.

Neque huic morali certitudini obest, quòd *S. Epiphanius* & Patres Orientalis Ecclesiæ videantur diem Passionis referre ad diem 23. Martii, seu ad X. Cal. April. & diem resurrectionis ad VIII. Kal. April. Quia, prout rectè ostendit P. Honoratus à S. Maria in *Animadversionibus ad Regulas & Usum Critices* Tom. 3. l. 5. Dissert. 1. art. 6. §. 1. Patres Ecclesiæ Orientalis tantùm exprimere volebant limites, intra quos Christus passus sit, nil determinando, utrum hoc vel illo die passus sit; & quia supponunt, quòd Pascha sit celebrandum Luna 14. qua Christus passus est, exinde inferunt, quòd etiam Pascha semper sit celebrandum intra undecimum diem Kal. April. & diem XI. Kal. Maji. Id etiam patet ex verbis *Synodi Palæstinæ*, celebratæ anno 196. tempore *Victoris I.* in qua *Theophilus* Episcopus, Præses Synodi, in favorem Quartodecimanorum contra *Victorem I.* & Ecclesiæ Occidentalis Patres, sic discurrit: *Passus Dominus ab undecimo Kal. Aprilium, qua nocte à Juda traditus est, & ad octavum Kal. Aprilis resurrexit; quomodo tres dies* (Crucifixionis & Resurrectionis) *extra limitem excludentur? - - - - Ab octavo Kalendas Aprilis usque in octavum Kalendas Majas legimus esse consecratos dies* (intra quos Pascha celebrari possit.) *Ergo ab undecimo Kal. Aprilium usque in undecimo Kal. Majarum Pascha debent servare, & nec antea, nec postea cuique constitutum limitem*

mitem transgredi licet. Itaque Patres hujus Concilii tantùm voluerunt dicere; iſtud continuum dierum à paſſione Domini uſque ad reſurrectionem, intra quod à Chriſto Paſcha celebratum, & paſſio conſummata eſt, eſſe Regulam determinandi Feſta Paſchalia ab undecimo Kal. April. uſque ad undecimum diem Kal. April. Unde hoc teſtimonium traditionem Occidentalis Eccleſiæ, quòd Chriſtus paſſus ſit VIII. Kal. April. & Feria VI. adeo non infringit, ut illud etiam validè confirmet, & demonſtret, tam ex ſenſu Orientalis quàm Occidentalis Eccleſiæ terminum Paſſionis Dominicæ ultra $\frac{25}{26}$. Martii extrudi non poſſe. Cæterùm *D. Epiphanius*, dum hæreſi 51. aſſerit; Chriſtum jam die XIV. Kal. April. Paſcha comediſſe ad veſperam, idque biduo anticipâſſe ante Paſcha Judæorum, ſimul obſervat, quod tunc ad computandum Plenilunium fuerit ſubtili ſupputatione opus, cui ne exponeretur Feſti Paſchalis certitudo, illud per unum diem à Judæis Jeroſolymitanis dilatum fuiſſe. Cùm ergo illa ſubtilitate præcipuè opus fuerit anno 28. Æræ vulgaris, utpote quo Plenilunium incidit in boram duodecimam noctis, ita ut paucis minutis minus recte additis vel ſubtractis incideret in diem priorem vel poſteriorem, ex boc teſtimonio potius confirmaretur noſtra ſententia. Verùm, quidquid ſit de hoc teſtimonio S. Epipbanii, illud certum eſt, textum illius vel eſſe corruptum, vel omnium ſententia ejus ratiocinium eſſe erroneum, dum ex ſuo confuſo calculo deducit, *Reſurrectionem Domini & Æquinoctium ante undecimum Calendas Aprilis contigiſſe*, ac præterea à Chriſto Paſcha Judæorum biduo anticipatum eſſe. Si enim Reſurrectio Domini contigit ante undecimum Calendas Aprilis, hoc eſt, ante 22. Martii, neceſſario contigit 21. vel 20. Martii, itaque paſſus fuiſſet 19. vel 18. Martii, quod admitti nequit. Fortior enim eſt conſtans traditio Occidentalis Eccleſiæ meris confuſis ratiociniis Epiphanii. Id tamen ex ipſius teſtimonio elicitur, Chriſtum Paſcha Judæorum anticipaſſe. Ille biduo anticipatum exiſtimat: Sit ergo

SECUNDUM, quod dies Paſſionis fuerit *Paraſceve* in eo ſenſu, quod illo die *ſolennis præparatio* ad immolationem & eſum Agni Paſchalis facta ſit, qua de cauſa ipſe dies etiam nomen *Paraſceves* ſeu *præparationis* publicæ ac ſolennis accepit. Itaque cum Chriſtus paſſus ſit in die Paraſceves, prout ex omnibus quatuor Evangeliis conſtat, neceſſe eſt, verum Paſcha Judæorum primùm die ſequenti celebratum fuiſſe, nempe die Sabbati.

TERTIUM: Quod hæ circumſtantiæ nulli alteri anno veroſimili congruant, niſi anno 28. Æræ vulgaris, probatur ex Tabula Pleniluniorum, & Feriarum, quæ hic ſubnectuntur. Nam cum anno illo Littera Dominicalis ſit D C, & C pertineat ad Martium alioſque menſes ſubſequentes in illo Anno Biſſextili, inſpicienti Tabulam Feriarum menſe Martio patet, quod C ſeu Dominica immediatè præcedens diem 25. Martii incidat in diem 21. Martii. Itaque Feria VI. neceſſariò incidit in 26. Martii, quo Paſſio Dominica fuit conſummata, prout VICTORINUS & LACTANTIUS conſignant.

D. Amort Tract. de Incarnatione.

Quod verò Paraſceves inciderit in 26. Martii exinde conficitur, quia ex Calculo Aſtronomico conſtat, Plenilunium ſeu Lunam decimam quartam incidiſſe in diem vigeſimum nonum Martii Hora duodecima meridiana. Plenilunium verò Cyclicum Judaicum computatum à præcedenti Æquinoctiali Plenilunio Autumnali juxta Calendarium Syromacedonum in diem 26. Martii, ut Blanchinus oſtendit. Calculus autem illius Plenilunii Paſchalis, & Pleniluniorum ſubſequentium à P. NICASIO GRAMMATICI S. J. in ſuo libro *de Æra vulgari* eſt ſequens.

Anni	Plenilunium Aſtronomicum medium tempore medio.	Plenilun. juxta Cal. Julianum.	Plenilun. juxta Cyc. Nicænum.	Feria. Nic.	Jul.	Aſtr.
B.28	Mart. 29. 10. -- v.	30	28	I	III	II
29	Mart. 18. 6.48. v.	19	17	V	VI	VII
30	April. 6. 4.21. v.	7	5	IV	VI	V
31	Mart. 27. 1.10. m.	27	25	I	III	III
B.32	April 13. 10.42. v.	14	12	VII	II	I
33	April. 3. 6.41. m.	3	2	V	VI	VI
34	Mart. 23. 4.20. v.	23	22	II	III	III
35	April 11. 1.50. v.	11	10	I	II	II
B.36	Mart. 30. 10.40. v.	31	30	VI	VII	VI

Calculum pro tempore vero Plenilunii veri ad annum Æ. V. 28. ex Tabulis Hirianis reperies in meis duobus libris: *De Revelationibus Regulæ tutæ*, & *Controverſia Agredana.* Ex hac autem Tabula manifeſtè patent, Circumſtantiæ Paſſionis Dominicæ. Ne autem quis formidet errorem in præfato Calculo, adjungo alium Calculum, quem ſubduxit Aſtronomus Academiæ Regiæ Pariſienſis peritiſſimus, D. Fevretus. Ille Calculus, prout babetur in P. HONORE ex P. Lamyo art. 2. §. 2. ſic habet:

Anno 29. Juliano 74. Litt. Dom. B. Novilunium Jeroſolymis 2. April. h. 8. veſp. 38'. Primum Phaſe 4. April. h. 6. veſp. Plenilunium 17. April. h. 6. matut. die Dominica.

Anno 30. Juliano 75. Litt. Dom. A. Novilunium 22. Mart. h. 6. v. 42'. Phaſe 24. Mart. h. 6. v. Plenilunium 6. April. h. 10. v. 55'. die Jovis.

Anno 31. Juliano 76. Litt. Dom. G. Novilunium 12. Martii, h. 1. mat. 6'. Phaſe 13. Mart. h. 6. v. Plenilunium 27. Martii h. 2. poſt merid. 10'. die Lunæ, ſive Martis.

Anno 32. Juliano 77. Litt. Dom. F. E. Novilunium 29. Martii h. 2. v. Phaſe 31. Martii h. 6. v. Plenilunium 14. Aprilis poſt merid. die Dominico vel Lunæ.

Anno 33. Juliano 78. Litt. Dom. D. Novilunium 19. Martii h. 1. poſt merid. 30'. Phaſe 20. Mart. h. 6. v. Plenilunium 3. April. h. 5. v. 50'. die Veneris.

Anno 34. Juliano 79. Litt. Dom. C. Novilunium 9. Mart. h. 5. mat. 50'. Phaſe 10. Martii h. 6. v. Plenilunium 23. Mart. h. 6. v. die Martis.

Anno 35. Juliano 80. Litt. Dom. B. Novilunium 28. Mart. h. 6. mat. 4'. Phaſe

 29. Mar-

29. Martii h. 6. v. Plenilunium 11. April. h. 6. matut. die Lunæ vel Martis.

Anno 36. Juliano 81. Litt. Dom. A.G. Novilunium die 6. Martii h. 6. v. 42′. Phase 18. Mart. h. 6. v. Plenilunium 1. Aprilis hora circiter 6. vesp. die Sabbat. vel Dominic.

Ne autem quis suspicetur; etiam Fevretum in suo Calculo nimiùm aberrasse, subnecto alium Calculum ex Paulo Middelburgensi, Episcopo, quem Petavius inserit tom. 2. l. 12. c. 9. Is sic habet:

Anno 31. Jerosolymis Plenilunium medium 26. Mart. h. 14. 13′. Feria 3. Plenilunium verum 26. Mart. h. 13. 5′. Feria 3.

Anno 32. Plenilunium medium 13. April. h. 11. 45′. Feria 1. verum 14. April. h. o. Feria 2.

Anno 33. Plenilunium medium 2. April. h. 20. 34′. Feria 6. verum 3. April. h. 6. 8. Feria 6.

Anno 34. Plenilunium medium 23. April. h. 5. 23′. Feria 3. verum 23. April. h. 6. 59′. Fer. 3.

Anno 35. Plenilunium medium 11. April. h. 2. 55′. Fer. 2. verum 11. April. h. --. Feria 2.

Anno 36. Plenilunium medium 30. Mart. h. 11. 44′. Fer. 6. verum 30. Mart. h. 5. 51. Fer. 6.

Plures annos calculare superfluum foret; quia ex Josepho constat, Pilatum anno Æræ vulgaris 37. non fuisse amplius in Judæa, utpote à Tiberio Imperatore, qui obiit anno Æ. V. 36. mense Martio, ex Judæa avocatus, & pulsus in exilium.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. D. Epiphanius *de hæresi* 51. testatur, Christum natum esse anno Imperii Augusti quadragesimo secundo sub Consulatu Octaviani XIII. et Silvani. Ergo cum iste Consulatus incidat in annum ante Æ. V. 3., & Christus obiérit anno ætatis 34. passus est anno Æ. V. 31. 2. Idem Epiphanius de præfata hæresi Alogorum agens dicit: *Successere Consules Vinicius ac Longinus Cassius, sub quibus Salvator passus est XIII. Cal. April.* Ergo Christus non est passus sub duobus Geminis.

Respondeo

Ad 1. D. Epiphanium in rebus Chronologicis non fuisse exactum. Id patet ex eo; quia non advertit, à se impossibilia poni, dum asserit, Christum XIII. Cal. Aprilis, hoc est, 20. die Martii passum esse, eumque tantùm biduo Pascha Judaicum anticipasse, cum tamen non solùm ex Calculis Astronomicis, sed etiam ex Cyclis constet, Plenilunium Paschale ante 25. Martii non potuisse à Judæis celebrari. Hinc in tali re potius insistendum est Monumentis Ecclesiæ Occidentalis & Actis publicis, quæ ex consensu Scriptorum eliciuntur, quàm ex ratiociniis unius authoris.

Ad 2. Idem respondeo: quamvis, quod attinet *Vinicium & Longinum*, ii ab Orientalibus post Æquinoctium Autumnale ab Orientalibus jam pro anno Æ. V. 28. pro Consulibus scribi potuerint in documentis post eorum Consulatum editis.

Objicitur 2. Christus baptizatus est anno Imperii Tiberii decimo quinto, prout habetur in Luca c. 3. seu potius decimo sexto, cum ibi tantùm annotetur annus, quo Joannes B. cœpit baptizare. Ergo cum Augustus Imperator, cui Tiberius successit, obierit anno Æ. V. 14. ac consequenter ille annus 15. Tiberii incidat in annum Æræ vulgaris 29., & annus 16. Tiberii in annum Æ. V. 30. & Christus baptizatus sit anno ætatis 30. dicendum, Christum non esse natum ante Æ. V.

Respondeo. Annum Tiberii decimum quintum incidere in annum Æræ vulgaris 25. Dico enim 1. Augustum obiisse anno Æ. V. decimo tertio. 2. Tiberium jam quarto anno ante obitum Augusti factum esse consortem Imperii, adeoque annos Imperii Tiberiani computandos esse ab anno decimo Æræ vulgaris. 3. Ipsum textum Evangelistæ satis ostendere, quod loquatur de Imperio latè dicto, prout sumi potest pro imperio conregiminis. Itaque ut in hac responsione ad objectionem, quæ nonnullis antiquioribus causam erroris præbuit, ordinatè proceadatur, & non meræ possibilitati responsio superstruatur, tria probanda sunt. *Primò*, quòd Christus baptizatus sit anno ætatis trigesimo, anno Imperii Tiberii decimo quinto, ita tamen, ut nomen Imperii in Textu Originali Græco habeat quamdam significationem latiorem, indifferentem ad significatum Imperii *universalis* sine Collega, vel *partialis* seu *Collegialis*, quale habuit Tiberius jam anno quarto ante obitum Augusti. *Secundò*, quòd Tiberius jam quarto anno ante obitum Augusti factus fuerit Collega Augusti in Imperio. *Tertiò*, quòd Augustus obierit anno Æ. V. 13.

Primum demonstratur ex Evangelio D. Lucæ c. 3. ubi sic scribit: „Anno quinto decimo „Imperii Tiberii Cæsaris procurante Pontio Pi„lato Judæam ------ venit (Joannes) in o„mnem Regionem Jordanis -------- factum „est autem, cùm baptizaretur omnis populus, & „Jesu baptizato --- apertum est cœlum ----- „& Jesus erat incipiens quasi annorum triginta. Græcus Textus sic potest reddi: „In anno deci„mo quinto *Gubernii* Tiberii Cæsaris, gubernan„te Pontio Pilato Judæam.„ *Ἐν ἔτει -- πέντε καιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου.* Ubi advertendum est, à D. Luca adhiberi eundem terminum Gubernii circa Tiberium & Pilatum, ut etiam in Tiberio relatè ad diversa tempora diversimode accipi possit, latè videlicet & strictè.

Circa Secundum, *quòd hoc Imperium Tiberius acceperit quarto anno ante obitum Augusti*, habemus duos testes, *Vellejum Paterculum* Synchronum, & *Clementem Alexandrinum.* Prior l. 2. c. 121. sic scribit: „Cùm Senatus, PopulusqueRo„manus, postulante Patre ejus (Augusto, qui „adoptavit Tiberium) ut æquum ei Jus in omni„bus

„bus provinciis exercitibusque esset, quàm erat „ipsi, Decreto complexus esset, iu urbem reversus jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Dalmatisque egit „triumphum.„ Cùm ergo bellum in Dalmatia & Pannonia jam confectum fuerit sub Consulibus *Popæo Sabino*, & *Sulpitio Camerino*, anno Æ. V. 8. prout *Blanchinus* ex *Dione* l. 55. & *Vellejo Paterculo* l. 2. c. 170. probat; sequitur, istum triumphum & Decretum æqui Imperii jam quarto anno ante obitum Augusti contigisse. CLEMENS ALEXANDRINUS l. 1. *Strom.* pag. 406. sic scribit: „Quidam Romanorum Imperatorum tem„pora sic describunt. *C. Julius Cæsar* tribus an„nis; post quem regnavit *Augustus* annis 46. „mensibus quatuor, die uno (nempe numeratio„ne facta à pugna Actiaca.) Deinde *Tiberius* an„nis viginti sex, diebus 19.„ Qui 26. anni tantùm correspondent ad annum ante mortem Augusti quartum, quo assumptus est à suo Patre in Collegam Imperii. Nec obstat testimonium Suetonii, dum ait: „A Germania in Urbem post „biennium regressus triumphum, quem distule„rat, egit. Ac non multo post Lege per Coss. „lata, ut provincias cum Augusto communiter „administraret, simulque censum ageret, condi„to lustro, in Illyrieum profectus est.„ Ut enim observat *P. Monelia*, Lex & Decretum condi poterat, dum adhuc *Tiberius* erat in Germania, quamvis promulgatum primùm fuerit post ejus triumphum; quòd ipsum non obscurè insinuant verba *Velleji Paterculi*. Et hoc CONFIRMATUR ex eo; quia *Tiberius* saltem pro forma reluctabatur ejusmodi collatis titulis, prout *Vellejus* testatur his verbis: „Multum eo (Tiberio, „ubi agebatur de adoptione ad tribunitiam po„testatem) cùm domi, tum in Senatu recusante. Multò minùs à *Vellejo Paterculo* dissidet *Clemens Alexandrinus*; dum successionem Tiberio tribuit in Imperio universali, & dein in computatione annorum Imperii hos numerat ab initio Imperii Collegialis, insinuando, hunc modum numerandi aliis Scriptoribus usitatum esse, quoa exactiores etiam sequi poterat D. Lucas.

Quòd autem Christus anno ætatis trigesimo baptizatus sit, non solùm habetur ex traditione Ecclesiæ Occidentalis, sed etiam Orientalis. Sic enim in Concilio *Neocæsariensi* celebrato anno 314. dicitur: „Presbyter ante trigesimum ætatis „suæ annum nullatenus ordinetur; nam Domi„nus noster trigesimo ætatis suæ anno baptiza„tus est, & sic cœpit docere.

TERTIUM, *quòd Augustus obierit anno Æ. V.* 13. demonstratur ex duobus, nempe ex annis regiminis, & ex Eclypsi solari, quæ ante ejus obitum contigit. Circa primum *Josephus* scribit, Augustum numerasse annos regiminis LVII. menses sex. Tacitus numerat annos LVI. Jam verò *Augustus*, priùs dictus *Octavianus*, suum Imperium auspicatus est post necem *Julii Cæsaris* anno consequente, quo *Octavianus* creatus est Consul. Cùm ergo Julius Cæsar occisus sit Idibus Martii ante Æ. V. 45. clarum erit, facta additione 13. annorum post Æ. V. prodire bos annos regiminis; quia 44. & 13. faciunt LVII. Tacitus autem videtur ordiri ab anno ante Æ. V. 43. quo Antonius & Octavianus diviserunt imperium. Cæterum *Julium Cæsarem* occisum esse anno 45. ante Æ. V. demonstratur à *Blanchino* ex Calculo Astronomico; quo evincitur Lunam 5. Januarii *Mundæ* in Hispania uno anno ante obitum Julii Cæsaris, ante Æ. V. 46. hora 6. noctis ortam esse. *Blanchinus* in Notis Chronologicis ad Pontificatum *Sylvestri* Papæ cap. 4. sic scribit: „Asserendum esse contendo, annum signatum „Consulatu Cæsaris tertio, tertiaque dictatura, „postquam Victor ex Africa solvit, quo Cæsar „post quatriduum triumphi inter cæteras leges „edixit de Anni Correctione in proximum adhi„benda, quando ipse novum annum aperiret „Consulatu suo quarto. In *Fastis Capitolinis marmoreis* post annum signatum *tertio Consulatu*, *tertiaque Dictatura* Cæsaris sequitur Kalendis Janua„rii annus inscriptus quarto *Cæsaris Consulatu*, „quem gessit fine Collega. Hic annus dictus fuit „annus *Confusionis*, in quo menses quindecim „(444. seu 445. dierum) numeratos affirmat Sue„tonius. Post diem, quæ bunc numerum 445. „dicrum clausit die postrema Decembris cœpit „novus annus ordinationis Julianæ; eumque a„peruit Kalendis Januarii Cæsar *Consul quintùm*. „Inde affirmo initium factum anni quadragesimi „quinti ante Æ. V. eodemque anno Cæsarem ob„truncatum fuisse. Demonstratio nostra ex *Hirtio* talis est. Scribit *Hirtius*, Cæsaris comes in „Hispanica Expeditione, Cæsarem citatia itine„ribus Roma profectum ad *Atequam* oppugnan„dam se contulisse, & oppido potitum esse die „XI. Kalendarum Martii. Tum ait, ad diem III. „Nonarum Martii metum fuisse magnum, & *A*„*tium Varum* circum castella præfuisse. Eo die, „inquit, *Pompejus* castra movit, & circa *Hispalim* „in Oliveto constitit. Cæsar priùs quàm eo„dem est profectus, Luna hora circiter sexta „(noctis) visa est. Pridie igitur Nonas Martii, „vel nocte Nonas Martii præcedente, Luna su„pra Horizontem, hora sexta noctis seu nocte „media fuit. Dico, sententiam Chronologo„rum, qui annum bunc putant esse ante Æram „Christi 45. Hirtio & Lunæ motibus refragari. „Nam si is annus fuit 45. ante Æram vulgarem „ante Æram Christi, necesse est, Lunam die 6. „Martii ante Horam noctia sextam infra Hori„zontem descendisse. At in nostra sententia, „quæ annum confusionis pariat cum Cæsaris „Consulatu quarto, & cum Hispanica Expedi„tione, mirificè consentit conspectus Lunæ cir„ca boram sextam nocte præcedente Nonas Mar„tii. Nam habemus ex *Dione*, *Censorino*, & *Macrobio*, eum annum confusionia ita dispositum „fuisse, ut dies 23. *Merkedonii* fuerint interpositi „inter Februarium & Martium, dies verò 68. „duorum mensium interkalarium numerati fue„rint eo anno inter Novembrem & Decembrem. Ita Blanchinus, qui hoc loco exhibet integrum Calculum. Cæterùm, quòd *Octavianus* eodem adhuc anno Julio Cæsari, idibus Martii in Curia confosso, simul cum Antonio in potestate successerit, & XIV. Kalendas Maji Romam redierit, & mense Augusto populari gratia roboratus exercitum cogere cœperit, & subse-

 quen-

quente anno Consul effectus sit, in Chronologia Consulum ad annum U. C. $\frac{708}{709}$. ex Cicerone, Livio, Floro, & Tabulis Ancyranis evincit. Calculus Blanchini est sequens:

	Locus Solis.	Apog. Sol.	LocusLunæ.	Apog. Lunæ.
	s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″
Radix Ann. Julian.	9. 7. 38. 50.	2. 8. 18. 55.	9. 4. 53. 43.	8. 9. 50. 13.
Febr. Biss. Complet.	1. 29. 8. 19.	— — — 10.	2. 10. 35. 21.	— 6. 41. 6.
Dies 5.	— 4. 55. 42.	— — — 1.	2. 5. 52. 55.	— — 35. 25.
Horæ 12.	— — 29. 34.	— — — —	— 6. 35. 18.	— — 3. 21.
Locus Solis.	11. 12. 12. 15.	2. 8. 19. 6.	1. 27. 57. 17.	8. 17. 10. 5.
Apog.	2. 8. 19. 6.		8. 17. 10. 5.	
Anomalia.	9. 3. 53. 20.		5. 10. 47. 12.	subtrah.
Æquatio add.	1. 55. 20.		1. 37. 50.	
Locus Solis.	11. 14. 7. 35.		1. 26. 29. 27.	
Locus Solis in Pisc.	— 14. 7. 35.			
LocusLunæ in tauro	— 26. 29. 27.			
Occasus Lunæ proin in primo Anno Juliano ante Æram 45. jam accidit Hora noctis quinta.				

Idipsum, quòd Augustus obierit anno post Æ. V. 13. ostenditur ex Eclypsi solari, quæ ante mortem Augusti contigit & in annum Æ. V. 13. incidit.

Blanchinus in Prolegomenis Tom. 2. ad vitas Romanorum Pontificum, Opusculo 4. sic scribit: *Dio l. 56. inter prodigia, quæ vulgi opinione mortem Augusti portendere credebantur, enumerat totalem Eclypsin solis.* Sexto Apulejo, Sexto Pompejo *Consulibus in Campaniam profectus Augustus exhibito Neapoli spectaculo: Nouæ morti concessit. Prodigia, quæ id ei prædicerent, neque minima, neque obscura evenerant: Sol totus defecerat. Torquet ingenia Chronologorum pariter & Astronomorum Eclypseos istius indagatio per annum quartum decimum Æræ vulgaris; quo certè nulla ejusmodi Eclypsis juxta quascunque tabulas Cælestium motuum spectari potuit. At si hanc inquirant juxta easdem tabulas anno Æræ vulgaris tertio decimo; cognoscent evidenter, die 28. April. defectum Solis in pluribus Europæ Provinciis spectabilem contigisse, dum vergeret ad occasum. Totalem disci obscurationem Sole occidente visam parvis Insulis ab occasu adiacentibus Britanniæ circa Borealem Scotorum tractum, discent ex supputatione ac Diagramate in Dissertatione nostra relato, similem alteri Eclypsi spectandæ die 22. Maji, anno 1724. sole pariter occidente, spectatoribus positis in littore occiduo Hetruriæ. Ex iisdem tabulis Cassinianis, Hirianis, Bononiensibus, & Britannicis utraque Eclypsis totalis perinde colligitur, quæ partialis, ut necesse est evenire, fuerit terrarum tractibus in vicinia positis Britanniæ, inferioris Germaniæ, Galliæ, ac Lusitaniæ. Sed Phases partiales observatæ bis in Regionibus totalem demonstrant in proximo Climate ac meridiano indicato Orcadum Insularum spectari debuisse. Quis itaque negare possit, Characterem hunc cælestium motuum in Dionis Historia disertè memoratum, indicare evidenter Consulatum utriusque Sexti esse pariendum cum anno Æ. V. tertio decimo?*

Ita Blanchinus Innocentii XIII. Prælatus Domesticus, qui suam in Astronomicis peritiam Gnomone in thermis Diocletianis jussu Clementis XI. concurrente opera Maraldi erecto; & linea meridiana à littoribus Hetruriæ usque ad finum Venetum ingentibus ac propriis sumptibus constituta, & observata per 30. annos Parallaxi annua in Lucida Lyræ abunde commendavit.

Si quis Objiciat, quod hæc Eclypsis in Italia fuerit tantùm partialis. Respondeo: Sole Horizontem subire incipiente apparere potuisse totalem; eò quod Luna Solem obtegens transeat Solem in fine Eclypsis ex ejus parte Orientali.

Objicitur 3. Christus juxta SS. Patres passus est in Paschate Judæorum, atqui Pascha primum fuisset celebratum 29. Martii prout calculus Astronomicus Plenilunii ostendit. 2. Occidentalis Ecclesia semper consecravit in pane azymo, quia etiam Christus consecravit in pane in ultima Cœna. Sed Azymi panes primum comedebantur Luna decima quarta ad vesperam, prout habetur Exodi 12.

Respondeo

Ad 1. Judæos forte computasse Novilunium & Plenilunium Paschale à Novilunio initiali anni politici, qui juxta Syro-Macedones incipiebat à Novilunio ante Æquinoctium autumnale. Facto autem hac computatione illo anno Plenilunium Paschale incidisset in diem vigesimum sextum Martii, prout Blanchinus Tom. 2. ostendit.

Ad 2. Dico, Christum in ultima Cœna celebrasse in pane fermentato. Moraliter enim impossibile est, quod S. Joannes Evangelista, & D. Jacobus, Episcopus Jerosolymitanus, & Simeon ejus successor qui omnes instituerunt in Ecclesia Orientali usum panis fermentati, eum usum saltem in Sacrificio solenni Sacerdotum non retinuissent, si Christus fuisset usus pane Azymo. Morem autem Latinæ Ecclesiæ dico provenire posse à sacrificio, quod Christus post Resurrectionem obtulit in Feria II. post Pascha, quando celebravit in Azyma coram duobus Discipulis euntibus in Emaus, in diem incidit verum Plenilunium Paschale astronomicè sumptum, Feria III. quando Christus post resurrectionem manducavit Jerosolymis cum Apostolis, prout idem Evangelista testatur his verbis: *Surgentes eadem hora regressi sunt* (illi duo Discipuli) *in Jerusalem, & invenerunt congregatos undecim, & eos, qui cum illis erant; dicentes: Quod surrexit Dominus verè. Et ipsi narrabant, quæ gesta sunt in via: dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, — & cum manducasset cum eis* (haud dubiè etiam panem, & quidem azymum, cujus usus per totum octiduum

duum Paſchale præſcriptus erat) *ſumens reliquias dedit eis*. Ab iſta proin menſa Paſchali, in qua Chriſtus manducavit, Eccleſia latina ſumere potuit ritum conſecrandi in particulis azymis. Certè de hoc convivio Paſchali locutus fuiſſe Chriſtus videtur; quando Lucæ 22. dixit: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar; dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei.* Ut tamen oſtendam reſponſionem, quæ eſt BLANCHINI, aſſerentia, Plenilunium Paſchale Judaicum anno 28. Æ. V. incidiſſe in diem 26. Martii, rejiciendam non eſſe, ſed eam defendi poſſe, ejus mentem clarius expono.

Id verò efficitur duplici medio 1. ex Cyclis, juxta quos anno Æ. V. 28. Luna decima quarta incidit in diem 26. Martii, & in feriam VI. 2. Ex Calculo Aſtronomico Judaico, quo Judæi computabant ſua Novilunia & Plenilunia Menſis Niſan, incipientis in Martio. Sciendum namque, quod Syro-Macedones, inter quos comprehendebantur etiam Judæi, ſuum Calendarium uſuale, ſeu annum civilem, inchoaverint in Autumno, menſe Septembri, videlicet à Novilunio Septembria, quod Æquinoctium autumnale proximè præceſſerat, prout obſervat Ugolinus Tom. 4. theſauri in annot. ad l. 3. Sigonii. c. 1. Ab iſto ergo initio anni civilis ſine ulteriori alio Calculo Aſtronomico numerabant Judæi in ſuo Calendario ſex integros menſes Lunares, hoc eſt, ſex integras Lunationes, quibus evolutis incipiebant ſuum annum Sacrum, ſeu menſem Niſan.

Jam verò tam ex Cyclis, quam ex ejuſmodi Calculo Aſtronomico Judaico Lunam decimam quartam anno Æ. V. 28. incidere in diem 26. Martii, ac in feriam VI. BLANCHINUS l. cc. Tom. 2. opus 4. manifeſtè demonſtrat. Sic enim ſcribit:

„Oſtendendum mihi igitur eſt, quartam deci„mam Lunæ menſis Niſan, ſeu Paſchalis Judæo„rum menſis, incidiſſe anno Æræ Communis 28. „in diem 26. Martii. Iſtam Aſſertionem ita de„monſtro.„

„Rationes Lunæ decimæ quartæ Paſchalis „anno 28. Æræ communis ita ſunt apertæ, ut „qui tabulas ea de re concinnarunt, tam veteres „quàm recentes de feſto Paſchatis, tum Judaici, „tum Chriſtiani eo anno inter ſe non diſſen„tiant. Victorii Canon Paſchalis, inde exorſus „Periodum, attribuit diei Dominicæ 28. Martii „ætatem Lunæ XVI. & conſequenter Lunam „quartam decimam alligat Feriæ VI. Martii 26. „qua Dominus in Crucem actua paſſionem mor„te complebat, inchoatam veſpere præcedenti, „& myſterio incruenti Sacrificii a ſe dedicatam: „quæ veſpera licet Romanorum more, nume„rantium dies à media nocte in mediam (uti „teſtantur MACROBIUS Saturn. cap. 3. & AU„LUS GELLIUS Noct. Atticarum l. 3. c. 2. & „ante hos PLINIUS l. 2. cap. 77.) pertineret ad „diem 25. attamen Hebræorum Legibus refere„batur ad initium diei ſubſequentis, ita præci„piente Domino, Levit. 23, 32. A veſpera uſ„que in veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. „E recentioribus vero P. Franc. BORDONUS „Generalis tertii ordinis S. Franciſci in tabulis „Paſchalibus ab anno Incarnationis Dominicæ „ordinatis ad annos bis mille conſequentes juxta „annum Julianum ante correctionem Gregorii, „& juxta Gregorianum poſt hujus Pontificis „emendationem, iiſdem plane numeris effert „Epactam XVI. & Paſcha Chriſtianum die Do„minica XXVIII. Martii anno vulgaris Æræ „Chriſti 28.„

„Eædem certe rationes apprimè reſpondent „motibus Luminarium: ut calculi oſtendent, „ſubducti ex tabulis Aſtronomicis, ad caput an„ni Judaici ita reddentibus Neomeniam thiſri „ſeu primi menſis anni civilis Judæorum per an„num vulgaris Æræ Chriſtianæ 27. à qua Neo„menia thiſri dies 177. proximè conſequens „oſtendit Neomeniam Niſan (ſex Lunationibus „ab illa diſſitam, & quæ caput eſt anni Sacri, ſeu „exordium menſis primi, ita appellati in S. Lit„teris) die 13. Martii Juliani, in annum Biſſexti„lem 28. ejuſdem Æræ Chriſtianæ ſe diffunden„tis. Conſulamus numeroa Luniſolares, in ta„bulis D. de la Hire, ab Regia ſcientiarum Aca„demia, aliiſque paſſim approbatis, ita colli„gendos.„

Radix Epoch. Comm. annorum Chriſti ineuntia Kal. Jan. ad Merid. Pariſ.	☉ Longit. ab initio ♈.	Apogæum ☉ ab ♈.	☾ Longit. ab ☉. ♈.	Apogæum ☾ ab ♈.
	S. G. M. S.	S. G. M. S.	S. G. M. S.	S. G. M. S.
0	9. 8. 43. 40.	2. 9. 5. 2.	4. 15. 18. 9	9. 11. 4. 38.
Anni XX. complet.	0. 0. 9. 20.	20. 30.	4. 13. 34. 0.	3. 3. 50. 51.
Anni VI. complet.	11. 29. 33. 11.	6. 9.	2. 9. 28. 50.	8. 4. 5. 55.
Auguſtus complet.	7. 29. 30. 44.	40.	10. 21. 51. 50.	27. 4. 21.
Dies XVII. compl.	16. 45. 22.	3.	7. 13. 59. 55.	1. 53. 39.
Horæ VIII.	19. 43.		4. 23. 32.	2. 14.
Minuta XXIIII. hor.	0. 59.		13. 10.	8.
	2. 25. 2. 59.	2. 9. 32. 24.	5. 18. 49. 26.	9. 18. 1. 46.
	2. 9. 32. 24.		9. 18. 1. 46.	
	3. 15. 30. 35.	Anomalia ☉	8. 0. 47. 40.	Anomalia ☾
	1. 52. 42.	proſta. ſubr.	4. 21. 2.	proſtap. add.
	5. 25. 2. 59.		5. 18. 49 26.	
Locus verus ☉.	5. 23. 10. 17.		5. 23. 10. 28.	Loc. ver. ☾

„Vera

„Vera itaque Synodus Luminarium contigit anno 27. Æræ Christi vulgaris die 18. Septemb. Juliani horis 8. & minutis 24. post meridiem Parisiis, Romæ verò horis 9. 5. post meridiem, & Hierosolymis hora post meridiem 10. 40. cum Hierosolyma sit orientalior quàm Lutetia Parisiorum gradibus longitudinis 34. o. sive horis 2. & minutis horariis 16.„

„Ab ea Synodo auspicari debuerunt Judæi mensem thisri & suum Roscheaschana, seu caput anni Civilis Lunaris, quo utebantur, exemplo Syromacedonum, ab Autumno pariter exordientium. Cum itaque Novilunium thisri, juxta motus veros Lunisolares, parietur cum die 18. Septemb. Juliani anni 27. Æræ Christi vulgaris; necesse est, ut in diem 177. numeratum post 18. Septemb. incidat mensis Paschalis Novilunium anno 28. Sex enim Lunationes, quæ numerandæ sunt à thisri ad Nisan, tot dies requirunt. Adde enim dies 12. superstites mensis Septembris post diem Novilunii 18. ad finem mensis; deinde Octobris Juliani dies 31. Novemb. 30. Decemb. 31. totidem Januarii: Februarii bissextilis dies 29. & 13. Martii erit summa Dierum 177. quæ complet sex Lunationes civiles, alternis cavas & plenas.„

„Demonstratum est igitur assumptum primum, nempe motus veros Luminarium anno Æræ Christi 27. ostendere Novilunium thisri die 18. Septemb. Juliani horis 10. 40. post meridiem Hierosolymis: eoque nomine diem eandem 18. Septemb. fuisse caput anni Judaici labente anno 27. Æræ Christi communis: quare diem 177. inde numeratam (quæ incidit in diem 13. Martii anni Bissextilis 28) esse primam diem Lunæ Nisan, seu Mensis Paschalis. Adde dies 13. solidos huic diei 13. Martii, ut assequaris initium quartædecimæ Lunaris, seu diem legitimam Paschatis Judæorum. Istius terminus ostendit diem 26. Martii: qua Christus Dominus: Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, Feria VI. in Cruce pro nobis immolabatur, ex Victorii sententia & nostra, die VII. Kal. April; cùm vespera præcedenti (ex ritu Legis Mosaycæ ad hanc ipsam diem referenda, sed Romano more ad VIII. Kal. April. seu 25. Mart.) Pascha ipse cum Discipulis celebrasset, & passionem inchoasset, cujus Sacramenta instituerat.„

„Colligas etiam licet ex calculis indicatis, cur aliqui dixerint, Hebræorum nonnullos distulisse eodem anno immolationem Agni ad vesperam diei 26. Juliani (unde apud Joannem dicuntur Feria VI. non introisse Prætorium, ut manducarent Pascha) licet alii cum Christo Domino agrum comedissent Paschalem ad vesperam Feriæ V. die 25. Romana Causa utriusque sententiæ obscura esse non potest ex duplici putatione & commensu vel solius diei Paschalis, vel diei simul & horarum, in quas inciderant juxta motus veros Neomeniæ Thisri & Nisan. Thisri Neomenia die 18. Septemb. commissa horis 10. 40. post meridiem ferebat post 177. dies Novilunium Nisan die 13. Martii Bissextilis Juliani & Civilis, si dierum tantummodo solidorum quod in civili putatione fit) annorum & mensium ratio habeatur. At si horarum etiam quatuor & minutorum 24. additamentum curemus, quod præter solidos dies 177. requirunt Lunationes mediæ sex, à Thisri ad Nisan; tunc additis hisce hor. 4. & min. 24. Epochæ horariæ Lunationis Thisri hor. 10. & min. 40. post meridiem diei 18. Septemb. fiunt hor. 15. & min. 4. post meridiem diei 26. Martii initium quartæ decimæ Paschalis, adeoque extenditur ultra terminum mediæ noctis claudentis more Romano diem 26. & aperientem diem 27. Martii. Apertum itaque fit, cur Judæorum alii potuerint rite ex Novilunio vero mensis Thisri, & putatione civili dierum tantummodo solidorum quartam decimam Paschalem referre ad diem 26. Mart. Feriam VI. & vesperam præcedentem diei 25. Feriæ V. cum Christo Domino ac Discipulis; alii verò cum Judæis Prætorium non introeuntibus Feria VI. 26. Martii ut manducarent Pascha eadem Vespera, quam referebant ad diem 27. attendentes horas 3. post mediam noctem, quæ initium quartædecimæ ita comparatæ differebant ad diem 27. more Romano definitam, eo quem dicimus anno Bissextili, communis Æræ Christi XXVIII. duobus Geminis Consulibus. Hucusque BLANCHINUS l. cc.

SI QUIS OBJICIAT; cum *P. Monelia*, Plenilunium medium anno Æ.V.28. incidere in diem 29. Martii civilem, hora 10. post noctia medium. Ergo totum fundamentum Blancini convellitur.

RESPONDEO. Verum quidem esse, Plenilunium medium illo anno incidere in diem 29. Martii, imo etiam Plenilunium verum in eundem diem incidere Mane hora 2. 48′. Parisiis; & Jerosolymis, facta subtractione duarum horarum cum sedecim minutis, in diem 29. Martii h. 0. 32′. Id tamen non obstat, quin Plenilunium Paschale juxta Cyclum Judaicum in diem 26. Martii inciderit, cum Plenilunia media seu Cyclica à veris triduo distare possint; ut Astronomis notum est. Hinc cum Bianchinus à Novilunio vero mensis Septemb. tantum numeret motus medios Lunæ usque ad Mensem Martium, ita ut præcisè secundum motus medios Plenilunium Martii post Novilunium verum Septembris consequeretur ad 26. Martii, hac ratione Plenilunium Judaicum nec *verum*, nec *medium*, sed *Cyclicum Judaicum ex noctu Lunæ* ad initium anni Civilis secundum Calendaria Syromacedonum popularia *vero*, & dehinc usque ad Pascha *ex motu Lunæ medio* MIXTUM vocari posset. Cæterùm hoc genus Cycli Judaici insinuari videtur à *Philone*; dum asserit, Festum Paschale non Mathematicè, sed tantùm *circiter* celebrari eo tempore, quo Luna *solet* esse plena. In *vita Moysis* part. ult. de ejus Legibus tractans sic scribit: *Moyses primum anni mensem facit eum, qui in vernum Æquinoctium incidit. Circa ejusdem mensis diem decimam quartam, qua Lunaris orbis impleri incipit*: Περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφαοῦς, *celebratur festivitas, quam Pascha nominant*. Quod verò Cyclos Julianos attinet, etiam Petavius fatetur, eos biduo, imo

imo & triduo à Noviluniis aut Pleniluniis veris aberrare posse Tom. 2. l. 12. c. 15. sic scribit: *Hebræis uno sæpè die longior annus erat, quo sequentis Caput in opportunam feriam incideret . . . . . Quod Judæi exquisitissimos Lunæ motus, decimasque quartas perpetuò tenuerint, nullo neque argumento, neque probabilitatis specie à plerisque defenditur . . . . . Est ergo verosimile, biduo non nunquam aut triduo Civiles Neomenias à mediis aberrasse propter Cycli & popularis anni vitium.*

Verùm hæc dicta sint pro tuendo Systemate Blanchini. Si verò alicui hæc illius responsio non satisfaciat, aut cogetur fateri, illo anno Æræ Vulgaris 28. Pascha Judaicum incidisse in feriam II. aut III. sequentis hebdomadæ juxta modum explicandi infra subjiciendum ex differentia Calendarii Romani & Judaici, aut per *Parasceven* intelligi diem Lunæ decimæ, quo juxta Librum *Exodi* c. 12. Agnus Paschalis præparabatur ad immolationem Paschalem, quod tamen vix conbinari poterit cum textu D. Marci, nisi dicatur, eum loqui de bidui intervallo inter passionem Domini seu totam *historiam passionis ac cursum* & solennitatem Paschalem; & ubi in latina versione legitur, primo die Azymorum, ex Græco Textu verti posse, *die præcedente* Azymorum panum usum. Aut cogetur sequi Epiphanium, quod passio Domini non inciderit in 25. Martii, sed 18. prout contigit anno Æræ Vulgaris 28. quæ sententia forte defendi posset. Interim pro Coronide accludo calculum Plenilunii Paschalis ad annum Æ. V. 28.

Calculus

Plenilunii Paschalis

Anno Æ V. 28.

Radix pro loco ⊙ Parisiis anno Christi ineunte, primo die Januarii	Locus ⊙.	Apog. ⊙.
in meridie	9. 8.43.40.	2.9. 5. 2.
anni 20.	- - 9.10.	- - 20.30.
anni 7.	11.29.18.51.	- - 7.10.
Febr. Biss.	1.29. 8.19.	- - - 10.
Dies 27.	- 26.36.45.	- - - 4.
Horæ 18.	- - 44.21.	
40′.	- - 1.39.	
Mot. Med. ⊙.	- 4.42.45.	2. 9.32.56.
Apog. ⊙.	2. 9.32.56.	
Anomalia ⊙.	9.25. 9.49.	
Æquatio add.	1.43.31.	
Locus verus ⊙.	- 6.26.16.	
Locus verus ☾.	6. 5.14.24.	
Dist. ☾. à ⊙.	1.11.32.	
Motus hor. ☾. à ⊙.	30.28.	

1828″: 60′ :: 4292: 140 = 2 h. 20′.

	Locus ☾.	Apog. ☾.
	s o ′ ″	
Radix pro ☾	4.15.18. 9.	9.11. 4.38.
Anni 20.	4.13.34. -	3. 3.50.51.
Anni 7.	6.18.51.58.	9.14.45.47.
Febr. Biss.	2.10.35. 1.	- 6.41. 4.
Dies 27.	11.25.45.46.	- 3. - 29.
Horæ 18.	- 9.52.56.	- - 5. 1.
40′.	- - 21.57.	- - - 11.
Mot. med. ☾.	6. 4.19.47.	10.9.28. 1.
Apog. ☾.	10. 9.28. 1.	
Anom. ☾.	7.24.51.46.	
Æquatio add.	4. 3.58.	
Locus verus ☾.	6. 8.23.45.	
Locus verus ☉.	- 6.26.16.	
Dist. ☾. à ☉.	1.57.29.	
Motus hor. ☾. à ☉.	′ ″ 30.28.	

1820″ : 60′ : : 7049″ : 232′ = hor. 3.52′. subtr.
hor. 18 40.

Different. inter Jeros. & Paris. hor. 14.48.
2.16.

Plenilun. ver. Jeros. die 29. Mart. hor. - 32′.

Alius Modus

explicandi Objectionem contra Systema Blanchini objectam.

Potest esse; quod Sacerdotes Judæorum secuti sint Calendarium Julianum juxta methodum Intercalandi à Sacerdotibus Romanis introductam, vi cujus non anno quarto, sed tertio intercalabatur dies; si ergo hanc methodum continuarunt usque ad mortem Christi, aut omnino usque ad eversionem Jerosolymæ, consequitur, eos numeraturos fuisse anno passionis Christi diem 25. Martii, quando Romani juxta correctionem ab Augusto factam numerabant diem 23. Martii. Itaque licet Plenilunium Paschale revera inciderit in diem 30. Martii, & sequenti die 31. Martii fuerit celebratum ad Vesperum Pascha, Judæi tamen, à quorum traditione id habemus, Christum passum esse die 25. Martii, dixissent, Christum passum esse die 25. Martii, hoc est, Pascha Judaicum, quo Christus passus est, contigisse die 25. Martii. Nam Anno Juliano 48, cum per duodecim annos omissi fuerint Romæ anni bissextiles, Calendarium Romanum jam anticipabat tribus diebus præ Calendario Judaico, in quo negligebatur ista correctio facta ab Augusto, & consequenter, quando Judæi numerabant diem 25. Martii, Romani numerabant diem 28. Martii, & intra viginti quinque annos accedente denuo differentia duorum dierum consequens erat, ut dum Judæi numerabant diem 25. Martii, Romani numerarent diem 30. Martii. Hæc magis patebunt ex adjecto Schemate, ad cujus meliorem cognitionem videri potest Petavius de ratione temporum l. 4. c. 1. 2, 3. Si quis dicat; à me fingi, quod Judæi neglexerint correctionem Augusti, sciat ex Arte Critica, ad solutionem difficultatum contra veritates aliunde demonstratas sufficere *possibilia verosimilia.*

Anni

Teſtimonium
P. Joſephi Stampa
De
Conſenſu Chronologorum noſtri temporis
cum
Ill.mo Franciſco Blanchino
circa
Annum Natiǔititatis & Paſſionis Dominicæ.

In Confirmationem dictorum accludo teſtimonium P. Josephi Stampa, qui in Obſervationibus ad Fastos Consulares Sigonii recuſos & emendatos Mediolani 1732. fol. 611. ſic ſcribit: „Cum ſexto anno exeunte ante „Vulgarem Æram Chriſti neceſſe ſit ponere ve„ram Chriſti Nativitatem, ut oſtendimus ad eun„dem ſextum annum, ideo bene Pagius & Blan„chinus hoc anno referunt, Pilatum Judææ Pro„curatorem fuiſſe impoſitum, cum hoc anno Æ„ræ Vulgaris noſtræ XI. circa finem Auguſti cœ„perit annus XV. Imperii Proconſularis Tiberii „Cæſaris, quam Epocham (Imperii Tiberiani) „ſequuntur plerique Scriptores Orientales.

Idem Cl. Author fol. 613. de anno Æræ Vulgaris vigeſimo octavo hæc ſubnectit: „Hoc anno Æræ Dionyſianæ 28. mortuum eſſe „Chriſtum credimus cum Blanchino, qui, ut o„mnia quadrent antiquiorum Scriptorum tradi„tioni, retrahit in hunc annum Conſulatum ſe„quentis anni, quo Conſules fuerunt duo Ge„mini. Certe Victorius Aquitanus ab hoc anno „non ſine conſilio Epocham ſuam quingentorum „& triginta annorum incboat, & quia idem Vi„ctorius in Conſulatu duorum Geminorum vult „mortuum eſſe Chriſtum, retrahit & ipſe fortaſ„ſe in hunc annum Conſulatum duorum Gemi„norum, ut Pagius in hunc annum demonſtrat „in Critica ad Baronium. Tria Paſchata Chri„ſtum celebraſſe à ſuo Baptiſmate conſtat evi„denter ex Evangelica Hiſtoria, ut vidimus duo„bus annis proxime hunc antecedentibus. Cum „autem hoc anno, quo tertium & ultimum Pa„ſcha cum ſuis Diſcipulis celebravit, eadem no„cte captus fuerit à Judæis, & ſequenti die cru„ci confixus, hinc deducimus Chriſtum vixiſſe „triginta duos annos, ac menſes tres, ita ut à „ſua conceptione ad mortem ſuam vixerit tri„ginta tres annos plenos juxta antiquam traditio„nem. Plura Paſchata, quam tria Chriſtum ce„lebraſſe, ut vult Petavius cum aliquibus aliis, „non reſultat ex Evangelio niſi per conjecturas „ingenioſiores, quam credibiles, ut videre eſt „apud ipſum Petavium de doctrina temporum „lib. XII. cap. 18. Ceterum hoc anno, & non a„lio mortuum eſſe Chriſtum, niſi ejus vitam pro„ducamus ad plures annos, quàm triginta tres, „contra veterem traditionem, reſultat ex Paſcha„te, quod hoc anno contigit die 26. Martii, ut „docet ipſe Blanchinus ex Tabulis Aſtronomicis „Domini de la Hire, & ut notavimus in princi„pio hujus operis, quando expendimus aliorum „Authorum opiniones diverſas circa annos U. C. „& circa annum, quo primi Conſules in Roma„na Republica conſtituti ſunt. Quod autem „Paſcha hoc anno incideret in diem 26. Martii, „conſtat etiam ex Calculo noſtro communi, quo „utimur ad cognoſcendam ætatem Lunæ qua„cumque propoſita anni die. Ac primo ut o„ſtendimus ad annum 26. Æræ vulgaris Chriſti, „Æquinoctium Vernum eo tempore, quo Chri„ſtus vixit, cadebat in diem 22. Martii, ut „conſtat ex Tabula XIV. P. Ricciolii producta „in ſua Chronol. reform. tom. 1. pag. 90. Au„reus numerus hujus anni erat ex Petavio nu„merus 10. cui ex Tabula Ricciolii reſpondet „Epacta 16. Quæramus nunc quota dies Lunæ „in diem 22. Martii inciderit hoc modo: Colli„gantur in unam ſummam numeri 22. & 16. & „efficient ſummam 38. addatur numerus menſis „primi, qui eſt Martius, nempe unitas, & fict „39. Quia vero annus hic apud omnes Autho„res biſſextus erat, & addita fuit una dies Fe„bruario, ideo pro hac ſuperaddita, addatur ſum„mæ 39. altera unitas, & fiet numerus 40. ſub„trahatur numerus tricenarius, hoc eſt numerus „30. & remanebit numerus 10. Ergo die 22. „Martii hujus anni currebat decima dies Lunæ. „Ergo die 26. Martii currebat Luna XIV. Paſcha„lis. Quia vero hoc anno biſſextilis Cycli ſola„ris characteres duo occurrebant, nempe D C. „ideo dies Dominica proxima poſt diem 26. Mar„tii cadebat in diem 28. Martii. Ergo Luna XIV. „hoc anno cadebat in diem Veneris, quo mor„tuum eſſe Chriſtum dicimus, ita ut veſpere an„tecedenti comederit Paſcha cum azymis una „cum ſuis Diſcipulis, nempe veſpere diei 13. „Martii, quo veſpere apud Hebræos incipiebat „dies ſubſequens, atque inde verificatur, quod „Chriſtus mortuus ſit die VIII. Cal. Aprilis, ſe„cundum quod hac die cœperit poſt Cœnam pa„ti, incipiente jam apud Hebræos Luna XIV. ſeu „die 26. Martii, ſeu die VII. Cal. Aprilis, quo mor„tuus eſt. Dies enim, qua Chriſtus eſt paſſus, „& mortuus participabat ex die VIII. Calendas „Apriles, & die VII. Cal. Apriles; atque hinc fit,

D. Amort Tract. de Incarnatione.

„ut ſalva traditione SS. Patrum, aliorumque Scriptorum veterum, Chriſtus dicatur paſſus & mortuus die VIII. Cal. Aprilis, quod nunquam continget poſt plures & plures annos præter hunc, nec antea contigit ante hunc, nec alio quoquam anno, qui fuerit vero proximior.

„Quod autem Chriſtus comederit ultimum Paſcha cum Diſcipulis ineunte Luna XIV. cum illud tantum exeunte eadem Luna comedi apud Hebræos conſueverit, id nihil refert, namque præterquam quod Petavius, Blanchinus, Calmetus, Lamy, & alii ita ſentiunt, (licet à nobis in anno diſcordent) cum non eſſet apud Judæos perfecta cognitio rerum Aſtronomicarum, poterant alii comedere Paſcha ineunte Luna XIV. alii exeunte, cum dies comedendi Paſcha eſſet dies civilis, non aſtronomica. Vide Petavii Ration. temp. P. II. lib. IV. cap. IV. Neque propterea dicendum eſt, quod Chriſtus non comederit Azyma, quia, ut docet P. Calmetus, Luna XIII. diſtribuebatur ab Hebræis omne fermentatum, ita ut veſpere hujus diei Lunaris XIII. nihil prorſus fermenti ſupereſſet, quare Chriſtus ineunte jam Luna XIV. comedit Azyma. Adde confuſum fuiſſe apud Hebræos annum illum, quo Chriſtus mortuus eſt, ut docet Petavius in ſuo Rationario temporum P. II. lib. IV. cap. IV. ex Divo Epiphanio. Hoc anno igitur Chriſtum dicimus eſſe mortuum die quidem apud nos 26. Martii, ſed cœpiſſe pati exeunte die 25. quæ ſecundum Judæos participabat ex die 26. ſecundum ſui extremam partem.

„Neque dicendum alio anno paſſum eſſe Chriſtum, quia apud Judæos nulla eſſet Aſtronomiæ cognitio, quia poterant quidem aberrare una vel altera die in Paſchate celebrando, ſed non eſt credibile ita ſtolidos fuiſſe, ut proximos æquinoctio dies non agnoſcerent, & in Lunæ ætate cognoſcenda plures quam duos dies aberrarent. Nullus autem annus hoc veritati proximior, qua celebrari Paſcha debuerit, præter hunc, niſi vita Chriſti producatur ultra menſuram veri, & contra antiquam Patrum traditionem.

„Quod ſi Blanchinus ſolidiori aliquo argumento nixus oſtendiſſet Conſulatum duorum Geminorum, qui contigit ſequenti anno, retrahendum, ut ipſe facit, in annum hunc, nulla ſuperfuiſſet inpoſterum controverſia, circa annum ac diem, quo Chriſtus paſſus & mortuus eſt, namque hoc anno, atque hac die firmiſſimè credendum eſſet Chriſtum Paſcha ultimum celebraſſe, atque in cruce confixum fuiſſe, quatenus omnia, & ſingula quadrarent antiquæ Patrum traditioni, quod adnotaſſe ſufficiat.

„Verum ſi levem liceat, atque ineptam producere conjecturam noſtram, ſolidiorum argumentorum defectu, unde orta ſit vetus illa traditio, quod Chriſtus paſſus ſit in duorum Geminorum Conſulatu, inde ortam putamus, quod Conſules futuri anni deſignabantur aliquando ſub anni antecedentis initium, ut conſtat ex Ovidii carmine lib. IV. de Ponto Ep. IX. quo abſens gratulabatur Conſulem deſignatum ex Cal. Julii, Julium Pomponium Græcinum, cum quo etiam gratulatur ſimul Conſulem deſignatum Calendis Januarii ſequentis anni, ejusdem Græcini germanum fratrem L. Pomponium Flaccum, cum nondum Jul. Pomponius Græcinus Conſulatum iniiſſet, ut poſtea iniit anno 16. Æræ vulgaris Chriſti. Ex quo vides Ovidii Epiſtolam ſcriptam fuiſſe initio ejusdem anni, & miſſam ex Ponto Romam, ita ut Romam pervenire poſſet eodem tempore, quo parabantur Feſta publica ob proximum Julii Pomponii Græcini Conſulatum, atque ideo futuri anni Conſules deſignatos aliquando fuiſſe ſub anni antecedentis initium. ut babemus & alia exempla, de quibus infra. Mortuus igitur Chriſtus eſt duobus Geminis Conſulibus deſignatis, atque hinc orta traditio videtur, quod pro Conſulibus deſignatis, dictum fuerit proceſſu temporis, Chriſtum mortuum Conſulibus duobus Geminis, à quo Conſulatu, ut inſigniori, propter idem Conſulum cognomen, & non ab alio minus memorabili deſumpta eſt Epocha Chriſti vulgaris.

Hucuſque Vir Eruditiſſimus P. Joſephus Maria Stampa è Somaſchæ Congregatione; in unico puncto à Blanchino diſcrepans, quod iſte ad annum Æ.V. 28. ponat, Conſulatum duorum Geminorum, quem Conſulatum P. Joſephus Stampa ponendum cenſet ad annum Æ.V. 29, licet fateatur, Orientales & Græcos, qui annos ſuos inchoabant, non more Romano ab initio Januarii, ſed à menſe Julio anni præcedentis per Olympiades, vel à menſe Septembris anni præcedentis per initia Æquinoctiorum, ut Syromacedones, facile transferre potuiſſe & conſueviſſe Conſulatus annorum Romanorum ſubſequentium in annum Orientalium præcedentem.

Anni ante Æram Vulgarem.	Anni Juliani.	Anni Bissextiles Sacerdotum Romanorum.	Anni Bissextiles Sacerdotum Judaicorum.	Dies Romani Calendarii.	Dies Calendarii Judaici.	Feriæ ad Litt. Dom. D C.
45	1	.	.	25. Martii.	25. Martii.	
44	2	.	.			
43	3	B	B			
42	4	.	.			
41	5	.	.			
40	6	B	B			
39	7	.	.			
38	8	.	.			
37	9	B	B			
36	10	.	.			
35	11	.	.			
34	12	B	B			
33	13	.	.			
32	14	.	.			
31	15	B	B			
30	16	.	.			
29	17	.	.			
28	18	B	B			
27	19	.	.			
26	20	.	.			
25	21	B	B			
24	22	.	.			
23	23	.	.			
22	24	B	B			
21	25	.	.			
20	26	.	.			
19	27	B	B			
18	28	.	.			
17	29	.	.			
16	30	B	B			
15	31	.	.			
14	32	.	.			
13	33	B	B			
12	34	.	.			
11	35	.	.			
10	36	B	B			
9	37	. Correctio Au-	. Correctio à			
8	38	. gusti Impera-	. Judæis ne-			
7	39	. toris omissio-	B glecta.			
6	40	. ne Bissextili-	.			
5	41	. um per annos	.			
4	42	. duodecim.	B			
3	43	.	.			
2	44	.	.			
1	45	.	B			
1	46	.	.			
2	47	.	.			
3	48	.	B	28. Martii.	25. Martii.	
4	49	.	. Correctio à			
5	50	.	. Judæis ne-			
6	51	.	B glecta.			
7	52	B	.			
8	53	.	.			
9	54	.	B			
10	55	.	.			

Anni ante Æram Vulgarem.	Anni Juliani.	Anni Bissextiles Sacerdotum Romanorum.	Anni Bissextiles Sacerdotum Judaicorum.	Dies Romani Calendarii.	Dies Calendarii Judaici.	Feriæ ad Litt. Dom. DC.
11	56 —	B ———	.			
12	57	.	B			
13	58	.	.			
14	59	.	.			
15	60 —	B ———	B			
16	61	.	.			
17	62	.	.			
18	63	.	B			
19	64 —	B ———	.			
20	65	.	.			
21	66	.	B			
22	67	.	.			
23	68 —	B ———	.			
24	69	.	B			
25	70	.	.			
26	71	.	.			
27	72 —	B ———	B			In Cal. Rō. Fer. III.
28	73		.	30. Martii.	25. Martii.	In Cal. Jud. Fer. VI.

TABULA

TABULA
FERIARUM
ex Litteris Dominicalibus.

Januarius.	Martius.	Auguſtus.	December.
1. a.	1. d.	1. c.	1. f.
2. b.	2. a.	2. d.	2. g.
3. c.	3. f.	3. e.	3. a.
4. d.	4. g.	4. f.	4. b.
5. e.	5. a.	5. g.	5. c.
6. f.	6. b.	6. a.	6. d.
7. g.	7. c.	7. b.	7. e.
8. a.	8. d.	8. c.	8. f.
9. b.	9. e.	9. d.	9. g.
10. c.	10. f.	10. e.	10. a.
11. d.	11. g.	11. f.	11. b.
12. e.	12. a.	12. g.	12. c.
13. f.	13. b.	13. a.	13. d.
14. g.	14. c.	14. b.	14. e.
15. a.	15. d.	15. c.	15. f.
16. b.	16. e.	16. d.	16. g.
17. c.	17. f.	17. e.	17. a.
18. d.	18. g.	18. f.	18. b.
19. e.	19. a.	19. g.	19. c.
20. f.	20. b.	20. a.	20. d.
21. g.	21. c.	21. b.	21. e.
22. a.	22. d.	22. c.	22. f.
23. b.	23. e.	23. d.	23. g.
24. c.	24. f.	24. e.	24. a.
25. d.	25. g.	25. f.	25. b.
26. e.	26. a.	26. g.	26. c.
27. f.	27. b.	27. a.	27. d.
28. g.	28. c.	28. b.	28. e.
29. a.	29. d.	29. c.	29. f.
30. b.	30. e.	30. d.	30. g.
31. c.	31. f.	31. e.	31. a.

CYCLUS
JUDAICUS
SÆCULO III.

intra 84. annos deficiens uno die, 7. horis.

Anni	Epactæ.	Anni	Epactæ.	Anni	Epactæ.
1	I	32	XXIV	63	XXVII
2	XII	33	XXV	64	XXVIII
3	XXIII	34	XXVI	65	I
4	XXIV	35	XXVII	66	II
5	XXV	36	XXVIII	67	III
6	XXVI	37	I	68	IV
7	XXVII	38	II	69	V
8	XXVIII	39	III	70	VI
9	I	40	IV	71	VII
10	II	41	V	72	VIII
11	III	42	VI	73	IX
12	IV	43	VII	74	X
13	V	44	VIII	75	XI
14	VI	45	IX	76	XII
15	VII	46	X	77	XIII
16	VIII	47	XI	78	XIV
17	IX	48	XII	79	XV
18	X	49	XIII	80	XVI
19	XI	50	XIV		
20	XII	51	XV		
21	XIII	52	XVI		
22	XIV	53	XVII		
23	XV	54	XVIII		
24	XVI	55	XIX		
25	XVII	56	XX		
26	XVIII	57	XXI		
27	XIX	58	XXII		
28	XX	59	XXIII		
29	XXI	60	XXIV		
30	XXII	61	XXV		
31	XXIII	62	XXVI		

TABULA PASCHALIS.

Anni currentes poſt N. C.	Numerus Aureus Julianus.	Numerus Aureus Nicænus.	Plenilunium Calendarii Juliani.	Plenilunium Calendarii Nicæni.	Plenilunium Aſtronomicum juxta Tabulas Aſtronomicas de la Hire.	Horæ.	Minut.	Veſp. Matut.	Plenilunium juxta Cyclum Judaicum reductum.
20	8	2	28. Mart.	26. Mart.	27. Mart.	9.	21.	V	28. Mart.
21	9	3	16. April.	14. April.	15. April.	6.	57.	V	15. April.
22	10	4	5. April.	3. April.	5. April.	3.	43.	M	4. April.
23	11	5	25. Mart.	23. Mart.	25. Mart.	12.	32.	Merid.	24. Mart.
24	12	6.	13. April.	11. April.	12. April.	10.	4.	M	12. April.
25	13	7	2. April.	31. Mart.	1. April.	6.	53.	V	1. April.
26	14	8	22. Mart.	21. Mart.	22. Mart.	3.	42.	M	21. Mart.
27	15	9	10. April.	8. April.	10. April.	1.	14.	M	9. April.
28	16	10	30. Mart.	28. Mart.	29. Mart.	10.	2.	M	29. Mart.
29	17	11	19. Mart.	17. Mart.	18. Mart.	6.	49.	V	18. Mart.
30	18	12	7. April.	5. April.	6. April.	4.	23.	V	6. April.
31	19	13	27. Mart.	25. Mart.	27. Mart.	1.	10.	M	26. Mart.
32	1	14	14. April.	12. April.	13. April.	10.	44.	V	14. April.
33	2	15	3. April.	2. April.	3. April.	7.	33.	M	3. April.
34	3	16	23. Mart.	22. Mart.	23. Mart.	4.	22.	V	22. Mart.
35	4	17	11. April.	10. April.	11. April.	1.	54.	V	10. April.
36	5	18	31. Mart.	30. Mart.	30. Mart.	10.	43.	V	30. Mart.
37	6	19	21. Mart.	19. Mart.	20. Mart.	7.	32.	M	19. Mart.
38	7	1	8. April.	6. April.	8. April.	5.	4.	M	7. April.
39	8	2	28. Mart.	26. Mart.	28. Mart.	1.	53.	V	27. Mart.
40	9	3	16. April.	14. April.	15. April.	11.	26.	M	15. April.
41	10	4	5. April.	3. Aprii.	4. April.	8.	14.	V	4. April.
42	11	5	25. Mart.	23. Mart.	25. Mart.	5.	2.	M	24. Mart.
43	12	6	13. April.	11. April.	13. April.	2.	36.	M	12. April.
44	13	7	2. April.	31. Mart.	1. April.	11.	25.	M	1. April.
45	14	8	22. Mart.	21. Mart.	21. Mart.	8.	13.	V	21. Mart.
46	15	9	10. April.	8. April.	9. April.	5.	46.	V	9. April.
47	16	10	30. Mart.	28. Mart.	30. Mart.	2.	34.	M	28. Mart.
48	17	11	19. Mart.	17. Mart.	17. April.	-	7.	M	18. Mart.
49	18	12	7. April.	5. April.	6. April.	8.	56.	M	6. April.
50	19	13	27. Mart.	24. Mart.	26. Mart.	5.	44.	V	26. Mart.

F I N I S.

Tractatus
DE
SACRAMENTIS IN GENERE.

Tractatus hic continet 6. Disputationes sequentes:

Disputatio I. De natura & existentia Sacramentorum.

Disputatio II. De materia, forma, & aliis partibus constitutivis Sacramentorum.

Disputatio III. De causalitate & effectu Sacramentorum.

Disputatio IV. De causa seu authore Sacramentorum.

Disputatio V. De Ministro Sacramentorum.

Disputatio VI. De suscipientibus Sacramenta.

DISPUTATIO I.
De Natura & Existentia Sacramentorum.

In hac Disputatione *quæritur :*

1. In quo sensu nomen Sacramenti usurpetur à Scriptura, Patribus, & Ecclesia?
2. Quomodò definiatur Sacramentum?
3. Qualia fuerint Sacramenta in lege naturæ, & lege Moysaica?
4. Quot & qualia dentur Sacramenta in lege gratiæ?
5. An Sacramenta Novæ & Antiquæ legis conveniant univocè?
6. Utrum in Veteri Testamento per Sacramenta fuerit collata gratia actualis adoptionis in statum filiorum Dei, & gratia sanctificans ejusdem rationis?

QUÆSTIO I.
In quo sensu usurpetur nomen Sacramenti à Scriptura, Patribus & Ecclesia?

NOTANDUM 1. Plurimùm referre, ut sciatur, in quo sensu nomen Sacramenti usurpatum fuerit à Scriptura, & Patribus, nc, ubi nomen Sacramenti occurrerit in Scriptura, & Ethnicam, statim ponatur vis in termino solo, & sine aliis adminiculis imperitè pugnetur contra Acatholicos.

NOTANDUM 2. Nomen Sacramenti aliter sumi à Scriptoribus profanis, & aliter à Scriptoribus sacris & Ecclesiasticis. Apud VARRONEM l. 4. *de Latinitate.* nomen Sacramenti significat aliquod *pignus* à litigantibus in loco Sacro depositum: Ut enim hic Author testatur, mos erat apud Romanos, ut, cùm duo litigabant, ambo litigantium deponerent in loco Sacro apud Pontificem quingenta æris; finita lite victor recipiebat suum depositum; victus verò in pœnam temerariæ litigationis cedere illud cogebatur ærario. Apud CICERONEM l. 2. *de Officiis.* terminus Sacramenti significat idem ac *juramentum*; eò quòd juramentum fiat per rem sacram, seu per invocationem supremi Numinis. Sic dicebatur quis se *Sacramento*, hoc est, *juramento* obstringere.

DICO I. In Scriptura nomen Sacramenti idem significat, quod *mysterium*, seu signum rei sacræ arcanæ.

PROBATUR *Conclusio* 1. Ratione Bellarmini. Quotiescunque in Scriptura Latina occurrit nomen Sacramenti, in Biblia Græca occurrit nomen *Mysterii*; ergo manifestum est, in Scriptura per nomen Sacramenti idem significari, ac *Mysterium*. Bellarminus lib. 1. de Sacram. in gen. c. 7. sic scribit: *Notandum, Scripturas Sacras non Latine, sed Hebraice vel Græce à Prophetis vel Apostolis scriptas esse; Proinde non esse demonstrandam ex Scripturis vocem Latinam* SACRAMENTUM, *sed Græcam, quæ illi respondet, nimirum μυστήριον; id enim omninò Latinis est Sacramentum, quod Græcis Mysterium; neque in hoc dissensio est.*

PROBATUR 2. ex inductione variorum textuum Scripturæ. Sic Apoc. 17. Angelus ad S. Joannem ait: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & bestiæ, quæ portat eam*, hoc est, arcanum judiciorum divinorum super veterem Romam Ethnicam. Et Eph. 5. Apostolus de Matrimonio, tanquam signo unionis Christi cum Ecclesia, loquens dicit: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Tobiæ 12. Angelus de arcanis consiliis divinæ providentiæ circa directionem suorum Electorum loquens ait: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Et 1. Tim. 3. de Mysterio Incarnationis dicitur: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

DICO II. Etiam Patres Latini primis quinque sæculis nomen Sacramenti passim sumpserunt genericè pro Mysterio sacro quocunque.

DIXI: *Patres Latini*; de *Græcis* enim Patribus juxta observationem BELLARMINI & ex eorum inspectione constat, quòd locô hujus termini, *Sacramentum*, semper utantur terminô, *Mysterium*.

PROBATUR *Conclusio* ab inductione variorum textuum. 1. TERTULLIANUS in *Apologetico* contra Gentes c. 47. vocat cœlum & infernum *Sacramenta nostræ fidei*. Et in l. de testim. animæ c. 2. salutationem inter Christianos his verbis, *Benedicat te Deus*, fieri solitam, vocat *Sacramentum conversationis & disciplinæ*. Et l. *contra Judæos*. c. 9. & l. 4. *contra Marcionem*. c. 16. nomen *Josue* vocat *Sacramentum*. Et c. 12. *contra Judæos* formam crucis, quæ in securi erat cujusdam discipuli Prophetæ Elisæi, vocat *Sacramentum crucis*. Et l. 5. *contra Marcin*. c. 1. hostias Veteris Testamenti ùt præsigurativas earum, quæ sunt in Novo Testamento vocat *figurarum Sacramenta*. quod repetit c. 11. 15. 18. 19. In *scorpiaco* adversus Gnosticos c. 4. totam Religionem ac fidem Christianam vocat *Sacramentum*, quod repetit c. 7. & 8. & l. *contra Praxeam*. c. 2.

2. LACTANTIUS l. 5. *Institut*. c. 1. fidem christianam vocat *Sacramentum*.

3. D. HILARIUS l. 4. de Trinit. luctam Patriarchæ Jacob vocat *Sacramentum*. Et l. 5. dicit, quòd Moyses *cognitionem cœlestium Sacramentorum* in monte acceperit. Et l. 6. *doctrinam Apostolorum* vocat *Apostolica Sacramenta*.

Ibidem loquitur de Evangelicæ prædicationis Sacramento. Et de confessione Resurrectionis, quam in Evangelio Martha edidit, ait: *Magnum est hujus confessionis Sacramentum*.

4. S. AMBROSIUS lib. 1. *de Abraham*. c. 5. vitulum Abrahami occidendum pro peregrinis vocat Sacramentum Dominicæ passionis. *Vir* (inquit) *currat ad boves, vitulum sumat, & Sacramentum dominicæ passionis accipiat*. Idem in *Apologia David prima* c. 4. dicit, quòd Soror Moysis, & totus populus ignoraverit *Æthiopissæ Sacramentum*, hoc est, significationem Matrimonii, quod Moyses iniit cum Æthiopissa. Et in Psal. 37. *ad titulum*, ait: *Christus peccata nostra suscepit misericordiæ Sacramentô*. Et in Psal. 118. Octon. 2. *Dominus Incarnationis Sacramentum assumpsit*.

Idem repetit *ibidem* octon. 5. & l. 2. *de Spiritu*. c. 8.

5. S. HIERONYMUS Epist. 2. c. 3. dicit: *Ipsius nominis Abisag Sacramentum sapientiam senum indicat ampliorem*. Et Ep. 75. adversus Vigilantium de Origene loquens: *tam Novi, quam Veteris Testamenti maxima revelavit Sacramenta*. Et Ep. 75. ad Oceanum c. 2. asserit; eum non irritum facere totum *patibuli Sacramentum*. Et ibidem c. 3. *Maria mutatur Sacramentô crucis; latus Christi percutitur lanceâ, & baptismi & Martyrii pariter Sacramenta funduntur*. Et Ep. 127. de 40. Mans. Mans. 28. *Psalmi Sacramenta cognosce*. Et Ep. 142. ad Damasum de visione Ezechielis Prophetæ loquens ait: *Dominum deprecemur, ut possim Dei Sacramenta conspicere*.

Et Ep. 152. ad Minerium. *Thessalonicenses hoc non intellexerant, Sacramenta mystici sermonis nescientes*.

Et l. 2. in Esaiæ c. 3. *de numero quinquagenario* loquens ait: *Numeri hujus Sacramenta pandamus*. Et in c. 8. de libro Esaiæ: *Dei Sacramenta comprehendit*. Et in c. 14. *Duces Ecclesiæ Scripturæ Sacramenta cognoscunt*. Et in c. 17. *Psalmi octavi additô Sacramentô*. Et in Jeremiæ c. 1. *Propheta librum devorat, Sacramenta divina continentem*. Et in Ezechielis c. 40. *Quatuor Evangeliorum Sacramento -- sufficiat nobis Evangelicum Sacramentum. -- Per 125. cubitos divinorum sensuum Sacramenta sunt posita*. Et in Danielis c. 12. *Librum potest cognoscere, qui libri Sacramenta potest intelligere*. Et in Zachariæ c. 11. *Sequentis capituli Sacramenta cognoscite. Jactabat se Dei cognoscere Sacramenta*. In Matthæum scribens terminum *Sacramenti* decies novies sumit pro *Mysterio*, & in Psal. 82. loquitur *de nominum Sacramentis*.

6. S. AUGUSTINUS in variis locis loquitur de Sacramento *Psalmorum*, de Sacramento *Fidei*, de Sacramento *Incarnationis*, de Sacramento *Sabbathi*, de Sacramento *Passionis*, de Sacramento *Jonæ*, de Sacramento *Unitatis Ecclesiæ*, de Sacramento *Paschatis*, de Sacramento *Ritmum Ecclesiæ*, de Sacramento *Unctionis in Saule*, de Sacramento *Ligni vitæ* in Paradiso, de Sacramento *Regni cœlorum*, de Sacramento *comæ* in V. T., de Sacramento *adventus Christi*, de Sacramento *doctrinæ fidei*, de Sacramento *verborum Christi*, de Sacramento *Arcæ Noemicæ*, de Sacramento *Symboli Apostolici*, de Sacramento *Aquæ & Sanguinis* fluentis ex latere Christi, de Sacramento *Exorcismi* in baptismo.

7. S. LEO in variis locis loquitur de Sacramento *Summi Pontificii*, de Sacramento *Incarnationis*, de Sacramento *Nativitatis Christi*, de Sacramento *Epiphaniæ*, de Sacramento *vitæ Christi*, de Sacramento *Resurrectionis*, de Sacramento *Passionis*, de Sacramentis *Religionis*, de Sacramento *Crucis*, de Sacramentis *verborum Christi*, de Sacramento *gratiæ Christi*, de Sacramento *Pentecostes*, de Sacramento *Transfigurationis*. &c.

8. D. CHRYSOLOGUS agit in variis locis de Sacramento *Symboli*, de Sacramento *Incarnationis*, de Sacramento *partus S. Joannis*, de Sacramento *humanitatis* in Christo, de Sacramento *gloriæ cœlestis*, de Sacramento *doctrinæ cœlestis*, de Sacramento *peccati originalis*, hoc est, de doctrina de peccato originali, de Sacramento *partus B. Virginis*, de Sacramento *Conceptionis Christi*, de Sacramento *numerorum*.

Possem designare singula loca in quibus S. Augustinus, S. Leo, & S. Chrysologus tractant de hujusmodi Sacramentis, sed superfluum id duco; cum ex prioribus sufficienter constet, nomen Sacramenti illis Sæculis non solum pro signis gratiæ practicis, sed etiam pro aliis variis signis rei sacræ arcanæ sumptum esse.

DICO III. Jam primis sæculis nomen Sacramenti antonomasticè pro signis collativis gratiæ usurpari cœpit.

PROBATUR *Conclusio*. Jam illis sæculis fieri cœpit oppositio inter Sacramenta *Veteris & Novi* Testamenti, item inter Sacramenta *genericè* dicta, & inter Sacramenta *strictè* dicta; & ea oppositio consi-

consistebat in eo, quòd aliqua Sacramenta novæ legis sint collativa gratiæ. Ergo eo ipso nomen Sacramenti usurpari cœpit per excellentiam seu antonomasticè pro signis eminenter præstantibus operatione, seu collativis gratiæ. *Ant. prob.* ex variis Patrum Latinorum textibus.

1. S. CYPRIANUS l. 3. Epist. 8. ad Fidum scribit: *Circumcisio Sacramentum est in umbra; quia imago cessavit supervenmente veritate* (in baptismo) *impediendum.*

2. S. AMBROSIUS lib. 1. de Sacramentis c. 4. *Miramur* (inquit) *primùm vetustatem Sacramentorum, deinde Sanctitatem præstantiam diviniora & priora* (dignitate) *sunt Sacramenta Christianorum, quàm Judæorum. Quid præcipuum, quòd per mare transiit Judæorum populus? Ut de baptismo interea loquamur, qui per hunc fontem transit, transit à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam.* Et l. de iis, qui initiantur. c. 8. *Cognosce, Ecclesiæ Sacramenta esse potiora. Qui manna manducaverunt, mortui sunt. Iste panis, qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat.*

3. S. AUGUSTINUS in Psal. 73. *Sacramenta* (Veteris & Novi Testamenti) *non sunt eadem; quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt.*

4. EUCHERIUS LUGDUN. Hom. in. Sabb. post. 1. Dom. Quadr. *Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta Synagogæ medicinam docent, & ostendunt; sed ipsa potius sunt medicina & remissio peccatorum.*

5. TERTULLANUS de baptismo. cap. 4. *Omnes aquæ Sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo.*

Et c. 13. *Cajanitæ dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est; nam & Abraham nullius aquæ, nisi fidei Sacramento Deo placuit. Sed sequentia antecedentibus prævalent. Fuerit salus retrò per fidem nudam ante Domini passionem; At ubi fides aucta est per nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum fidei, quæ retrò erat nuda, nec potentiam habuit sine sua lege.*

6. S. AMBROSIUS l. de initiandis c. 9. de Eucharistia loquens ait: *Sacramentum, quod accipis, Christi sermone conficitur.* Et l. 4. de Sacramentis c. 4. *ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos.*

7. S. HIERONYMUS in Matth. c. 26. *Postquam typicum* (inquit) *Pascha fuerat impletum, Christus ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum.*

8. RUFFINUS in Psal. 22. *Dominus in Sacramento suo dedit nobis carnem suam.*

9. S. AUGUSTINUS l. 3. de Trinit. c. 10. *Si infantes* (ait) *nunquam illam speciem videant, nisi inter celebrationes Sacramentorum, cùm offertur & datur, dicaturque illis, cujus corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi Dominum in illa specie oculis apparuisse mortalium.*

10. VICTOR UTICENSIS l. 1. de persecutione. *Arriani, quo tempore Sacramenta Dei populo porrigebant, introeuntes, Corpus Christi & sanguinem pavimento sparserunt.*

D. Amort Tract. de Sacramentis in genere.

Ex his ergo colligitur, jam primis Sæculis nomen Sacramenti sumi cœpisse antonomasticè pro signis collativis gratiæ; idque meritò, cùm etiam in omni alio genere rerum, in quibus aliqua ob suam eminentiam præ cæteris præstant, Antonomasia locum habeat, ùt patet ex terminis *Urbs, Papa, Scriptura, Lex, Codex* &c. qui licèt de se sint termini communes, successivè tamen per Antonomasiam rem particularem nempe Romam, Summum Pontificem, Libros Sacros &c. significare consueverunt.

DICO III. Nomen Sacramenti jam Sæculo 6. in communi usu ac stylo Ecclesiæ antonomasticè accipi, ac signum collativum gratiæ significare consuevit.

PROBATUR *Conclusio.* à S. Gregorio M. & S. Isidoro Hispalensi, qui vixerunt Sæculo VI. nomen Sacramenti rarò accipitur, nisi relativè ad baptismum, consecrationem & Eucharistiam; atque id ipsum in Scriptoribus Sæculi VIII. & IX. observare licet. Ergo. *Ant. patet* legenti hos Authores.

QUÆSTIO II.

Quomodò definiatur Sacramentum?

DICO I. Sacramentum *in genere*, prout convenit Sacramentis Novi & Veteris Testamenti, rectè definitur, quòd sit *signum visibile invisibilis gratiæ ad nostram sanctificationem divinitùs institutum.*

PROBATUR *Conclusio.* Hæc definitio ex una parte est recepta à Catechismo Conc. Trident. part. 2. c. 2. n. 3. & ex altera parte convenit omni & soli; ergo est præferenda.

DICO II. Sacramentum *Novi Testamenti* rectè definitur, quòd sit *signum sensibile, stabile, symbolicum, & ex opere operato collativum interioris gratiæ, à Christo institutum.*

EXPLICATUR *Conclusio.* DICITUR 1. *signum sensibile*, per quod intelligitur omne id, quod præter sui speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid in cognitionem venire. Tale signum in baptismo est externa ablutio, in confirmatione, & extrema unctione inunctio &c. DICITUR 2. *stabile*, hoc est, perduraturum ab initio Ecclesiæ usque ad finem mundi. DICITUR 3. *symbolicum*, quod in *duplici* sensu accipiendum est. Nam *inprimis* est symbolicum, in quantum modo quodam symbolico per analogiam & repræsentationem externam est imago illius, quod intus agitur in anima. Sic in baptismo ablutio externa repræsentat quasi in symbolo ablutionem internam in anima. Inunctio externa repræsentat corroborationem internam Athletæ ad pugnam spiritualem. Manducatio specierum panis repræsentat confortationem vitæ internæ. Impositio manuum & traditio signorum in ordinatione repræsentat internam transitionem in potestatem Dei per ministerium sacrum, & collationem potestatis internæ. Forma judicii sacramentalis externa repræsentat formam judicii interni inter Deum & pœnitentem. Contractus matrimonialis in societatem vitæ individuam repræsentat

conjunctionem Christi cum Ecclesia & ejus membris per gratiam.

In alio sensu Sacramentum potest vocari signum *symbolicum*, in quantum Sacramenta sunt signa *discretiva* veræ Ecclesiæ à falsa, ita, ut indubitatum sit, eam Religionem esse falsam, quæ Sacramentum vel unicum veræ Ecclesiæ respuit. DICITUR 4. *collativum interioris gratiæ*, per quam non intelliguntur gratiæ internæ *gratis datæ*, utpote quæ ordinantur ad externam directionem & instructionem aliorum, seu Ecclesiæ, sed intelliguntur gratiæ ad sanctificationem tantùm propriam recipientium Sacramenta ordinatæ. DICITUR 5. *ex opere operato*, per quod significatur, gratiam sacramentalem non conferri intuitu ullius meriti humani, sed ex mera liberalitate divina dependenter à promisso divino gratuito, ita, ut signum sacramentale saltem per modum causæ moralis moveat Deum ad conferendam gratiam. Quamvis enim ad recipiendam sacramentalem gratiam ex parte recipientis in adultis requiratur exercitium quarumdam virtutum, v. g. fidei, & spei, non tamen hæ virtutes respiciuntur à Deo per modum meriti in ordine ad sacramentalem gratiam, sed tantùm per modum *conditionis*, vel per modum *dispositionis* necessariæ. DICITUR 6. *à Christo institutum* An verò ea institutio debeat esse *immediata*, etiam quoad materiam & formam in specie infima, examinabitur ex instituto Disp. 2. Conclusio sic explicata

PROBATUR. Illa definitio est bona, quæ explicat omnes partes essentiales Sacramenti ab Ecclesia definitas, vel saltem universali sensu Ecclesiæ receptas; sed talis est hæc definitio; ergo. *Maj. patet;* quia non decet in definitione signorum symbolicorum veræ Ecclesiæ, quibus vera Religio à falsis discernitur, poni partes constitutivas dubias, in ipsis Scholis Catholicis controversas. *Min. prob.* In Concilio Trident. omnes præfatæ partes asseruntur pertinere ad essentiam Sacramentorum Novæ Legis; ergo. *Ant. prob.* ab enumeratione. Sic Tridentinum Sess. 13. cap. 3. de Eucharistia loquens ait: „Commune „ quidem hoc est SS. Eucharistiæ cum cæteris „ Sacramentis, Symbolum esse Rei Sacræ, & in„ visibilis gratiæ formam visibilem: verùm reli„ qua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim „ habent, cum quis illis utitur. *Et Sess.* 7. *can.* 1. „ Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non „ fuisse omnia à Christo J. D. N. instituta, ana„ thema sit. *Et can.* 6. Si quis dixerit, Sacra„ menta Novæ Legis non continere gratiam, „ quam significant; aut gratiam ipsam non po„ nentibus obicem non conferre, quasi signa tan„ tùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, & „ notæ quædam Christianæ professionis, anathe„ ma sit. *Et ibidem can.* 7. Si quis dixerit, non „ dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper „ & omnibus, quantum est ex parte Dei, etsi „ ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, „ anathema sit. *Et can.* 8. Si quis dixerit, per „ ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato „ non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ „ promissionis ad gratiam consequendam suffice„ re, anathema sit.

In his Tridentini verbis contineri omnes nostræ definitionis partes, patet consideranti.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. *contra* 1. *Concl.* 1. Dantur Sacramenta in V. T. quæ non sunt instituta divinitùs ad sanctificationem hominis; ergo illa definitio non convenit omni. *Ant prob.* Arca Noemica, transitus per mare rubrum &c. vocantur à PP. Sacramentum, prout Quæst. 1. ostensum est, & tamen non sanctificabant homines; ergo. 2. Sacramenta V. T. non conferebant gratiam; ergo non fuerunt instituta ad sanctificationem hominis.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob.* dist. Vocantur Sacramentum *latè* dictum. c. propriè ac *strictè* dictum. n. Patres in iis locis sumebant Sacramentum tantùm grammaticaliter, quoad significatum nominis, non autem in sensu adscititio ex communi usu Ecclesiæ.

Ad 3. tr. ant. dist. c. Ergo non erant instituta ad sanctificationem hominis *immediatam*. tr. *mediatam*. n. quamvis Sacramenta Veteris Testamenti non contulerint gratiam, eam tamen conferendam intuitu & mediante actu fidei in Christum venturum significabant, eò quòd receptio talium Sacramentorum veterum fuerit externa protestatio fidei internæ in Christum venturum, per illas cæremonias præfiguratum.

OBJICITUR 2. *contra* 2. *Concl.* 1. Hæc definitio non convenit soli; ergo. *Prob. ant.* hæc definitio convenit etiam Martyrio, Sacrificio Missæ, primæ Tonsuræ, benedictioni Abbatis, aquæ Lustrali &c. quæ tamen non sunt Sacramenta; ergo. *Ant. prob.* Etiam Martyrium, Sacrificium Missæ &c. ex opere operato causant gratiam; ergo. 2. Baptismus Joannis conferebat Remissionem peccatorum ex opere operato, sicque habebat veram rationem Sacramenti; ergo ad rationem Sacramenti non requiritur, ut sit signum stabile, utque sit institutum à Christo. 3. Verba Christi ad Magdalenam: *remittuntur tibi peccata tua*, verè erant signum sacramentale, collativum gratiæ ex opere operato, & tamen non sunt signum stabile, ac symbolicum; ergo hæc non requiruntur ad rationem Sacramenti.

RESPONDEO *ad* 1. n. a. *ad prob* n. a. *ad prob. quoad* 1. n. a. Nam Martyrium non causat interiorem gratiam, ad sanctificationem hominis ordinatam, sed tantùm causat specialem laureolam in cœlo, quæ potiùs est præmium, quàm gratia subsidiaria ad promerendum præmium. Quod si quis contendat, per Martyrium etiam solùm attrito conferri gratiam, id *distinguo*. Confertur per Martyrium attrito gratia, si pertulit Martyrium *cum fervore charitatis*. c. si pertulit Martyrium solùm *casu fortuito*, ex necessitate, vel in somno *sinè* prævia decente *præparatione*. n. Ratio est; quia juxta Apostolum & SS. Patres, præsertim S. CYPRIANUM, etiam Martyrium sinè charitate non proficit ad salutem. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. *Quoad* 2. n. a. Sacrificium enim in duobus differt à Sacramento. Nam inprimis non est *signum symbolicum* interio-

terioris gratiæ: Sacrificium enim Missæ institutum est à Christo ad repræsentandum id, quod agebatur in Monte Calvariæ in Sacrificio cruento crucis, non verò ad repræsentandum id, quod agitur intus in anima. Dein Sacrificium Missæ non est institutum à Christo ad conferendam interiorem *gratiam habitualem*, vel ad ejus augmentum *immediatè*, neque etiam est institutum ad *immediatè* conferendam Remissionem peccatorum quoad culpam, sed tantùm ad conferendam immediatè Remissionem peccatorum quoad Reatum pœnæ in vivis & defunctis; & ad conferendas varias *gratias actuales*, spirituales & temporales, ordinatas ad dignam Receptionem Sacramentorum, & conversionem, ac augmentationem receptæ gratiæ sacramentalis. Hujus rei signum est, quòd SS. Patres & Theologi non instruant fideles, ad petendam in Sacrificio Missæ Remissionem peccatorum mortalium quoad culpam, neque etiam ad petendum augmentum gratiæ sanctificantis, sed tantùm ad petendas alias gratias varias actuales, & ad obtinendam Remissionem peccatorum quoad Reatum pœnæ. *Quoad* 3. 4. & 5. n. a. In his enim omnibus non reperitur vis conferendi gratiam *ex opere operato*. Nam Tonsura prima, Benedictio Abbatis, & aqua lustralis nil conferunt gratiæ independenter à precibus Ecclesiæ, vel recipientis ejusmodi cæremonias. Imo nec etiam dependenter ab his precibus Ecclesiæ vel recipientis *directè* confertur gratia sanctificans, vel illius augmentum, sed tantùm *indirectè*, in quantum per has cæremonias confertur ob preces Ecclesiæ contutatio à tentationibus dæmonum, & excitatur devotio in recipiente, qua mediante obtinetur augmentum habitualis gratiæ.

Ad 2. n. a. Baptismus enim Joannis non conferebat gratiam, sed tantùm erat cæremonia ex inspiratione divina à S. Joanne instituta ad hoc, ut homines excitarentur ad agendam pœnitentiam, sicque ad impetrandam perfecta contritione gratiam disponerentur. Id significatur illis verbis Evangelistæ *Marci* 1. v. 4. *Fuit Joannes baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in Remissionem peccatorum.* Prædicare *baptismum pœnitentiæ* nil aliud fuisse, quàm *prædicare pœnitentiam* occasione illius cæremoniæ divinitus institutæ, colligitur ex Matth. 3. ubi id factum narratur his verbis: *Venit Joannes prædicans & dicens: pœnitentiam agite.* Id etiam colligitur ex eo; quia baptizati baptismo Joannis fuerunt rebaptizati baptismo Christi, quo opus non fuisset, si ex opere operato infallibiliter obtinuissent gratiam sanctificantem. Hoc innuit S. Paulus Act. 19. v. 4. *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.* Neque verosimile est, ob sola dona gratis data, v. g. Prophetiæ, & Linguarum, fuisse renovandum baptismum; quia primarius & essentialis finis Baptismi Christiani non est collatio talium donorum, sed sanctificatio interna per Spiritum Sanctum. Quod autem Sacramenta non repetantur ob effectum tantùm accidentalem, primario ac essentiali sine subsistente, constat ex praxi Ecclesiæ, præsertim si effectus accidentalis nil conferat ad sanctificationem internam recipientis, prout revera *donum linguarum*, & *prophetiæ* ad hanc nil confert.

Ad 3. n. a. Non enim verba illa conferebant gratiam ex opere operato, sed Christus contulit gratiam ex opere operato. Verba Christi nec erant signum *stabile*, nec signum *symbolicum*, nec signum *institutum à Christo*, sed institutum ex beneplacito hominum, nec etiam substabant speciali promissioni, vel pacto divino, sed assumebantur præcisè à Christo tanquam signum instrumentale aliunde institutum ex placito hominum ad significandam suam mentem, remissivam peccatorum in S. Magdalena.

OBJICITUR 3. *contra eandem.* Dantur aliæ definitiones meliores, breviores, & clariores; ergo sunt præferendæ. *Ant. prob.* 1. Potest dici, quòd Sacramentum sit signum sacrum, sensibile, symbolum, stabile, practicum nostræ sanctificationis, divinitus institutum. 2. Potest cum Magistro Sent. in 4. dist. 1. dici, quòd Sacramentum sit invisibilis gratiæ visibilis forma, quæ ipsius imaginem gerat, & causa existat. 3. Potest cum D. Thoma p. 3. q. 60. a. 2. c. Sacramentum definiri, quòd sit signum rei sacræ sanctificans homines. 4. Potest cum Catechismo Romano p. 2. c. 1. n. 2. Sacramentum definiri, quòd sit signum sensibus subjectum, quod gratiam, quam efficit, simul etiam declarat, ac veluti ante oculos ponit. 5. Potest cum eodem Catechismo l. cc. n. 3. Sacramentum definiri, quòd sit invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum. Ergo.

RESPONDEO. n. a. *quoad* 1. *membrum.*

Ad 1. dico, in ea definitione redundare, quòd dicatur *Sacrum*; ex Authore enim Sacramenti, & ex effectu Sacramenti per se intelligitur, quòd signum, de quo est sermo, sacrum sit. Dein meliùs dicitur, *ex opere operato collativum gratiæ*, quàm *practicum sanctificationis*; quia in definitionibus talium rerum, quæ distinguunt Ecclesiam concordem à falsis Religionibus per modum signi symbolici, decet, ut adhibeantur termini maximè usitati, uniformes, & canonizati ab Ecclesia, ut ex ipsa uniformitate definitionum magis reluceat unitas Ecclesiæ. Denique terminus *sanctificationis* est nimis genericus, utpote indifferens ad significandam etiam sanctificationem legalem, quæ dabatur in Veteri Testamento.

Ad 2. 3. 4. & 5. dico, eas definitiones quidem esse bonas, sed non meliores nostrâ; quia nostra definitio partes essentiales *distinctius*, adeoque *ad captum facilius* exprimit; & quia utitur terminis canonizatis in Concilio Trident. ab Ecclesia; ac denique quia nostra definitio meliùs evitat æquivocationem vocum, qualis habetur in his terminis, *visibilis forma*, *sanctificans*, *gratia*, *ad justificationem*, qui termini ob æquivocationem facilè vel nimium restringi possunt, vel nimium ampliari. Nam ad rationem signi Sacramentalis non requiritur, ut sit strictè *visibilis res*, dummodò alio sensu percipi possit, ut patet ex contractu matrimoniali de præsenti. *Sanctificatio* est terminus, qui etiam adhibetur in consecratione rerum vel personarum etiam externa v. g in sanctificatione per votum, sicut dicitur Act. 21. v. 24. *sanctifica te.* in quo sensu etiam templum dici-

dicitur ſanctificatum, & corpus ſanctificatum v. g. 3. Regum 9. *ſanctificavi domum hanc.* & 1. Cor. 7. *Sanctificatus eſt Vir infidelis per Mulierem fidelem, & ſanctificata eſt Mulier infidelis per Virum fidelem. Gratia* eſt terminus indifferens etiam ad gratiam gratis datam, & *juſtificatio* ſæpe uſurpatur pro tranſitu à ſtatu peccati ad gratiam, vel pro immediato augmento gratiæ habitualis, cùm tamen juxta plurium Theologorum præſertim Thomiſtarum ſententiam in Sacramentis nonnullis vivorum, v. g. Matrimonii & Ordinis Sacri non conferatur *phyſicum* augmentum gratiæ habitualis, ſed tantum *morale*, nempe jus ad majores gratias actuales ſtatui congruas.

OBJICITUR 4. *contra eandem.* Non omne Sacramentum eſt aliquid ſenſibile; ergo non debet definiri per *ſignum ſenſibile. Ant. prob.* 1. Sacramentum Matrimonii conſtituitur conſenſu interno contrahentium: imo interdum conſtituitur ſolo non diſſenſu, licèt nullo ſignô externô exprimatur, v. g. quando Sponſa non contradicit parentibus lucô filiæ in ejus præſentia contrahentibus; vel quando matrimonium ex defectu conſenſus interni nullum revalidatur poſitô ſolo conſenſu interno. Ergo. 2. Corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia eſt Sacramentum, quamvis ſit aliquid inſenſibile.

3. Quando S Hoſtia per fractionem, vel ſacer ſanguis per effuſionem diſpergitur in minutiſſimas particulas oculo inſenſibiles, adhuc remanet Sacramentum; ergo non pertinet ad rationem Sacramenti, ut ſit ſenſibile. *Ant. prob.* Concil. Trident. Seſſ. 13. Can. 3. dicit: *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujusque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.*

4. Contritio interna in Sacramento pœnitentiæ eſt pars Sacramenti, & tamen non eſt aliquid ſenſibile.

5. Intentio Miniſtri in omnibus Sacramentis eſt pars Sacramenti, & tamen non eſt neceſſe, ut exprimat ullo ſigno externô ſenſibili. Ergo.

RESPONDEO. n. a. vel diſt. Non omne Sacramentum eſt aliquid ſenſibile ſenſibilitate *omnium partium.* tr. ſenſibilitate *totius.* n. Sic enim etiam homo eſt aliquid ſenſibile, viſibile, ac palpabile, mortale, corporeum, etſi hæ denominationes non conveniant ſingulis partibus; non enim anima eſt ſenſibilis, viſibilis, palpabilis, mortalis, corporea. Idem contingit in omni toto compoſito phyſico materiali, haud dubiè ſenſibili; nunquam enim partes conſtitutivæ totius, nempe materia prima, & forma ſubſtantialis, prout concipitur, & deſcribitur à Peripateticis, ſunt aliquid ſenſibile ſecundum ſe. Hinc poteſt RESPONDERI 2. Sacramentum eſt aliquid ſenſibile ſaltem per *accidens* & *mediatè* ratione accidentium & circumſtantiarum, cum quibus connectitur c. *per ſe* & *immediatè.* n.

Ad 1. dico, in tali caſu conſenſum internum exprimi per complexum circumſtantiarum v. g. actuum ſponſalitiorum vel conjugalium de præſenti.

Ad 2. diſt. eſt inſenſibile in ſeipſo. c. in ſpeciebus, cum quibus connectitur. n. ſenſus patet ex dictis.

Ad 3. diſt. Manet Sacramentum diſperſum in minutiſſimas particulas *in actu ſecundo* ac *ſeorſim tantùm* inſenſibiles. c. diſperſum in particulas inſenſibiles etiam *in actu primo* & *in potentia.* n. Ejusmodi particulæ dicuntur *in actu primo* & *in potentia* eſſe aliquid ſenſibile, quando ſaltem adhuc actione & induſtriâ humanâ ita poſſunt colligi, ut adhuc coaleſcant in totum ſenſibile; ita enim contingit, quando pulviſculi, utut ſeorſim inſenſibiles, ſcopâ vel flabellô colliguntur. Quando autem nulla actione humana ampliùs poſſunt colligi in unum totum ſubſtantialiter idem, nego, ampliùs remanere Sacramentum. Et ita contingit in ſacri ſanguinis particulis per evaporationem in auras, ac etiam in nares hominum & animalium diſperſis, ſolo odoratu ſenſibilibus. Quodſi quis hoc nolit admittere, dici poterit, ad rationem Sacramenti non requiri, ut actu ſemper ſit ſenſibile, dummodo maneat ſenſibile in potentia per actionem ſaltem Angelicam, qua colligi poſſent tales particulæ in unum totum ſenſibile etiam ſinè miraculo.

Ad 4. diſt. Contritio interna non eſt aliquid ſenſibile *per ſe.* c. *per accidens.* n. Ad hoc enim, ut contritio interna ſit pars Sacramenti, requiritur, ut exprimatur ſignô aliquo ſenſibili, nempe per actus externos pœnitentis, ordinatos ad Abſolutionem Sacramentalem.

Ad 5. n. Quod intentio Miniſtri ſit pars Sacramenti.

OBJICITUR 5. *contra eandem* 1. In Sacramento pœnitentiæ verba formæ ſignificant remiſſionem peccatorum grammaticaliter ex inſtitutione hominum; ergo in hoc Sacramento non datur ratio ſignificationis ſymbolicæ ex inſtitutione Chriſti.

2. Etiamſi de facto omnes circuli eſſent aurei, non tamen ex hoc ſequeretur, quòd *eſſe aureum* pertineat ad eſſentiam circuli. Ergo, etiamſi de facto omnia Sacramenta habeant rationem ſymbolicam, non tamen ſequitur, quòd *eſſe ſymbolicum* pertineat ad eſſentiam Sacramenti.

3. Multi exiſtentes in ſtatu peccati mortalis ſuſcipiunt Sacramentum v. g. Baptiſmi, Euchariſtiæ &c. quibus tamen non confertur gratia. Ergo non eſt de eſſentia Sacramenti, ut ſit collativum gratiæ.

4. Sufficit ad rationem Sacramenti, quòd ſit ſignum ſenſibile, quo poſito Deus vi ſuæ promiſſionis teneatur conferre gratiam, ſicut Rex exhibito ſibi chyrographo tenetur præſtare promiſſam in ſua ſcriptura gratiam. Ergo ſicut in tali caſu non ipſum chyrographum eſt collativum gratiæ, ita etiam non rectè dicitur, quòd ipſum ſignum ſacramentale ſit collativum gratiæ. *Ant. prob.* Neque ex Scriptura, neque ex Patribus poteſt probari, quòd ad rationem Sacramenti plus requiratur.

RESPONDEO *ad* 1. diſt. Verba formæ in Sacramento Pœnitentiæ ſignificant grammaticaliter remiſſionem peccatorum *cauſalem.* c. *formalem.* n. Ut enim illa verba, quatenus proferuntur à puro homine, ſignificent remiſſionem peccatorum formalem per infuſionem gratiæ ſanctificantis, id non habent ex inſtitutione grammaticali, ſeu hominum placito; ſed ex inſtitutione Chriſti,

Christi; qui formam Judicii Ecclesiastici externam voluit esse signum symbolicum repræsentativum ejus judicii interni, quod agitur inter Deum & animam. Itaque illa verba grammaticaliter ex institutione hominum tantùm significant remissionem peccatorum *causalem*, hoc est, actionem judicialem Ecclesiasticam, qua ex potestate Sacerdotibus à Christo concessa contrahitur cum pœnitente de modo satisfactionis præstandæ pro honore divino læso, quæ actio judicialis in actu conclusionali complet formam Judicii Ecclesiastici, & eo ipso momento inducit rationem symbolicam remissionis formalis peccatorum. Ex quo sequitur, illa verba in priori signo rationis habere *significationem grammaticalem* remissionis causalis per absolutionem ab obligatione rigorosæ ulterioris satisfactionis, de se ad remissionem peccatorum jure naturali ac divino requisitæ; in posteriori autem signo rationis habent *significationem symbolicam* remissionis formalis peccatorum, prout pluribus explicabitur in Tract. de Pœnit. Disp. 5.

Ad 2. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia partes essentiales in tali composito naturali vel artificiali per voluntatem humanam nec constituuntur, nec mutantur. Econtra partes essentiales in composito morali unicè dependent, & arbitrariè assumuntur, coadunantur, & perpetuò constituuntur à voluntate humana instituentis tale totum. Itaque si Christus, qui est Author Sacramentorum, voluit rationem symbolicam requirere tanquam partem vel proprietatem essentialem Sacramentorum omnium suæ Ecclesiæ, eo ipso ratio symbolica erit pars vel proprietas essentialis Sacramentorum novæ legis. Quòd autem Christus ita voluerit, patet ex eo; quia stante præsente decreto divino non est possibile Sacramentum non symbolicum, prout tamen stantibus iisdem causis intrinsecis vel effectivis circuli esset possibilis circulus non aureus.

Ad 3. c. a. dist. c. ergo Sacramentum non est essentialiter collativum gratiæ per accidens, & in actu secundo. c. in actu primo, & per se. n. sicut enim ignis semper est ustivus, & sol illuminativus, licet in actu secundo ab effectu possit impediri ob indispositionem subjecti, ita etiam vis collativa gratiæ in Sacramentis potest in actu secundo ab effectu impediri ob indispositionem subjecti.

Ad 4. n. a. Sacramenta enim Novæ Legis non se habent præcise instar signi rememorativi, ac monitorii, vel instar probationis authenticæ, vel instar puræ conditionis, vel instar tesseræ, quæ in æstimatione morali nec causent physicè effectum intentum, nec ratione sui movent voluntatem causantis effectum; sed habent se instar causæ physicæ vel moralis, quæ in se habet quamdam vim effectivam effectus, quamvis dependenter à pacto & promissione divina. Sic alia est ratio Chyrographi Regii, & alia ratio est actionis Ministri vel Legati Regii, qui in actu solenni v. g. pacificationis, vel desponsationis, repræsentat Personam Regiam; verum enim est, quòd Legatus concluserit pacem, aut contractum sponsalitium nomine Regis; & non est verum dicere, quod Chyrographum Regium concluserit pacem aut contractum. Quod autem ipsis Sacramentis in Scriptura & à PP. tribuatur aliqua vis collativa gratiæ, patet ex variis textibus. Sic 1. Petri 3. v. 21. dicitur: *salvos vos fecit baptisma.* & Joannis 3. Christus ad Nicodemum dixit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.*

Tertullianus l. de baptismo dicit, quod aquæ baptismi animent, & Gregorius Nyssenus l. de baptismo ait: *baptisma peccatorum expiatio est, & regenerationis causa.* Dein explicans, quomodo baptismus possit esse regenerationis causa, sic pergit. „Virgæ Moysis & Aaron, licet sint materiæ inanimatæ, postquam vim Dei acceperant, magnis miraculis media intercesserunt. Simili consequentia rationum etiam aqua, cùm nihil aliud sit, nisi aqua, superna gratia benedicente ei hominem in eam renovat Regenerationem. Quod si quis mihi rursus dubitando negotium exhibeat, interrogans, qua ratione aqua regeneret? dicam optimo jure ad eum. Ostende mihi modum nativitatis, quæ sit secundum carnem; dices fortasse: Semen causa hominis effectiva est. Audi igitur vicissim à nobis; quòd aqua, quæ benedicitur, purgat, & illuminat hominem." Ita Nyssenus. Plures ejusmodi textus reperies in Disp. 3. ubi agitur *de Causalitate Sacramentorum.*

Ex his itaque sequitur 1. quòd non sit bona definitio Sacramentorum, quæ traditur à *Confessione Augustana.* art. 13. *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui est addita promissio gratiæ.* Non enim ad rationem Sacramenti sufficit, quòd sit ritus habens promissionem gratiæ; sed requiritur, ut habeat saltem *causalitatem moralem* gratiæ, in quantum ponitur à Ministro Christi tanquam ejus Legato nomine Christi, sub qua consideratione habent Sacramenta quamdam dignitatem moralem, sufficientem ad movendum Deum, ut intuitu actionis tam æstimabilis & dignificatæ conferat gratiam. Illud etiam verum non est, quod omne Sacramentum habeat mandatum; neque enim Sacer Ordo, vel matrimonium sub præcepto cuiquam injungitur.

Colligitur 2. à Turnelio & aliis non nullis non rectè explicari illa verba, quæ ponuntur in definitione Sacramentorum: *Ex opere operato collativum gratiæ.* dum ea verba explicantur præcise per hoc, quod in Sacramentis ex pacto & promissione divina conferatur gratia. Aliud enim est, quòd posito signo Sacramentali Deus causet, & conferat gratiam, & aliud, quòd Sacramenta causent, & conferant gratiam. Certum enim est, quòd actio Sacramentalis ponatur nomine Christi, & in consideratione morali sit actio Christi, prout ostendetur Disp. 2. 3. & 4.

QUÆSTIO III.

An & qualia Sacramenta fuerint in Paradyso, in Lege Naturæ, & Lege Moysaica?

Notandum 1. Per Sacramentum hoc loco non intelligi Sacramentum *specificè* sumptum, *ex opere operato collativum gratiæ*, qualia sunt Sacramenta

cramenta Novæ Legis; sed *genericè* sumptum, prout dicit signum sensibile insensibilis gratiæ ad nostram sanctificationem divinitus institutum.

NOTANDUM 2. Posse à Deo institui ad nostram sanctificationem signa variis modis; nempe *rememorativè*, *præfigurativè*, *commonitivè*, *dispositivè*, & *promissivè*.

REMEMORATIVE signum ponitur, quando ob oculos ponitur ad renovandam gratitudinem *pro accepta gratia*.

PRÆFIGURATIVE ponitur, quando proponitur ad sese disponendum *ad recipiendam gratiam*.

COMMONITIVE ponitur, quando renovatur ad conservandam & augendam gratiam.

DISPOSITIVE datur, quando ex sua natura hominem disponit ad rectum usum gratiæ.

PROMISSIVE datur signum, quando Deus promittit, se posita certa conditione collaturum gratiam.

DICO I. In quovis statu naturæ humanæ, etiam in Paradyso, dabantur Sacramenta.

PROBATUR. Ratione S. Augustini. In omni statu datur Religio, seu societas hominum verum cultum Dei conservantium & publicè profitentium. Sed Religio non datur sine Sacramentis. ergo. *Min. prob.* Religio dari non potest sine cultu externo per varias cæremonias, approbatas à Deo in ordine ad conservandam ejus gratiam. ergo. *c. patet*; quia ejusmodi cæremoniæ jam pertinent ad conservationem & augmentum gratiæ divinæ. *Ant. prob.* Authoritate S. Augustini l. 19. contra Faustum. c. 11. ubi dicit: *In nullum nomen Religionis seu verum seu falsum coagulari possunt homines, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibilium consortio.* Idem colligitur ex illo Sap. c. 9. *Quis hominum poterit scire consilium Dei, aut quis cogitare poterit, quid velit Deus? sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, &, quæ tibi placent, didicerint homines?* Itaque nec cultum externum Deo acceptum scire possunt homines, nisi ad uniformes ceremonias, tanquam signa beneplaciti divini, & conservandi favoris divini ac gratiæ, à Deo Authore instituantur.

CONFIRMATUR ex Platone Dial. 4. de Republ. ubi ait: *Templorum constitutiones, & Sacrificia, cæterique Deorum & heroum cultus, & quæcunque sunt ad eos placandos ministeria, talia sunt, quæ nunquam ipsi scimus, & nulli credemus alteri, si sapimus, nulloque alio utemur interprete, nisi Deo.* Cùm igitur in nullo statu possit dari vera Religio sine institutione divina ad certos ritus, etiam dari non poterit vera Religio aut status sine Sacramentis.

DICO II. In Paradyso jam dabantur sex Sacramenta.

PROBATUR ab enumeratione. 1. Dabatur in Paradyso *signum rememorativum gratiæ creationis & sanctificationis*; dicitur enim Gen. 2. *formavit Deus hominem de limo, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Certum est, hanc cæremoniam à Deo fuisse adhibitam alicujus rei spiritualis significandæ causâ. Cùm enim actiones divinæ non sint otiosæ, universim pro Regula habendum est, actiones divinas, quarum finis naturalis vel supernaturalis assignari non potest ex natura rei, præsertim si videantur ridiculæ, Deoque indignæ, significandæ alicujus rei gratiâ à Deo positas esse. Jam vero alius finis harum circumstantiarum in creatione hominis assignari nequit, nisi dicatur, has cæremonias generi humano pro signo rememorativo perpetuo suæ primæ conditionis & creationis constitutas esse, ut ex ca rememoratione per actus humiliationis, gratitudinis, & subjectionis sanctificaretur homo.

2. Ob eandem rationem dicendum est, formationem Evæ ex costa dormientis Adami fuisse cæremoniam solennem, sic à Deo adhibitam, ut esset toti posteritati *signum perenne legislativum matrimonii* ordinati ad propagationem gratiæ primævæ integritatis & sanctificationis. Imo verosimile est, jam tunc per cam cæremoniam Deum seris Adæ posteris significare voluisse aliud altius mysterium; quia id Apostolus 1. Cor. 11. & Patres explicant de formatione Ecclesiæ Sponsæ ex latere Christi obdormientis in cruce. Simul autem Adamo significabatur lex conjugii, ut esset unius cum una, & vinculo indissolubili, ita ut ob individuam vitæ societatem etiam parentes relinquendi sint, prout l. c. Adamus ipsemet ex inspiratione divina hoc mysterium divinarum actionum exponit. Itaque hoc Sacramentum operationum divinarum erat significativum duarum rerum, matrimonii videlicet, tanquam significati proximi, & unionis Christi cum Ecclesia, tanquam significati mediati & remoti; prior significatio Adamo revelata est; an etiam sciverit secundam, incertum est.

3. Etiam Arborem vitæ in medio Paradysi sitam habuisse quamdam rationem sacramentalem verosimile est; ita ut, si causaverat ex fructu perpetuitatem vitæ corporalis, intelligeretur exinde perpetuitas vitæ spiritualis beatæ; aut, si non differebat ab aliis arboribus, ex ipso nomine divinitus indito, haberetur pro signo memorativo perpetuo quærendæ alterius beatioris vitæ perpetuæ. Certè D. Joannes Apocal. ult. non obscurè declarat, per arborem, seu ut in hebraico sumi potest, per arbores vitæ significari vitam æternam beatificantem. *Ostendit mihi in medio plateæ ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructum suum & folia ligni ad sanitatem gentium.*

4. Similiter *Arbor scientiæ mali & boni* erat à Deo constituta in perpetuum monumentum decreti divini obedientiam per translationem ad statum visionis intuitivæ præmiaturi; inobedientiam verò per experimentalem notitiam malorum in inferno vindicaturi.

5. Deus voluit externam vocationem Adami ad confessionem sui criminis & demonstrationem foliorum ficus pungentium esse signum commonitivum perpetuum ad ea, quæ lapsis agenda sunt per veram pœnitentiam, insinuando, quomodo clamori, & inspirationibus divinis, dum in abdito conscientiæ ad humilem confessionem vocant, parendum sit, & quibus mediis vestis gratiæ deperdita resarcienda sit.

6. Deus præfecit Adamum omnibus animalibus, & docuit illum naturam omnium animalium, cujus rei finis sufficiens Deo dignus assignari

gnari non potest, nisi dicatur, ita significationis causa actum esse, ut futurus Summus Episcopus animarum in suis posteris per analogiam disceret regimen vitiorum & virtutum. Quæ in animalibus diversis observari possunt divisim in gradu excellenti, observandum circa quosvis homines. Ex quibus omnibus elucet, varias actiones divivas, & res miris circumstantiis per se ad naturam rerum impertinentibus involutas fuisse *Sacramentorum Adami*, & *Theologiam Symbolicam*, unde disceret mysteria, & excitaretur ad sanctificationem conservandam, reparandam, augendam.

DICO III. In Lege Naturæ dabantur septem Sacramenta correspondentia Sacramentis Novæ Legis.

PROBATUR *ab inductione.*

I. LOCO BAPTISMI erat SACRAMENTUM NOMINIS, seu *impositio nominum cum protestatione fidei & respectu in Deum.* Observo enim, quod Parentes in Lege Naturæ suis infantibus imposuerint aliquod nomen, in lingua hebraica exprimens quamdam relationem ad Deum per verba initialia integrarum propositionum, quibus suam fidem internam, & deputationem infantium ad perpetuum cultum divinum protestabantur. Quod autem illa protestatione fidei in Deum infantibus peccatum originale remissum fuerit, colligitur ex sensu SS. Patrum. De impositione nominum cum relatione ad Deum habentur in Scriptura varia exempla. Sic Gen. 4. dicitur: *Eva peperit Cain dicens: possedi hominem per Deum*, ubi Cain in lingua hebraica idem significat, ac *possedi.* Eodem c. 4. dicitur: *Rursus peperit Seth dicens: Posuit mihi Deus aliud semen pro Abel. Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Iste cœpit invocare nomen Domini.* Ubi rursus SETH in lingua hebraica idem significat, ac *posuit.* ENOS verò in lingua hebraica idem significat, ac *homo*, ita, ut sensus sit: *Homo cœpit invocare nomen Domini*; imo solum EN in eadem lingua idem significat, ac *iste.* Gen. c 5. dicitur: *Lamech genuit Noe dicens: Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Ubi NOE in lingua hebraica eodem modo scribitur, ac litteræ initiales hujus termini: *Consolabitur.* Imo verò etiam NOE in lingua hebraica eodem modo pronuntiatur, ac *hic*, quod idem significat ac *iste.*

Gen. 21. eo tempore, quo claudebatur Lex Naturæ, nempe in nativitate Isaaci, utpote tunc intrante Lege Circumcisionis dicitur: *Natus est Isaac, dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus.* Ubi iterum ISAAC in lingua hebraica idem significat, ac *Risus.* Ex his ergo manifestum est, quòd in Lege Naturæ in nativitate infantium à piis parentibus applicatum fuerit *Sacramentum Nominis.*

II. PRO SACRAMENTO CONFIRMATIONIS seu incremento gratiæ jam in Lege Naturæ observabatur *Sacramentum Septenarii* ad imitationem diei septimæ, quo requievit Dominus ab opere creationis ad significandam futuram alterius vitæ requiem, ut ea rememoratione Sacramenti excitarentur homines ad constantiam bonorum operum. Eam enim fuisse significationem primi illius septenarii testatur Apostolus Hebr. 4. v. 4. *Scriptura dixit: requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. -- Relinquitur ergo baptismus* (hoc est requies) *populo Dei.* Quòd autem in Lege Naturæ illud *Sacramentum Septenarii* religiose fuerit custoditum, probatur ex Scriptura. In Lege enim Naturæ erant *Noe*, *Abraham*, ante circumcisionem, *Job*, *Balaam* Propheta.

De NOE autem scriptum est Gen. 8. v. 10. *Expectatis septem diebus aliis rursum dimisit columbam. At illa venit ad vesperam portans ramum olivæ; exspectavitque nihilominus septem alios dies.* De Abrahamo Genes. 21. v. 28. scribitur: *Statuit septem agnas seorsim. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ? At ille: Septem agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, & uterque juravit.* Ex hoc, quod numerus septenarius ad juramentum fuerit adhibitus, colligitur, eum numerum fuisse consideratum tanquam rem sacram, & sacratam Deo. Sic etiam in Job, ubicunque de requie ab afflictionibus agebatur, religiose custodiebatur numerus septenarius. De amicis Jobi consolationis causa adventantibus scribitur c. 2. v. 13. *Sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus.* Et c. 42. v. 8. Deus ipsemet ad eos dicit: *Sumite vobis septem tauros & septem arietes* &c.

III. PRO SACRAMENTO EUCHARISTIÆ dabatur Sacrificium per oblationem panis & vini, quibus præfigurabatur Sacramentum Eucharistiæ. De hac re scribitur Gen. 14. v. 18. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei Altissimi.*

IV. PRO SACRAMENTO ORDINIS erat quædam ordinatio divina de assumendis ad Sacerdotium quibusdam authoritate & pietate potioribus. Id colligitur partim ex textu proximè adducto, partim ex Psal. 109. ubi de Christo dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et ex Apostolo Hebr. 7. ubi dicitur: *Hic Melchisedech Sacerdos Dei Summi obviavit Abrahæ, & benedixit ei, assimilatus autem Filio Dei* (in suo præfigurato, nempe Christo, & Sacerdotio Ecclesiæ) *manet Sacerdos in perpetuum.* Observare etiam licet, quòd tantùm Viri simul insigniures & pientiores fuerint Sacerdotes illius Legis Naturæ. v. g. *Abel* verè sacrificans, & fortè ab ipsomet Adamo ob suam indignitatem & statum pœnitentiæ ad hoc munus loco sui constitutus; *Seth*, *Noe*, *Abraham*, *Job*, de quo Jobi c. 42. v. 8. Deus dicit ad ejus amicos: *Sumite septem tauros, & ite ad servum meum Job, & offerte* (per eum) *holocaustum pro vobis, servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam.*

CONFIRMATUR ex eo, quia nisi Sacrificium jam tunc fuisset divinitus ordinatum cum ritu & officio Sacerdotum, non videtur esse ratio, cur Abel & Noe existimare potuerint, gratum esse Deo Sacrificium Latrevticum, & Eucharisticum aut propitiatorium per immolationem seu destructionem operum Dei, nempe animalium, quod sola ratio non dictat. Aliud indicium veteris illius Sacerdotii præbet Abel, de quo Apostolus Heb. 11 subjicit: *Fide plurimam hostiam obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo.*

V. Pro sacramento poenitentiæ servabant determinata Sacrificia expiatoria divinitus ordinata cum confessione peccati. Talia erant Sacrificia Noemi post diluvium, & Sacrificia Jobi. Gen. 8. v. 20. dicitur: *Ædificavit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super Altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt. Non igitur ultra percutiam omnem creaturam.* Et Jobi c. 42. dicitur: Respondens Job dixit: *Ipse me reprehendo in favilla & cinere*; ac dein oblato Sacrificio *Dominus conversus est ad pœnitentiam Job.* Ibidem c. 1. v. 5. dicitur: *Job sanctificabat* (filios) *consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim, ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint* (maledixerint) *Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.* Ex quo patet, Sacrificia illa fuisse propitiatoria pro peccatis. Jobum autem fuisse gentilem, adeoque adhuc constitutum in sola Lege Naturæ. Observare etiam licet, quod modus Sacrificii per modum holocausti, ubi totum igne consumitur, quin ulla pars homini serviat, necessariò supponat institutionem divinam, cùm per se non possit videri rationi conformis & acceptus Deo.

VI. Matrimonium etiam in Lege Naturæ habitum fuisse pro re divinitus certis legibus constituta, & sacra, colligitur ex variis indiciis. Nam primò Monogamia fuit ab omnibus Patriarchis religiose observata, ita ut Abraham usque ad annum ætatis octogesimum sextum solam habuerit Saram, & Ancillam, quam non sua, sed Saræ voluntate adjunxit, ea volente denuo ejecerit. Et quando misit famulum ad conducendam suo filio sponsam, *posuit servus manum sub femore Abraham Domini sui in signum juramenti*, ùt habetur Gen. 24. v. 9. haud dubiè ob respectum quemdam ad Christum ex Abrahamo nasciturum, aut ob futuram unionem Christi ex Abrahamo orituri cum Ecclesia. Denique legitur, quòd Deus Regem Ægypti, & Regem Abimelech flagellaverit plagis maximis, quòd Societatem indissolubilem conjugii sine debita prævia informatione turbaverint inter Abrahamum & Saram, qua vindicta divina non fuisset opus, nisi ea sacratio matrimonialis status esset specialis institutionis divinæ.

VII. Pro sacramento morientium erat *Sacramentum ultimæ commendationis seu benedictionis*, quod erat quædam externa protestatio fidei de Christo & Resurrectione & profectione in aliam patriam cum speciali participatione benedictionis divinæ non solum spiritualis sed etiam temporalis in filios. Id observare licet in Patriarcha Isaac, qui sentiens se morti proximum afflatus Deo dimisit benedictionem Jacobo nomine Dei; quod etiam Patriarcha Jacob suis duodecim filiis moriturus præstitit, ùt habetur Gen. 27. & 49. De morientium autem protestatione quoad fidem de alia vita testatur Apostolus Hebr. 11. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis Repromissionibus, sed eas à longe aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sumus super terram.* Et ibidem. *Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit. - - Fide Joseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est.* Sic & Job in sterquilinio ad mortem, quam vicinam existimabat, se disponens professionem in Christum & de Resurrectione edidit: *Surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum meum.* Jobi 17.

DICO IV. In lege scripta, seu lege moysaica Sacramenta legis naturæ non fuerunt aucta; sed tantùm magis per novos ritus explicata.

Probatur ab explicatione & inductione omnium Sacramentorum Moysaicorum, ex quibus omnibus plus evinci non potest, nisi quòd fuerint magis explicativa Sacramentorum existentium in lege naturæ.

I. Circa remedium infantium, quod in lege naturæ consistebat in protestatione fidei per impositionem nominis relativi ad Deum, in fæmellis remansit prorsus idem Sacramentum; in masculis verò tantùm addita fuit expressior protestatio conservandæ veræ Religionis per signum perpetuum in carne, & quidem per signum ex sua natura rememorativum primarii effectus ex peccato originali.

II. Circa sacramentum sabbathi solùm addita fuit exactior observantia & directio in ordine ad vacandum Deo, & præstandum Deo cultum debitum.

III. Circa sacramentum eucharistiæ tantùm addita fuit clarior significatio per Manna, per panes propositionis, per Azyma cum Agno Paschali, & per legem communicandi populo partes ex Sacrificio.

IV. Circa sacramentum ordinis solùm additæ fuerunt novæ cæremoniæ, & novæ leges partim pro suscipiendo munere Sacerdotali, partim pro administrando.

V. Circa sacramentum poenitentiæ solum requisita fuit explicatior confessio delictorum coram Sacerdote per varia determinata Sacrificia, quæ debebant offerri specificè pro variis generibus peccatorum, ita ut ex ipso genere Sacrificii offerendi intelligeretur ipsum genus peccati.

VI. Circa sacramentum matrimonii nihil fuit mutatum à Moyse quoad substantiam Sacramenti indissolubilis quoad veram conjugem, sed tantum fuerunt magis explicatæ causæ divortii quoad cohabitationem & thorum. Hinc Christus expressè declarat, eum *adulterare, qui dimissam duxerit.* Matth. 5. Permissum illis quidem erat, ut haberent plures mulieres, saltem ex conniventia divina per tolerantiam Prophetarum eum morem non damnantium, sed ancillas solùm, quarum liberi non succedebant in massa hæreditatis sine dispensatione, & quæ ipsæ dimitti poterant. Ea unitas unius veræ conjugis colligitur ex Deuteronomio, & observantia etiam ultimorum temporum, ubi solum fit mentio unius veræ conjugis.

VII. Circa sacramentum morientium erat protestatio fidei de altera vita & Resurre-

surrectione, quam fidem protestabantur per maximum videndi Messiam desiderium & spem.

Quòd autem morientes varios tales actus elicere consueverint, insinuatur ab Apostolo Heb. 11. v. 13. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis Repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sumus super terram.* Sic & l. 1. Mach. 7. ab omnibus Machabæis emittitur talis protestatio fidei. Huc referendæ sunt illæ morientium formulæ; *se somno requiescere, se dormire, se requiescere in spe, se ire ad Patres, se colligi ad populum.* &c.

DICO V. Sacramenta Legis Moysaicæ per mortem Christi fuerunt mortua, sed usque ad excidium Jerosolymæ necdum erant mortifera. Ab eo verò tempore evaserunt etiam mortifera.

PROBATUR. Sacramenta illa fieri *mortua* nihil aliud est, quàm desinere in populo Judaico obligationem ea observandi; eadem autem fieri *mortifera* nihil aliud est, quàm eorum observantiam fieri sub peccatô mortali prohibitam. Atqui in hoc statu erant Sacramenta Legis Moysaicæ ante & post excidium Jerosolymæ. ergo. *Min. prob. quoad 1. membr.*

Constat, quod primi Christiani, conversi ex gente Judaica, observaverint omnes cæremonias Legis Moysaicæ usque ad excidium Jerosolymæ. Ergo eo tempore necdum fuerunt mortifera. *Ant. prob.* ex Act. 21. ubi D. JACOBUS, Jerosolymæ Urbis & Gentis Judaicæ in Palæstina Episcopus D. Paulum circa annum à morte Christi 26. ascendentem Jerosolymam sic alloquitur: *Vides Frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes OEmulatores sunt Legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt Judæorum, dicens, non debere eos circumcidere filios, neque secundum consuetudinem (Judaicam) ingredi. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. His assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita, & sciant omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* &c.

Sic etiam Act. 3. de Petro & Joanne legitur, quòd horis Orationis consuetis iverint in templum. Act 5. v. 42. dicitur, quòd Apostoli omni die ascenderint in templum.

Et Act. 10. v. 14. S. Petrus dicit: *nunquam manducavi omne commune & immundum.* Et ad Gal. c. 2. D. Paulus scribit; quòd D. Petrus Antiochiæ comederit quidem cum Gentilibus, quando non observatur à Judæis Jerosolimitanis; ad demonstrandam videlicet libertatem à jugo legis Mosaicæ, cui Gentiles ad Christum conversi, imo & Judæi non amplius subjiciebantur. Sed, quando superveniebant Judæi Christiani Jerosolymitani, ad vitandum, ùt judicabat, scandalum abstinebat à communione Gentilium. Sic etiam D. Paulus circumcidi Timotheum, natum ex Matre Judæ, & patre Gentili, ut habetur Act. 16.

PROBATUR JAM CONCLUSIO q. 2. Mem. Ex eo, quia Ebion & Cerinthus, qui vixerunt ad finem Sæculi I. adeoque post excidium Jerosolymæ, teste S. Epiphanio de Hæres., ab Ecclesia propterea ejecti sunt, quia docuerunt, necessariam Judæis esse observantiam Legis. Ex quo proin tempore ad distinguendos Catholicos ab hæreticis à mente Ecclesiæ alienum erat, ultro id sectari, quod signum æquivocum esse poterat hæretici. CONFIRMATUR Authoritate S. AUGUSTINI, qui Epist. 19. ad D. Hieronym. sic scribit: „Paulus Timotheum circumcidit, ne illa, „ quæ, ùt prioribus congruebat temporibus, „ Deus fieri jusserat, tanquam idololatriam gentilium damnare videretur. - - - Jerosolymis „ Apostoli decreverant, ne quisquam gentes cogeret judaizare; non autem decreverant, ne „ quisquam tunc Judæos judaizare prohiberet, „ quamvis etiam ipsos jam doctrina christiana „ non cogeret. - - Paulus in Timotheo ostenderat, illa Sacramenta nec ut necessaria debere „ applicari; nec tanquam sacrilega debere damnari. - - Sic credo, Apostolum veraciter „ cuncta illa gessisse; nec tamen nunc quemquam „ factum ex Judæo Christianum vel cogo, vel „ sino talia veraciter celebrare. Hoc si ita (cogerem) in hæresim Hebionis vel eorum, quos „ vulgo Nazaræos nuncupant, delabimur. - - - „ Cùm venisset fides, quæ prius illis observationibus prænuntiata, post mortem & Resurrectionem Domini revelata est, (Sacramenta „ Vetera) amiserunt tanquam vitam officii sui. „ Veruntamen sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda quodammodo erant „ ad sepulturam nec simulatè, sed religiosè, non „ autem deserenda continuò vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morsibus projicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, „ quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare „ voluerit, tanquam sopitos cineres eruens non „ erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed „ impius sepulturæ violator. Ideo Paulus Sacramenta Judæorum celebranda susceperat, ut „ doceret, non esse perniciosa his, qui ea vellent. Tunc enim hoc non erat perniciosum; „ progressu vero temporis erat perniciosum, nisi „ illæ observationes ab omnibus Christianis desererentur, ne si tunc fierent, non discernerentur, quod Deus per Moysen præcepit suo „ populo, ab eo, quod in templo dæmoniorum „ Spiritus immundus (circa Sacrificia) instituit.-- „ Sicut tu loqueris, cæremonias Judæorum & „ perniciosas esse & *mortiferas* Christianis, & quicunque eas observaverint, sive ex Judæis sive „ ex Gentibus, eum in barathrum diaboli devolutum, ita ego hanc vocem tuam confirmo, „ & Pauli in his conversationem ab hujus temporis conversatione secerno; quoniam tunc „ fuit approbanda nec detestanda.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. *contra* I. *Concl.* I. in statu innocentiæ non decebat, hominem subjici rebus sensibilibus in ordine ad eum evehendum in superna. ergo. *Ant. prob.* Sensus in eo statu jam per se erant perfectissimè subjecti imperio rationis, nec erat opus gratia Sacramentali sanctificante & elevante.

2. Signa illa symbolica in statu innocentiæ tantum erant signa *rememorativa* facti præteriti, & instructiva, non autem erant significativa gratiæ conferendæ de præsenti vel de futuro, prout tamen requiritur ad rationem Sacramenti. ergo.

3. Illa signa in statu innocentiæ nec fuerunt stabilia, nec applicata ab homine, quorum tamen utrumque requiritur ad rationem Sacramenti. ergo.

Respondeo *ad* 1. dist. non decebat, hominem subjici rebus sensibilibus subjectione *servili*. c. subjectione *herili*. n. nam etiam in illo statu Adamus dependebat à rebus sensibilibus in ordine ad sui nutritionem, conservationem, atque in ordine ad hauriendam cognitionem omnipotentiæ & sapientiæ divinæ ex rebus creatis. Sicut etiam nunc Reges & Domini potentissimi in multis dependent à famulis, & subditis, & artificibus, & agricolis. Sed ea subjectio est herilis præcisè relativa ad instrumenta & adminicula potestatis dominativæ. Itaque etiam Sacramenta in illo statu tanquam instrumenta & adminicula obtinendæ beatitudinis servire poterant, præsertim quia servire poterant ad illam ipsam subjectionem sensuum ad imperium rationis, *conservandam*, & post lapsum *recuperandam*. *Ad* 2. dist. non erant signa gratiæ *conferendæ directè*. tr. *conferendæ indirectè*. n. Nam licèt illa signa tantùm fuerint *directè* rememorativa facti præteriti; *indirectè* tamen serviebant ad sese ex memoria præteritorum præservandum, vel ad gratiam disponendum. Ex memoria enim signorum à Deo specialiter in hunc finem institutorum, ut posteri Adæ animo & cogitatione se converterent ad Deum, *faciliùs* ac *certius* sperari & impetrari poterant gratiæ signo rememorativo *congruè*.

Ad 3. dist. non erant stabilia perpetuitate intentionali. n. perpetuitate reali. *subdist.* perpetuitate reali physica. c. perpetuitate reali morali. n. etiam perpetuitas moralis potest vocari realis, quando unus terminus extremorum, quibus moraliter inhæret, perseverat; sic enim *Doctoratus* realiter datur, quia datur persona receptiva cæremoniarum, licèt cæremoniæ significativæ hujus gradus non amplius dentur. Itaque etiam ratio Sacramentalis actionum humanarum dari poterit, licet cæremoniæ illæ divinitus à Deo positæ, per quas fiunt Sacramentales, non amplius dentur.

Et hinc patet etiam Responsio ad alterum membrum objectionis; quia ad rationem Sacramenti generice sumpti, saltem genere summo, non requiritur, ut ponatur ab ipso homine.

Posset etiam respondere. 2. hoc modo. dist. Sacramentum debet esse signum stabile stabilitate usus moralis. c. stabilitate usus physici. n. sensus patet ex dictis.

Objicitur 2. *contra* 2. *Concl.* in lege naturæ non fuit à Deo determinatum aliquod externum signum pro remedio parvulorum; ergo non dabatur Sacramentum. *Ant. prob.* Si jam tunc fuisset determinatum signum, illud sine dubio Patriarchæ suis posteris tradidissent; nec etiam fuisset opus novo signo circumcisionis: ergo. 2. Sacramenta constant materia & forma verborum; sed illa signa non constabant tali materia & forma. ergo non erant Sacramenta. 3. SS. Patres & Theologi loquendo de lege naturæ tantum meminerunt de remedio parvulorum, non verò de remedio adultorum. ergo saltem pro adultis non dabantur Sacramenta. 4. D. Thomas in 4. d. 1. q. 2. a. 6. docet, *in lege naturæ parvulos sola fide parentum justificatos esse*; ergo non justificabantur per aliquod signum externum Sacramentale. 5. In lege naturæ sacrificia non erant institutionis divinæ, sed institutionis humanæ: ergo non habuerunt rationem Sacramenti. *Ant. prob.* Anacletus Papa in Epist. Decret. 2. dicit: *Licèt aliqui legantur prius Sacrificium obtulisse, ut Melchisedech, & Abrahamus, hi tamen spontanea voluntate, non tamen Sacerdotali auctoritate hoc fecerunt.* 6. In lege naturæ nulla erat necessitas Sacramenti; ergo non dabatur. *Ant. prob.* Adulti & parvuli tunc poterant salvari per fidem in Christum venturum: ergo. 7. Si darentur Sacramenta in lege naturæ, tunc essent superaddita per legem divinam positivam; sed hoc non potest dici: ergo. *Min. prob.* Si jam tunc daretur lex positiva, non daretur amplius lex naturæ; quia per hanc intelligitur ille status, in quo homines dirigebantur per solam internam legem rationis. 8. D. Thomas 1. 2. q. 102. a. 5. ad 3. docet, ne quidem in Lege Moysaica extitisse aliquod Sacramentum correspondens Sacramento Confirmationis & extremæ unctionis; quia *Confirmatio* est Sacramentum perfectionis, quæ non dabatur in Vetere Testamento, & *Extrema Unctio* est proxima dispositio ad gloriam, quæ tunc non erat aperta; ergo nec dabantur in lege naturæ. 9. Multis imponebatur nomen v. g. Caini, Sem, Japheti, Cham, in quibus non apparet relatio ad Deum. 10. Tam in lege naturæ, quàm in lege Moysaica dabatur Polygamia & libellus Repudii; ergo Matrimonium non erat Sacramentum.

Respondeo *ad* 1. n. a. quia, ut ostensum est, tunc temporis pro signo externo determinatè adhibebatur impositio nominis relativi ad Deum.

Respondeo 2. dist. non fuit determinatum signum sub specie infima. tr. sub ratione generica. n. Si quis enim tueri velit, parentes in lege naturæ variasse quoad signum externum protestativum fidei internæ, præsumendum tamen est, quòd, sicut plerique parentes protestabantur suam fidem internam per impositionem nominis, sic etiam alios parentes adhibuisse aliud signum externum; & hoc provenisse ex institutione divina, quod omnes adhiberent aliquod signum externum protestativum fidei.

Ad 2. dist. Sacramenta Novæ Legis. c. Sacramenta in genere. n. Neque enim requiritur ad rationem genericam Sacramenti forma verborum, sed sufficit materia, & forma accidentalis signi, determinativa significationis sacræ ex circumstantiis, sicut sonus campanæ vel buccinæ est signum manifestativum rei sacræ vel profanæ, licet non habeat formam verborum, sed tantum formam naturalem vel artificialem.

Ad 3. n. a. Nam inprimis S. Augustinus, ubi dicit, nullam Religionem consistere posse, nisi

nisi fideles in unam Societatem colligentur vinculo Sacramentorum, non tantùm loquitur de parvulis, sed etiam de adultis. Dein ipsi idem est, parvulos *fide salvari*, & *Sacramento salvari*. Cùm ergo agnoscat, etiam adultos æquè per fidem salvari, ac parvulos, consequenter admittere debet, etiam adultos Sacramentis salvatos fuisse. l. 2. de nuptiis. c. 11. ait: „Superioribus temporibus omnino latuit Sacramentum justificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis.

Et l. 5. contra Julianum c. 11. „Nec ideo tamen credendum est, ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus parvulis suis opitulatos fuisse, quamvis, quid esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere voluerit. *Et D. Greg. lib. 4. Moral. c. 3.* Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud Veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii." Quod attinet Theologos, fatetur Suarez hic d. 4. sect. 4. ante sua tempora D. Thomæ discipulos divisos fuisse; ipsemet vero admittit Sacramenta etiam in adultis. *Conclusione* 3. sic scribit: „Dico 3. ex singulari Dei beneficio & revelatione interdum fuisse in lege naturæ in aliqua familia vel gente usum alicujus Sacramenti propriè dicti præter illud, quod erat commune omnibus in remedium originalis peccati. Hanc conclusionem constituo propter oblationem Melchisedech, quæ non solùm habuit rationem Sacrificii, & oblatio sancta erat, sed etiam res oblata habuit rationem Sacramenti.

Ad 4. dist. dicit, parvulos sola fide justificatos esse tanquam causâ justificationis. c. sola fide tanquam unico requisito. n. Quamvis enim in lege naturæ Deus gratiam justificationis contulerit intuitu solius fidei, non tamen eam gratiam contulit intuitu fidei sine externa protestatione fidei tanquam conditione requisita, sicut nunc Deus confert gratiam intuitu solius Sacramenti, licèt gratiam non conferat intuitu Sacramenti sine intentione Ministri, & dispositione Recipientis. Quòd autem D. Thomas ejusmodi signa externa protestativa fidei internæ in Sacramentis veterum requirat, ostendit p. 3. q. 70. a. 4. ad 2. ubi ait: „Probabile est, quòd parentes fideles pro parvulis natis & maximè in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei.

Ad 5. dico, eam Epistolam esse Apocrypham, prout Eruditis notum est; Suppono potiùs, primores cujuslibet familiæ ipsa institutione divina per instinctum internum agnita in Sacerdotes constitutos fuisse, donec Deus alia lege positiva ob nimiam corruptionem, & effusionem ad profana in principibus familiarum aliud ordinaret.

Ad 6. n. a. nam Sacramenta necessaria erant non solum pro parvulis, sed etiam pro adultis, in quibus ad conservandam Religionem necessarius erat cultus externus, & vinculum Sacramentorum, quibus tanquam signis rememorativis mysteriorum & perfectionum Dei, & articulorum fidei, excitarentur ad ferventiores actus internos in ordine ad obtinendam vel conservandam gratiam, qua ex causa etiam in parentibus rectè exigi à Deo poterat ejusmodi protestatio externa fidei in remedium parvulorum.

Ad 7. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* n. *Maj.* Nam per legem naturæ non intelligitur ille status, in quo nulla dabatur lex positiva, sed ubi nondum dabatur corpus legum Moysaicarum; certum enim est, jam Adamo fuisse legem positivam datam abstinendi à fructu vetito, custodiendi Paradisum, colendi terram, & dominandi animantibus. Noemo data est lex circa selectum ciborum. Caino data est lex refrænandi appetitus inordinatos &c.

Ad 8. dist. docet, quod non datum fuerit Sacramentum correspondens his Sacramentis similitudine seu adæquatione effectus. c. similitudine ac proportione signi. n. D. Thomas solùm vult dicere, quòd in numero Sacramentorum veterum nullum fuerit significativum ac dispositivum *ad perfectionem gratiæ*, quæ consistit in adoptatione in statum filiorum Dei; atque *ad modum relativum gratiæ*, quæ nunc in Sacramento Extremæ Unctionis habet relationem juris proximi, arrhæ, & dispositionis ad gloriam, non tamen negat, ullam aliam augmentationem gratiæ, vel consummationem gratiæ Sacramento aliquo externo fidelibus collatam esse.

Ad 9. n. a. ex eo enim, quòd integra propositio, cujus initialis vox constituebatur per nomen infanti impositum, in Scriptura non exprimatur, non potest asseri, in ea non contineri relationem ad Deum. Sic nomen *Cham*, quod significat *calorem*, fortè erat propheticum, quòd ex illo descensuri essent populi Africæ; & nomen *Japheti*, quod significat *dilatatum*, fortè erat propheticum, quòd ex illo essent descensuri populi Europæ, in quibus potissimum stabiliter dilatatur Ecclesia.

Ad 10. dist. dabatur polygamia per modum exceptionis in casu particulari. c. per modum regulæ universalis n. Solum enim polygamia observatur fuisse usurpata in casu particulari, ubi ob circumstantias particulares meritò poterat dubitari, an ad eas se extendat dispositio generalis legis divinæ. Talis casus particularis, qui per Epikiam videri poterat exceptus, erat assumptio & repudiatio ancillæ in Abrahamo, & retentio Liæ in Patriarcha Jacobo, & assumptio Ancillarum ad instantiam Conjugum, & polygamia Regum, & polygamia particularium quo tempore omnes populi conspirabant ad deletionem populi electi propemodum redacti ad paucos. In his ergo casibus vel per Epikiam vel per dispensationem ex conniventia Prophetarum videri poterat licita polygamia. Similiter libellus repudii tantùm erat per modum exceptionis datus in ordine ad repudiandam primam conjugem quoad thorum & cohabitationem, non autem ad aliam ducendam, nisi per modum polygamiæ, tunc temporis in casu particulari ex Epikia vel dispensatione licitæ. Itaque matrimonium semper fuit indissolubile quoad vinculum ex natura Sacramenti.

 OBJI-

Objicitur 3. *contra* 13. *Conclus.* 1. Sacramenta sunt remedia contra vulnera peccatorum. Sed hæc non decuit dari ante adventum Medici, Christi. ergo. 2. Sacramenta V. T. teste Apostolo erant tantùm *figura & umbra futurorum* ad Hebr. c. 8. & 10. & ad Coloss. 2. ergo non erant vera Sacramenta, sicut umbra hominis non est verus homo. 3. Sacramenta sunt effectus passionis dominicæ; ergo non dabantur ante Christum. 4. Circumcisio quadraginta annis non extitit in deserto. ergo non erat signum stabile. 5. Sacramenta V. L. non contulerunt gratiam ex opere operato, ut habetur ex Concilio Trident. Sess. 7. ergo non erant vera Sacramenta. *c. prob.* Si Sacramenta illa non contulerunt ex opere operato gratiam, non contulerunt eam infallibiliter, atqui si non contulerunt gratiam infallibiliter, non erant vera Sacramenta. ergo. *Maj. prob.* Si Sacramenta non contulerunt gratiam ex opere operato, eam contulerunt tantum ob fidem, vel ob preces offerentis. Sed si hoc, eam non contulerunt infallibiliter. ergo. *Min. prob.* D. Thomas 2. 2. q. 83. a. 15. & 16. docet, quod preces & oblationes, quas homo pro aliis offert, Deus non teneatur acceptare.

Respondeo *ad* 1. dist. non decet dari medicinam ante adventum Medici independenter ab ordinatione Medici. tr. non decet dari medicinam ante adventum Medici dependenter ab ordinatione Medici. n. Medicus vulnerum est Christus qua Deus; Deus autem erat ante Adamum. Hinc Christus in Evangelio S. Joan. c. 8. v. 58. dicit: *antequam Abraham fieret, ego sum.*

Ad 2. retorq. Populus Israeliticus erat umbra & figura populi Christiani. Ergo non erat verus populus. Templum Salomonis erat umbra & figura templi veri, quod est corpus Christi, & vera Ecclesia. ergo non erat verum templum.

Respondeo 2. dist. Erant figura Sacramentorum Christianorum consideratorum sub ratione specifica operativi ex opere operato. c. consideratorum sub ratione generica Sacramenti significativi gratiæ. n. Haud dubiè signum & significatum, figura & figuratum conveniunt sub variis prædicatis genericis, v. g. entis substantiæ, corporis &c. & solùm habent rationem significantis & significati ob similitudinem vel analogiam quoad prædicata specifica differentialia, ut patet ex datis exemplis, & v. g. ex statua Cæsaris, ubi utrumque est substantia corporea.

Ad 3. dist. Sunt effectus moralis. c. physicus. n. Potest autem effectus moralis existere ante existentiam suæ causæ physicam, prout patet ab exemplis v. g. in eo, qui spe præmii promissi, vel spe hæreditatis strenuè agit; causa enim moralis est, quæ ut cognita, seu ut existens in cognitione agit.

Ad 4. c. a. dist. c. ergo non erat signum stabile stabilitate physica. c. morali. n. Lex dicitur moraliter stabilis, quæ necdum est revocata, sed semper perseverat urgere. Sic & Sacramentum dicitur stabile moraliter, cujus institutio semper pergit urgere observantiam; voluntas enim instituentis semper vivit, & urget observantiam, licèt per accidens ea observantia suspendatur in actu secundo pro certis circumstantiis, in quibus lex vel voluntas instituentis est moraliter inobservabilis.

Ad 5. c. a. n. c. *ad prob.* tr. *Maj.* n. *Min.* Nam etsi illa Sacramenta non contulerint gratiam infallibiliter, potuerunt nihilominus participare rationem genericam Sacramenti, in qua non involvitur, quod sanctificationem infallibiliter causent.

Dixi *tr.* quia potuissent illa Sacramenta infallibiliter operari gratiam, *ex pacto & promisso divino*, etsi eam non essent operata *ex opere operato*, ut proximè dicetur.

QUÆSTIO IV.

Quot & qualia dentur Sacramenta in Nova Lege Gratiæ?

Dico: In Nova Lege Gratiæ dantur septem Sacramenta.

Probatur 1. ex Concilio Trident. Sess. 7. Can. 1. ubi sic habetur: „Si quis dixerit Sacra„menta Novæ Legis esse plura vel pauciora, „quàm septem, videlicet Baptismum, Confir„mationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ex„tremam Unctionem, Ordinem, & Matrimo„nium, aut etiam aliquod horum septem non „esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.

Probatur 2. speciatim de singulis:

I. De baptismo. Id probatur ex illo Christi Joan. 3. v. 5. *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

II. De confirmatione probatur ex traditione. Nam jam Sæculo 2. 3. 4. & 5. dabatur post Baptismum cæremonia sacra, consistens in Impositione Manuum super caput baptizati, vel Inunctione frontis, à solo Episcopo conferenda cum persuasione, quòd per eam cæremoniam conferatur quædam perfectio seu extensio gratiæ. ergo colligitur, donum Spiritus Sancti, quod tempore Apostolorum conferebatur per impositionem manuum cum collatione donorum Spiritus S. manifesta per effectus gratuitos, mansisse in Ecclesia cum collatione gratiæ saltem occulta. *Ant. prob.* ex variis textibus Patrum. Sic 1. Tertullianus lib. *de Baptismo.* c. 7. & 8. scribit: *Exinde egressi de Lavacro* (baptismi) *perungimur benedicta unctione, debinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* Plures ejusmodi textus Tertulliani leguntur ibidem toto libro: & l. 1. *contra Marcion.* c. 15. & l. 15. *de Resurrect.* c. 8. & *de Præscript.* c. 36. 2. Cornelius Papa in Epist. quæ habetur apud Eusebium lib. 6. c. 42. de Novato loquens ait: „Novatus, quoniam jam moriturus putaba„tur, in ipso lecto baptismum per effusionem „accepit. Nec reliqua consecutus est post mor„bum, quæ juxta Ecclesiæ canonem consequi „debebat, obsignationem videlicet ab Episcopo „collatam. Cùm autem illâ potitus non sit, „quomodo Spiritum S. est consecutus?" 3. Cyprianus in Epist. 73. ad Jubaianum. „Qui „in Samaria crediderant, à Philippo Diacono „bapti-

„ baptizati erant; & ideo, quia baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo, quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consummentur." Similia habet Epist. 74. 75. 76. Plures textus videri possunt in *mea Demonstrat. Critica Relig. Catholica.* Part. I. Quæst. 10.

III. DE EUCHARISTIA id constat ex Joan. 6. & 1. Corinth. 11. In priori loco v. 54. Christus dicit: „Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. - - Qui manducat me, vivet propter me. - - Qui manducat hunc panem, vivet in æternum." Plures textus & constantem traditionem Ecclesiæ de hoc Sacramento vide in *Demonstr. Critica* cc. Part. II.

IV. DE POENITENTIA id probatur ex verbis Christi Joan. 20. v. 21. ubi sic: *Dixit eis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Constantem traditionem Ecclesiæ de genuino sensu verborum, ac spectantem, quod peccata Sacerdoti exprimi debeant, vide in *Demonstr. Crit.* cc. Part. III. Et in *Tract. de Pœnit.* disp. 2. ubi manifestè ostenditur, usum auricularis Confessionis fuisse semper in usu, præsertim in Ecclesia Occidentali. De hac perpetua praxi Occidentalis Ecclesiæ videlicet in Europa & Africa Sozomenus ad finem Sæculi 4. l. 7. c. 16. sic scribit: „Cùm prorsus non peccare naturæ sit humanâ superioris; pœnitentibus verò, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare Deus jusserit, & ad impetrandam denique veniam confiteri peccata necessarium sit, odiosum, ut credibile est, Sacerdotibus ab initio visum est, tanquam in theatro audiente Ecclesia multitudine delicta pronuntiare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quàm maximè spectabilem, Secretorum etiam tenacem ac Sapientem huic officio præfecerunt. Eum accedentes, qui peccarant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille verò pro delicto cujusque, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus, absolvebat, ut à se ipsi commissorum pœnas exigerent. Novatianis quidem, quos pœnitentiæ nulla cura tangit, isto nihil opus fuit. In cæteris autem Sectis in hunc usque diem durat; sollicitè autem in Occidentalibus Ecclesiis, & maximè in Romana servatur. - - Hæc Romani Sacerdotes ab ipso inde exordio etiam ad nostram usque memoriam custodiunt." Ita Sozomenus.

Quod autem in hoc puncto iste hæreticus, veritate compulsus fateri traditionem Romanæ Ecclesiæ, non erret, confirmatur ex testimonio *S. Leonis Papæ*, qui scripsit circiter 50. annis post Sozomenum. In Epist. 136. redarguens quorumdam Sacerdotum abusum, qui pœnitentes cogebant sua occulta peccata publicè in Ecclesia recitare, sic scribit: „Illam NB. contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur, cùm conscientiarum reatus sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta; quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non valeret, tamen quia non omnium sunt ejusmodi peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ Remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possent Legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit; tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

V. DE EXTREMA UNCTIONE id probatur ex eo; quia Christus in Evangelio Marci 6. legitur instituisse ritum ungendi ægros ad conferendam illis sanitatem corporis. Apostoli, inquit textus, *exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Aliunde autem vel per declarationem expressam, vel per inspirationem internam Apostolos instruxit, illum ritum potiùs intentum fuisse ad significandam & causandam sanitatem internam animæ. Ea declaratio vel expressa verbalis, vel interna per inspirationem colligitur ex praxi Ecclesiæ Judaicæ, cui in Episcopum constitutus fuerat D. Jacobus, & ex praxi ac sensu Ecclesiæ collectæ ex Gentilibus, quam Romæ fundaverat D. Petrus Episcopus Oecumenicus. De praxi & sensu Ecclesiæ Judaicæ testatur D. Jacobus in Epistola, quam *duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione*, hoc est, toti Genti Judaicæ per totum Orbem dispersæ, inscribit, ubi c. 5. sic habet: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* De praxi autem Romanæ Ecclesiæ perpetua à tempore D. Petri testatur INNOCENTIUS I. Epist. 1. ad Decentium Eugubinum sic scribit: „Quis nesciat, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc hucusque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde videatur. Accipe exemplum - - Quoniam itaque de hoc consulere voluit Dilectio tua, quod in Beati Jacobi Epistola conscriptum est: si infirmus aliquis in vobis est, vocet Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini &c. quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrysmatis perungi possunt. - - Pœnitentibus verò (in

(in pœnitentia solenni, seu excommunicatis) „ istud infundi non potest; quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus (Sacramentorum) putatur posse concedi? His ergo omnibus, quæ tua Dilectio à nobis voluit exponi, respondere curavimus, ut Ecclesia tua Romanam consuetudinem servare valeat, atque custodire." Ita Innocentius I. qui ad Pontificatum assumptus est anno 402.

VI. De ordinibus sacris probatur ex eo; quia omnis potestas divinitùs speciali ritu externo concessa importat promissionem gratiæ ad munus illud debitè obeundum necessariæ. Sed talis est ordo sacer. ergo. *Min. patet* ex Actis Apostolorum, & ex Evangelio. Nam potestas remittendi peccata Apostolis fuit à Christo concessa per insufflationem, prout patet ex illo textu Joan. 20. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Potestas autem Sacerdotalis & Diaconalis in ordine ad Eucharistiam conferebatur per impositionem manuum. Ita habetur Act. 6. *Elegerunt Stephanum, & Philippum &c. hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Et Act. 14. ubi in Latina versione habetur: *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros;* in originali textu græco habetur: χειροτονήσαντες, quod idem significat, ac si diceretur: *Cum ordinassent Presbyteros per impositionem manuum.* Et 1. Tim. 4. Apostolus dicit: *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* Et 2. Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Maj. patet* partim ex hoc ipso textu Apostoli, ubi testatur de effectu Ordinationis tanquam certo & universali, partim ex lumine fidei, quo agnoscimus, Deum cuilibet conferre gratias statui suo congruas, & consequenter etiam extraordinarias statui specialiter à Deo instituto & ordinato. Hinc D. Thomas hoc principio dictaminis per se evidentis nixus probat, ordinem esse Sacramentum. In 4. dist. 24. Q. 1. a. 2. ubi quæritur: *An in Sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens?* sic respondet: „Dei perfecta sunt opera; & ideo „ cuicunque datur potentia aliqua divinitùs, dantur ea, per quæ executio illius potentiæ potest congruè fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet, quia animalibus dantur membra, quibus animæ potentiæ possunt exire in actus suos, nisi fit defectus ex parte materiæ. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc, quòd homo recipiat Sacramenta, ita etiam ad hoc, quòd homo dignè dispenset. Et ideo sicut in baptismo, per quem homo fit susceptivus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in Sacramento ordinis, per quem homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem." Ubi tamen advertо, quod juxta Thomistas, v. g. *Gonetum* de Sacram. in genere disp. 3. art. 4. §. 1. *P. Mezger* de Sacram. in gen. disp. 20. art. 3. n. 2. illa gratia gratum faciens in Sacramentis vivorum nihil aliud sit, quàm jus ad gratias actuales statui necessarias, quæ, inquantum efficiunt hominem justum, sic *efficienter gratum faciens gratia* vocari possunt.

VII. De matrimonio probatur eodem modo. Nam Matrimonium à Deo est ordinatum ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, seu congregatione fidelium. Ergo etiam matrimonio vi ordinationis divinæ in ordine ad efficiendam illam unionem in ipsis recipientibus debetur gratia. *Ant. patet* ex Apostolo Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. c. patet* ex textu D. Thomæ prius N. VI. adducto, tum etiam ex sensu Ecclesiæ & traditione. Nam Ecclesiæ sensus semper fuit, in Matrimonio per benedictionem Ecclesiæ conferri infallibiliter specialem gratiam, quæ infallibilitas non potest haberi sinè promisso tacito vel expresso divino. Sic Siricius P. Epist. 1. ad Himerium dicit: „Illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles sacrilegii instar est, si illa transgressione violetur. „ 2. *Et S. Ambrosius lib. 3. Epist. 23. ad Vigilium.* „ Cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? 3. D. Chrysostomus *Hom. 48. in Gen.* Oportebat Sacerdotes voce & precibus & benedictionibus concordiam conjugii constringere, ut amor Sponsi augeatur, & puellæ continentia crescat, & omnia, quæ fiunt, eò spectent, ut virtutis opera ingrediantur in domum, tollanturque de medio diaboli insidiæ." 4. Tertullianus l. de Pudic. c. 4. dicit, ne quidem esse conjugium sine benedictione Ecclesiæ. ergo necessariò supponit, benedictionem Ecclesiæ pertinere ad essentiam hujus status ut elevati à Christo, quod non contingeret, si benedictio non conferret infallibiliter gratiam. „Penes nos *inquit*, occultæ quoque conjunctiones, id est, non priùs apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur; nec inde consertæ Matrimonii crimen eludant." Si juxta Tertullianum benedictio nuptialis esset nuda cæremonia, nec pertineret ad formam Matrimonii, quatenus est Sacramentum, non *periclitaretur* judicari pro mœchia & fornicatione saltem quoad effectum Sacramentalem.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Non potest afferri ullus textus alicujus Concilii, Patris, aut Scriptoris Ecclesiastici ante Sæculum XI. in quo fiat mentio septem Sacramentorum. ergo non dantur præcisè septem Sacramenta. *c. patet* est incredibile, quòd nullus hominum ante Sæculum XI. numeraverit Sacramenta Ecclesiæ. 2. Antiquiores PP. tantùm numerant duo vel tria Sacramenta: ergo plura non dantur. *Ant. prob.* Justinus M. in sua Apologia pro Christianis tantùm meminit duorum, nempe Baptismi & Eucharistiæ. Cyrillus Jerosol. in Catechef. & S. Ambrosius in l. de Sacramentis tantùm ad priora duo addit tertium, nempe chrysma sive Confirmationem. 3. Magister Sententiarum absolutè negat, in Matrimonio conferri gratiam. D. Thomas

Thomas eam sententiam, quòd Matrimonium sit Sacramentum, tantùm vocat probabilem. Et Durandus Episcopus Meldensis ex Ordine Prædicatorum, qui vixit primùm anno 1330. absolutè negat, Matrimonium esse Sacramentum: ergo.

RESPONDEO *ad* 1. tr. a. n. c. *ad prob.* dist. est incredibile, quòd nullus numeraverit Sacramenta Ecclesiæ, si evidens fuisset, naturam Sacramentorum Novæ Legis esse univocam. c. si id non erat evidens. n. cùm enim Sacramenta Novæ Legis *dignitate & virtute* notabiliter differant, prout Tridentinum Sess. 7. Can. 3. declarat dicens: *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit:* dabatur ratio, cur antiquitus omnia Sacramenta in unam classem ac quasi unum ordinem redigerentur, ne aut Sacramenta eminenter digniora per comparationem cum aliis vilipenderentur, aut effectus univocus omnium existeret, aut promissio gratiæ specifica ae particularis & expressa, quæ in Baptismo, Eucharistia, & Pœnitentia habetur, in Scriptura etiam in omnibus aliis Sacramentis quærenda esse existimaretur, per quod fuisset data ansa contentionibus in Ecclesia cum periculo Schismatum vel hæresium.

Ad 2. dist. tantum numerant duo vel tria Sacramenta relatè ad subjectam particularem materiam, de qua erat quæstio. c. relate ad universalitatem doctrinæ. n. Justinus M. tantùm egit contra Gentiles circa eà Sacramenta Ecclesiæ, circa quæ Ecclesia ab Apostatis coram Ethnicis potissimùm insamabatur, nempe de Baptismo & Eucharistia. Nam Baptismum Gentiles risui omnium Ethnicorum exponebant, etiam Mimi in theatris, prout legitur de Genesio. Circa Eucharistiam autem fingebant Ethnici, quod Christiani celebrent Thiestea convivia comedendo infantem. Itaque de his Sacramentis necessaria erat aliqua explicatio coram Imperatore Ethnico. De aliis autem Sacramentis, quæ non venerant in quæstionem, religiose observanda erat *Disciplina arcani*, hoc est, praxis & lex Ecclesiastica, Exteris seu Ethnicis non prodendi Sacramenta Ecclesiæ, ne Risui exponerentur, prout Schelstrate in suo præcluro libro *de Disciplina arcani* ostendit. Hæc ipsa etiam ratio esse poterat, cur primis VIII. Sæculis, quibus adhuc pugnandum erat cum Ethnicis, non iniretur numerus Sacramentorum. D. AMBROSIUS in l. de Sacramentis, sibi tantùm scribendum esse duxit de Sacramentis Episcoporum, quæ videlicet ritu solenni administrari solebant tantùm ab Episcopis, saltem ordinariè, nempe de Baptismo & Confirmatione. Quòd verò non agere voluerit de omnibus Sacramentis Ecclesiæ, manifestum est ex eo; quia ibi non agit de Sacramento Pœnitentiæ, de quo tamen scripserat peculiares duos Libros. Similiter CYRILLUS JEROS. sibi tantùm proposuit agere de Sacramentis, de quibus necessariò erant instruendi Cathechumeni, nempe de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia. De aliis autem Sacramentis vel non generalibus cuivis Christiano, vel non necessariis non erat differendum in catechesi Catechumenorum, præsertim eo tempore, quo adhuc vigebat *Disciplina arcani.*

Ad 3. n. a. quoad omnia membra. Nam Magister Sententiarum non negat, in Sacramento Matrimonii gratiam *habitualem remissivam culpæ* ob relationem ad fines supernaturales conjugii, quia culpa alioquin daretur in usu Matrimonii, si ordinaretur tantùm ad fines naturales conjugii; sed tantùm negat, in matrimonio dari gratias *actuales speciales* ad faciliùs sufferenda onera matrimonii. D. Thomas autem non dicit, quòd solùm *probabilius* sit, matrimonium esse Sacramentum, sed tantùm asserit, *probabilius* esse, quod in Sacramento matrimonii dentur etiam *gratiæ actuales*, seu, ut vocabantur *adjutrices*. Quod attinet Durandum; nec ipse negat, Matrimonium esse Sacramentum, sed tantùm negat, illud esse *univocè* Sacramentum saltem *univocatione perfecta*, ita ut sit *propriè & strictè* Sacramentum, sicut alia Sacramenta Novæ Legis. Ex quo patet, cum non negare simpliciter, quòd Matrimonium sit *propriè* Sacramentum, quod definitum est in Tridentino Sess. 7. can. 1. Sed quòd sit *propriè* Sacramentum eo modo & ea proprietate omnium prædicatorum, qualis reperitur in aliis Sacramentis. D. THOMAS in 4. dist. 26. Q. 2. a. 2. sic scribit: „ Dicendum, quod circa hoc (an Matrimonium „ conferat gratiam) fuit triplex opinio. Quidam dixerunt, quòd Matrimonium nullo modo „ est causa gratiæ, sed est tantum signum. Sed „ hoc non potest stare, quia secundùm hoc in „ nullo differret à Sacramentis Veteris Legis; „ unde non esset aliqua ratio, quare Sacramentis „ Novæ Legis annumeraretur. Quod enim remedium præbeat satisfaciendo concupiscentiæ, „ ne in præceptis ruat, dum nimis arctatur, habuit etiam in Veteri Lege ex ipsa natura actus. „ Et ideo alii dixerunt, quod ibi confertur gratia in ordine ad recessum à malo, quia excusatur actus à peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. Sed hoc esset nimis parùm; quia „ hoc etiam in Veteri Lege habuit. Et ideo dicunt, quòd facit recedere à malo, in quantum „ mitigat concupiscentiam, ne extra bona Matrimonii feratur; non autem per gratiam illam „ fit aliquod auxilium ad bene operandum. Sed „ hoc non potest stare, quia eadem gratia est, „ quæ impedit peccatum, & quæ ad bonum inclinat, sicut idem calor, qui aufert frigus, & „ qui calefacit. Unde alii dicunt, quòd Matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet, ut conferat gratiam adjuvantem ad „ illa operanda, quæ in Matrimonio requiruntur; & hoc probabilius est. Quia ubicunque „ divinitus datur aliqua facultas, dantur etiam „ auxilia, quibus homo convenienter uti possit „ illa facultate; sicut patet, quod omnibus potentiis animæ respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde, „ cùm in Matrimonio datur homini ex institutione divina facultas utendi uxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id „ convenienter facere non posset, sicut etiam de „ potestate ordinis supra dictum est. Et sic ista „ gratia data est, ut jam res contenta in hoc Sacramento.

Magister sententiarum l. 4. dist. 26. sic habet: "Jam ad Sacramenta Novæ Legis accedamus, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Panis Benedictionis, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordo, Conjugium; quorum alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus. Alia in remedium tantùm sunt, ut conjugium. Alia gratia & virtute nos fulciunt, ut Eucharistia & Ordo." Idem l. 4. dist. 26. ait: "Conjugii institutio duplex est, una ante peccatum in Paradyso ad officium: Altera post peccatum ad remedium. -- Quia propter peccatum concupiscentiæ lex membris nostris inhæsit, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis & malus est coitus, nisi excusetur per bona conjugii, secunda institutio habet indulgentiam.

Durandus verò in 4. dist. 26. Q. 4. dicit: Tenendum est absolutè, quòd Matrimonium est Sacramentum, cùm hoc determinet Ecclesia Extrav. de Hæreticis. Ad abolendam, ubi numerat Matrimonium inter alia Sacramenta. - Matrimonio competit etiam generalis ratio Sacramenti, quæ est, quòd Sacramentum est rei sacræ signum. -- Duo ergo sunt tenenda in Matrimonio; nec opposita eorum possunt teneri sine periculo hæresis. Primum est, quòd Matrimonium est licitum. Secundum est, quòd Matrimonium est Sacramentum eo modo, quo Sacræ rei signum est Sacramentum. -- Præter autem duo prædicta sunt alia duo circa Matrimonium, circa quæ sine periculo hæresis licitum est contraria opinari. Quorum unum est Theologicum, videlicet utrùm in Matrimonio conferatur gratia ex opere operato, sicut in aliis Sacramentis Novæ Legis? Secundum est Logicum, videlicet, utrum Matrimonium habeat plenam univocationem cum aliis Sacramentis? Quoad primum aliter opinantur Juristæ, & aliter Theologi. Juristæ enim, qui fuerunt Glossatores Canonum, & aliqui eorum fuerunt de Collegio Cardinalium, tenent, quòd in Sacramento Matrimonii non confertur gratia. Gaufredus de Sacramentis dicit: Quædam sunt, in quibus confertur gratia, ut sunt Sacramenta necessitatis & ordinis: Quædam sunt, in quibus gratia non confertur, ut matrimonia. Item Ostiensis: -- nam in quibus gratia confertur, Simoniam inducunt. Deo, dicit in apparatu, pro benedictionibus nubentium aliquid accipi prohibetur; quia per eas gratia confertur; sed pro Matrimonio aliquid dare vel accipere, non est peccatum; quia licèt sit Sacramentum, per ipsum tamen gratia non confertur. -- Si quæras, quare in hoc Sacramento potiùs interveniat pecunia, quàm in aliis? Hæc est ratio; quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut fit in aliis. -- Quorum opinio an sit vera vel falsa, non determino ad præsens, sed hoc solum accipio, quòd sentire, quòd per Sacramentum Matrimonii non conferatur gratia, non est contra determinationem Ecclesiæ. Moderni autem Theologi quasi communiter tenent, quòd per Sacramentum Matrimonii confertur gratia.

"Quantum ad secundum, utrum Matrimonium habeat perfectam univocationem cum aliis Sacramentis -- mirum est, quòd aliqui velint quærere plenam univocationem inter Sacramenta Novæ Legis. -- Ex hoc patet, quòd Matrimonium non est Sacramentum strictè & propriè dictum sicut alia Sacramenta Novæ Legis. -- Non omne remedium contra peccatum est Sacramentum; quia si alicui indigenti detur pecunia, pecunia est ipsi remedium, ne egestate compulsus furetur; & tamen datio pecuniæ non est Sacramentum. Sic cum homo per actum Matrimonii satisfaciat concupiscentiæ, est ipsi remedium, ne incitetur ad alias corruptelas; & sic est in omnibus, quæ ex natura actus impediunt peccatum, ne fiat. Talia autem non sunt Sacramenta, sed solùm illa remedia, quæ ex natura actus non habent hoc facere, sed ex divina institutione (particulari) per virtutem supernaturalem eis collatam vel assistentem."

Itaque tam Magister Sententiarum, quàm Durandus agnoscunt, quod Matrimonium ex veteri sensu & determinatione Ecclesiæ sit Sacramentum, sed solùm negant, vel dubitant, an gratia hujus Sacramenti sit *adjutrix* actu *collata*, vel tantùm *assistens*, habitualiter usum Matrimonii ob finem supernaturalem à culpa excusans, qualis gratia est ipsa gratia sanctificans, præexistens in subjecto, & nova terminatione seu relatione extensa ad effectum.

Objicitur 2. * Ablutio pedum est verum Novæ Legis Sacramentum. Ergo dantur plura Sacramenta, quàm septem. *Ant. prob.* Ablutio pedum habet omnia constitutiva Sacramenti. Ergo. a. p. constitutiva Sacramenti sunt 1. ut sit signum sensibile symbolicum. 2. ut sit institutionis divinæ. 3. ut habeat promissionem gratiæ. Sed hæc reperiuntur in ablutione pedum. ergo. Nam 1. significat internam ablutionem à peccatis levibus. 2. est præcepta jure divino juxta illud Joan. 13. *Vos debetis alter alterius lavare pedes.* 3. Christus ibidem dicit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ex quo sequitur, illis promitti gratiæ participationem cum Christo, qui receperint hanc cæremoniam. 2. Idem probatur ex D. Ambrosio, qui l. 3. de Sacram. c. 1. hanc ablutionem vocat Mysterium, testaturque eam habere promissionem gratiæ. *Vide*, inquit, *omnem justitiam, vide gratiam, vide sanctificationem: nisi lavero te, non habebis partem mecum.* 3. Idem docet S. Bernardus Serm. 1. de Cœna Domini, ubi ait: *Numquid desperabimus? absit. Nam ut de Remissione quotidianorum* (peccatorum) *minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem.*

Respondeo n. a. *ad prob.* n. a. ad hujus *prob.* n. a. quoad tertium membrum, nempe quod habeat promissionem gratiæ.

Ad ejus prob. 1. Dico, in illo textu à Christo factam non fuisse promissionem gratiæ generalem, sed esse factam comminationem pœnæ personalem soli Petro, si recusaret humilitatis obsequium.

Respondeo 2. Negando illud ant. quoad secundum membrum. Nempe quòd illa ablutio pedum

pedum fit præcepta. Contrarium enim conſtat ex teſtimonio S. Ambroſii l. c. ubi ait: *Hanc Ecclefia Romana conſuetudinem non habet, ut pedes lavet.* Eam autem conſuetudinem non omiſiſſet, ſi de hac re præceptum Chriſti à D. Petro didiciſſet.

Ad 2. diſt. D. Ambroſius ablutionem pedum vocat *Myſterium* latè dictum. c. ſtrictè dictum. n. Myſterium latè dictum eſt, quod ſignificat aliquam rem ſpiritualem ſine promiſſione gratiæ, ſicut ſunt innumeræ figuræ in Scriptura. Sic proin etiam illa cæremonia ſignificat, ante ſumptionem Euchariſtiæ conſcientiam eſſe mundandam etiam à levibus culpis, quæ homini per terrenam converſationem inhæret. Nec obſtat textus adductus. Nam diſt. vide in ablutione pedum *omnem juſtitiam, omnem gratiam, omnem ſanctificationem* per quotidianæ pœnitentiæ actus, ad quos illa ablutio inſtruit, conſequendam. c. per ipſum ritum externum ex opere operato conferendam. n. S. Ambroſius tantùm voluit dicere, quòd Chriſtus nos illa cæremonia inſtruxerit, per emundationem à pulvere terrenorum affectuum, qui etiam Religioſis cordibus inhæret, ad majorem gratiam, juſtitiam, & ſanctificationem contendendum eſſe. Itaque ſicut Chriſtus cavendum eſſe monet à *fermento* Phariſæorum, ſumendo ſignificatum pro ſigno, ſic è converſo commendare potuit ablutionem pedum, commendando ſignificatum pro ſigno, nempe puritatem internam ante ſumptionem Euchariſtiæ.

Ad 3. diſt. Habemus Sacramentum latè dictum. c. ſtrictè dictum. n. S. Bernardus voluit dicere: ne quis ex prolapſione in quotidianos leviores defectus deſperet, Chriſtus facilem remiſſionem quotidianos pœnitentiæ actus exercituris ſignificare voluit per ablutionem pedum. Respondери poteſt 2. Quod D. Bernardus per Sacramentum intelligat cæremoniam *Sacramentalem*, prout vocari ſolet; qualis etiam eſt *aqua luſtralis*, & alia Sacramentalia, quæ ob benedictionem & preces Eccleſiæ obtinent ſuſcipientibus gratias actuales excitantes ad deteſtationem peccatorum, & conſequenter ad eorundem Remiſſionem præſertim venialium. Qua de cauſa illa ablutio pedum in frequenti uſu erat cum quadam ſolennitate precum in variis Ordinibus usque ad Sæculum XIV. & XV.

Objicitur 4. SS. Patres dicunt, quod ex latere Chriſti in Cruce fluxerint Sacramenta Eccleſiæ. Atqui exinde tantùm fluxerunt duo. ergo. *Min. prob.* ex latere Chriſti tantùm fluxit Aqua & Sanguis, per quæ ſignificari Baptiſmum & Euchariſtiam docent Chryſoſtomus, Cyrillus Jeroſol. Auguſtinus, Damaſcenus, Theophilactus. ergo.

2. D. Joannes in Apocalyſi. c. 17. numerum ſeptenarium capitum vocat Sacramentum beſtiæ. Ergo numerus ſeptenarius Sacramentorum pertinet ad Eccleſiam beſtiæ.

3. Nomen Sacramenti in Scriptura ſacra nullibi reperitur uſurpatum pro ſigno ex opere operato cauſativo gratiæ. Ergo non debet in eo ſenſu ſumi.

Respondeo *ad* 1. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* c. a. n. c. quia ex eo, quòd per aquam & ſanguinem ſignificentur Baptiſmus & Euchariſtia, non excluditur, quin ſignificentur etiam alia Sacramenta, in quantum mundant, & animant ad perfectionem chriſtianam. Neque enim ex eo, quod SS. PP. tantùm meminerint duorum Sacramentorum, præ cæteris excellentium, ſequitur, ab iisdem alia excludi. Sic D. Paulus Hebr. 6. meminit tantum Baptiſmi & Confirmationis his verbis: *non rurſum jacentes fundamentum pœnitentiæ baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis manuum* &c. qua ſignificatur collatio Confirmationis; nec tamen per hoc excluſa eſſe cenſenda eſt Euchariſtia.

Ad 2. c. a. n. c. ex omnibus enim circumſtantiis patet, S. Joannem per beſtiam intellexiſſe veterem Romam gentilem, fundatam in ſeptem collibus, cujus everſionem hoc loco prophetavit. Hinc c. 17. v. 9. tanquam ſignum characteriſticum hujus beſtiæ ponitur: Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet. De expoſitione hujus myſterii legi meretur Boſſuetus, qui obſervat etiam quatuor Monarchias Imperatorum gentilium per quatuor beſtias à Daniele Prophetа præfiguratas fuiſſe.

Ad 3. retorqueo: nomen Trinitatis, Conſubſtantialis, Deipara, ingenitus, Biblia, Evangeliſta, Incarnatio, Evangelium, Religio Evangelica &c. non reperitur in Scriptura Sacra: ergo in hoc ſenſu non debent uſurpari.

Respondeo 2. tr. a. n. c. quia, ubi reperiuntur res verbis expreſſæ, non eſt litigandum de nomine: præſertim ubi ſignificatur complexum plurium propoſitionum morale, quod neceſſariò novo exacto nomine exprimendum eſt. Ut enim habet D. Auguſtinus l. 10. de Civit. c. 13. *Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.*

Objicitur 5. juxta pleroſque Theologos ſunt Sacramentum *Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Epiſcopatus*; ergo ſunt plura Sacramenta, quàm ſeptem. 2. Euchariſtia ſub utraque ſpecie eſt Sacramentum. 3. Datur baptiſmus flaminis, fluminis, & ſanguinis; ergo.

Respondeo *ad* 1. diſt. ſunt Sacramenta, ita tamen, ut coordinentur, & ſubordinentur ad unum finem adæquatum condiſtinctum à fine reliquorum Sacramentorum. c. ita ut non coordinentur. n. Finis adæquatus omnium horum Sacramentorum eſt recta adminiſtratio Euchariſtiæ & gubernatio Eccleſiæ per poteſtatem Sacerdotalem. Itaque referenda ſunt ad unum genus Sacramenti condiſtinctum à genere aliorum Sacramentorum.

Ad 2. diſt. Sunt Sacramentum, ita tamen, ut coordinentur ad unum finem adæquatum, nempe ad nutritionem animæ ſub his ſymbolis externæ nutritionis corporalis. c. ita ut non coordinentur. n.

Ad 3. diſt. datur triplex baptiſmus per analogiam. c. per proprietatem. n. Nam baptiſmus flaminis & ſanguinis propriè non ſunt Sacramentum. Nam baptiſmus flaminis cauſat quidem remiſſionem peccati originalis quoad culpam, ſed non

non ex opere operato, nec quoad reatum pœnæ. Baptismus autem sanguinis tantùm remittit peccatum originale & actualia ob fervorem charitatis; qua deficiente quoad substantiam seu initialiter ne quidem justificat.

QUÆSTIO V.

An Sacramenta N. & V. T. conveniant univocè, præsertim quoad promissionem & infallibilem collationem gratiæ?

NOTANDUM I. Hoc loco non posse quæri de univocatione horum Sacramentorum sub prædicato generico genere summo, nec de univocatione horum Sacramentorum sub prædicato specifico specie infima. Certum enim est, quòd hæc Sacramenta, v. g. circumcisio & baptismus univocè conveniant sub ratione generalissima Sacramenti, quatenus Sacramentum dicit rationem genericam mysterii, prout mysterium præscindit à suis differentiis. Certum etiam est, quod Sacramenta V. & N. T. non conveniant univocè sub specie infima, quatenus sunt instituta à Christo, & quatenus eam gratiam, quam conferunt, causant *ex opere operato*. Itaque solum est quæstio, utrùm conveniant univocè sub hoc conceptu definitivo, dum Sacramentum definitur esse *signum visibile invisibilis gratiæ ad nostram sanctificationem divinitus institutum.*

NOTANDUM 2. Univoca definiri, quorum *ratio per nomen expressa est eadem*, hoc est, quorum totus conceptus definitivus secundum omnes partes in definitione explicitè importatas est prorsus formaliter idem. Cum ergo in definitione Sacramenti importentur variæ partes, nempe ratio signi. 2. Ratio significati seu gratiæ. 3. Causalitas gratiæ. 4. Sanctificatio hominis. 5. Institutio divina, sequitur; si vel unicus harum partium terminus ab univocatione deficiat, Sacramenta N. & V. T. non fere univoca.

NOTANDUM 3. Dubitari potissimum posse: 1. An Sacramenta V. T. significent gratiam, ut *infallibiliter* conferendam? 2. An significent gratiam tantùm actualem, vel etiam habitualem, homini recipienti conferendam? 3. An ea gratia habitualis, quam conferebant, fuerit univoca cum gratia habituali, quæ confertur in N. T. utpote quæ est arrha gloriæ proximè post mortem justis conferendæ, & hominem elevat in statum filiorum Dei. 4. An ea sanctificatio, quam Sacramenta T. V. significabant, & conferebant, fuerit *interna* per gratiam sanctificantem, vel tantum *legalis*, quatenus ea sanctificatio præcise dicit puritatem à transgressione cæremoniarum divinitus præscriptarum cum promissione bonorum temporalium erga observatores illius legis? 5. An Sacramenta V. T. conferant, & causent gratiam ex pacto seu promissione divina saltem per modum conditionis, vel signi, vel chyrographi, licèt gratiam non contulerint per modum causæ moralis vel physicæ, prout gratiam causant Sacramenta N. T.

DICO: Sacramenta V. &. N. T. non conveniunt univocè.

PROBATUR 1. In Sacramentis V. T. nec datur infallibilitas gratiæ consequendæ, nec etiam datur gratia habitualis sanctificans univocè eadem cum gratia sanctificante N. T. ergo non conveniunt univocè. *Ant.* quoad 2. membrum probabitur in sequenti Q. Quoad 1. membrum autem probatur negativè; quia illa infallibilitas non potest sufficienter probari.

PROBATUR 2. Scriptura varios habet textus, in quibus ostenditur in Sacramentis V. T. vel non dari infallibilitatem, vel non dari univocationem gratiæ cum gratia N. T. vel non dari univocationem causalitatis cum causalitate Sacramentorum N. T. ergo non conveniunt univocè. *Ant. prob.* 1. Joan. 1. v. 17. dicitur: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum.* 2. Hebr. 10. v. 1. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* 3. Gal. 3. v. 11. *In lege nemo justificatur apud Deum.* 4. Hebr. 7. v. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* 5. Rom. 8. v. 3. *Quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens, ut justificatio Legis impleretur in nobis.* 6. Hebr. 8. v. 6. Christus *melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Quod autem meliores illæ repromissiones consistant in promissione gratiæ remissivæ peccatorum, insinuat ibidem v. 12. ubi alludendo ad vaticinium Jeremiæ de futura Ecclesia c. 31. v. 34. editum addit: *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.* 7. Gal. 4. v. 9. quomodo *convertimini iterum ad infirma & egena elementa?* 8. Hebr. 9. v. 9. ubi de Sacramentis & Sacrificiis V. T. sermo est, *Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis & in potibus & variis baptismatibus & justitiis carnis.* Et v. 13. *Sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Et c. 10. v. 4. *impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Ex his omnibus textibus patet, in V. T. non fuisse per Sacrificia & Sacramenta collatam *gratiam sanctificantem* vel jus *ad gratias actuales* supernaturales intrinsece ac extraordinarias *infallibiliter* consequendas. Si enim hæ gratiæ fuissent collatæ *infallibiliter* 1. Non esset *simpliciter* verum, gratiam non fuisse datam per Moysem. 2. Lex non habuisset tantum umbram gratiæ, sed quoad substantiam habuisset ipsam rem gratiæ. 3. In Lege per vim gratiæ sanctificantis, & per jus ad extraordinarias gratias actuales homines potuissent æquè faciliter pertingere ad fastigium justificationis, seu ad justificationem, & sanctitatem perfectam. 4. Lex non fuisset infirma & inutilis. Practicè enim nihil refert, an homini conferatur infallibiliter gratia ex pacto, vel per modum effectus moralis, vel per modum effectus physici. 5. Non fuisset impossibile, ut in Lege justificatio impleretur quoad substantiam, etiam perfecta. 6. Fuisset in V. T. æqualis promissio de obtinenda remissione & oblivione iniquitatum, seu peccatorum. 7. Sacramenta V. T. non fuissent practicè infirma & egena, sed tantum speculativè,

lativè, quia contulissent quidem gratiam, sed tantùm per modum conditionis vel signi, non verò per modum causæ moralis, vel physicæ; quia in praxi non detrahit, nec addit aliquid utilitatis spiritualis in recipiente Sacramentum. 8. Sanguine taurorum tollerentur peccata saltem tanquam positione conditionis requisitæ ad præstandum promissum conditionatum in Deo.

PROBATUR 3. Ex variis textibus PP. qui salvari non possunt in sensu obvio stante univocatione & infallibilitate quoad collationem gratiæ in Sacramentis V. T.

I. S. BASILIUS l. de Spiritu Sancto c. 14. „ Quid confers, inquit, Lavacra cum Lavacris, „ quæ solam appellationem nominis habent com- „ munem, rerum verò tanta est differentia, „ quanta est inter somnia & veritatem, inter „ umbras imaginesque, & inter ea, quæ revera „ subsistunt?

II. S. CHRYSOSTOMUS Orat. de Bapt. Christi. „Judaica, inquit, expiatio nequaquam „ à peccatis liberabat, sed à corporis sordibus „ tantum: nostra vero talis non est, sed multò „ major, ac multà gratià referta; nam & à pec- „ catis liberat, & animam emundat, & spiritus „ gratiam largitur.

III. S. AMBROSIUS l. 1. de Sacram. c. 4. „ Diviniora, inquit, & priora sunt Sacramenta „ Christianorum, quàm Judæorum.

Et lib. de initiandis. seu de mysteriis. c. 8. „ Probatum est, ait, antiquiora esse Ecclesiæ „ Sacramenta, nunc cognosce potiora. Revera „ mirabile est, quod Manna Deus pluerit Patri- „ bus, quotidiano Cœli pascebantur alimento. -- „ Sed tamen panem illum qui manducaverunt, „ omnes mortui sunt in deserto; ista autem esca, „ quam accipis, iste panis vivus, qui de cœlo „ descendit, vitæ æternæ substantiam submini- „ strat.

IV. S. AUGUSTINUS in Psal. 73. non longè ab initio. „Sacramenta, inquit, non ea- „ dem, (in utroque Testamento) quia alia sunt „ Sacramenta dantia salutem, alia promittentia „ Salvatorem. Sacramenta N. T. dant salutem; „ Sacramenti V. T. promiserunt Salvatorem. - - „ Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, „ pauciora, salubriora, feliciora.

Idem l. 19. contra Faustum. c. 13. „Proinde, „ inquit, prima Sacramenta, quæ observaban- „ tur & celebrabantur ex Lege, prænuntiativa „ erunt Christi venturi, quæ, cùm suo adventu „ Christus implevisset, ablata sunt. - - Et alia „ instituta virtute majora, utilitate meliora, actu „ faciliora, numero pauciora.

Denique Quæst. 25. in l. Numer. „Si per se, „ inquit, attendantur (Sacramenta vetera) nullo „ pacto possunt mederi: si autem res ipsæ, qua- „ rum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis „ inveniri poterit purgatio peccatorum.

V. Eugenius IV. P. in Decreto seu Instructione Armen. ait: „Novæ Legis septem sunt „ Sacramenta. - - Quæ multum à Sacramentis „ differunt Antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem „ Christi dandam esse figurabant; hæc verò no- „ stra & continent gratiam, & ipsam dignè susci- „ pientibus conferunt.

Item S. Ambrosius N. III. paulò ante relatus l. 7. in Luc. n. 66. „Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio. Circumcisio puri- „ ficavit, sanctificavit Lex, justificat gratia. „ Christus unus in omnibus, & in uno omnia." Ex hac oppositione potius colligitur, quòd justificatio nec fuerit collata per Circumcisionem, nec per legem, sed per gratiam, quæ confertur ob fidem, & meritum spei in Christum.

PROBATUR 4. Authoritate D. Thomæ, Scoti, & aliorum Veterum Theologorum. 1. S. THOMAS in 4. dist. 1. q. 1. a. 1. qq. 3. ad 5. dicit: „Sacramentum non dividitur per Sacra- „ menta V. & N. L. sicut genus per species, sed „ sicut Analogum in suas partes, ùt sanum in „ habens sanitatem, & significans eam. Sacra- „ mentum verò simpliciter est, quod causat sanctitatem; quod autem significat eam tantùm, „ non est Sacramentum, nisi secundum quid. „ *Et qq.* 1. Sacramentum secundum proprietatem „ vocabuli videtur importare sanctitatem activè, „ ut dicatur Sacramentum, quo aliud sacratur, „ sicut ornamentum, quo aliquid ornatur. 2. MAGISTER SENT. *l. 4. dist.* 1. Sacramentum „ dicitur esse id, quod ita est signum gratiæ Dei, „ ut ipsius imaginem gerat, & causa existat." 3. SCOTUS dist. 1. q. 2. docet, ad Sacramentum propriè dictum requiri, ut sit signum efficax gratiæ seu sanctitatis. Idem docet S. Bonaventura. Durandus & alii. Ex quibus omnibus patet, Sacramentum, nisi sumatur in genere summo, prout abstrahit ab omnibus differentiis signi, causæ, gratiæ, & causalitatis, sed specificè specie subalterna, importare causalitatem infallibilem gratis internæ, in qua acceptione *Sacramentum* non convenit Sacramentis V. T.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Sacramentis V. T. fuit annexa promissio gratiæ & remissionis peccatorum infallibiliter consequendæ. Ergo non datur ratio negandi univocationem Sacramentorum V. & N. T. *Ant. prob.* 1. Levit. 4. v. 21. & c. 17. v. 11. ubi de Sacrificio sermo est, absolutè dicitur: *Orabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei, & propitius erit Dominus, & sanguis pro animæ piaculo est.* ergo. *c. prob.* Quando in Epist. D. Jacobi c. 5. dicitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum; - - & si in peccatis sit, remittentur ei.* Rectè infertur promissio gratiæ infallibiliter consequendæ. Ergo idem inferendum est, ubi in V. T. Levit. 4. habetur simillimus textus. 2. Quando Act. 8. v. 17. dicitur: Apostoli *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Rectè infertur promissio gratiæ infallibiliter consequendæ. Ergo dum Deut. ult. v. 9. dicitur: *Josue repletus est Spiritu Sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.* Etiam significatur infallibilis collatio gratiæ.

RESPONDEO *ad* 1. dist. a. fuit annexa promissio gratiæ remissivæ pœnarum temporalium con-

consistentium in subtractione protectionis & auxiliationis specialis populi electi. c. promissio gratiæ internæ facilius consequendæ. n. quòd illa Sacrificia & Sacramenta Veteris Testamenti non habuerint infallibilem Remissionem culpæ internæ, sed tantùm pœnarum temporalium, quibus Deus in hoc mundo affligere solebat transgressores suæ Legis. Tournelius existimat colligi posse etiam ex eo; quia si remissa fuissent peccata, quoad culpam per gratiam internam, per quodlibet Sacrificium remissa fuissent omnia peccata in quavis specie peccatorum, eoquòd unum peccatum mortale non possit à Deo remitti sine altero quoad culpam. Sed hoc non videtur posse dici; quia pro vario genere ac varia specie peccatorum præscripta fuerunt diversa genera ac diversæ species Sacrificiorum & oblationum. Verùm missa hac ratione, quam censeo non esse solidam; quia potuit Deus ad veniam omnium peccatorum obtinendam requirere speciale sacrificium pro quovis genere & specie peccatorum per modum conditionis & satisfactionis, sicut nunc ad veniam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam requiritur varia satisfactio proportionata speciebus peccatorum, & determinanda à Sacerdote nomine Dei. Hinc rationem Responsionis pono solùm istam; quia nempe ipsa Scriptura ostendit, illa Sacramenta vetera non serviisse ad emundationem conscientiæ, sed tantùm ad emundationem carnis. Eam anthitesin insinuat Apostolus Hebr. 9. v. 13. his verbis: *Si sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis* (hoc est immunditiæ legalis, & sine peccato formali incursæ) *quanto magis Sanguis Christi, qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo?* Quod ipsum etiam D. Thomas 1. 2. Q. 103. a. 2. observat.

Ad 2. c. a. dist. c. Ergo significatur infallibilis collatio gratiæ gratis datæ & personalis tantùm. c. gratiæ sanctificantis, & generalis respectu omnium recipientium ejusmodi ritum. n. Ex contextu patet, quod Josue illo ritu tantùm acceperit personaliter sapientiam ad regendum populum, non autem ille ritus erat à Moyse institutus, ut omnes, qui ejusmodi ritum acceperint, obtineant gratiam internam sanctificantem.

Objicitur 2. Judas Machabæus l. 2. c. 12. jussit offerri pro mortuis sacrificium, ùt à peccatis solvantur. Ergo sacrificia Veteris Testamenti valuerunt etiam pro peccatis quoad culpam, & non tantùm quoad reatum pœnæ temporalis in hoc mundo. 2. Sacrificia Veteris Testamenti habuerunt suum effectum. Ergo infallibilem conferebant gratiam. *ad prob.* ex Sacrificio, quod l. 2. Mach. c. 3. Heliodoro divinitus punito restituit sanitatem. 3. Apostolus loquens de Israelitis in deserto 1. Cor. 10. v. 3. & 4. dicit: *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. Petra autem erat Christus.* Ergo per Sacramenta Veteris Testamenti conferebantur etiam gratiæ internæ.

Respondeo *ad* 1. dist. Valuerunt simul cum fide & merito offerentium ad facilius impetrandam vivis & defunctis veniam. c. ad infallibiliter impetrandam ex pacto seu promisso. n.

Ad 2. dist. Habuerunt suum effectum simul concurrente fide & merito offerentis, & fallibiliter. c. præcise ex pacto & promisso. n. Ipse contextus ostendit, sanationem Heliodori potiùs adscribendam esse precibus Oniæ Summi Sacerdotis, quàm Sacrificio; ibidem enim v. 33. dicitur: *Oniæ Sacerdoti gratias age; nam propter eum Dominus tibi vitam donavit.*

Ad 3. c. a. dist. c. Ergo conferebantur gratiæ internæ concurrente fide & merito operantis & fallibiliter. c. sine fide & merito operantis, & infallibiliter. n. Dico enim, quòd Deus tantùm promiserit, se fore iis propitium, hoc est, misericordem, hoc est, faciliorem ad condonandam veniam, & conferendas varias gratias, partim temporales, partim spirituales, etiam internas tam actuales quàm habituales, ita ut contentus esse velit minori satisfactione, aut minori placatione vel minori conatu & munere deprecantis; non enim promisit infallibilitatem effectus ad opus externum, & solam remotionem obicis, prout fit in Novo Testamento.

Addo in adducto fortè tantùm ideo vocari Manna cibum spiritalem, & aquam ex petra potum spiritalem, & petram spiritalem, quia ille cibus, & potus, & petra erant figuræ Christi & Eucharistiæ, sub qua consideratione habent quamdam rationem significationis spiritalis. Petra enim, quæ Israelitas in deserto juxta versionem 70. Interpretum ubique in via insequebatur, ut ex illa haberent potum, erat figura Christi.

Objicitur 3. SS. Patres agnoscunt in Sacramentis Veteris Testamenti vim causandi infallibiliter gratiam. Ergo. *Ant. prob.* 1. S. Augustinus *in Psal.* 77. " Cùm essent (aliquis) omnia communia Sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ Sacramentorum virtus est: sicut & nunc omnibus baptizatis commune est lavacrum, sed ipsa gratia, cujus sunt ipsa Sacramenta (signa) non communis est omnibus.

2. *Idem Q.* 84. *in Levit.* " Moyses sanctificabat visibilibus Sacramentis; Dominus autem visibili gratia per Spiritum Sanctum.

3. S. Leo *Serm.* 3. *de Nativit.* " Hoc magnæ pietatis Sacramentum tam potens in suis significationibus fuit, ut non minùs adepti sint, qui in illud credidere promissum, quàm qui suscepere donatum.

4. *Idem Serm.* 2. *de Pentec.* " Patriarchæ & Prophetæ & Sacerdotes, & omnes Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejusdem Spiritus Sancti sanctificatione vegetati; & fine hac gratia nulla unquam instituta Sacramenta, nulla unquam celebrata mysteria, ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.

Respondeo n. a. *ad* 1. dist. Communia erant Sacramenta, non communis erat gratia dependens simul à fide & merito operantis, & quidem fallibiliter. c. non dependens à fide & merito operantis, & infallibiliter. n. S. Augustinus voluit dicere; sicut nunc omnibus applicatur Baptismus, licèt ob indispositionem non omnes obtineant

tineant gratiam; ita etiam in Veteri Testamento gratia præparatæ facilioris propitiationis ac misericordiæ erat omnibus communis, licèt eam gratiam ob indispositionem operantis negativam, videlicet ob defectum meriti congrui, non omnes fuerint consecuti gratiam illis Sacramentis proportionalem.

Ad 2. dist. a. Moyses sanctificabat sanctificatione legali. c. sanctificatione interna. *subdist.* fallibiliter, & dependenter à merito operantis. c. infallibiliter, & independenter à merito operantis. n.

Ad 3. dist. Non minus adepti sunt dependenter à fide & merito congruo operantis. n. S. Leo non dicit præcise, qui illud in figura suscepere, sed qui in illud credidere. Dixi: tr. quia ex sequenti patebit, antiquos sub aliqua consideratione minùs accepisse, quàm Christianos.

Ad 4. dist. Semper fuit eadem virtus charismatum remota. tr. proxima. n. Charismata enim gratiarum internarum tám actualium quàm habitualium disponebant *remotè* ad amicitiam internam cum Deo, atque ad filiationem adoptivam, & ad visionem intuitivam Dei, sed proximè ad eam non disponebant, prout dicetur in sequenti Q. In hoc etiam sensu intelligenda sunt verba ejusdem Summi Pontificis Serm. 3. de Nativit. *Gratia Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta.*

Objicitur 4. SS. Patres expresse docent, quod circumcisio idem fuerit operata, quod nunc operatur Baptismus. Ergo. *ad prob.* 1. S. Augustinus l. 2. *de Nuptiis.* c. 11. dicit: „Ex quo „ instituta est circumcisio in populo Dei, quæ „ erat tunc signaculum fidei, ita ad significatio„ nem purgàtionis valebat, & in parvulis origi„ nalis, veterisque peccati, sicut & Baptismus „ ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, „ ex quo institutus est.

2. S. Gregorius l. 4. *Moral.* c. 3. „Quod „ valet apud nos aqua baptismatis, hoc egit apud „ Veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro „ majoribus virtus Sacrificii, vel pro his, qui „ ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium cir„ cumcisionis." Eodem modo loquuntur *V. Beda* l. 1. in Luc. c. 8. *S. Bernardus* Epist. 77. ad Hugon. *Hugo Vict. Innocentius III. c. Majores* &c.

Respondeo. dist. Circumcisio idem fuit operata concurrente merito fidei & spei in Christum, idque fallibiliter. tr. sine tali merito fidei, & infallibiliter. n.

Ad 1. dist. Ita valebat Circumcisio sicut Baptismus paritate quoad genus valoris. tr. paritate quoad speciem valoris. n. S. Augustinus voluit dicere, sicut Baptismus habet valorem in ordine ad Remissionem peccati originalis, ita etiam Circumcisio habuit valorem in ordine ad eundem effectum. Sed non erat idem specie valor: nam Baptismus valet per modum causæ ex opere operato, & eo ipso infallibiliter. Sed Circumcisio valuit tantùm per modum conditionis requisitæ ad meritum fidei, de se fallibile; quia homo non potest ita esse certus de existentia veræ fidei & spei supernaturalis in Christum. Hunc esse sensum S. Doctoris colligitur partim ex eo, quia Circumcisionem tantùm vocat signaculum fidei, quod tantùm valet ad *significandum* non ad causandum. Dein quia in l. 4. contra Donatistas c. 24. docet; Circumcisionem non valere *totum*, sed tantum valere *multum*. Nam apud nos Baptismus valet totum, & nihil valet meritum humanum. *Cur*, inquit, *Abrahamo præceptum est, ut omnem infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat credere, ut ei* (fides) *deputaretur ad justitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat?* In hoc textu S. Augustinus voluit insinuare, quòd applicatio Circumcisionis saltem valuerit ad faciliùs excitandam, intendendam & acceptandam fidem parentum, quæ per modum meriti de congruo, quamvis fallibiliter, poterat & solebat acceptari à Deo pro parvulis.

Ad 2. dist. Hoc egit mysterium Circumcisionis concurrente merito fidei & spei fallibili. c. non concurrente tali merito. n. Concedo, quòd Deus humilem obedientiam parentum, per applicationem Circumcisionis erga Deum exhibitam, concurrente actu fidei & spei, elevato ad rationem meriti per actum charitatis justificativæ, ita respexerit, ut intuitu hujus meriti parvulis contulerit Remissionem peccati originalis; sed quia hoc præcise nititur in pia opinione de misericordia Dei, & in actu fidei, spei & charitatis, de cujus existentia homo non est certus absolutè, non erat infallibilis effectus in parvulis.

Respondeo 2. Patribus illis opponendo textus Scripturæ & SS. PP. quibus satis clarè ostenditur, Circumcisionem non fuisse institutam, ut *per se*, & *directè*, ac *ratione sui* esset causa remissiva peccati originalis. Nam 1. Scriptura Gen. 17. v. 10. testatur, circumcisionem datam esse in signum fœderis, nulla facta mentione de alio fine vel effectu illius. *Hoc est pactum meum*, inquit Deus, *quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* 2. Apostolus ad Rom. constanter etiam positivè à circumcisione excludit effectum justificationis, eumque totaliter transfert ad fidem. c. 4. sic scribit: *Quid ergo dicemus invenisse Abraham* (per Circumcisionem?) *dicit enim Scriptura: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Dicimus enim; quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? in Circumcisione, an in præputio? non in Circumcisione: sed in præputio. Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio. Non per Legem* (Circumcisionis) *promissio Abrahæ, aut Semini ejus, sed per justitiam fidei.* 3. Idem Apost. l. c. c. 3. ait: *Quæ ergo utilitas circumcisionis? multum per omnem modum. Primum quidem; quia illis credita sunt eloquia Dei. - - Justitia autem Dei per fidem JEsu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Ubi est ergo gloriatio tua* (o Judæe?) *exclusa est. Per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis; quoniam unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Apostolo adstipulantur SS. PP.

I. S. Justinus dial. cum Tryph. „Circumcisio, inquit, quam ab Abrahamo acce„pistis

„ pistis secundum carnem, in signum, notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus & à nobis discreti. - - *Et postea:* Abraham - - Circumsionem accepit in signum, non ad justitiam: quemadmodum & Scripturæ, & res ipsæ nos fateri cogunt. - - Et quod genus muliebre Circumcisionis carnalis capax non est, satis id ostendit in signum datam circumcisionem istam, non ut justitiæ opus.

II. S. IRENÆUS l 4. c. 16. alias 30. sic loquitur: „Circumcisionem non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ. - - *Et infra:* Et quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine circumcisione - - credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam.

III. S. EPIPHANIUS hæresi 8. quæ est Epicureorum: „Attende, inquit, quomodo postea tempore procedente voluerit circumcisionem pro lege statui, non quòd ad animæ salutem perficere hæc possit aliquid; sed ut hoc grati animi indicium, quasi signum & sigillum circumferrent Judæi, & ne liceret eis commisceri gentium congressibus. Hinc Beatus Paulus signum hoc vocat, dicens: Et signum dedit, Circumcisionis sigillum. Nam quòd ad justitiam nihil conducat, ecce & hic justus, nondum statuta circumcisione, ad eandem pervenit virtutem.

IV. TERTULLIANUS lib. contra Judæos. c. 2. „Si Circumcisio, inquit, purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cùm faceret, cur eum non circumcidit, vel postquam deliquit, si purgat circumcisio? *Et posthac* c. 3. Providens Deus, quòd hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus &c.

V. S. CYPRIANUS lib. 1. contra Judæos. c. 8. opponit carnalem Judæorum circumcisionem spirituali circumcisioni Christianorum, & addit, Adamum, Henoc, Noe, & Melchisedech justos fuisse sine Circumcisione; *quia, inquit, signaculum feminis nihil profuit.*

VI. S. AMBROSIUS Epist. 72. nunc 74. ad Irenæum: *signum, inquit, circumcisio corporalis, veritas autem circumcisio spiritualis; illa membrum amputat, ista peccatum.* Idem docet l. 1. de Abraham. c. 4. ubi ex professo tractat de Circumcisione.

VII. Denique S. HIERONYMUS in c. 3. ad Gal. rationem reddens institutæ circumcisionis, ne verbulo quidem indicat eam in remedium peccati fuisse. Ergo in signum duntaxat fuit distinctionis Judæorum ab aliis nationibus.

CONFIRMATUR 1. hæc omnia ex eo; quia Circumcisio non serviebat pro fœminis. Non est autem verosimile, quod Deus ultra duo annorum millia voluerit certius vel aliud remedium ordinare pro masculis, & incertum vel diversum pro fœminis.

CONFIRMATUR 2. quia si circumcisio fuisset instituta in remedium pro peccato originali *per se* & *ratione sui* requisitum ad hunc effectum, non est verosimile, quòd Moyses quadraginta annis in deserto permisisset omitti hoc remedium in parvulis, prout tamen omissum fuisse constat ex l. Josue. c. 5. v. 6. falsum enim est, quòd impleri non potuisset, cùm sæpe manserint in eadem statione; imo in uno loco ferme 38. annis, prout constat ex historia migrationis Israelitarum per desertum.

OBJICITUR 5. Gen. 17. v. 14. dicitur: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* In textu Græco habetur: *Cujus præputii caro octavo die circumcisa non fuerit*, quod non potest intelligi, nisi de parvulis. Ergo parvuli justificabantur infallibiliter per circumcisionem. *c. prob.* Anima parvuli in nullo alio sensu potest deleri, *quia pactum irritum fecit*, nisi hoc ita intelligatur, ut dicatur, animam parvuli æternùm perire, nec pertingere ad beatitudinem præparatam populo electo; quia ut inclusa in voluntate Adami irritum fecit contractum Dei cum Adamo & ejus posteris irritum.

RESPONDEO. dist. Masculus, cujus præputii caro *in se, vel in suis masculis infantibus* ex negligentia sine justa dilationis causa circumcisa non fuerit, delebitur de populo. c. ipse parvulus natus delebitur. n. Quòd hic textus loquatur de patribus familias, & de parentibus vel tutoribus negligentibus, satis clarè colligitur ex contextu, ubi Deus tantùm init pactum cum parentibus & patribusfamilias; dicit enim Deus ad Abrabamum: *hoc est pactum, quod observabitis inter me & vos. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. infans octo dierum circumcidetur in vobis: tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur: Eritque pactum meum in carne vestra: masculus* &c. Ex hoc clarum est, quod nec de pacto cum Adamo initio, nec de pacto cum parvulo, sed tantùm de pacto initio cum parentibus, Dominis, & tutoribus, quibus circumcidendi parvulos cura incumbebat, sermo fit. Hæc mens Scripturæ etiam colligitur ex paraphrasi Chaldaica, quæ duobus aut tribus Sæculis ante Christum ab ipsis facta est Judæis, ubi sic habetur: *Masculus habens præputium, qui non circumciderit carnem præputii sui, peribit homo ille de populo suo.* Hebræi, prout Critici sacri observant, hunc textum sic explicant, ut sensus sit: parvulum illum ante annum ætatis 50. moriturum, vel ejus progeniem tandem è populo electo sic defecturam, ut de stirpe ejus nemo amplius supersit. Hugo Grotius sic explicat: *Qui non curaverit se circumcidi, ubi ad justam ætatem pervenerit, annum puta 13. ut volunt hebræi interpretes: ex eo tempore, si parentes & magistratus negligerent, ipse obligari incipit.* Ita Grotius. In Græco autem textu illa verba: *octavo die:* sunt addita ex mente Interpretum. In textu enim Hebraico non reperiuntur.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Utrum gratia adoptionis & gratia ſanctificans in Veteri Teſtamento fuerit tam perfecta, & univocæ naturæ cum ea, quæ confertur in Novo Teſtamento?

NOTANDUM I. Hoc loco ſupponi, quod etiam in Veteri Teſtamento peccata fuerint remiſſa non tantùm per condonationem extrinſecam, ſed etiam per collationem alicujus gratiæ ſanctificantis, animæ inhærentia, atque intrinſecè ſupernaturalis. Id enim communia ſententia Theologorum docet, à quorum ſententia ſine convincenti argumento recedere temerarium foret. Similiter ſupponitur; etiam in veteri Teſtamento extitiſſe quoddam genus adoptionis in ſtatum filiorum Dei. Id enim ſatia manifeſtè colligitur ex D. Paulo ad Rom. 9. nbi dicitur: *Optabam eſſe anathema à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem; Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum* (υἱοθεσία) *& gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium,* (λατρεία) *& promiſſa.* Itaque ſolùm relinquitur Quæſtio, utrum illa gratia ſanctificana & adoptio in veteri Teſtamento fuerit tam perfecta, & univocè eadem, ac in novo Teſtamento?

NOTANDUM 2. Adoptionem perfectam differre ab adoptione imperfecta in tribua. Nam per adoptionem perfectam 1. adoptatus actualiter tranſit in poteſtatem & familiam adoptantis. 2. Per eam fit hæres neceſſarius adoptantia, & ſuccedit in omnia illius jura & bona. 3. Aſſumit actualiter nomen, inſignia, veſtium formam, & prærogativas quasvis alias adoptantis. Hæc omnia verò deficiunt in adoptione imperfecta, prout patet ex utroque Jure. Quamvis enim etiam adoptatus adoptione imperfecta ſuccedat ab inteſtato, non tamen habet jus actuale ad hæreditatem, ſed poteſt in Teſtamento præteriri, niſi intervenerit aliud ſpeciale pactum. Dum ergo quæritur, utrum in V. T. collata fuerit gratia adoptionis perfectæ, nil aliud quæritur, quàm hoc; utrum juſti illorum temporum jam tunc ſic tranſierint in poteſtatem Dei, ut fuerint domeſtici, familiares, ac filii Dei, inſigniti Stola filiorum Dei, & actualea hæredes Dei, ac cohæredes Chriſti; non ſolùm deſignatione, ſed etiam actuali ſubarrhatione, vel inveſtione?

NOTANDUM 3. Gratiam ſanctificantem in novo Teſtamento habere diverſas proprietates eſſentiales ſecum identificatas, quarum ſi unica deſit, non erit ejusdem naturæ univocæ. Proprietates Gratiæ ſanctificantis in N. T. ſunt. 1. Quod faciat ac denominet dilectum à Deo. 2. Quod ſit ſpeciale ornamentum animæ, & propria veſtia filiorum Dei. 3. Quod ſimul ſecum afferat & animæ conferat omnea habitus infuſos virtutum ſupernaturales. 4. Quod ſit principium merendi vitam æternam, tanquam ſignificativum omnium actuum bonorum. 5. Quod tribuat homini poteſtatem & moralem poſſibilitatem ſervandi totam legem, in quantum non ſolùm tribuit jus ad copioſas gratias actuales, ſed etiam per modum cauſæ movet, incitat, & determinat ad varios actus virtutum. 6. Quod ſit arrha proximè poſt mortem ſecuturæ in ſufficienter purgatia gloriæ. Dum ergo quæritur, an gratia ſancti-

ficans in V. T. fuerit univocè eadem, nil aliud quæritur, niſi hoc; utrum illa gratia in V. T. habuerit ſecum identificatas has proprietatea, ſeu perfectiones partim abſolutas, partim relativas.

His prænotatia

DICO. Gratia adoptionis, & Gratia ſanctificana non fuit tam perfecta in V. T., ac ea, quæ confertur in N. T., nec convenit cum hac univocè.

PROBATUR I. Scriptura conſtanter facit oppoſitionem inter N. & V. T., quod in Novo ſimus actnaliter adoptati in filios Dei. Ergo hoc ad minimum eruitur, quod in V. T. nondum extiterit adoptio ſeu filiatio perfecta, qualis reperitur in N. T. *Ant. prob.* ab inductione textuum. Sic in Evangelio Joannis C. 1. v. 12. tanquam primarium donum Salvatoris extollitur filiatio: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri.* IDEM in 1. Epiſt. C. 3. ſcribit: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater* (in N. T.) *ut filii Dei nominemur & ſimus.* APOSTOLUS ad Rom. 8. v. 15. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro; quod ſumus filii Dei, ſi autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti.* IDEM l. c. *Non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Nos ipſi gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* IDEM ad Gal. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filii Dei, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda, clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius; quod ſi filius, & hæres per Deum.* IDEM ad Gal. 4. *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Hæc ſunt duo Teſtamenta, unum in ſervitutem generans, quæ eſt Agar, & ſervit cum filiis ſuis; Illa autem libera eſt,* (Eccleſia N. T.), *quæ eſt mater noſtra. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Ex his omnibus colligitur, perfectam adoptionem in ſtatum filiorum Dei ſoli Novo Teſtamento reſervatam eſſe.

PROBATUR 2. Scriptura ſæpius facit oppoſitionem inter vilem conditionem V. T., & inter nobilem ſtatum N. T.; in illo ponit conditionem ſervi, & ſtatum peccati; in iſto collocat ſtatum amici, domeſtici, fratris, filii, & ſtatum gratiæ; in illo altum de ornamentis internis ſponſæ ſilenitum, in iſto celebrantur interna decora ſponſæ. Ergo alia eſt gratia ſanctificationis in V. T., quàm in N. T. Textus ſunt ſequentes: Chriſtus Joan. 15. v. 15. dicit: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos.* Et Apoſtolus ad Epheſ. 2. v. 19. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum & domeſtici Dei.* De ornamento autem interno Eccleſiæ N. T. in Iſaia C. 61. v. 10. dicitur: *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.*

PROBATUR 3. In Scriptura ſæpius dicitur, in V. T. nihil extitiſſe perfectum. Ergo nec perfecta fuit adoptio, nec perfecta gratia ſanctificans. *Ant. prob.* Ad Hebr. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum nunquam poteſt accedentes perfectos facere.* Et ibidem C. 9. v. 11. *Non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem.* Ibidem C. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Etiamſi in V. T. non juſtificaverit lex, vel ſacramenta, juſtificabat tamen fides in Chri-

ſtum,

ftum. Ergo etiam fimilis erat effectus juftificationis per Chriftum.

Respondeo. c. ant. d. C. Ergo erat fimilis effectus juftificationis quoad fubftantiam. c. quoad omnes proprietates. n. Subftantia juftificationis confiftebat in gratia fanctificante infufa, intrinfecè fupernaturali, quatenus erat remiffiva peccati originalis & actualis, ficque denominabat hominem reconciliatum Deo, fervum Dei, gratum Deo, amicum Dei latè dictum, & filium Dei, fic dictum titulo fpecialis gubernationis paternæ, & adoptatum adoptione communi per defignationem in futurum aliquando hæredem regni. Cæterùm quod illa gratia fanctificans fimul habuerit *proprietatem* elegantiffimi *veftimenti filiorum Dei* actualiter translatorum in familiam adoptantis, *arrha* ad proximam gloriam, *caufa fœcunda* omnis generis virtutum & gratiarum, non probatur fufficienter, fed potius oppofitum ex fupra adductis textibus. Certè Patres paffim docent, gratiam juftificationis, quæ confertur in N. T., effe perfectiorem illa Veteri. D. Chrysostomus Hom. 14. in Epift. ad Hebr. oftenfurus differentiam gratiæ facramentalis in Baptifmo à gratia veterum dicit: *Nonne advenit Spiritus Sanctus, quando fiunt filii per lavacrum; quando funt cives, qui funt in cœlis? Nonne funt hæc cœleftia?* Et S. Irenaeus l. 4. C. 11. *Pofterioribus majorem, quàm quæ fuit in Veteri Teftamento, munerationem gratia attribuit.* Et C. 35. *Majorem dedit gratiam per fuum adventum his, qui faciunt ejus voluntatem. — Majorem donationem paternæ gratia per fuum genus effudit in humanum genus.* Hinc etiam Magister Sententiarum in quarto Sent. dift. 1. §. *quare* fcribit: *Ideo mutata eft Circumcifio per Baptifmum, quia Sacramentum Baptifmi communius eft & perfectius, quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata folùm dimittebantur, fed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum poffeffio vel augmentum ibi præftabatur, ut in Baptifmo, ubi non tantummodo abolentur peccata, fed etiam gratia adjutrix confertur, & virtutes augentur. Quin quantumcunque per fidem & charitatem ante habitam aliquis juftus ad Baptifmum accedit, uberiorem ibi recipit gratiam; fed non ita in circumcifione. Unde Abraha per fidem jam juftificato fignaculum tantum fuit, nihil ei intus obtulit.* Ubi advertendum, quod Magifter Sententiarum in hoc textu non neget, fed potius fupponat, in juftificatis per fidem & charitatem ante circumcifionem dari interiorem gratiam fanctificantem, ficut eam non negat, fed fupponit in juftificatis ante Baptifmum. Itaque folùm negat, in V. T. per circumcifionem fuiffe collatum illum exceffum perfectionis gratiæ, qui confertur in N. T. Hujus fententiæ fe etiam fatetur fuiffe D. Thomas, quamvis eatenus, quod gratia V. T. non fufficerit ad reprimendam concupifcentiam, & mandata legis implenda, feipfum *tertia parte* quæft. 61. a. 6. ad 3. & q. 70. a. 4. C. corrigat his verbis in pofteriore loco: *Alii dixerunt, quod gratia in circumcifione conferebatur etiam quantum ad aliquem effectum pofitivum, qui eft facere dignum vita æterna, fed non quantum ad omnes effectus, quia non fufficiebat ad reprimendum concupifcentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis. Quod etiam aliquando mihi vifum eft. Sed diligenter confideranti apparet, hoc non effe verum, quia minima gratia poteft refiftere cuicunque concupifcentiæ, & vitare omne peccatum mortale; minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti. Et ideo dicendum eft, quod in circumcifione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen, quàm in Baptifmo; nam quia Baptifmus operatur inftrumentaliter in virtute paffionis Chrifti, non autem circumcifio, ideo Baptifmus imprimit characterem incorporantem hominem Chrifto; & copiofiorem gratiam confert, quàm circumcifio: major enim eft effectus rei jam præfentis, quàm fpei.* Ita D. Thomas, non obfcurè infinuans; quod, licet gratia fanctificans in V. T. fuerit *gratia fufficiens* ad refiftendum concupifcentiis & fervanda mandata, gratia tamen fanctificans in N. T. fit intrinfecè magis efficax, contineatque majorem vim ac caufalitatem intrinfecam. Idem non obfcurè infinuat, jus illud vetus ad vitam æternam fuiffe tantùm *jus fpei*, feu remotum, adeoque adoptionem illam veterum fuiffe tantùm imperfectam, in qua homo necdum incorporabatur Chrifto, ac proin necdum tranfibat in familiam adoptantis, nec habebat fubarrhationem ac veftimentum filiorum Dei.

Objicitur 2. A Clemente XI. damnata eft hæc propofitio 65. Quesnelli: *Moyfes, Propheta, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui funt abfque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nifi mancipia per timorem.* Ergo jam in V. T. dabatur vera filiatio & adoptio filiorum.

Respondeo. dift. damnata eft hæc propofitio in eo fenfu, quod Vetus Teftamentum nullum dederit Deo filium per adoptionem etiam imperfectam, & per actum ac habitum charitatis perfectæ dignificatum per gratiam fanctificantem congruentem illi ftatui veterum, c. in eo fenfu, quod Vetus Teftamentum nullum dederit filium per adoptionem perfectam, & per gratiam fanctificantem æque perfectam, ac in N. T. n. Conftat ex P. Fontana, Quefnelum negaffe actus perfectæ charitatis in Sanctis V. T., quod planè erroneum eft.

Objicitur 3. D. Paulus ad Rom. 8. v. 14. dicit: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii funt filii Dei.* Sed etiam in V. T. jufti agebantur Spiritu Dei. Ergo dabantur veri adoptivi filii Dei. 2. D. Athanasius Orat. 5. adverfus Arianos, hunc ipfum textum Apoftoli explicans fcribit: *Unus idemque Spiritus eft, & qui tunc, & qui nunc fanctificat, & confolatur eos, qui ipfum recipiunt. Quemadmodum unum & idem Verbum, & idem filius, qui etiam tum ad jus filiorum, adoptionemque promovebat dignos. Erant enim & in V. T. filii, non per alium, quàm per filium adoptati.*

Respondeo. dift. ii funt filii Dei, filiatione & adoptione proportionata perfectioni aut imperfectioni communicationum Spiritus Sancti in V. T. & in N. T. c. non proportionata. n. Certum eft ex Scriptura, inæqualem effe communicationem Spiritus Sancti in V. & N. T. Itaque etiam diverfa eft motio feu actio Spiritus Sancti, & confequenter etiam *filiatio* & *adoptio* illi communicationi diftributionum Spiritus Sancti correfpondens diverfa eft. De hac diverfa communicatione Spiritus Sancti per adoptionem ad Vetus Teftamentum D. Paulus 2. Cor. 1. v. 22. fcribit: *Qui unxit nos, & fignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noftris.* Et C. 5. v. 2. & 5. *Ingemifcimus, habitationem, quæ de cœlo eft, fuperinduì cupientes; fi tamen veftiti, & non nudi inveniamur*, (nempe vefte nuptiali filiorum Dei). *Qui efficit nos* (veftitos) *in hoc ipfum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.* Et ad Ephef. 1. v. 13. *In quo credentes fignati eftis Spiritu promiffionis Sancto, qui eft pignus hæreditatis noftræ.* Et ad Rom. 5. *Juftificati ex fide per D. N. Jefum Chriftum, per quem habemus acceffum in gratiam iftam, in qua ftamus, & gloriamur in fpe gloriæ filiorum Dei. — Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffufa eft in cordibus noftris per Spiritum Sanctum, qui datus eft nobis.* Hoc *pignus*, hæc *unctio*, hæc *fignatio*, hæc *veftitio*, hæc *pleniffima diffufio*, propria eft communicationi Spiritus, & adoptioni perfectæ in N. T., non Veteri Teftamento.

Objicitur 4. Deus in V. T. eandem fanctitatem requirit à fuo populo. Ergo etiam tribuit eandem gratiam fanctificantem. *Ant. prob.* Levit. 11. & 19. dicit: *Sancti eritis, ficut & ego fanctus fum.* Et Exod. 19. *Eritis mihi gens fancta.* Et Exod. 2. *Viri fancti eritis mihi.*

Respondeo. dift. requirit eandem fanctitatem operum, quæ dependet ex libero arbitrio obedientis. c. eandem fanctitatem donorum, quæ folùm dependet ex mera liberalitate præcipientis. n. In hoc textu Deus tendit modo præceptivo. Itaque cum fanctitatem præcipiat, neceffariò textus eft intelligendus de fanctitate illa, quæ directè poteft effe objectum legis præceptivæ, nempe de fanctitate operum, quæ confiftit in exacta obfervantia mandatorum Dei. In aliis tamen textibus, ubi Deus dicitur fanctificare, & tribuere fanctitatem, haud dubiè fermo eft de fanctitate infufa, quæ habetur per gratiam fanctificantem intrinfecè fupernaturalem. Quodfi quis exiftimet, etiam in his adductis textibus fermonem effe de fanctitate, quam Deus tribuit ac promittit, in hac expofitione diftinguendum erit; tribuit & promittit eandem fanctitatem quoad fpeciem fubalternam, in quantum gratum facit Deo. c. infimam, in quantum fub his vel illis proprietatibus effentialibus gratum facit Deo. n. Omitto plures alias Objectiones, quia ex datis refponfis fufficienter folvi poffunt.

DISPUTATIO II.

De Materia, Forma, & aliis partibus constitutivis Sacramentorum.

In hanc Disputationem veniunt sequentes Quæstiones:

1. An omnia Sacramenta Novi Testamenti constent materia, & forma?
2. An Christus materiam & formam Sacramentorum determinaverit quoad speciem infimam?
3. Quænam mutatio materiæ vel formæ obsit valori Sacramentorum?
4. An intentio Ministri, & voluntas Christi instituentis sint pars constitutiva Sacramentorum?
5. Qualis intentio Ministri sufficiat ad valorem Sacramentorum? An sufficiat intentio materialis? Et qualis error Ministri obstet valori Sacramenti?
6. An valeat forma conditionata in Sacramentis?

QUÆSTIO I.

An omnia Sacramenta Novi Testamenti constent Materia & Forma?

NOTANDUM 1. *Per materiam* Sacramentorum intelligi *res vel actiones ipsas* in Sacramentis adhiberi solitas; v. g. in Baptismo aquam, in Confirmatione Oleum Chrismatis, in Eucharistia Panem & Vinum, in Pœnitentia dolorem signo externo expressum, & confessionem cum proposito satisfaciendi pariter per signum externum expresso, in extrema Unctione oleum, in Ordinatione impositionem manuum super caput ordinandi, vel externa instrumenta, quorum traditione confertur potestas, in Matrimonio externus contractus contrahentium de se civilis, vel ut alii volunt, ipsa corpora contrahentium. *Per formam* autem intelliguntur illa verba, quæ à Ministro pronuntiantur in collatione Sacramenti. Sic in Baptismo illa verba: *Ego te baptizo &c.* in Confirmatione illa verba: *Ego te inungo &c.* in Sacramento pœnitentiæ illa verba: *Ego te absolvo &c.* dicuntur forma Sacramenti.

NOTANDUM 2. A Recentioribus Theologis materiam Sacramentorum dividi in materiam *proximam* & *remotam*. Ipsam autem materiam remotam dividunt ulterius *in materiam circa quam*, & *in materiam ex qua*. MATERIA PROXIMA vocatur ipsa actualis applicatio materiæ remotæ, v. g. aquæ, chrismatis, olei &c. MATERIA autem REMOTA dicitur illa res, quæ applicatur in administratione Sacramenti v. g. ipsa aqua, chrisma, oleum, instrumenta ordinum. MATERIA CIRCA QUAM vocatur objectum, circa quod versantur actiones Sacramentales in pœnitentia, nempe contritio, confessio & satisfactio. Materia illa *circa quam* sunt peccata pœnitentis, *de quibus* dolet, *quæ* confitetur, *pro quibus* satisfacit. Sed MATERIA EX QUA sunt ipsi actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio, puta in proposito.

NOTANDUM 3. Hos terminos, *materia Sacramenti*, *forma Sacramenti*, non esse usitatos in Ecclesia primis X. Sæculis; illis enim temporibus id, quod nunc vocatur *materia Sacramenti*, vocabatur *signum*, *res*: & quod vocatur *forma Sacramenti*, vocabatur *verbum* seu *verba*. Et quando utrumque simul, nempe materia & forma comparabatur ad effectum Sacramentorum, illud complexum vocabant *Sacramentum*, effectum autem vocabant *Rem Sacramenti*. Juenin de Sacramentis dissert. 1. Q. 3. c. 1. existimat, hos terminos: *Materia & forma Sacramentorum*: prima vice usurpatos fuisse à Guilielmo Antisiodorensi circa annum 1215., saltem in eo sensu, in quo illi termini nunc adhibentur in Scholis. Multò autem Recentiores sunt hi termini: *Materia proxima*, *& materia remota* Sacramentorum; vix enim ante ducentos annos reperiebatur Theologus, qui usus sit terminô *materiæ proximæ*, per eam intelligendo ipsam *ablutionem*, ipsam *inunctionem*, ipsam *traditionem* instrumentorum Ordinis &c.

DICO: Omnia Sacramenta N. T. constant materia & forma.

PROBATUR. Omnia Sacramenta N. T. constant rebus & verbis. Ergo etiam constant materia & forma. *Ant. patet* ex *Not.* 1. & ex Q. 3. disp. 1. *c. prob.* Ecclesiæ placuit eum modum loquendi adoptare, ut per res nominet materiam, & verba formam. Ergo. *a prob.* ex Concilio Florentino, & Tridentino. Florentinum in Decreto unionis sic habet: „Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum." Tridentinum verò Sess. 14. c. 3. sic ait: „Docet S. Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in illis verbis positam esse; Ego te absolvo &c. sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenùs ad integritatem Sacramenti requiruntur, hac ratione Sacramenti partes dicuntur." Idem Sess. 5. *in Decreto de Peccato Originali* facit mentionem de *forma* Baptismi, per quam intelligit verba baptizantis.

PROBATUR 2. Ex illo textu S. Augustini Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

PROBATUR 3. Ratione D. Thomæ p. 3. Q. 60. a. 6. Illud se habet per modum materiæ, quod de se est indifferens, & determinabile ad plures species; illud verò se habet per modum formæ, quod ratione sui rem indifferentem determi-

terminat ad aliquam speciem. Sed res in Sacramentis sunt aliquid indifferens & determinabile ad varios usus humanos; verba autem determinant, ad quales usus hic & nunc adhibeatur talis materia. Ergo in Sacramentis res se habent per modum materiæ, & verba per modum formæ. *Min. patet*; quia v. g. aqua potest adhiberi ad varias cæremonias etiam politicas, vel ad usus artium & scientiarum, vel ad superstitiosos ritus; verba autem significant, ac determinant, ad quem determinatè usum ac ritum adhibeatur; idque omnium *aptissimè*; quia licèt etiam ex circumstantiis intelligi possit finis actionis humanæ, nullo tamen signo tam opportuno illud ostenditur, quàm verbis, quæ D. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c. 3. meritò docet, *principatum tenere inter signa*.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Terminus *formæ*, utique relativus ad *materiam*, jam fuit in usu tempore D. Augustini. Ergo ea, quæ dicuntur *Not.* 3. de antiquitate non adeò magna horum terminorum, non subsistunt. *Ant. prob.* S. AUGUSTINUS l. de peccat. merit. c. 34. scribit: *Quid de ipsa Sacramentorum forma loquar?* 2. Etiam CONCIL. MILEVIT. cui S. Augustinus interfuit, ait: Si parvuli non contraxerunt peccatum originale, prout volunt Pelagiani, *fit consequens, ut in eis forma baptismatis in Remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur.* 3. TERTULLIANUS de *Baptismo*. c. 13. dicit: *Lex tingendi Apostolis posita est, & forma præscripta illis verbis: Docete nationes, tingentes eas &c.* Ergo.

RESPONDEO dist. Fuit in usu in alio sensu, prout exprimit *modum* & *ordinem* cæremoniarum, quæ adhibentur in Sacramentis. c. in moderno sensu, prout exprimit verba essentialia Sacramentorum. n. Quod D. Augustinus & Concilium Milevit. tantùm loquantur de cæremoniis non essentialibus, in Baptismo adhiberi solitis, patet legenti totum contextum. Loquuntur enim *de Exorcismo* in Baptismo super parvulos adhiberi solito, in quo expellitur diabolus ex parvulo. Dicunt ergo, hanc formam seu cæremoniam Baptismi fore falsam, si diabolus non haberet potestatem in parvulos. Nunc autem per formam Sacramentorum intelliguntur verba essentialia Sacramentorum. Tertullianus etiam non verba Baptismi vocat formam, sed cæremoniam tingendi; non enim asserit, Apostolis præscriptam formam verborum, sed formam rerum, & cæremoniarum, nempe formam tingendi: ex quo ad 3. patet Responsio.

OBJICITUR 2. Sacramenta antiquæ Legis non constabant verbis tanquam forma. Ergo neque id requiritur in Sacramentis N. T. *Ant. prob.* Non legitur, quòd in Circumcisione vel Sacrificiis adhiberi consueverint determinata verba.

2. Sacramentum pœnitentiæ juxta Scotistas consistit in solis verbis absolutionis. Ergo non omnia Sacramenta constant rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.

3. Matrimonium ad sui valorem nón necessariò requirit verba. Ergo. *ad prob.* matrimonium potest iniri per mutuum consensum contrahentium, solis factis, signis, scriptura, vel etiam solo silentio expressum.

RESPONDEO tr. a. n. & parit. Disparitas est; quia sic placuit Christo, ut actiones sacramentales ad determinatos fines & usus ordinentur per signa verborum, tanquam omnium perfectissima in genere signi, utpote minus subjecta dubiæ expositioni, aut controversiis. Id verò constat ex perpetua praxi & traditione Ecclesiæ.

Ad 2. dist. Consistit in solis verbis Absolutionis, ita tamen, ut in ipsis verbis reperiatur aliquid materiale, & aliquid formale. c. ita ut in iis reperiatur solum formale sine materiali. n. Ipsimet Scotistæ in verbis Absolutionis reperiunt aliquid materiale, & aliquid formale. Pro materiali potest assignari ipse sonus verborum, qui cùm non habeat determinatam significationem à natura, est indifferens per modum materiæ ad quamcunque significationem, ex institutione hominum accipiendam: itaque significatio, quam habent ex institutione hominum, erit eorum formale. Imò totum concretum ex ejusmodi materiali & formali erit denuò indifferens ad significationem sacramentalem, seu Absolutionem internam à peccatis quoad reatum satisfactionis rigorosæ, quam significationem illa verba habent ex institutione Christi. Et consequenter etiam juxta Scotistas in hoc Sacramento reperitur materia & forma Sacramentorum.

Ad 3. dist. Matrimonium in ratione contractus civilis non requirit verba. c. in ratione Sacramenti. *subd.* matrimonium non requirit verba in ratione Sacramenti imperfecti. c. in ratione Sacramenti perfecti. n. Suppono ex Tract. de Matrim. quòd solus Sacerdos sit Minister Sacramenti Matrimonii; & quòd Matrimonium sine benedictione nuptiali tantùm habeat rationem contractus civilis cum ratione Sacramenti imperfecti. Sacramentum imperfectum voco, quod solùm habet significationem spiritualem, non tamen habet vim collativam gratiæ ex opere operato; dico enim ejusmodi Matrimonium sine benedictione Ecclesiæ per contractum materialem initum significare quidem unionem Christi cum Ecclesia, non tamen habere vim collativam gratiæ, donec suppleatur forma sacramentalis per preces & benedictionem Ecclesiæ, quod saltem implicitè fit, quando infideles per Baptismum ad Sacramenta Ecclesiæ recipiuntur, vel quando hæretici per admissionem in sinum Ecclesiæ Sacramentis Ecclesiæ restituuntur.

OBJICITUR 3. Sacramenta sunt aliquod totum artificiale, seu morale, cujus tota natura habetur ex voluntate instituentis. Ergo cum forma dicat radicem & principium omnium proprietatum in toto composito reperibilium, pro forma Sacramentorum potius assignari debet ipsa institutio seu voluntas instituentis.

2. Verba in Sacramentis adhiberi solita non sunt minus indifferentia ad alium finem, seu usum non sacramentalem, quàm sunt indifferentes ipsæ res. Ergo non est ratio, cur verba dicantur potius

tiùs forma quàm materia respectu circumstantiarum illum ritum ad significationem spiritualem sacramentalem determinantium. *Ant. prob.* Possunt verba Baptismi etiam adhiberi ad significandam ablutionem medicam, vel civilem v. g. per cerevisiam, vinum, lixivium, balneum &c.

3. In Sacramento pœnitentiæ satisfactio primùm supervenit post Absolutionem per modum partis integralis. Ergo non rectè allegatur pro exemplo rei per modum materiæ constituentis Sacramentum.

Respondeo dist. Dependet ex voluntate instituentis tanquam à causa extrinseca, effectiva rei. c. tanquam à causa intrinseca, constitutiva rei. n. ipsa voluntas Christi debet habere pro objecto aliquod totum morale, quod instituitur, & quod habeat vim, ex opere operato collativam gratiæ. Illud autem totum necessariò habet partes, quarum una se habeat per modum materiæ indifferentis, alterum per modum formæ determinantis, qua habita causa effectiva, seu intentio Christi instituentis quiescit.

Ad 2. n. a. Nam quando intenditur finis medicus, politicus, œconomicus &c. non necessariò, nec utiliter adhibentur verba; ad quid enim serviret, si medicus vel balneator diceret: ego te abluo: ego te inungo &c.? Econtra in Sacramentis verba in sensu *adscititio* seu *secundario*, quem habent partialiter ex circumstantiis quoad determinationem æquivocationis, significant præter actionem externam etiam actionem internam, & eatenus non sunt indifferentia ad varium usum seu finem. Itaque verba quoad substantiam significationis, quam habent ex beneplacito hominum, non connaturaliter ordinantur ad actionem externam per se manifestam significandam; & quoad significationem, quam habent ex institutione Christi, nihil novæ significationis accipiunt ex circumstantiis, sed inter varias significationes, quas verba partim ex beneplacito hominum, partim ex institutione Christi obtinent, ostenditur à circumstantiis, quænam ab operante intendatur in hoc vel illo particulari casu, sicut circumstantiæ individuantes in materia v. g. in corpore Petri & Pauli ostendunt, ad quod individuum sit determinata anima Petri vel Pauli à sua causa effectiva, nempe à Deo, licet anima per hoc nec incipiat *in se* determinationem, aut formalitatem materiæ.

Ad 3. dist. Satisfactio in re præsupponit Absolutionem. c. satisfactio in voto. n. quando dicitur, quod contritio, confessio, & satisfactio sint partes & quasi materia pœnitentiæ, tantùm est sermo de satisfactione in voto, seu de seria promissione satisfactionis impositæ à Confessario. Satisfactio enim in re est tantùm pars integralis.

Objicitur 4. Partes Sacramentorum non semper habent sufficientem unionem. Ergo non se habent per modum materiæ & formæ. *c. patet*; quia materia & forma debent uniri inter se. *Ant. prob.* In Sacramento pœnitentiæ contritio aliquando præcedit Absolutionem integra hora; & in Sacramento Matrimonii consensus unius ad consensum alterius aliquando subsequitur primùm post mensem.

2. Verba consecrationis assignantur communiter pro forma Eucharistiæ, & tamen non sunt pars illius. Ergo non est verum, quòd omnia Sacramenta Novi Testamenti constent materia & forma. *Ad prob.* Sacramentum Eucharistiæ manet, verba autem consecrationis non manent, sed transeunt.

Respondeo dist. Partes Sacramentorum non semper habent sufficientem unionem physicam. c. moralem. n. in *toto*, seu *composito morali* sufficit *unio moralis*, quæ potest dari, etsi partes Sacramentorum inter se differant, ac distent physicè, prout patet in hoc toto, quod est *annus, dies, Respublica, Ordo Religiosus &c.*

Ad 2. dist. Verba consecrationis assignantur pro forma Eucharistiæ in fieri. c. Eucharistiæ *in facto esse*. n. Alia enim est materia Eucharistiæ *in fieri*, & alia Eucharistiæ *in facto esse*, prout dicetur in Tract. de Eucharistia. Itaque materia Eucharistiæ *in fieri* est panis & vinum; forma autem sunt verba Consecrationis. Sed Eucharistiæ *in facto esse* materia sunt species panis & vini cum suo contento, nempe cum Corpore & Sanguine Christi; forma autem consistit in virtute physica Corporis & Sanguinis Christi effectiva gratiæ. Quando autem in Conclusione dicitur, quod omnia Sacramenta constent materia & forma, sermo tantùm est de Sacramentis *in fieri*, non de Sacramentis permanentibus *in facto esse*. Hinc

Respondeo 2. c. a. dist. c. Ergo non est verum, quod Sacramenta in facto esse constent materia & forma. c. in fieri. n.

QUÆSTIO II.

An Christus materiam & formam Sacramentorum determinaverit quoad speciem infimam?

Notandum 1. Quæstionem versari in eo, an Christus ad valorem Sacramentorum determinaverit determinatam speciem materiæ, & determinatam phrasin verborum in forma, v. g. utrum in Baptismo determinaverit determinatum liquorem, v. g. aquam, & quidem naturalem potiùs, quàm artificiosam: v. g. cerevisiam, mustum, aquam rosaceam, spiritum vini, seu *aquam vitæ*, ùt vocant? Similiter quæritur, an pro Confirmatione determinaverit determinatam speciem olei, nempe mixtum cum balsamo, seu chrysma? An in Eucharistia determinaverit determinatam speciem panis, v. g. tritticei, hordeacei, siliginei, speltacei; & determinatam speciem vini ex uvis naturalibus vel passis?

Notandum 2. Certum esse, quòd Christus determinaverit materiam & formam Sacramentorum saltem *in genere*; certum enim est, quòd Christus omnia Sacramenta instituerit, prout definitur in Trident. Sess. 7. Institui autem non possunt à Christo, nisi ipsemet *certo generi* actionum humanarum, aut rerum conjungat promissionem gratiæ.

Notandum 3. A Tournelio rectè distingui inter eam materiam Sacramentorum, quæ consistit *in re quadam*, seu *substantia physica*, qua-

lis est aqua Baptismi, oleum in Confirmatione, panis & vinum in Eucharistia; & eam, quæ consistit in *actione quadam morali*, quales sunt actus pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ, consensus mutuus in Sacramento Matrimonii. Istud autem, ut loquitur Tournelius, discriminis observant Theologi inter materiam Sacramenti physicam & moralem, quod physica nullatenus pendeat à Legibus Ecclesiæ, ut rata sit, ac verum efficiat Sacramentum: econtra materia his legibus subjaceat, ita ut si illæ observatæ non fuerint, nullum & irritum fit Sacramentum. v. g. per Decretum Concilii Trident. matrimonia clandestina, quæ priùs agnoscebantur pro validis, facta sunt irrita, eo quòd materia hujus Sacramenti sit contractus civilis dependens à dispositione Legum. Idem extendi potest ad materiam Sacramentorum, quæ consistunt vel in collatione alicujus potestatis, prout fit in ordinatione, vel in actu judiciali, prout fit in Sacramento pœnitentiæ, vel ad formas Sacramentorum, quæ haud dubiè consistunt in actione humana habente vim significandi ex beneplacito hominum.

NOTANDUM 4. Duas esse hac in re sententias. Una descendit, quorumdam Sacramentorum materiam & formam non esse determinatam à Christo in specie infima. Hæc sententia est communis Theologorum. Altera verò sententia vult, materiam & formam omnium Sacramentorum fuisse à Christo determinatam quoad speciem infimam. Tournelius referens has duas sententias dicit: *utraque sententia habet* suos Catholicos Defensores, utramque probabilem judicamus.

DICO I. Materia Sacramentorum physica fuit determinata à Christo quoad speciem infimam.

PROBATUR. Ecclesia non reperitur variasse unquam quoad materiam physicam Sacramentorum. Ergo præsumendum est, eam fuisse determinatam à Christo quoad speciem infimam. *ad prob.* negativè; quia nulla talis variatio potest ostendi, prout patebit ex Sol. Obj.

DICO II. Materia Sacramentorum moralis non fuit determinata à Christo quoad speciem infimam.

PROBATUR. Materia moralis Sacramentorum vocatur pura actio humana, ex suo genere in negotiis humanis usitata, à Christo in materiam Sacramentalem adoptata. Sed talis actio humana non fuit determinata à Christo quoad speciem infimam. Ergo. *Min. prob.* Constat ex Documentis Ecclesiasticis, Ecclesiam circa ejusmodi actiones variasse, ita ut quæ priùs fuerat valida Sacramenti, cœperit per determinationem Ecclesiæ fieri invalida, & quæ in Ecclesia Orientali habetur pro valida, in Ecclesia Occidentali habeatur pro invalida. ergo. *ad prob.* ab inductione trium Sacramentorum, in quibus pro materia ponitur ejusmodi actio humana. Nam 1. materia Matrimonii est contractus civilis ad individuam vitæ Societatem, & tamen illi contractus, qui aliquando ob varia impedimenta erant invalidi v. g. in Gradu V. consanguinitatis, vel in Gradu III. affinitatis ex copula illicita, nunc sunt validi; econtra illi contractus, qui priùs erant validi, v. g. matrimonia clandestina, nunc sunt invalida præcise ob determinationem Ecclesiæ.

2. In Ordinum collatione, ubi intervenit actio humana collativa novæ potestatis & dignitatis, pro materia adhibetur traditio quorumdam Instrumentorum, sicut fieri solet in inauguratione Doctorum, Nobilium, Equitum, Artificum, Magistratuum &c. Et tamen in Ecclesia Latina pro materia ad valorem requisita habetur communiter traditio instrumentorum per attactum physicum, in Ecclesia autem Græca pro materia ad valorem sufficiente habetur sola ostensio Instrumentorum.

3. In Sacramento pœnitentiæ, quod in forma judicii institutum est, pro materia inter alios actus pœnitentis est confessio. Hæc verò quantum ex traditione constat, & in Tract. *de Pœnitentia.* ac *in Demonstr. Crit. Relig. Catholicæ.* part. 2 ostendo, quoad speciem infimam videtur fuisse varia juxta diversam determinationem Ecclesiæ pro diversa congruentia personarum, locorum, circumstantiarum, & temporum, saltem in Ecclesia Orientali. Nam licèt jure divino, saltem in actu primo, ad perfectam & exactam judicii formam requiratur expressio peccatorum quoad omnes species infimas, & quoad numerum exactitudine specifica infima, imò etiam peccatorum dubiorum, & circumstantiarum aggravantium, si ita exigat Ecclesia, videtur tamen aliquando in exprimendis ejusmodi speciebus ac differentiis peccatorum actum esse solo judicio summario. Idem de confessione per epistolam videri posset, quæ fortè aliquando pro sufficiente & valida est tolerata ab Ecclesia. Certè etiam in hoc Sacramento Ecclesiæ à Christo relictam fuisse potestatem determinandi materiam in specie infima: Docet HALLERIUS in præclaro opere *de Ordinationibus*, recuso Romæ anno 1739. cùm enim Christus dixerit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. v. 23. eoipso discretioni, prudentiæ, & arbitrio Ecclesiæ reliquit, quas conditiones congruenter ad naturam prudentis judicii, & qualem confessionem, & quousque exactam, exigere velit ad condonandam peccatorum generalem veniam.

PROBATUR 2: Juxta D. Thomam, & S. Bonaventuram initio Ecclesiæ tantùm erant tres ordines: Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus; quorum ultimus per Ecclesiam in quinque inferiores ordines, nempe in Subdiaconatum, Ostiariatum, Acolythatum, Lectoratum, & Exorcistatum divisus est. Ergo necessario fuit ab Ecclesia determinata materia & forma horum ordinum quoad speciem infimam. *Ant. prob.* D. THOMAS in c. 3. Ep. 1. ad Timoth. sic scribit: „ In primitiva Ecclesia erant solum tres ordines, „ ut dicit Dionysius, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum (in Græco textu „ Dionysii habetur: Diaconorum) & non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant „ in uno ordine (nempe Diaconatus) propter „ paucitatem Ministrorum, & propter novitatem „ Ecclesiæ. *Idem in* 4. *dist.* 24. *Q.* 2. *a.* 2. *ait*: „ In

„ In primitiva Ecclesia propter paucitatem Mini-„ strorum omnia inferiora Ministeria Diaconis „ committebantur, ùt patet per Dionysium. „ Nihilominùs erant omnes prædictæ potestates, „ sed implicitè in una Diaconi potestate. Sed „ postea ampliatus est cultus divinus: & Eccle-„ sia, quod habebat implicitè in uno ordine, ex-„ plicitè tradidit diversis.

Sic & D. BONAVENTURA in 4. dist. 24. a. 2. Q. 1. ait: „Fuerunt (præter tres superiores „ ordines) & alii ordines, sed implicitè daban-„ tur in impositione manuum. Ratio autem, „ quare non distinguebantur, erat propter pau-„ citatem ministrantium, & propter paucitatem „ fidelium, & ideo oportebat, omnia officia da-„ rentur uni.

Ex his textibus sequitur, quòd Ecclesia ministerium Diaconi diviserit, & novas materias ac formas pro his inferioribus ordinibus determinaverit. Neque enim verosimile est, Christum determinasse materias & formas pro his inferioribus Ordinibus, primum Sæculo II. aut III. vel IV. in Ecclesiis, præsertim Orientalibus introducendis. Si ergo Ecclesia potuit extendere gratiam Sacramentalem Diaconatus ad species & materias ac formas infimas Ministerii sacri, etiam poterit extendere gratiam Sacramentalem aliorum Sacramentorum ad species infimas actionum Sacramentalium, sicut & Verbum in Christo, & anima in homine per extensionem unionis ad novas partes per alimentationem vel accretionem adnatas, incipit vivificare, & animare, ac informare novas partes, quas priùs non informaverat, v. g. dentes, ungues, capillos, oculos &c.

DICO III. Formæ omnium Sacramentorum quoad speciem infimam sunt relictæ determinationi Ecclesiæ.

PROBATUR. Ex traditione & documentis Ecclesiasticis constat, Ecclesiam ita variasse in formis Sacramentorum, ut quæ in Ecclesia Occidentali habetur pro invalida, in Orientali toleretur ut valida: & quæ uno tempore agnoscebatur pro valida, alio tempore habeatur pro invalida. Ergo Ecclesia semper agnovit potestatem determinandi formas Sacramentorum quoad speciem infimam. *Ant. prob.* ab enumeratione. Sic

I. De forma Baptismi est valde probabilis sententia D. Thomæ, quam Eruditissimis P. ORSIUS in l. *de Baptismo.* propugnat, quòd Apostoli initio Ecclesiæ per *œconomiam*, seu *prudentem dispensationem Mysteriorum*, baptizaverint in solo nomine Christi; est etiam probabilis sententia INNOCENTII IV. in III. Decret. *de Baptismo*, ad c. *Si quis puerum.* quòd antiquitùs illo tempore forma Græcorum in Latina Ecclesia habita fuerit pro invalida; sic enim scribit: "Verba „ Baptismi, quæ sunt de substantia formæ, sunt „ hæc: *Baptizo te*; nec esset baptizatus, si quis „ diceret: *Baptizat te Christus*, vel Petrus, vel „ Sacerdos, se demonstrato; vel baptizatur Pe-„ trus à tali. Verumtamen si aliqua Provincia „ esset, quæ nunquam veram formam accepisset, „ & verba dicat, & alia æquipollentia diceret, „ deberent haberi pro baptizatis. *Sed opponas: D. Amort Tract. de Sacramentis in genere.*

„ Quare non idem dicis de una civitate? quæ „ nunquam accepit nostram formam, vel de „ singulis Sacerdotibus? Respondeo; quia ibi est „ justus & probabilis error, & ideo ad illos Con-„ stitutio Ecclesiæ (de hac forma Baptismi) non „ extenditur, nisi ex quo sciverint formam. Et „ sic fuit definitum de Græcis Calabriæ, qui hanc „ formam servarunt. Imò fuit eis concessum, „ ut in futurum baptizarentur secundùm pri-„ mam formam. Sed in aliis non est probabilis „ error, & ideo extenditur ad eos constitutio. „ Et hæc forma ex constitutione Ecclesiæ prædi-„ ctas vires haberet; quod ex eo apparet; quia „ aliquando mutata est hæc forma in Summa *de* „ *Consecr.* dist. 1. *Firmissimè.* & c. *à quodam.*" Ita Innocentius IV. Papa.

CONFIRMATUR. Teste Tournelio *de forma Baptismi* multi inter Scholasticos formam Græcorum sic legunt: *baptizetur*; quæ omnino esset tantùm deprecatoria; quamvis in Euchologio seu Rituali *Goaris* & *Arcudii* forma exprimatur per τῷ *baptizatur.*

II. Circa formam Confirmationis communis quidem sententia cum D. Thoma eam collocat in his verbis Episcopi, dum frontem confirmandi inungit: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrysmate salutis in nomine &c.* Sed *Sirmondus*, *Sanbovius*, *Morinus* l. 8. de Pœnit. c. 16. n. 5. essentialem formam in illa oratione invocatoria Spiritus Sancti constituunt, quam, ùt habetur in Pontificali Romano, Episcopus, dum extendit manus super confirmandos his verbis pronuntiat: „ Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare „ dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiri-„ tu Sancto, quique dedisti eis remissionem „ omnium peccatorum, emitte in eos septifor-„ mem tuum S. Paraclytum de cœlis, & consigna „ eos signo crucis in vitam propitiatus æternam, „ per Dominum &c." Qua oratione expleta tincto in chrysmate pollice, efformat in fronte cujuslibet confirmandi signum crucis, dicens: *signo te &c.* Ubi observo, hanc totam orationem, quæ antiquitùs adhibebatur ab Episcopo post Baptismum adultorum cum collatione Confirmationis, retentam fuisse in cæremonia baptismali parvulorum, omissa sola expressa invocatione Spiritus Sancti. Nam statim post Baptismum parvuli baptizans intincto pollice in S. chrysma, dicit: *Deus omnipotens, Pater Domini Nostri JESU Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum tuorum* (hic facit crucem cum chrysmate in vertice, & non in fronte) *ipse te liniat chrysmate salutis in Christo Domino Nostro, ut habeas vitam æternam. Amen.* Hæc omnia ostendunt, hanc orationem primis Sæculis fuisse consideratam tanquam formam essentialem, quæ dein paucis mutatis transiit in cæremonialem baptismi. Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. in l. *de Synodo.* c. 9. n. 2. & 3. ostendit; in hunc usque diem apud Græcos conferri confirmationem validè à simplici Presbytero, & quidem per formam deprecatoriam; quamvis hunc valorem deneget Sacerdotibus Italo-Græcis, eoquòd nullam desuper habeant delegationem à Sede Apostolica, ob qualem delegationem ibidem n. 4. validam affirmat ejusmodi confirma-

tionem statim post baptismum conferri solitam à Presbyteris *Coptis.*

III. Circa formam Eucharistiæ seu Consecrationis apud Ecclesiam Latinam pro forma essentiali habentur illa verba: *Hoc est Corpus meum.* Sed apud Græcos post illa verba: *Hoc est Corpus meum;* Sacerdos primùm rogat Deum, ut *mittat Spiritum Sanctum suum super proposita dona, & panem faciat Corpus Christi, vinum verò sanguinem Ejus, immutans ea Spiritu Sancto suo.* Ex quo manifestum est, à Græcis illam formam apud Latinos sufficientem ac validam, non haberi sufficientem ac validam pro Græca Ecclesia.

IV. Circa formam Sacramenti Pœnitentiæ apud Ecclesiam Occidentalem solùm pro valida habetur forma absoluta: *Absolvo te.* Econtra apud Ecclesiam Græcam sola observabatur forma deprecatoria. Id patet ex eorum Libris Ritualibus Antiquis & Recentibus; forma autem illa deprecatoria apud Goarium sic incipit: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, relaxa, remitte, condona peccata &c.* Hanc solam formam à Græcis ante annum 1595. fuisse adhibitam testatur CLEMENS VIII. in *Instructione* super Ritibus Græcorum, ubi, dum permittit, ut Græci in casu necessitatis Latinos absolvant, jubet tamen, ut utantur forma absoluta, & postea primùm addant orationem deprecativam, *quam*, inquit, *pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantùm consueverunt.* ARCUDIUS l. 4. de pœnit. c. 3. asserit quidem, etiam apud Græcos in usu antiquo fuisse aliquam formam absolutam, nempe istam: *habeo te absolutum*; fatetur tamen, eam non extare in Euchologio Græcorum, ita ut verosimile sit, hanc formam absolutam primùm Sæculo XIII. à Latina Ecclesia ad Græcos migrasse, & usu privatorum receptam esse. Imò Goarius fatetur, formas Indicativas à Latinis ad Græcos primùm postremis temporibus transmissas esse. Non obstante hac variatione censeretur Sacerdos in Ecclesia Latina invalidè absolvere, si uteretur forma tantùm deprecatoria, aut forma solùm indicativa Græcorum.

V. Circa Sacramentum Extremæ Unctionis constat ex Documentis Ecclesiasticis, aliquando in usu fuisse solam formam absolutam seu indicativam; aliis verò temporibus in usu fuisse solam formam deprecatoriam; aliàs verò mixtam. D. THOMAS, S. BONAVENTURA, *Paludanus, Richardus à media villa. Durandus, Gabriel*, referunt, antiquitùs in usu fuisse hanc formam Ambrosianam, tempore D. Ambrosii Mediolani receptam: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aëreas possis superare potestates.* ALBERTUS etiam M. in 3. dist. 23. a. 4. testatur, se lustrasse antiquissimos Germaniæ Libros Rituales, & in iis se deprehendisse formam Sacramenti Extremæ Unctionis merè Indicativam, quem Ritum Germani Gregorianum vocabant. Nunc verò jam à sexcentis annis ubique in omnibus Ritualibus libris invaluit sola forma deprecatoria, quæ sic sonat: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus Jesus Christus, quidquid deliquisti per visum. Amen.* Et sic de auditu, odoratu &c.

VI. Circa Sacramentum ordinis pro forma à multis assignantur illa verba absoluta, quibus confertur potestas ordinis. v. g. in ordine Presbyteratus: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* & in Diaconatu: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei.* Ab aliis verò, qui praxin tam Ecclesiæ Latinæ Veteris quàm praxin Ecclesiæ Orientalis meliùs cum Morino & P. Hallerio inspiciunt, tam in Presbyteratu quàm Diaconatu reperiunt solam *formam deprecatoriam* observatam esse. Itaque necesse est, eam formam absolutam, quæ nunc in Ecclesia Latina habetur pro essentiali, solùm ex determinatione Ecclesiæ introductam fuisse. Forma deprecatoria apud Latinos consistit in Presbyteratu in hac oratione, quæ nunc habetur pro cæremonia, nec illi alligatur intentio Ordinantis, nec etiam repetitur ab Ordinantibus, quando supplent defectus circa materiam vel formam commissos. *Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem & nostram benedictionem, ut, quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque consecraverint, consecrentur, & sanctificentur in nomine Domini Nostri Jesu Christi &c.* Forma autem Græcorum est hæc: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & ea, quæ desunt, adimplet, promovet N. devotissimum Diaconum in Presbyterum. Oremus pro eo, ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus.* Similes sunt formæ deprecatoriæ quoad Diaconatum tam in Latina quàm Græca Ecclesia, hoc solo discrimine, quòd in Ecclesia Græca etiam nunc servetur sola ista forma deprecatoria; econtra in Latina Ecclesia post formam deprectaoriam subjungatur etiam forma absoluta his verbis: *Accipe potestatem &c.* item: *accipe Spiritum Sanctum &c.* quam ultimam formam absolutam Morinus de Ordinationibus p. 3. Exerc. 9. c. 3. suspicatur, additam fuisse in Ritualibus primum Sæculo XII.

VII. Circa Sacramentum Matrimonii duæ assignantur formæ à Doctoribus. Aliqui eam reponunt in Benedictione Ecclesiæ, cujus Minister est Sacerdos; quam sententiam SS. D. N. BENEDICTUS XIV. dicit esse adeò probabilem, ut doceat, eam non esse prohibendam ab Episcopis in Synodo, nec aliquid in ejus præjudicium statuendum; ita enim scribit in l. 7. de *Synodo.* c. 27. Alii verò formam essentialem Matrimonii constituunt in reciproco consensu contrahentium. Supposita igitur veritate primæ sententiæ, quòd primis Sæculis Benedictio nuptialis semper fuerit habita pro forma Matrimonii, & posterioribus Sæculis etiam matrimonia clandestina, aut etiam non clandestina, attamen sine præsentia Parochi & testium celebrata, fuissent habita pro Sacramento, necessariò sequeretur, formam Matrimonii dependere à determinatione Ecclesiæ.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Potest dici, in omnibus illis Sacramentis, in quibus videtur intervenisse variatio circa materiam & formam, non intercessisse *determinationem materiæ aut formæ*, sed tantùm *determinationem intentionis Ecclesiæ*, ita, ut Ecclesia

clesia implicitè dicat: nolo habere intentionem tibi conferendi Sacramentum, nisi utaris tali materia vel forma, observatis cæteroquin omnibus, quæ fuerunt determinata à Christo quoad substantiam Sacramenti. Ergo non ostenditur ex praxi Ecclesiæ, quod Ecclesia aliquando fuerit usa potestate determinandi materiam vel formam quoad speciem infimam. *Ant. prob.* Inprimis ab inductione illorum exemplorum; sic enim potest Ecclesia v. g. dicere: nolo habere intentionem tibi conferendi Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum: nisi physicè tangas instrumenta, & nisi Episcopus post formam deprecatoriam etiam addat formam absolutam. *Prob.* idem *Ant.* 2. authoritate *Innocentii V. Papæ*, qui in 4. Sent. dist. 3. Q. 2. c. sic scribit: „In forma verborum baptismi duæ particulæ continentur; una pertinens ad sanctificationem elementi, scilicet invocatio Trinitatis; & altera pertinens ad determinationem intentionis, scilicet expressio actus baptizandi. Prima habetur ex institutione divina, & est eadem apud omnes Ecclesias, & secundum omne tempus. Secunda habetur ex Traditione Ecclesiastica, nec est omnino eadem apud omnes Ecclesias, nec secundum omne tempus. Nam circa illam duo concurrunt; unum expressio ipsius actus & personæ, in quam transit actus; & hoc iterum commune est apud omnes, unde videtur descendisse à prima traditione & consuetudine baptizandi Apostolica. Alterum, modus exprimendi, hic diversus est apud Græcos & Latinos. Cùm ergo baptisma sit unum, oportet, ut illud, quod est de substantia formæ, sit unum, & quod non est unum, non est de substantia formæ. Unde pars illa, quæ pertinet ad sanctificationem elementi, de substantia est. Altera verò pars, quantùm ad expressionem actus & personæ, iterum de substantia est; quantum verò ad modum expressionis, qui varius est, non est de substantia, sed accidit ex statuto Ecclesiæ. Quia tamen statutum Ecclesiæ potest obligare Ministrum, sed non potest mutare substantialiter Sacramentum, ideo etiam ille modus de necessitate facientis est, sed non rei factæ. Quamvis quidam dicant, quòd est de necessitate utriusque, ita ut aliter baptizatum necesse sit iterum baptizari. Sed opinio prima verior est & communior." Hucusque INNOCENTIUS V.

RESPONDEO. n. a. Si enim determinatio Ecclesiæ respiceret tantum intentionem Ecclesiæ, eadem determinatio etiam fieri posset, ubi Christus determinavit in specie infima materiam & formam Sacramenti, quia Ecclesia posset retinere intentionem administrandi Sacramentum. Imò hanc intentionem posset facere quilibet Sacerdos, ita ut dicat, nolo habere intentionem conferendi baptismum, absolvendi &c. nisi ponatur taliter qualificata materia. Itaque dum Ecclesia v. g. ad validam ordinationem in Ecclesia Latina requirit attactum physicum instrumentorum, non fit præcise determinatio intentionis, sed determinatio ipsius materiæ vel formæ; ita ut illa materia vel forma sic determinata non sit præcise nuda conditio ad causandam gratiam Sacramentalem, sed sit pars causæ, quæ est collativa gratiæ, & verè dici possit, hoc signum determinatum ab Ecclesia est collativum gratiæ.

Ad authoritatem INNOCENTII V. dico, eum non loqui de determinatione intentionis se tenentis ex parte Ecclesiæ, volentis vel nolentis conferre Sacramentum, sed de determinatione intentionis, quæ est ex parte administrantis Sacramentum. Quòd si tamen loquatur de retentione intentionis ex parte Ecclesiæ, ita ut Ecclesia decreto seu statuto suo diceret, se nolle conferre Sacramentum, nisi sub hoc vel illo ritu specifico collatum, potiùs faveret nostræ Conclusioni, quàm obesset; quia licèt hoc statutum Ecclesiæ *directè* solum respiceret MINISTRUM SACRAMENTI, illum obligando ad talem ritum, *indirectè* tamen refunderet nullitatem in ipsam *rem factam* seu Sacramentum, ita ut aliter baptizatus deberet de novo baptizari. Cùm enim intentio Ministri juxta Concilium Florentinum requiratur ad valorem Sacramenti, eáque debeat esse conformis intentioni Ecclesiæ, utpote existens intentio faciendi, quod facit Ecclesia, consequeretur, retinente Ecclesia suam intentionem conficiendi Sacramentum, nisi ponatur talis materia aut forma à se determinata, etiam Sacramentum aliter administratum fore nullum. Et in hoc sensu non esset *quæstio juris*, utrum Ecclesia habeat potestatem determinandi materiam & formam Sacramentorum in specie infima saltem *indirectè*, sed tantùm superesset *quæstio facti*, utrum Ecclesia aliquando habuerit talem intentionem sic restringendi valorem Sacramentorum, vel utrum talem intentionem etiamnum habeat? In qua quæstione facti videmus, duos Innocentios, Summos Pontifices, dum scriberent ante Pontificatum magistraliter, nempe Quartum & Quintum, fovisse duas contrarias sententias, ita tamen, ut neuter condemnaret sententiam sibi oppositam.

OBJICITUR 2. Potest dici, omnes illas variationes, quæ reperiuntur circa materiam & formam Sacramentorum ex determinatione Ecclesiæ, esse tantùm accidentales, ita ut nihilominus Sacramentum esset validum, sive ritu græco sive latino, sive ritu primævo vel antiquitus solito, sive ritu novo administretur. Ergo non sufficienter ex praxi Ecclesiæ probatur potestas determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad speciem infimam. *Ant. prob.* Potest dici, v. g. Baptismum fore etiam in Latina Ecclesia validum, etsi baptizans uteretur hac forma: *Baptizetur servus Christi*; & Confirmationem fore validam, etsi Episcopus tantùm uteretur formula deprecatoria; & Consecrationem Eucharistiæ fore validam, etsi Sacerdos Latinus post Consecrationem consuetam uteretur formula invocatoria Græcorum, ubi invocatur Spiritus Sanctus, ut panem convertat in Corpus Christi; item Absolutionem fore validam, etsi Confessarius solùm uteretur formula deprecatoria, quæ à Confessariis dici solet ante formam absolutam; item Extremam Unctionem fore validam, etsi Sacerdos non uteretur formula deprecatoria moderna, sed tantùm absoluta antiqua &c.

RESPONDEO. n. a. *ad prob.* n. a. Ratio est; quia hæc videntur repugnare sensui communi Ecclesiæ. Quis enim dicat, fore absolutum pœnitentem, si Sacerdos uteretur tantùm forma deprecatoria? si enim hoc verum esset, sequeretur, quòd omnes pœnitentes jam absolverentur ante formam absolutam, quia ab omnibus Confessariis præmitti solet forma deprecatoria apud Græcos consueta. Aut si quis dicat, Absolutionem propterea suspendi; quia Sacerdos non habet intentionem conficiendi Sacramentum, usque dum finiatur forma absoluta: sequeretur, quod etiam in Consecratione Eucharistiæ non conficiatur Sacramentum, si Sacerdos habeat in tentionem non conficiendi Sacramentum, donec finiatur formula invocatoria Spiritus Sancti, à Græcis addi solita post nostram formam apud Latinos usitatam. Itaque longe uniformior, expeditior, ac etiam praxi ac sensui Ecclesiæ, & intentioni Christi conformior est sententia, si dicatur, Christum virtutem collativam gratiæ conferre etiam materiæ ac formæ sub specie infima determinatæ ab Ecclesia. Si enim Verbum in Christo, & anima in homine partibus unitur per accretionem de novo adgenitis, v. g. dentibus capillis, particulis novis carnis &c. cur videatur absurdum, si Christus signis Sacramentalibus quoad substantiam seu rationem genericam, vel specificam subalternam à se determinatis etiam quoad partes, ut ita dicam, per determinationem Ecclesiæ de novo adgenitis conferat, aut extendat, seu uniat virtutem physicam vel moralem collativam gratiæ?

OBJICITUR 3. Potest dici, etiam formulas deprecatorias Græcorum habere significationem quamdam absolutam, & authoritativam ex circumstantia Ministri, absolutè & ex officio volentis conferre Sacramentum. Ergo in ordine ad valorem Sacramentorum non mutatur materia aut forma per ejusmodi determinationes Ecclesiæ. *a. prob.* ex iis, quæ dicentur in Disp. 5. de Absolutione. in Tract. *de Pœnitentia.*

RESPONDEO. c. a. n. c. Quamvis enim formulæ deprecatoriæ Græcorum ex circumstantia Ministri nanciscantur quemdam sensum secundarium absolutum, videtur tamen Ecclesia Latina alligasse valorem Sacramentorum materiæ aut formæ à se determinatæ, idque desumitur ex communi sensu DD. ac communi sensu Ecclesiæ, quæ non agnosceret validam eam Absolutionem pœnitentium, si à Confessario tantùm adhiberetur forma deprecativa Græcorum, aut in ordinatione fieret sola impositio manus, aut sola ostensio instrumentorum.

OBJICITUR 4. Potest dici, quòd Instructio EUGENII IV. ad Arm. ubi pro materia Confirmationis declaratur Chrysma, & pro materia Ordinum traditio Instrumentorum, non habeat rationem definitionis Conciliaris aut Papalis, sed tantùm Pastoralis, aut Doctoralis seu Magistralis. Ergo exinde non eruitur efficax argumentum, quòd in Latina Ecclesia ista requirantur ad materiam essentialem, seu valorem Sacramenti; sed tutò defendi poterit, eas materias solùm esse *integrales*, vel *materias remotas*, Lege Ecclesiastica requisitas ad licitè recipiendum vel administrandum Sacramentum. *Ant. prob.* Partim ex sensu insignium Theologorum v. g. *Tournelii*, & aliorum. Partim ex eo; quia Instructio solùm directa ad unam Gentem, & non ad omnes fideles, non est Doctrina Papæ loquentis ex Cathedra; partim ex hoc; quia EUGENIUS IV. in illa Instructione non obligat omnes fideles ad assensum fidei sub Excommunicatione, quod etiam requiritur ad hoc, ut Pontifex censeatur loqui ex Cathedra, prout ostensum est in Tract. *de Fide.* Denique; quia plures alii Pontifices Romani ediderunt ejusmodi instructiones particulares, quin tamen velint eas haberi, aut à Theologis habeantur pro definitionibus fidei. Sic NICOLAUS I. edidit Instructionem ad Bulgaros. CLEMENS VIII. Instructionem ad Græcos. Modernus Pontifex BENEDICTUS XIV. Instructionem ad Italo-Græcos in Bulla. *Etsi Pastoralis.* quin per hoc censeri debeant dogmata fidei.

RESPONDEO. c. a. n. c. Quamvis enim illa Instructio EUGENII IV. ad Armenos non sit Regula fidei, exprimit tamen communem sensum Ecclesiæ Romanæ & Doctorum Latinæ Ecclesiæ, cui non decet repugnare sine argumentis convincentibus, qualia in hac Quæstione non dantur pro opposita sententia.

DICES: Potest dici, in illa Instructione EUGENII IV. ad Armenos tantùm esse sermonem de materia remota, vel integrali. Ergo adhuc nihil exinde probatur.

RESPONDEO. n. a. Si enim Pontifex solùm loqueretur de materia *integrali*, & *remota* seu præparatoria ad essentialem, esset valde absurdus, & potius deciperet Armenos. Cùm enim loquendò de materia omnium aliorum Sacramentortum ubique assignet materiam essentialem, Armeni haud dubiè existimare debuerant, eum etiam in Sacramento Ordinis loqui de materia essentiali; quia sic exigit methodus docendi; ut idem terminus in eodem contextu toties repetitus, & quidem in materia tam gravi non sumatur in diverso sensu non obvio, quin variatio sensus exprimatur saltem ex ipsa natura manifesta subjectæ materiæ, quod in præsenti non contingit. Ejusmodi autem absurditates, & imperitia quoad methodum docendi non possunt præsumi de Summo Pontifice.

OBJICITUR 5. Nec ex Scriptura, nec ex traditione potest ostendi ullus textus, in quo Ecclesiæ relinquatur potestas determinandi materiam & formam Sacramentorum in specie infima; ergo hæc potestas non datur.

2. Si Ecclesia haberet hanc potestatem materiam & formam sic determinandi, haberet etiam potestatem eam jam semel determinatam mutandi. Sed hoc non potest dici. ergo. *Min. prob.* non habetur exemplum, quòd materiam aut formam ab Ecclesia determinatam mutaverit.

3. Si Ecclesia haberet hanc potestatem, frustra Patres in ejusmodi Quæstionibus monuissent recurrendum ad *Matrices* seu *Apostolicas* Ecclesias, ubi discere oportet Ritus Sacramentorum. Sed hoc

hoc non potest dici. ergo. *Maj. prob.* quia etsi alicubi fuerit diversa observantia, potuisset semper responderi, eam fundari in aliqua particulari determinatione Ecclesiæ, vel alicujus Summi Pontificis.

Respondeo. n. a. Quia Scriptura in pluribus locis ostendit, Apostolos circa ritus Sacramentorum varia ordinasse, quæ non fuerunt determinata à Christo. Sic D. Paulus postquam 1. Cor. 11. varia determinaverat circa Cœnam Dominicam, addit: *Cætera, cum venero, disponam.* l. c. v. ult. Et D. Jacobus in Ep. c. 5. ubi agit de Ritu in Extrema Unctione adhibendo, non dicit, cum se accepisse à Christo, prout hoc dicit D. Paulus l. c. circa substantialia Eucharistiæ, ubi ait v. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Circa Sacramentum autem Pœnitentiæ idem videtur satis manifestè colligi ex generali textu: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* hoc est, eo modo & ea conditione, quo vos determinaveritis congruenter ad substantiam actus. Et Joan. 16. Christus ad Apostolos dicit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Et Joan. 17. ad Patrem dicit: v. 18. *Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum;* hoc est, cum eadem potestate, in quibus nihil est determinatum à Christo. Traditio etiam ostendit, actu fuisse practicatam eam potestatem ab Ecclesia. Huc reduci potest divisio Diaconatus in quinque Inferiores Ordines, nempe in Subdiaconatum & Quatuor minores Ordines, qui sunt nihil aliud juxta D. Thomam, quàm divisio Sacramenti, & potestatis Diaconalis, prout *Concl.* 2. *Prob.* 2. ostensum est ex D. Thoma, & D. Bonaventura. Huc etiam pertinet ille textus Dionysii c. 1. de Hierarch. Eccl. ubi author illius libri sic scribit: *Primi Sacerdotalis muneris Duces visibilibus signis cœlestia Sacramenta texuerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.*

Ad 2. dist. Haberet hanc potestatem sic mutandi validè. c. sic mutandi licitè. *subd.* pro casu necessitatis. c. pro arbitrio puro. n. non enim bene ac licitè Ecclesia uteretur sua hac potestate, si sine gravi causa necessitatis mutaret talia jam semel constituta signa Symbolica Ecclesiæ, ex quibus tam perspicuè relucet & uniformis Ecclesiæ universalitas, & uniformis Ecclesiæ antiquitas.

Ad 3. n. *Maj.* Quia Patres semper remiserunt ad Romanam potissimùm Ecclesiam, in qua jam II. Sæculo, haud dubiè ex determinatione D. Petri, aut primorum Pontificum, satis exactè reperiebantur determinatæ materiæ & formæ Sacramentorum etiam quoad speciem infimam; si enim exactè considerentur origines Rituum Sacramentalium, qui nunc observantur in Latina Ecclesia, apparet, quòd à ritu primævo Romanæ Ecclesiæ, qui jam à II. vel III. Sæculo viguit, descendant, prout in Cæremoniali & Rituali Episcoporum à Cantelmo edito apparet.

Objicitur 6. Si Ecclesia haberet potestatem determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad speciem infimam, sequeretur, quòd Ecclesia posset mutare substantiam Sacramentorum. Sed hoc est falsum. ergo. *Min. patet* ex Trident. Sess. 21. c. 2. ubi dicitur: *S. Synodus declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* *Maj. patet* ad substantiam Sacramentorum pertinet quælibet pars ex opere operato collativa gratiæ. Sed ejusmodi partem posset mutare Ecclesia. ergo.

2. Ad Sacramentorum substantiam pertinet, esse institutum à Christo. Sed hoc posset facere Ecclesia, ut illud esset institutum à Christo, quod revera institutum non est. ergo. *Min. patet* quod non est determinatum à Christo, etiam non est institutum à Christo.

3. Si quis in homine poneret corpus specie diversum, vel animam specie diversam specie quantumvis infima, ille mutaret substantiam rei. Ergo etiam qui mutat materiam & formam Sacramentorum sub specie infima, mutat substantiam Sacramentorum.

Respondeo n. *Maj. ad prob.* dist. Ad substantiam Sacramentorum pertinet quælibet pars pro ea temporis differentia, pro qua determinatur ab Ecclesia ad esse partis. c. pertinet ad substantiam pro alia temporis differentia, pro qua non determinatur ad esse partis. n. Suppono ex Philosophia, quòd tota moralia successiva habeant suas partes essentiales dispersas in variis differentiis temporum; sic enim annus, qui est totum successivum morale, suas partes essentiales habet in diversis temporibus; neque ex eo, quòd una ejus pars, v. g. Januarius pergat ad finem, aut desinat; etiam annus perget ad finem, aut definet. Neque ex eo, quòd December primum exspectetur, sequitur, quòd exspectetur præsens annus; cujus Januarius & December est pars. Eodem modo dico, quòd Sacramenta Ecclesiæ ex suppositione, quòd materia & forma sub specie infima sit relicta à Christo determinationi Ecclesiæ, sint aliquod totum successivum, ita ut ex intentione Christi habeant diversis temporibus diversas partes materiales collativas gratiæ.

DICO: *Materiales:* quia tam materia quam forma Sacramentorum in ordine ad formale Sacramentorum, hoc est, in ordine ad virtutem collativam gratiæ se habent tantùm materialiter, sicut tam forma quàm materia propositionis vel definitionis est materiale Syllogismi, & tam materia quàm forma corporis in ratione corporis est materiale hominis. Itaque sicut in toto successivo substantia rei, nempe Annus, Respublica, Arbor, Mundus, Universum &c. semper quoad substantiam manet eadem, ita etiam Sacramenta quoad substantiam manent eadem, etsi partes etiam essentiales in hoc toto successivo mutentur, quia talis est natura totius successivi, ut totum consistat in perpetua mutatione partium, vel saltem compatiatur successionem partium, dummodo maneat una ratio totius, qualis est in Sacramentis voluntas Christi, & virtus collativa gratiæ,

gratiæ, & ratio generica ſigni alicujus ſpecifici, licèt ea una ratio ſucceſſivè informet diverſas partes materiæ, ſicut anima hominis, vel arboris, vel anni ſucceſſivè informat diverſas partes materiæ.

Ad 2. diſt. Ad ſubſtantiam Sacramenti pertinet, ut ſit inſtitutum à Chriſto inſtitutione reſpectiva diverſarum partium materialium pro diverſitate locorum & temporum. c. inſtitutione reſpectiva ſemper earumdem partium. n. ſicut enim Inſtitutor alicujus Religioſi Ordinis poteſt pro diverſo tempore exigere diverſas conſtitutiones & diverſos ſtatus voluntate & objecto materiali manente in æſtimatione morali eodem, ita etiam Chriſtus in Sacramentis a ſe inſtitutis ſub aliqua ratione generica potuit pro diverſis temporibus aut locis exigere diverſas partes materiales, determinandas judicio Eccleſiæ.

Ad 3. n. a. Quoad 1. memb. id enim actu fit in omnibus compoſitis plantarum & animalium, ut partes materiales perpetuò mutentur ſubſtantialiter, etſi totum non cenſeatur ſubſtantialiter mutatum eſſe, dummodo ſaltem maneat eadem anima plantæ, animalis vel hominis. Oſtendi enim in Philoſophia, quòd etiam compoſita naturalia ſint aliquod totum ſucceſſivum ſucceſſione diverſarum partium materialium. Sic enim ſunt aliæ partes in ſemine vel ſurculo arboris, & ipſa arbore; aliæ in embrione, aliæ in corpore perfecto, quamvis omnes partes adgenitæ ſint informatæ anima plantæ, animalis, vel hominis. Hinc, cum in Sacramentis ex intentione Chriſti in diverſis partibus ab Eccleſia determinatis ſemper per modum animæ perpetuæ maneat virtus collativa gratiæ, ſemper manet ſubſtantia Sacramenti eadem. Et poterit potiùs inverti argumentum. Idem manet quoad ſubſtantiam animal, homo, vivens, etſi mutentur ſucceſſivè partes materiales totius compoſiti etiam ſpecie. Ergo etiam manebit ſubſtantia Sacramenti, dummodo maneat eadem anima, nempe virtus Sacramentalis, quæ informat partes materiæ ſucceſſivè diverſas.

Objicitur 7. Si daretur in Eccleſia hæc poteſtas, non poſſet efficaciter identitas Sacramentorum in moderna & antiqua Eccleſia contra hæreticos probari. Sed hoc eſt abſurdum. ergo.

2. Si in Eccleſia daretur hæc poteſtas, poſſet etiam ab Eccleſia ad valorem Conſecrationis determinari ſolus panis Azymus, vel ſolum vinum Italicum, aut Burgundicum. Sed hoc eſt abſurdum. ergo.

Respondeo. n. *Maj.* Quia ex hoc ipſo faciliùs oſtenditur identitas Sacramentorum quoad ſubſtantiam, dum contra hæreticos oſtenditur, in omnibus ſeptem Sacramentis aliqua prædicata tanquam immobilia ſpectari poſſe, quæ habeant promiſſionem gratiæ.

Ad 2. n. *Maj.* Quia ex traditione conſtat, quod Chriſtus materiam hujus Sacramenti jam determinaverit in ſpecie infima, ita ut poſitivè noluerit fieri aliam determinationem magis ſpecificam circa varias panum aut vinorum ſpecies diverſas in conſideratione phyſica. Idque etiam à priori conſtat, quia imprudenter Chriſtus egiſſet, ſi reliquiſſet Eccleſiæ poteſtatem reſtringendi ad materias non ubivis in Regionibus obvias.

Objicitur 8. In Matrimonio per Tridentinum non fuit determinata materia Sacramenti, ſed tantùm fuit irritatus contractus Matrimonii clandeſtini in ratione contractus civilis, quod etiam potuit fieri per leges civiles. Ergo ſaltem ex hoc Sacramento non probatur illa poteſtas Eccleſiæ. Tridentinum docet Seſſ. 14. Can. 7. materiam Sacramenti Pœnitentiæ jam eſſe determinatam à Chriſto quoad ſpeciem infimam. Ergo nihil determinandum relinquitur Eccleſiæ. *Ant. prob.* Tridentinum ſic habet: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad Remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; anathema ſit.* 3. Nullus Authorum docet, quod poteſtas Eccleſiæ determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad ſpeciem infimam ſe extendat etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ. ergo hoc non poteſt admitti.

Respondeo. n. a. Si enim Tridentinum tantùm voluiſſet irritare Matrimonia clandeſtina in ratione contractus civilis, idem potuiſſet fieri per ſolas Leges civiles ita connivente Eccleſia, præſertim ſi ſola Benedictio Eccleſiæ conſtituit formam hujus Sacramenti; ſic enim facilè diſcerneretur id, quod in Matrimonio Sacrum, & quod profanum eſt. Cùm ergo Eccleſia nunquam hanc poteſtatem in Imperatoribus vel Regibus agnoverit, inferendum eſt, Eam hunc contractum irritâſſe non in ratione contractus civilis, ſed in ratione materiæ Sacramentalis, qualis per ſe eſſet omnis contractus materialis jure naturæ liber & validus independenter ab ulla diſpoſitione Legum civilium.

Ad 2. n. a. *ad prob.* diſt. Docet, jure divino neceſſarium eſſe, confiteri omnia & ſingula peccata, & circumſtantias ſpeciem mutantes, modo tamen pro congruentia temporum & perſonarum ab Eccleſia determinandò. c. modo per Chriſtum determinato quoad ſpeciem infimam. n. haud dubiè perfectio hujus Sacramenti ex natura ſuæ inſtitutionis exigit, ut, quantum ſtatus Eccleſiæ & conditio perſonarum admittit, diſtinctiſſimè numerus & circumſtantiæ ſpeciem mutantes in confeſſione exprimantur, & hinc jus divinum in actu primo ſpectatum ſemper tendit ad perfectum, & pro ſtatu Eccleſiæ perfecto ſemper exigit modum diſtinctiſſimum confeſſionis, ac conſequenter confeſſionem non ſolum formaliter, ſed etiam materialiter integram; quia tamen in exprimendo numero & ſpecie peccatorum datur latitudo, & ſpecies ac numeri peccatorum non ſemper adeò enucleatè primis Sæculis fuerunt expenſæ, ac inculcatæ populo, præſertim circa peccata dubia, & numeros actuum internorum, & ſpecies infimas, non repugnat menti Concilii Tridentini, ſi dicatur, ſemper quidem omnia & ſingula peccata & circumſtantias ſpeciem mutantes fuiſſe materiam confeſſionis, ſed ſub modo magis generico.

Ad 3.

Ad 3: n. 2. Hallerius enim Anno 1739. cum Approbatione Magistri S. Palatii Romæ recusus in præstantissimo suo Opere *de Ordinationibus*. tom. 2. Sect. 2. c. 2. n. 53. & 54. sic scribit: "Ex „ omnibus, quæ fuse explicuimus, evidenter „ constat, varia circa materiam formamque Sa„ cramenti Ordinis addita esse, & immutata; „ nec per universam Ecclesiam usurpari easdem „ omnino materias, aut easdem formas. Hoc „ autem quomodo fieri possit, alicui videbatur „ impossibile. Verùm sic Christus potuit insti„ tuere quasdam materias, ut rationem commu„ nem materiæ præscriberet, ac determinatio„ nem Ecclesiæ relinqueret, v. g. materiam Sa„ cramenti Pœnitentiæ Christus peccata jurisdi„ ctioni Confessarii ac cognitioni propria esse „ voluit; ut autem hæc vel illa peccata, hujus „ vel illius Confessarii cognitioni ac jurisdictioni „ relinquerentur, vel ad majus tribunal referren„ tur, arbitrio Ecclesiæ reliquit. -- Cur autem „ in his potius Sacramentis (Pœnitentia, Matri„ monio, & Ordine) quàm in cæteris, Christus „ materiæ determinationem arbitrio Ecclesiæ re„ liquerit, ratio est; quia reliquorum Sacramen„ torum materiæ sunt res quædam physicæ, in „ quas res physicas Ecclesia nullam habet autho„ ritatem, at prædictorum Sacramentorum ma„ teriæ sunt res morales, quæ ab Ecclesiæ judi„ cio pendent. *Et n.* 57. Negandum ergo est, „ materias Sacramentorum Pœnitentiæ, Ordi„ nis, ac Matrimonii ab Ecclesia variatas „ esse in ea ratione formali, secundum quàm „ à Christo institutæ sunt Sacramentorum istorum „ materiæ, quamvis materialiter, ut ita dicam, „ variatæ fuerint.

Dices: Hallerius hoc ipso in loco pro exemplo, quòd Ecclesia possit determinare materiam & formam Pœnitentiæ, ponit reservationem peccatorum, vi cujus in una Diœcesi aliqua peccata sunt reservata, in alia non. Sed hoc non servit ad intentum. Si enim exinde posset erui potestas determinandi materiam Pœnitentiæ in specie infima, sequeretur, quòd etiam Episcopi habeant potestatem determinandi materiam Pœnitentiæ in specie infima, utpote habentes potestatem reservandi sibi peccata; quod tamen nemo dixerit. Ergo.

Respondeo. Hallerium, quantum de ejus mente conjici potest, sic posse intelligi, quòd ex ejusmodi praxi peccata reservandi, tantùm indirectè colligat potestatem Ecclesiæ, determinandi materiam pœnitentiæ quoad modum confessionis in specie infima. Multi enim Authores docent, quòd petens Absolutionem à reservatis, si confiteatur ipsi Superiori reservanti, posse confiteri sola peccata reservata, non confitendo alia peccata. Quæ sententia, si esset vera, haud dubiè indicaret, in Ecclesia eoipso, quòd tribuat Superioribus potestatem sic reservandi, habere potestatem determinandi in particularibus circumstantiis modum confessionis, quæ est materia Sacramenti. Imò in casu, quo adiri non potest Superior, Sotus, Corduba, Gabriel, Antoninus, Palaus, Diana, prout Busenbaum de Confess. dub. 4. n. 2. refert, docent, à pœnitente posse Confessario inferiori expon-

sola peccata non reservata. Quæ sententia, si iterum vera esset, denuò probaret, ex potestate, quam Ecclesia tribuit, reservandi peccata inferri posse potestatem determinandi modum confessionis, utpote uno peccato expresso, altero non expresso in ordine ad Absolutionem omnium peccatorum. Verùm, quia nec prior, nec posterior sententia videtur consentanea veritati, illo exemplo Hallerii non utor in hac Quæstione; nobis enim sufficit mens Hallerii.

QUÆSTIO III.

Quænam mutatio materiæ vel formæ obsit Valori, aut licitæ administrationi Sacramentorum?

DICO I. Mutatio substantialis materiæ, aut formæ reddit Sacramentum invalidum.

Probatur. Ubi tollitur materia, aut forma à Christo instituta, vel ab Ecclesia determinata, ibi redditur Sacramentum invalidum. Sed ubi datur mutatio substantialis materiæ aut formæ, ibi tollitur talis materia aut forma. ergo. *Maj. patet*; quia sublata unica parte essentiali totius tollitur totum. *Min. prob.* Non potest dari substantialis mutatio rei sine corruptione illius rei. Ergo ubi datur substantialis mutatio materiæ aut formæ Sacramentalis, necessariò tollitur materia aut forma.

DICO II. Mutatio substantialis materiæ est illa, qua fit, ut res non amplius comprehendatur sub significato proprio per nomen materiæ à Christo vel Ecclesia determinatæ expresso.

Probatur & declaratur in Exemplo. Sic enim materia Baptismi à Christo determinata est *aqua naturalis*; si verò per commixtionem & operationem chymicam vel praxatoriam transeat in aquam v. g. rosaceam, cerevisiam &c. ejusmodi aqua non amplius comprehenditur simpliciter sub nomine *aquæ naturalis*, aut aquæ simpliciter dictæ. Itaque non erit amplius materia valida baptismi. Sic etiam vinum de vite, & panis triticeus usualis est materia Eucharistiæ. Si verò adeò fiat acetosum vinum, ut amittat simpliciter suum pristinum nomen, & potius comprehendatur sub nomine aceti, quàm vini, non erit amplius materia sufficiens Eucharistiæ. Similiter massa farinæ non cocta nondum habet nomen panis, & panis coctus in forma placentæ, aut in forma dulciariorum non comprehenditur simpliciter sub nomine panis; quia postulando panem, aut vinum, aut aquam nemo afferret ejusmodi panes, acetosos liquores, aut aquas; itaque non erunt materia valida Sacramentorum. Idem dicendum de aqua ex arboribus sudante, vel ex floribus expressa: item de lachrymis, sudore, saliva &c. Idem quoque sentiendum de aqua congelata, saltem per accidens; quia non est proximè idonea ad verificandam formam baptismi: *ego te abluo.*

Ex his autem colligitur, quæ sit *mutatio accidentalis materiæ?* Illa enim mutatio vocatur *accidentalis*, qua non obstante res adhuc comprehenditur sub significato proprio per no-

men materiæ à Christo vel Ecclesia determinatæ expresso. Sensus patet ex dictis. Sic enim sive aqua sit calida, sive frigida, sive sit pura, sive fæculenta, sive sit marina salsa, sive fontana dulcis, adhuc tamen continetur sub significato proprio aquæ naturalis, & ideo illa mutatio est solum accidentalis. Sic etiam si vinum solum modicè acescat, ita tamen ut simpliciter adhuc comprehendatur nomine vini, aut si panis solum indurescat, mucescat &c. tamdiu adhuc erit valida materia Sacramenti, quamdiu adhuc comprehenditur sub nomine panis.

DICO III. Mutatio substantialis formæ est illa, qua tollitur significatio & significatum verborum ex institutione Christi vel determinatione Ecclesiæ requisita.

PROBATUR, & declaratur in exemplo. Sic in Baptismo forma à Christo instituta consistit in illis verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Si quis ergo uteretur aliis verbis, v. g. istis: *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Vel: *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis.* Vel: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque.* Baptismus non esset validus. Ratio est; quia in prima forma tollitur significatio hujus termini: NOMINE. Per quem significatur authoritas trium Personarum una ac indivisa & immultiplicabilis, utpote pertinens ad naturam divinam tribus Personis communem. In secunda forma tollitur specifica proprietas Personarum, ex eo enim, quòd detur Trinitas Personarum, nondum intelligitur, utrum se habeant per modum Patris, & Filii, & Spirati; vel utrùm omnes tres Personæ sint ita à se ipsis, ut nullum agnoscant principium ad intra? In tertia forma tollitur proprietas Spiritus; quia ex eo, quòd procedat ab utroque, nescitur, utrum procedat per modum *Generationis*, ita ut fiat filius secundo genitus, vel utrum procedat per modum *Spirationis*, ac per modum Spiritus? Similiter foret mutatio substantialis formæ, si quis in Baptismo uteretur hac forma Valentinianorum hæreticorum: *Ego te baptizo in nomine ignoti omnium Patris, & in Veritate omnium Matre, & in eo, qui descendit in JEsum.* In hac enim forma iterum tollitur proprietas trium Personarum, consistens in eo, quòd sint ita unius Authoritatis & Consubstantiales, ut una sit per modum principii, seu Patris: altera per modum Geniti, seu Filii: & tertia per modum Spirati, seu Spiritus, quorum nihil exprimitur in hac forma.

EX HIS COLLIGITUR, quid sit *mutatio accidentalis formæ?* Mutatio enim accidentalis est, qua non obstante retinetur significatio & significatum verborum ex institutione Christi, vel ex determinatione Ecclesiæ requisita. Talis mutatio accidentalis in forma baptismi esset; si quis omitteret pronomen: *Ego.* Vel si quis in forma Consecrationis panis: *Hoc est enim Corpus meum*, omitteret particulam: *enim.* Vel si quis in Baptismo uteretur terminis synonimis v.g. dicendo: *Ego te abluo in nomine Patris &c.* vel si quis pro hac forma Absolutionis: *Ego te absolvo à peccatis tuis*; uteretur hac forma: *Ego remitto*, vel *condono tibi peccata tua.* Natalis & alii multi censent, etiam hanc mutationem Sacramento Pœnitentiæ non fore substantialem, sed accidentalem; quibus tamen ego non consentio, sed habeo hanc mutationem pro dubia; quia aliud est Absolutio à peccatis relativa ad aliquid præcedens naturâ remissionem peccati, & aliud ipsa condonatio peccati; Absolutio enim in ratione actus judicialis, qui est materiale Sacramenti, solum respicit relaxationem rigorosæ satisfactionis per se requisitæ, quæ relaxatio quoad reatum satisfactionis rigorosæ est aliquid naturâ prius ad effectum Sacramenti, seu remissionem peccati quoad reatum culpæ per infusionem gratiæ sanctificantis.

DICO IV. Materia aut forma dubia est, de qua prudenter dubitari potest, an contineatur sub significato proprio materiæ aut formæ alioquin certæ.

PROBATUR, & explicatur in exemplis. Sic si prudenter dubitari possit, an cerevisia, vel lixivium, vel jusculum, vel aqua rosacea sint adeò tenuia, & limpida, ut prudenter dubitari possit, an potius mereantur nomen aquæ, quàm cerevisiæ, jusculi &c. talis materia erit dubia. Idem dicendum circa materiam Consecrationis, si v.g. dubitari possit, an vinum potius mereatur nomen *aceti*, vel *musti*, vel *omphacii*, vel *aquæ pediculosæ*, seu *petiolosæ* (der Truck-Wein). Sic etiam forma foret dubia in Baptismo si quis diceret: *Ego te immergo in aquam in nomine Patris &c.* vel si diceret in Latina Ecclesia: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris &c.* quia to *immergi*, & *baptizari*, non certò retinent eundem sensum, ac formam Baptismi certam, apud Latinos determinatam ab Ecclesia.

DICO V. *Transpositio verborum* in forma Sacramentorum inducit *mutationem substantialem*, quando tollit significatum aut significationem formæ alioquin certæ. Si verò eam significationem vel significatum non tollat, erit tantum accidentalis.

PROBATUR, & explicatur in exemplo. Sic si baptizans dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ego te baptizo*, non erit mutatio substantialis; quia retinetur prorsus idem sensus. Idem P. Natalis censet, si consecrans panem in Missa dicat: *Hoc Corpus meum est*, in quo tamen cum P. Natali non sentio; quia videtur saltem dubium, utrum in hac forma sufficienter exprimatur *transsubstantiatio*, seu actio transitiva ab esse unius ad esse alterius. Econtra mutatio substantialis erit, si baptizans dicat: *Patris te ego baptizo in nomine Filii, & Spiritus Sancti.* item si quis dicat: *Filii ego baptizo te in nomine & Patris, & Spiritus Sancti*; hanc mutationem P. Natalis censet substantialem; quod etiam ipse censeo, sed ob aliam rationem; quia etiamsi possit propositio habere hunc sensum: *Ego te baptizo in nomine Filii, & Patris, & Spiritus S.*; attamen in hac ipsa forma non sufficienter exprimeretur *ordo principii & principiati*, quæ expressio videtur pertinere ad valorem Sacramenti. Certè foret hæc ultima forma valde dubia.

DICO VI. *Interruptio verborum* mutationem substantialem inducit, quando in æstimatione morali actio vel omissio intermedia solet usurpari ad sensum potius abrumpendum, quàm resumendum.

PROBA-

PROBATUR, & explicatur in exemplo. Sic si quis in Consecratione post illa verba: *Hoc est Corpus;* recitaret integrum Psalmum, ac dein subjungeret: *meum;* ea interruptio induceret mutationem substantialem; quia nemo eenseretur Psalmum ultrò interponere nisi animo abrumpendi, & complendi.

Econtra si quis diceet: *Hoc, quod est creatura vilissima, est Corpus meum;* forma esset dubia ob concurrentem simul variationem sensus; dubium enim est, utrum particula demonstrativa *hoc* sit tantum demonstrativa panis, vel etiam Corporis Christi. In forma autem Baptismi, si quis post verba: *Ego te baptizo;* garrientibus acclamaret: *Silete.* acdein pergeret: *in nomine Patris &c.* vel si in medio formæ sternutaret, ea interruptio censeretur tantum accidentalis mutatio; quia ab omnibus intelligeretur, eam actionem intermediam non assumi animo sensum abrumpendi, sed resumendi, & complendi. Idem contingeret, si quis subito prorumpentem è naribus sanguinem strophiolo obstrueret in medio formæ.

DICO VII. *Omissio verborum* causat mutationem substantialem, quando tollit sensum ex intentione Christi, vel ex determinatione Ecclesiæ completum formæ aliunde certæ.

PROBATUR, & explicatur in exemplo. Sic si quis in forma Baptismi omitteret unam Personam, ea omissio induceret mutationem substantialem. Idem contingeret, si quis omitteret in forma Baptismi particulam: *te;* vel in forma Consecrationis particulas demonstrativas: *hoc, hic.* DIDIMUS Alexandrinus, qui scripsit circa annum 360. in l. 2. de Spiritu Sancto, sic scribit: *Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus* (Patris, Filii, vel Spiritus Sancti) *prætermittat, sine perfectione baptizabit.* Hoc est, invalidè.

DICO VIII. *Additio verborum* causat mutationem substantialem, quando tollit sensum formæ per modum propositionis doctrinalis, explicativæ verborum, animo introducendi novum ritum in Ecclesiam; non autem causat mutationem substantialem, quando additio solum fit animo explicandi mentem loquentis per modum propositionis incidentis seu Parenthesis.

PROBATUR & explicatur in exemplis. Sic mutatio erit substantialis, si Arrianus animo introducendi novam doctrinam explicativam verborum baptismi dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris &c.* vel si dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto;* sic enim collatum baptismum esse irritum, miraculo comprobatum fuisse refert Theodorus Lector l. 2. Hist. Eccles. „Deuterius, *inquit*, Arria„norum apud Constantinopolim Episcopus, cùm „quemdam BARBAM sic dictum baptizaret, au„sus est inter baptizandum dicere: *Baptizetur „Barba in nomine Patris per Filium in Spiritu S.* qui„bus dictis aqua, quæ in piscina (baptizatorio) „erat, statim evanuit. Barba verò confestim „inde effugiens rem cunctis declaravit. " Idem docet S. Thomas p. 3. q. 60. a 8. c. ubi ait: „Si „*baptizans* intendat per hujusmodi additionem „vel diminutionem alium ritum inducere, qui „non sit ab Ecclesia receptus, non videtur per„fici Sacramentum; quia non videtur, quòd in„tendat facere id, quod facit Ecclesia. " Quæ verba S. Doctoris sic intelligenda sunt, ut animus introducendi novum ritum sit simul animus ingenerandi aliorum mentibus sensum explicativum erroneum formæ. Si enim tantùm fiat additio per modum parenthesis, qua loquens præcisè ostendere intendat, quo sensu ipse intelligat verba formæ, ita tamen, ut formam intendat relinquere in suo sensu à Christo & Ecclesia intento, sua opinione ambiguo, talis additio non induceret mutationem substantialem verborum. Ita colligitur ex s. AUGUSTINO l. 6. de baptismo contra Donatist. c. 25. ubi refutans alios, qui in tali casu censebant baptismum invalidum, sic scribit: „Si non sanctificatur aqua, cùm aliqua er„roris verba per imperitiam peccator effundit, „multi non solùm mali, sed etiam boni fratres „in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Mul„torum enim preces emendantur quotidie, si „doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis „reperiuntur contra catholicam fidem. Nun„quid, si manifestarentur aliqui baptizati, cùm il„læ preces dictæ super aquam fuissent, juberen„tur denuò baptizari? quid ita? quia plerum„que precis vitium superat precantis affectus: „& quia certa illa Evangelica verba, sinè quibus „non potest baptismus consecrari, tantum va„lent, ut per illa sic evacuentur, quæcunque in „prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, „quemadmodum dæmonium Christi nomine ex„cluditur. Nam utique hæreticus si afferat pre„cem vitiosam, nec habeat bonum charitatis af„fectum, quo possit illa imperitia superari. - - - „afferat etiam, ùt fieri solet, aliquam precem, „in qua loquatur contra regulam fidei, (multi „quippe irruunt in preces non solùm ab imperi„tis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compo„sitas, & per ignorantiæ simplicitatem, non eas „valentes discernere, utuntur eis, arbitrantes, „quòd bonæ sint.) Nec tamen quod in eis per„versum est, evacuat illa, quæ ibi recta sunt, sed „ab eis potiùs evacuatur, sicut in ipso homine „bonæ spei & probabilis fidei, sed tamen homi„ne, si quid aliter sapit, non inde evacuantur, „quæ rectè sapit, donec ei Deus revelet, & quod „aliter sapit. "

EX HIS PRINCIPIIS colligitur, baptismum fore validum, non obstante additione, si quis ita baptizet: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii ejus Unigeniti, & Spiritûs Sancti Paracleti.* vel si sic baptizaret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. & B. Virgo te adjuvet;* in neutro enim casu tollitur per additionem sensus à Christo vel Ecclesia intentus. Econtra si quis ita baptizaret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & B. Virginis Mariæ;* censerem baptismum esse invalidum; quia, licèt baptizans possit habere intentionem sumendi hunc terminum, *in nomine;* æquivocè respectu trium personarum & B. Virginis, ita ut respectu trium personarum per hunc terminum intelligat idem ac, *auctoritate* trium personarum; & respectu B. Virginis hunc terminum sumat appellativè & invocatoriè: re ipsa tamen in sensu obvio ea æqui-

æquivocatio non exprimitur, nec ea est sensibilis; sed potiùs propositio, ùt jacet, importat sensum hujus termini eundem & significationem univocam; adeoque ea additio tollit in sensu obvio sensum formæ à Christo intentum. Idem contingeret, si quis post verba consecrationis: *hoc est corpus meum;* per modum propositionis explicativæ & constructivæ verborum adderet hæc verba: *cujus figuram hic in altari præsentamus*, vel: *quod de cœlo sumptum est*, vel *quod ubique est*.

DICO IX. *Corruptio verborum* formæ, quando in sensu verborum obvio ac sensibili non relinquit sensum à Christo, & Ecclesiâ intentum, inducit mutationem substantialem. Si verò in sensu obvio ac sensibili non mutat sensum à Christo & Ecclesia intentum, tantùm inducit mutationem accidentalem.

PROBATUR & explicatur in exemplo. Sic si quis v. gr. ex imperitia, vel ex lapsu & præcipitantia aut balbutie linguæ in baptismo dicat: *Ego te baptizo in nomine Matris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* vel si dicat: *Ego te baptizor in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Baptismus non esset validus, etsi in animo nec haberet, nec intenderet sensum erroneum; quia in sensu verborum obvio sensus à Christo intentus ne quidem dubiè esset sensibilis, nisi tantùm ex intentione loquentis *aliunde nota.* Idem dicendum foret, si quis baptizaret ex imperitia linguæ latinæ sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patriæ, & Filiæ, & Spiritûs Sancti.* Licèt enim ille intenderet baptizare ritu catholico, ea tamen intentio, & sensus à Christo intentus, non exprimeretur per ipsa verba, ne quidem ambiguè.

Econtra si quis ex imperitia linguæ latinæ baptizaret sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine patria & filia & Spiritu sancta*; ille baptismus esset validus; quia sensus à Christo intentus esset sensibilis ex ipsa imperitia verborum. Ita respondit Zacharias Papa S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, qui illi retulerat, quod in Bavaria quidam sacerdos sic baptizaverit, prout habetur in Epistolis hujus S. Martyris, & refertur in c. *Retulerunt* 86. de Consecr. dist. 4. his verbis: „ Retulerunt nuntii tui, quòd fuerit in eadem „ Provinciâ (*Bojariæ*) sacerdos, qui latinam linguam penitùs ignorabat, &, dum baptizaret, „ nesciens latini eloquii, infringens linguam diceret: *Baptizo te in nomine patria, & filia, & Spiritu Sancta.* Ac per hoc tua Reverenda Fraternitas consideravit eos rebaptizare. Sed „ Sanctissime Frater, si ille, qui baptizavit, non „ errorem introducens aut hæresim, sed pro sola „ ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ùt supra fati sumus, baptizans dixisset, „ non possumus consentire, ut denuò baptizentur. " Eodem modo respondit Stephanus II. annò 754. prout refertur Tom. II. Concil. Galliæ ad baptismum collatum sub hac forma: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritûs S. mergo. Infantes illi*, inquit Papa c. 14. *quos baptizavit, licèt rusticè, quia in nomine SS. Trinitatis sunt baptizati, in eo permaneant baptismo.*

DICO X. Peccat mortaliter, qui in collatione Sacramentorum extra casum necessitatis adhibet materiam vel formam dubiam.

PROBATUR 1. ex illo S. Augustini l. 1. de baptismo c. 3. graviter peccaret in rebus ad salutem pertinentibus vel eo solo, quòd certis incerta præponeret.

PROBATUR 2. ex damnatione hujus propositionis per InnocentiumXI. „ Non est illicitum „ in Sacramentis conferendis sequi opinionem „ probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum „ gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione „ baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. "

DICO XI. Peccat mortaliter, qui uteretur deliberatè materia vel forma etiam solùm accidentaliter diversa ab ea, quæ à Christo vel Ecclesia determinata est.

PROBATUR. Ea licentia deliberatè ac ex instituto adhibendi materiam vel formam accidentaliter à præscripta diversam non solùm ostendit contemptum formalem saltem interpretativum constitutionum Ecclesiæ in re maximi momenti, quales sunt cæremonia Sacramentales ob uniformitatem symbolicæ & characteristicæ Ecclesiæ, sed etiam vergeret in notabile dedecus Ecclesiæ, quod oriretur ex diversitate cæremoniarum Sacramentalium juxta cujuslibet privati Ministri arbitrium.

DICO XII. Peccat tamen solùm venialiter, qui in casu particulari sine plena deliberatione & consideratione uteretur materia vel forma accidentaliter diversa, nisi hoc fiat ex habitu per negligentiam vel inscitiam graviter culpabilem contracto.

PROBATUR. Ejusmodi errores sine plena deliberatione à Sacerdotibus sine pravo habitu commissi etiam ab Amicis Dei in administratione Sacramentorum sunt moraliter inevitabiles. Ergo non est præsumendum, quòd Deus sub peccato gravi voluerit obligare suos Ministros ad evitandos ejusmodi errores. CONFIRMATUR ex sensu communi DD. inter quos etiam reperitur P. Natalis l. c. Reg. 9. Author alioquin minimè amans laxitatum.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 1. & 2. Concl. 1. Ille, qui alteri promittit sub conditione magnam gratiam, non obligatur promissario ad implendum promissum, si vel minimum desit ex parte conditionis. Ergo etiam Deus non tenetur ad conferendam gratiam Sacramentalem, si ex parte materiæ vel formæ desit vel minima pars etiam solum accidentalis.

2. Aqua congelata solùm accidentaliter differt ab aqua fluida, & tamen non sufficit ad valorem Sacramenti. Ergo etiam mutatio accidentalis circa materiam & formam reddit Sacramentum invalidum.

3. Vinum congelatum adhuc verè comprehenditur sub significato & denominatione vini. Ergo etiam aqua congelata adhuc verè comprehenditur sub significato aquæ naturalis. Ergo, si non

non est materia Baptismi, sequitur, mutationem accidentalem materiæ obesse valori Sacramenti. *Ant. prob.* Vinum congelatum post Consecrationem adhuc verè refert speciem vini. ergo. *ad prob.* In speciebus vini congelati adhuc remanet, præsentia Christi. ergo.

Respondeo *ad* 1. d. non obligatur, si vel minimum desit pertinens ad essentiam ac substantiam conditionis. c. secùs. n. a. vel *subd.* si conditio in pactum deducta consistat in indivisibili. c. si non consistat in indivisibili. n. Sic si Princeps vel herus famulo promittat pinque officium, si tribus annis sibi fideliter servierit, non propterea promissione excidet, si unum vel alterum poculum cerevisiæ præter concessa intra triennium durante convivio exhauserit.

Ad 2. d. non sufficit ad valorem Sacramenti per accidens ex concomitantia formæ. c. per se. n. aqua, etiam congelata, per se, & ex sua natura semper est materia Sacramenti, per accidens tamen, quia durante congelatione non potest verificari forma Sacramenti, in actu secundo non potest fungi officio materiæ unibilis ad formam.

Respondeo 2. d. differt tantùm accidentaliter in consideratione physica. c. in consideratione theologica n. In consideratione theologica materia baptismi non consideratur quoad esse absolutum ac physicum, sed consideratur quoad esse relativum & aptitudinem proximam ad suam formam; qualem tamen non habet aqua congelata in sensu composito cum congelatione; quia non servit in hoc statu ad ablutionem, quæ exprimitur in verbis formæ.

Ad 3. c. a. & c. d. a. subsumpti. Sequitur mutationem accidentalem obesse valori Sacramentorum, ubi illa mutatio accidentalis per accidens tollit verificativum formæ. c. ubi verificativum formæ non tollit. n. Dico enim, quòd aqua congelata, & vinum congelatum per se eodem modo se habeant ad naturam Sacramenti, cujus sunt materia. Sed aquæ congelatæ accidit, quòd sit respectiva formæ, quæ verificari non potest, nisi in aqua actu fluida. Econtra vinum congelatum est respectivum formæ, quæ verificari potest, sive vinum sit actu fluidum, & proxime potabile, sive non. Utrumque adhuc comprehenditur sub significato proprio materiæ à Christo institutæ; illud enim vocatur *aqua congelata*, sicut alia vocatur aqua calida, aut turbida: & hoc vocatur *vinum congelatum*, sicut aliud vocatur vinum calidum &c. utrumque etiam facilè reducitur ad suam connaturalem formam accidentalem, servientem usui humano, saltem ad finem naturalem aliquem, nempe ablutionis, quam respicit Sacramentum.

Objicitur 2. In Sacramento Eucharistiæ aqua cum vino mixta est proxima materia Sacramenti, ita ut simul cum vino transeat immediatè in sanguinem Christi, sicut ipsum vinum, etsi non comprehendatur sub significato proprio vino, quod est materia Eucharistiæ determinata à Christo. Ergo non est verum, omnem & solam illam mutationem materiæ sufficere ad valorem Sacramenti, qua stante res alterata adhuc comprehenditur sub significato proprio materiæ determinatæ à Christo.

2. Peccata reservata à Papa vel Episcopo comprehenduntur sub significato proprio illius rei, quæ est materia Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen non sunt materia sufficiens ad valorem Sacramenti. Ergo illa Conclusio non est vera, qua dicitur, non obesse valori Sacramenti mutationem, quando res adhuc comprehenditur sub significato proprio materiæ determinatæ à Christo.

Respondeo. n. a. Quòd talis aqua non amiserit suum nomen proprium aquæ, & induerit per commixtionem denominationem vini; nulla enim pars totius potabilis in æstimatione morali vocatur aqua, sed totum & omnes illius totius partes vocantur vinum. Addo, probabilius ipsum Christum in ultima cœna usum esse vino cum aqua mixto; quia ita erat moris apud Hebræos, prout Ludovicus Veil in Matthæum ostendit.

Ad 2. dist. Non sunt materia sufficiens ad valorem Sacramenti per accidens ex defectu conditionis requisitæ ex parte Ministri. c. per se, & ex defectu qualitatis requisitæ ex parte materiæ. n. nihil enim his peccatis deest, quin possint absolvi, sed ex parte Ministri deest potestas Jurisdictionis, vi cujus defectus contingit, ut hic & nunc non detur Minister absolvens.

Objicitur 3. Apostoli baptizarunt in solo nomine Christi, etsi talis baptismi forma non retineat sensum à Christo intentum. Ergo sola mutatio formæ quoad sensum verborum à Christo intentum non diversificat effectum Sacramenti. c. patet; quia ille Baptismus sine dubio erat validus. *Ad prob.* Act. 2. v. 38. Petrus ad Judæos dicit: *Baptizetur unusquisque Vestrum in nomine JEsu Christi.* Et c. 8. v. 12. dicitur: *In nomine JESU Christi baptizabantur viri ac mulieres.* Et c. 10. v. 48. *Jussit eos baptizari in nomine Domini JEsu Christi.* Et c. 19. v. 5. scribitur: *Baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* 2. Nicolaus Papa in Epist. ad Bulgaros, quæ recitatur c. à *quodam.* 24. de Consecr. dist. 4. declaravit, validum esse Baptismum, à quodam Judæo collatum in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine JEsu. Ergo illa variatio formæ quoad sensum verborum non invalidat Sacramentum. 3. Si requireretur tam exacta formæ identitas quoad sensum, sequeretur, quod in lingua Tun-Chinensium non posset validè administrari Baptismus. Sed hoc non potest dici. ergo. *Maj. prob.* in lingua illa vox correspondens huic termino; *nomen, in nomine,* non significat *authoritatem*, *in authoritate*, sed tantum significat *appellationem*, vel *famam*, ita ut si quis ibi baptizaret *in nomine Patris*, reipsa baptizaret in *appellatione*, vel in *fama Patris.* 4. Si requireretur tam scrupulosa identitas quoad sensum, sequeretur etiam, quod si quis in forma Consecrationis, omitteret particulam causalem *enim*, invalidè consecraret. Sed hoc repugnat communi sensui DD. ergo. *Maj. prob.* propositio causalis, & propositio absoluta notabiliter differunt in æstimatione morali. 5. Si quis consecraret sub hac forma: *Hoc est Corpus meum nondum crucifixum*; retineret sensum à Christo intentum, & tamen invalidè consecraret. Ergo identitas sensus in forma nec validat, nec invalidat Sacramentum.

 Respon-

Respondeo. n. a. *ad prob.* dist. Dicitur, Baptismum tunc fuisse collatum in nomine JEsu Christi per expressam additionem horum terminorum c. per suppressionem explicitorum terminorum Patris & Spiritus Sancti. n. per Baptismum collatum in nomine JEsu Christi tantum intelligitur Baptismus collatus sub hac forma: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Domini Nostri JEsu Christi, & Spiritus Sancti;* ita ut denominatio Baptismi tantum fuerit desumpta ab eo, quod in illo tunc temporis erat famosius. Vel potest dici, Baptismum collatum sub expressa invocatione trium Personarum vocari Baptismum collatum in nomine JEsu Christi, in quantum erat institutus à Christo, & per oppositionem ad Baptismum Joannis Baptistæ, qui vocabatur à populo Baptismus Joannis, quòd enim primis temporibus Baptismus fuerit collatus sub expressa invocatione trium Personarum, videtur satis clarè colligi ex Act. 19. ubi D. Paulus miratur, quosdam jam baptizatos nihil scire de Spiritu Sancto; dicit enim: *in quo ergo baptizati estis?* v. 3. hæc autem interrogatio non potuisset fieri, si non supponeret Apostolus, omnes baptizari sub expressa invocatione Spiritus Sancti. Certè nec Patres tribus primis Sæculis hæc verba aliter intellexerunt. Tertullianus l. de Baptismo. c. 13. dicit: *Lex tingendi ipsis etiam Apostolis posita fuit, & forma præscripta illis verbis: Docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* S. Cyprianus epist. 73. ad Jubaianum scribit: *JESU Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Origenes in Epist. ad Rom. exponens illa verba Apostoli. *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* sic scribit: *Cur hic Apostolus solius Christi in Baptismo nomen assumpsit, cùm utique non habeatur legitimum baptisma, nisi in nomine Trinitatis? Quoniam in præsenti loco non tam baptismatis rationem, quam mortis Christi discutere cupiebat; & non conveniens erat, ut ubi de morte dicebat, vel Patrem nominaret, vel Spiritum Sanctum nec conveniebat, ut diceret: Quicunque baptizati sumus in nomine Patris, vel in nomine Spiritus Sancti in morte ipsius baptizati sumus.*

Ex his textibus colligitur, primis tribus Sæculis Patres supposuisse, quòd non solum Gentiles, sed etiam Judæi, ad quos Apostolus permixtos scribit, dum ad Romanos scribit, baptizati fuerint sub expressa invocatione SS. Trinitatis. Siquis tamen oppositam D. Thomæ expositionem tueri velit, quam eruditè P. Orsius in l. *de Baptismo.* vindicat, posset Responderi, ita factum fuisse ab Apostolis extrasacramentaliter ad demonstrandam plenitudinem potestatis ex speciali instinctu divino, sicut S. Thomas respondet de Confirmationis Sacramento p. 3. Q. 72. a. 2. ad 1. & a. 4. ad 1.

Vel potest dici, formam illam Apostolicam fuisse relativam ad Patrem, cujus Christus prædicabatur Filius, & ad Spiritum Sanctum, qui tunc temporis visibiliter conferebatur in Baptismo, ita ut processio Spiritus Sanctus à Filio per hoe ipsum significantius exprimeretur; quia Spiritus Sanctus dabatur in nomine Filii. *Dicendum,* inquit S. Thomas p. 3. Q. 66. a. 6. ad 1. *quòd ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo.* In hac explicatione sensus formæ Apostolicæ fuisset quoad substantiam idem etiam explicitè, sed expressione relativa ad terminos, nempe ad Patrem, à quo Christus est à morte resuscitatus, & ad Spiritum Sanctum, qui conferebatur in Baptismo in nomine Christi.

Ad 2. Oppono inprimis Nicolao I. Pelagium II. qui, ùt refertur c. *Si revera.* de Consecr. dist. 4. & refert S. Thomas p. 3. Q. 66. a. 6. arg. *Sed contra.* talem Baptismum esse invalidum declarat; sic enim in Epist. ad Gaudentium scribit: *Si hi qui in* locis tuæ Dilectioni vicinis commorari dicuntur, solummodo se *in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujusquam dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.*

Respondeo 2. Eam Instructionem Nicolai solùm fuisse Pastoralem, non definitivam, quia non fuit edita pro tota Ecclesia.

Respondeo 3. dist. Nicolaus docet, Baptismum esse validum collatum in nomine Christi *relativè sumpti* ad expressionem Personarum Patris & Spiritus Sancti per circumstantias. tr. *absolutè sumpti.* n. cùm enim Papa dicat, idem esse baptizari in nomine Trinitatis, & tantum in nomine Christi, videtur, quòd sensum utriusque Baptismi censeat esse eundem. Verba Nicolai Papæ sunt ista: *Si in nomine S. Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt* (unum quippe idemque est, ùt Sanctus exponit Ambrosius) *constat, eos non denuò baptizandos esse,* Ambrosius autem l. 1. de Spiritu S. c. 3. hæc duo eatenus idem esse declarat, quatenus ex circumstantia actionum Baptismum præcedentium & concomitantium constabat, nomen Christi in mente audientium & in SS. Trinitatem credentium accipi & intelligi relativè ad Patrem ac Spiritum Sanctum. *Quamvis,* inquit S. Ambrosius, *tacitum fit de Spiritu, tamen creditum est, & quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide.* Sic contingit in omnibus terminis connotativis; quando enim dico: *Sumpsi prandium* vel *cœnam,* simul exprimo tempus refectionis; quando quemdam voco Delphinum in Gallia, Infantem in Hispania, Principem Walliæ in Anglia, intelligo eoipso filium Regis, & Regem ut Patrem. Papæ nomine intelligitur, & exprimitur Vicarius Christi & Summus Pastor Ecclesiæ, per quod proin simul exprimuntur & Christus & Ecclesia. Utrum verò expressio trium Personarum debeat venire in recto vel obliquo, potuit videri, quod pertineat ad Potestatem Ecclesiæ, ac consequenter Apostolorum, in quantum habent potestatem determinandi materiam & formam sub specie infima.

Ad 3. n. *Maj. ad prob.* dist. Terminus ille tantum significat appellationem aut famam ex primæva institutione nominis. c. ex significatione adscititia. n. sæpe enim nomina nanciscuntur quamdam significationem adscititiam ex communi usu hominum. Sic etiam apud *Dalmatas* terminus,

minus, quo utuntur in Baptiſmo, ex primæva ſua inſtitutione idem ſignificat, quod *Chriſtizo*, quæ ſignificatio utique non exprimeret ablutionem. Imò etiam terminus Germanicus in caſu neceſſitatis à Laicis adhiberi ſolitus: Ich tauffe dich 2c. videtur potius originaliter ex primæva inſtitutione ſignificare *immerſionem* quàm *ablutionem*, licèt nunc falſum ſit, parvulos immergi, dum baptizantur. Sic ergo etiam apud Tun-Chinenſes terminus ille ex ſenſu adſcititio poteſt ſignificare authoritatem.

Ad 4. n. *Maj. ad prob.* diſt. Differunt in conſideratione morali, quando effectus moralis alligatur rei ſub ratione relativa ſpectatæ. c. quando tantum alligatur rei ſub ratione abſoluta ſpectatæ. n. An Chriſtus voluerit effectum Sacramentalem alligare verbis conſecratoriis *relativè* vel *abſolutè* conſideratis, dependet à liberrima ejus voluntate. Senſus autem communis Doctorum in traditione fundatus tenet, quòd Chriſtus effectum Sacramentalem, ſeu transſubſtantiationem voluerit alligare verbis conſecratoriis abſolutè acceptis.

Ad 5. n. a. Chriſtus enim voluit virtutem Conſecrationis alligare verbis Conſecratoriis *hiſtoricè* ſeu *narrativè* prolatis, & in Perſona Chriſti *authoritativè* ordinatis ad effectum Sacramentalem ſeu ad transſubſtantiationem; Chriſtus autem, cujus acta *hiſtoricè* ſeu *narrativè* recitantur, non dixit: *Hoc eſt Corpus meum, quod nondum fuit traditum, ſeu nondum crucifixum*; ſed dixit: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis traditur.*

QUÆSTIO IV.

An intentio Miniſtri & voluntas Chriſti Inſtituentis ſint pars conſtitutiva Sacramentorum?

NOTANDUM I. Certum eſſe ex Concilio Florentino, quòd intentio Miniſtri requiratur ad valorem Sacramentorum. In Decreto Unionis §. 5. Concilium ſic habet: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquod deſit non perficitur Sacramentum.* Ita Concilium. Idem definitur in Concilio Trident. Seſſ. 7. de Sacramentis in genere. Can. 11. ubi ſic habetur: *Si quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

NOTANDUM 2. Eam intentionem Miniſtri, quæ ad valorem Sacramentorum requiritur, juxta communem Theologorum debere eſſe eam, qua Miniſter intendat ſaltem exercitè, facere, quod facit Eccleſia; ut enim id reflexè dicat, vel cogitet, non requiritur.

NOTANDUM 3. Dari duas circa intentionem Miniſtri ſententias. Thomiſtæ & Scotiſtæ cum multis ex Societ. Jeſu defendunt, intentionem Miniſtri non eſſe partem Sacramenti. Lugo tamen, Arriaga, Perez, Palavicinus, Eſparza, Haunold. & plures alii docent, intentionem Miniſtri eſſe partem Sacramenti.

DICO I. Intentio Miniſtri non eſt pars Sacramenti.

PROBATUR 1. Eſſe partem Sacramenti eſt eſſe cauſam collativam gratiæ. Sed intentio Miniſtri non eſt cauſa collativa gratiæ. ergo. *Maj. patet*; quia pars Sacramenti debet eſſe pars ſigni gratiæ practici, ſeu collativi gratiæ. Itaque neceſſarium eſt, ut pars Sacramenti ſit etiam cauſa partialis collativa gratiæ. *Min. prob.* negativè; quia hæc cauſalitas intentionis non poteſt ſufficienter probari ex Scriptura, aut Traditione.

PROBATUR 2. Si intentio Miniſtri foret pars Sacramenti collativa gratiæ, ea intentionis dignitas debuiſſet aliquando à SS. Patribus fuiſſe cognita. Sed non fuit cognita. ergo. *Min. prob.* ex ſilentio SS. Patrum, in quibus vix verbum ullibi reperitur de intentione Miniſtri, niſi una vel altera vice indirectè circa ejus neceſſitatem, inquantum aſſerunt, Miniſtrum non debere joculariter agere in adminiſtratione Sacramenti.

PROBATUR 3. Si intentio Miniſtri eſſet pars Sacramenti, id ideo diceretur; quia requiritur ad valorem Sacramenti. Sed hoc nihil probat. ergo. *Maj. patet*; quia alia ratio ſolida nequit aſſignari. *Min. prob.* Si intentio Miniſtri ideo foret pars Sacramenti, ob paritatem rationis ſequeretur 1. etiam Perſonam Miniſtri fore partem Sacramenti; quia in Concilio Florentino eodem modo dicitur requiri perſonam Miniſtri, ſicut dicitur requiri intentionem Miniſtri, & materiam & formam. 2. Quòd etiam intentio ſuſcipientis ſit pars Sacramenti v. g. Euchariſtiæ, Matrimonii, Pœnitentiæ, Baptiſmi, & Ordinis. 3. Quòd character in Baptiſmo impreſſus ſit pars omnium Sacramentorum ſubſequentium; quia ſine Baptiſmo & charactere nullum aliud Sacramentum ſuſcipitur validè. 4. Quòd poteſtas & character Sacerdotalis ſit pars omnium Sacramentorum, quæ non niſi à Sacerdote validè adminiſtrari poſſunt, quale eſt Sacramentum Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ. 5. Quòd etiam ſexus virilis ſit pars Sacramenti Ordinis, & morbus extremæ Unctionis &c. quæ omnia ab ipſis Patronis adverſæ ſententiæ nec admittuntur, nec ſine abſurdo admitti poſſunt.

DICO II. Voluntas Chriſti inſtituentis eſt pars Sacramenti.

PROBATUR 1. Vox ſignificativa ad placitum pro ſui parte conſtitutiva involvit voluntatem inſtituentium. Ergo etiam ſignum Sacramentale ſignificativum gratiæ pro ſui parte involvit voluntatem inſtituentis.

PROBATUR 2. Illud eſt pars, quo formaliter non poſito non ponitur formaliter totum. Sed non poſita formaliter voluntate Chriſti non ponitur formaliter ſignum Sacramentale ſignificativum & moraliter collativum gratiæ. ergo. *Min. prob.* quando in bivio reperitur ſignum directivum itinerantium, voluntas dirigentis eſt id, quo formaliter non poſito non ponitur formaliter ſignum directivum itinerantium. Ergo etiam non poſita formaliter voluntate Chriſti non ponitur formaliter ſignum Sacramentale in eſſe ſignificativo gratiæ.

Solvun-

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra 1. Concl. Concilium Florentinum eodem modo dicit, Sacramentum perfici per Personam Ministri & intentionem, quo modo dicit, Sacramenta perfici materiâ & formâ. ergo sicut ista sunt pars Sacramenti, ita etiam illa. 2. Quando Magistratus hederam vult esse signum vini vendibilis, vult etiam, ut ipsa suspensio hederæ sit signum vini vendibilis: ergo etiam Christus, dum vult materiam & formam Sacramenti esse signum gratiæ, vult, ut etiam intentio ministri sit pars gratiæ.

Respondeo d. Concilium Florentinum hoc dicit eodem modo generico. c. eodem modo specifico. n. Concilium tantùm dicit, quatuor illa, nempe *materiam, formam, personam & intentionem* ministri esse requisita necessaria ad valorem Sacramenti. Utrùm autem eodem modo specifico requirantur per modum partis, vel per modum *conditionis* vel *applicationis*, hoc non dicit.

Ad 2. tr. a. n. c. & parit. Disparitas est; quòd suspensio hederæ habeat naturam signi, & participet definitionem signi; est enim id, quod præter sui speciem, quam ingerit sensibus, facit aliud in cognitionem venire. Sed intentio interna non participat naturam & definitionem signi; non enim est id, quod præter speciem, quàm ingerit sensibus, facit aliud in cognitionem venire, utpote nec signo externo expressa, nec etiam certò cognita.

Objicitur 2. Illud est pars, quod quidem non est totum, est tamen tale, ut ipso solo non posito positis licèt reliquis omnibus non ponatur totum. Sed tale quid est intentio Ministri. ergo. Min. prob. posita materia & forma ac ipsa etiam voluntate Christi attamen non ponitur totum. Ergo.

Respondeo 1. Retorquendò in illis absurdis Prob. 3. adductis, quæ sequerentur ex hac sententia, si intentio Ministri ponatur esse pars Sacramenti.

Respondeo 2. n. Maj. Pars enim juxta nos est illud, quo formaliter non posito non ponitur formaliter totum; si enim illa regula partis esset vera, sequeretur, quòd Deus esset pars creaturæ, & aer in pulmones attractus esset pars vitæ; quod est falsum, prout in Logica Phylos. Polling. ostensum est.

Dices 1. Non posita intentione Ministri nec formaliter ponitur Sacramentum. Ergo est pars. Ant. prob. non posita intentione Ministri non ponitur materia & forma Sacramenti in ratione signi gratiæ practici. ergo. Ant. prob. Christus noluit materiam & formam Sacramenti v. gr. baptismi, esse actuale signum gratiæ practicum, nisi quam actu prævidit substare intentioni Ministri. ergo. Ant. patet; quia non potuit Christus prudenter velle, ut ea materia & forma esset actuale signum gratiæ practicum, nisi actualiter substaret intentioni Ministri.

Respondeo 1. Retorquendo partim in instantiis Prob. 3. adductis, partim in applicatione ignis ad lignum; nec enim Deus voluit, ignem esse causam physicam combustionis, nisi ùt applicatum ad ignem; quin tamen per hoc sequatur, applicationem esse causam partialem combustionis, vel partem causæ.

Respondeo 2. n. a. ad par. d. ant. non posita intentione Ministri materia & forma non ponitur realiter in ratione signi practici. c. non ponitur formaliter in ratione signi practici. n. sicut enim in conceptu formali causalitatis seu dependentiæ ignis B. ab igne A. non involvitur applicatio ignis A. ad lignum, ita etiam, quando concipio materiam & formam baptismi in ratione signi practici, non necessariò cogito de intentione ministri; adeoque non involvitur intentio ministri in formali conceptu Sacramenti.

Dices 2. Ex hac responsione sequitur, quòd etiam materia aut forma non sit pars Sacramenti. Sed hoc non potest dici. Ergo. Maj. prob. Posset eodem modo dici, quòd materia sit tantùm conditio seu requisitum essentiale ad hoc, ut forma per voluntatem Christi fiat actuale signum gratiæ practicum.

Respondeo. n. Maj. ad prob. dist. posset hoc dici, si Christus ita voluisset instituere Sacramentum, ut sola materia aut sola forma haberet rationem signi ducentis ex noto in notitiam rei ignotæ. c. Si Christus voluit complexum ex materia & forma habere rationem signi. n. Quòd Christus voluerit tam materiam quàm formam, hoc est, totum compositum ex materia & forma habere rationem signi, nósque per sui speciem, quam ingerunt sensibus, ducere in cognitionem gratiæ, colligitur ex communi sensu SS. PP. qui effectum Sacramentalem adscribunt *rebus & verbis*, atque admirantur mirabilem vim tam elementorum Sacramentalium, quàm ipsorum verborum. Ratio autem hujus divinæ voluntatis potuit esse; quia connaturalius est usui humano, ut, si signum fuerit perfectum, simul ducat in cognitionem rebus symbolicis, & verbis.

Dices 3. Saltem ex hac responsione sequetur, quòd sola materia proxima simul cum forma, non verò materia remota sit pars Sacramenti. sed hoc non potest dici. Ergo. Min. patet; quia SS. PP. non adscribunt virtutem sanctificandi animam ipsi ablutioni, seu actioni baptizantis, sed potiùs ipsi aquæ. Maj. prob. in conceptu formali baptismi non necessariò aliud involvitur, nisi materia proxima cum forma. ergo.

Respondeo. n. Maj. ad pr. n. a. Actio enim abluentis foret eadem, sive ablueret aqua, sive vino, sive lacte &c. quin tamen baptismus per vinum foret validus. Ex hoc ergo manifestum est, quòd in formali conceptu baptismi sub ratione signi practici involvatur materia etiam remota. Dein etiamsi Christus potuisset ita Sacramenta instituere, eum tamen aliter voluisse constat ex SS. PP. qui vim collativam gratiæ adscribunt aquæ, prout monstrabitur Disp. 3.

Objicitur 3. Illud est pars Sacramenti, per quod actio sacramentalis formaliter est moraliter actio Christi per intentionem Ministri. ergo. Maj. patet; quia Sacramenta in tantum causant gratiam, in quantum moraliter sunt actio Christi, prout dicetur Disp. 3. Min. prob. per intentionem formalissimè fit, ut actio Sacramentalis ponatur nomine Christi. Ergo etiam per

eam

eam formaliter fit, ut actio Sacramentalis formaliter fit moraliter actio Christi.

2. In matrimonio intentio Ministri est pars Sacramenti. Ergo idem est dicendum de aliis Sacramentis. *a. prob.* in Sacramento Matrimonii contractus matrimonialis formalissimè constituitur per consensum contrahentium. ergo.

3. Si intentio non esset pars Sacramenti, non posset explicari, quid Minister sua intentione velit, quando vult conficere Sacramentum? non enim pro objecto hujus intentionis potest assignari sola materia & forma; hæc enim possunt poni etiam non Sacramentaliter, v. g. in casu, quo ponuntur tantum exercitii causa, vel ex alio fine. Neque etiam pro objecto hujus intentionis potest assignari voluntas Christi instituentis; aut voluntas Christi cum materia & forma; quia voluntas Christi semper datur, sive ponatur materia & forma Sacramentaliter, sive non; Christus enim semper vult, talem rem esse materiam Baptismi, & talia verba esse formam Baptismi. ergo.

Respondeo. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* n. a. Nam intentio Ministri non efficit causaliter vel formaliter, ut actio Sacramentalis fit moraliter actio Christi; sed hoc fit per voluntatem Christi, qui vult eam actionem Sacramentalem haberi pro sua. Intentio autem Ministri est pura conditio, qua posita ponitur ille effectus moralis voluntatis Christi, ut actio Sacramentalis, quæ de se est in potentia proxima ac dispositione proxima ad hoc, ut assumatur actualiter à Christo, pro sua actione, actu fit moraliter actio Christi.

Ad 2. n. a. *ad prob.* c. a. n. c. & suppositum, quod contrahentes sint Ministri hujus Sacramenti. Suppono enim, Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti. Itaque ea intentio contrahentium non erit intentio Ministri, sed erit pars materiæ Sacramenti. Hinc potest

Respondeti 2. dist. Intentio civilis relatè ad obligationes civiles contractus matrimonialis est pars Matrimonii. c. intentio Sacramentalis relatè ad effectus intentos à Christo. n. In contrahentibus Matrimonium dantur duæ intentiones saltem formaliter inter se distinctæ. Una intentio fertur ad obligationes Matrimonii civiles, qualis datur in Ethnicis, Turcis, & Hæreticis. Altera intentio fertur ad effectus Sacramentales à Christo intentos. Illa est pars materiæ Matrimonii. Altera non est pars Matrimonii, sed tantum est conditio ad rationem Sacramentalem Matrimonii.

Ad 3. n. *Maj.* Dico enim, quòd Minister non solum velit materiam & formam, & voluntatem Christi, sed etiam velit effectum à Christo vel Ecclesia intentum, abstrahendo, an ille effectus sit physicus, per collationem gratiæ, vel tantum moralis, per aggregationem baptizati in communionem populi Christiani, sicut in Veteri Testamento per Circumcisionem circumcisus aggregabatur populo Dei.

QUÆSTIO V.

An ad valorem Sacramenti sufficiat intentio solum faciendi materialiter, quod facit Ecclesia?

Et quando error Ministri obstet valori Sacramenti?

Notandum 1. Aliam esse intentionem *materialem*, seu ut aliqui vocant, *externam*, & aliam esse intentionem *formalem*, faciendi quod facit Ecclesia. Intentio externa seu materialis vocatur, qua Minister solum intendit ponere exteriorem formam ab Ecclesia consuetam nihil aliud intendendo, nisi ut vel satisfaciat exterius suo officio, si est Christianus, vel ut satisfaciat superstitioni Christianorum, si sit Judæus, Turca, vel Ethnicus. Hunc modum administrandi Sacramentum Authores dicunt fieri cum intentione faciendi saltem materialiter, quod facit Ecclesia. Alii Authores quæstionem sub aliis terminis proponunt, & quærunt; an obsit valori Sacramentorum *retentio intentionis?* Ita ut Minister positivè intus in animo excludat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Catholica, sed tantum exterius se simulet Catholicum, aut Christianum, ac propterea more aliorum serio & gnaviter ponat cæremonias consuetas. Intentio autem formalis vocatur ea, qua Minister revera intendit effectum à Christo vel Ecclesia intentum.

Notandum 2. Eam sententiam, quòd in Ministro sufficiat intentio materialis, adscribi Catharino, celebri Scriptori ex Ordine D. Dominici. Eandem tanquam probabilem propugnat P. Juenin de Sacramentis dissert. 1. Q. 5. c. 2. a. 3. Eandem apertè defendit P. Hyacinthus Serry in Vindiciis Vindiciarum Catharini editis Patavii 1733. Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. in l. 7. *de Synodo.* c. 4. n. 6. &c. sic scribit: „Quamquam apud Catholicos certissimum sit, in Sacramenti Ministro aliquam intentionem requiri, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, valde tamen inter eosdem disputatur, de hujus intentionis objecto, seu quid illud sit, ad quod ferri debeat ejusmodi intentio, quam omnes necessariam fatentur. Ambrosius Catharinus, è Dominicanorum Familia, Episcopus Minorensis, & postea Archiepiscopus Compsanus in Opusc. de intentione Ministri, contendit, ad Sacramentum validè administrandum, satis esse, ut Minister intentionem habeat seriò perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur; atque ideo, etiamsi suam intentionem retineat, aut interius dicat, se nolle facere, quod facit Ecclesia, dummodo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam voluntatem prodat, ratum, perfectumque Sacramentum ab eo perfici Catharinus propugnat. Catharino præiverant Petrus Cantor, Robertus Cardinalis Pullus, Paludanus, Sylvester, eumque postea sunt secuti Salmeron l. 1. comment. in epist. D. Pauli 3. p. disp. 2. Joannes Marius Scribonius in

 „Summ.

„ Summ. Theol. de Sacram. in genere Q. 6. & 7. „ Vincentius Contempsonius in suo Tractatu de „ Sacramentis in genere. Hyacinthus Serry in „ Vind. Vind. Natalis Alexander, Caspar Juenin, aliique Recentiores.

„Hæc tamen opinio visa est aliis coincidere „ cum Lutheri, & Calvini doctrina, à Concilio „ Tridentino expressè damnata, ac propterea „ non dubitarunt hæresis notam eidem inurere, „ verum hujusmodi Censores Concilii Tridentini „ historiæ se prorsus jejunos ostendunt: etenim „ Sessio Septima, ubi primo impium hæreticorum dogma anathemate confossum fuit, habita est die 3. Maji 1547. & laudatum Catharini „ opusculum, Romæ Typis impressum prodiit „ anno 1552. quin opusculi Author, ea occasione, in aliquam erroris suspicionem venerit: „ quapropter Cardinalis Pallavicinus, cui Tridentini Canones, & Decreta, eorumque genuinus sensus, ignota profecto non erant, in „ ejusdem Concilii historia l. 9. c. 6. n. 2. loquens „ de sententia, à Catharino in eodem Concilio „ propugnata hæc habet: Equidem existimo, Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo „ per Tridentinos Canones disertè damnatam: „ quapropter fas illi fuit affirmare, cum Concilio non contradicere. & l. 12. c. 10. exponens „ Decreta, Pœnitentiæ Sacramentum spectantia, „ à Concilii Patribus formata, n. 34. ait: Ex hisce postremis verbis conjicere potest, quisquis „ ea legerit, haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum, opinantium, Sacramento, quo ratum sit, sufficere in „ Ministro voluntatem serio agendi, & obesse „ tantummodo jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit.

„Quam ob rem melioris judicii Theologi, „ Catharini opinionem ab hæresis censura vindicant, latumque inter illam, ac Lutheri & Calvini doctrinam discrimen intercedere demonstrant, præsertim Vasquez in 3. p. tom. 2. disput. 138. c. 2. & 3. Cardinalis de Lugo de „ Sacram. disp. 8. Sect. 2. n. 15. Natalis Alexander Theolog. Dogm. & Moral. tom. 2. c. 1. „ art. 3. Reg. 1. Juenin de Sacram. dissert. 1. „ q. 5 art. 3. §. 1. Quinimò Marcus Antonius de „ Dominis l. 5. de Republ. Eccl. c. 12. § 12. & „ 13. ubi perversum hæreticorum errorem adstruit, Catharinum à sua sententia prorsus alienum agnoscit, & fatetur. Negari tamen haud „ potest, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII. à quo die septima „ Decembris 1690. hæc inter alias propositio „ damnata fuit: valet Baptismus, collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde „ suo apud se resolvit: non intendo facere, quod „ facit Ecclesia. Sed nihilominus à damnationis telo illam defendere conantur Juenin cit. „ loc. Serry in Vind. Vind. pag. 109. Auctor „ operis de re Sacrament. pag. 113. Aliique, „ confixam propositionem intelligendam rati, „ cùm ritus externus, aut non seriò, sed joco & „ mimicè peragitur, aut ab illo exercetur, qui „ aliunde, hoc est, ab aliqua exteriori circumstantia, puta à Sacramenti postulatione, non „ determinatur ad agendum nomine Ecclesiæ, „ seu tanquam Ecclesiæ Minister: ultro enim admittit Juenin, non validè baptizare, qui à nemine postulatus domi infantem abluit, cum „ expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatione, si „ intra se deliberet, id, quod fert propositio damnata: non intendo facere, quod facit Ecclesia.

„ Verum utut hæc res coram Deo se habeat, „ nulla usque adhuc de ea emanavit expressa „ Apostolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur „ communior sit sententia exigens in Ministro „ intentionem vel actualem, vel virtualem faciendi, non solum ritum externum, sed id, „ quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, „ & hæc, veluti tutior, sit omnino servanda in „ praxi; non est tamen Episcopi, priorem opinionem reprobare, atque ad hanc posteriorem, „ etiam theoricè tuendam, suos Diœcesanos adigere: causas quippe majores, difficilioresque „ quæstiones, Fidem, aut disciplinam spectantes, „ ad Apostolicam Sedem deferendas, statuit „ perpetua Ecclesiæ consuetudo ab Innocentio „ III. in cap. Majores. de Baptismo. confirmata. „ Quare, si constet, quempiam aut Baptismum „ contulisse, aut aliud Sacramentum, ex iis, quæ „ iterari nequeunt, administrasse omni adhibito „ externo ritu, sed intentione retenta, aut cum „ deliberata voluntate non faciendi, quod facit „ Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum, quemadmodum ad Severum Scholasticum Constantinopolitanum faciendum scripsit Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, in difficili „ quæstione, qua tunc Ecclesia fatigabatur, doctis indoctisque in varias partes scissis, inquiens: „ Interroga, Vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter, Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine Authoritatis (tom. 9. Biblioth. PP. pag. 509.) Quod „ semel monitum volumus, ut regula sit, etiam „ pro aliis controversiis, quas mox commemorabimus." Hucusque Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV.

NOTANDUM 3. Errorem Ministri posse esse varium. Nam 1. potest versari circa sensum formæ, quod fieret, si v g. crederet Filium esse minorem Patre, vel Eum & Spiritum Sanctum esse creaturam. 2. Potest error versari circa essentiam formæ, v. g. si crederet, pronomen *Ego* pertinere ad essentiam formæ: vel si crederet, non hæc verba: *Hoc est Corpus meum;* sed invocationem Spiritus Sancti pertinere ad essentiam formæ. 3. Potest error versari circa naturam Sacramenti, ita ut credat, totam cæremoniam esse rem superstitiosam, prout credunt Gentiles, Judæi, & multi ex hæreticis. 4. Potest ille error vel esse tantum internus, vel etiam signo externo expressus. 5. Potest talis error non solum esse externus, sed etiam protestativus fidei & animi introducendi novum ritum in Ecclesiam. De quovis genere ejusmodi errorum quæritur, an obstet valori Sacramentorum?

DICO I. Ad valorem Sacramentorum non sufficit

sufficit intentio materialis, sed requiritur intentio formalis.

PROBATUR 1. Intentio formalis est illa, qua Minister non solum intendit ponere materiam & formam sed etiam intendit eam materiam & formam *sub modo*, quo est instituta à Christo, & determinata ab Ecclesia. Sed talis intentio requiritur. ergo. *Min. prob.* si non requireretur talis intentio, frustra in Concilio Florent. ad valorem Sacramenti requireretur materia & forma & persona Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Sed hoc non potest dici. ergo. *Maj. prob.* si non requireretur talis intentio, sensus verborum Concilii non posset esse alius, quàm iste: ad valorem Sacramentorum requiritur materia, & forma, & Minister cum intentione ponendi materiam & formam. Sed hoc non potest dici. ergo. *Maj. patet*; quia non potest assignari aliud objectum intentionis præcise materialis, nisi ritus externus materiæ & formæ. *Min. prob.* hic sensus esset ridiculus. Ergo hic sensus non potest esse verborum Concilii. *Ad prob.* ridiculum esset, si servo quis diceret: debes ire in urbem, & deferre ad Petrum epistolam, & cum salutare meo nomine, ac dein emere pileum; attamen debes simul habere intentionem eundi in urbem, & intentionem deferendi epistolam, & intentionem eum salutandi, & intentionem emendi pileum. ergo si in Ministro nihil aliud requireretur, quàm materia & forma, ridicula esset definitio Ecclesiæ, quod simul ad valorem requiratur intentio Ministri ponendi materiam & formam.

PROBATUR 2. Alexander VIII. damnavit eam doctrinam, quòd idem sit intentio ponendi materiam & formam, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Ergo non sufficit intentio præcise materialis, seu intentio ponendi materiam & formam. *Adprob.* propositio damnata sic habet: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Ergo eoipso damnatum est, idem esse intentionem ponendi materiam & formam, ac intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; si enim hæ intentiones duæ idem forent, Pontifex damnasset propositionem ridiculam, involventem in terminis contradictoria, quod non videtur dignum authoritate Sedis Apostolicæ. Si enim hæ duæ intentiones forent idem, rectius Pontifex damnasset solam unam contradictionis partem, nempe quòd in Sacramentis non requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

PROBATUR 3. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut actio Sacramentalis convenienter à Christo possit assumi pro sua. Sed non posset convenienter assumi pro sua in casu, quo Minister habet positivè intentionem contrariam non agendi, quod Christus instituit. Ergo in tali casu non ponitur id, quod ad valorem Sacramenti requiritur. *Min.* videtur per se evidens; quia videtur inconveniens, ut Christus actionem hominis velit haberi pro sua, quam homo positivè non vult esse actionem Christi. *Maj. prob.* omnes actiones Sacramentales sunt actiones solum ministeriales; adeoque ex sua natura sunt moraliter actio Christi; sic enim dicitur 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei.* Sic etiam in Concilio Tridentino Sess. 14. c. 6. dicitur: *Docet S. Synodus, Sacerdotes tanquam Christi Ministros functionem remittendi peccata exercere.*

DICO II. Ad formalem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, non requiritur intentio formalis conferendi effectum Sacramentalem internum.

PROBATUR. Si Judæus, Turca, Gentilis, vel etiam Atheus conferat Baptismum ea intentione, quod velit eum conferre, quomodo Christus instituit, & Ecclesia adhibet, validè baptizat, etsi credat, cæremoniam aut esse inutilem, aut prorsus superstitiosam, ita ut si sequatur aliquis effectus, alius non sit, nisi proveniens ex tacito pacto cum dæmone, prout solet fieri in aliis cæremoniis superstitiosis; aut certè tantum secuturum effectum moralem, consistentem in hoc, quod talis homo censeatur aggregatus populo Christiano & Ecclesiæ per ejusmodi externam professionem fidei. Sed in tali casu non habetur formalis intentio conferendi effectum Sacramentalem internum. ergo. *Maj. prob.* ex sensu perpetuo Ecclesiæ, quæ nullo unquam tempore scrupulum movit baptizatis, à quocunque baptizati essent, dummodo debita forma usi fuerant, quamvis verosimile fit, & merito dubitari potuerit, an tales Judæi vel Gentiles, qui summo odio prosequebantur Christum, non potius intus in animo totam cæremoniam baptismalem irriserint, ac propterea nullum alium effectum intenderint, quam præcise externum moralem, quo volebant satisfacere desiderio baptizandi, ut nempe aggregaretur communioni Christianorum. Ille sensus perpetuus Ecclesiæ probatur I. ex Responso Nicolai I. ad Bulgaros, ubi sic scribit: „A quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano an Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos. Sed (quia de forma debita baptismi merito dubitari poterat, si Judæus ille non fuisset Christianus, aut saltem Catechumenus) primum utrum Christianus an Paganus ipse Judæus extiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum. Quamvis non prætereundum esse credamus, quod Beatus de Baptismo dicat Augustinus. Jam satis, inquit, ostendimus, ad baptismum, qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quàm doctrina cœlestis insinuat." Ita S. Augustinus l. 4. de Baptismo. contra Donat. c. 15.

II. Idem probatur ex D. Augustino, qui in textu proximè relato dicit, qualemcunque errorem baptizantis non obstare valori baptismi, adeoque nec obstare errorem Turcæ, Judæi, Gentilis vel Athei, interius totam cæremoniam baptisma-

ptismalem irridentis, & tanquam sterilem ritum vel superstitiosum intus in animo condemnantis. Idem colligitur ex variis aliis textibus D. Augustini, in quibus qualemcunque simulationem etiam baptizantis obstare valori baptismi negat. l. 1. contra litteras Petiliani, qui scripserat, conscientiam dantis baptismum attendendam esse, sic scribit: „Quomodo de istis baptizantibus securi „ erunt, si conscientia dantis attenditur, quæ la„ tet oculos accepturi? ita secundùm eorum „ sententiam fit salus illa spiritualis incerta."

III. Ecclesia Romana nunquam rebaptizavit eos, qui erant ab hæreticis baptizati, licèt inter eos hæreticos variæ sectæ fuerint, quæ erant solo nomine christianæ, & forte religione Gentilium pejores v. gr. Nicolaitarum, Valentinianorum, Gnosticorum, Priscillianistarum, Marcionitarum, Manichæorum, imo & Origenistarum & Pelagianorum, qui nec credebant, nec volebant conferre aliquem effectum internum. Et tamen Stephanus Papa ad Synodicam Epistolam Concilii Africani, prout ex Epistola Cypriani ad Pompejum desumitur, sic rescripsit: „Si quis à qua„ cunque hæresi venerit ad nos, nihil innove„ tur, nisi quod traditum est, ut manus illi im„ ponatur in pœnitentiam. *Sic etiam Eusebius l. 7. c. 2. scribit*: „Cùm per id tempus non mediocris „ controversia exorta esset, utrum eos, qui ex „ *qualibet hæresi* converteruntur, baptismo purgari „ oporteret; quippe antiqua consuetudo inva„ luerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum „ impositio cum precationibus adhiberetur. *Et S. Augustinus l. 5. de Baptismo c. 5. ait*: „Homines „ occulta nescio qua inspiratione Dei detestan„ tur, si quis iterum baptismum accipiat, quem „ ubicunque jam acceperat."

Ita etiam Siricius Papa in epist. ad Himerium c. 1. his verbis testatur: „Quos (*Arrianos*) Nos cum „ Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in Sy„ nodo (*Nicæna*) constitutum, per invocationem „ solam septiformis Spiritûs Episcopalis manûs „ impositione Catholicorum conventui socia„ mus. *Et Concilium I. Arelatense* can. 8. dicit: „ De Afris, quod propria lege utantur, ut re„ baptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis „ de hæresi venerit; interrogent eum Symbo„ lum, & si perviderint, eum in Patre, & Filio, „ & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantùm „ imponatur, ut accipiat Spiritum S." Nicæna Synodus solos Paulinistas, hoc est, Pauli Samosateni discipulos excipit, qui baptismi formam corruperant. Ita testatur Innocentius I. in Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ, ubi c. 5. sic scribit: „Canones Nicæni à Paulianistis venientes „ baptizari præcipiunt. Nunquidnam, cum de „ Paulianistis jubent, omnes, qui ab hæreticis „ veniunt, erunt hoc exemplo baptizandi? quod „ cùm nullus audeat facere, de ipsis tantùm esse „ præceptum, ratio ipsa demonstrat - quia Pau„ lianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. „ minimè baptizabant." Ex his ergo patet, nullam hæresin, quæ baptismi formam servat, exclusam fuisse ab Ecclesia, quin tamen ab ea revertentes de novo baptizati fuerint, licèt esset verisimile, à multis hæreticorum baptismum parvulorum pro nuda ceremonia initiationis ad communionem Christianam habitum esse sinè ulla intentione formali conferendi effectum internum; imo à multis eorum ipsam cæremoniam respectu parvulorum tanquam otiosam irrisam fuisse; prout re ipsa publicè profitebantur Pelagiani & Anabaptistæ.

IV. Etiam post ortas hæreses & dissensiones Calvinistarum, Anabaptistarum, Lutheranorum, Hussitarum, Wiclefistarum, Ecclesia nunquam rebaptizavit redeuntes à tali hæresi & dissensu ad Ecclesiam, licèt ejusmodi hæretici & dissentientes credant, nullum internum effectum conferri per Sacramentum, sed tantùm per fidem, vel tantùm per gratuitam prædestinationem. Ergo Ecclesia non requirit in baptizante intentionem formalem conferendi aliquem internum effectum baptizato, sed tantùm effectum moralem, consistentem in eo, ut baptizatus annumeretur populo Christiano. De Calvinistis, qui eo ipso, quòd veram remissionem peccatorum negent, etiam in baptismo veram remissionem peccatorum negare consequenter tenentur, teste Serryo *de Intentione* c. 1. aliqui quidem in Gallia existimabant, eos esse rebaptizandos, imò eos etiam actu rebaptizaverunt, sed Pius V. cum morem rebaptizandi improbavit. Hinc etiam varia Concilia Galliæ baptismum à Calvinistis collatum, validum esse pronuntiarunt, nempe Rothomagense 1581. Rhemense 1583. Aquense 1585. Tolesanum 1590. Narbonense 1609. Rothomagense sic habet: „Antea in plerisque nostrarum Diœce„ seon locis baptizati ab hæreticis, præsertim „ Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam Catholicam „ iterum tingebantur hac sub verborum for„ ma: si non es baptizatus, ego te baptizo; quia „ dubitabant nonnulli de valore baptismi ab hu„ jusmodi hæreticis collati, eo quòd non habe„ rent intentionem baptizandi in remissionem „ peccatorum. Verùm quoniam illa formula „ baptizandi sub conditione (antiquitùs) fuit in„ troducta propter baptismata occulta, & de qui„ bus non apparebat, nec uni mulieri seu alteri „ privatim baptizanti credi debebat (*decebat*) „ contra verò constabat, Calvinistas in cœtu pu„ blico baptizare in forma verborum, & materia „ à Christo instituta, nec de hoc facto ambigi „ poterat, vetamus baptisma repeti cum qui„ buscunque verbis à Calvinismo aut aliis hære„ sibus similiter baptizantibus ad nos transeun„ tibus."

V. Eadem praxis & mens Ecclesiæ confirmatur ex casu, qui Massiliæ contigit, ubi quidam Parochus infantes à se sub debita materia & forma baptizatos intùs in animo neutiquam justificare intendit. Casum refert SERRYUS l. c. *de intentione* c. 6. his verbis: „Jacobus Santabovius „ Tom. II. casu 17. in solutionibus casuum con„ scientiæ hoc memoriæ prodidit. Cùm paucos „ ante annos Ecclesiæ Parochialis S. Ægidii sa„ crilegus Curio, Christianæ tandem religionis „ factus Apostata publicè fassus esset, toto se „ pastoralis officii tempore baptisma seriò qui„ dem prudenterque ministrasse, intùs tamen se„ cretáque mente totum, quod extrinsecùs ageret, „ retractâsse (*hoc est improbâsse*) in eo tamen stetère „ baptis-

„ baptismate, quotquot ab eo ficté ac simulaté tin„ cti fuerant, consulta, ut credere par est, Acade„ mia Parisiensi; unáque omnium inventa est il„ lustris fœmina, quæ, ut est sexus ille infirmus „ ac debilis animo, baptizari fecundò voluit, ob„ tinuitque pro imperio; cæteri omnes susceptum „ baptisma ratum validúmque tenuerunt.

Ex his ergo omnibus constat, de perpetuo sensu & praxi Ecclesiæ, quòd nunquam fuerit sollicita de intentione baptizantis, utrùm intenderit facere, quod facit Ecclesia; sed quòd eam intentionem præsumpserit esse imbibitam in ipsa administratione Sacramenti collati sub debita materia & forma. Eam autem intentionem Ecclesia non potuisset præsumere, si requireretur formalis intentio conferendi effectum Sacramentalem internum. Hinc

DICO III. Nullus error Ministri, etiam signo expressus, obstat valori Sacramenti, nisi valorem Sacramenti positivè alliget suo errori, dummodo habeat intentionem, reipsa faciendi, quod Christus instituit, & facit Christi Ecclesia.

PROBATUR 1. Ecclesiæ is fuit perpetuus sensus & praxis, Baptismum ab hæreticis collatum esse validum, si utantur debita materia & forma, etiamsi notoriè constet, eos fovere innumeros errores circa naturam & effectum Sacramenti, & circa sensum verborum formæ, & circa SS. Trinitatem, & circa ipsum Christum. Ergo censet Ecclesia per talem errorem Ministri non invalidari Sacramentum. *Ant. patet* ex Conclusione præcedente, & ejus Probatione.

PROBATUR 2. Ratione S. Augustini. Si Christus valorem Sacramentorum alligare voluisset privatæ opinioni Ministri, malè consuluisset saluti animarum. Sed hoc non est præsumendum. Ergo nec prius. *Maj. patet;* quia redderetur sæpissimè incertus effectus Sacramenti baptismi &c. S. Augustinus l. 1. contra literas Petiliani c. 3. *Ita fit salus illa spiritualis incerta.*

PROBATUR 3. Alia ratione S. Augustini. In Sacramentis principalis operans est ipse Christus, qui actionem Sacramentalem vult haberi moraliter pro sua. Ergo ad valorem Sacramenti sufficit, dummodo Minister modo humano ponat actionem Sacramentalem sine positiva intentione contraria eam actionem non subjiciendi Christo. S. Augustinus l. 1. contra litt. Petiliani. c. 7. ait: "Neque enim, etiam cùm per sanctum dispensatorem gratia spiritualis credentibus impertitur, dispensator ipse justificat, ac „ non ille unus, de quo dictum est, qui justificat impium. Aut vero Apostolus Paulus caput est & origo eorum, quos plantaverat? aut „ Apollo radix est eorum, quos rigaverat? ac „ non ille, qui in eis in credendo fidem dederat, „ cùm idem dicat; ego plantavi, Apollo rigavit, „ sed Deus incrementum dedit? -- Origo mea „ Christus est, radix mea Christus est, caput „ meum Christus est. -- Me innocentem non „ facit, nisi qui mortuus est propter justificationem nostram; non enim in Ministrum, per „ quem baptizor, credo; sed in Eum, qui justificat impium.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Potest dici, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem ponendi ritum externum, quem ponit Ecclesia. Ergo non requiritur intentio formalis faciendi, quod facit Ecclesia. *Ant. prob.* qui ponit ritum externum, quem ponit Ecclesia, reipsa idem facit, quod facit Ecclesia. ergo.

2. Aliud est, non intendere positivè, quod facit Ecclesia, sed tantum ritum externum: & aliud est, positivè intendere, non faciendi, quod facit Ecclesia. Ergo ex falsitate secundi non potest inferri falsitas prioris, prout fit in Probatione ducta ex damnatione propositionis ab Alexandro VIII. confixæ.

3. Qui intendit causam, indirectè necessariò intendit effectum. Ergo qui intendit facere, quod Christus instituit, indirectè necessariò intendit effectum Sacramentalem.

RESPONDEO. n. a. *ad prob.* dist. Qui ponit ritum externum, quem ponit Ecclesia, reipsa idem facit, quod facit Ecclesia sola actu externo, & præcise materialiter. c. quod facit Ecclesia simul actu externo & interno, ac formaliter. n. ponere solum actum externum sine actu interno, non est actus humanus; si ergo præciperetur tantum id facere, quod facit Ecclesia per solum actum externum, non præciperetur conformatio actionis humanæ in Ministro ad actionem humanam Ecclesiæ, sed præcise conformatio rei ad rem. Hoc vero non est verosimile, quod præcipiatur sola conformatio rei ad rem, sed actionis humanæ ad actionem humanam, ut, sicut Ecclesia ponit actum externum modo humano, hoc est, cum interno actu rationis ordinante actum ad aliquem finem, ita etiam Minister faciat, quod facit Ecclesia illo actu humano, nempe actu externo cum ordine rationis ad aliquem finem. Nisi enim hanc intentionem Christus ad valorem Sacramenti requireret, sequeretur, quòd ritus externus, quem Ecclesia ponit, ordinatus ad finem profanum v. g. exercitationis, recreationis, irrisionis &c. esset Sacramentalis, quod est indignum sentire de Christo. Itaque Minister debet actionem ordinare ad finem, intentum à Christo, vel Ecclesia.

Ad 2. dist. Hæc duo sunt diversa in consideratione metaphysica, & formaliter. tr. in consideratione physica, realiter, ac practicè. n. Est enim impossibile, ut ille, qui modo humano ponit ritum externum, quem ponit Ecclesia, nullum habeat finem. Si ergo habeat finem distinctum ab eo fine, quem habet Ecclesia, eoipso intendit non facere, quod simul actu externo & interno facit Ecclesia. Si autem non habeat positivè finem distinctum, ab eo, quem habet Ecclesia, eoipso realiter ac practicè habet intentionem formalem faciendi, quod facit Ecclesia; impossibile enim est, ut homo realiter, dum agit modo humano, nullum habeat finem.

Ad 3. dist. Qui intendit causam, indirectè intendit effectum, si sciat talem effectum esse cum causa connexum independenter à sua intentione. c. si potius credat, talem effectum non esse connexum cum causa. n. Ille enim forma-

liter non intendit v. g. nocumentum inferendum suo amico, si ex verbulo intempestivè prolato, vel ex facto præter intentionem sequatur contristatio vel damnificatio amici. Itaque Gentilis aut Judæus, etsi intendat facere, quod solet facere Ecclesia Christiana, dum credit, eam cæremoniam præcise servire ad hunc effectum moralem, ut tali inauguratione solenni homo fiat membrum Ecclesiæ Christianæ, alios autem fines esse tantum superstitiosos, non necessario intendit formaliter ullum effectum internum.

Objicitur 2. contra 1. Concl. Authoritas Rom. Pontificum. 1. Nicolaus I. à Bulgaris interrogatus, an baptizati à quodam Judæo essent rebaptizandi? Respondit: non esse rebaptizandos, si sint baptizati in nomine SS. Trinitatis, vel in nomine Christi, nulla facta mentione alterius requisiti, nempe intentionis. Ergo intentio formalis non requiritur. 2. S. Pius V. eodem modo respondit de Baptismo à Calvinistis collato, prout testatur Lugo in disp. mor. l. 1. d. 2. 3. Innocentius IV. scribens in c. *Si quis puerum.* 1. *de Baptismo.* docet, valere Baptismum, etiamsi Minister gerat in mente, non facere, quod facit Ecclesia, sic habet: "Non est necesse, quod Minister gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imò si contrarium gereret in mente, scilicet, non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat.

Respondeo *ad* 1. c. a. dist. c. Ergo non requiritur intentio formalis, si ea intentio præsumi non poterat etiam in Judæo, ferio, & sub debita forma ac materia baptizante. c. secus. n. si enim Judæus erat alioquin vir honestus, præsumendum erat, cum habuisse saltem intentionem, illos Bulgaros, prius Gentiles, saltem initiandi tali ritu, ut essent membra Ecclesiæ Christianæ, quæ intentio ad hoc Sacramentum sufficit.

Ad 2. Idem Resp. præsumendum enim erat, Calvinistas saltem habuisse intentionem conferendi baptizatis saltem hunc effectum moralem, ut essent membra Ecclesiæ Christianæ, quæ intentio sufficit.

Ad 3. dist. Innocentius IV. docet, validum esse Baptismum, si Minister positivè intendat non facere, quod facit Ecclesia, quoad effectum internum. tr. quod facit Ecclesia saltem quoad effectum moralem. n. ad hoc, ut Minister conformet suam intentionem intentioni Ecclesiæ, sufficit, ut se intentioni Ecclesiæ conformet quoad aliquem effectum, nempe quoad effectum moralem; sic enim adhuc verum est, quod intendat facere, quod facit Ecclesia etiam actu interno, quo sic initiatos recipit in Societatem Christianam. Hanc esse mentem Innocentii IV. patet ex Ejus textu integrè inspecto; sic enim scribit: "Nota, quod ad hoc, quod aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod baptizans intendat baptizare, non tantum balneare, vel carnes lavare. Nec tamen videtur necesse, quantum ad effectum baptismi, quod sciat, quid sit baptismus, scilicet quod ibi infundatur gratia, vel quod sit Sacramentum; nec etiam oportet, quod hoc credat; imò etsi contrarium credit, & totum reputet truffam (*hoc est aliquid ridiculum & joculatoriam cæremoniam*) & deceptionem, tamen baptismus habet suum effectum. Item non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, vel etiam ipsam non credat esse, vel aliquam potestatem habere, nec quod gerat in mente (*puta explicitè ac reflexè*) facere, quod facit Ecclesia; imò si contrarium gereret in mente (*relatè ad effectum internum*) sed tamen facit (*quod facit Ecclesia*) quia formam servat, nihilominus baptizatus erit, dummodo baptizare intendat. Unde si aliquis in casu constitutus necessitatis, vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum, & dicat: Baptiza me, & doceat eum formam, & ille etiam Saracenus baptizaret, non credens per immersionem aliquid aliud fieri quàm madefactionem, & intendat cum baptizare vel madefacere secundum intentionem petentis baptismum, id est, ut baptismus operetur, quidquid operari potest, & ipse baptizans tanquam Minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, licèt non credat, ipsum posse aliquid operari, verè baptizatus est. Sed si hoc non intenderet, non baptizaret; nec est necesse, quod aliquis sciat, quid in his intelligat Ecclesia, vel etiam quod sciat vel credat, Ecclesiam esse." Hucusque Innocentius IV.

Hinc posset respondere 2. dist. Innocentius IV. docet, valere baptismum, si Minister intendat non facere, quod facit Ecclesia, intentione secundaria, explicita, ac particulari. c. primaria, implicita, ac generali. n. In tali enim casu Saracenus haberet duas intentiones; unam primariam, qua vult operari juxta intentionem petentis, quæ intentio generalis implicitè tendit etiam ad effectus internos, saltem objectivè. Altera intentio secundaria est, qua operatur juxta præsentem suam cognitionem, cui tamen non vult alligare valorem sui actus. Et hæc intentio est explicita ac particularis, qua potius irridet hanc cæremoniam. Hinc credo talem baptismum fore validum, si Saracenus in præfato casu diceret; ego quidem obsecundabo tuæ petitioni, & agam modo meliore, quo possum, conferendo tibi hanc cæremoniam juxta tuam petitionem, ut fias Christianus. Valeat, quantum potest, si aliquid valeat boni, nolim esse invitus; ego enim credo, totum esse superstitiosum, nec ullum secuturum effectum, nisi ut sis, & dici valeas Christianus.

Objicitur 3. Authoritas S. Augustini. 1. Tract. 5. in Joan. dicit, valere baptismum etiam ab ebrio collatum. Ita refertur c. *dedit.* 46. c. 1. q. 1. atqui ebrius non potest habere intentionem formalem faciendi, quod facit Ecclesia. 2. Idem l. 7. de Baptismo. c. 53. docet, nihil interesse, utrum Baptismus veraciter vel fallaciter conferatur. Ergo etiam nihil interest; etsi baptizans vel nullam, vel etiam contrariam habeat intentionem. "Quæri etiam solet, *inquit*, utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si fortè curiositate aliqua didicit, quemadmodum dandum sit? Et utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui

„ cui datur? An jocans, ficut in mimo? An in „ mimo cum fide, fi quisquam inter agendum „ repentina moveatur pietate? – Sed nobis tu- „ tum eft, in ea non progredi aliqua temeritate „ fententiæ, quæ nullo plenario Concilio termi- „ nata fit, verumtamen fi quis fortè me in eo „ Concilio conftitutum, ubi talium rerum quæ- „ ftio verfaretur, urgeret, ut dicerem, quid ipfe „ fentirem, fi eo modo affectus effem, quo eram, „ cùm ifta dictarem? Nequaquam dubitarem, „ habere eos baptifmum, qui ubicunque, & à „ quibuscunque illum verbis Evangelicis confe- „ cratum fine fua fimulatione & cum aliqua fide „ accepiffent." 3. Idem hoc ipfo in locis verbis proximè relatis immediatè fubjungit: "Ubi au- „ tem neque Societas effet ulla ita credentium, „ neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, fed „ tantum ludicrè & mimicè & joculariter agere- „ tur, utrum approbandus effet baptifmus, qui „ fic daretur, divinum judicium per alicujus re- „ velationis oraculum implorandum effe cenfe- „ rem." In hoc textu D. Auguftinus non dubitat, Ethnicum verè effe baptizatum, qui in actione comica, ubi joculariter exhibetur baptifmus tam à dante, quàm ab accipiente, fubitò convertatur, & ab alio ludicrè agente baptizetur; in tali enim cafu vi prioris Refponfionis verè effet baptizatus, ficut legitur in Martyrologio de S. Genefio, ad cujus hiftoriam S. Auguftinus videtur alludere: fed tantum dubitat, an fit verè baptizatus, fi tam baptizans, quam baptizatus tantum joculariter agant. Itaque fi D. Auguftinus dubitat de valore baptifmi etiam mimicè adminiftrati ex parte folius baptizantis, non debet rejici fententia tanquam certò falfa, quæ nullam requirit intentionem formalem ex parte baptizantis, etiam cum intentione pofitivè contraria.

Respondeo *ad* 1. D. Auguftinum ibi fub termino *Ebrii* tantum intelligere *Ebriofum*, ita ut præcife afferat, vitia Miniftri, v. g. fi fit ebriofus, homicida, adulter, non obeffe valori Sacramenti. Certè hic fenfus colligitur ex contextu, qui fic habet: *Sic ergo quos baptizavit ebrius, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, Chriftus baptizavit.* Imò etiam l. 4. contra Donat. c. 20., ubi manifeftè fermo eft de *ebriofis*, nonnulli terminum *ebrii* legunt.

Ad 2. dift. S. Auguftinus docet, nihil intereffe, utrum baptifmus fallaciter conferatur fallacia fanctitatis & fidei interna. c. fallacia intentionis. n. Ex textu enim nec poteft, nec debet colligi, validum effe baptifmum, fi baptizans aliud intendat, quàm baptizare verè, prout fufcipiens baptifmum petit.

Ad 3. c. a. dift. c. Ergo pro certo id ftatuendum non eft, nifi jam actualiter infpiratione divina fuerit revelatum Ecclefiæ. c. fecus. n. Declarationes Eugenii IV. & Concilii Tridentini loco revelationis funt, quam S. Auguftinus optabat. Si vel folum Decretum Alexandri VIII. tempore D. Auguftini jam extitiffet, de baptizante mimicè, D. Auguftinus non dubitaffet.

Objicitur 4. Authoritas D. Thomæ, & aliorum DD. Scholafticorum, qui ad valorem Sacramentorum dicunt fufficere intentionem materialem. 1. D. Thomas in 4. dift. 6. Q. 1. a. 2. qq. 1. ad 2. fcribit: "Alii dicunt, quod in ba- „ ptifmo & in aliis Sacramentis, quæ habent in „ forma actum exercitum, non requiritur men- „ talis intentio, fed fufficit expreffio intentionis „ per verba ab Ecclefia inftituta. Et ideo fi for- „ ma fervatur, nec exterius aliquid dicitur, quod „ intentionem contrariam exprimat, baptizatus „ eft. 2. *Idem p.* 3. *Q.* 64. *a.* 8. *c. ait:* Quando „ aliquid fe habet ad multa, oportet, quòd per „ aliquid determinetur ad unum, fi illud effici „ debeat. Ea vero, quæ in Sacramentis agun- „ tur poffunt diverfimodè agi: ficut ablutio „ aquæ, quæ fit in baptifmo, poteft ordinari & „ ad munditiam corporalem, & ad fanitatem cor- „ poralem, & ad ludum, & ad multa alia hujus- „ modi. Et ideo oportet, quod determinetur „ ad unum, id eft, *ad Sacramentalem effectum* per „ intentionem abluentis. Et hæc intentio expri- „ mitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur.

Ex quo textu videtur colligi, aliam intentionem Ecclefiæ, quæ per formam exprimitur. Hunc fenfum S. Doctor manifeftat hoc loco ad 2. ubi fic fibi objicit: "Si intentio Miniftri re- „ quiratur ad perfectionem Sacramenti, non pof- „ fet homini ad Sacramentum accedenti effe no- „ tum, quod Sacramentum fuccepiffet, & ita „ non poffet habere certitudinem Salutis." Ad hanc objectionem folvendam S. Doctor ita refpondet: „Dicendum, quod circa hoc eft duplex „ opinio. Quidam enim dicunt, quod requiri- „ tur mentalis intentio in Miniftro, quæ fi defit, „ non perficitur Sacramentum: fed hunc defe- „ ctum *(intentionis in Miniftro)* fupplet Chriftus, „ qui interius baptizat: in adultis autem, qui in- „ tendunt Sacramentum fufcipere, fupplet illum „ defectum *(Miniftri)* fides & devotio *(fufcipientis.)* Sed hoc fatis poffet dici quantum ad ul- „ timum effectum, qui eft juftificatio à pecca- „ tis: fed quantum ad characterem non videtur, „ quod per devotionem poffit fuppleri; quia cha- „ racter nunquam inprimitur, nifi per Sacra- „ mentum. Et ideo alii melius dicunt, quod „ Minifter Sacramenti agit in perfona totius Ec- „ clefiæ, cujus eft Minifter, in verbis autem quæ „ profert, exprimitur intentio Ecclefiæ, quæ „ fufficit ad perfectionem Sacramenti, nifi con- „ trarium exprimatur *exterius* ex parte Miniftri, „ vel recipientis Sacramentum." 3. *Idem l. c. a.* 10. *ad* 3. *ait:* „Ex perverfa intentione Mini- „ ftri pervertitur id, quod agit in Sacramentis, „ in quantum eft opus ejus, non in quantum eft „ opus Chrifti, cujus eft Minifter. Et eft fimile, fi „ Minifter alicujus hominis prava intentione de- „ ferret pauperibus eleemofynam, quam dominus „ recta intentione mandaret." Ergo ficut juxta S. Thomam in hoc textu non requiritur formalis intentio fubveniendi pauperi, in famulo deferente eleemofynam: ita non requiritur formalis intentio in Miniftro Sacramenti. 4. Idem docent Magifter Sent. l. 4. dift. 27. Paludanus, Angelus, Catharinus, Sylvefter, Salmeron, Eftius, Pasqualigus, & alii.

Respon-

Respondeo. Inprimis opponendo authoritatem ipsius D. Thomæ, qui l. c. a. 8. ad 1. sibi format hanc objectionem: „Videtur, quod intentio Ministri non requiratur ad perfectionem „ Sacramenti. Minister enim in Sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed „ secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio Ministri non requiritur ad perfectionem Sacramenti." Ad hanc objectionem sic respondet: „Dicendum, quod instrumentum „ inanimatum non habet aliquam intentionem „ respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo movetur à principali agente. Sed „ instrumentum animatum, sicut est Minister non „ solum movetur, sed etiam quodammodo movet se ipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali „ agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit „ Christus & Ecclesia. *Et l. c. a* 10. *C. ait:* Dicendum, quod intentio Ministri potest perverti dupliciter: Uno modo respectu ipsius Sacramenti; puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando suam intentionem „ exterius manifestat.

Ad 1. dist. Non requiritur mentalis intentio per actum reflexum specialem ac distinctum ab actu imperante actus exteroi. c. per actum directum inclusum in actu imperante actus externi. n. D. Thomas amplectendo illam sententiam tantum vult dicere, non esse necessarium, ut quis conetur formare specialem actum internum, quo quis secum statuat: *volo conferre Sacramentum; volo facere, quod facit Ecclesia;* hic enim actus foret actus reflexus. Sufficit proin intentio directa, quæ habetur per hoc ipsum, quod quis libere ponat actum externum; sicut dum scribo, loquor, ambulo, comedo, oro &c. ad singulos actus habeo intentionem *directam* conformem objecto, licèt reflexè non dicam: *volo scribere, volo loqui, volo ambulare, volo comedere, volo orare &c.* Ejusmodi enim intentiones mentales reflexæ necessariæ non sunt. Quod autem D. Thomas non excludat necessitatem intentionis directæ, quæ per se includitur in actu interno imperante externum, & est conformis naturæ actus externi, patet ex hoc ipso textu S. Doctoris; verbis enim in Objectione relatis hæc subjungit: *Non enim sine causa in Sacramentis necessitatis, scilicet baptismo, & quibusdam aliis, actus baptizantis tam sollicitè expressus est ad intentionis* (puta directæ, quam baptizans in actu exercito per se habet) *expressionem.*

Ad 2. dist. Oportet, quod determinetur ad Sacramentalem effectum per intentionem formalem. c materialem. n. Ipsemet enim D. Thomas docet, quod ritus externus possit peragi ob varios fines. Ergo ut ad determinatum finem Sacramentalem determinetur per intentionem, necessarium est, ut illa intentio habeat aliud objectum volitum, quàm solum ritum externum. Aliud autem assignari non potest, nisi relatio ad causam instituentem, & effectum saltem moralem, ita ut v. g. baptizans velit ritum externum ponere, qualiter usurpatur ab Ecclesia in ordine ad initiandum hominem signo Christiani. Hæc autem intentio per se ac exercitè includitur in actu interno imperante externum, volente utique agere conformiter ad naturam & circumstantias objecti, nisi positivè formetur alia contraria intentio in mente. Hinc etiam verum est, quod actus externus non solum exprimat intentionem Ecclesiæ, sed etiam intentionem Ministri, haud dubie volentis agere conformiter ad naturam & circumstantias objecti, nisi ex singulari malitia, quæ vix datur in ullo homine, etiam alias impio, nisi in casu rarissimo, qui vix intra centum annos in toto mundo vel semel occurrit.

Ad 3. & 4. dist. a. Ex intentione Ministri accidentaliter perversa non corrumpitur opus. c. substantialiter perversa. n. substantialiter intentio perversa est, quæ tollit ipsam intentionem agendi ministerialiter nomine alieno & sine alieno. Hinc paritas à famulo misso ad erogandam eleemosynam retorquetur: *Si* famulus missus ad erogandam pauperibus eleemosynam, commissam sibi pecuniam eroget operariis ad solvenda sua vel heri debita, vel det illis, quos scit non esse pauperes, non satisfaciet intentioni conferentis pecuniam. Itaque necessaria etiam est in famulo intentio directa in actu exercito dandi pecuniam verè pauperi juxta intentionem domini sui. Cæterum si famulus daret quidem pauperi pecuniam, sed interius diceret: *Nolo dare pauperi pecuniam;* ea intentio esset contraria facto, ac nulla & irrita, sicut si quis *loquitur, ambulat, comedit,* & diceret: *nolo loqui, nolo ire, nolo comedere;* & sensus tantum esset: nolo sponte affectu proprio & motu ultroneo dare hanc pecuniam. At hero & pauperi abunde satisfit per solam erogationem eleemosynæ, & si famulus præter intentionem directam dandi pecuniam titulo eleemosynæ nomine heri foveat in animo aliam contrariam intentionem, eam pecuniam motu proprio non dandi.

Dices. Ex hac responsione sequeretur, quod si Minister ponat materiam & formam seriose in circumstantiis, in quibus solet poni ab Ecclesia, intentio contraria non faciendi, quod facit Ecclesia, esset eoipso irrita, ac consequenter Sacramentum esset validum. Sed hoc non potest dici ob propositionem damnatam ab Alexandro VIII.

Respondeo. n. *Maj.* & parit. Disparitas est; quia in famulo non attenditur intentio interna nullo signo externo expressa, qua erogationem eleemosynæ non vult dare nomine heri titulo gratuito eleemosynæ, sed titulo solvendi sua vel heri debita; in conversatione namque civili inspicitur actus, & præsumitur animus actui externo conformis. Econtra Deus inspicit cor sui Ministri, qui si ritum Sacramentalem intus in animo ordinet ad alium finem, quàm simulat, & ordinari solet à Christo vel Ecclesia, re ipsa illo suo mendacio non fallit Deum, sed revera in æstimatione divina non agit ministerialiter nomine Dei, quod tamen requiritur, ut actio de se ad varios fines indifferens determinetur ad effectum

ctum seu finem Sacramentalem, prout D. Thomas ostendit.

Dices 2. Qui profert verba significativa ex institutione hominum, eoipso vult ipsa verba, & significationem eorum. 2. Qui expendit monetam valentem tres florenos, eoipso pro objecto unico habet expensionem monetæ, & valorem illius. 3. Qui init contractum v. g. venditionis jure validum, eoipso vult contractum, & effectum seu translationem dominii, & valorem contractus. 4. Qui jussu Principis agit Legatum, vel præconem promulgando legem Principis, eoipso vult agere nomine Principis, & vult valorem actorum, & valorem legis. Hi omnes, etsi habeant in animo intentionem contrariam, non propterea tollent significationem vocum, valorem monetæ, valorem contractus, valorem actorum aut valorem legum. Ergo etiamsi Minister habeat in animo intentionem positivè contrariam non agendi, quod agit Ecclesia, ea intentio non obstabit valori Sacramenti.

Respondeo. c. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia respublica non inspicit animum, sed eum præsumit conformem actui externo. Econtra Deus inspicit cor, & scit, quo fine & cujus nomine agat. Hinc inverto argumentum. Si homines scirent, quod loquens nolit significare, quod loquitur, & verba sonant; quod Magistratus nolit tribuere hunc valorem monetæ; quod vendens nolit vendere; quod Legatus vel præco nolit agere nomine Principis; in ea luce cordium magis attenderetur ad animum operantis, quam ad opus. Ergo cum effectus Sacramentalis habeat suam causalitatem à Deo solo, & is inspiciat intentiones cordium, revera non sequetur effectus Sacramentalis, si Minister indifferentiam actus externi Sacramentalis tollat per intentionem internam, qua positivè renuat agere, quod facit Ecclesia, sieque actionem externam ordinet totaliter ad alium finem, quam Sacramentalem.

Dices 3. Saltem graves Authores superius relati docent, quod nulla requiratur intentio formalis Ministri. Ergo ea sententia est tuta. *prob. c.* non est præsumendum, quod Authores tam graves vel scripserint contra Dogmata Ecclesiæ, vel quod Concilia Florentinum & Tridentinum & Alexander VIII. voluerint condemnare sententiam tam gravium Doctorum.

Respondeo. dist. Docent, quod nulla requiratur intentio formalis reflexa, specialis, ac per se non inclusa in voluntate ponendi ritum externum in circumstantiis, in quibus ab Ecclesia solet applicari. c. intentio directa in actu exercito, & per se inclusa in voluntate ponendi hoc modo ritum externum. n. Aliud est intentio ponendi ritum, prout solet præscribi à Christo & Ecclesia, & aliud est intentio causandi effectum internum, quem Minister scit intendi à Christo & ab Ecclesia. In Catholico, qui habitualiter credit talem effectum, intentio ponendi ritum externum est eoipso directa intentio saltem implicita ponendi effectum; sed non in Hæretico vel Ethnico. Sicut enim ille, qui loquitur, & scit, verba habere significationem, eoipso vult ipsam significationem, nisi in animo positivè eliciat intentionem contrariam; & sicut qui expendit monetam, quam scit valere tres florenos, vult eoipso valorem monetæ; quod ipsum etiam superius observatum est de vendente, aut fungente officio Legati vel præconis; ita eoipso datur intentio directa faciendi, quod facit Ecclesia, in eo, qui ponit ritum externum, quem scit in talibus circumstantiis ordinari à Christo & Ecclesia ad finem Sacramentalem. Hanc esse mentem illorum Authorum, patebit ex eorum textibus. Paludanus in 4. dist. 6. Q. 2. sic scribit: "His non obstantibus potest sustineri, quod sola expressio verborum sufficiat; quia quædam Sacramenta sunt, in quibus homo non est principale agens, sed instrumentale, & tunc non requiritur ejus intentio interior, sed sufficit exterior expressio, per quam salvatur virtus verbi, sicut in Baptismo, & Confirmatione & Consecratione, sive illud intendat, sive non, cum dicit: Baptizo te; &: Hoc est corpus meum. Sicut quando Dominus per servum rem suam vendit, qui verba congrua profert, sive intendat, sive non, dummodo dominus intendat, transfert dominium rei; & similiter de confessione per interpretem, licèt interpres ludere intendat, si tamen confitens confiteri intendat, verum Sacramentum est. Et similiter si quis per litteras vel per nuntium Matrimonium contrahere intendat, verum Matrimonium est, licet litera nihil intendat, & nuntius contrarium intendat. Modo conferens Sacramentum est sicut servus vel nuntius vel instrumentum. Ergo non requiritur ejus intentio, sed sufficit intentio principalis agentis, quæ necessario requiritur, alias nihil fieret. Item quando quis applicat ignem ad stupam, comburitur stupa, sive illud intendat, sive non; & medicina data vel recepta operatur, sive illud intendat, sive non. Sic & virtus, quæ est in Sacramentis à Deo, agit effectum suum, sive Minister intendat, sive non. Unde si non esset aliquis in Mundo, qui intenderet baptismum recipere pro parvulo, dum tamen quis intenderet eum verè baptizare, verè esset baptizatus. Sed prima opinio (quod requiratur interior intentio) tanquam communior & tutior est tenenda. Ad primum dicendum, quod si dominus nollet rei venditæ dominium transferri, nisi per voluntatem servi, tunc defectus intentionis in servo impediret translationem dominii. Sic autem est hic, quia voluntas Christi est, secundum intentionem Ministri Sacra operari." Ita Paludanus, ex cujus verbis manifestum est, quod solum neget internam intentionem explicitam, aut reflexam, aut etiam formalem relatè ad effectum Sacramenti internum, non autem intentionem directam *verè baptizandi*, hoc est, agendi cæremonialiter, ac ponendi ritum Ecclesiasticum Ecclesiæ Christianæ, qualiter solet poni ab Ecclesia Christiana.

2. Catharinus in Opusc. *de intentione*, sic scribit: "Non est dubium apud Catholicos, requiri intentionem Ministri ad verum Sacramentum conferendum; sed illud dubium est, quænam

„ quænam fit ista Ministri intentio, quæ requiritur? Videtur enim, quod non requiratur intentio Ministri in hoc, ut intendat conferre Sacramentum & effectum Sacramenti; hæreticus enim, qui non credit, baptismum esse Sacramentum non potest habere hanc intentionem conferendi Sacramentum & effectus ejus, & nihilominus nemo negat, hujusmodi hæreticos baptizare, & conferre Sacramenta. Dicendum est ergo, quod intentio Ministri debet esse in hoc, ut intendat facere, quod Christus & Ecclesia facit, etiamsi ipse nihil credat fieri. Et in hunc sensum debet intelligi id, quod dicitur, requiri scilicet, ut Minister intendat conferre Sacramentum, id est, ut faciendo, quod facit Ecclesia, intendat cum effectum producere, qui verè producitur. Verum hic suboritur quæstio; Ponamus Ministrum omnia exterius facere, quæ jubet Ecclesia, intus autem aliud servare in animo, ita ut intendat derisoriè baptizare? variæ circa hanc rem exortæ sunt opiniones. Quidam dixerunt, cùm intentio Ministri non adest, suppleri in pueris Christus. – Altera sententia est, quam D. Thomas probat, nempe hanc, satis adesse intentionem Ministri ad perficiendum Sacramentum, quando servat exterius ritum Ecclesiæ. – Et hæc sententia est vera absolutè. -- Non enim alia intentio Ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere, quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum spiritualem baptismi effectum, sed satis est, quod intendat facere, quod Ecclesia jubet per Ministros fieri." Ex his verbis Catharini patet, quod revera requirat intentionem internam seu formalem faciendi, quod jubet Ecclesia fieri, licèt non requirat intentionem formalem causandi effectum aliquem internum.

3. Eodem in sensu loquitur P. Salmeron Soc. Jesu, qui Concilio Tridentino interfuit tanquam Theologus Regis Hispaniæ; admittit enim revera intentionem internam ponendi ritum externum juxta ordinationem Ecclesiæ, quatenus est ordinatus ab Ecclesia, ita ut ordinatio Christi & Ecclesiæ non solum sit objectum cognitionis, sed etiam objectum volitionis seu paritionis. In tomo 13. Operum. Comment. in Epist. D. Pauli. part. 3. d. 2. sic scribit: "Advertendum, duplicem poni intentionem Ministri conferentis Sacramentum; alteram quidem publicam & Ecclesiæ ipsius, cujus Ministerio perfungitur, quicunque ille sit, qui Sacramentum dispensat. Hæc autem intentio satis exprimitur in ipsis Sacramentorum formis; ùt: *Ego te baptizo &c.* hæc autem intentio inseparabilis est ab ipsis verbis, si integrè, ùt debent, proferantur. Altera vero intentio privata est & particularis ipsius Ministri, qui aut nihil credit eorum, quæ facit, aut derisoriè facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta, aut ejus effectus, etsi Sacramentum in forma Ecclesiæ consueta administret. Hæc intentio privata tam fortis aut efficax non est, ut vitiare Sacramentum possit, *si* NB. *alias velit facere, quod facit Ecclesia*, quod sic multis rationibus ostendo. – *Octavo.* Si ad essentiam Sacramenti facit Ministri intentio, quomodo aut hæreticus, aut Judæus, aut Paganus validum baptismi Sacramentum administrare potest? Nam illorum permulti aut baptismum, aut baptismi effectum pernegant. Non ergo requiritur alia intentio, sicut nec alia fides, quæ intentionem dirigat, præter illam Ecclesiæ, quæ facto ipso & verbis formæ pronuntiatis continetur. -- Administrans igitur materiam & formam Sacramentum perficit, modo exterius non protestetur, se nolle illud administrare, vel aliquid addat, quod vitiet formam; habet enim intentionem, quæ sufficit, id est, applicandi illud Sacramentum ad suscipientem; quia hoc non aliunde, sed ex proposito & intentione operatur. Et licèt in corde suo putet, nòn esse Sacramentum, vel animo intendat, nullum Sacramentum conferre, mentitur, quia facto ipso testatur, se dare rem, quæ est Sacramentum, quamvis intus aliter cogitet, vel joco & non serio se conferre voluisse asserat. Nam qui grandem alapam in faciem alterius impingeret, & ore protestaretur, se nolle ei aliquam injuriam inferre, procul dubio mentiretur, & plus facto esset standum, quàm verbo; quia ut Jurisperiti loquuntur, esset protestatio contraria facto. Si etiam Notarius conficiat instrumentum cum omnibus requisitis conditionibus & circumstantiis, corde tamen suo derisoriè intenderet tale instrumentum perficere, revera tamen validum esset instrumentum. Ita qui conficit Sacramentum, & administrat, materiam & formam adhibet, etsi postea asserat, se nihil conferre voluisse, aut derisoriè egisse, non esset audiendus. Ad verba Concilii Florentini & Tridentini dicendum, quod si intentio illa saltem faciendi, quod facit Ecclesia, debet esse pars Sacramenti, non debet esse illa cordis interna & privata ipsius Ministri, sed publica, quæ verbis ipsis exprimitur. Hæc solutio desumpta est ex verbis D. Thomæ. Accedit Bonaventura -- quæ omnia ille ab Alexandro Alensi videtur accepisse. At verò hi tres, D. Bonaventura, & Alexander Alensis Principes Theologiæ Scholasticæ extiterunt." Hucusque Salmeron. Ex cujus verbis sequitur, quod Minister Sacramenti ponens ritum externum in circumstantiis feriis, in quibus ille ritus solet adhiberi ab Ecclesia, non possit non habere intentionem internam faciendi, quod facit Ecclesia, nisi insigni malitia haberet intentionem contrariam facto, sicut si quis loquendo, scribendo, ambulando, comedendo &c. simul diceret: non habeo intentionem loquendi, scribendi, ambulandi, comedendi &c. in quo ipso casu Salmeron existimat tali homini credendum non esse, quia re ipsa sequeretur ordinationem Ecclesiæ, & tamen protestaretur, se nolle sequi ordinationem Ecclesiæ, quod est incredibile, imò impossibile sine singulari malitia, quæ nec in hæretico, Turca, aut Judæo vel Gentili, dum vult baptizando gratificari rogatus, præsumenda est.

Objicitur 5. Quando Athanasius adhuc puer solum per ludum baptizavit alios pueros eum

cum baptismum Alexander Episcopus Alexandrinus declaravit esse validum. Ergo valet baptismus etiam joco collatus. *Ant. prob.* ex Sozomeno l. 2. *hist.* c. 16. ubi sic scribit: "De Athanasio cùm nondum pubesceret, istud evenisse memorant. Diem festum popularem & valde splendidum maximo hominum cœtu quotannis Alexandrini eo die, quo Petrus ipsorum Episcopus Martyrio occubuit, adhuc etiam agunt. Quem diem cùm Alexander quoque eorum Antistes una celebraret, jamque Sacra peregisset mysteria, fortè expectavit convivas, qui secum pranderent. Cùm solus esset, oculosque ad mare convertisset, vidit longè ab se pueros in littore colludentes, & consuetudinem quodammodo Episcoporum & Ecclesiæ ritus imitatione exprimentes. Ubi autem in illo imitationis genere nihil inesse animadvertit periculi, lætatus est spectaculo, ex rebus in ludo gestis voluptatem cepit. At tandem cùm arcana mysteria imitando adumbrare inciperent, animo conturbatus est. Atque accersitis quibusdam principibus ex Clero Viris pueros digito demonstrat: pueros comprehendi, & ad se adduci jubet. Percontatur ab illis de genere ludi, quibus verbis, quibusve actionibus in eo usi sint. Illi primò metu perterriti dicere noluerunt. At cùm quærendo instaret Alexander, indicarunt, Athanasium Episcopum & Principem ludi fuisse, puerosque quosdam nondum initiatos mysteriis, ab illo baptizatos esse: à quibus Alexander accuratè sciscitatur, quid Sacerdos & Episcopus ludi ipsis dixerit, feceritve, & quid ipsi vel respondissent, vel ab eo didicissent. Postremo, ubi Alexander comperit, universum ordinem adritum Ecclesiasticum ab illis exquisitè servatum, consilio Sacerdotum, quos circa se habebat, approbavit baptismum & pueros semel in animorum simplicitate divina gratia imbutos rebaptizandos non censuit, sed cæteris mysteriis, quæ solis Sacerdotibus fas erat obire in illis explevit.

2. Nicephorus l. 3. c. ult. testatur, suo tempore consimilem baptismum à pueris collatum à Patriarcha Constantinopolitano pro valido habitum esse, sic habet: "Ævo etiam nostro idem factum novimus. Christianorum pueris hebræus puer familiaris erat: & cùm eis ad mare colentibus natandi incessisset cupiditas, consecutus est eos Judæus. Hunc per ludum pueri nudum ad mare stantem baptizarunt, principio statim non invitum: posteaquam vero & tertiam divini Numinis appellationem nominarunt, & simul tertiam mersionem peregerunt, extrema lineæ vestis textura discissa, & qui circa hæc frequentatur, imaginario amictu facto, in capite ejus arcanam mysticamque galeam adumbrarunt: deinde pro cereo dextram ligno tenui armantes, quæ ejus Sacri & ritus sunt, mysteria omnia absolverunt: postremo & circum vicinum templum psallentes obambularunt. Ut vero etiam templum ingressi sunt, sanctum munus receperunt. Idem porro ex æquo, qui ita baptismo initiatus erat, fecit. Quàm rem per diligentem inquisitionem cognitam, qui ibi Sacris præfuit, ad Ecclesiam Constantinopolitanam renuntiavit. Eo puer etiam est accitus: cùm quidem Judæi, ne id fieret, multa molirentur. Atque ibi quoque Decretum, ut etiam in illo, quod deesset, juxta Mysterii executionem compleretur: atque id ita est factum. Qui puer ubi ad justam ætatem pervenit, in Sacerdotii ordinem est allectus: & æedituus seu custos maximi templi factus, etiamnum ibi vivit.

3. S. Genesius M. per baptismum mimicè collatum obtinuit remissionem omnium peccatorum. Ergo valet Baptismus etiam mimicè collatus. *Ant. prob.* ex *Actis sinceris SS. Martyrum*, quæ edidit P. Ruinart, ubi sic scribitur: "D. Genesius, cùm esset in Urbe Roma Magister Mimithemelæ Artis, quadam die, cùm vellet Diocletiano Imperatori ludum exhibere de Mysteriis Christianæ Observantiæ, in medio Theatri se ægrotum simulans petiit baptizari. – Evocato Presbytero & Exorcista repentè Deo inspirante credidit. Nam illi juxta lectum ipsius eum resedissent, dicunt ei: quid ad nos misisti, filiole? Genesius jam non simulatè ac fictè, sed ex puro corde respondit: Quia accipere cupio gratiam Christi, per quam renatus liberer à ruina iniquitatum mearum. Cumque Sacramentorum Mysteria complessent, & indutus vestibus albis esset; veluti per ludum à militibus raptus, & ad similitudinem Sanctorum Martyrum, de Christi discutiendus nomine, Imperatori fuisset exhibitus, stans in editiori loco, ita concionatus est: Audi Imperator, & omnis Exercitus, Sapientes & populi hujus Urbis. Ego quotiescunque Christianum vel nominatum audivi, exhorrui, & in confessione permanentibus insultavi. Ego etiam parentes meos, & affines, causa nominis Christiani execratus sum, & in tanta derisione habui Christianos, ut Mysteria eorum diligenti examinatione perquirerem, ut ex eorum sanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At ubi me aqua nudum tetigit, & interrogatus credere me respondi, vidi super me manum cælitus venientem, & Angelos radiantes super me stetisse, qui omnia peccata, quæ ab infantia feci, recitaverunt de libro: quæ mox in ipsa aqua laverunt, in qua in conspectu vestro persusus sum, & mihi candidiorem nive postmodum ostenderunt. Nunc igitur, Inclite Imperator, & vos omnes populi, qui de his Mysteriis risistis; mecum credite verum Dominum esse Christum, hunc esse lumen, hunc esse veritatem, hunc esse pietatem, & per ipsum vos ad indulgentiam posse pertingere. Ad hæc Imperator Diocletianus vehementissimè indignatus, statim eum fustibus crudelissimè cæsum Plautiano Præfecto tradidit ad Sacrificia compellendum: à quo in equuleo suspensus, & ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cùm in fide persisteret dicens: Non est Rex præter eum, quem vidi; & adoro, & colo eum; & pro ejus cultura si millies occidas, ipsius ero, ut cœpi. Christum mihi de ore, Christum mihi de corde auferre tormenta non poterunt;

„ valde enim pœniteo me erraſſe, quod ante nomen ſanctum in hominibus Sanctis exhorrui, & „ ſatis tardius ad adorandum verum Regem ſuperbus Miles acceſſi. Martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit." Ita narrat P. Ruinart.

Respondeo *ad* 1. diſt. Athanaſius baptizavit per ludum tanquam finem concomitantem. tr. tanquam finem principalem. n. Ex circumſtantia enim hiſtoriæ colligitur, Athanaſium ſerio voluiſſe conferre baptiſmum; recreatio autem erat finis concomitans & impulſivus, ſicut ſi quis ex fine concomitante vel impulſivo lucri, vel honoris &c. adminiſtret Sacramenta.

Dixi: tr. Quia meritò dubitari poteſt de veritate illius hiſtoriæ, prout videri poteſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica Baronii, Natalis, Fleurii, Orſii, & SS. D. N. Benedicti XIV. qui in l. *de Synodo.* l. 7 c. 4. n. 5. ſic ſcribit: " Nec quemquam movere debet, quod Socrates l. 1. Hiſt. „ Eccl. c. 15. Sozomenus l. 2. c. 17. Aliique „ ex Rufino ſcribunt, de Alexandro Patriarcha „ Alexandrino; ei nempe, aliisque Epiſcopis ad „ Concilium congregatis, ratum fuiſſe ac validum baptiſma ab Athanaſio, nondum ex puerili ætate emerſo, cum Sociis ludente, collatum; primò enim, uti Nos animadvertimus *Notificat.* 8. multi Authores factum illud non „ modo revocant in dubium, ſed planè inficiantur: Quoniam ſi Hieronymi Chronico fidem „ adhibeamus, Alexander ad Sedem Alexandrinam non eſt evectus ante annum 321. & Athanaſius, eodem Sozomeno referente, anno „ 325. Concilio Nicæno, jam Diaconus interfuit, atque inſequenti anno Alexandro vita „ functo ſucceſſit. Quocirca explicari non poteſt, quomodo puer luſerit, Eccleſiam Alexandrinam Regente Alexandro; & quamvis „ Alexandrum anno 313. Epiſcopum inauguratum dicamus, uti tradunt Pagius ad ann. 311. „ n. 25. & PP. Mauro-Benedictini in vit. Athanaſii (tom. 1. Oper. part. 1. pag. 11.) tunc tamen „ Athanaſium ſuæ ætatis annum duodevigeſimum egiſſe oportuit: quoniam annorum ſaltem triginta, prædicto anno 326. Alexandrinum Epiſcopum eundem renuntiatum, ferè „ communiter Eruditi conſentiunt; nunquam „ enim ei ab Arianis objectum legimus, quod „ junior Epiſcopatum arripuiſſet, ut de Paulino „ Hieronymi fratre narratur: Ætas verò duodeviginti annorum ab illis puerilibus nugis jam „ abhorret, quibus Socrates & Sozomenus Athanaſium diſtentum ſcribunt." Hucusque SS. D. N.

Ad 2. eodem modo Reſp. conſtat enim ex circumſtantiis hiſtoriæ, quod pueri voluerint ſeriò baptizare puerum Judæum, licèt pro fine concomitante, & pro motivo impulſivo habuerint recreationem.

Ad 3. diſt. S. Geneſius obtinuit remiſſionem peccatorum per baptiſmum extraſacramentaliter. c. ſacramentaliter. n. cùm enim potentia divina non alligetur Sacramentis, poteſt Deus conferre juſtificationis gratiam etiam extra Sacramentum, vel etiam dependenter à ſola umbra Sacramentorum, ſicut legitur Act. 5. v. 15. quod infirmi etiam ſola umbra Petri obumbrante quemquam ſanati fuerint; Idque Deus ſapientiſſimè agere potuit ad confuſionem Gentilium, atque ad commendationem Sacramentorum Chriſtianorum.

Objicitur 6. Si ad valorem Sacramenti requireretur interna Miniſtri intentio, ſequeretur, quod ſalus hominum, & valor Sacramentorum impediri poſſet ob ſolam malitiam Miniſtri. Sed hoc non poteſt dici. ergo. *Min. prob.* 1. Quia non videtur conveniens, quod Deus ſinat quempiam perire ob ſolam alterius malitiam. 2. S. Chryſoſtomus Hom. 85. in Joan. ait: *Neque Angelus, neque Archangelus quidquam in his* (Sacramentis) *quæ à Deo data ſunt, efficere poteſt; ſed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit: Sacerdos & linguam & manus præbet; neque enim juſtum eſt, propter alterius malitiam ad Salutis noſtræ Symbola fide accedentes offendi.*

Respondeo. diſt. Sequeretur, quod Salus hominum & valor Sacramentorum malitia Miniſtri impediri poſſet potentia abſoluta. tr. potentia morali. n. in noſtra enim ſententia vix intra centum annos ſemel fiet, ut quis deſtituatur Sacramento præciſe ex defectu intentionis; cùm enim juxta nos non requiratur intentio cauſandi effectum internum, ſed ad ſummum intentio cauſandi effectum moralem, qui in ſuſcipiente reſultat ex rectè juxta morem & præſcriptum Eccleſiæ adminiſtrato ritu Sacramentali, vix unquam continget, non reperiri in Miniſtro intentionem formalem faciendi, quod facit Eccleſia.

Ad 1. *&* 2. *prob.* Eodem modo Reſp. diſt. non videtur conveniens, quod Deus ob alienam malitiam quemquam ſinat perire potentia morali. tr. potentia abſoluta. n.

Dixi: tr. Quia etiam potentia morali fieri poteſt, ut quis ob alienam malitiam pereat, quando videlicet Miniſter negligit ipſam adminiſtrationem Sacramentorum, vel quando ex malitia corrumpit formam Baptiſmi aut Abſolutionis.

Dices: Si in hoc ſenſu explicetur *intentio formalis*, non videtur aſſignari poſſe ullum diſcrimen inter *intentionem materialem*, & *intentionem formalem.* Ergo fruſtra recuſamus apertè loqui cum ſententia oppoſita.

Respondeo. n. a. Diſcrimen inter *intentionem materialem*, ſeu *externam*, atque *intentionem formalem* ſeu *internam*, in eo conſiſtit, quod *intentio materialis* pro objecto cognitionis & volitionis tantum habeat ritum externum ſecundum ſe; Econtra *intentio formalis* pro objecto cognitionis & volitionis non habet tantum ritum externum, ſed etiam relationem inſtitutionis, vel dependentiæ, vel ordinationis, quam ritus ille habet partim ad Chriſtum, partim ad Eccleſiam, ita ut Miniſter non ſolum velit ritum externum, ſed eum velit ſub modo illo relativo, ac reduplicativo, quatenus eſt inſtitutus à Chriſto, vel adhiberi ſolitus ab Eccleſia, quamvis Miniſter privato errore credat, eam inſtitutionem vel morem non habere alium effectum præter quemdam effectum moralem. Et hinc ſi Miniſter ex ſingulari

gulari quadam malitia, quæ intra centum aut mille annos vix ſemel continget, quoad hoc eſſe relativum babeat intentionem poſitivè contrariam, ita ut intus in mente dicat: nolo baptizare juxta morem Eccleſiæ, ſed volo tantum ritum externum ponere *denominativè* ac *materialiter* ſumptum, QUI eſt inſtitutus à Chriſto, & QUI eſt in more Eccleſiæ; nolo autem illum ponere modo *relativo*, ac *reduplicativo*, *quatenus* eſt ordinatus à Chriſto & Eccleſia, re ipſa non ponetur validum Sacramentum. Hinc juxta hanc noſtram ſententiam præſumendum erat, Parochum illum Maſſilienſem, de quo fuit dictum Concl. 2. Prob. 5. validè baptizaſſe; quia licèt interius omnia *retractaverat*, hoc eſt *improbaverat*, vel *irriſerat*, quæ exterius faciebat, non eſt tamen præſumendum, quod adeo fuerit diabolicus, ut ne quidem voluerit ritum illum ponere, *quatenus* eſt Cæremonia Eccleſiaſtica à Chriſtianis uſurpata, licèt non crediderit, ullum fore finem ac effectum, niſi moralem tantum.

OBJICITUR 7. Si requireretur intentio formalis, nemo poſſet eſſe certus de valore Sacramenti v. g. Baptiſmi, Euchariſtiæ, Abſolutionis. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Min. prob.* ſi homo non eſſet certus de valore Sacramenti, etiam non eſſet certus de valore Ordinationis Sacerdotum, & Epiſcoporum. Sed hoc non poteſt dici. ergo. *Min. prob.* ſi eſſet incerta Ordinatio Sacerdotum & Epiſcoporum, etiam incerta eſſet exiſtentia Eccleſiæ; quia deficiente vero Sacerdote & Epiſcopo etiam deficit Eccleſia.

2. Ideo Deus ad valorem Sacramentorum noluit requirere probitatem Miniſtri, ne per hoc periclitaretur ſalus animarum, & ne redderetur effectus Sacramentorum incertus, ergo etiam noluit requirere intentionem formalem. *c. prob.* eadem incertitudo & idem periculum etiam ex hoc requiſito intentionis formalis exurgit.

3. Ex hac ſententia ſequeretur, quod etiam invalidus eſſet Baptiſmus ab Hæretico, Judæo, vel Gentili collatus. Sed hoc non poteſt dici. ergo. *Min. patet* ex definitione Concilii Nicæni I. & Arelatenſis I. relata in Concluſione 2. *Maj. prob.* hæreticus non vult ritum applicare ſub modo *relativo* ſeu *reduplicativo*, quatenus eſt uſurpatus ab Eccleſia Romana; Judæus autem & Gentilis, qui ſummo odio habent Chriſtum, nolunt eum ritum applicare, *quatenus* eſt inſtitutus vel ordinatus à Chriſto.

RESPONDEO *ad* 1. diſt. Nemo eſſet certus certitudine phyſica ſeu abſoluta circa caſum particularem & circa perſonam in individuo determinatam. c. circa Eccleſiam univerſalem. n. Imò dico, quod de vera Ordinatione Summorum Pontificum & Epiſcoporum, quatenus ſunt conſtitutivum Eccleſiæ, detur certitudo plus quàm phyſica, quia ea falſificata tolleretur veracitas & providentia Dei de perpetuitate Eccleſiæ. Circa perſonas autem alias tantum particulares ſolum datur certitudo moralis.

Ad 2. diſt. Ne per hoc periclitaretur ſalus, & incertus redderetur effectus Sacramenti incertitudine morali. c. incertitudine ſolum phyſica vel abſoluta. n. ſi enim Deus ad valorem Sacramentorum requiſiviſſet probitatem Miniſtri, valor Sacramentorum redderetur nimium incertus, etiam incertitudine morali; quia defectus probitatis in Miniſtro non adeo rarus eſt, ſicut defectus intentionis formalis in ſenſu à nobis explicato.

Ad 3. n. *Maj. ad prob.* diſt. Hæreticus non vult conferre Baptiſmum ſub modo illo relativo ſeu reduplicativo, QUATENUS eſt ordinatus ab Eccleſia Romana intentione ſecundaria, particulari, explicita, ac immediata. c. intentione primaria, generali, implicita, ac mediata. n. Hæreticus enim intentione primaria, ac generali vult conferre baptiſmum eo modo, quo illum Chriſtus inſtituit; cùm ergo re ipſâ baptiſmum inſtituerit eo modo, quo creditur in Eccleſia Romana, eo ipſo implicitè & mediatè ſua intentione primaria vult adminiſtrare, QUATENUS creditur, & adminiſtratur in Eccleſia Catholica. Itaque ad valorem Sacramenti non requiritur in hæretico intentio *explicita*, ac *immediata* faciendi, quod facit Eccleſia Catholica Romana, ſed ſufficit intentio generalis faciendi, quod facit vera Chriſti Eccleſia, qualiſcunque illa ſit. Quodſi tamen hæreticus eſſet adeo malitioſus, ut expreſſe in ſuo animo diceret, ſi Eccleſia Romana eſſet vera Chriſti Eccleſia à Chriſto inſtituta, nollem facere, quod facit ea Eccleſia; eo ipſo baptiſmus eſſet invalidus. Quia tamen non eſt præſumendum, aliquem hæreticorum fore adeo malitioſum, præſumendum eſt, eos validè baptizare ob intentionem primariam ac generalem. De Gentili autem, vel Turca, vel Judæo longè aliter ac inverſo modo retrogrado RESPONDEO diſt. Judæus vel Gentilis non habet intentionem ſecundariam, explicitam, ac immediatam faciendi quod Chriſtus inſtituit. c. primariam, implicitam, ac mediatam. n. Quamvis enim Judæus vel Gentilis ob odium erga Chriſtum nollet habere hunc modum tendendi explicitum, nempe faciendi, quod Chriſtus inſtituit; ſi tamen vult ex benevolentia erga Catechumenum hunc illi ritum applicare, quo utuntur Chriſtiani, quatenus in uſu eſt apud Chriſtianos, eo ipſo implicitè ac mediatè vult illum ritum applicare, quatenus eſt inſtitutus à Chriſto.

DICES 1. Saltem ob dubium de intentione ſufficiente deberent practicè rebaptizari omnes illi, qui ab Ethnicis vel Judæis baptizati eſſent. Ergo cùm hæc ſententia non ſerviat in praxi, ſimpliciter aſſerendum, nullam à Chriſto requiri intentionem formalem. *A. prob.* 1. ex Concilio Carthagin. V. quod Can. 6. ſic habet: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, absque ſcrupulo eos eſſe baptizandos.* Idem prob. 2. ex conſuetudine variarum Diœceſium, quæ jubent rebaptizari infantes baptizatos ab Obſtetricibus Ruſticanis, non juratis & bene examinatis, in quibus non reperitur major incertitudo circa eſſentialia formæ quàm in Judæo vel Gentili circa requiſitum intentionis.

RESPONDEO. dist. Essent rebaptizandi, si concurrat simul probabile dubium circa applicationem legitimæ materiæ aut formæ. c. si non concurrat. n. Ratio sumitur ex Rescripto Nicolai I. & sensu Theologorum Veterum, à Theologis sequioribus nec per rationem nec per authoritatem enervato.

Ad 1. *prob.* dist. Baptizandi sunt, si non probetur talium infantium baptismus certissimis testibus saltem probabiliter. c. si non probetur convincenter n. in eo Canone sermo est de infantibus abductis in captivitatem à barbaris hinc inde ex diversis Provinciis, & denuo ex captivitate redemptis. Cùm ergo prorsus ignoraretur, quo patre, qua matre, & ubi nati essent, sic ut de eorum baptismo nullius determinatæ personæ haberetur testimonium, Concilium requisivit determinatarum, hoc est certissimarum personarum testimonium de collato baptismo; neque enim Concilium voluit esse contentum sola fama incerta, aut præsumptione generali incerta. Hic sensus Concilii patet ex contextu, dum in eodem Canone additur ratio constitutionis his verbis: *Hinc enim Legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales à Barbaris redimunt.*

Ad 2. *prob.* Nego, parem esse incertitudinem circa intentionem Ministri, & circa Obstetrices. Nam in obstetricibus & fœminis rusticanis reperitur frequens error circa applicationem debitæ materiæ & formæ; circa intentionis autem defectum, ita ut Minister eliciat positivè intentionem contrariam non agendi id, quod facit Ecclesia, fortè intra centum annos non reperitur unicus casus.

OBJICITUR 8. Christus sic instituit Sacramenta, ut actiones Ministri ponantur modo humano, quo alia negotia gravia expediuntur in ordinata Republica. Sed ad expeditionem talium negotiorum non requiritur intentio Ministri. ergo. *Min. prob.* Judex validè profert sententiam, dummodo pro Tribunali sedens serio agat, nec obest sententiæ, qualemcunque in animo eliciat intentionem.

2. Famulus validè solvit debitum, vel dat eleemosynam, etiamsi in animo nullam habeat intentionem solvendi, dandi eleemosynam &c.

3. Præco validè promulgat legem, etsi etiam habeat in animo intentionem contrariam legi. ergo idem dicendum circa Sacramenta.

4. Minister est tantum instrumentum respectu Christi tanquam agentis Principalis. Atqui in instrumento non requiritur intentio v. g. faciendi domum, quam Architectus struit. ergo nec in Ministro.

RESPONDEO. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob* n. a. Si enim non ostenderet exterius, se habere intentionem agendi authoritate aliena, non ferret sententiam validè. Itaque requiritur in Judice intentio agendi authoritate aliena sui principalis. Si autem non haberet eam intentionem, in foro externo acta solum haberentur ideo pro validis; quia in foro externo præsumitur ejusmodi intentio conformis actui externo. Quod si judex solum pro instructione sui filii vel clientis exhiberet talem actionem judicialem, nemo somniaret, actum esse validum in genere actus judicialis; quia licèt adsit intentio materialis, deest tamen intentio formalis agendi nomine sui principalis.

Ad 2. n. a. Famulus enim necessariò debet habere intentionem erogandi pecuniam nomine alieno, & quidem titulo eleemosynæ, non titulo solutionis debiti; alioquin non satisfaceret mandato Domini. Quòd si famulus habeat contrariam intentionem, actus ille in foro externo erit quidem validus, sed præsumptivè tantum, quia intentio dantis præsumitur esse conformis actui externo, & intentioni Domini præcipientis.

Ad 3. n. a. Nam etiam in Præcone requiritur, ut habeat intentionem promulgandi legem nomine Principis. Nisi enim hanc intentionem signis vel verbis exprimeret, nemo obediret Decreto promulgato nomine Principis. Imò si homines scirent, eum intus in animo habere intentionem positivè contrariam non agendi nomine Principis, non solum incurreret indignationem Principis, sed etiam populus excusaretur ab observatione legis, utpote non promulgatæ nomine Principis.

Ad 4. dist. Minister est instrumentum animatum liberum. c. inanimatum vel necessarium. n. ad instrumentum animatum liberum pertinet, ut se liberè conformet intentioni ac directioni sui principalis, prout S. Thomas l. superius in Object. 4. citato observat.

OBJICITUR 9. Sacramenta significant, & causant gratiam independenter ab intentione Ministri. Ergo ea non requiritur. *Ant. prob.* signa publica, quæ habent suam significationem ex institutione Reipublicæ, v. g. hedera, voces, Scripturæ &c. operantur suum effectum independenter ab intentione privati hominis. ergo etiam idem dicendum de Sacramentis. c. p. Sacramenta sunt signa symbolica habentia suam significationem ex institutione Christi. ergo.

2. Sacramenta sunt medicamenta. Sed medicamenta causant effectum independenter ab intentione applicantis. Ergo etiam Sacramenta. *Maj. patet*; quia Sacramenta sanant, aut vivificant animam.

3. Ad hoc, ut conferatur effectus Sacramenti, non requiritur in Ministro formalis intentio causandi effectum. Ergo etiam ad hoc, ut conficiatur Sacramentum, non requiritur in Ministro intentio formalis conficiendi Sacramentum. *ant. patet* ex Conclus. 2.

RESPONDEO. dist. a. Significant, & causant effectum in actu primo independenter ab intentione privati. c. in actu secundo. n. si enim homines non supponerent, quod exponens hederam, loquens, vel scribens, habeat intentionem se conformandi institutioni publicæ, aut si scirent, hederam exponi ex alia intentione, v. g. jocandi aut homines fallendi, nihil operaretur ejusmodi signum in animis videntium vel audientium. Ergo etiam Sacramenta sine tali intentione nihil operantur apud Deum, eum determinando ad causandam gratiam, cùm Deus agnoscat intentiones cordium.

Ad 2. dist. Sacramenta sunt medicamenta moralia. c. physica. n. medicamenta moralia non habent virtutem physicam causandi, prout dicetur

tur in Disput. 3. Imò si etiam haberent virtutem physicam causandi gratiam, eam non haberent ex sua natura *antecedenter*, sed tantum *consequenter* ad applicationem humanam, factam modo, quo, prout vidimus in aliis negotiis humanis, non fit sine formali intentione se conformandi intentioni agentis principalis.

Ad 3. c. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia sine formali intentione effectus sufficienter applicatur actio Sacramentalis modo humano ad intentionem & virtutem agentis principalis. Econtra si præter intentionem effectus insuper desit intentio conficiendi Sacramentum, actio Ministri prorsus nullo modo humano subjicitur, & applicatur ad intentionem & causalitatem agentis principalis.

Objicitur 10. Non potest explicari, quidnam in nostra sententia babens intentionem formalem plus velit, quam habens intentionem præcise materialem? ergo si sufficit intentio illa formalis, sufficit etiam intentio materialis.

2. Qui vult omnes partes Sacramenti, revera vult Sacramentum. Sed habens intentionem præcise materialem vult omnes partes Sacramenti. Ergo. *Maj. patet*; sic enim qui vult omnes partes totius, v. gr. domus, vult etiam totum.

Respondeo. n. a. Habens enim intentionem formalem vult præter ritum externum etiam dependentiam ab ordinatione Ecclesiæ vel institutione Christi, quæ relatio dependentiæ est aliquid formaliter distinctum à solo ritu externo, & habet suum immediatum effectum formalem, ut ritus externus possit denominari positus juxta ordinationem, & dependenter ab ordinatione Ecclesiæ, prout fusius explicatum est Objectione 6. in Resp. ad Dices.

Ad 2. dist. Qui vult omnes partes Sacramenti sacramentaliter sumptas, ille vult conficere Sacramentum. c. qui vult omnes partes Sacramenti non sacramentaliter sumptas. n. Cùm enim Sacramentum non sit aliquod totum physicum, sed aliquod totum morale, non ponitur totum sine voluntate instituentis sumpta in actu secundo; illa autem voluntas instituentis sumpta in actu secundo non ponitur, nisi applicetur ad objectum seu subjectum particulare modo humano; & modo humano non applicatur sine intentione formali, prout ostensum est.

Dices: Si intentio formalis pro suo objecto habet dependentiam ritus externi ab Ordinatione Ecclesiæ vel Christi, impossibile est, ut non saltem implicitè, mediatè, ac indirectè sic constitutus velit ipsum effectum Sacramenti. Sed hoc non potest dici. ergo. *Min. patet* ex Concluf. 2. *Maj. prob.* juxta nos etiam hæreticus vel Gentiles, qui execranter Christum vel Ecclesiam Romanam, ideò implicitè, mediatè, ac indirectè volunt facere, quod Christus instituit, & facit Romana Ecclesia; quia volunt aliquid connexum cum objecto à se volito. Ergo eodem modo discurrendum est de effectu Sacramenti.

Respondeo. dist. Impossibile est, ut sic constitutus non velit effectum Sacramenti *realiter*. c. ut velit effectum illum *formaliter*. n. sic qui vult salubritatem medicinæ, realiter etiam amat, & vult amaritiem medicinæ: qui vult furari causa indigentiæ, realiter etiam vult offensam Dei; quamvis nec ille formaliter velit amaritiem medicinæ, sed potius eam detestetur; & iste non velit formaliter offensam Dei, sed potius optet non offendi Deum. In hoc ergo sensu etiam verum erit, quod habens intentionem formalem realiter velit effectum Sacramenti interni, quamvis eum explicitè ac formaliter irrideat, aut detestetur. Conclusio 2. tantum loquitur de intentione formali, hoc est ea, qua aliquid formaliter ac explicitè cognoscitur, atque ut sic formaliter cognitum habetur pro objecto volito.

Objicitur 11. Non est verosimile, quod Patres Concilii Tridentini voluerint damnare sententiam Veterum Theologorum, imò sententiam Catharini & Salmeronis, qui ipsimet interfuerunt Concilio Tridentino. Ergo ex hoc Concilio nihil probatur contra sufficientiam intentionis materialis. *Ant. patet* ex generali axiomate, quod Concilium Tridentinum non intenderit damnare sententias Theologorum, sed hæreticorum.

2. Potest dici ab Alexandro VIII. propositionem illam de intentione Ministri tantum ideo esse damnatam; quia non distinguit, utrum illum ritum ponat *graviter* & cum circumstantiis debitis, requisitis ab Ecclesia, vel tantum *jocularite*r.

3. Potest dici, hoc Decretum Alexandri VIII. non stringere per modum regulæ fidei. ergo saltem liceebit sentire oppositum. *A. prob.* Juenin in Tr. *de Sacramentis*. c. 2. art. 3. §. 1. ad Object. 4. observat, hoc Decretum non fuisse emanatum immediatè ab ipso Summo Pontifice, sed tantum *ab Inquisitione Romana coram Summo Pontifice*; sic enim ait: "Respondent primo Canonistæ Galli in Francia multisque aliis in Provinciis Christianis, non habere vim ullum Decretum Transalpinum, nisi ab ipso immediatè emanaverit, unde Judicia ab Inquisitione lata per se etiam quoad forum internum Gallos non obligare concludunt.

4. Potest dici, quod propositio illa propterea fuerit damnata; quia licèt supponat, à Ministro seriò & graviter poni ritum externum, non tamen supponit, quòd ritus ille ponatur ab eo, qui per aliquam circumstantiam extrinsecam, v. g. per preces postulantis baptismum, determinetur ad agendum nomine Ecclesiæ, seu tanquam ejus Minister. Ita P. Juenin denuo.

Respondeo. tr. a. dist. c. Ergo nihil ex Tridentino evincitur contra hanc sententiam directè. tr. indirectè, & per connexionem. n. cùm Concilium Generale quoad definitiones fidei sit organum Spiritus Sancti, sicut fuerunt organum Spiritus S. Apostoli, & alii Scriptores Hagiographi, non est necesse, ut ille, qui loquitur dictante Spiritu Sancto, cognoscat, aut formaliter intendat omnes veritates, quæ ex propositione revelata per Conclusionem Theologicam & connexionem necessariam deduci seu erui possint. Et ea ratione contingit, quod dum Concilium directè agit contra hæreticos, indirectè, ac per connexionem juxta vel etiam præter intentionem feriat unum vel alterum Doctorem Catholicum.

Ad 2.

Ad 2. n. a. Quia si ritus externus tantum poneretur joculariter, eoipso etiam manifestaretur intentio interna non faciendi, quod facit Ecclesia, & sic exiretur extra limites propositionis damnatæ.

Ad 3. n. a. Dicere, quod talia Decreta non habeant vim ultra montes, est temerarium & erroneum; quamvis enim non se habeant per modum Definitionis ex Cathedra, pariunt tamen obligationem se conformandi Decreto, quousque se extendit intentio supremi Pastoris & Doctoris Ecclesiæ. En terminos Decreti! "Sanctissimus „ D. N. Alexander VIII. pro pastorali cura „ ovium (utique etiam ultra montes) à Christo „ Domino sibi commissa de earum salute solici- „ tus decrevit, supradictas propositiones tan- „ quam temerarias, scandalosas, malè sonantes, „ erroneas, & hæreticas, respectivè esse damnan- „ das & prohibendas, sicut eas damnat & prohi- „ bet, ita ut quicunque illas aut conjunctim aut „ divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de „ eis etiam disputativè publicè aut privatim tra- „ ctaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto „ incidat in excommunicationem. Insuper di- „ strictè in virtute S. Obedientiæ, & sub inter- „ minatione divini judicii prohibet omnibus Chri- „ sti fidelibus (haud dubiè etiam ultra montes) „ ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad „ praxin deducant &c." Hæc omnia ostendunt, responsionem, quam P. Juenin *narrativè* quibusdam Canonistis Gallis tribuit, temerariam, & erroneam esse.

Ad 4. tr. a. n. c. Si enim Minister à circumstantia externa v. g. ex precibus postulantis baptismum, determinari debet *ad agendum nomine Ecclesiæ*, eoipso in Ministro requiritur intentio *agendi nomine Ecclesiæ*; non enim ea determinatione opus est, ut Minister agat nomine Ecclesiæ tantum *ad speciem*, & *simulativè* pro *forma externa*, sed *modo humano*, ubi animus concordat actioni quod substantiam actus.

QUÆSTIO VI.

An valeat, aut liceat in Sacramentis forma conditionata?

NOTANDUM I. Aliud esse *intentionem conditionatam* conferendi Sacramentum; & aliud esse *formam conditionatam*. Si enim Sacerdos conferat Baptismum, vel Absolutionem personæ, de qua dubitat, utrum non jam baptizata ab alio, vel à se jam absoluta fuerit, ac intus in animo formet eam intentionem, ut cogitet: si jam es baptizata, vel absoluta, nolo te de novo baptizare, vel absolvere; si autem non es baptizata, aut si non pronuntiavi formam Absolutionis, volo te de novo baptizare, vel absolvere; in hoc casu intentio erit conditionata. Econtra si in ipsis verbis formæ eam intentionem exprimat, v. g. dicendo: si nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c. etiam forma erit conditionata.

NOTANDUM 2. De intentione conditionata, an liceat, vix posse esse dubium. Cùm enim in plurimis circumstantiis valde dubium sit, an repetendum, vel conferendum sit Sacramentum, necesse est, saltem intentionem debere esse conditionatam. Ita contingere potest v. gr. in casu, quo dubium est, an subjectum baptizandum sit homo vel brutum? An puer confitens habeat jam discretionem sufficientem ad peccatum? An pœnitens habeat sufficientem materiam confessionis, vel sufficientem dolorem, vel sufficiens propositum? An forma Absolutionis, vel Consecrationis in Eucharistia jam fuerit validè pronuntiata, vel non? &c.

DICO I. Licita est reiteratio Sacramenti sub intentione conditionata, quandocunque est prudens dubium de collatione valida præcedente Sacramenti.

PROBATUR. Ex perpetuo Ecclesiæ sensu in Conclus. 4. referendo, ubi ostenditur, quod in casu dubio de valore Sacramenti fuerit permissa nova applicatio Sacramenti sine forma conditionata, quod non licuisset sine intentione conditionata.

DICO II. In Sacramentis universim, ubi agitur de sola iteratione formæ in continenti, ea iteratio formæ sub intentione conditionata licita est, quandocunque reperitur dubium etiam præcise latè dictum, hoc est, tenuis probabilitas de invaliditate prioris formæ.

PROBATUR. Quod nullibi reperitur prohibitum, & à priori videtur longè conformius pietati divinæ, ac intentioni Christi instituentis, censendum est, esse licitum. Sed talis est ista reiteratio. ergo.

CONFIRMATUR ex Dominico Soto, qui in 4. Sent. dist. sic scribit: "In Pœnitentia minus „ dubium, modo tamen fundatum, sufficit, ut „ sub conditione forma possit iterari, v. g. si Mi- „ nister certus non est, an eàm debitè protulerit.

DICO III. Si tamen Minister ex pravo festinationis habitu vel ex distractione plenè voluntaria ac deliberata se conjiciat in tale dubium, peccabit quidem graviter non corrigendo habitum, aut non avertendo distractiones plenè deliberatas, ipsa tamen reiteratio formæ sub intentione conditionata non est illicita.

PROBATUR. Non videtur conforme pietati divinæ, ut reiteratio formæ cum præjudicio fidelium fiat illicita, si Minister culpabiliter extitit hujus reiterationis necessitas. ergo. *Ant. prob.* per hoc quod Sacerdos malitiose se constituerit in statu peccati mortalis, Sacramentorum administratio ad postulationem fidelium non fit illicita; sed Sacerdos præcise tenetur prius elicere contritionem, si non possit commodè præmittere gravis peccati confessionem. Ergo etiam, quando se gravi negligentia constituit in necessitate reiterandi formam, non ipsa reiteratio fit illicita; sed Minister præcise ante reiterationem formæ juxta gravitatem vel levitatem culpæ tenetur præmittere attritionem vel contritionem.

DICO IV. Forma conditionalis nunquam fuit adhibita primis VII. Sæculis.

PROBATUR dantur varia exempla primis VII. Sæculis, ubi in casu dubii de collatione vel valore

valore baptismi & ordinationis jubetur de novo conferri baptismus vel ordo, quin tamen ullibi fiat mentio de forma conditionali. ergo non dabatur. *c. prob.* ex *Legibus contingentium*, & ex Arte Critica de argumento negativo; quia tot inter occasiones faciendi mentionem de forma conditionali non contingeret uniforme Scriptorum silentium, si ea forma extitisset in usu. *Ant. prob.* ab inductione. Sic

I. *S. Cyprianus* interrogatus à Magno, an baptisma *Clinicis*, hoc est, periculose in lecto decumbentibus, collatum valeat, in Epist. 76. respondit: "Mea sententia hæc est, ut Christianus „ judicetur Legitimus, quisquis fuerit in Eccle„ sia (Catholica per Baptismum) lege & jure „ fidei divinam gratiam consecutus. Aut si ali„ quis (ob contrariam sententiam) existimat, eos „ nihil consecutos, eoquod aqua salutari tantum „ perfusi sint, (sine immersione) sed inanes & „ vacui sunt, non decipiantur, ut si incommo„ dum languoris evaserint, & convaluerint, ba„ ptizentur." Hic à D. Cypriano nulla fit mentio de forma conditionali.

II. In causa Cæciliani Archiepiscopi Carthaginensis, cujus ordinatio impugnabatur tanquam invalida, utpote facta ab Excommunicato, Ecclesiæ tamen Romanæ, vel aliis Episcopis nunquam incidit, ut in ea controversia præscriberent novam ordinationem saltem sub forma conditionali, prout patet ex Actis apud Baronium ad annum 314.

III. In Concilio Carthaginensi V. Can. 6. dicitur: "Placuit de infantibus, quoties non in„ veniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos „ esse sine dubitatione testentur, absque ullo „ scrupulo eos esse baptizandos. Hinc enim Le„ gati Maurorum consuluerunt, quia multos ta„ les à barbaris redimunt." Iterum nulla est mentio de forma conditionali.

IV. *S. Leo* Epist. 37. similiter loquens de redemptis ex captivitate barbarorum, de quibus nesciebatur, an essent baptizati, ait: "Compe„ rimus, aliquos captivorum ad libertatem re„ deuntes, remedium implorare baptismi, sed „ utrum ejusmodi Mysterii ante Sacramenta per„ ceperint, infantiæ inscientia (in qua jam in „ captivitatem venerant) non posse se reminisci. „ Cùm itaque tribuere talibus Sacramenta non „ immeritò quorumdam Fratrum formido dubi„ taret, in Synodali cœtu formam hujuscemodi „ consultationis accepimus. Eadem ergo, quæ „ in sensum nostrum divina inspiratione vene„ runt, frequens etiam Fratrum firmavit assen„ sio. Cùm itaque baptizatum se nec ille recor„ detur, qui regenerationis est cupidus, nec al„ ter attestari de eo possit, quod nesciat conse„ cratum, non potest in iterationis crimen de„ venire, quod factum esse omnino nescitur. „ Ideo quoties persona talis inciderit, solicita „ primum examinatione discutite & longo tem„ pore, nisi fortè supremus finis immineat, in„ dagate, utrum nemo sit penitus, qui testimo„ nio suo juvare possit ignorantiam nescientis. „ Et cùm constiterit hunc, qui baptismatis indi„ get Sacramento, sola inaniter suspicione pro„ hiberi, accedat intrepidus ad consequendam „ gratiam, cujus in se nullum scit esse vesti„ gium.

Hoc loco non solum fuisset occasio, sed etiam obligatio loquendi de forma conditionali, cùm Quæstio in Synodo Romana fuerit examinata, & *forma* præscripta.

V. *S. Gregorius M.* in l. 12. Epist. 32. ad Felicem in Sicilia Episcopum de Baptismi & Confirmationis dubia collatione scribit, conferendum esse simpliciter Sacramentum sine ulla restrictione ad formam conditionalem; quia, ut ait: *Non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.*

DICO V. Forma conditionata in Ecclesia Latina Sæculo VIII. introducta, Sæculo XII. & XIII. communior facta, Sæculo XIV. & XV. ad sola Sacramenta characterem imprimentia adhibita, ac tandem Sæculo XVI. etiam ad Sacramenta, quæ iterari possunt, extensa est.

PROBATUR 1. *quoad* 1. *membrum*, ex CAPITULARIBUS CAROLI M. Sæculo VIII. & IX. scriptis; ubi l. 6. c. 181. sic habetur: *De quibus dubium est; utrum sint baptizati, an non? omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen præmissis verbis, non te rebaptizo; sed, si nondum baptizatus es, baptizo te &c.*

2. *Quoad* 2. *membrum.* Probatur inprimis ex Alexandri III. Decreto; quo approbavit formam baptismi conditionatam anno 1159. Hoc Decretum refertur à Gregorio IX. c. *Extra.* de Baptismo his verbis: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Quod autem hoc Decretum non statim habuerit universalem in Ecclesia usum, antequam in Libros Decretales à Gregorio IX. relatum est, colligitur ex Petro Cantore Parisiensi, qui sic scribit: *In Confirmatione vel Baptismo, de quo dubitatur, an sit collatus, non approbamus conditionem appositam, sic: si non es baptizatus &c.* Hoc loco Petrus Cantor videtur improbare constitutionem Odonis III. Episcopi Parisiensis, qui in sua Ecclesia Cathedrali jussit adhiberi eam ipsam formam, quæ ab Alexandro III. ejus Coætaneo, præscripta est.

3. *Quoad* 3. *membrum.* Probatur ex Theologis illorum temporum, qui illam formam solum ad Sacramenta characterem inprimentia applicant, silendo de Sacramentis cæteris.

DISPUTATIO III.

De Causalitate & Effectu Sacramentorum.

In hac Disputatione quæritur:

1. An Sacramenta causent gratiam physicè vel moraliter?
2. Quales gratiæ conferantur in Sacramentis? Et quomodo à gratiis non Sacramentalibus differant?
3. Quænam Sacramenta imprimant characterem? Et quid sit ille character?

QUÆSTIO I.

An Sacramenta physicè causent gratiam?

NOTANDUM 1. Quæstionem versari in eo, utrum in materia vel forma Sacramentorum reperiatur aliqua supernaturalis qualitas seu virtus, ex sua natura productiva gratiæ sanctificantis in anima. Hanc qualitatem seu virtutem admittunt communiter Thomistæ, quibus ex Societate Jesu accedunt Suarez, Bellarminus, Valentia, Tannerus, Granadus, Dicastillo, Maurus, & alii plures. Altera sententia opposita rotunde negat, à Sacramentis physicè causari gratiam. Hujus sententiæ Patroni docent, gratiam in anima causari physicè à solo Deo, moraliter vero etiam causari à Sacramentis, in quantum actio Sacramentalis *movet Deum moraliter* ad causandam physicè gratiam. Hujus sententiæ sunt Scotistæ complures, præsertim Mastrius, ex Societate vero Vasquez, Molina, Lessius, Coninck, Hurtadus, Lugo, Amicus, Arriaga, Haunoldus, Platelius, Gormaz &c.

NOTANDUM 2. Sententiam primam, quod Sacramenta physicè causent gratiam, diversimodè explicari à suis Patronis. Nam aliqui eorum dicunt, quod Sacramenta tantum producant physicè unionem inter animam & gratiam sanctificantem. Alii asserunt, quod eam causalitatem physicam tantum habeant illa Sacramenta, quæ imprimunt characterem, & quod causalitas physica talium Sacramentorum se tantum extendat ad producendum characterem. Nonnulli volunt, quod per Sacramenta producatur aliqua qualitas intermedia, productiva gratiæ sanctificantis in anima, sicut species visuales causatæ ab objecto colorato producunt visionem seu speciem visivam in oculo. Multi asserunt, quod Sacramenta immediatè influant in ipsam gratiam sanctificantem ope qualitatis Sacramento inhærentis, ac superadditæ. Sed juxta aliquos id fit per potentiam obedientialem, qua Sacramenta elevantur ad producendam gratiam sanctificantem.

NOTANDUM 3. Nec etiam eos convenire omnimodè inter se in modo explicandi, qui docent, gratiam à Sacramentis tantum causari moraliter. Aliqui volunt, quod Sacramenta eatenus causent moraliter gratiam, in quantum per modum Chirographi exhibiti movent Deum ad servandum suum promissum conferendi omnibus gratiam, qui susceperint Sacramentum. Communior vero sententia docet, quod actio Sacramentalis sit moraliter actio Christi, sicut actio Legati solennis est moraliter actio sui Principalis, & quod sub hoc respectu tanquam actio personæ infinities dignæ moveat Deum ad conferendam promissam Sacramentalem gratiam. Insistendo huic posteriori explicationi

DICO. Sacramenta N. T. causant gratiam tantum moraliter.

PROBATUR 1. Causare gratiam moraliter est nihil aliud, quam movere Deum ad causandam gratiam non solum per modum conditionis, sed etiam per modum motivi. Sed Sacramenta hoc modo movent Deum ad causandam gratiam. ergo. *Ant. prob.* 1. Actio Sacramentalis ponitur nomine Christi. ergo. *ad prob.* id exprimitur in forma baptismi, dum dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Imò id etiam exprimitur in plerisque aliis Sacramentis v. g. in Confirmatione: *Ego te inungo in nomine Patris &c. Ego vos conjungo in nomine Patris &c. Ego te absolvo in nomine Patris &c. Per istam sacram unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid per sensus deliquisti in nomine Patris &c. Accipe potestatem offerre Sacrificium in nomine Patris &c.* Idem contingit in Consecratione Eucharistiæ, ubi verba Consecrationis proferuntur non solum recitativè sed etiam authoritativè in persona Christi; ubi etiam principalis offerens est ipse Christus, juxta illud Psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et ad Hebr. 7. v. 24. *Hic sempiternum habet Sacerdotium.*

PROBATUR *idem ant.* 2. ex illo Apostoli 2. Cor. 2. v. 10. *Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi*; ubi Apostolus ostendit, se incæstuoso condonasse longè aliter, quam donassent Corinthii, rigorosam satisfactionem; se enim partem rigorosæ satisfactionis ad Absolutionem Sacramentalem saltem in voto requisitæ condonasse in persona Christi.

PROBATUR 3. ex sensu SS. Patrum. Sic enim S. Augustinus l. 7. *de Baptismo.* c. 53. ait: *Quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, Christus est, qui baptizat.* Eodem modo loquitur S. Chrysostomus scribens in Joan. Homil. 85. ubi ait: *Neque Angelus, neque Archangelus quidquam in his efficere potest, sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit; Sacerdos & linguam & manus præbet.* Itaque actio Ministri est actio Christi.

PROBATUR 4. D. Paulus protestatur, quod Baptismus non conferatur suo nomine, in quantum est actio Sacramentalis. 1. Cor. 1. v. 11. *Significatum est mihi, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephæ; ego vero Christi. Divisus est Christus? Nunquid in nomine*

nomine Pauli baptizati estis? gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum & Cajum, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Ex his omnibus deducitur, quod actio Sacramentalis non sit pura conditio per modum chirographi, sed quod sit moraliter actio ipsius Christi.

PROBATUR CONCL. 2. Hoc modo optimè & magis uniformiter omnia explicantur, quæ circa causalitatem Sacramentorum occurrunt; ergo hæc sententia est præferenda. Ant. patebit ex S. O.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. ex Scriptura. Nam 1. Christus Joan. 3. dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo sicut homo ex Spiritu Sancto renascitur physicè, ita etiam renascitur ex aqua physicè.

2. Nasci ex alio dicit causalitatem physicam. ergo etiam renasci ex aqua dicit causalitatem physicam.

3. *D. Paulus ad Titum.* c. 3. v. 5. ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Et ad Ephes. 5. v. 26. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.*

4. *S. Petrus* 1. Epist. c. 3. v. 20. dicit: *In arca Noë octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.*

RESPONDEO. c. a. dist. c. Nisi subjecta materia & Scriptura ipsa insinuet diversitatem causalitatis inter aquam & spiritum. c. si subjecta materia & Scriptura insinuet eam diversitatem. n. subjecta materia ostendit inprimis diversitatem causalitatis, quia Spiritus Sanctus est connaturale principium gratiæ; aqua autem est prorsus improportionata ad causandam physicè gratiam. Scriptura autem eam diversitatem ostendit, quia in omnibus aliis locis Scripturæ, ubi de Regeneratione sermo est, ea tribuitur soli Spiritui S. Sic Joan. 1. dicitur: *Qui ex Deo nati sunt.* Et Joan. 3. v. 6. *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu Spiritus est.* Idem modus loquendi, *ex Deo nasci*; repetitur septies in Epistola 1. S. Joannis, quin ulla fiat mentio aquæ. Hinc

RESPONDEO 2. dist. a. Nisi quis renatus fuerit ex aqua tanquam constitutivo materiali Sacramenti, & Spiritu tanquam constitutivo formali Sacramenti in esse operativo gratiæ. c. ex aqua tanquam conprincipio activo. n. quando totum producit effectum v. g. ignis ignem, materia ignis non concurrit activè ad producendum ignem, sed tantum passivè recipiendo & continendo formam tanquam principium activum. Sic etiam materia & forma Sacramentorum tanquam materiale constitutivum Sacramenti qua talis, hoc est, reduplicativè seu formaliter sumpti in esse operativo gratiæ, tantum concurrit ad producendam gratiam passivè per modum recipientis & continentis Spiritum Sanctum tanquam principium activum, qui invocatur super aquam. In quantum ergo virtus infinita Dei seu Spiritus Sancti omnipotentia aliquo modo applicatur aquæ, & unitur per quamdam unionem intentionalem vel realem, de quo posset dispu-

tari juxta cujuslibet principia philosophica, in tantum potest dici, quod Sacramentum per Spiritum Sanctum producat gratiam, sicut materia per formam producit effectum.

Ad 2. dist. Nisi subjecta materia, & Scriptura ostendat, tantum sermonem esse de principio effectus materiali. c. secus. n. Sic enim Matth. 19. ubi in latino textu habetur: *Qui de Matris utero sic nati sunt*; in græco textu legitur: ἐκ κοιλίας μητρὸς, ex ventre Matris: quamvis venter Matris sit tantum principium materiale, præbens materiam & habitaculum partui dependenter à duobus conprincipiis activis Patre & Matre: quæ principia activa in Sacramentis sunt tres Personæ divinæ.

Ad 3. dist. Docent ista de lavacro aquæ tanquam principio passivo receptivo Spiritus S. tanquam specialiter applicati signis Sacramentalibus. c. tanquam principio activo. n. Ut enim dixi, Sacramentum est aliquod totum, cujus materiale sunt materia & forma inesse naturali spectatæ; quæ ut intentionaliter vel physicè applicatæ seu unitæ Spiritui Sancto seu omnipotentiæ divinæ causant quidem gratiam, sed tantum passivè per modum materiæ, & solum per suam formam tanquam principium activum. Operatur enim Spiritus Sanctus in Sacramentis ut specialiter iisdem applicatus per quamdam relationem, seu unionem, aut intentionalem aut realem, prout quisque voluerit sentire juxta sua principia philosophica. Ego juxta mea principia philosophica defendo, quod ea applicatio omnipotentiæ divinæ vel Spiritus S. ad materiale Sacramenti sit aliqua relatio realis, vel in termino *à quo*, quando datur, vel in termino *ad quem*, quando Sacramentum non amplius existit.

Ad 4. dist. Salvos facit per aquam tanquam principium materiale seu passivum, cui applicatur virtus Spiritus Sancti. c. per aquam tanquam principium activum. n. In hujusmodi enim rebus obscuris, quod minimum est, & ad salvandam Scripturæ proprietatem sufficit, asserendum est. Sufficit autem ad salvandam proprietatem Scripturæ, si dicatur, Sacramenta se habere per modum materiæ, cui unitur virtus ex alto, hoc est, ipsa omnipotentia Spiritus S. per quamdam applicationem intentionalem vel realem, ita ut Sacramenta materialiter spectata non operentur per virtutem supernaturalem propriam, sed per omnipotentiam Spiritus S. sibi specialiter applicatam.

DICES I. Non potest explicari, quid sit illa specialis applicatio omnipotentiæ divinæ ad Sacramenta, ita ut Sacramenta operari possint per Spiritus S. omnipotentiam specialiter sibi applicatam. ergo.

RESPONDEO. n. a. Dico enim, quod illa applicatio seu unio sit vel intentionalis, ita ut actio divina, qua Spiritus Sanctus in homine baptizato producit gratiam, consideranda sit tanquam posita intuitu Sacramenti, & Deus velit in consideratione humana poni hunc respectum; vel quod sit realis, prout ego existimo, ita ut actio divina, qua Spiritus S. producit gratiam in baptizato, revera habeat secum identificatam hanc relationem ad Sacramentum, ubicunque illa

illa actio subjectetur physicè, seu in termino *à quo*, seu in termino *ad quem*.

Dices 2. Ex hac responsione potius sequitur, quod Sacramenta physicè causent gratiam, & non tantum moraliter. ergo.

Respondeo. n a. Causare enim physicè gratiam est habere quamdam virtutem vel qualitatem physicè effectivam gratiæ, in mea autem sententia nihil tale reperitur in Sacramenti materia vel forma; sed in iis solum ponitur quædam applicatio seu unio ad causam in se & ratione sui activam, nempe ad omnipotentiam divinam. Ratio autem, cur fiat hæc applicatio seu unio Sacramentorum ad omnipotentiam divinam, non est aliqua virtus supernaturalis, sed tantum moralis dignitas actionis Sacramentalis, in quantum Christus eas actiones Sacramentales Ministri vult à Sanctissima Trinitate haberi pro suis.

Objicitur 2. Authoritas Conciliorum. 1. Concilium Trident. dicit: Quod Sacramenta contineant gratiam. Eam autem continere non possunt, nisi habeant virtutem producendi gratiam. ergo. *Maj. prob.* Sess. 7. can. 6. dicit: *Si quis dixerit, Sacramenta non continere gratiam, quam significant, aut gratiam non conferre, anathema sit.* 2. In eodem Concilio l. c. & in Instructione Eugenii IV. ad Armenos. §. 5. dicitur, quod Sacramenta conferant gratiam. Conferre autem non possunt nisi per modum causæ. 3. Concilium Trident. l. c. Can. 9. dicit, quod Sacramenta imprimant characterem. Et Sess. 23. Can. 4. dicit: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum aut per eam non inprimi characterem, anathema sit.* 4. Idem Concilium Trident. Sess. 7. Can. 2. de *Confirmatione* ait: *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* 5. Concilium Mogunt. Sacramenta vocat *efficacia signa.* 6. Concilium Senonense dicit, Sacramenta habere vim gratiæ conferendæ.

Respondeo 1. Retorquendo in ipso sanguine Christi, de quo in Scriptura dicitur, quod nos emundet, & lavet, quin hoc faciat per modum causæ physicæ. Sic 1. Joan. 1. v. 7. dicitur: *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Et Apocal. 1. v. 5. *Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et Apocal. 5. v. 9. *Redemisti nos in sanguine tuo.* Et ad Hebr. 9. v. 12. *Christus per proprium sanguinem introivit in Sancta æterna redemptione inventa.*

Respondeo 2. *ad* 1. dist. Continent gratiam per modum causæ materialis passivè continentia virtutem Spiritus S. productivam gratiæ specialiter sibi applicatam. c. per modum causæ formalis efficientis activè gratiam. n. sensus patet ex Resp. ad Ob. 1. Addo, etiam in chirographo juxta communem modum loquendi contineri hanc vel illam gratiam Principis &c. licèt non efficiat physicè illam gratiam. Sic etiam in volumine viso à Propheta Jeremia, & viso à S. Joanne juxta phrasin Scripturæ dicuntur *contineri* plagæ variæ, licèt liber illas plagas non contineat effectivè, sed tantum significativè & prænuntiativè.

Ad 2. dist. Sacramenta conferunt gratiam concretivè spectata, prout involvunt gratiam ac omnipotentiam Spiritus S. specialiter sibi applicatam. c. denominativè spectata. n. sensus patet ex Resp. ad Ob. 1.

Ad 3. Quoad 1. textum id nego; Concilium enim eo loco non dicit, quod *Sacramenta* imprimant characterem; sed quod *in Sacramentis* imprimatur character; quo modo loquendi potius insinuat, causam physicè productivam characteris non esse Sacramenta, sed Deum. Quoad 2. textum. dist. per Ordinationem inprimitur character tanquam per causam materialem receptivam virtutis Spiritus Sancti effectivæ gratiæ. c. per ordinationem tanquam causam physicè effectivam gratiæ. n. sensus patet ex Resp. ad Ob. 1.

Ad 4. dist. Anathema sit, qui dixerit injurios esse Spiritui Sancto, qui Chrysmati tribuunt virtutem etiam moralem c. tantum physicam. n. Tridentinum non tantum vult anathema dici, qui ad injuriam Spiritus S. referunt virtutem physicam, sed etiam moralem Sacramentorum. Dein nos non dicimus, patronos oppositæ sententiæ, esse injurios Spiritui Sancto; imò verò eos in sensu magis rigoroso ac stricto sumere textus Scripturæ & Patrum. Solum impugnamus eam sententiam, qua illa virtus supernaturalis physicè effectiva gratiæ non sufficienter probatur.

Ad 5. & 6. dist. Concilia ista Provincialia dicunt, Sacramenta esse signa efficacia efficacià morali. c. physica. n. similiter: Sacramenta habere vim moralem conferendæ gratiæ. c. physicam.

Objicitur 3. Authoritas SS. Patrum. 1. Tertullianus in l. *de Baptismo*. c. 2. dicit: „Nonne mirandum, lavacro dilui mortem? atque eo magis credendum, quia mirandum est. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? *Et c.* 3. In primordio Spiritus Dei super aquas ferebatur; primis aquis præceptum est animas proferre, ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare noverunt. *Et c.* 4. Quoniam subjecta quæque materia ejus, quæ desuper imminet, qualitatem rapiat, necesse est, ita de Sancto (Spiritu) sanctificata natura aquarum & ipsa sanctificare concepit; igitur ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. Igitur medicatis quodam modo aquis anima diluitur. *Et c.* 5. Proficiente gratia Dei plus aquæ & Angelo concessit. Qui (in piscina Bethsaida) vitia corporis remediabant, nunc Spiritum medentur; qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant; qui unum semel in anno liberabant, nunc quotidie populos conservant deleta morte per ablutionem delictorum.

2. S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 3. n. 3. ait: "Ne huic lavacro tanquam nudæ aquæ attende; nam aqua simplex invocationem Spiritus Sancti, Filii & Patris percipiens vim sanctificationis aquirit.

3. D. Chrysostomus in Catechesi 1. ad illuminandos: "Cur, inquies, lavacrum regenerationis vocatur? Quia non solum delicta purgat, sed id præstat, ac si denuo regenerati essemus. Etenim nos denuo creat, & format, non ex terra, sed ex aquarum natura creans.

Respon-

Respondeo *ad* 1. dist. Tertullianus docet, lavacro dilui mortem tanquam principio materiali & passivo, receptivo virtutis ex applicatione speciali omnipotentiæ divinæ. c. tanquam principio activo. n. Similiter respondeo ad 2. & 3. textum. dist. aqua sanctificare concepit per modum principii materialis, passivi, ac receptivi formæ ex sua natura activæ. c. per modum principii activi. n. Item aquæ medentur, operantur salutem, reformant, abluunt &c. per modum principii materialis ac passivi. c. per modum principii activi. n. sensus patet ex Resp. ad Ob. 1.

Ad 2. dist. Aqua percipit vim sanctificationis indistinctam ab omnipotentia Spiritus S. specialiter applicati applicatione extrinseca ad materiam & formam Sacramentalem. c. vim creatam, inhærentem, & distinctam ab omnipotentia Spiritus S. n. sensus patet ex dictis.

Ad 3. dist. Aqua delicta purgat, creat, & format per modum conprincipii materialis, passivi, & receptivi omnipotentiæ divinæ per modum formæ extrinsecæ specialiter applicatæ ad Sacramentum. c. per modum principii activi, aut habentis formam creatam, inhærentem, ex sua natura activam. n. Quod enim SS. Patres in Sacramentis nullum agnoscant principium inhærens ex sua natura activum, sed solam assistentiam Spiritus S. seu Dei, specialiter ad signa Sacramentalia applicati, & eatenus cum iis constituentis unum totum Sacramentale activum, & productivum gratiæ, ita ut in hoc toto morali materiale sit materia & forma Sacramenti, formale per modum formæ denominantis extrinsecæ ipsa omnipotentia Dei, & assistentia Spiritus S. patet constanter & uniformiter ex eorum textibus. Sic

I. Tertullianus l. *de Baptismo*. c. 4. dicit: "Jam tunc (*quando in creatione Mundi Spiritus ferebatur super aquas*) prænotabatur, Dei „ Spiritum tinctos reformaturum. Itaque aquæ „ Sacramentum sanctificationis consequuntur, „ invocato Deo; supervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans „ eas NB. de semetipso, & ita sanctificatæ vim „ sanctificandi combibunt. Delicta sicut non in „ carne comparent, ita in Spiritu sordent. Igitur medicatis quodammodo aquis per Angeli „ interventum & Spiritus in aquis diluitur." In hoc textu sanctificatio animæ manifestè adscribitur soli Spiritui Sancto, tanquam causæ physicæ. *Ibidem c.* 8. *ait*: "Quemadmodum post aquas „ diluvii, post baptismum ut ita dixerim Mundi, „ pacem columba terris nuntiavit, eadem dispositione carni nostræ emergenti de lavacro post „ vetera delicta columba S. Spiritus advolat, pacem Dei adferens.

II. S. Chrysostomus Catechesi 1. ad illuminandos: "Quemadmodum si quis auream „ statuam rubigine fœdatam denuò conflavit, „ eamque purissimam ac fulgentem restituit; sic „ & naturam nostram Deus peccati rubigine fœdatam denuo conflavit, & in aquas ceu in conflatorium injiciens & pro igne Spiritus gratiam „ immittens renovatos educit. *Et Catechesi* 2. „ Ex lavacro Deus dedit & Spiritus gratiam & „ justitiam & sanctificationem. Non sic Mundus „ est clarus oriente radio solis, ut anima illustratur, & splendidior fit à Spiritu gratiam suscipiens. *Idem in* 1. *Epist. ad Cor. hom.* 40. Solus „ Deus potest peccata dimittere, quod operatur „ in lavacro regenerationis. Ipsam enim animam tangit gratia, & illinc peccatum evellit „ radicitus. Propterea ejus, qui baptizatus est, „ videre licet animam ipsius Solis radiis puriorem. Fruitur enim spiritu, qui eam ex omni „ parte inflammat. Sicut aurum & argentum „ refundis, & novum facis, ita etiam Spiritus „ Sanctus in baptismo tanquam in fornace peccata consumens efficit, ut quovis auro purius „ effulgeat. *Idem Sermon.* 39. *de Pentecoste*. Ubi „ nunc est Spiritus S. dicet aliquis? Ostendam, „ in nobis esse Spiritum Sanctum. Nam si non „ esset in nobis Spiritus Sanctus, quomodo isti, „ qui hac sacra nocte baptizati sunt, à peccatis „ liberari potuissent? non enim absque Spiritus „ efficacia possumus à peccatis liberari. Non „ ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed „ per lavacrum regenerationis & renovationis „ Spiritus Sancti.

Dices 1. SS. Patres comparant baptismum utero Virginali B. Virginis. Ergo sicut ille concurrebat per modum causæ physicæ ad hoc, ut esset Mater Christi, ita etiam baptismus concurrit ad hoc, ut sit causa gratiæ. Sic enim D. Leo Serm. 4. de Nativit. dicit: "Omni homini rena„ sceni baptismus est ad instar Uteri Virginalis „ eodem Spiritu replente fontem, qui replevit „ & Virginem. *Et Serm.* 5. Virtus Altissimi, „ quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit, „ ut regeneret unda credentem." Et D. Chrysostomus homil. 25. in Joan. *Quod est Matrix Embrioni, hoc & fideli aqua.*

Respondeo. c.a. n. suppositum c. Quod Uterus seu Matrix concurrat physicè per modum principii activi; dico enim, quod uterus seu matrix, prout includit hic terminus annexa duo ovaria, tantum concurrat ad formandum fœtum passivè seu receptivè, ministrando videlicet materiam, cui unitur Spiritus seminis, hoc est, virtus plastica activa, ex patre simul ac matre. Itaque invertitur argumentum contra adversarios ex hoc ipso textu D. Leonis. Spiritus est principium activum in formatione fœtus, & in regeneratione baptizati. Ergo aqua baptismalis non concurrit physicè ad causandam gratiam per modum principii activi, sed tantum per modum principii materialis, cui se unit, seu applicat omnipotentia Spiritus S. qui in hac regeneratione est simul loco patris & matris.

In Nativitate Salvatoris omnipotentia Spiritus Sancti se conjunxit cum potentia generativa B. Virginis, tanquam conprincipio activo, ut conjunctis viribus in matrice & ex matrice tanquam principio materiali ac receptivo formaretur Corpus Christi; in baptismo autem, quia Spiritus Sanctus est loco patris & matris, solus Spiritus Sanctus est principium activum, quod ut unitum unione extrinseca seu applicatum materiæ & formæ Sacramentali tanquam conprincipio materiali efficit gratiam sanctificantem, & hoc totum, quod est anima sanctificata.

Hoc elegánter explicat CYRILLUS ALEXANDRINUS l. 2. in Joan. c. 42. his verbis: „ Regenerationem, quæ per Spiritum Sanctum „ fit, nasci desuper Dominus appellavit, ut ex „ hoc disceremus, idcirco nos Dei fieri partici„ pes, quoniam Spiritum, qui substantialiter ex „ Deo procedit, per baptismum aquirimus. „ Nam cùm non simplex, sed compositus ex „ corpore sensibili & intellectuali anima homo „ fit, duplici quodam ad regenerationem indiget „ modo, qui duplicitate sua se ad utrumque ac„ commodat: Spiritu enim Sancto spiritus homi„ nis, aqua vero corpus sanctificatur. Quem„ admodum enim viribus ignis intensius aqua ca„ lefacta non aliter quam ignis urit, sic Spiritus S. „ operatione aquæ; quibus corpus baptizati ab„ stergitur, reformantur ad divinam virtutem."

His verbis S. Cyrillus virtutem sanctificandi animam, quam aquæ habent, tribuit formaliter ac immediatè soli operationi Spiritus Sancti, quatenus cum aqua & forma baptismi constituit unum totum morale. In hoc toto morali materiale est materia & forma Sacramenti, formale vero ipsa operatio Spiritus S. ut applicata materiæ per respectum essentialem ac physicum, qua actio seu operatio Spiritus S. simul respicit & materiale Sacramenti, & simul effectum, nempe gratiam sanctificantem. Et eatenus operatio Spiritus Sancti, & calor aquæ calefactæ conveniunt, licèt non conveniant quoad modum inexistendi suo subjecto, quoad denominatur. Calor enim est forma physicè inhærens: operatio autem Spiritus S. est tantum forma extrinseca denominans subjectum; sicut si dico murus visus, Petrus amatus, cæcus directus, civis adjutus, Minister Regis potens.

DICES 2. Sanctissimi Patres admirantur mirabilem aquæ baptismalis vel chrysmatis virtutem, tanquam inexplicabilem, & intellectu imperceptibilem. Atqui ea virtus non esset adeo mira & inexplicabilis, si Sacramenta tantum haberent causalitatem moralem vel per modum chirographi, aut per modum actionis Ministerialis positæ nomine Christi. ergo. *Maj. prob.* sic enim D. Augustinus Tract. 80. in Joan. dicit: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut Corpus tangat, & cor abluat?*

RESPONDEO c. *Maj.* dist. *Min.* Non esset mira singularitate causalitatis. c. singularitate unionis & effectus. n. SS. Patres non admirantur hoc, quod actio humana posita nomine Dei possit producere effectum moralem, sicut est potestas excommunicandi, & potestas jurisdictionis, ac legalis: mirantur autem, quod virtus omnipotentiæ divinæ in actu secundo, seu operatio Spiritus S. sese uniat unione extrinseca tam vilibus elementis, atque cum iis tanquam per modum unius totius velit operari effectum tam excellentem, ac est gratia sanctificans. Hunc sensum referunt illa verba, quæ Nicephorus l. 7. hist. c. 33. existimat esse pronuntiata à S. Sylvestro, dum baptizaret Constantinum M. "Hæc „ aqua, o Imperator, divina virtute per invo„ cationem Spiritus S. imprægnata, sicut exte„ rius corpus hominis abluit, ita etiam interius „ animam mundat, & splendidiorem radiis solari„ bus efficit." Ea divina virtus, de quâ in hoc textu est sermo, non est qualitas physica, quæ utique divina non est, sed ipsa omnipotentia Spiritus S. in actu secundo, ut applicata Sacramentis.

OBJICITUR 4. Authoritas S. Thomæ. 1. D. THOMAS expresse negat, quod Sacramenta habeant se per modum puræ conditionis. Hoc autem foret, si se haberent tantum per modum causæ moralis. ergo.

2. Idem expresse agnoscit causalitatem instrumentalem in Sacramentis. Sed causalitas instrumentalis est causalitas physica. ergo. Utrumque probatur per sequentes duos textus. In 4. dist. 1. Q. 1. a. 4. dicit: "Quidam dicunt, quod „ Sacramenta non sunt causæ quasi facientes ali„ quid in anima, sed causæ sine quibus non, quia „ increata virtus, quæ sola effectus ad gratiam „ pertinentes in anima facit, Sacramentis assistit „ per quamdam Dei ordinationem, & quasi pa„ ctionem; sic enim ordinavit, & quasi pepigit „ Deus, ut, qui Sacramenta accipiunt, simul ab eo „ gratiam recipiant, non quasi Sacramenta faciant „ aliquid ad hoc. Et est simile de illo, qui acci„ pit denarium plumbeum facta tali ordinatione, „ ut qui habuerit unum de illis denariis, habeat „ centum libras à Rege, qui quidem denarius non „ dat illas centum libras, sed solus Rex accipien„ ti ipsum. Sed hoc non videtur sufficere ad sal„ vandum dicta Sanctorum. Causa enim sine „ qua non, si nihil omnino faciat ad inducen„ dum effectum vel disponendo vel meliorando, „ quantum ad rationem causandi, nihil habebit „ supra causas per accidens, sicut album est cau„ sa domus, si ædificator sit albus." *Alter textus habetur p. 3. in Summa. q. 62. a. 4. c.* "Dicen„ dum, quod illi, qui ponunt, quod Sacramenta „ non causant gratiam nisi per quamdam conco„ mitantiam, ponunt, quod in Sacramento non „ sit aliqua virtus, quæ operetur ad Sacramenti „ effectum, est tamen virtus divina Sacramento „ assistens, quæ Sacramentalem effectum opera„ tur. Sed ponendo, quod Sacramentum est in„ strumentalis causa gratiæ, necesse est simul „ ponere, quod in Sacramento sit quædam vir„ tus instrumentalis ad inducendum Sacramenta„ lem effectum.

RESPONDEO *ad* 1. c. *Maj.* n. *Min.* Juxta nos enim Sacramenta non sunt pura conditio, qua posita sequatur effectus; sed habent se per modum causæ materialis constituentis cum omnipotentia Dei specialiter applicata unum totum activum, seu productivum gratiæ, ita tamen, ut virtus activa non se teneat ex parte materiæ per modum qualitatis seu formæ inhærentis, sed ex parte omnipotentiæ divinæ, transeunter ac fluenter per modum motionis extrinsecæ materiam respicientis seu ordinantis. Hunc esse sensum D. Thomæ patebit ex sequentibus textibus.

Ad 2. dist. D. Thomas in Sacramentis agnoscit causalitatem instrumentalem, ita tamen, ut virtus activa non inhæreat instrumento per modum qualitatis physicæ inhærentis. n. ita, ut virtus activa se tantum teneat ex parte moventis instrumentum, sua motione simul & instrumen-

tum

tum ordinantis ac dirigentis, & sua virtute effectum producentis. c. D. Thomas docet, quod in causis instrumentalibus tota virtus activa se teneat ex parte moventis, seu instrumentum dirigentis & ordinantis ad determinatum effectum. Agnoscit etiam, esse magnum discrimen inter instrumentum *conjunctum principio moventi*, quale instrumentum est humanitas Christi in ordine ad actiones miraculosas respectu divinitatis unitæ; & inter instrumentum *non conjunctum principio moventi*. In tali enim instrumento non ipsa virtus matrix seu activa, sed tantum motio transiens ac fluens recipitur, idque vel *physicè*, ut motio artificis in cultro vel serra. Vel *moraliter*, ut actio Regis in militibus, aut Decretis à se ordinatis; quia in hoc posteriore genere res dicuntur motæ, directæ, ac ordinatæ tantum per denominationem extrinsecam. Sensus hujus & præcedentis Responsionis colligitur ex sequentibus textibus D. Thomæ. Nam in 4. dist. 1. Q. 1. a. 4. causalitatem Sacramentorum contradistinguit à natura puræ conditionis præcise per hoc, quia conditio prorsus nihil operatur, nc quidem disponendo vel meliorando subjectum, cui conjungitur virtus activa. „Hoc, *inquit*, non videtur sufficere; „ causa enim sine qua non, si nihil omnino faciat ad inducendum effectum vel disponendo „ vel meliorando, nihil habebit supra causas „ per accidens." *Et in Summa p.* 3. *Q.* 62. *a.* 1. *c. ait:* „Dicendum, quod duplex est causa agens, „ principalis & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui „ assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo nihil potest causare gratiam nisi Deus. Causa vero instrumentalis „ non agit per virtutem formæ, sed solum per „ motum, quo movetur à principali agente; & „ hoc modo Sacramenta novæ legis gratiam causant; adhibentur enim ex divina ordinatione „ hominibus ad gratiam in eis causandam." *Et ibidem ad* 2. „Dicendum, quod instrumentum „ habet duas actiones. Unam instrumentalem, „ secundum quam operatur non in virtute pro- „ pria, sed in virtute principalis agentis. Aliam „ autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, „ facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum. Et similiter Sacramenta corporalia per propriam actionem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem „ ex virtute divina circa animam; sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propriam „ virtutem, abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinæ, nam ex anima & „ corpore unum fit." Ex his textibus patet, sicut motio securis est actio solius artificis physicè, ita etiam actionem Sacramenti instrumentalem esse actionem solius Dei, ut ordinantis Sacramentum ad gratiam, ita tamen, ut actio agentis principalis in instrumento mechanico recipiatur in ipso instrumento physicè; econtra actio agentus principalis in instrumento morali non recipiatur physicè, sed tantum moraliter per modum formæ denominantis extrinsecæ. Hæc distinctio inter actionem instrumentalem *physicè* & *moraliter* receptam in instrumento, colligitur ex eo; quia D. Thomas docet, quod non tantum Sacramenta, sed etiam Passio Christi, & Ministri agant instrumentaliter in ordine ad gratiam efficiendam, quin tamen ullus Theologorum somniet, actionem principalis agentis recipi physicè in passione, aut in Ministro tanquam instrumento. S. Doctor 3. p. in Summa Q. 64. a. 3. c. ait: „Passio Christi causa est nostræ justificationis & meritoriè & effectivè, non quidem per „ modum principalis agentis, sed per modum „ instrumenti, in quantum est instrumentum divinitatis ejus; sed tamen quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, „ habet quamdam principalitatem & causalitatem „ respectu instrumentorum extrinsecorum, qui „ sunt Ministri Ecclesiæ. *Et ibidem a.* 4. *c.* „ Potest instrumentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo. „ *Et ibidem a.* 5. *c.* Ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in Sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est Ministri & instrumenti. Sicut autem dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam aut „ virtutem, sed secundum virtutem ejus, à quo „ movetur. *Et ad* 1. Dicendum, quod Ministri Ecclesiæ neque à peccatis mundant homines ad Sacramenta accedentes, neque gratiam „ conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus „ sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta.

Ex his textibus sequitur, quod, sicut Ministri sunt tantum instrumentum morale, in quo motio seu actio principalis agentis tantum recipitur extrinsecè in ratione ordinantis & ordinati, ita etiam Sacramenta, quæ moventur à Ministro immediatè, à Christo mediatè, sint tantum instrumentum morale separatum, in quo motio principalis agentis tantum recipiatur extrinsecè mediante actione Ministri, quem Deus immediatè movet tanquam suum Ministrum, ita tamen, ut illa motio seu actio principalis agentis, qua respicit Ministrum extrinsecè immediatè, & Sacramenta extrinsecè mediatè, effectum suum ultimum, nempe gratiam, causalitate physica respiciat & attingat immediatè. Quod non esse impossibile, patet ex dictis in Philosophia de causalitate in distans, & de motu Angelorum in distans.

Objicitur 5. In Sacramento pœnitentiæ Sacerdos non tantùm declarat, à Deo fieri remissionem peccatorum per infusionem gratiæ sanctificantis; sed etiam causat absolutionem. ergò physicè est causa gratiæ. *ant. pat.* Si tantùm declararet, remissionem peccatorum fieri à Deo, non deberet dicere: *Ego te absolvo;* sed ostendo, te absolutum. 2. Quando Minister in baptismo dicit, ego te baptizo, seu abluo, ad verificandam hanc formam baptismi requiritur, ut physicè abluat corpus. Ergo etiam quando Sacerdos in Sacramento pœnitentiæ dicit: Ego absolvo te à peccatis; ad verificandam hanc formam requiritur,

tur, ut physicè ponat remissionem peccatorum per infusionem gratiæ.

RESPONDEO. dist. Causat absolutionem instrumentaliter per modum causæ materialis. c. principaliter per modum causæ formalis. n. sensus est, quòd Sacerdos commutando nomine Dei satisfactionem rigorosam in temperatam ac humanam pœnitentem absolvat judicialiter ab ulteriori obligatione præstanda rigorosæ satisfactionis in ordine ad obtinendam peccatorum veniam. Ea verò actio, de se tantùm jurisdictionalis, non sacramentalis, fit Sacramentalis per ordinationem Dei, in quantum à Deo ordinatur extrinsecè ad remissionem peccatorum, & eatenùs est actio instrumentalis relatè ad Deum tanquam agens principale, prout explicatum est in *Resp.* ad OBJ. præcedentem, & in Tr. de POENITENTIA. *disp.* 5.

Ad 2. c. a. n. c. si enim facienda est paritas, dicendum erit; sicut ablutio externa corporis, physicè posita à Ministro, est tantùm actio instrumentalis seu materiale Sacramenti, ita etiam illud, quod in Sacramento pœnitentiæ à Ministro ponitur physicè, nempe actio judicialis jurisdictionis commutando satisfactionem rigorosam in moderatam, fit tantùm actio instrumentalis & ipsum materiale Sacramenti, collativi gratiæ per actionem moventis seu agentis principalis.

OBJICITUR 6. Sacramenta possunt causare physicè gratiam. Ergo dicendum, quòd actu eam physicè causent. *pat. conf.* præsumendum est, Scripturam & PP. quando Sacramentis tribuunt causalitatem, loqui de causalitate omnium propriissima & perfectissima. Ergo si Sacramenta physicè causare gratiam possunt, dicendum est, quòd actu eam physicè causent. 2. Humanitas Christi causabat physicè miracula, & conferebat physicè gratiam sanctificantem. Ergo etiam præsumendum est, quòd ejusmodi virtutem contulerit Sacramentis. 3. Ignis infernalis per virtutem supernaturalem elevatur à Deo ad agendum physicè in animas damnatas. Ergo etiam Sacramenta agunt physicè in animas. *c. p.* Non decet, minoris esse virtutis instrumenta misericordiæ, quàm instrumenta justitiæ vindicativæ. 4. Si Sacramenta non influerent physicè ad productionem gratiæ, non aliter se haberent, quàm signa magica respectu effectuum mirabilium, quos ad illorum signorum positionem ponit dœmon. Sed hoc est absurdum. Ergo.

RESPONDEO ad 1. c. a. n. c. ad par. dist. Præsumendum est, quòd loquantur de causalitate omnium propriissima & perfectissima formaliter tali. c. tantùm materialiter tali. n. illud est formaliter perfectissimum, quod modo congruentiore servit ad fines à Deo intentos, & quod magis servit ad simplicitatem ac uniformitatem operationum divinarum. Sed causalitas physica Sacramentorum, cùm sit res hominibus prorsus occulta, non servit magis Deo ad finem, nempe ad gloriam Dei extrinsecam, nec magis congruit naturæ subjecti, nec salvat uniformem ac simplicem modum causandi gratiam in Sacramentis. Nam cum Sacramenta aliqua non tribuant novum effectum physicum, sed tantum confirment gratiam sanctificantem cum jure ad gratias actuales suo tempore conferendas, prout fit in ordinatione & matrimonio; aliqua etiam absolutè possint conferri in distans v. gr. absolutio & matrimonium per procuratorem; ac denique aliqua Sacramenta tribnant effectum, quando non ampliùs physicè existunt, nempe ea, quæ reviviscunt: longè magis salvatur uniformitas operationis divinæ, & consequenter perfectio causalitatis, per causalitatem moralem seu instrumentalem in sensu explicato.

Ad 2. c. a. n. c. disparitas est; quia humanitas Christi erat instrumentum *conjunctum* principio moventi, sicut manus est conjuncta artifici, illique in multis servit pro instrumento; itaque etiam actio talis instrumenti, & actio talis causæ est actio utrique communis; sed non ita contingit in instrumento separato præsertim non vitali, quale est baculus vel Sacramentum; ejusmodi enim instrumenta non tam agunt, quàm aguntur, nisi concretivè spectata, quatenùs dicunt totum, ex materia & forma activè compositum.

Ad 3. c. a. n. c. Disparitas est, quia dœmones & animæ separatæ agnoscunt, se cruciari à vili elemento, quod est ignis; & ob hoc graviùs cruciantur, quàm si à Deo cruciarentur immediatè. Imò decentius est, si Deus non immediatè agat tortorem, sed pro tortoribus immediatis adhibeat vel elementa vel alias creaturas: sicut non decet, ut Princeps vel Judex immediate per se ipsum cruciet reos.

Ad 4. Retorqueo in Sacramentis, quando reviviscunt, vel quando tantùm conferunt jus morale ad gratias actuales.

RESPONDEO 2. *n. Maj.* Disparitas est; quia signa magica se habent tantum per modum conditionis puræ, non verò per modum causæ instrumentalis, ordinatæ ad effectum magicum, nisi tantùm intrinsecè per voluntatem dœmonum. Econtra Sacramenta se habent per modum causæ instrumentalis, ordinatæ ad effectum Sacramentalem per actionem divinam intrinsecè respectivam non solius effectus, sed etiam instrumenti, eamque efficacem, ac inimpedibilem ab effectu. Hinc oritur secunda differentia inter signa magica, ac signa Sacramentalia; quia ista producunt effectum infallibiliter; ista autem tantum fallibiliter, eoquod ordinentur ad effectum magicum solum per voluntatem dœmonum de se inefficacem, quæ facilè potest impediri precibus Sanctorum; at vero Sacramenta ordinantur physicè ad suum effectum per actionem omnipotentiæ divinæ intrinsecè efficacem, simul respectivam Sacramentorum & ipsius effectus Sacramentalis, quamvis illa actio divina non recipiatur in Sacramentis, nisi tantum intentionaliter ac extrinsecè, sed tantum in anima recipiente gratiam sanctificantem.

OBJICITUR 7. Si Sacramenta causarent gratiam tantum moraliter, id eatenus fieret, quod actiones Sacramentales essent moraliter actiones Christi. Sed eatenus non causant gratiam. ergo, *Min. prob.* si eatenus actiones Sacramentales causarent gratiam, sequeretur, quod istæ actiones moverent Deum sub ratione meritoria gratiæ.

Sed hoc non poteſt dici. ergo. *Min. prob.* Chriſtus nihil meretur de novo. ergo.

2. Chriſtus non amplius eſt in ſtatu orandi pro nobis. ergo non poteſt dici, quod actiones Sacramentales tanquam actiones Chriſti moveant Deum ad conferendam gratiam. *Ad prob.* Eccleſia non offert ullas preces ad Chriſtum, ut oret pro nobis; quia habet plenitudinem poteſtatis in cœlo & in terra. ergo.

3. Ex hoc ſequeretur, quod verba formæ in omnibus Sacramentis eſſent revera deprecatoria. Sed hoc non poteſt dici. ergo.

4. Etiamſi Sacramenta eſſent moraliter actio Chriſti, tamen haberent ſe ſolum per modum actus externi imperati, ſicut opus externum imperatum ab actu interno. Ergo adhuc propriè & ratione ſui non eſſent collativa vel meritoria gratiæ. *prob. c.* opus externum ratione ſui nihil meretur, nec habet vim, niſi ſolum denominativè ex actu interno. ergo.

Respondeo *ad* 1. tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* n. *Maj.* Dico enim, quod actiones Chriſti ſacramentales non moveant Deum ſub ratione meritoria ad conferendam phyſicè gratiam, ſed ſub ratione dignitatis infinitæ, quam repræſentant, ita ut ſub hac ratione decenter poſſint terminare actionem omnipotentiæ divinæ, ſimul reſpectivam effectus & Sacramenti tanquam inſtrumenti ordinati ad talem effectum.

Ad 2. tr. a. n. c. & ſuppoſitum, quod actiones Sacramentales cauſent gratiam ſub ratione meritoria vel deprecativa; dico enim, quod gratiam cauſent ſub ratione inſtrumentali, & quod ad rationem inſtrumentalem à Deo aſſumantur ratione ſuæ dignitatis, quia ponuntur nomine Chriſti, & eatenus in æſtimatione morali continent quamdam dignitatem excellentioris ordinis.

Ad 3. n. *Maj.* Quia actiones Sacramentales, in quantum movent Deum ad conferendam gratiam, non movent Deum ſub ratione meritoria vel deprecatoria, ſed movent Deum ratione ſuæ dignitatis, quia ſunt actiones Chriſti Filii Dei, abſtrahendo ab ullo merito vel deprecatione; ob eam enim ſuam dignitatem moralem aſſumuntur ad rationem inſtrumentalem.

Ad 4. n. *Maj.* Actus enim externus ratione ſui nihil habet æſtimabilitatis; econtra actus poſitus nomine Chriſti contrahit quamdam dignitatem ſeu æſtimabilitatem, ratione cujus moraliter aſſumi debeat ad rationem inſtrumentalem in ordine ad producendam phyſicè gratiam. Actus præciſe externus præciſè dicit relationem effectus ad cauſam; econtra actus poſitus nomine alterius inſuper dicit interpoſitionem authoritatis & poteſtatis in ordine ad obtinendum concurſum agentis principalis.

QUÆSTIO II.

Quales gratiæ conferantur in Sacramentis? Et quomodo à gratiis non ſacramentalibus differant?

Notandum 1. Gratiam communiter dividi in gratiam *actualem* & *habitualem*. Gratia actualis conſiſtit vel in quadam illuſtratione intellectus ad clarius agnoſcendum verum, vel in quadam motione divina voluntatis ad honum. Id enim S. Auguſtinus eleganter explicat, dum ait: *Ut innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates.* Gratia habitualis eſt aliqua qualitas mentis de ſe ſtabilis, divinitus infuſa, qua aut intellectus diſponitur ad agnoſcendum verum, aut voluntas ad amplectendum bonum. Gratia habitualis dividitur triſariam, nempe in gratiam *gratis datam*, in *gratiam virtutum*, & in *gratiam ſanctificantem.* Gratia gratis data vocatur omne donum divinitus collatum in ordine ad aliorum ſalutem promovendam, v. gr. donum prophetiæ, donum linguarum, donum ſapientiæ &c. Gratia virtutum vocatur habitus virtutum infuſus, v. g. habitus fidei, habitus ſpei, habitus temperantiæ &c. quibus homo diſponitur ad firmiter aſſentiendum vero, ad operandum ardua, ad temperandum à vitiis &c. Gratia sanctificans vocatur illa, quæ reddit hominem acceptum Deo. Id autem duplici modo fieri poteſt, nempe *cauſaliter* & *formaliter.* Gratia causaliter sanctificans vocatur omne donum divinitus infuſum & ordinatum ad propriam recipientis ſanctificationem, & tales gratiæ cauſaliter ſanctificantes ſunt quædam motiones, inclinationes, ac diſpoſitiones potentiarum internæ, quas Deus nonnunquam homini confert ad facilius operandum bonum. Gratia formaliter sanctificans eſt illa habitudo mentis, qua homo denominatur formaliter acceptus & gratus Deo in ordine ad finem ſupernaturalem. Et de iſta gratia Theologi plerumque loquuntur, quando utuntur ſimpliciter ſine addito nomine gratiæ ſanctificantis.

Notandum 2. Gratiam etiam dividi in *primam* & *ſecundam:* item in *ſacramentalem*, & *non ſacramentalem.* Gratia sanctificans prima vocatur, quæ confertur homini peccatori in peccato mortali vel originali conſtituto, ita ut in recipiente non præſupponat ſtatum gratiæ. Gratia secunda vocatur, quæ confertur homini juſto jam conſtituto in ſtatu gratiæ; ita ut in recipiente jam præſupponat ſtatum gratiæ. Et tales gratiæ conferuntur in *Sacramentis vivorum*, puta in Confirmatione, Euchariſtia, Extrema Unctione, Ordinatione, & Matrimonio. Gratia namque *prima* confertur in *Sacramentis mortuorum*, puta in Sacramentis baptiſmi & pœnitentiæ, quæ duo Sacramenta primario ordinantur ad conferendam primam gratiam. Gratia sacramentalis vocatur, quæ confertur in Sacramentis; gratia non sacramentalis vocatur, quæ confertur extra Sacramenta, vel intuitu precum, ac bonorum operum, vel ex ſpeciali bonitate divina.

Notandum 3. Apud Theologos Recentiores valde quidem receptum eſſe eum modum loquendi, quod in omnibus Sacramentis conferatur gratia ſanctificans, vel augmentum gratiæ ſanctificantis; ſed Concilium Tridentinum & peritiores Theologi merito ab iſto modo loquendi abſtinent. Sic Bellarminus & Sylvius *de Sacramentis*,

mentis, ubi agunt de causalitate & effectu Sacramentorum, non instituunt statum Quæstionis sub his terminis: *An Sacramenta conferant gratiam sanctificantem?* sed tantum sub his: *An Sacramenta causent gratiam Sacramentalem?* Abstrahendo an ea gratia sit *gratia sanctificans*, vel tantum *gratia actualis?*

NOTANDUM 4. Satum Quæstionis nunc communiter institui sub his terminis: Quidnam gratia Sacramentalis superaddat super gratiam habitualem, seu sanctificantem? Quæstio hæc procedit de Sacramentis non solum vivorum, sed etiam de Sacramentis mortuorum, quando suscipiuntur ab homine jam justificato ante actualem susceptionem baptismi vel pœnitentiæ. In hac autem Quæstione teste Goneto est *quadruplex auctorum sententia.* PRIMA SENTENTIA, inquit, hic disp. 3. art. 6. n. 197. est D. Bonaventuræ, Richardi, & Gabrielis, qui asserunt, gratiam Sacramentalem nihil addere super gratiam non Sacramentalem, nisi solum respectum ad Sacramentum, tanquam ad causam; dum econtra *gratia non Sacramentalis* sit collata à Deo independenter à Sacramento intuitu contritionis vel charitatis perfectæ. Verum ex hac sententia sequeretur, quod homo justificatus nihil de novo consequeretur per Sacramentum, quod profecto repugnat menti S. Bonaventuræ. Itaque fatendum est, ab istis Theologis in alio sensu fuisse institutum statum Quæstionis, ita ut solum quærerent, quale sit discrimen inter gratiam sanctificantem, quæ confertur in Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ, & eam, quæ confertur extra Sacramentum intuitu contritionis & charitatis perfectæ? hinc quia iste status Quæstionis non coincidit cum isto moderno statu Quæstionis

NOTANDUM 5. In hac Quæstione juxta modernum statum Quæstionis tantum esse tres potissimum sententias. PRIMA est *Paludani*, & aliorum, qui docent, gratiam Sacramentalem in Sacramentis vivorum addere gratiæ gratum facienti alium particularem habitum realiter à gratia sanctificante distinctum. Illum habitum in baptismo vocant regenerativum, in Confirmatione corroborativum, in Eucharistia nutritivum, & sic de aliis. PALUDANUS in 4. dist. 2. Q. 3. sic scribit: „Communis opinio est, quod „ gratia, quæ est in Sacramentis, & quæ est in „ virtutibus & donis, sunt idem. Sed Thomas „ videtur velle, quod gratia Sacramentalis non „ solum differat à gratia gratum faciente & virtutibus aquisitis & infusis & donis, sed etiam „ ab ipso ornatu & charactere; quia dicit, quod „ gratiæ Sacramentales fluunt à gratia, sicut & „ virtutes; & supponunt gratiam gratum facientem, quam non facit character vel ornatus. „ Et pro ista opinione est, quod unumquodque „ Sacramentum est introductum in speciale remedium contra specialem defectum, sive sit „ culpa, sive pœna ex culpa derelicta, sive quodcunque aliud. Unde cum effectus particularis „ reducatur in causam particularem, non universalem immediatam, cùm commune sit Sacramentis Novæ Legis, conferre gratiam & „ virtutes, speciale vero sit unicuique, supposita gratia remedium præbere contra specialem „ defectum, videtur, quod unumquodque Sacramentum habet specialem aliquem effectum „ contra suum proprium defectum. Et hoc patet in singulis. Sicut contra omne peccatum „ actuale, baptismus contra originale, matrimonium contra concupiscentiam, Confirmatio „ contra timiditatem & verecundiam. In Confirmatione igitur major audacia formaliter est „ per gratiam Sacramentalem, & non solum per „ virtutem fortitudinis. Similiter in Eucharistia „ major temperantia infunditur quàm in Matrimonio. Sed in Matrimonio specialis gratia „ Sacramentalis datur, ut sciat unusquisque vas „ suum possidere. In Confirmatione est aliquod „ robur, quod est gratia gratis data, supponena „ tamen gratiam gratum facientem; & similiter „ in Matrimonio. In Ordine autem datur specialis gratia exequendi suum Officium, & sic „ de aliis – ad rationes oppositas respondendum, quod in omni Sacramento datur remedium contra diversum defectum, cui non subvenitur per gratiam gratum facientem per se & „ immediatè, nec per ejus augmentum, cum se „ compatiantur. Sic licèt per gratiam gratum „ facientem tollatur culpa & macula mortalis, & „ pœna æterna, quia ista non possunt simul stare; tamen nec culpa venialis, nec pœna temporalis, nec verecundia, nec concupiscentia, „ nec multi alii defectus inclinantes ad peccatum, „ qui stant cum ea etiam intensa, per eam tolluntur, vel remittuntur." Hucusque Paludanus Patriarcha Jerosolymitanus.

SECUNDA SENTENTIA, prout Gonet l. c. refert, docet, quod gratia Sacramentalis super gratiam gratum facientem non addat habitum distinctum, sed tantum modum aliquem, seu perfectionem aliquam intrinsecam modaliter ab ipsa gratia distinctam. Pro hac sententia à Goneto citantur Cabrera, Nugno, Choquet, Joannes à S. Thoma, Serra, Martinez.

TERTIA SENTENTIA refertur à Goneto *ibidem* his verbis: „Alii Thomistæ communiter „ docent, illud, quod gratia Sacramentalis superaddit gratiæ gratum facienti, non esse aliud, „ præter auxilia specialia pro specialibus Sacramentorum effectibus necessaria, seu jus morale ad illa.' Huic sententiæ subscribit Mezger, Girken &c.

DICO I. Gratia Sacramentalis gratiæ sanctificanti jam præexistenti in anima non præcise superaddit novum jus morale ad gratias actuales.

PROBATUR I. Textus Patrum & Conciliorum proximè referendi non dicunt, in Sacramentis conferri jus ad gratiam. Sed conferri ipsam gratiam. Ergo debet assignari aliqua gratia, quæ actu conferatur in susceptione Sacramentorum. Atqui illa gratia non potest esse gratia sanctificans ipsa, utpote, quæ jam habetur, ac in Sacramentis vivorum præsupponitur, ergo est alia gratia realis. *Min. patet*; quia conferri non potest, quod jam habetur, nec jure tolli ab invito potest, aut si conferri posset in consideratione physica, ea tamen nova collatio in æstimatione hominum pro nihilo æstimatur, nec opus haberet tanto apparatu Sacramentorum.

PRO-

PROBATUR 2. Si Sacramenta gratiæ sanctificanti præexistenti in anima tantum superadderent jus morale ad gratias actuales, sequeretur, eos, qui brevi morerentur post susceptionem Sacramenti, antequam occurreret casus necessitatis pro gratiis actualibus, revera nihil reale suscepisse per Sacramentum. Sed hoc est absurdum, & repugnat communi sensui Ecclesiæ, quæ credit, non ponentibus obicem infallibiliter conferri gratiam; id enim in hac sententia non fieret; quia fallibile est, utrum quis v. g. ordinatus in Diaconum vel Subdiaconum non sit prius moriturus, antequam sit suscepturus gratias actuales pro recta administratione sui ordinis.

PROBATUR 3. Apostolus 2. Timoth. v. 6. Timotheo à se ordinato in Episcopum ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Hoc autem non potest convenienter explicari de resuscitatione solius juris moralis ad gratias actuales. ergo. *Min. patet*; quia jus morale ad collationem gratiarum actualium apud Deum nunquam dormit, neque illud resuscitare potest homo, sed Deus.

DICO II. Gratia Sacramentalis consistit in habitu specie diverso à gratia tantum formaliter sanctificante.

DIXI: *A gratia tantum formaliter sanctificante.* Nam facile concesserim, quod gratia Sacramentalis sit *gratia causaliter sanctificans*, hoc est, causans in potentiis inclinationem ad bonum, sicque tendens ad majorem sanctificationem hominis. Imò concesserim, quod omnis gratia Sacramentalis sit realiter novum signum, nova arrha, & novum protestativum amicitiæ divinæ erga hominem, saltem ex primaria intentione & ordinatione Dei ac de præsenti, sicut annulus & aliæ donationes conjugum sunt signum amoris amicitiæ pro eo tempore, quo dantur. Porro habitus ille gratiæ sanctificanti superadditus dicit in baptismo generalem quamdam potentiarum infusam inclinationem ad opera vitæ Christianæ; in Confirmatione specialem potentiarum infusam dispositionem ad assequendam perfectionem fidei & vitæ Christianæ; in Eucharistia specialem potentiarum dispositionem infusam ad conservandam & restaurandam vitam Christianam; in pœnitentia specialem potentiarum dispositionem infusam aversativam peccati; in extrema unctione specialem potentiarum corroborationem infusam adversus impugnationes dæmonis in lucta extrema; in ordinatione specialem potentiarum dispositionem infusam ad rectè obeunda munia Clericalia; in Matrimonio specialem potentiarum dispositionem infusam ad rectè subeunda & obeunda onera ac munia Conjugalia. Hinc patet, quantum intersit, ut bona intentione, & in statu gratiæ, & cum fide ac spe & devotè suscipiantur Sacramenta, quia alioquin non infunduntur recipientibus isti habitus.

PROBATUR 1. Textus Patrum quandocunque loquuntur de gratia Sacramentali, loquuntur de illa tanquam de effectu substantiali per modum habitus, & quidem distincto à gratia sanctificante. Sed alius effectus substantialis per modum habitus distincti assignari non potest nisi dispositio quædam potentiarum ad fines cujuslibet Sacramenti congrua. ergo. *Maj. prob.* ab inductione.

I. IRENÆUS l. 5. c. 6. "Cum Spiritus Dei „ commixtus animæ unitur plasmati propter effu„ sionem Spiritus, spiritualis & perfectus homo „ factus est, & hic est, qui secundum imaginem „ & similitudinem factus est Dei.

II. D. BASILIUS l. *de Spiritu Sancto* c. 26. ait: "Quemadmodum ars est in eo, qui artem „ assecutus est, ita gratia Spiritus est in eo, qui „ illam recepit, semper quidem præsens est, at „ non perpetuo operans. *Et n.* 63. In rebus „ ergo conditis ad hunc modum multifariam va„ riisque rationibus dicitur Spiritus inesse. Nam „ gratia ab eo manans, qui in dignis inhabitat, „ ac suas operationes in iis exercet, rectè dici„ tur inesse iis, qui sunt illius capaces. Ubi con„ naturalis atque inseparabilis communio est, „ hæc vox: *Cum*, (alio esse v. g. cum Patre & „ Filio) significantior; ubi autem gratia ab ipso „ proficiscens accedere, ac rursus decedere pot„ est, proprie & vere *inesse* dicitur, etiamsi illius „ gratia in iis, qui receperunt, sæpenumero pro„ pter affectus in bono perseverantiam perpetua „ permaneat. Proinde quoties propriam Spiri„ tus dignitatem intelligimus, *cum* Patre & Filio „ cum contemplamur, ubi vero gratiam in eos, „ qui illius sunt participes, operantem reputa„ mus, *in nobis* esse Spiritum Sanctum dicimus." Ita S. Basilius, manifeste per gratiam *aliquid permanens* intelligendo. Quod vero non solum loquatur de gratiis gratis datis, patet ex n. 61. ubi sic scribit: "Forma dicitur esse in materia, & „ potentia in eo, qui ejus capax est, & habitus „ in eo, qui secundum illum affectus est. Ita„ que quatenus Spiritus S. vim habet perficiendi „ creaturam rationalem, perficiens ejus subli„ mem dignitatem, forma rationem obtinet. „ Nam qui jam non vivit secundum carnem, sed „ Spiritu Dei agitur, ac Filius Dei nominatur, „ & conformis imagini Filii Dei factus est, spiri„ tualis dicitur. Et sicut cernendi vis est in ocu„ lo sano, ita operatio Spiritus in anima purga„ ta. Præterea, sicut in corporibus est sanitas, „ aut calor, aut aliæ quævis affectiones facilè „ mobiles, sic & in anima frequenter est Spiritus „ in iis, qui propter mentis instabilitatem facilè „ gratiam acceptam expellunt, nequaquam per„ manens." Hæc non verificantur de gratiis gratis datis, sed tantum de gratiis Sacramentalibus; illæ enim per peccatum non expelluntur, sed istæ.

III. D. AMBROSIUS l. 6. Hexam. c. 8. dicit, hominem justificatum esse quasi *novam picturam Dei*; eam autem novam picturam explicat per conformationem inclinationum & cupiditatum ad imaginem filii Dei. „ Requievit Deus, „ *inquit*, in motibus humanis *(propensionibus)* quos „ fecit Deus ad imaginem suam & similitudinem. „ Dicit itaque Deus *(homini)* non tibi voluptates „ dedi, non illecebras cupiditatum, non incen„ tiva luxuriæ, non alieni decoris concupiscen„ tiam &c."

IV. CYRILLUS ALEXANDRINUS l. 4. c. 45. ad illa verba: *Nunquid arans arabit?* sic scri-

bit: „Transformati & transfigurati sumus intelligibiliter in Christo. Contigit autem hoc nobis regeneratione per aquam & Spiritum in Christo. Ego, inquit Deus, reformare volo ad meliora, & velut refingere ad potiora per generationem intelligibilem, eam scilicet, quæ fit per aquam & Spiritum. Sciendum Jeremiam in domum figuli missum esse, ut illum fabricantem videret. Dissipato autem luto, & in aliud vas refecto, dixit ei Deus: Nonne ùt figulus hic potero vobis facere domus Israel? ecce ùt lutum figuli estis in manibus meis. Quòd autem transformemur intelligibiliter, declarat Paulus, Nos, inquiens, faciem Domini speculantes ad eandem imaginem transformamur velùt à Domini Spiritu.

V. OPTATUS MILEVITANUS l. 7. de Sacramento Confirmationis loquens ait: „Oleum confectum chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ conscientiam emollit exclusa duritia peccatorum, quæ animum innovat lenem, quæ Spiritui Sancto sedem parat, ut asperitate fugata libenter inhabitare dignetur."

Ex his & pluribus aliis ejusmodi textibus SS. PP. colligitur, per gratiam S. Spiritus, quæ in Sacramentis confertur, animam non solùm sanctificari in ordine ad hunc effectum formalem, ut fiat grata seu accepta Deo, sed etiam conferri animæ quamdam *perfectionem*, primæ perfectioni, quam in statu naturæ integræ à Deo accepit, conformem, hoc est, quamdam habitualem dispositionem ad bonum.

PROBATUR 2. Authoritate D. THOMÆ, qui P. III. qu. 62. a. 2 c. sic habet: „Dicendum, quòd gratia *(gratum faciens,)* secundùm se considerata perficit essentiam animæ, in quantum participat quamdam similitudinem divini esse. Et sicut ab essentia animæ fluunt ejus potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem Sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana, sicut baptismus ordinatur ad quamdam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, & fit membrum Christi; qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio est in aliis Sacramentis. Sicut igitur virtutes & dona addunt super gratiam communiter dictam quamdam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.

Et ad 1. „Dicendum, quòd gratia virtutum & donorum sufficienter perficit essentiam & potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ, sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiritur gratia Sacramentalis. *Et ibidem* ad 3. „Dicendum, quòd ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus, unde sicut non æquivocè dicitur animal communiter dictum, & pro homine sumptum, ita non æquivocè dicitur gratia communiter sumpta & gratia Sacramentalis. *Et P. III. qu.* 72. *a.* 7. *ad* 1. *de effectu Sacramenti Confirmationis loquens sic ait*: „Dicendum, quòd gratiæ gratum facientis primus effectus est remissio culpæ, habet tamen & alios effectus. Et ideo gratia gratum faciens non solùm datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmentum & firmitatem justitiæ, & sic confertur in hoc Sacramento. *Et ad* 3. Dicendum, quòd gratia Sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectivum specialis effectûs, ad quod ordinatur Sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc Sacramento collata quantum ad id, quod est commune, si per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quàm per baptismum, sed quæ priùs inerat, augetur; si autem consideretur, quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est ejusdem speciei cum ipsa." Ex his textibus manifestum est, quòd D. Thomas agnoscat in Sacramentis quoddam habituale donum, perfectivum animæ & ejus potentiarum specialiter ad finem cujuslibet Sacramenti, quod differt specie à gratia sanctificante, communiter dicta, tanquam species à genere, sicut anima rationalis differt specie ab anima tantum formaliter sensitiva; & anima sensitiva differt specie ab anima tantùm vegetativa; & substantia vegetativa differt specie à substantia tantum corporea. Id verò ex textu D. Thomæ consequitur, quòd in omni gratia Sacramentali per per modum prædicati generici involvatur ratio gratiæ gratum facientis; quia nulli confertur, nisi sit gratus Deo, ita ut ipsa Sacramentalis gratia sub ratione sua generica sit aliquod novum protestativum amicitiæ divinæ, seu novum subarrhativum superaddita ratione specifica sanativa potentiarum per modum dispositionis ad faciliter operandum, in potentiis subjectis animæ, quæ juxta nos realiter identificantur cum anima.

PROBATUR 3. Quotiescunque in ordine naturæ vel gratiæ datur nova series constans effectuum, debet dari nova causa secunda exigitiva talium effectuum. Sed in omnibus Sacramentis datur nova series constans effectuum, nempe gratiarum actualium ad finem cujuslibet Sacramenti congruentium, prout fatentur plerique ex Patronis oppositæ sententiæ. ergo. *Maj. patet* ex generali axiomate, & observatione; sic enim ubicunque datur nova series actuum, datur nova potentia, vel novus habitus, v. gr. potentia visiva, auditiva, intellectiva, volitiva, habitus artium, vel habitus scientiarum, vel habitus virtutum. *Min. patet* ex communi sententia Theologorum. Conclusio est in forma. JAM SUBSUMMO. Alia causa secunda exigitiva tam diversarum gratiarum actualium assignari non potest, nisi diversa habitualis dispositio potentiarum à Deo per modum habitus insusa in ordine ad operationes fini quorumvis Sacramentorum congruas.

PROBATUR 4. Gratia sanctificans in Christo, in B. V. & in aliis Sanctis differunt specie.

Ergo

Ergo etiam gratiæ Sacramentales in Sacramentis differunt specie. *Ant. patet*; quia gratiæ illæ non tantum intrinsecè ordinantur ad diversas specie operationes, sed etiam ad diversos gradus gloriæ, essentialiter diversos. *c. prob.* etiam gratiæ Sacramentales ordinantur non solum ad diversas specie operationes cuilibet Sacramento proprias, sed etiam ad diversos gradus gloriæ correspondentes vel statui diverso. v. gr. Christiani, ordinati, conjugati: vel diversis actionibus v. gr. ex charactere *confirmati*, militis ex extrema lucta *coronati*, germine immortalitatis corporalis in Eucharistia *saginati*, in sanguine agni à peccatis actualibus *dealbati*, & nova stola à Patre cœlesti *glorificati*.

PROBATUR 5. Non est verosimile, quòd justificatus extra Sacramentum baptismi per contritionem perfectam habeat eosdem habitus infusos, quales dantur in baptizato. Imò etiam justificatus extra Sacramentum Pœnitentiæ per contritionem perfectam habeat simul cum gratia sanctificante eosdem habitus infusos. Ergo sanctificans gratia Sacramentalis & non Sacramentalis, specie differunt. *ant. pat.* taliter justificati non possunt dici verè regenerati ex aqua & Spiritu Sancto, neque ita sunt dealbati in sanguine agni, ut sint liberi à reatu rigorosæ satisfactionis, neque habent ex Sacramento tantum robur adversus peccata. *a. prob.* non potest sufficienter probari, quod gentilis eliciens actum fidei vel spei statim habeat habitum infusum fidei vel spei. Ergo etiam non est verosimile, quod justificatus extra Sacramentum Pœnitentiæ vel Baptismi per actum transeuntem charitatis statim habeat aut virtutes infusas, aut peculiarem habitum congruum Sacramento.

PROBATUR 6. Virtutes cum gratia sanctificante infusæ in Sacramentis mortuorum consistunt in quadam dispositione potentiarum generali ad omnes virtutes. Ergo etiam in Sacramentis vivorum cum gratia sanctificante concurrit dispositio particularis potentiarum ad finem particularem Sacramenti. *Ant. patet*, ex iis, quæ docet D. Thomas de virtutibus infusis p. 3. Q. 62. a. 2. C. ubi dicit: *Sicut ab essentia animæ fluunt ejus potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ &c.*

PROBATUR 7. Non est verosimile, simul cum gratia sanctificante per peccatum destrui omnes gratias Sacramentales in susceptione Sacramenti Confirmationis, Ordinis, & Matrimonii à Deo concessas. Ergo gratiæ Sacramentales præter gratiam sanctificantem & generales habitus virtutum consistunt in speciali habitu seu dispositione potentiarum, qui possit remanere in peccatore, sicut remanent habitus fidei & spei. *a. prob.* ex communi sensu fidelium, qui non putant se perpetuo excludi per uoum peccatum mortale, à gratia Confirmationis, Ordinationis, aut Conjugii, præsertim cùm hæ gratiæ non videantur in suo formali conceptu & essentialiter importare sanctificationem & amicitiam Dei erga hominem; licèt in prima sua collatione accidentaliter dentur in signum & arrham, & characteristicum amicitiæ divinæ, sicut etiam habitus fidei & spei ab initio homini justificato in tale signum concomitanter conferuntur.

PROBATUR 8. Si gratiæ Sacramentales tantum dicerent novam intensionem gratiæ sanctificantis, aut solam ejus extensionem respectivam ad plures gratias actuales, vel illa intensio & extensio dicit gradus homogeneos, aut modum superadditum; vel dicit gradus heterogeneos, & modum intrinsecum? neutrum potest dici. ergo. *Min. prob.* si illa intensio dicit gradus homogeneos, vel modum superadditum, sequitur, quod quis per actus frequentatos virtutum possit pertingere ad æque imò magis perfectam gratiam sanctificantem, quàm quæ confertur per Sacramenta, quod repugnat communi sensui Ecclesiæ; semper enim per opera virtuosa adderetur, novus gradus gratiæ in genere amicitiæ cum Deo, aut novus modus extensionis ad uberiores gratias. Si vero dicatur, intensionem vel extensionem illam esse intrinsecam gratiæ sanctificanti, eo ipso sequitur, quod in susceptione cujuslibet Sacramenti debeat prior gratia sanctificans destrui, & nova perfectior produci, prout contingit in productione intensioris caloris vel lucis &c. sed hoc videtur absurdum, cum Sacramenta priorem gratiam non destruant, sed conservent, & perficiant, utpote non consistentem in aliquo actu aut ente essentialiter transeunte.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. D. Thomas tantum docet, quod gratia Sacramentalis superaddat gratiæ sanctificanti novas gratias actuales; non autem docet, quod superaddat novam gratiam habitualem. Ergo dicendum, quod in Sacramentis vivorum tantum conferatur novum jus morale ad gratias actuales, vel nova relatio seu modus relativus ad gratias actuales. *a. prob.* D. Thomas p. 3. Q. 62. a. 2. C. tantum dicit, quod gratia Sacramentalis gratiæ sanctificanti superaddat *divinum auxilium*. Atqui *divinum auxilium* est gratia actualis. Ergo. *Min. prob.* D. Thomas in aliis locis per divinum auxilium intelligit gratias actuales. ergo. a. p. 1. 2. Q. 101. a. 7. C. ait: "Gratia dupliciter potest intelligi: uno modo divinum auxilium, quo nos movet ad benevolendum & agendum; alio modo habituale donum nobis divinitus inditum. *Et* 1. 2. *Q.* 109. *a.* 6. *C. ait:* Duplex est præparatio humanæ voluntatis ad bonum; una quæ præsupponitur ad bene operandum & Deo fruendum; & talis præparatio voluntatis non potest fieri sine habituali gratiæ dono, quod sit principium operis meritorii. Alio modo potest intelligi præparatio humanæ voluntatis ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem non oportet præsupponere aliud donum habituale in anima, sed auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, seu inspirantis bonum propositum. His enim duobus modis indigemus auxilio divino. Quod autem indigeamus hoc auxilio, Dei moventis, est manifestum. *Et ad* 4. Hominis est præparare animum, sed hoc non facit sine auxilio Dei moventis. *Item* 1. 2. *Q.* 109. *a.* 10. *C. ait:* Quandoque perseverantia significat habitum mentis, & sic perseverantia simul cum gratia infundi-

„ tur. Alio modo dicitur perseverantia continuatio boni usque ad finem; & ad talem perseverantiam homo in gratia constitutus non indiget alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente, & protegente contra tentationum impulsus.

2. Etiam Cajetanus in suis Commentariis ad Summam D. Thomæ putat hoc loco p. 3. Q. 62. a. 2. per auxilium divinum tantum intelligi gratias actuales.

3. D. Thomas p. 3. Q. 72. a. 7. C. & ad 1. expresse docet, quod etiam in Sacramento Confirmationis conferatur gratia gratum faciens, seu sanctificans formaliter. ergo non confertur habitus specie distinctus à gratia sanctificante.

4. D. Thomas in textibus Prob. 2. adductis expresse docet, quod gratia Sacramentalis à gratia gratum faciente differat, sicut species à genere. ergo saltem quælibet gratia Sacramentalis ex suo prædicato generico est formaliter sanctificans. *c. prob.* in omni specie includitur ratio generica.

Respondeo *ad* 1. n. a. *ad prob.* tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. S. Thomas sub hoc termino, *divinum auxilium*, interdum intelligit gratiam actualem. c. semper. n. Nam D. Thomas in multis locis sub hoc termino intelligit etiam gratiam habitualem. Sic 1. 2. Q. 109. a. 6. C. postquam egerat de gratia actuali, & de gratia habituali, subjungit: *His duobus modis indigemus auxilio divino*; manifestè ostendens, se sub hoc termino comprehendere etiam gratiam habitualem. Similiter 1. 2. Q. 109. a. 7. C. docet, & maculam peccati, & reatum pœnæ æternæ reparari per auxilium divinum, quod eodem loco vocat habituale donum; sic enim scribit: „Dicendum, „ quod homo nullo modo potest resurgere à peccato per se ipsum sine auxilio gratiæ. Resurgere enim à peccato est reparari hominem ad ea, quæ peccando amisit. Incurrit autem homo triplex detrimentum peccando, scilicet maculam, corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ. Maculam incurrit, in quantum privatur decore gratiæ ex deformitate peccati. Manifestum est autem de singulis horum trium, quod non possint reparari nisi per Deum. Cum enim decor gratiæ proveniat ex illustratione divini luminis, non potest talis decor reparari, nisi divino denuo lumine illustrante, unde requiritur habituale donum, quod est gratia luminis. Similiter & reatus pœnæ æternæ remitti non potest, nisi à Deo, & ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quod homo à peccato resurgat, & quantum ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem. *Ibidem a. 9. C. ait*: Homo ad rectè vivendum dupliciter indiget auxilio Dei; uno modo quantum ad aliquod donum habituale, ut per hoc natura humana corrupta sanetur, & etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ. Alio modo indiget auxilio gratiæ, ut à Deo ad agendum moveatur. Quantum igitur ad primum auxilii modum homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ tanquam alio aliquo habitu infuso; indiget tamen auxilio gratiæ secundum alterum modum, ut scilicet à Deo moveatur ad rectè operandum." Eodem modo loquitur Quodlib. 1. Q. 4. a. 7. C.

Ex his manifestum est, quod D. Thomas sub hoc termino; *auxilium divinum*, promiscuè modo intelligat gratiam habitualem, modo gratiam actualem. Cùm ergo terminus sit indifferens, ex subjecta materia & ex intentione loquentis aliunde certa sensus determinandus est. Quod autem D. Thomas in hac materia, ubi est sermo de gratia Sacramentali, intelligat habitum in potentiis animæ, non solum patet ex textibus Prob. 2. adductis, sed etiam ex iis, quæ docet *in* 4. *Sent.* & in *Quodlibetis*.

In 4. dist. 1. Q. 1. a. 4. qq. 5. C. sic scribit: „ Dicendum, quod gratia gratum faciens est una, & est in essentia animæ, sicut in subjecto, & ab ipsa desluunt virtutes & dona ad perficiendum potentias animæ, sicut etiam potentiæ fluunt ab essentia; & distinguuntur istæ virtutes secundum diversos actus, ad quos oportet potentias animæ perfici. Similiter etiam à gratia illa, quæ est in essentia animæ, effluit aliquid ad reparandum defectus, qui ex peccato inciderunt. Et hoc diversificatur secundum diversitatem defectuum. Sed quia hujusmodi defectus non sunt ita noti, sicut actus, ad quos virtutes perficiunt; ideo hic effectus ad reparandum defectum non habet speciale nomen, sicut virtus, sed retinet nomen suæ causæ, & dicitur gratia Sacramentalis, ad quam NB. *directè* Sacramenta ordinantur, quæ quidem non potest esse sine gratia, quæ respicit essentiam animæ, sicut nec virtutes. Sed tamen gratia, quæ est in essentia animæ, non potest esse sine virtutibus. Et ideo virtutibus (secundum perfectam rationem virtutis) habent in ea connexionem. Potest autem esse sine gratia Sacramentali; & ideo gratiæ Sacramentales connexionem non habent. Et ita patet, quod gratia, quam Sacramentum NB. *directè* continet, differt à gratia, quæ est in virtutibus & donis, quamvis etiam illam gratiam per quamdam connexionem contineant. *Et ad* 1. Dicendum, quod gratia gratum faciens, prout est in essentia animæ, est una, sed secundum quod fluit ad defectus potentiarum tollendos, & potentias perficiendas, multiplicatur. *Et ad* 2. Dicendum, quod gratia virtutum opponitur peccato, secundum quod peccatum continet inordinationem actus; sed gratia Sacramentalis opponitur ei, secundum quod vulnerat naturale bonum potentiarum. *Et ad* 3. Dicendum, quod recessus à peccato, prout opponitur virtuti, est accessus ad perfectionem virtutis, pertinet ad eandem gratiam; non autem recessus à peccato, secundum quod vulnerat naturam; quia requirit specialem medicinam, sicut in morbo corporali etiam patet." Cùm S. Thomas hoc loco ad sanandos defectus potentiarum requirat gratiam Sacramentalem, eamque referat ad virtutem sed *innominatam*, ac propterea asserat, quod gratiæ Sacramentales inter se non habeant connexionem, & quod fluant à gratia sanctificante, sicut potentiæ ab essentia animæ, & quod directè illæ perfectiones poten-

tiarum

tiarum respiciantur à Sacramentis, manifestum est, quod gratiæ Sacramentales realiter distinguantur à gratia sanctificante, & quod à Sacramentis tantum respiciatur *indirectè*, tanquam *aliquod connexum* cum istis effectibus Sacramentalibus, nempe tanquam aliquod præsuppositum & fons, undeeliciantur, & fluant, licèt semel productæ conservari possint sine suo principio, unde eliciuntur, & fluunt, sicut contingit in virtute fidei & spei, quæ ab initio pro suo principio habent charitatem & gratiam sanctificantem, licet sine illis conserventur in peccatore.

Eadem mens D. Thomæ, quod effectus Sacramentorum NB. directè sit aliquis habitus perfectivus potentiarum animæ colligitur etiam ex fine Sacramentorum, quem assignat, utpote consistente in hoc, ut sanentur, & perficiantur potentiæ animæ. In 4. dist. 2. Q. 1. a. 1. qq. 1. C. sic habet: „Dicendum, quod quandocunque ad „ perfectionem alicujus rei oportet aliquid apponere ultra id, quod requirit ordo illius naturæ „ secundum se consideratæ, hoc accidit ad serviendum alicui defectui illius rei; sicut quando „ ad sustentationem corporis non sufficit cibum „ ministrare, nisi addantur aliqua digestiva, signum est defectus in virtute digerente. Ex „ ordine autem humanæ naturæ nihil requiritur „ ad ejus perfectionem spiritualem, nisi Deus influens, & gratia, & virtutes influxæ. Unde „ cum aliquæ res corporales adhibentur ad hominis sanctificationem, ex quibus secundum ordinem naturæ sanctificatio hominis non dependet, signum est, quod hoc sit ad serviendum „ alicui defectui ipsius. Et ideo, cùm hoc invenitur in omnibus Sacramentis, omnia Sacramenta in remedium alicujus spiritualis defectus „ instituta sunt.

Et ad 2. „Dicendum, quod defectus spiritualis dupliciter contingit, sicut & corporalis: „ uno modo ex positione contrarii, sicut quando corpus est ægrum, & quando in anima est „ peccatum. Alio modo ex subtractione ejus, „ quod ad perfectionem necessarium erat vel corporis vel animæ; sicut quando corpus est debile, & quando spiritus est debilis ad exequenda spiritualia. Remedia ergo, quæ dantur „ contra primum defectum, aliquid realiter tollunt, & ideo purgationis rationem habent. „ Remedia autem, quæ sunt contra defectum secundum, non tollunt aliquid secundum rem, „ sed solum adjiciunt aliquid ad perfectionem; „ & ideo talia remedia non dicuntur purgare, sed „ perficere. Et hæc eadem sunt," quæ Magister „ dicit, nos gratia & virtute fulcire, in quantum perfectiva sunt.

Et qq. 3. *C.* „Dicendum, quod duplex est „ pœna peccati. Quædam quæ pro peccato infligitur, sicut pœna inferni, & flagella, quibus à Deo temporaliter punimur. Quædam „ ex ipso peccato consequens immediatè, & per „ consequens ad peccatum ordinans, sicut est „ debilitatio naturæ ad resistendum peccato & „ hujusmodi. Contra primam pœnam non datur „ Sacramentum directè: sed contra secundam pœnam datur directè aliquod Sacramentum.

Et ad 1. ubi objicitur, quod gratia non opponitur pœnæ, sed culpæ; S. Thomas respondet: „ Dicendum, quod pœnæ, contra quas dictum „ est Sacramentum ordinari, etiam ad gratiam „ contrarietatem habent, quia ex subtractione „ contingunt, & in contrarium gratiæ ordinant.

Et ad 2. „Sicut est in medicina corporali, „ quod curato morbo adhuc remanent aliquæ „ reliquiæ morbi ex morbo causatæ, contra quas „ oportet specialia medicamenta dari; ita etiam „ est in medicina spirituali, & propter hoc contra prædictas pœnas oportet esse aliqua Sacramenta.

Et qq. 4. *ad* 1. „Dicendum, quòd illa Sacramenta, quæ gratiam in suscipiente præexigunt, „ non ordinantur directè contra culpam, quia „ non sunt ad tollendum contrarium, sed ad supplendum defectum.

Hæc omnia ostendunt, quod juxta S. Thomam defectus habitualis in potentiis animæ debeat virtute Sacramentorum tolli per aliquid contrarium, quod haud dubiè est aliquid habituale; gratia enim transiens seu actualis non tollit *defectum* seu *carentiam* ac *negationem* habitualem.

Idem ibidem a. 2. qq. 1. C. ait: „Sacramenta „ ordinantur ad tollendum contrarium, & ad supplendum defectum. — Secundum remedium „ præbent supplendo, quod deficit, & ea quæ „ perfectionis sunt effectiva (efficiendo). Est „ autem duplex perfectio. Una formæ ad actum, „ & hanc perfectionem facit ordo quantum ad „ executionem bonorum; quia reddit hominem „ idoneum ad dispensationem Sacrorum; sed „ quantum ad perpessionem difficilium, facit dictam perfectionem confirmatio, quæ hominem „ fortem reddit." Atqui *fieri idoneum reddi fortem*, non dicit tantum assistentiam gratiæ actualis; quia per gratiam actualem etiam inidoneus & debilis potest bene operari, sed dicit dispositionem habitualem potentiarum.

Ad 2. c. a. n. c. Ostensum enim est, Cajetanum errasse, dum prætendit, per terminum auxilii divini tantùm intelligendam esse gratiam actualem.

Ad 3. dist. Docet, quòd gratia sanctificans in Sacramento Confirmationis conferatur per accidens & indirectè. c. per se ac directè. n.

RESPONDEO 2. dist. Docet, quòd gratia causaliter sanctificans, seu causaliter gratum faciens conferatur in Confirmatione. c. formaliter sanctificans seu formaliter gratum faciens. subd. Indirectè, c. directè. n. indirectè datur gratia sanctificans; quia dum directè intenditur virtus seu perfectio stabilis, connaturaliter per modum causæ ac medii debet poni vel actuari gratia sanctificans ad ponendum talem effectum. Nam quod primam responsionem attinet, docet D. Thomas, quòd Confirmatio in subjecto existente in peccato mortali, si nesciat se esse in peccato, & aliàs sit ritè dispositus, conferat etiam primam gratiam. Quoad alteram verò responsionem, sensum hunc desummo ex ipsis verbis S. Thomæ, dum hoc loco c. dicit: *Datio Spiritus non est nisi cum gratia gratum faciente.* Ergo juxta S. Thomam solùm confertur concomitanter, & indirectè, ita ut hôc donô concomitante sublatô

sublatô adhuc in peccatore possit manere effectus Sacramenti primarius, per se, ac directè intentus. Hinc l. c. ad 1. docet: *Gratia gratum faciens non solum datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmentum & firmitatem justitiæ. Et sic confertur in hoc Sacramento.*

Ad 4. dist. S. Thomas docet, quòd gratia Sacramentalis differat à gratia gratum faciente ùt species à genere summendo nomen gratiæ gratum facientis, prout abstrahit à gratia causaliter vel formaliter gratum faciente. c. prout dicit formaliter gratum facientem. n. Quòd enim D. Thomas in gratia Sacramentali includat rationem genericam gratiæ gratum facientis, verum est; quòd autem gratia Sacramentalis quoad suam rationem specificam dicat gratiam formaliter gratum facientem, hoc non dicit. Imò potiùs dicit oppositum, dum Sacramenti effectum *directum* ponit perfectionem potentiarum, & tantùm indirectè per modum prærequisiti medii, ac causæ ad suum proprium effectum obtinendum dicit à gratia Sacramentali poni gratiam gratum facientem, quale prærequisitum utique non constituit prædicatum genericum effectus, ad quem prærequiritur.

Respondeo 2. Etiam transmisso, quòd D. Thomas in sua Summa doceret, gratiam Sacramentalem perfectivam potentiarum ex suo prædicato generico pro priori signo rationis dicere gratiam formaliter sanctificantem, ea suppositio non tolleret veritatem nostræ Conclusionis, quòd gratia Sacramentalis spectata quoad suam rationem specificam ac simpliciter dicat habitum distinctum à gratia tantùm formaliter sanctificante, sicut anima rationalis distinguitur ab anima tantùm sensitiva, vel ab anima tantùm vegetativa. In hoc solo autem differret *fortè* à nostra responsione superius data, quòd effectus Sacramenti etiam perseveret in peccatoribus, sicut perseverat habitus fidei & spei, licèt in fieri dependeant à gratia sanctificante.

Dixi: *forte*; quia D. Thomas fortè responderet, manere quidem in peccatoribus effectum Sacramentalem *directè* intentum, nempe rationem perfectivam potentiarum, quamvis non maneat effectus Sacramentalis quoad rationem gratum facientis formalem, sicut in remissione qualitatum v. gr. caloris, lucis &c. gradus superior perit, remanente gradu inferiore, quod fit per successionem graduum speciei distinctorum. Itaque *fortè* diceret, ita fieri in effectu Sacramentali, ubi per peccatum mortale destruitur ratio generica superior *gratum facientis*.

Objicitur 2. Omnis gratia Sacramentalis reddit hominem formaliter acceptum Deo. At non redderet hominem formaliter acceptum Deo, si consisteret in habitu perfectivo potentiarum distincto à gratia formaliter sanctificante. ergo. *Maj. patet*; omnis gratia Sacramentalis est quædam collatio Spiritus S. At omnis collatio Spiritûs S. reddit hominem formaliter acceptum Deo. ergo. 2. Frustranci sunt isti habitus perfectivi potentiarum. Ergo effectus Sacramentorum consistit in sola gratia sanctificante. *Ant. patet.* Sola gratia ùt extensa & ordinata per Sacramentum ad gratias actuales sufficienter dirigit ad sanctificanda opera humana. ergo.

Respondeo *ad* 1. dist. Reddit hominem formaliter acceptum Deo *indirectè* in subjecto, in quo needum reperitur gratia sanctificans. tr. in homine jam justificato. *subd.* reddit acceptum Deo in actu primo. c. in actu secundo. n. In actu primo gratia Sacramentalis reddit hominem acceptum Deo, in quantum ad suum effectum *directè* intentum non potest pervenire, nisi detur, vel producatur gratia sanctificans, utpote causa connaturalis talium effectuum Sacramentalium; sicut si quis directè intendat calefactionem sui cubiculi necessariò debet indirectè vel præsupponere vel producere ignem applicatione idonea applicandum in ordine ad producendum hunc effectum, qui est calefactatio cubiculi. Ita respondet S. Thomas in 4. dist. 7. qu. 2. a. 2. qq. 1. ad 1. ubi sic habet: *Dicendum, quòd Confirmatio ordinatur contra pœnam, quæ est ex culpa causata, & ad culpam inclinans* (nempe contra debilitationem naturæ, quæ est pœna peccati originalis & actualis) *& ideo ex consequenti* (indirectè) *habet repugnantiam ad gratiam, & propter hoc contra ipsam oportet, quòd gratia gratum faciens detur. Et ideo si invenit aliquam culpam, quæ fictum non faciat, delet illam, quamvis non principaliter contra culpam ordinetur.*

Ad 2. n. a: ad par. dist. Gratia sanctificans sic extensa sufficit modo præternaturali, & quasi violento. c. connaturali modo. n. Si enim in potentiis nulla daretur dispositio seu inclinatio per Sacramenta causata ad bona opera, ista bona opera deberent obtineri per meras gratias contra inclinationem potentiarum. Sed hic modus operandi est præternaturalis, & quasi violentus, à quo modo prima causa abhorret tam in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ.

Objicitur 3. Textus PP. sufficienter solvuntur, si dicatur, Spiritum S. seu gratiam sanctificantem per Sacramenta acquirere variam determinationem ad augendas has vel illas virtutes infusas, ordinatas ad finem cujuslibet Sacramenti. Ergo non est necesse, ut fingantur novi habitus perfectivi potentiarum.

2. Gratia Sacramentalis & gratia sanctificans se mutuò intendunt. Ergo non differunt specie. *Ant. patet*; quò major est in homine gratia sanctificans, eo majorem gratiam sacramentalem recipit.

3. Virtutes infusæ in baptismo vel in Sacramento pœnitentiæ sufficienter perficiunt potentias ad bene operandum. Ergo in Sacramentis non est necesse conferri habitum perfectivum potentiarum specie distinctum à gratia sanctificante.

Respondeo. tr. a. d. c. Si habitus perfectivi potentiarum sunt distincti à virtutibus infusis ad finem Sacramenti congruis, auctis & radicatis. c. secus. n. Dico enim, quòd virtutes infusæ juxta me non solùm tribuant *simpliciter posse* ad operandum supernaturaliter, sed quòd etiam tribuant *facilè posse* in ordine ad finem cujuslibet Sacramenti, ita tamen, ut in diversis Sacramentis longè major tribuatur ejusmodi perfectio potentiarum. Hinc virtutes infusæ, licèt quoad *simpliciter posse* sint effectus gratiæ sanctificantis necessarius, non tamen sunt effectus

effectus necessarius gratiæ sanctificantis quoad formalitatem, qua tribuunt *facilè posse*, sed eatenus sunt effectus Sacramentorum *directè* intentus, in diverso tamen gradu, & in diversa perfectione juxta diversitatem & efficaciam diversorum Sacramentorum.

Ad 2. tr. a. n. c. Quia etiam causa æquivoca & effectus se mutuò intendunt, v. gr. lux & color, videlicèt quoad virtutem operativam, & tamen differunt specie. Sicquo est lucidior dies, eo est calidior, & vicissim; fit enim ea intensio *indirectè* per dispositionem subjecti, & causæ communis.

Ad 3. n. a. Quia in baptismo tantùm conferuntur virtutes infusæ in gradu valde remisso & generaliter; sed in Sacramentis singulis conferuntur in gradu excellenti & particulariter in ordine ad finem cujusvis Sacramenti. Itaque in omnibus Sacramentis conferuntur quidam virtutes infusæ, in baptismo generales & omnes, sed in gradu remisso; in aliis Sacramentis determinatæ, & in gradu excellenti: & hæ virtutes infusæ sunt ipse ille habitus perfectivus potentiarum, de quo loquimur; ac consequenter sicut virtutes ejusmodi infusæ differunt specie à gratia tantùm formaliter sanctificante, ita etiam differunt specie ab eadem gratia sanctificante ipsi habitus & effectus Sacramentorum, perfectivi potentiarum.

Si quæras: An ille habitus Sacramentalis reperiatur in solis potentiis internis animæ; an verò etiam in potentiis organicis internis, v. gr. in phantasia, vel in potentia irascibili ac concupiscibili animali?

Respondeo. Per se effectum Sacramentalem tantùm pertinere ad potentias internas animæ; per accidens verò non rarò eum effectum pertingere etiam ad potentias animales, in quantum efficacia gratiæ internæ reddit potentias internas animæ magis activas ad regendos spiritus vitales, quibus mediantibus regit potentias animales & totum microcosmum humanum, ita ut per eorundem spirituum directionem, subtractionem, vel auctionem, potentiæ animales hebetentur, vel confortentur, vel moderentur.

QUÆSTIO III.

Quænam Sacramenta imprimant characterem? Et quid sit ille character?

Notandum 1. Per nomen characteris antiquis temporibus intellectum fuisse *signum militare*, quo milites Romani signabantur eo fine, ut desertores possent discerni, ac retrahi, & viri militares possent discerni à fraudulentis hominibus, qui se fingebant milites Romanos, sicque varias præstationes extorquebant. Signum illud consistebat aliquando in stigmate manibus vel brachiis inusto vel impresso cum expressione nominis Imperatoris, cui serviebant; aliquando verò in gestatione nummi plumbei collo appensi, cui erat impressa effigies & nomen Imperatoris. De hoc genere characterum scribit Vegetius de signandis militibus c. 8. & P. Ruinart in actis sinceris Martyrum.

Notandum 2. Ex usu Ecclesiastico per nomen characteris intelligi signum quoddam spirituale & indelebile, in Sacramento baptismi, confirmationis, & ordinis impressum, unde ea iterari non possint. Ita enim accipitur hoc nomen in Concilio Tridentino Sess. 7. can. 9. ubi dicitur: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit.* Eugenius IV. in Armenorum instructione asserit, hoc signum esse in anima. Nam §. *quinto* sic scribit: *Inter Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum, & à cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non iterantur.*

Notandum 3. De natura hujus characteris varias esse sententias. *Prima* est Durandi, qui in 4. dist. 4. qu. 1. n. 11. docet, characterem sacramentalem esse tantùm relationem rationis, vel denominationem extrinsecam, qua aliquis ratione suscepti Sacramenti dicitur deputatus ad certum statum vel munus, humana potestate inamissibile & initerabile. Scotus in 4. dist. 6. Qu. 10. fatetur quidem, characterem esse aliquid reale, sed tantùm aliquid relativum, non autem aliquid absolutum, nempe qualitatem absolutam. *Tertia* sententia communis Theologorum vult, characterem esse aliquid absolutum, nempe qualitatem absolutam. Sed hi ipsi authores non conveniunt inter se circa proprietates hujus qualitatis. Aliqui dicunt, quòd ista qualitas absoluta sit tantùm signum, quo baptizatus discernatur à non baptizato, confirmatus à non confirmato, ordinatus à non ordinato. Alii verò attribuunt huic qualitati etiam proprietates activas, ita ut sit principium productivum gratiæ sanctificantis, vel aliarum perfectionum & donorum. *Quarta* sententia est Philosophorum Neotericorum, qui, cùm nullas admittunt qualitates absolutas, docent, characterem consistere in certa modificatione animæ.

DICO I. Non est de fide, characterem esse aliquid reale in anima, distinctum à relatione rationis.

Probatur. Ratione & authoritate Vasquezii, qui scribens in Part. III. summæ D. Thomæ disp. 134. qu. 63. c. 2. sic scribit: „Quamvis „Scholastici omnes contra hæreticos uno ore „pronuntient, aliqua Sacramenta imprimere cha„racterem in anima, variant tamen in assignanda „illius natura. Nonnulli existimant, characte„rem non esse qualitatem aliquam realem animæ „impressam, neque relationem secundùm rem, „sed relationem solùm rationis ex institutione „divina, per quam homo designatur ad sacras „functiones. Quemadmodùm in pecunia nulla „realis qualitas absoluta, aut relatio ex natura „rei est, per quam constituatur in natura pretii, „sed solùm est relatio rationis ex institutione „regis. Ita ex professo docet Durandus, à qua „sententia non longè abest Scotus in 4. dist. 6. „Q. 10. ubi postquam in §. *contra illud*, latè im„pugna-

„ pugnavit sententiam, quæ affirmat, characte-„ rem esse qualitatem absolutam, tandem con-„ cludit, characterem tantum esse quemdam re-„ spectum extrinsecus advenientem ipsi animæ, „ effectum proximè à Deo in administratione „ Sacramenti. Fateor, Scotum in 1. dist. 45. „ Q. 1. ad ult. argum. primo aspectu tria relatio-„ num genera agnoscere, & reale intrinsecum, „ & reale extrinsecum, & rationis. Verum be-„ nigne possemus ipsum interpretari, ut relatio-„ nem realem extrinsecam solum esse dixerit fun-„ damentum, seu formam realem, à qua intelle-„ ctus rem aliquam relatione denominat, cum in „ se nihil habeat relationis, at verò ipsa denomi-„ natio, &, ùt ajunt, relatio actualis, nihil sit „ in se ipsa, nisi per rationem. Seotus igitur in „ eadem sententia videtur cum Durando esse, „ eùm de charactere loquitur, quatenus asserit, „ *non satis efficaciter probari*, characterem esse qua-„ litatem absolutam. Nam postea in ea Quæ-„ stione §. ad *Quæstionem*. defendit, etiam esse „ qualitatem absolutam. Convenire cum Du-„ rando videtur Guilielmus Parisiensis in tr. de „ Baptismo. c. 1. ubi characterem comparat con-„ secrationi Ecclesiæ, quam constat esse relatio-„ nem rationis. Mihi vero probatur opposita „ sententia, videlicet characterem esse qualita-„ tem absolutam in anima, & ab anima distin-„ ctam. Hanc opinionem tradiderunt cæteri „ Scholastici. Ita vero hanc opinionem Recen-„ tiores Theologi amplectuntur, ut existiment „ plane ab Ecclesia definitam, & sententiam Du-„ randi esse damnatam. Verum rationes (ho-„ rum Theologorum) me quidem judice non „ probant, opinionem Durandi damnatam esse. „ Quocirca Dominicus Sotus in 4. dist. 4. a. 2. „ n. 9. *hæc*, postquam memoravit sententiam Du-„ randi, non solum non damnat illam, sed in-„ quit, eam sententiam non videri sibi multum „ alienam à veritate adhibito quodam moderami-„ ne. Quin imo eo adhibito eam probare vide-„ tur, eo quod non sint multiplicandæ res sine „ necessitate. Moderamen autem est, ut con-„ cedat characterem esse qualitatem secundæ spe-„ ciei, non distinctam ab essentia animæ secun-„ dum rem, sed ratione solum. Ex quibus non „ obscurè colligitur, Sotum existimasse proba-„ bilem sententiam Durandi, quatenus dicit, cha-„ racterem esse relationem rationis, quamvis „ simul etiam dicat, esse in secunda specie quali-„ tatis non distincta à substantia ipsa. -- Con-„ stat igitur, leviter notari sententiam Durandi, „ & Scoti, temeritatis, quod dixerit, characte-„ rem esse relationem rationis seu extrinsecam. -- „ Existimo tamen probabiliorem sententiam po-„ steriorem." Ita Vasquez.

DICO II. Probabilius est, in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, imprimi characterem realem.

PROBATUR. Probabilius est, textus Patrum & SS. Pontificum, & Conciliorum non esse uniformiter intelligendos in sensu tantum metaphorico, aut in sensu valde improprio. Ergo etiam probabilius est, imprimi characterem realem. *a. prob.* textus PP. & SS. Pontificum, & Conciliorum absolutè non possunt verificari, nisi aut sumantur in sensu metaphorico uniformiter, aut nisi sumantur in sensu valdè improprio. ergo. *a. prob.* ab inductione textuum.

I. INNOCENTIUS III. relatus in c. *Majores. de Baptismo.* in Epist. ad Archiep. Arelat. scribit: „Quæritur, utrum dormientibus & amenti-„ bus Sacramenti saltem character in baptismate „ imprimatur, ut excitati à somno, vel ab ægri-„ tudine liberati non sint denuo baptizandi? -- „ Tunc characterem Sacramentalis imprimit ope-„ ratio, cùm obicem voluntatis contrariæ non „ invenit obsistentem.

II. EUGENIUS IV. relatus NOT. 2. expresse docet, characterem esse *signum spirituale indelebile in anima impressum.*

III. CONCILIUM TRIDENT. relatum NOT. 2. pariter docet, imprimi characterem in anima, eumque esse signum spirituale ac indelebile; idque esse causam, cur baptismus, confirmatio, & ordo iterari non possit.

IV. Scriptura characterem assignat tanquam proprium opus Dei, quod non convenit signo externo, & exinde resultanti signo rationis. ergo. *a. prob.* Apostolus 2. Corinth. 1. dicit: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephes. 1. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et c. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.*

V. CYRILLUS JEROSOL. Præfat. in Catech. n. 16. dicit: "Magnum sane est propositum „ hoc baptisma, captivitatis liberatio, peccato-„ rum remissio, mors peccati, animæ regenera-„ tio, vestimentum candidum, signaculum san-„ ctum & indelebile. *Et Catech.* 3. *n.* 2. Per sin-„ ceram fidem animæ vasa ad susceptionem S. „ Spiritus præparate. *Et n.* 3. Singulari cau-„ tione ad illud opus (baptismi) accedite. Spi-„ ritus S. animas vestras obsignaturus est. *Et n.* 4. „ Uti corpus aqua mundat, ita animam obsignat „ Spiritus, ut cor aspersi per Spiritum acceda-„ mus ad Deum. -- Neque enim, si quis etiam „ virtutum operibus instructus signaculum per „ aquam non recipiat, ille cœlorum regnum in-„ gressurus est. *Et Catechesi* 1. *n.* 3. Ut ii, qui „ milites conscripturi sunt, corpora explorant, „ ita Dominus delectum faciens animarum vo-„ luntates inquirit; & si quis hypocrisin abditam „ gerit, hunc veluti ad veram militiam ineptum „ rejicit. Si vero dignum deprehenderit, huic „ promptissimè confert gratiam. Non dat Sancta „ canibus, sed ubi probam conscientiam videt, „ illic salutare & admirabile sigillum confert, „ quod contremiscunt dæmones, & agnoscunt „ Angeli. His ergo, qui spirituale illud & salu-„ tare sigillum suscipiunt, opus est, ut proprium „ quoque studium adhibeant. *Et Catech.* 1. *n.* 2. „ Arrhabonem Spiritus Sancti aquirite per fidem; „ accedite ad mysticum signaculum, ut ab Hero „ favorabiliter agnosci possitis. *Et Catech.* 16. „ *n.* 24. Spiritus Sanctus ad hodiernam usque „ diem in baptismate animas obsignat. *Et Catech.* „ 3. *n.* 12. Descendis in aquam ferens peccata, „sed

„ ſed gratiæ invocatio animam obſignans non te
„ permittit à dracone abſorberi.

VI. S. Basilius in Orat. 13. qua Catechumenos ad Baptiſmum inſtruit, ſic habet:
„ Teſſeram Duces ſuis militibus dant, ut amici
„ facilius ſe noſcentes exhortentur, & ſi cum ho-
„ ſtibus miſceantur, facilius diſcerni ac ſeparari
„ poſſint. Quod ſi fortè commilitonum ſepara-
„ tio fiat, nemo te noverit, quarumne partium,
„ noſtrarum an hoſtilium ſis, niſi myſticis ſignis
„ familiaritatem præferas, niſi ſignatum ſit ſuper
„ te lumen vultus Domini. Niſi characterem in
„ te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugna-
„ bit, aut ab inimicis vindicabit? niſi agnoverit
„ ſignaculum? Quomodo, inquam, dices, Dei
„ ſum, ſigna non oſtendens? An ignoras, quem-
„ admodum ſignatas domos in Ægypto extermi-
„ natos prætererierint? in non ſignatis vero pri-
„ mogenita peremerit? theſaurus non obſignatus
„ furibus facilè patebit. Ovis item abſque nota
„ inſidiis protinus eſt obnoxia.

VII. S. Ambrosius l. 1. *de Spiritu S.* c. 6.
„ Si qua in aqua gratia eſt, non ex natura aquæ,
„ ſed ex præſentia eſt Spiritus Sanctus. Nun-
„ quid in aqua ſignamur, ſicut in Spiritu? Ipſe
„ eſt enim pignus hæreditatis noſtræ, ſicut &
„ Apoſtolus ait: In quo credentes ſignati eſtis
„ Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæ-
„ reditatis noſtræ. Sancto igitur Spiritu ſignati
„ ſumus, non naturâ, ſed à Deo; quia ſcriptum
„ eſt: qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos,
„ & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.
„ Signati ergo Spiritu à Deo ſumus; ſicut enim
„ in Chriſto morimur, ut renaſcamur, ita etiam
„ Spiritu ſignamur, ut ſplendorem & imaginem
„ ejus & gratiam tenere poſſimus, quod eſt uti-
„ que ſpiritale ſignaculum. Nam etſi ſpecie
„ ſignemur in corpore, veritate tamen in corde
„ ſignamur, ut Spiritus S. exprimat in nobis ima-
„ ginis cœleſtis effigiem. Quis igitur audeat di-
„ cere, diſcretum à Deo Patre & Chriſto eſſe
„ Spiritum Sanctum, cùm per ipſum ad imagi-
„ nem & ſimilitudinem Dei eſſe mereamur? At-
„ que ut ſciamus, cordis noſtri magis hoc, quàm
„ corporis eſſe ſignaculum, docet Propheta, qui
„ dicit: ſignatum eſt in nobis lumen vultus tui
„ Domine, dediſti lætitiam in corde meo.

Idem in l. *de initiandis.* c. 7. „Accepiſti in
„ baptiſmo veſtimenta candida, ut eſſet indicium,
„ quod exueris involucrum peccatorum; indue-
„ ris innocentiæ caſta velamina, de quibus dixit
„ Propheta: Lavabis me, & ſuper nivem de-
„ albabor. Super nivem dealbatur, cui culpa
„ dimittitur. Unde Dominus invitatus pulchri-
„ tudine gratiæ, quod ablutæ nullis jam delictis
„ ſorderent, dicit ad Eccleſiam: pone me ut
„ ſignaculum in corde tuo, ut ſignaculum ſuper
„ brachium tuum, quo opera tua luceant, & ima-
„ ginem Dei referant. Unde? repete; quia ac-
„ cepiſti ſignaculum ſpiritale, Spiritum Sapien-
„ tiæ & intellectus, Spiritum conſilii, atque vir-
„ tutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spi-
„ ritum Sancti timoris, & ſerva, quod accepiſti.

VIII. S. Epiphanius hæreſi 8. aſſignans diſcrimen inter circumciſionem & baptiſmum ait:
„ Illic præſcripta corporis circumciſio eſt, quæ
„ in uſu tamdiu fuit, quoad ingens illa circum-
„ ciſio eſt ſubſecuta, baptiſmus videlicet, quo
„ nos à peccatis præcidimur, & in Dei nomine
„ ſignamur.

IX. S. Chrysostomus hom. 2. in Epiſt. ad Epheſ. "Signati etiam fuerunt Iſraëlitæ, ſed
„ circumciſione ſicut oves & bruta. Nos quo-
„ que ſumus ſignati, ſed ſicut filii Spiritu. Qui
„ verè ſunt Spiritus participes, ſciunt eum eſſe
„ arrham hæreditatis.

X. S. Augustinus *loquens de charactere Ordinis.* l. *de bono conjugali.* c. 24. ait: "Quemad-
„ modum ſi fiat ordinatio Clerici ad plebem con-
„ gregandam; etiamſi plebis congregatio (erec-
„ tio Parochiæ) non ſubſequatur, manet tamen
„ in illis ordinatis Sacramentum ordinationis; &
„ ſi aliqua culpa quiſpiam ab officio removeatur,
„ Sacramento Domini ſemel impoſito non care-
„ bit, quamvis ad judicium permanente.

Et l. 2. contra Epiſt. Parmen. c. 13. ait: "Si
„ quando ex parte Donatiſtarum venientes, etiam
„ Præpoſiti (hoc eſt Epiſcopi, & Presbyteri)
„ correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt, etſi
„ viſum eſt, ut eadem officia gererent, non ſunt
„ rurſus ordinati, ſed ſicut baptiſma in eis, ita
„ ordinatio manſit integre. -- Quod ſi (talis
„ ſchiſmaticus ſuum errorem) non correxerit,
„ manebit ad pœnam, quod datum eſt, non ta-
„ men pro non dato habebitur; neque ullo mo-
„ do per devotum militem, quod à privatis uſur-
„ patum eſt, ſignum regale violabitur. -- Si
„ fortè militiæ characterem in corpore ſuo miles
„ non militans pavidus exhorruerit, & ad cle-
„ mentiam Imperatoris confugerit, ac impetra-
„ ta venia jam militare cœperit; nunquid chara-
„ cter ille repetitur, ac non potius cognitus ap-
„ probatur? An fortè minus hærent Sacramenta
„ Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota, cùm
„ videamus, nec Apoſtatas carere baptiſmate,
„ quibus utique per pœnitentiam redeuntibus
„ non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe judi-
„ catur.

Idem l. 1. *de baptiſmo.* c. 1. „Sicut redeuntes
„ (*ab hæreſi vel ſchismate*) qui priusquam recede-
„ rent, ordinati ſunt, non utique rurſus ordinan-
„ tur, ſed Sacramentum ordinationis ſuæ gerunt,
„ & ideo eis manus inter laicos non imponitur.

Idem *Serm. de geſtis* cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo. „Invocatio nominis Dei ſuper
„ caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi,
„ Dei eſt, non Donati. - In deſertore milite
„ crimen eſt deſertoris, character autem non eſt
„ deſertoris, ſed Imperatoris. Non enim deſer-
„ tor characterem ſuum fixit. Chriſtus quærit
„ deſertorem, delet erroris crimen, ſed non ex-
„ terminat ſuum characterem."

De sacramento confirmationis, & ejus charactere habentur ſequentes textus.
I. D. Chrysostomus in Epiſt. D. Pauli ad Hebr. exponens illa verba Apoſtoli c. 6. „Non
„ rurſus jacientes fundamentum baptiſmatum
„ doctrinæ, impoſitionis quoque manuum. Im-
„ poſſibile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illumi-
„ nati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, &
„ participes facti ſunt Spiritûs S. rurſus renovari

„ ad pœnitentiam. *Sic ſcribit:* Non licèt dicere, „ ſi diſſolutè & negligenter vixerimus, rurſus baptizabimur, rurſus accipiemus Spiritum S. & ſi „ à fide non exciderimus, rurſus baptizati poterimus peccata abluere. Erratis; impoſſibile „ enim eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati &c. 2. S. CYPRIANUS *de Confirmatione* Epiſt. 77. loquens ait: *Sigillo Domini conſummentur.* 3. Optatus Milevit. l. 7. contra Parmenianum Donatiſtam ait: „ Nunquid nos exterminamus oleum veſtrum „ (*chriſmationem irritando*)? Si à vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic à nobis ſervatur, „ quomodo à vobis dimittitur. Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, meritò „ nos muſcas morituras appellare poſſetis, ſed „ dum, quod à vobis unctum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus, muſcæ morituræ eſſe „ non poſſumus."

Hi omnes textus oſtendunt, characterem in baptiſmo, confirmatione & ordine impreſſum eſſe aliquid reale. Nam relatio ſola rationis *primò* non imprimitur: *ſecundò* non eſt ſignum ſpirituale indelebile in anima: *tertiò* non poteſt eſſe cauſa, cur hæc Sacramenta iterari non poſſint; imò potiùs è converſo ſequeretur, ideo hanc relationem rationis tolli non poſſe ab anima, quia Deus ita voluit, ut hæc Sacramenta non iterentur: *quartò* Relatio rationis foret effectus Sacramenti ex voluntate divina initerabilis, nec deberet ſpecialiter adſcribi tanquam ſpecialis effectus Spiritûs S. collati per Baptiſmum. *Quintò* Relatio rationis non eſſet aliquod objectum ſpecialis admirationis, gloriationis & fiduciæ, prout tamen Scriptura illud proponit. *Sextò* Relationes rationis in aliis Sacramentis, v. gr. matrimonio, Euchariſtia, pœnitentia, extrema unctione non vocantur *ſignacula ſancta*; nec vocantur *obſignationes*. *Septimò* Relationes rationis, quales in homine Chriſtiano dantur plurimæ, non vocantur *ſalutare & admirabile ſigillum*. Nam ens rationis ſalutare eſſe non poteſt. *Octavò* Non habetur exemplum, quòd Relationes Rationis, quales erant in figuris V. T. unquam vocatæ fuerint myſtica ſignacula. *Nonò* Character militis, cum quò comparatur character Sacramenti, non conſiſtebat in ſola relatione relationis, ſed in ſtigmate corpori impreſſo, prout ex textu D. Auguſtini colligitur. Idem colligitur ex actis Martyrii Maximiliani Martyris apud P. Ruinard. cui cùm Proconſul diceret: *Milita, & accipe ſignaculum, Maximilianus reſpondit: Non accipio ſignaculum. Jam habeo ſignum Chriſti Dei mei.* P. Ruinart ex Mabillonio in Notis addit: *Puncta & ſtigmata in manibus, inſcriptio nominis Imperatoris, præterea monile plumbeum, teſſeræ erant militis adſcripti.*

DICO III. Character probabiliùs conſiſtit in ordine activo ſtabili ad effectus Sacramentales Sacramento proprios.

DIXI 1. *In ordine activo*, qui conſiſtit in mea Philoſophia in ente relativo, quo unum objectivè formaliter ordinatur ad aliud; & tale ens relativum ſunt omnes formæ ſubſtantiales, & accidentales activæ; ordo enim exiſtendi in univerſo eſt ipſa activitas rerum in actu primo ſpectata.

DIXI 2. *In ordine ſtabili*, videlicet uſque ad mortem; ſi enim in æternitate character manet, tantùm manet in aliquo ſuo effectu, nempe in relatione reali ad præteritum.

DIXI 3. *Ad effectus Sacramentales Sacramento proprios.* Dico enim, quòd Spiritus S. in Sacramentis ſpeciali unione ad animam applicatus primò producat characterem, ſeu hunc ordinem ad effectus ſini horum trium Sacramentorum congruos, & dein mediante hoc ordine primùm producat ipſos effectus Sacramentales, qui, ut quæſtione præcedente oſtenſum eſt, in Sacramentis vivorum, v. gr. confirmatione, ordine directè conſiſtunt in diſpoſitione ſtabili potentiarum internarum ad finem Sacramenti, in Sacramentis autem mortuorum directè conſiſtunt in gratia ſanctificante, indirectè verò in diſpoſitione potentiarum ad finem Sacramenti, in baptiſmo quidem *ſtabiliter*; in pœnitentia autem *deſtruibiliter* impreſſa.

DIXI 4. Hunc ordinem eſſe ſtabilem uſque ad mortem. Hinc licèt per extraordinariam malitiam ille effectus Sacramentalis, nempe diſpoſitio potentiarum prorſus deſtruatur, manet tamen ordo, ita ut ſi baptizatus, confirmatus, ordinatus, per veram converſionem denuo redeat ad Deum, in ordine *ad hos effectus* Sacramentum reviviſcat, ita ut character impreſſus, nempe ordo ſtabilis impreſſus remoto obice iterum producat priorem diſpoſitionem potentiarum in ſuſceptione Sacramenti à Deo infuſam. Concluſio ſic explicata

PROBATUR. Ex una parte conſtat, quòd Deus tam in ordine gratiæ, quàm in ordine naturæ, rebus, quas ordinat ad aliquem finem, imprimat ordinem ad finem intentum; ex altera parte hic ordo optimè explicat omnes proprietates, quas Scriptura & PP. characteri Sacramentali tribuunt. Ergo character debet conſtitui in hoc ordine. *Ant. quoad 1. membrum patet* ex eo; quia hic ordo connaturaliter eſt immediatus effectus Spiritûs S. ordinantis animam ad aliquem finem; hic ordo etiam eſt *in Spiritu Sancto* tanquam ordinante, & *per Spiritum Sanctum* tanquam effectus; dein eſt *verè impreſſus, verè ſpiritualis, verè indelebilis*, cùm utique ordo à Deo impreſſus nec à contrario, nec à peccato, nec ex ceſſatione fervoris deſtrui poſſit.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Sententia conſtituentium characterem in ſola relatione rationis ne quidem probabiliter ſolvit argumenta adducta pro ſecunda Concluſione. Ergo ea Concluſio non eſt tantùm probabilior, ſed de fide.

2. Concluſio ſecunda deducitur ex una propoſitione per Concilium Tridentinum definita, & altera propoſitione ad minimum moraliter certa. Ergo eſt concluſio theologica moraliter certa, cujus oppoſitum ad minimum eſt *temerarium* ac *propinquum hæreſi*, & *periculoſum in fide*. *Ant. quoad 2. membrum patet*; moraliter certum eſt, ſolam relationem rationis non poſſe dici *verè impreſſam in anima*, & eam eſſe *aliquid ſpirituale, indelebile &c.*

RESPON-

Respondeo. tr. a. n. c. & ſuppoſitum, omnem concluſionem theologicam, deductam ex una præmiſſa revelata, & altera moraliter certa, eſſe de fide, prout oſtenſum eſt *in Tract. de Fide*. Itaque etiamſi illa ſententia ne quidem probabiliter defendi poſſet, ſed conſtaret morali certitudine, eam repugnare menti Concilii Tridentini, non tamen propterea ſimpliciter loquendo eſſet contra fidem.

Ad 2. n. a. Poteſt enim dari duplex explicatio, quarum utraque poteſt dici probabilis. Primò poteſt dici per characterem impreſſum intelligi ipſum effectum Sacramentalem, nempe gratiam Sacramentalem, quæ re vera imprimitur, & ex ſua natura petit eſſe indelebilis, ita ut, ſi per peccatum contra ſuam naturam deſtruatur phyſicè, relinquat tamen in anima jus morale & obligationem ad functiones ſini talium Sacramentorum congruas. In tali explicatione character erit quidem phyſicè animæ impreſſus; erit etiam aliquid ſpirituale; erit etiam aliquod ſignaculum, utpote diſtinctivum animæ hoc genere gratiarum ſanctificatæ ab anima non ſic ſanctificata; indelebilis autem hujus characteris conſiſtet in exigentia perpetuitatis, ita ut deſtrui non poſſit, niſi per contrarium & per violentiam. Itaque character erit indelebilis indelebilitate etiam *phyſica*, ſed tantum exigitivè; *morali* autem indelebilitate abſoluta & eſſentiali. Poſſet etiam dici, quòd talis character ſit phyſicè indelebilis non in individuo, aut ſpecie infima; ſed tantum ex ſuo genere, eo quod ſi effectus Sacramentalis per malitiam peccatoris, & pravos habitus deſtruatur in individuo, ac ſpecie infima, producatur tamen in ejus defectum perpetuus ſtimulus habitualis conſcientiæ indelebilis relativus ad Sacramentum, & ejus effectum initerabilem.

Secunda explicatio poteſt eſſe hæc, quod character conſiſtat in eodem effectu Sacramentali interius in anima impreſſo, ut fundaote denominationem moralem Chriſtiani, confirmati, ordinati, ex Decreto divino inamiſſibilem, & initerabilem, & poſt ſui amiſſionem phyſicam relinquente in anima maculam indelebilem, utpote ſubſtantem Decreto divino non iterandi Sacramentum, & non reſtituendi gratiam ſemel perditam.

Hæ explicationes possunt confirmari ex eo, quia etiam Thomiſtæ communiter gratiam Sacramentalem in Sacramentis vivorum tantum explicant per relationem rationis ſeu per extenſionem gratiæ ſanctificantis ad gratias actuales, prout Quæſtione præcedente vidimus. Si ergo gratia Sacramentalis in Sacramentis vivorum conſiſtit in ſolo jure morali ad gratias actuales, cur non poſſit etiam character conſiſtere in ejusmodi relatione morali. Certè phraſes Scripturæ & Conciliorum & PP. quæ objiciuntur contra *relationem rationis* in charactere, poſſunt etiam retorqueri in illo *jure morali* ad gratias actuales, quod juxta Thomiſtas confertur in Sacramentis vivorum, quin conferatur nova entitas phyſica, diſtincta realiter à gratia ſanctificante prius habita. Si enim totus effectus Sacramentalis poteſt conſiſtere in jure morali, cur non ſaltem *indelebilitas* ſola characteris poſſit conſiſtere *in jure morali* ad jura & obligationes Chriſtiani, confirmati, & ordinati, vel in macula relicta? plus enim concedit hæc ſententia, quàm Thomiſtæ, dum hi non concedunt ſimpliciter novam entitatem, nempe effectum Sacramentalem in Sacramentis vivorum; iſta ſententia autem concedit aliquam novam entitatem in anima, nempe effectum Sacramentalem, in quo conſtituit characterem, ita, ut & impreſſio & ſpiritualitas ſit phyſica, & ſola indelebilitas ſit moralis. Item ſi virtus Sacramentorum cauſativa gratiæ poteſt eſſe moralis, cur impoſſibile ſit, indelebilitatem characteris eſſe tantum moralem?

Alia confirmatio hujus Sententiæ poteſt ſummi ex Conſecratione Eccleſiæ, cui SS. Patres æquiparant naturam characteris. Nam licèt Conſecratio Eccleſiæ, nempe inunctio olei in parietibus Eccleſiæ ſit aliquid phyſicum, perpetuitas tamen Conſecrationis in caſu, quo per ſucceſſivas mutationes partium Eccleſiæ tollitur totum eſſe phyſicum Conſecrationis, tantùm eſt moralis. Sic enim D. Gregorius M. l. 12. Epiſt. 31. dicit: „De dedicationum Eccleſiarum dubitatione hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab Anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, id eſt, ut quoties tam de baptiſino aliquorum, vel confirmatione, quàm de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſunt, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Eccleſiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat; quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur ritè peractum." Et S. Auguſtinus Epiſt. contra Parmen. c. 13. *Utrumque Sacramentum* (baptiſmus & ordinatio) *quadam conſecratione homini datur, ideoque utrumque non licet iterari.* Denique in Apocalypſi ſepties fit mentio *de charactere beſtiæ*, quin tamen veroſimile ſit, per illum characterem aliud intelligi quàm maculam peccati in anima contractam, quæ non eſt nova entitas phyſica, ſed tantum privatio nitoris, ſeu aliqua relatio moralis. Sic enim c. 14. v. 11. dicitur: *Si quis acceperit characterem nominis ejus, cùm tamen receptio nominis non ſit phyſica.* Verum quidem eſt, quod ibi etiam aſſeratur c. 14. 19. & 20. characterem beſtiæ accipi in manu & fronte, ſed præter ſignum vel ſtigma externum datur etiam relatio moralis ex illo ſigno reſultans, & animæ deformitas ex relatione morali reſultans.

Objicitur 2. Characteris realis in Scripturis non habetur ſufficiens fundamentum. ergo non debet aſſeri. Ita Kemnitius.

2. Characteris phyſici primus Aſſertor fuit Innocentius III. in c. *Majores*. relatus. ergo eſt novitas Sæculi XIII. ita idem.

3. Sacramenta Veteris Teſtamenti non imprimebant characterem. ergo nec Sacramenta Novi Teſtamenti.

4. Ipſemet Chriſtus non habuit characterem. ergo nec eum habent Chriſtiani. *a. prob.* id docet D. Thomas part. 3. Q. 63. a. 5. C.

Respondeo *ad* 1. n. a. Signari enim Spiritu Sancto vel ſignari in Spiritu Sancto prout Scriptura l. cc. loquitur, dicit quemdam ordinem ſtabi-

stabilem, quo Spiritus Sanctus baptizatum, confirmatum, & ordinatum ordinat ad functiones & obligationes jure irretractabili. Ordo autem ille est ipse character, nec interest, utrum ille ordo sit aliquid reale, ut nos dicimus, sive morale.

Ad 2. n. a. Contrarium enim ostensum est in Probationibus. Ex quo patet, quàm impudenter, aut certè imperitè loquantur hæretici.

Ad 3. c. a. n. c. Disparitas est; quia in V. T. necdum acceperunt per Sacramenta Spiritum Sanctum, qui applicatus animæ per quamdam unionem accidentalem ordinat animam ordine stabili ad functiones & obligationes status recepti. Suppono enim ex dictis disp. 1. Q. 6. quod in V. T. homines justi acceperint gratiam sanctificantem diversæ rationis ab ea, quæ datur in N. T. Ibi enim non dabatur actu adoptionis actualis gratia.

Ad 4. retorqueo. Christus nullum accepit Sacramentum. ergo etiam Christiani nullum deberent accipere Sacramentum.

RESPONDEO 2. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia unio hypostatica erat loco omnium characterum; per eam namque unionem erat *unctus* in Sacerdotem, & Regem & Sanctum Sanctorum. Nec decet, ut essentialiter sanctus, & Sacerdos, & Imperator gerat tesseram ac characterem militis superfluum.

OBJICITUR 3. Non datur finis ejusmodi characteris. Ergo non datur. *a. prob.* si esset finis, vel serviret ad hoc, ut eo insigniti discernantur ab aliis non-insignitis per Angelos, & Beatos, vel per homines? Neutrum potest dici. ergo. *Min. prob.* homines non vident characterem internum, ut possint scire, quis sit verè baptizatus, confirmatus, vel ordinatus. Angeli vero id agnoscunt vel in Verbo, vel per experientiam, vel per revelationem Angeli Custodis, qui omnia observat.

RESPONDEO n. a. *ad prob.* Dico, quod serviat Angelis pro eorum directione ordinata per causas ordinarias secundas, quin opus sit extraordinario medio, nempe visione in Verbo, aut revelatione particulari de singulis hominibus. Cùm enim Deus pro effectu stabili tam in Systemate gratiæ quàm naturæ ordinet causas secundas proportionatas, ut conservetur in omnibus activitas causarum secundarum, decet, ut etiam pro directione Angelorum, qui præsunt Ecclesiæ, vel Regnis, aut Provinciis, aut urbibus, aut Ordinibus Religiosis, vel Episcopatibus, constituat quædam signa directiva gubernationis, ne opus habeant recursu ad notitias particulares extraordinarias. Hujus politiæ & œconomiæ divinæ indicium præbet Scriptura, quæ Exodi 12. v. 7. & 13. ostendit, Angelo *Exterminatori*, qui occidit primogenita Ægypti, in signum characteristicum constitutum fuisse *sanguinem Agni* illitum super postes liminarium, ubi habitabant Judæi, ut illic transiret. Sic etiam Ezechielis c. 9. v. 4. Deus ad Angelum dicit: *Transi per mediam civitatem, & signa thau super frontes Virorum gementium.* Dein aliis Angelis dixit: *Percutite senem, adolescentulum &c. omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis.* Similiter Apoc. 7. v. 3. unus Angelus quatuor aliis Angelis dixit: *Nolite nocere, quousque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Et c. 9. v. 4. subjungit: *Præceptum est illis, ne læderent, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.*

OBJICITUR 4. Sacramenta possunt esse initerabilia per solum Decretum Dei. Ergo character non est necessarius ad hoc, ut Sacramenta sint initerabilia; prout Concilium Tridennum docet.

2. Etiam posito, quod daretur character realis, non posset esse causa, cur Sacramenta iterari non possint. Ergo propositio causalis Concilii Tridentini non potest esse vera relatè ad characterem realem. *a. prob.* character realis posset amitti, ac destrui; aut si est indestruibilis, id habet ex solo libero Decreto divino; cùm sit accidens ex sua natura, quod potest abesse, vel adesse sine subjecti corruptione.

3. Matrimonium est initerabile saltem inter easdem personas, quin tamen ad hoc sit opus charactere tanquam causa initerabilitatis.

RESPONDEO c. a. & n. Suppositum, quod Concilium Tridentinum existentiam characteris probet ex initerabilitate Sacramenti. Imò vero potius è contrario ab existentia characteris aliunde sufficienter ex Scriptura & Traditione demonstrati observat, & infert, Sacramentum esse initerabile.

Ad 2. tr. a. n. c. & suppositum, quod juxta Concilium Tridentinum vel juxta nos character sit causa initerabilitatis Sacramentorum. Nam juxta Concilium & juxta nos existentia characteris aliunde demonstrata, est tantum indicium, quod Deus voluerit, talia Sacramenta esse initerabilia. Si enim Deus voluit imprimere ordinem stabilem ad functiones & obligationes baptizati, confirmati, vel ordinati, id nobis indicio, & argumento est, quod etiam voluerit, Sacramenta talia non iterari.

Ad 3. c. a. n. c. & suppositum, quod character sit causa initerabilitatis. Ideo potest dari aliqua initerabilitas, saltem limitata, quin detur character. Ostensum enim est, characterem, ubi aliunde & ex alio fine probatur illius existentia, esse tantum indicium & argumentum initerabilitatis, quamvis absolutè ac physicè cum ea componi posset. Causa ergo characteris est, quia in his tribus Sacramentis baptismo, confirmatione, & ordinatione perdito omni alio effectu Sacramentali, nempe dispositione potentiarum ad actus Sacramento congruos, voluit Deus relinquere saltem radicem ac semen reviviscentiæ, & restitutionis in integrum, quo connaturaliter produceretur de novo prior gratia remoto obice ex vi ac virtute ordinis semel impressi à Deo, puta gratia consistens in bona dispositione potentiarum. In Sacramento autem Matrimonii, cùm gratia illa Sacramentalis nec amittatur per peccatum mortale, utpote consistens in recta dispositione potentiarum Matrimonii, nec destruatur nisi per habitus vitiosos extraordinarios v. g. adulterinam consuetudinem, non erat causa urgens concedendi ejusmodi perversis hominibus semen

ſemen & radicem prioris matrimonialis gratiæ, ac reſtitutionem in integrum in eorum converſione quacunque remoto obice.

Objicitur 5. *S. Auguſtinus* non agnoſcit characterem realem in anima impreſſum. Ergo non datur. *a. prob.* 1. in Sermone *de geſtis cum Emerito* docet, characterem exterius agnoſci, & agnitum approbari.

2. Ibidem docet; eum, qui baptizatur in nomine Donati, recepturum characterem Donati, qui utique in anima non potuiſſet imprimere quidquam reale. Ergo de ſimili charactere loqui cenſendus eſt, ubi loquitur de charactere Chriſti.

3. Ibidem docet; characterem Chriſtiani eſſe ipſam invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis; ſic enim ait: attendo fidem in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Iſte eſt character Imperatoris mei; de iſto charactere militibus ſuis, vel potius comitibus ſuis, ut hunc imprimerent, eis præcepit dicens: Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

Respondeo n. a. *ad* 1. diſt. Docet, agnoſci exterius characterem Imperatoris. c. characterem Chriſti. n. quod enim characterem Chriſti agnoſcat non ſolum exterius, ſed etiam interius conferri, patet ex ejus textibus Concl. 2. adductis: ubi videtur manifeſtam facere oppoſitionem inter characterem Chriſti, & notam externam corporalem, in qua conſiſtebat character Imperatorum.

Ad 2. diſt. Docet hoc S. Auguſtinus ironicè per oppoſitionem. c. explicativè per æquiparationem. n. S. Auguſtinus ſolum docet, quod, ſicut ſi quis baptizaretur in nomine Donati, nihil foret recepturus, præter ſolum ſignum externum, & inanem relationem rationis; ita è contrario baptizatus in nomine SS. Trinitatis accipiat characterem Chriſti, tanto excellentiorem, quanto Chriſtus Donato præſtat. In quo autem iſta præſtantia characteris Chriſti conſiſtat, aliunde notum vel explicandum ſuppunit.

Ad 3. diſt. S. Auguſtinus externam invocationem SS. Trinitatis vocat characterem cauſalem. c. cauſatum. n. Nam D. Auguſtinus & alii SS. Patres agnoſcunt duos characteres, unum *externum*, quem voco *cauſalem*, nempe cæremoniam externam baptiſmi; alterum vero *cauſatum* ſeu *internum*. Id admittebant SS. Patres ob analogiam cum charactere militum, qui & ipſi habebant duos characteres, nempe unum appenſum in collo, conſiſtentem in numiſmate plumbeo, qui erat ſeparabalis ac delebilis. Alter conſiſtebat in ſtigmate manibus vel brachio vel fronti inuſto vel inciſo, & hic erat indelebilis. Ob alluſionem ad hæc duo genera characterum S. Auguſtinus & alii Patres modo loquuntur de charactere externo delebili, modo de charactere interno indelebili. Bellarminus aliter reſpondet, D. Auguſtinum hoc loco ſumere cauſam pro effectu; ſed inſiſtendum priori reſponſioni.

Objicitur 6. Ex eo, quòd Concilium Tridentinum Seſſ. 5. dicat: *Peccatum originale inesse unicuique proprium*, tamen non ſequitur, quòd inſit homini phyſicè, aut quòd ſit entitas poſitiva phyſicè recepta in anima. Ergo etiam ex eo, quòd Concilium dicat, characterem eſſe ſignum quoddam in anima impreſſum, non ſequitur, quòd imprimatur phyſicè, aut quòd ſit entitas poſitiva phyſicè recepta in anima. 2. Gratia ſanctificans poteſt deſtrui per peccatum. Ergo etiam character, ac conſequenter non eſt indelebilis. *c. pat.* quia gratia ſanctificans eſt aliquid longè perfectius charactere. 3. Si character eſſet indelebilis, etiam foret indelebilis poſt hanc vitam; ſed hoc non poteſt dici. ergo. *Min. pat.*; ſi character maneret etiam poſt mortem in beatis vel damnatis, ſequeretur, quòd anima beatorum validè poſſent adminiſtrare Sacramenta, baptizare, conficere Euchariſtiam, abſolvere &c. Sed hoc non poteſt dici; quia id repugnat communi ſenſui Eccleſiæ.

Respondeo *ad* 1. c. a. n. c. & paritatem. Diſparitas eſt; quia aliunde conſtat, peccatum originale eſſe aliquid negativum, ſicut nox, tenebræ, cæcitas &c. Econtrà de charactere non conſtat aliunde, quòd ſit aliquid negativum vel mera relatio rationis. Accedit, quòd negationes dicantur quidem *ineſſe* & *contrahi* paſſivè, non verò dicuntur *imprimi*, quaſi eſſent terminus alicujus actionis poſitivæ, prout de charactere loquitur Tridentinum.

Ad 2. c. a. n. c. & paritatem. Diſparitas eſt; quia gratia ſanctificans tanquam forma amicitiæ divinæ ad hominem eſſentialiter dependet à libero arbitrio humano, cùm amicitia invito obtrudi non poſſit. Econtrà character potiùs dicit ordinem ad functiones & obligationes ſtatus perpetui ſemel liberè ſuſcepti, qui ordo ſemel à Deo impreſſus manet etiam in invitis, utpote potiùs dependens à voluntate Dei conſtanti, quàm à verſatili arbitrio humano.

Ad 3. tr. Maj. n. Min. ad parit. diſt. Sequeretur, quòd damnati & beati poſſent adminiſtrare Sacramenta, ſi ille ordo impreſſus pro ſuo objecto tantùm haberet functiones ſui ſtatus & media ad illas. c. ſi pro objecto inadæquato habet etiam præmia proportionata functionibus ſtatus. n. quando Spiritus S. ſpecialiter applicatus ad animam baptizati, confirmati, ordinati, eam ordinat ad functiones ſui ſtatus, ille ordo impreſſus habet pro objecto ipſas functiones ſui ſtatus, ille ordo impreſſus habet pro objecto ipſas functiones & media pro curriculo hujus vitæ & præmia correſpondentia pro altera vita. Itaque ille ordo manet adhuc in beatis & damnatis; in beatis quidem, quatenus eos conſtituit in termino motus; in damnatis vero, ut crucientur ex perpetua tendentia ad terminum motus, à quo violenter excluduntur.

Dices 1. Damnati ſpoliantur omnibus donis ſupernaturalibus. Ergo in iis non manet character.

Respondeo. diſt. a. Spoliantur omnibus donis ſupernaturalibus præmiativis vel exornativis. c. cruciativis ſeu afflictivis ſaltem per accidens.

dens. n. ut enim oftenfum eft, character ex fuo genere non habet rationem præmiativam vel exornativam, fed potius obligatoriam, & deficiente objecto obligationis ac præmio, ad quod ordinat, faltem per accidens cruciativam.

Dices 2. Character eft aliquid fupernaturale. Ergo non agnofcitur à damnatis.

Respondeo c. a. dift. c. Ergo non agnofcitur in fe. tr. in effectu. n. fic enim etiam gloriam fupernaturalem, & virtutem fupernaturalem ignis infernalis dæmones & damnati agnofcunt ex effectu. Imò fortè etiam agnofcitur in fe per effentiam ad majorem fui cruciatum.

Objicitur 7. Confecratio Ecclefiarum, calicum &c. non imprimit characterem realem, & tamen non eft iterabilis. Ergo etiam poteft dici, quod nec confecratio baptizati, confirmati, vel ordinati imprimat characterem realem, & tamen poffint effe initerabilia. *c. prob.* ex textu D. Gregorii M. & S. Auguftini fuperius adducto, ubi faciunt paritatem inter confecrationem baptifmi, & ordinis, & Ecclefiarum.

2. Non eft præfumendum, Ecclefiam voluiffe aliquid definire, quod tantum poteft probabiliter erui ex Scriptura, & pro quo non datur uniformis traditio omnium Ecclefiarum & Patrum fed character realis tantum probabiliter poteft erui ex Scriptura, & Traditio Patrum non eft uniformis, fed tantum unius vel alterius Patris, qui fortè locutus eft theologicè, vel expofitoriè pro fuo fenfu privato. Ergo. *Min. prob.* Gonet hic difp. 4. a. 1. §. 1. ait: *Quamvis character ex Scriptura evidenter probari non poffit, tamen probabiliter fuaderi poteft.* Sic etiam Scotus hic dift. 6. Q. 6. ait: *Propter folam authoritatem Ecclefiæ, quantum occurrit ad præfens, eft ponendum, characterem imprimi.*

3. Dionyfius, quando loquitur de fignaculo baptifmi, loquitur de aliquo præambulo ad baptifmum. Ergo non agnofcit characterem impreffum in anima. *a. prob.* Dionyfius dicit, quod fidei traditæ fignum fit fignificatio Hierarchiæ ante actualem ablutionem. ergo.

4. S. Damafcenus non dicit, quod per baptifmum imprimatur figillum, fed *quod ipfa regeneratio fit nobis figillum.* Ergo non agnofcit alium characterem præter gratiam fanctificantem.

5. S. Auguftinus, quando loquitur de charactere, per characterem intelligit ipfum baptifmum. Ergo non agnovit characterem in anima phyficè impreffum. *a. prob.* ibi dicit: quod etiam lupi lupis infigant characterem

Respondeo *ad* 1. c. a. n. c. & paritatem. Difparitas eft; quia Confecratio illa Ecclefiarum & Calicum eft amiffibilis per execrationem feu profanationem; ac denuo iterabilis. Econtra Confecratio Chriftiani, confirmati, & ordinati non eft amiffibilis. Hinc colligitur, ordinem in his Sacramentis effe perpetuum, non illis Sacramentalibus. Dein cum Sacramentalia fint opus inftitutum ab homine vel Ecclefia, quæ rebus à fe ordinatis non poteft conferre ordinem phyficum intrinfecum, neceffe eft, ut habeant tantum ordinem extrinfecum, feu relationem rationis. Econtra Spiritus Sanctus, qui in Sacramento baptifmi, confirmationis, & ordinationis confertur, poteft rebus à fe ad determinatum finem ordinatis imprimere ordinem phyficum intrinfecum, ac de fe ipfo activum.

Ad 2. n. *Maj.* Ad traditionem enim Ecclefiafticam non requiritur traditio pofitiva omnium Ecclefiarum, fed fufficit traditio unius Ecclefiæ Apoftolicæ, hoc eft, fundatæ ab uno Apoftolo. Talem autem traditionem v. g. Ecclefiæ Jerofolimitanæ dari, oftendit textus Cyrilli Jerofolimitani, qui præfuit Ecclefiæ Jerofolimitanæ fundatæ à D. Jacobo. Imò etiam Ecclefiæ Mediolanenfis, cui præfuit Ambrofius, & Romanæ, cujus fenfum repræfentant Patres Occidentalis Ecclefiæ. Addo, fenfum tot Patrum, quos retuli, fundare præfumptionem, eum fuiffe univerfalem in tota Ecclefia. Alioquin tot Patres contingentes non conveniffent in unam fententiam.

Ad 3. c. a. n. c. quia dantur duo characteres, externus & internus. Ex eo, quod pro opportunitate & fine fcribentis, fiat fermo de externo, non fequitur negari internum.

Ad 4. c. a. n. c. & fuppofitum, quod regeneratio hominis confiftat in fola gratia fanctificante. Nam regeneratio confiftit partialiter etiam in virtutibus infufis, & in quadam renovatione ac nova difpofitione potentiarum ad finem cujuslibet Sacramenti. Hæc eft illa perfectio habitualis potentiarum à Deo infufa, in qua confiftit character Sacramentorum, prout fuperius oftenfum eft.

Ad 5. dico, quod dentur duo characteres, externus & internus. S. Auguftinus pro opportunitate Sermonis modo loquitur de uno, modo de altero. Hinc uno afferto non fequitur, ab iis non agnofci alterum. Imò quandoque, in eodem contextu loquuntur de utroque per Analogiam ac fimilitudinem non per æquiparationem. Sic D. Bafilius hom. *in S. Baptifma.* n. 4. fcribit: „ In acie Duces tefferam tribuunt fub fe militantibus ut & amici facilè fe invicem inclament, „ & fi in conflictu fuerint cum hoftibus commixti, queant citra confufionem fejungi. Quomodo vindicabit te Angelus? Quomodo eripiet ex hoftibus, nifi agnoverit fignaculum? „ Quomodo dicturus es, Dei fum, fi notas ac „ infignia non exhibeas? An ignoras, Exterminatorem domos fignatas præteriiffe? In his „ vero, quæ fignatæ non erant, primogenita „ occidiffe? Thefaurus non obfignatus diripi à „ furibus facilè poteft: ovi figno carenti tutò „ ftruuntur infidiæ." Cùm in hoc textu S. Bafilius à figno externo manifeftè fumat comparationem ad fignum internum, idem cenfendum eft fieri ab aliis Patribus, dum ex fignis externis faciunt illationem ad fignum initerabile, quod eft folum internum.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

De Authore Sacramentorum.

In hac Diſputatione quæruntur duo:

1. An Chriſtus omnia Sacramenta immediatè inſtituerit?
2. An Chriſtus potuerit Angelo vel homini committere poteſtatem inſtituendi Sacramenta?

QUÆSTIO I.

An Chriſtus omnia Sacramenta immediatè inſtituerit?

NOTANDUM 1. Certum eſſe, quod Chriſtus omnia Sacramenta N. T. inſtituerit. Ita enim definitum eſt à Concilio Tridentino Seſſ. 7. can. 1. de Sacramentis in genere. *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta, anathema ſit.* Quæſtio proin ſolum relinquitur, an omnia Sacramenta fuerint immediatè inſtituta à Chriſto?

NOTANDUM 2. In hac Quæſtione, an Sacramenta ſint immediatè inſtituta à Chriſto, diſtinguendum eſſe inter id, quod in Sacramentis eſt materiale, & quod in eis eſt formale. MATERIALE in Sacramentis, quod elevatur ad rationem Sacramentalem, eſt ipſa materia & verborum forma, quæ in Sacramentis adhibentur: tale materiale in baptiſmo eſt aqua, ablutio, & verba baptizantis *Ego te baptizo &c.* cùm enim ejusmodi res elementares, & verba hominum ſecundum ſe nullam habeant vim Sacramentalem, præciſè per modum materiæ Sacramentalis ſpectari debent, ſicut materia & forma ligni eſt materia ſtatuæ, forma & materia propoſitionis vel definitionis eſt materia ſyllogiſmi, materia & forma partialis oſſium, cordis &c. eſt materia hominis. FORMALE autem in Sacramentis eſt ipſa virtus collativa gratiæ.

NOTANDUM 3. Reperiri quidem aliquos ex antiquis Theologis, qui ſimpliciter ſine additio docuerunt, aliqua Sacramenta v. g. Confirmationem, & Extremam Unctionem, non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia inſtituta fuiſſe. Si autem exactè inſpiciantur, apparet, eos tantum loqui de materiali Sacramentorum, non de formali eorum; neque enim ullus illorum veterum Theologorum docuit, Apoſtolos vel Eccleſiam ſignis à ſe inſtitutis contuliſſe vim collativam gratiæ. Id patet ex eorum textibus.

PRIMUS eſt ALEXANDER de ALES, qui part. 4. Q. 9. membr. 1. ſic ſcribit: "Sine præjudicio dicendum, quod Dominus neque hoc Sacramentum (confirmationis) ut eſt Sacramentum, inſtituit, neque diſpenſavit, neque Apoſtoli. Unde Apoſtoli confirmati ſunt à Spiritu S. immediatè ſine Miniſterio & Sacramento. Sed poſtquam Apoſtoli defecerunt, inſtitutum fuit hoc Sacramentum inſtinctu Spiritus S. in Concilio (Meldenſi) quantum ad formam verborum, & materiam Sacramentalem, cui etiam Spiritus S. contulit virtutem ſanctificandi. *Et ibidem ad Object. penultimam:* "Decebat, ut Spiritus S. non in tanta daretur abundantia, quousque Dominus fuiſſet glorificatus: Juan. 7. propter quod iſtud Sacramentum debuit inſtitui non immediatè à Legislatore, ſed mediante Spiritu Sancto cooperante." *Et ad Object. ultimam:* "Sacramenta Evangelica quædam fuerunt inſtituta à Chriſto, quædam à Miniſtris Legis, ſcilicet Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, ſcilicet Pontificibus, ſed inſtinctu & cooperatione Authoris Legis, ſicut hoc Sacramentum.

SECUNDUS EST S. BONAVENTURA, qui in 4. Q. 1. ſic ſcribit: „De inſtitutione (confirmationis) diverſificantur Doctores. Quidam enim dicunt, quod formam illam Chriſtus inſtituit, & Apoſtolis tradidit. Aliter poteſt dici, & melius, ut credo, quod Chriſtus illud Sacramentum nec diſpenſavit, nec inſtituit; quia poſt Aſcenſionem decebat Apoſtolos confirmari, & Spiritum eis ad robur dari. Unde confirmati ſunt in die Pentecoſtes à Spiritu S. immediatè ſine Miniſterio & Sacramento, & ideo ipſi alios confirmabant etiam ſine verbo. Sed poſtquam Apoſtoli defecerunt, inſtituti Spiritus Sanctus hujus Sacramenti formam, cui etiam virtutem ſanctificandi dedit. *Et Q. 2.* Chriſtus hoc Sacramentum non inſtituit; quia credentes poſt ejus Aſcenſionem erant confirmandi. Unde per materiam nec formam Apoſtoli diſpenſaverunt; ſed rem hujus Sacramenti ſine forma à Spiritu Sancto immediatè acceperunt. Nam immediatè ab ipſo confirmati fuerunt, & quidem ſine elemento vel materia; quia in donatione Spiritus Sancti ſigna viſibilia apparebant, & ideo non erat opus elemento. Sed poſtea Succeſſoribus inſtitutis dandus erat vi verborum & inviſibiliter. Ideo oportebat inſtitui ſenſibile elementum. Inſtitutum eſt ergo elementum Spiritu Sancto diſtante ab ipſis Eccleſiæ Rectoribus; & quia Chriſtus non inſtituerat, nec vim ei dederat, ſecundum quod contactu ſuæ carnis dederat aquis, ideo Epiſcopi non valentes ſe ipſis materias conſecrare, conſecrari per benedictionem inſtituerunt. Et ideo materia hujus Sacramenti debet eſſe conſecrata." Ita S. Bonaventura.

NOTANDUM 4. Theologos, qui ſcripſerunt poſt Tridentinum, communiter quidem defendere, quod omnia Sacramenta ſint immediatè inſtituta à Chriſto, multos tamen ex iis aſſerere, hoc non eſſe de fide; imò juxta aliquos id tantum eſſe probabilius. Ita re ipſa docent *Morinus, Eſtius, Grandin, Du Hamel, Juenin, Tournelius, Paulus à Lugduno, P. Canali, Piette* & alii. Textus eorum ſic habent:

I. *Morinus* in Tract. *de Confirmatione.* in Proœmio: "Sacramenta juris sunt positivi, utpote cæremoniæ à Christo immediatè, aut per Apostolos & Ecclesiam institutæ.

II. *Du Hamel* in Theologia Tom. 6. *de Sacramentis.* Differt 2. c. 2. "Non videtur illud ipsum æque ad fidem pertinere, Sacramenta omnia fuisse à Christo immediatè celebrata. Neque hoc Tridentina Synodus videtur decernere. Illud quidem ùt certum statuendum est, quædam Sacramenta à Christo immediatè esse celebrata, & instituta; alia verò celebranda Apostolis demandasse.

III. *Juenin* in Commentario Historico-Dogmatico. *de Sacrament.* differt. 1. Q. 3. c. 3. in Resp. ad Object. sic scribit: "Respondeo 2. non esse de fide, quod Christus immediatè omnia Novæ Legis Sacramenta instituerit." Et differt. 7. *de Extrema Unctione.* Q. 5. Conclusionem 2. hanc ponit: "Sententia, quæ affirmat, Christum immediatè instituisse Extremam Unctionem, probabilior est negativa.

IV. *Paulus à Lugduno* Capucinus in Theologia tom. 6. differt. 7. *de Extrema Unctione.* c. 1. Licèt constet hoc Sacramentum fuisse institutum *immediatè*, licèt istud immediatè omnino de fide non sit.

V. *P. Canali* Ordinis servorum B. V. *Doctrina Catholica de Sacramentis*, edita Venetiis 1734. l. 6. *de Extrema Unctione.* disp. 2. Q. 1. n. 14. sic habet: "Non est tamen de fide tenendum, omnia Sacramenta esse immediatè instituta à Christo, quamvis sententia hoc asserens videatur magis conformis menti Tridentini.

VI. *P. Piette* Ord. Erem. S. Augustini in Theol. part. 6. *de Extrema Unctione.* ad Object. 3. Extrema unctio non est à Christo instituta &c. sic respondet: "Resp. secundum opinionem Magistri Sententiarum, S. Bonaventuræ, & Hugonis à S. Victore saltem mediatè à Christo fuisse institutam; ajunt enim Apostolos ipsam instituisse instinctu Spiritus S. & potestate sibi à Christo concessa. Cæteri vero Theologi à Christo immediatè institutam esse sustinent, prout & cætera Sacramenta, cui magis favet Tridentinum." Et part. 5. *de Confirmatione.* Q. 2. in fine. "Non est quidem à Tridentino definitum, omnia Sacramenta esse à Christo immediatè instituta, cùm tamen non appareat, per quos Christus Sacramentum Confirmationis mediatè instituerit, verosimilius dicendum videtur, ipsum esse immediatè à Christo institutum.

VII. *Grandin* in Theologia *de Sacramentis.* art. 2. Sect. 1. "Quidam veteres Theologi existimarunt, nonnulla Novæ Legis Sacramenta ab Apostolis fuisse instituta, ac proinde non nisi mediatè à Christo. Sic Hugo Victorinus, Magister, Alensis part. 4. Q. 59. membr. 3. S. Bonaventura ad dist. 17. l. 4. art. 1. Q. 3. cum quibusdam aliis dicunt Sacramentum Pœnitentiæ non fuisse institutum à Christo, sed ab Apostolis. Item idem Alensis existimat, Sacramentum Confirmationis longe post Apostolorum tempora institutum fuisse in Concilio Meldensi, anno videlicet Christi 845. quæ quidem sententia ferri nullatenus debet; sed ea, quæ asserit, commissam fuisse Apostolis à Christo quorundam Sacramentorum instituendorum potestatem, censura nulla notari potest.

VIII. *Tournelius* in Theologia *de Confirmatione.* Q. 3. art. 1. "Quamquam vera sit eorum sententia, qui docent, Christum immediatum esse omnium Sacramentorum Authorem, non tamen est de fide, etiam post Concilium Tridentinum." Et in Tract. *de Sacram. in genere.* Q. 5. a. 1. "Orthodoxi Theologi consentiunt, Christum mediatè saltem omnium Sacramentorum esse Authorem, disputant tamen, an Christus omnia immediatè instituerit, & an illud certa fide Catholica sit definitum? -- Ad fidem id pertinere oppositamque sententiam velut erroneam traducere non verentur Bellarminus, Vasquez, Becanus, Isambertus. Alii istud esse de fide pronuntiare non audent. Ita Dominicus Soto in 4. dist. 1. Q. 3. a. 2 Concl. 3. Suarez in 3. part. Q. 64. a. 4. disp. 12. Sect. 1. Estius in 4. dist. 1. §. 16. Conclusio. Christum omnia Sacramenta immediatè per se ipsum instituisse, certa quidem est ac vera sententia, non tamen de fide.

IX. *Estius* in 4. dist. 1. §. 16. "Cùm non sit à (Tridentina) Synodo definitum Sacramenta Novæ Legis omnia immediatè à Christo instituta esse, disputatur adhuc inter Catholicos, utrum omnia septem Christus immediatè & per se ipsum instituerit, an vero quorumdam instituendorum Ministerium Apostolis vel Ecclesiæ commiserit? Quæ sententia (negans omnia à Christo fuisse immediatè instituta) ut aliquid probabilitatis habeat, majore tamen probabilitate diversæ sententiæ superatur.

NOTANDUM 5. In eandem fermè horum Theologorum sententiam eunt, qui docent, à Christo non solum esse relictam Ecclesiæ potestatem determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad speciem infimam, sed etiam quoad speciem subalternam, ita ut Christus tantum requisierit aliquam materiam & formam in genere, & non in specie. De his Theologis loquitur TOURNELIUS *de Sacramentis in genere.* Q. 1. a. 4. ubi sic scribit: "Hinc inter Theologos nata est controversia, an & quomodo Christus singulorum Sacramentorum materiam & formam determinaverit. Observandum autem, res, & verba duobus modis à Christo determinari potuisse, in genere scilicet & in specie. In genere quidem, si tantum præscripsit, assumendum esse signum aliquod exterius aptum & idoneum ad finem Sacramenti significandum; Ecclesiæ vero potestatem fecerit, tale signum eligendi & determinandi. In specie vero, si ipsemet Christus signum illud notaverit, & determinaverit. Idem de verbis, quæ formæ rationem habent, dicendum. -- Qui affirmant, Christum determinasse in specie materiam & formam, his ducuntur momentis. -- Qui ex adverso existimant, non in specie, sed in genere duntaxat Christum Sacramentorum res & verba determinasse, Ecclesiæ suæ data libertate, ea speciatim assignandi, ii hac ma-

„ ximeratione moventur. -- Ad momenta prio„ ris sententiæ reponunt. -- En momenta, qui„ bus utraque sententia innititur. Utraque suos „ habet Catholicos defensores; utramque pro„ babilem judicamus." Ita Tournelius, qui, dum affert Solutiones Argumentorum primæ sententiæ, videtur potius aquiescere sententiæ secundæ.

DICO: Certum est, Christum omnia Sacramenta immediatè instituisse.

PROBATUR. InstituereSacramentaest conferre vim collativam gratiæ dependenter ab applicatione signorum idoneorum in ordine ad fines determinatos. Sed certum est, Christum immediatè contulisse vim ejusmodi collativam gratiæ dependenter ab applicatione signorum idoneorum in ordine ad determinatos fines. ergo. *Min. patet*; ex perpetua & uniformi traditione omnium Doctorum Ecclesiæ proximè referenda. *Maj. prob.* instituere Sacramenta est tribuere formam Sacramentalem materiæ aliunde præsuppositæ. Sed conferre vim collativam gratiæ dependenter ab applicatione signorum idoneorum in ordine ad fines determinatos est tribuere formam Sacramentalem materiæ aliunde præsuppositæ. ergo. *Maj. prob.* Illud est causa reiphysica, quod tribuit formam materiæ aliunde præsuppositæ, v. g. ignis A. respectu ignis B. producti ex ligno; illud etiam est causa artificialis, quod tribuit formam artificialem materiæ aliunde præsuppositæ v. g. Statuarius introducendo formam Mercurii in lignum, Architectus, Sutor &c. respectu domus, calcei &c. omnes enim artes nihil aliud faciunt, nisi ut introducant formam in materiam idoneam aliunde præsuppositam. Denique etiam in moralibus illud est causa moralis, quod ponit formam toti composito morali. Sic Plato dicitur Author definitionis, Aristoteles Syllogismi; quia invenerunt formam definitionis, & formam Syllogismi; Sic illi dicuntur Fundatores alicujus Religiosi Ordinis, Fundatores Instituti, Fundatores Reipublicæ, qui tribuerunt determinatam formam vivendi certo generi personarum aliunde præsupposito. Ergo etiam ille dicendus est immediatus Institutor Sacramentorum, qui materiæ aliunde præsuppositæ tribuit formam Sacramentalem.

PROBATUR 2. Illud est certum, quod habetur ex constanti & uniformi traditione omnium Doctorum Catholicorum. Sed Christum immediatè instituisse omnia Sacramenta, habetur ex constanti & uniformi traditione omnium Doctorum Catholicorum. Ergo. *Min. prob.* immediatè instituere Sacramenta nihil aliud est, quàm conferre vim collativam gratiæ dependenter ab applicatione signorum idoneorum in ordine ad fines determinatos. Sed ejusmodi vim contulisse Christum, habetur ex constanti & uniformi traditione omnium Doctorum Catholicorum. Ergo. *Min. prob.* etiam illi Catholici Doctores, qui aut simpliciter asserunt, Christum non instituisse omnia Sacramenta, aut Christum non instituisse omnia Sacramenta immediatè, sed mediatè, eam institutionem aut immediationem tantum referunt ad materiale Sacramentorum, non autem ad formale seu vim collativam gratiæ dependentem ab applicatione signorum idoneorum ad fines determinatos. Ergo. *a. prob.* ab inductione.

PRIMUS, qui objici solet, est HUGO à S. VICTORE, qui *parte decima quinta cap.* 2. sic scribit: *Sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolo institutum legitur.* Quod tamen Hugo solum loquatur de eo, quod est materiale in hoc Sacramento, aut omninò tantum *de institutione observantiæ*, manifestum est legenti ea, quæ scribit *parte nona.* cap. 2. & 4. ubi clarè docet, vim significativam & collativam gratiæ universim in omnibus Sacramentis pertinere ad solum Christum. c. 1. sic habet: "Sacramentum est Sacræ „ rei signum, quemadmodum enim in homine „ duo sunt, corpus & anima; & in Scriptura „ duo similiter, littera & sensus; sic & in omni „ Sacramento aliud est, quod visibiliter tractatur foris; & aliud, quod iuvisibiliter creditur, „ & percipitur. Quod foris est visibile & mate„ riale, Sacramentum est, quod intus est invisi„ bile & spirituale, res sive virtus Sacramenti, „ semper tamen Sacramentum est. Sed quia „ non omne signum rei Sacræ Sacramentum dici „ potest, si quis perfectius Sacramentum defini„ re voluerit, dicere potest; Sacramentum est „ materiale elementum, foris sensibiliter propo„ situm, ex similitudine repræsentans, & ex in„ stitutione significans, & ex sanctificatione con„ tinens aliquam invisibilem & spiritualem gra„ tiam. In Sacramento inveniuntur tria; re„ præsentatio ex similitudine, significatio ex in„ stitutione, virtus ex Sanctificatione. Ipsa „ similitudo ex creatione est; sic v. g. omnis „ aqua ex naturali qualitate habet similitudinem „ quamdam cum gratia Spiritus Sancti; quia sicut „ hæc abluit sordes corporum, ita illa mundat „ inquinamenta animarum. Ex hac ingenita „ qualitate omnis aqua spiritualem gratiam repræ„ sentare habuit, priusquam etiam illam ex su„ peraddita institutione significavit. Venit au„ tem Salvator, & instituit visibilem aquam per „ ablutionem corporum ad significandam invi„ sibilem per spiritualem gratiam emundationem „ animarum. Ad hunc modum in cæteris quo„ que Sacramentis hæc tria considerare oportet. *Dein c.* 4. *Hugo sic pergit*: „Quod elementa Sa„ cramenta sint, non natura facit, sed apposita „ institutio & infusa gratia; quæ duo si elementa „ non accepissent, Sacramenta propriè esse non „ possent. Dedit primò natura Sacramentis hu„ militatem (elementarem) ut hoc esse possent: „ quod factum per Creatorem. Institutio addit „ authoritatem. Ut hoc fierent, propositum est „ per Redemptorem. Superaddit tertiò benedi„ ctio sanctitatem. Prima (Sacramentorum pro„ prietas) facta est per Creatorem; secunda pro„ posita est per Salvatorem; tertia administrata „ per dispensatorem. Primum Creator vasa „ (gratiæ, nempe elementa) formavit. Postea „ Salvator per institutionem eadem proposuit. „ Postremò Dispensator per benedictionem hæc „ ipsa mandavit, & gratia implevit. Creavit pri„ mum Deus per se & in suo, hoc est, solus & in „ Majestate. Instituit postea Salvator per se

„ quidem, sed in nostro, hoc est, solus & in „ humanitate. Sanctificat postremo Sacerdos „ neque per se, neque solus, quoniam Deus per „ hominem sanctificat. *Et c. 5. idem Hugo ait*: „ Institutio Sacramentorum, quantum ad Deum „ Authorem, dispensationis est, quantum ad hominem obedientem necessitatis." Ita Hugo; ex cujus verbis liquet, quòd in omnibus Sacramentis agnoscat Christum pro Institutore, & Deum pro Authore, ut proin in illo textu, ubi Apostolum agnoscit pro Institutore *Extremæ Unctionis*, id solum intelligere potuerit de institutione ejus, quod est materiale in hoc Sacramento, vel solum de institutione observantiæ, ita ut Apostolus primus hoc Sacramentum observari mandaverit, & in praxin redegerit.

Alter, qui objicitur, est ALENSIS; sed hic, prout patet ex ejus textu, eam institutionem solum restringit *ad formam verborum*, & *materiam elementarem*, quæ solum constituunt *materiale Sacramentorum*.

Tertius est S. BONAVENTURA. Verùm ùt bene doctus *P. Bontempi* observat; ille expressè docet, quòd Christus omnia Sacramenta instituerit quoad *formale*; & quoad *materiale*, ea saltem in genere NB. insinuaverit. S. Bonaventura *sexta parte Breviloquii* c. 4. sic scribit: „De institutione „ Sacramentorum hoc tenendum est, quòd septem Sacramenta legis gratiæ Christus instituit. „ Instituit autem prædicta Sacramenta diversimodè. Quædam scilicet ex eis approbando, „ confirmando, & in actu secundo ponendo, ut „ Matrimonium & Pœnitentiam. Quædam autem insinuando, initiando, ut confirmationem „ & extremam unctionem. Quædam verò initiando & consummando, & in semetipso suscipiendo, ut Sacramentum Baptismi, Eucharistiæ & ordinis." Idem habet l. 6. Compend. Theol. c. 3. Idem in 4. dist. 22. art. 2. qu. 1. scribit: „In lege nova instituta fuit *(pœnitentia Sacramentalis)* quantum ad formale, quod est absolutio Sacerdotalis, & ligatio, & quantum ad „ materiale, quod est quædam lucida & aperta „ confessio non solùm in generali, sed etiam in „ speciali. Et primum Dominus instituit per se, „ & promulgavit, scilicet clavium potestatem „ Joan. 20. post resurrectionem. Secundum „ verò institutum fuit per Apostolos, vel ut melius dicam, promulgatum; quia Dominus Apostolos docuit, & ipsi à Domino docti, & authoritate ab ipso accepta primò ejus authoritate promulgarunt." Idem Doctor Seraphicus docet in 4. dist. 17. part. 2. q. 3. ubi sic scribit: „Cùm Ecclesia fuit instituta, & homines labi cœperunt, tunc remedium, ne desperarent „ vel contemnerent, publicari oportuit. Et „ ideo per Apostolos confessio debet institui authoritate sibi Domino in clavibus tradita, in „ quibus potestatem acceperunt sanandi."

Ne autem quis præfata verba S. Bonaventuræ ita exponeret, quasi tantùm admitteret nudam promulgationem formæ & materiæ à Christo determinatæ in specie explicita, quin opus foret aliqua determinatione Apostolica quoad materiale Sacramentorum, id ipsemet declarat in 4. dist. 23. a. 1. q. 2. c. ubi ait: „Aliqui dicere voluerunt, omnia Sacramenta instituta fuisse à Christo; si autem Apostoli dicuntur aliqua instituisse, hoc est, quia institutionem promulgaverunt. Sed tamen, cum in Evangelio sufficienter lex evangelica exprimatur, quomodo „ probabile est, ut omnes Evangelistæ sic sub silentio tam nobilia Sacramenta pertransiissent, „ si Christus ea instituisset? Et ideo alii probabilius dicunt, & Magister hoc apertè dicit, „ quòd Spiritus S. per Apostolos hoc Sacramentum *(extremæ unctionis)* instituit, sicut supra dictum est de Sacramento Confirmationis. Et „ exemplo patet; quia Apostoli, Spiritu dictante, formam baptismi à Christo institutam & „ confirmatam ad tempus mutaverunt; quanto „ magis, quòd Christus insinuavit, instituere potuerunt? Et quòd ita fuerit congruum, manifestum est; quia hæc duo Sacramenta, Confirmatio & extrema Unctio, significant gratiam „ in tali statu, quæ proprie competit legi novæ, „ secundùm quam inungatur quis in pugilem, ut „ pro Christo audeat mori, & ut in regnum cœlorum possit introire. Ideo hæc duo Sacramenta à Christo fuerunt insinuata, sed post à „ Spiritu fuerunt instituta. Sic patet, quomodo congruentissimè statuta & instituta sint Ecclesiastica Sacramenta. Concedendæ igitur „ sunt rationes probantes Spiritum S. per Apostolos hoc Sacramentum instituisse. *Et ad* 1. „ Dicendum, quòd Spiritus S. supplevit hoc, „ quod ipse Dominus dimiserat in doctrina. Unde sicut supplevit, quod deerat de doctrina, „ ita etiam de institutione - Nec sunt duo legislatores Christus & Spiritus S. *Et ad* 2. „ Deus immediatè loquebatur Moysi, & post „ Moyses præcipiebat populo, sicut nuntius Dei „ & Minister. Sic Spiritus S. Apostolis, & ipsi ùt „ ministri populis exponebant. Unde Sacramentorum institutionem non attribuimus nisi „ Deo, vel per Filium, vel per Spiritum S. Nec „ credendum est, quemquam Apostolorum hoc „ per se instituisse, sed totum Collegium; sed Jacobus promulgavit. Et per hoc patet, quia „ institutio Sacramentorum respicit Deum ùt „ authorem, & Apostolos respicit ùt Ministros „ in promulgando. *Et ad* 3. Dicendum, quod „ ibi *(quando Apostoli ægros ungebant oleo)* non fuit „ hoc Sacramentum institutum, sed insinuatum. „ IDEM *ibidem q.* 3. *c. ait*: Quoniam Christus per „ semetipsum instituit baptismum, qui per semetipsum potuit sanctificare baptismum & Eucharistiam; ideo non est alia consecratio præparans necessaria, sed solùm ad solennitatem „ facit. Sed hoc Sacramentum *(extremæ Unctionis)* Spiritus S. instituit per Apostolos, qui non „ poterant sanctificare, nisi per Deum, ideo materia non est simplex elementum, sed oleum „ per verbum & invocationem Spiritus S. consecratum per verbum Episcoporum, ut, sicut „ Spiritum S. instituit per Apostolos, sit etiam „ nunc consecrata per Episcopos." Hi omnes textus B. Bonaventuræ ostendunt, quod solùm Deum ac Christum agnoscat pro authore & institutore Sacramentorum quoad vim collativam gratiæ, quamvis quoad materiale Deus ac „Spiri-

„ Spiritus S. ea instituerit præcisè sequendo & „ promulgando instinctum Spiritûs Sancti.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Patres non agnoscunt Christum pro immediato authore Sacramentorum. Ergo non est certum, ea fuisse immediatè instituta à Christo. *Ant. patet.* 1. Dionysius l. de cœlesti Hierarch. c. 1. ait: Primi Sacerdotalis muneris Duces visibilibus signis cœlestia Sacramenta texuerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.

2. S. Augustinus Epist. 178. c. 1. comparans jugum Christi cum Moysaico dicit: Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, dignitate præstantissimis societatem novi populi colligavit, sicut est baptismus nomine Trinitatis consecratus, & communicatis sanguinis & corporis ipsius, & si quid aliud in Canonicis Scripturis commendatur. Et paulò post. Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis conciliis commendata atque instituta retineri.

3. D. Cyprianus Serm. *de lotione pedum* ait: Ipse summus Sacerdos sui Sacramenti institutor & author est. In cæteris homines Spiritum S. habuere Doctorem.

RESPONDEO. n. a. *ad* 1. dist. Texuerunt Sacramenta determinando materiam & formam Sacramentorum quoad speciem infimam, & instituta divina cum accomodis cæremoniis Ecclesiasticis contexendo. c. determinando materiam & formam Sacramentorum quoad rationem prorsus genericam, aut conferendo vim collativam gratiæ. n. Sensus patet ex dictis NOTANDO 5.

Ad 2. dist. Dicit hoc D. Augustinus loquendo simul de Sacramentis & Sacramentalibus, seu cæremoniis Ecclesiasticis. c. loquendo solùm de Sacramentis. n. S. Augustinus primo loco loquitur de Sacramentis, tam iis, quæ in Scriptura exprimuntur, quàm de aliis, quæ solùm implicitè insinuantur. Sed in secundo loco agit de Sacramentalibus tantùm & cæremoniis Ecclesiasticis, quæ ab Ecclesia instituta sunt.

Ad 3. dico, eum sermonem non esse S. Cypriani, prout Bellarminus & alii observant: cujuscunque authoris tamen sit. dist. In cæteris multis homines Spiritum S. habuere Doctorem. c. in cæteris omnibus. n. Si enim ille author loqueretur de omnibus aliis Sacramentis, sequeretur, quòd nec baptismus, nec pœnitentia, nec Sacramentum ordinis haberet pro institutore Christum; quòd non solum est falsum, sed etiam contra multos textus S. Cypriani. Itaque dicendum, quòd Author illius sermonis tantùm faciat oppositionem inter Eucharistiam, & alias cæremonias varias Ecclesiasticas, quæ solùm fuerunt institutæ ab Ecclesia, præsertim eas, quæ concomitantur Sacramentum Eucharistiæ, v. gr. Agape, lotio pedum, missio panum benedictorum ex Sacrificio Missæ &c.

OBJICITUR 2. Etiam Magister Sententiarum, & Durandus, & Marsilius docuerunt, non omnia Sacramenta fuisse instituta à Christo. ergo non est certum, omnia Sacramenta fuisse instituta immediatè à Christo. *Ant. patet.* 1. Magister Sententiarum l. 4. dist. 23. de Sacramento extremæ unctionis loquens ait: *Hoc Sacramentum ab Apostolis institutum legitur.* 2. Durandus in 4. dist. 26. dicit, quòd matrimonium non conferat gratiam sanctificantem. Ergo cum instituere Sacramenta juxta nos sit conferre vim collativam gratiæ, hoc Sacramentum juxta Durandum non potest esse institutum à Christo. Durandus sic scribit: *Tertiò arguitur sic: Sacramentum autem confert gratiam non habenti, nisi ponat obicem, aut si habet, auget eam. Sed matrimonium nullum istorum facit. Ergo non est univocè Sacramentum, sicut alia Sacramenta novæ legis.*

3. Marsilius in 4. qu. 14. docet, quod non omnia Sacramenta fuerint instituta à Christo.

RESPONDEO. n. a. *ad* 1. dist. Dicit, esse institutum institutione observantiæ ab Apostolis. c. institutione potestatis. n. Sensus est, quòd Apostoli eam potestatem, quam Christus contulit, primùm in actum redegerint. Vel RESPONDEO 2. dist. Est institutum institutione ejus, quod est in Sacramento materiale, saltem in specie. tr. institutione ejus, quod est in Sacramento formale. n. sensus patet ex superius dictis.

Ad 2. tr. a. dist. c. Si etiam juxta Durandum idem sit conferre gratiam & instituere Sacramenta. c. secùs. n. Durandus eo loco expressè docet, quòd Christus instituerit Sacramentum matrimonii; sed ad rationem Sacramenti non requirit collationem gratiæ sanctificantis vel ejus augmentum, sed tantùm ut sit signum rei sacræ. Et hinc negat, septem Sacramenta convenire inter se univocè, licèt non neget, hoc Sacramentum ex sua natura & ex institutione Christi habere ordinem ad gratiam actualem, vel ad aliam gratiam remissivam culpæ in actu conjugii, qui de se foret inordinatus sine speciali permissione & approbatione divina, qualis jam dabatur Adamo.

Ad 3. nego; eam quæstionem 14. esse Marsilii. In mea enim editione Argentinensi de anno 1501. habentur tantùm quæstiones tredecim. Ipse autem Marsilius in 4. qu. 5. a. 2. sic scribit: *Sacramentum Confirmationis est à Christo institutum originaliter; at licèt à Christo fuerit ostensus Apostolis modus manuum impositione & forma expressione, non tamen videtur eo Christus in opere usus. Quia cum sit à Christo, & non quoad exercitium, necesse est, ut sit ab eo quoad usus modum, puta, quia modum eis expressit, & formam tradidit.* Ita Marsilius l. c. Concl. 3. & 4.

OBJICITUR 3. Si esset certum, omnia Sacramenta esse immediatè instituta à Christo, id etiam esset de fide. Sed hoc non potest dici. ergo. *Maj. prob.* omnis Conclusio deducta ex una præmissa revelata, & altera certa, est de fide. ergo.

2. Si hoc esset certum saltem sententia opposita mereretur censuram, quod sit temeraria, periculosa in fide, propinqua hæresi &c.

RESPONDEO n. *Maj. ad prob.* dist. Omnis Conclusio deducta ex una revelata & altera metaphysice certa. c. tantum moraliter certa. n.

„ quidem, sed in nostro, hoc est, solus & in „ humanitate. Sanctificat postremo Sacerdos „ neque per se, neque solus, quoniam Deus per „ hominem sanctificat. *Et c. 5. idem Hugo ait*: „ Institutio Sacramentorum, quantum ad Deum „ Authorem, dispensationis est, quantum ad hominem obedientem necessitatis." Ita Hugo; ex cujus verbis liquet, quòd in omnibus Sacramentis agnoscat Christum pro Institutore, & Deum pro Authore, ut proin in illo textu, ubi Apostolum agnoscit pro Institutore *Extremæ Unctionis*, id solum intelligere potuerit de institutione ejus, quod est materiale in hoc Sacramento, vel solum de institutione observantiæ, ita ut Apostolus primus hoc Sacramentum observari mandaverit, & in praxin redegerit.

Alter, qui objicitur, est ALENSIS; sed hic, prout patet ex ejus textu, eam institutionem solum restringit *ad formam verborum*, & *materiam elementarem*, quæ solum constituunt *materiale Sacramentorum*.

Tertius est S. BONAVENTURA. Verùm ùt bene doctus *P. Bontempi* observat; ille expressè docet, quòd Christus omnia Sacramenta instituerit quoad *formale*; & quoad *materiale*, ea saltem in genere NB. insinuaverit. S. Bonaventura *sexta parte Breviloquii* c. 4. sic scribit: „De institutione „ Sacramentorum hoc tenendum est, quòd septem Sacramenta legis gratiæ Christus instituit. „ Instituit autem prædicta Sacramenta diversimodè. Quædam scilicet ex eis approbando, „ confirmando, & in actu secundo ponendo, ut „ Matrimonium & Pœnitentiam. Quædam autem insinuando, initiando, ut confirmationem „ & extremam unctionem. Quædam verò initiando & consummando, & in semetipso suscipiendo, ut Sacramentum Baptismi, Eucharistiæ & ordinis." Idem habet l. 6. Compend. Theol. c. 3. Idem in 4. dist. 22. art. 2. qu. 1. scribit: „In lege nova instituta fuit (*pœnitentia Sacramentalis*) quantum ad formale, quod est absolutio Sacerdotalis, & ligatio, & quantum ad „ materiale, quod est quædam lucida & aperta „ confessio non solùm in generali, sed etiam in „ speciali. Et primum Dominus instituit per se, „ & promulgavit, scilicet clavium potestatem „ Joan. 20. post resurrectionem. Secundum „ verò institutum fuit per Apostolos, vel ut meliùs dicam, promulgatum; quia Dominus Apostolos docuit, & ipsi à Domino docti, & authoritate ab ipso accepta primò ejus authoritate promulgarunt." Idem Doctor Seraphicus docet in 4. dist. 17. part. 2. q. 3. ubi sic scribit: „Cùm Ecclesia fuit instituta, & homines labi cœperunt, tunc remedium, ne desperarent „ vel contemnerent, publicari oportuit. Et „ ideo per Apostolos confessio debet institui authoritate sibi Domino in clavibus tradita, in „ quibus potestatem acceperunt sanandi."

Ne autem quis præfata verba S. Bonaventuræ ita exponeret, quasi tantùm admitteret nudam promulgationem formæ & materiæ à Christo determinatæ in specie explicita, quin opus foret aliqua determinatione Apostolica quoad materiale Sacramentorum, id ipsemet declarat in 4. dist. 23. a. 1. q. 2. c. ubi ait: „Aliqui dicere voluerunt, omnia Sacramenta instituta fuisse à Christo; si autem Apostoli dicuntur aliqua instituisse, hoc est, quia institutionem promulgaverunt. Sed tamen, cum in Evangelio sufficienter lex evangelica exprimatur, quomodo „ probabile est, ut omnes Evangelistæ sic sub silentio tam nobilia Sacramenta pertransiissent, „ si Christus ea instituisset? Et ideo alii probabilius dicunt, & Magister hoc apertè dicit, „ quòd Spiritus S. per Apostolos hoc Sacramentum (*extremæ unctionis*) instituit, sicut supra dictum est de Sacramento Confirmationis. Et „ exemplo patet; quia Apostoli, Spiritu dictante, formam baptismi à Christo institutam & „ confirmatam ad tempus mutaverunt; quanto „ magis, quòd Christus insinuavit, instituere potuerunt? Et quòd ita fuerit congruum, manifestum est; quia hæc duo Sacramenta, Confirmatio & extrema Unctio, significant gratiam „ in tali statu, quæ proprie competit legi novæ, „ secundùm quam inungatur quis in pugilem, ut „ pro Christo audeat mori, & ut in regnum cœlorum possit introire. Ideo hæc duo Sacramenta à Christo fuerunt insinuata, sed post à „ Spiritu fuerunt instituta. Sic patet, quomodo congruentissimè statuta & instituta sint Ecclesiastica Sacramenta. Concedendæ igitur sunt rationes probantes Spiritum S. per Apostolos hoc Sacramentum instituisse. *Et ad* 1. „ Dicendum, quòd Spiritus S. supplevit hoc, „ quod ipse Dominus dimiserat in doctrina. Unde sicut supplevit, quod deerat de doctrina, „ ita etiam de institutione. Nec sunt duo legislatores Christus & Spiritus S. *Et ad* 2. „ Deus immediatè loquebatur Moysi, & post „ Moyses præcipiebat populo, sicut nuntius Dei „ & Minister. Sic Spiritus S. Apostolis, & ipsi ùt „ ministri populis exponebant. Unde Sacramentorum institutionem non attribuimus nisi „ Deo, vel per Filium, vel per Spiritum S. Nec „ credendum est, quemquam Apostolorum hoc „ per se instituisse, sed totum Collegium; sed Jacobus promulgavit. Et per hoc patet, quia „ institutio Sacramentorum respicit Deum ùt „ authorem, & Apostolos respicit ùt Ministros „ in promulgando. *Et ad* 3. Dicendum, quod „ ibi (*quando Apostoli ægros ungebant oleo*) non fuit „ hoc Sacramentum institutum, sed insinuatum. „ IDEM *ibidem q. 3. c. ait*: Quoniam Christus per „ semetipsum instituit baptismum, qui per semetipsum potuit sanctificare baptismum & Eucharistiam; ideo non est alia consecratio præparans necessaria, sed solùm ad solennitatem „ facit. Sed hoc Sacramentum (*extremæ Unctionis*) Spiritus S. instituit per Apostolos, qui non „ poterant sanctificare, nisi per Deum, ideo materia non est simplex elementum, sed oleum „ per verbum & invocationem Spiritus S. consecratum per verbum Episcoporum, ut, sicut „ Spiritum S. instituit per Apostolos, sit etiam „ nunc consecrata per Episcopos." Hi omnes textus B. Bonaventuræ ostendunt, quod solùm Deum ac Christum agnoscat pro authore & institutore Sacramentorum quoad vim collativam gratiæ, quamvis quoad materiale Deus ac „Spiri-

„ Spiritus S. ea instituerit præcisè sequendo & „ promulgando instinctum Spiritûs Sancti.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Patres non agnoscunt Christum pro immediato authore Sacramentorum. Ergo non est certum, ea fuisse immediatè instituta à Christo. *Ant. patet.* 1. Dionysius l. de cœlesti Hierarch. c. 1. ait: Primi Sacerdotalis muneris Duces visibilibus signis cœlestia Sacramenta texuerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.

2. S. Augustinus Epist. 178. c. 1. comparans jugum Christi cum Moysaico dicit: Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, dignitate præstantissimis societatem novi populi colligavit, sicut est baptismus nomine Trinitatis consecratus, & communicatis sanguinis & corporis ipsius, & si quid aliud in Canonicis Scripturis commendatur. Et paulò post. Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis conciliis commendata atque instituta retineri.

3. D. Cyprianus Serm. *de lotione pedum* ait: Ipse summus Sacerdos sui Sacramenti institutor & author est. In cæteris homines Spiritum S. habuere Doctorem.

RESPONDEO. n. a. *ad* 1. dist. Texuerunt Sacramenta determinando materiam & formam Sacramentorum quoad speciem infimam, & instituta divina cum accomodis cæremoniis Ecclesiasticis contexendo. c. determinando materiam & formam Sacramentorum quoad rationem prorsus genericam, aut conferendo vim collativam gratiæ, n. Sensus patet ex dictis NOTANDO 5.

Ad 2. dist. Dicit hoc D. Augustinus loquendo simul de Sacramentis & Sacramentalibus, seu cæremoniis Ecclesiasticis. c. loquendo solùm de Sacramentis. n. S. Augustinus primo loco loquitur de Sacramentis, tam iis, quæ in Scriptura exprimuntur, quàm de aliis, quæ solùm implicitè insinuantur. Sed in secundo loco agit de Sacramentalibus tantùm & cæremoniis Ecclesiasticis, quæ ab Ecclesia instituta sunt.

Ad 3. dico, eum sermonem non esse S. Cypriani, prout Bellarminus & alii observant: cujuscunque authoris tamen sit. dist. In cæteris multis homines Spiritum S. habuere Doctorem. c. in cæteris omnibus. n. Si enim ille author loqueretur de omnibus aliis Sacramentis, sequeretur, quòd nec baptismus, nec pœnitentia, nec Sacramentum ordinis baberet pro institutore Christum; quòd non solum est falsum, sed etiam contra multos textus S. Cypriani. Itaque dicendum, quòd Author illius sermonis tantùm faciat oppositionem inter Eucharistiam, & alias cæremonias varias Ecclesiasticas, quæ solùm fuerunt institutæ ab Ecclesia, præsertim eas, quæ concomitantur Sacramentum Eucharistiæ, v. gr. Agape, lotio pedum, missio panum benedictorum ex Sacrificio Missæ &c.

OBJICITUR 2. Etiam Magister Sententiarum, & Durandus, & Marsilius docuerunt, non omnia Sacramenta fuisse instituta à Christo. ergo non est certum, omnia Sacramenta fuisse instituta immediatè à Christo. *Ant. patet.* 1. Magister Sententiarum l. 4. dist. 23. de Sacramento extremæ unctionis loquens ait: *Hoc Sacramentum ab Apostolis institutum legitur.* 2. Durandus in 4. dist. 26. dicit, quòd matrimonium non conferat gratiam sanctificantem. Ergo cum instituere Sacramenta juxta nos sit conferre vim collativam gratiæ, hoc Sacramentum juxta Durandum nun potest esse institutum à Christo. Durandus sic scribit: *Tertiò arguitur sic: Sacramentum autem confert gratiam non habenti, nisi ponat obicem, aut si habet, auget eam. Sed matrimonium nullum istorum facit. Ergo non est univocè Sacramentum, sicut alia Sacramenta novæ legis.*

3. Marsilius in 4. qu. 14. docet, quod non omnia Sacramenta fuerint instituta à Christo.

RESPONDEO. n. a. *ad* 1. dist. Dicit, esse institutum institutione observantiæ ab Apostolis. c. institutione potestatis. n. Sensus est, quòd Apostoli eam potestatem, quam Christus contulit, primùm in actum redegerint. Vel RESPONDEO 2. dist. Est institutum institutione ejus, quod est in Sacramento materiale, saltem in specie. tr. institutione ejus, quod est in Sacramento formale. n. sensus patet ex superiùs dictis.

Ad 2. tr. a. dist. c. Si etiam juxta Durandum idem sit conferre gratiam & instituere Sacramenta. c. secùs. n. Durandus eo loco expressè docet, quòd Christus instituerit Sacramentum matrimonii; sed ad rationem Sacramenti non requirit collationem gratiæ sanctificantis vel ejus augmentum, sed tantùm ut sit signum rei sacræ. Et hinc negat, septem Sacramenta convenire inter se univocè, licèt non neget, hoc Sacramentum ex sua natura & ex institutione Christi habere ordinem ad gratiam actualem, vel ad aliam gratiam remissivam culpæ in actu conjugii, qui de se foret inordinatus sine speciali permissione & approbatione divina, qualis jam dabatur Adamo.

Ad 3. nego; eam quæstionem 14. esse Marsilii. In mea enim editione Argentinensi de anno 1501. habentur tantùm quæstiones tredecim. Ipse autem Marsilius in 4. qu. 5. a. 2. sic scribit: *Sacramentum Confirmationis est à Christo institutum originaliter; at licèt à Christo fuerit ostensus Apostolis modus manuum impositione & forma expressione, non tamen videtur eo Christus in opere usus. Quia cum sit à Christo, & non quoad exercitium, necesse est, ut sit ab eo quoad usus modum, puta, quia modum eis expressit, & formam tradidit.* Ita Marsilius l. c. Concl. 3. & 4.

OBJICITUR 3. Si esset certum, omnia Sacramenta esse immediatè instituta à Christo, id etiam esset de fide. Sed hoc non potest dici. ergo. *Maj. prob.* omnis Conclusio deducta ex una præmissa revelata, & altera certa, est de fide. ergo.

2. Si hoc esset certum saltem sententia opposita mereretur censuram, quod sit temeraria, periculosa in fide, propinqua hæresi &c.

RESPONDEO n. *Maj. ad prob.* dist. Omnis Conclusio deducta ex una revelata & altera metaphysice certa. c. tantum moraliter certa. n.

M 3. Sup-

Suppono ex Tract. *de Fide*. Conclusionem Theologicam deductam ex una præmissa revelata, & altera moraliter certa non esse de fide; quia adhuc est fallibilis.

Ad 2. dist. *Maj.* Si esset certa, certitudine metaphysica, vel certitudine morali per Ecclesiam declarata. c. si esset certa certitudine morali, necdum per Ecclesiam declarata. n. ad incurrendam enim censuram Theologicam non sufficit certitudo sententiæ oppositæ, sed etiam requiritur declaratio certitudinis facta per Ecclesiam, qualis in præsenti materia necdum datur. Cùm enim Innocentius XI. prohibuerit sententiis Theologorum inurere aliquam censuram theologicam sine authoritate Sedis Apostolicæ, licebit quidem suam sententiam vocare certam ex mente propria, sed non licebit ferre censuram Theologicam, nisi ea certitudo sit declarata à Sede Apostolica.

Objicitur 4. Si Christus immediatè instituisset omnia Sacramenta, vel ea instituisset ut Deus, vel ut homo? neutrum potest dici. ergo. *Min. prob.* quoad 1. membr. quia Sacramenta dicuntur fluxisse ex latere Christi. Quoad 2. membr. id probatur ex eo; quia Christus qua homo non est causa effectiva, sed tantum causa meritoria gratiæ.

Respondeo. c. *Maj.* n. *Min.* & dico, Christum instituisse Sacramenta, quatenus erat *Deus-homo*, quia ad institutionem Sacramentorum requiritur, ut consideretur tanquam fons gratiarum; talis autem nec erat ut homo, nec ut Deus, sed ut Redemptor, seu ut *homo-Deus*, & tanquam Fundator ac Sponsus Novæ Ecclesiæ.

QUÆSTIO II.

An Christus homini vel Angelo potuerit committere potestatem instituendi Sacramenta?

DICO I. Christus non potuit homini vel Angelo committere potestatem instituendi Sacramenta ejusdem rationis cum nostris Sacramentis authoritate propria, seu potestate Excellentiæ.

Probatur. Nulla pura creatura potest authoritate propria conferre gratiam sanctificantem ejusdem rationis, quæ in Sacramentis nostris confertur. Ergo nec potest authoritate propria instituere talia Sacramenta. *a. prob.* gratia sanctificans, qualis in nostris Sacramentis confertur, est intrinsecè relativa ad causam satisfactoriam de condigno pro peccatis, & ad opera de condigno meritoria vitæ æternæ consistentis in visione intuitiva Dei per essentiam. Sed talem gratiam non potest conferre pura creatura authoritate propria. ergo. *Min. prob.* pura creatura per se ipsam nec potest de condigno satisfacere pro peccato mortali, nec potest de condigno mereri visionem intuitivam Dei per essentiam. ergo.

DICO II. Potuit tamen Christus puræ creaturæ committere potestatem Instituendi Sacramenta nomine alieno, nempe suo.

Probatur. Non potest ostendi implicantia in eo, quod Christus dicat homini: dabo omnibus gratiam sanctificantem, quicunque applicaverint signum aliquod symbolicum à te instituendum, ad quemcunque finem bonum à te liberrimè determinandum tale signum symbolicum institueris. Ergo potuit committere potestatem instituendi Sacramenta suo nomine.

DICO III. Potuit Christus puræ creaturæ etiam conferre potestatem instituendi Sacramenta simul nomine proprio, & simul nomine alieno, nempe suo.

Probatur. Potuit Christus puræ creaturæ committere potestatem determinandi cæremoniam Sacramentalem ad quodcunque opus pium libitum cum promissione gratiæ, potuitque simul dicere: volo, ut ea gratia simul conferatur ex merito meo tanquam pretio condigno, & simul ex merito tuo tanquam pretio de congruo; imò potuit tali creaturæ simul conferre donum miraculosum physicè causandi gratiam sanctificantem tam in vita quam post mortem. Sed in tali casu conferret potestatem instituendi Sacramenta simul nomine suo & alieno. Ergo. *Maj. prob.* inprimis negativè; quia in hoc non potest ostendi implicantia. Dein idem probatur Authoritate D. Thomæ, qui p. 3. Q. 64. a. 4. C. sic scribit: „ Dicendum, quod Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem. Unam Authoritatis, quæ competit ei, secundum quod Deus. Et talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei, secundum quod homo. Et talem potestatem potuit Ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta, & ut ipsi possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum effectum conferre solo imperio.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra 1. Concl. 1. pura creatura potest physicè causare gratiam sanctificantem. Ergo etiam potest instituere Sacramentalem cæremoniam, dependenter à qua velit conferre eam gratiam.

2. Gratia sanctificans relativa intrinsecè ad causam meritoriam de condigno, & ad visionem Dei intuitivam per essentiam non differt specie ab alia gratia sanctificante non relativa intrinsecè ad hos terminos. Ergo non obstante illa ratione poterit creatura habere potestatem conferendi gratiam sanctificantem. *a. prob.* Relatio illa intrinseca tantum pertinet ad gradum individualem gratiæ sanctificantis, non autem ad gradum specificum. ergo.

Respondeo *ad* 1. c. a. dist. c. Ergo potest instituere cæremoniam, dependenter à qua velit conferre gratiam fallibiliter, & nomine alieno. c. infallibiliter, & nomine suo. n. In ea enim suppositione, quod creatura physicè causet gratiam, nihilominus sequeretur, quod conferret gratiam nomine alieno; quamvis enim conferens gratiam hoc

hoc nec exprimeret, nec intenderet, attamen id exprimeret ipsa gratia, quod, ut dixi, habeat relationem intrinsecam ad causam meritoriam de condigno, & satisfactoriam de condigno. Dein ille effectus non sequeretur infallibiliter; tum, quia illud donum causandi gratiam posset tolli ab homine, tum etiam, quia stante dono miraculoso posset emergere circumstantia, in qua Deus nollet concurrere ad productionem gratiæ.

Ad 2. n. a. *ad prob.* iterum n. a. quia ejusmodi relationes non præcise determinant circumstantiam existendi, sed etiam conferunt diversum gradum, dignitatem, & operationem aliam in entibus. Ac proin pertinent ad differentiam specificam unius gratiæ sanctificantis ad alteram non relativam sd eosdem terminos.

Objicitur 2. contra 2. & 3. Concl. 1. pura creatura non potest conferre infallibilitatem gratiæ. Ergo nec potest instituere Sacramenta.

2. Implicat Deum fieri causam secundam quoad collationem gratiæ, sed hoc fieret, si committeret creaturæ potestatem instituendi Sacramenta.

3. Instituere Sacramenta est illa primò statuere. Sed hoc non potest pura creatura. ergo. *Min. prob.* implicat, ut creatura instituat Sacramenta sine prævio Decreto divino potestatis collativò.

Respondeo *ad* 1. dist. Non potest conferre infallibilitatem fine promisso divino. c. cum tali promisso. n. potest enim Deus promittere, se semper cooperaturum creaturæ ad productionem gratiæ sanctificantis.

Ad 2. dist. Implicat, Deum fieri causam secundam in collatione gratiæ intentionis. c. ordine executionis. n. Verum est, quod creatura non possit habere intentionem efficacem conferendi gratiam, quin prius Deus habeat intentionem, ad gratiam producendam concurrendi, vel eam physicè causandi. In executione vero potest sinere se determinari à causa secunda, sicut facit in suo concursu ordinario ad actiones humanas liberas.

Ad 3. dist. Instituere Sacramenta est illa primo statuere per modum sublativi indifferentiæ ultimi. c. per modum collativi omnium requisitorum. n. Ad institutionem Sacramentorum concurrunt duo: unum conferens potestatem, & subsidia necessaria, attamen relicta libertate, an accipiens potestatem velit ea uti, & in quibus circumstantiis ea velit. Itaque, si quis accepta tali potestate determinet usum & circumstantias pro usu, revera talis tollet ultimam indifferentiam ad existentiam Sacramenti, & *primò statuet* Sacramentum.

Objicitur 3. Sacramentum definitur esse signum sensibile divinitus institutum. Ergo implicat illud esse institutum ab homine. *c. patet*; quia tolleretur essentiale prædicatum definitionis, adeoque tolleretur ratio & natura definiti.

2. Puræ creaturæ non potest à Deo committi potestas creandi alterum mundum. Ergo non potest ei committi potestas instituendi Sacramenta. *c. prob.* institutio Sacramentorum est majus opus, quam creatio Mundi. ergo. *a. prob.* institutio Sacramentorum est collatio gratiæ ac justificatio impii. Sed justificatio impii juxta S. Augustinum Tract. 72. in Joan. est majus opus, quam creatio Mundi. ergo.

3. Si ad institutionem Sacramentorum sufficit determinatio cæremoniæ Sacramentalis cum promissione gratiæ, sequeretur, quod in Lege Naturæ vel in Lege Moysaica actu fuerint instituta Sacramenta per hominem. Sed hoc non potest dici. ergo. *Maj. prob.* ibi à primis Patriarchis & à Moyse fuerunt determinatæ variæ cæremoniæ habentes promissionem gratiæ.

Respondeo dist. a. Definitur esse signum divinitus institutum, ita ut dicatur institutum à Deo mediatè; aut tanquam à causa principali. c. ita ut dicatur institutum à Deo tanquam à causa immediata, aut tanquam à causa totali. n. sensus patet ex dictis.

Ad 2. tr. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia in institutione Sacramentorum per creaturam tanquam causam partialem & secundariam, & agentem nomine alieno adhuc concurrit actio causæ principalis, quod non fieret in creatione alterius Mundi; in nostra enim sententia Deus semper manet tanquam causa physicè vel moraliter productiva gratiæ, eoquod creatura tantum agat alieno nomine. Dein circa productionem gratiæ dantur adhuc duo termini physicè proportionales, nempe causa productiva gratiæ dono miraculoso prædita, & subjectum receptivum gratiæ. Itaque inter hos duos terminos potest dari ordo seu consequentia existendi quoad qualitatem superadditam. Econtra in creatione alterius Mundi non dantur duo termini positivi proportionales, sed tantum creatura & nihilum alterius Mundi, in quo deberet recipi actio creativa Mundi.

Ad 3. dist. Si sufficit determinatio cæremoniæ cum promissione gratiæ cum alieno nomine facta. c. si tantum sufficit determinatio cæremoniæ Sacramentalis cum promissione gratiæ proprio nomine facta. n. Ad institutionem enim Saeramenti requiritur, ut & promissio & productio physica vel moralis gratiæ fiat, partialiter saltem, nomine proprio; quod nec in Moyse, nec in Patriarchis antiquis contigit.

Objicitur 4. Ex probatione primæ Concl. tantùm sequitur, quòd creaturæ non possit committi potestas instituendi Sacramenta ejusdem rationis cum modernis Sacramentis. Ergo saltem potest creaturæ committi potestas instituendi Sacramenta ejusdem rationis cum modernis Sacramentis. Ergo saltem potest creaturæ committi potestas instituendi Sacramenta diversæ rationis; v. g. ubi conferretur gratia homini justo ob merita instituentis, vel ubi conferrentur tantum gratiæ actuales, vel ubi ipse instituens sibimet ipsi ex opere operato conferret augmentum gratiæ.

Respondeo tr. a. n. c. Quia etiam in ejusmodi institutione Sacramentorum effectus infallibilis semper sequeretur tacitè alieno nomine; neque enim homo mereretur alteri de condigno augmentum gratiæ, neque etiam gratias actuales;

nec

nec sibi ipsi posset hoc mereri de condigno, ut ex opere operato possit in posterum in se ipso augere gratiam. Condignitas enim & valor operum de condigno dependet ex ordine intrinseco, quem habent ex sua natura. In hac autem providentia opera meritoria non ordinantur intrinsecè ex sua natura ad tales effectus hic in Objectione assignatos.

Objicitur 5. Si puræ creaturæ posset communicari potestas instituendi Sacramenta, probabilius Christus eam actu communicasset Apostolis, ac præsertim B. Virgini. Sed hoc non fecit. Ergo nec potuit fieri. *Maj. prob.* 1. Christus Joan. 20. ait: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos.*

2. Christus Joan. 14. v. 12. dicit: *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.*

3. Est aliquod axioma, quòd Christus B. Matri suæ tanta contulerit dona, quanta decenter potuit conferre.

4. Pertinet ad gradus entium in ordine gratiæ, ut detur aliqua creatura institutrix Sacramentorum. ergo datur. *a. prob.* in ordine naturæ dantur omnia suprema genera entium possibilium, idque pertinet ad perfectionem essentialem universi. ergo idem dicendum in ordine gratiæ.

Respondeo n. *Maj. ad* 1. dist. Christus id dicit, comparatione facta delegationis ad delegationem. c. facta comparatione Authoritatis ad Authoritatem. n. potestas instituendi Sacramenta non pertinet ad delegationem, ex sua natura ministerialem, ac delegatam, sed ad authoritatem.

Ad 2. dist. Majora faciet in genere miraculorum. tr. in genere operationum & meritorum, vel institutionum. n. manifestum est, ibi sermonem esse de miraculis, quorum mirabiliora in æstimatione hominum patrarunt Sancti.

Ad 3. dist. Est axioma tantum quorumdam addictorum Revelationibus non authenticis, nec approbatis ab Ecclesia. c. Theologorum respicientium ad traditionem & rationem solidam. n.

Ad 4. n. a. *ad prob.* c. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia in ordine naturæ positio omnium generum nullum post se trahit absurdum, aut malum naturæ; econtra in ordine gratiæ concessio illius potestatis obfuscaret gratiam capitis, & nimis divideret fiduciam hominum inter Deum & creaturam. Est autem generale principium; nullum bonum naturæ vel gratiæ esse eligibile à Deo, quodjuxta rationem melioris ponderatum est connexum cum majori malo, quam est bonum, quod eligeretur.

DISPUTATIO V.

De Ministro Sacramentorum.

In hac Disputatione examinabitur

1. Quis sit Minister Sacramentorum?
2. Utrum in Ministro ad validam ac licitam administrationem Sacramentorum requiratur intentio virtualis, vel actualis, aut reflexa?
3. An in Sacramentis liceat uti intentione conditionata, vel indeterminata?
4. Quæ intentio valeat, si in Ministro habeantur duæ intentiones contrariæ?
5. An in Ministro requiratur probitas seu status gratiæ ad licitam aut validam collationem Sacramenti?

QUÆSTIO I.

Quis sit Minister Sacramentorum?

Notandum 1. Quod Scotus in 4. dist. 6. Q. 1. affirmet, Angelos etiam de lege ordinaria posse esse Ministros Sacramentorum. Alii docent, Angelos posse quidem esse Ministros Sacramentorum de lege extraordinaria, non tamen ab iis posse confici Sacramenta. Tertia sententia communis Theologorum docet, ab Angelis de potentia absoluta etiam posse confici Sacramenta, solos tamen homines esse Ministros ordinarios Sacramentorum.

Notandum 2. Alia Quæstio est, an etiam defuncti v. gr. Beati in cœlo, vel iterum resuscitati post mortem possint conficere, & administrare Sacramenta? pro sententia negativa citantur Alensis, Cabrera, Vasquez, Lugo, & alii. Pro sententia affirmativa referuntur Soto, Sylvester, Suarez, & alii.

DICO I. De Lege ordinaria soli homines sunt Ministri Sacramentorum.

Probatur 1. Ratione D. Thomæ desumpta ex Epist. ad Hebr. 5. ubi Apostolus sic habet: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.* Ergo quisquis non est ex hominibus assumptus, sicut non sunt Angeli, non constituitur in functionibus Sacerdotalibus à Deo.

Probatur 2. Authoritate D. Chrysostomi, qui l. 3. de Sacerdotio. sic scribit: „His qui „ terram incolunt, commissum est, ut ea, quæ „ in cœlis sunt, dispensent. Iis datum est, ut „ potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse „ voluit; neque enim ad illos dictum est: quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata „ & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.

DICO

DICO II. De potentia absoluta & de Lege extraordinaria possunt etiam Angeli & Beati conficere, & administrare Sacramenta.

PROBATUR 1. Negativè; quia non potest ostendi implicantia.

PROBATUR 2. Ratione & authoritate D. Thomæ, qui p. 3. Q. 64 a. 7. C. sic scribit: „Sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis." (*) Id explicatius jam prius scripserat in 4. dist. 5. Q. 2. a. 3. qq. 2. ubi ait: „Sicut Deus potentiam suam Sacramentis non alligavit, ita nec potestatem consecrandi Sacramenta alligavit aliquibus Ministris. Unde qui dedit hanc potestatem hominibus, potuit dare & Angelis.

PROBANT ALII apud Gonetum hanc conclusionem variis historiis, quibus refertur, quòd Angeli non solum Sacramenta ab aliis confecta ministraverint, sed etiam confecerint. Sic 1. S. Onuphrium Anachoretam quavis die Dominica ab Angelo Eucharistiam accepisse, idque à se ipso visum esse, testatur in vitis Patrum Abbas Paphnutius. 2. S. Agnetem de Politiano Ord. Præd. sæpius ab Angelo Eucharistiam accepisse, refertur in Bullâ Canonizationis factâ à Clemente VIII. 3. Idem contigisse S. Catharinæ Senensi refert S. Antoninus p. 3. Chron. tit. 23. c. 14. §. 8. Id ipsum de S. Aloysio, narratur in ejus vita. 4. Nicephorus l. 11. hist. c. 20. narrat, S. Amphilochium in deserto ab Angelis fuisse consecratum in Episcopum, ejusque consecrationem ratam fuisse habitam à cæteris Episcopis. 5. Legitur in historiis, varia templa fuisse consecrata ab Angelis. Tale Templum est in monte Gargano consecratum à S. Michaele Archangelo. Idem refertur de Ecclesia Einsidlensi. De Ecclesia S. Dionysii prope Parisios hæc refert Gaquinus l. 3. c 2. & 3. „Episcopi Fanum B. Dionysii à Dagoberto Rege structum dedicare 6. Kal. Mart. statuerant. Pridie Kalendarum quidam lepra admodum deformis ab æditius impetravit in æde pernoctare. Ubi dum vigil in oratione perseverat, videt perspicuè Christum, comitantibus eum Petro & Paulo una cum B. Martyribus Dionysio, Rustico, & Eleutherio per fenestram in Basilicam adventare. Ergo candida veste amictus dedicationis sacrum munus absolvit. Deinde ad lepra contaminatum progressus Christus, tu, inquit, homo dicito Pontificibus, cùm crastina luce se ad hanc ædem conferent, eam à me consecratam. Cujus rei fidem fecit infirmi hominis cura; nam contacta hominis facie lepram omnem Christus auferens, eam proximo lapidi agglutinavit, quæ ad hanc usque diem per summam admirationem visitur. Quo miraculo attoniti Præsules à dedicatione abstinuerunt." Hæ, inquam; Probationes adducuntur ab aliis, sed ego ab his abstineo.

Nam 1. quod attinet acceptionem Eucharistiæ, ea non propriè potest vocari administratio Sacramenti, cùm opus sit sola translatione locali S. Hostiæ alibi consecratæ. Addo nec istis historiis sine teste idoneo, & circumstantiis, in quibus miraculum requirebat necessitas saltem latè dicta, fidem plenam adhiberi posse. 2. Circa consecrationem S. Amphilochii opus esset teste coævo & Synchrono, non sola relatione Nicephori, qui vixit mille annis post eam historiam. 3. Circa Consecrationem Ecclesiarum, cùm ea præcise consistat in cæremonia Ecclesiastica, verosimile est, ob probabilitatem ejusmodi testium particularium vel historiarum ab Episcopis fuisse dispensatum quoad ritum Ecclesiasticum.

DICO III. Nec Beati in cælo possunt de lege ordinaria conficere Sacramenta.

PROBATUR 1. Beati, etsi appareant, non tamen possunt proferre formam Sacramentorum modo humano, per vocem articulatam humanam, seu per actionem vitalem. Ergo illæ actiones Sacramentales, quæ exercerentur à Beatis, nun substant institutioni Christi, nec haberent vim collativam gratiæ ex opere operato.

PROBATUR 2. Si daretur ea potestas in Beatis, verosimile est, eam potestatem aliquando exercendam fuisse ab aliquo Beato. Sed nunquam fuit exercita. ergo. *Min. prob.* negativè; quia nulla exstat hujus exercitii historia.

DICO IV. Resuscitati tamen post mortem sunt Ministri Ordinarii Sacramentorum, quales ante mortem fuerant.

PROBATUR. In Clericis resuscitatis nec deest character, aut ulla alia conditio requisita ad validam confectionem vel administrationem Sacramentorum: Uti nec deest in Laicis resuscitatis ulla conditio quoad validam administrationem baptismi, vel positionem materiæ in Sacramento Matrimonii.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 2. Concl. etiamsi verba formæ ab Angelo prolatæ non haberent rationem actionis vitalis humanæ, haberent tamen rationem signi sensibilis. ergo in tali Sacramento sufficienter salvaretur forma essentialis Sacramenti. *c. prob.* in Sacramentis signo sensibili tantum accidit, quod sit actio vitalis. *prob. ant.* verba formæ non fuerunt assumpta à Christo ad rationem Sacramentalem, quatenus sunt actiones vitales, aut voces articulatæ humanæ, sed quatenus sunt signa ad placitum. ergo.

2. Quidquid potest inferior, potest etiam superior. Sed Angelus est homine Superior. Ergo si homo potest de lege ordinaria conficere Sacramenta, id poterit etiam Angelus.

3. Etiam dæmon de lege ordinaria potest conficere Sacramenta. Ergo & Angelus bonus. *a. prob.* si in Energumeno dæmon ita regeret manus & linguam, ut poneretur materia & forma baptismi, ille baptismus esset validus. Sed in hoc casu conficeretur Sacramentum à dæmone. ergo.

RESPONDEO. tr. a. n. c. *ad prob.* n. a. *ad prob.* dist. Verba formæ non fuerunt assumpta à Christo, quatenus sunt actiones vitales, ita ut particula reduplicativa importet motivum assumendi hanc materiam. c. ita ut particula reduplicativa

D. Amort Tract. de Sacramentis in genere. N

(*) NB. in mea Editione Lugd. lego: attribuere ministrandi Sacramenta.

cativa importet adæquationem ſeu extenſionem objecti aſſumpti. n. quamvis ipſa vitalitas non fuerit motivum aſſumendi actionem humanam ad rationem Sacramentalem; fuit tamen vitalitas *terminus quaſi limitaneus*, quousque extenſa eſt ratio Sacramentalis ſeu vis collativa gratiæ; id enim conſtat ex eo, quia de extenſione ulteriore non conſtat, & etiam non apparet ratio aut neceſſitas ulterioris extenſionis vi præſentium decretorum.

Ad 2. diſt. Si actiones, de quibus agitur, pertinent ad ſubordinationem inferioris & ſuperioris in eodem genere. c. ſecus. n. & retorquetur in ſubordinatione Politica vel civili. Sic enim Princeps non poteſt idem, quod poteſt inferior, v. g. conficere calceos, pangere verſus, facere Syllogiſmos, advocare in cauſis forenſibus &c. quia ars Sutoria, Poetica, Logica &c. non pertinet ad ſubordinationem unius ad alium in eodem genere artis, vel naturæ, ſed in diverſo genere, ubi diverſa genera habent ſubordinationem ad eundem quemdam finem generaliſſimum.

Ad 3. n. a. *ad. prob.* diſt. Eſſet validus baptiſmus, ſi ſimul concurreret libera cooperatio Energumeni, & intentio interna libera faciendi, quod facit Eccleſia. c. ſecus. n. quod enim dæmon non habeat poteſtatem conficiendi Sacramenta, colligitur ex eo; quia alioquin ſequeretur, veram eſſe doctrinam Lutheri, qui in l. *de Miſſis privatis* & *de unctione Sacerdotum*, ſic ſcribit: „Si diabolus ipſe veniret, & ego poſtea reſcirem, diabolum ſic irrepſiſſe in officium Paſtoris Eccleſiæ in ſpecie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Eccleſia docuiſſe, celebraſſe Miſſam, & abſolviſſe à peccatis, & tali munere functum eſſe juxta inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non eſſe inefficacia, ſed verum baptiſmum, verum Evangelium, veram abſolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti nos accepiſſe.

Idem confirmatur ex praxi Epiſcoporum Orientalium, rebaptizantium baptizatos ab obſeſſis. Sic Firmilianus Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus in Epiſtola ad D. Cyprianum teſtatur, baptizatos à quadam Muliere Energumena denuò baptizatos eſſe. „Cùm baptizaret, *inquit*, multos, uſitata & legitima verba interrogationis uſurpans, ut nihil diſcrepare ab Eccleſiaſtica regula videretur, quid de hujusmodi baptiſmo dicemus, quo nequiſſimus dæmon per mulierem baptizavit? Nunquid & hoc Stephanus (Papa) & qui illi conſentiunt, comprobant? maximè cui nec Symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima & Eccleſiaſtica defuit." Ex his Firmiliani verbis colligitur, baptiſmum collatum à dæmone etiam ex ſenſu Romanæ Eccleſiæ fuiſſe judicatum invalidum.

Objicitur 2. contra 3. Concl. Si aliquis Beátus in cœlo vel Angelus de lege extraordinaria conficeret Sacramentum, illud Sacramentum non foret ejusdem rationis cum Sacramentis novæ legis. Ergo implicat, etiam de potentia extraordinaria ab iis confici Sacramentum. *a. prob.* illud Sacramentum non eſſet tale, quale eſt inſtitutum à Chriſto. ergo. *a. prob.* Sacramenta novæ legis, prout ſunt inſtitutionis Chriſti vi præſentis decreti, non ſunt inſtituta relativè ad miniſterium Angelorum. ergo.

Responneo diſt. a. Non foret ejusdem rationis quoad gradum differentialem in definitione nec expreſſum, nec attentione dignum. c. in definitione expreſſum, vel attentione dignum. n. poſſet eſſe quæſtio, an illa relatio actionis Sacramentalis ad miniſterium humanum mereatur ingredi conceptum objectivum Sacramenti à Chriſto inſtituti; & ſuppoſito, quod non ſit pura conditio, ſed etiam ingrediatur ipſum conceptum objectivum Sacramenti, adhuc ſupereſſet alia quæſtio, utrum ille gradus metaphyſicus intrinſecus Sacramento mereatur attendi in ordine ad fines & effectus Sacramenti, ut proin, etiamſi mutaret ſpeciem infimam Sacramenti in conſideratione phyſica, eam tamen non mutet in conſideratione morali, in qua nos conſideramus Sacramenta.

Objicitur 3. contra 4. Concl. Si quidam Summorum Pontificum defunctorum reſurgeret à mortuis, non poſſet validè uti poteſtate Papali. Ergo nec poſſet validè uti poteſtate Sacerdotali.

2. Si quis Sacerdos eſſet abreptus in infernum cum anima & corpore, non poſſet ibi validè conſecrare Euchariſtiam, etiamſi illi apponeretur panis & vinum. Ergo nec ea poteſtas daretur in Sacerdote reſuſcitato.

Respondeo c. a. n. c. & parit. Diſparitas eſt; quia poteſtas Pontificia non imprimit characterem, eaque nec ex intentione Chriſti, nec ex intentione eligentium transfertur ab Anteceſſore in Succeſſorem, niſi limitatè usque ad ejus obitum, aut certè usque ad novam electionem Succeſſoris. Econtra poteſtas Sacerdotalis imprimit characterem, & baptizandi poteſtas inhæret ex inſtitutione Chriſti cuilibet homini ſine ulla limitatione ad differentiam ſtatus vel temporis.

Ad 2. c. a. n. c. & parit. Diſparitas eſt; quia in damnato actio Sacramentalis non poneretur cum debita intentione, nec per actionem vitalem liberam, cùm damnati non habeant ullam amplius libertatem ad ullam actionem bonam; nec etiam ea actio eſſet idonea ad hoc, ut eam Chriſtus poſſit habere pro actione moraliter ſua.

QUÆSTIO II.

Utrum in Miniſtro ad validam & licitam adminiſtrationem Sacramentorum requiratur intentio virtualis, vel actualis, aut reflexa?

Notandum 1. Aliam eſſe intentionem *directam*, ſeu *in actu exercito*, & aliam eſſe *reflexam*, ſeu *in actu ſignato*. Intentio directa eſt, qua homo liberè id vult agere, quod agit. Intentio reflexa eſt, qua homo explicitè cognoſcit & approbat ſuam voluntatem aliquid liberè agendi. Utrumque explicatur in variis exemplis. Quando homo ſcribit, loquitur, diſputat, vendit, emit, donat, legit, comedit,

comedit, ambulat, falutat amicum, haud dubiè habet *voluntatem liberam*, feu *intentionem directam* fcribendi, loquendi, difputandi, vendendi, emendi, donandi, legendi, comedendi, ambulandi, falutandi, quin tamen explicitè cogitet de hac fua voluntate fcribendi, loquendi, difputandi, vendendi &c. neque enim dicit in corde fuo: Ego nunc habeo voluntatem fcribendi; ego nunc habeo voluntatem loquendi; ego nunc habeo voluntatem difputandi &c. Itaque ejusmodi voluntas feu *intentio* erit *directa*; fi vero cogitaret de hac ipfa fua voluntate feu intentione directa, v. g. dicendo intus in animo: ego nunc habeo voluntatem fcribendi, ego nunc habeo voluntatem loquendi, difputandi &c. approbando & renovando eam voluntatem haberet *intentionem reflexam*. Idem poteft exemplificari in fimili; fæpè enim contingit, quod homo multa fciat, fed non fcit fe fcire; fæpè contingit, quod homo curiofe confideret homines in foro, vel cogitet de variis objectis illicitis, vanis, aut licitis, quin cogitet fecum; quid, & cur hæc confideras? quid cogitas? quid agis? ea enim confideratio jam foret reflexa. Prior autem fcientia, confideratio, vel cogitatio foret directa. Sic etiam circa Sacramenta, quando Minifter liberè agit, quæ folet agere Ecclefia in circumftantiis fimilibus, haud dubiè habet *intentionem directam* agendi id, quod folet agere Ecclefia. Si verò explicitè cogitaret, vel diceret: ego nec intendo, ac volo habere intentionem faciendi id, quod facit Ecclefia, ea intentio foret *reflexa*.

NOTANDUM 2. Intentionem dividi in *actualem*, *virtualem*, & *habitualem*. INTENTIO ACTUALIS vocatur ea voluntas, quæ actu elicitur circa actionem liberam, v. g. dum quis liberè actu difputat, fcribit, loquitur, vendit &c. impoffibile eft, ut non fingula verba fcribantur, proferantur &c. cum actuali libertatis exercitio, feu cum actuali intentione hoc & non aliud verbum fcribendi, proferendi &c. INTENTIO VIRTUALIS vocatur ea voluntas, quæ præceffit, & perfeverat in aliqua fua virtute relicta, feu effectu. Sic fi quis pergit Romam, fine dubio aliquando habuit actualem voluntatem feu intentionem eundi Romam, nempe in initio itineris. Si verò in continuatione itineris cogitet de fuis negotiis, vel colloquatur cum Socio itineris, impoffibile eft, ut fimul actu cogitet vel de Urbe Roma, vel de fuo itinere, vel de via adhuc refidua prius intenta, verum tamen erit, quod prior fua *voluntas*, *intentio*, feu *determinatio*, quam initio itineris habuit, influat in omnes paffus, eos potiùs dirigendo verfus hanc vel illam plagam, quin itinerans id actu advertat. Idem contingit in actionibus artium, v. g. Sutoris, Pictoris, Statuarii &c. nam licet Sutor, Pictor, Statuarius &c. non femper cogitent actu de calceo, aut Mercurio pingendo, vel fculpendo, dum apparant corium, colores, lignum &c. veriffimum tamen eft, quod intentio præterita conficiendi calceum vel Mercurium influat in omnes illas actiones minifteriales, feu, ut ita dicam, *viales* ad finem intentum. INTENTIO HABITUALIS, prout hoc loco ab Authoribus fumitur, nihil aliud eft, quàm *intentio feu voluntas præterita non retractata*. Talis intentio habetur v. g. in præfato itinerante Romam, vel in præfato Artifice, etiam dum dormit, vel aliis negotiis valde difparatis ac toto genere diverfis nec coordinatis nec fubordinatis incumbit. Nam licet itinerans dormiat, adhuc durante fomno verum eft quod voluntas feu intentio actualis præterita necdum fit retractata. Vel dum Sutor, Pictor, Statuarius &c. actu in duello confligit, vel in Senatu de negotiis publicis fui oppidi actu difputat, adhuc verum eft, quod nondum retractaverit intentionem conficiendi calcei vel Mercurii. Itaque tunc habebit *intentionem habitualem* conficiendi calcei vel Mercurii. OBSERVANDUM tamen, quòd D. Thomas hunc terminum aliter interdum fumat, ita ut idem fit, ac intentio virtualis; fumit enim tò habituale pro habitualitate non metaphyfica ac intentionali, fed pro habitualitate phyfica, in quantum dicit habitum phyficum relictum & inchoatum ex præcedente actu. Et ifte habitus inchoatus phyficus eft illa virtus feu effectus actus præcedentis, per quem actus præcedens influit in actus fubfequentes. *Vide Refponf. ad Object.* 1.

NOTANDUM 3. Aliam effe intentionem *formalem* feu *explicitam*, & aliam effe *æquipollentem* feu *implicitam*. INTENTIO FORMALIS, feu EXPLICITA, prout hic fumitur objectivè, eft illa voluntas, quæ fertur in objectum ùt cognitum fub claro conceptu definitivo feu repræfentativo rei quoad prædicata effentialia conftitutiva rei. Sic fi Clericus agnofcat naturam orationis præceptæ, vel fi Sacerdos agnofcat naturam confecrationis transfubftantiativæ, & fub ifto claro conceptu feratur fua voluntate ad implendum, quod fuæ cognitioni actu fubftat, ea intentio formalis feu explicita vocatur. Econtra fi idem Clericus tantum fub generali conceptu cogitet de implenda fua obligatione diurna, vel fi Sacerdos tantum pro fuæ objecto cognitionis habeat impletionem illius, quod confuevit, vel quod petitur, vel faciendum hora monet, vel fi velit nunc ire in Sacriftiam ad legendum Sacrum, vel nunc fe induere pro Miffa, vel nunc legere Miffam, vel nunc legere Evangelium Miffæ, vel Offertorium, vel Præfationem, vel Canonem, vel facere folitam memoriam & applicationem confuetam in Miffa &c. harum omnium intentionum quælibet poteft vocari intentio *implicita* vel *æquipollens* confecrandi panem & vinum; implicita quidem, quia fub genere involvit contentum fub genere, nempe obligationem particularem recitandi Breviarium, vel confecrationem; æquipollens verò, quia in æftimatione morali, qui vult unum actum perpetua concatenatione connexum cum altero, eo ipfo cenfetur etiam velle alterum connexum, fi ipfa connexio eorundem actuum eft ipfi faltem virtualiter volita. Sic qui vult media ex fe ordinata ad finem, & cognita relativè ad fubfequentia, eo ipfo implicitè ac æquipollenter vult ipfum finem, quia inter ea fubfequentia generice confiderata in tali particulari genere, continetur ipfe finis, ita ut intentio præterita per concatenationem fpecierum & habituum fpecificet, ac determinet directivè tam cogni-

D. Amort Tract. de Sacram. in gen. N 2

cognitionem generalem quàm volitionem generalem ad determinatum speciei objectum. Hujus virtualis influxus signum est, quod, sicut itinerans quæsitus, cur huc potius quàm illuc dirigat gressum, statim reddet pro ratione, intentionem suam tendendi ad terminum, quæ virtualiter dirigit; ita etiam talis Sacerdos quæsitus, cur eat ad Sacristiam? vel cur se induat? &c. statim reddet rationem, ut offerat Sacrificium Missæ. (Ergo ea promptitudo motivi signum est sufficiens, quod actio libere volita, nempe itio ad Sacristiam, induitio &c. quam vult libere actu, non eligatur ratione sui, sed relative ad subsequentia, licet tantum confuse, obscure, ac generice cognita.

NOTANDUM 4. Intentionem ab Authoribus etiam dividi in *directam* & *indirectam*. DIRECTA ab illis vocatur, quæ fertur immediatè in objectum. INDIRECTA autem vocatur, quæ fertur in aliquod prævium, ex quo tanquam medio vel causa prævidetur esse secuturus effectus. Sic si quis accedat ad chorum, & prævideat, se in eo per alternationem versuum consuetam nihil omissurum in pronuntiatione, talis censetur habere intentionem indirectam proferendi omnes versus, etsi in actuali pronuntiatione distractus sit. Sic si Minister sciat, hodie tempore scrotino apportandum parvulum pro baptismo, & ipse interea se inebriet, sciens, se etiam in ebrietate solere agere exactè, quæ sunt sui officii, talis directe volendo se inebriare habet intentionem indirectam conferendi Sacramentum, quia vult illud conferre per medium, ex quo sequitur illa actio Sacramentalis. Distinguunt autem Authores in hac intentione indirecta duplicis generis medium, nempe privans usu rationis, & non privans usu rationis. Ebrietas v. g. in dato exemplo est medium privans usu rationis, utpote quæ non potest statim omni momento resumi ab ebrio pro ejus arbitrio. Econtra in priori casu accessus ad chorum non est medium privans usu rationis; quia licèt quis nullam sub recitatione Breviarii habeat attentionem, nec materialem nec formalem, poterit tamen pro libitu reassumere attentionem quovis momento, quo voluerit. His prænotatis

DICO I. In Ministro nec ad validam nec ad licitam administrationem Sacramentorum requiritur intentio reflexa, sed sufficit directa.

PROBATUR. In nullo negotio humano v. gr. contractu venditionis, emptionis, collocutionis, disputationis &c. requiritur intentio reflexa. Ergo ea nec requiritur in Sacramentis. *c. prob.* in Sacramentis sufficit, ut Minister agat modo humano, quo modo agere solet homo in aliis negotiis gravis momenti; nec plus probatur ratione vel authoritate. ergo.

PROBATUR 2. Ad licitam & validam administrationem Sacramentorum sufficit intentio virtualis, nec requiritur actualis. Ergo multo minus requiritur intentio reflexa, quæ dicit plus quàm intentio actualis. *a. prob.* ex sequenti Concl.

DICO II. Nec ad validam nec ad licitam administrationem Sacramentorum requiritur intentio actualis.

PROBATUR 1. Authoritate Ritualis Romani editi jussu Pauli V. ubi tit. 2. §. 12. sic habetur: *Minister in ipsa administratione Sacramentorum actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.* Cùm ergo in Rituali non requiratur actualis attentio ad ea, quæ aguntur, quæ est tantum actus intellectus; multo minus requiritur intentio actualis, quæ est actus voluntatis tendens in objectum, prout substat cognitioni.

PROBATUR 2. Necessitas illius intentionis actualis nec probatur ex Authoritate Veterum, nec ex ratione. ergo. *prob. ant.* ex Sol. Object.

PROBATUR. Esset moraliter impossibile, in ipsa positione materiæ & formæ semper habere intentionem actualem faciendi, quod facit Ecclesia. Ergo non est præsumendum, eam à Christo exigi. *Ant. patet* ex volubilitate humanarum cogitationum, quæ facilè abripiuntur ad objecta diversa.

PROBATUR 4. Authoritate D. Thomæ, & unanimi sensu omnium Theologorum in proxima Concl. referenda.

DICO III. Ad licitam & validam administrationem Sacramentorum sufficit, & requiritur intentio virtualis.

PROBATUR authoritate & ratione D. Thomæ, qui P. III. qu. 64. a. 8. ad 3. format sibi hanc objectionem: „ Intentio hominis non potest esse „ ad id, circa quod non est attentus. Sed ali„ quando illi, qui in Sacramentis ministrant, non „ attendunt ad ea, quæ dicunt, vel faciunt, alia „ cogitantes. Ergo secundùm hoc (*quod asseritur, requiri intentionem*) non perficeretur Sacra„ mentum, propter intentionis defectum. *Ad hanc objectionem sic respondet:* „ Dicendum, quòd „ licèt ille, qui aliud cogitat, non habeat actua„ lem intentionem, habet tamen habitualem (*puta habitualitate physica*) quæ sufficit ad perfectio„ nem Sacramenti; puta, cùm Sacerdos acce„ dens ad baptizandum intendit facere circa ba„ ptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si po„ stea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad „ alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis per„ ficitur Sacramentum. Quamvis studiosè cu„ rare debeat Sacramenti minister, ut etiam actua„ lem intentionem adhibeat. Sed hoc non est „ totaliter positum in hominis potestate, quia „ præter intentionem, cùm homo vult multum „ intendere, incipit alia cogitare." Ita S. Thomas, per intentionem habitualem sinè dubio intelligens intentionem virtualem, seu intentionem præteritam, perseverantem in aliquo habitu, ex præcedentibus actibus impressò, quem vocat alibi *virtutem* seu *effectum* ex priori intentione derelictam.

Eam suam mentem, quòd per habitualem intentionem intelligat eam, quæ per aliquem habitum seu vim ex præcedente proposito relictum in effectum influit, declarat in 4. dist. 6. qu. 1. a. 2. qq. 1. ad 4. ubi ad præfatam eandem objectionem sic respondet: „Quamvis Minister Sa„ cramenti debeat niti ad custodiendum cor „ suum, quantum potest, ut maximè in verbis

Sacra-

„ Sacramentalis formæ intentionem habeat actualem, quia tamen cogitatio est valde labilis, etiamsi tunc non adsit actualis intentio, quando „ verba profert, dummodò priùs intenderit, & „ contraria intentio non intervenerit, Sacramentum non impeditur; quia tunc operatur in vi „ principalis intentionis; non enim oportet, „ quòd in opere semper intentio conjungatur in „ actu, sed sufficit, quòd opus ab intentione „ procedat."

DICO IV. Ad validam administrationem Sacramenti non sufficit intentio *habitualis*.

PROBATUR 1. Per intentionem habitualem, simpliciter dictam, prout ab Authoribus hoc loco sumitur, intelligitur intentio præterita non retractata, etiamsi per nullum effectum à se relictum in effectum influat, aut determinet. Sed talis intentio non sufficit. ergo. *Min. prob.* tum ex unanimi sensu omnium Theologorum: tum ex natura Sacramenti; sic enim argumentor: Actio Ministri de se indifferens ad varios fines, ad hoc ut fiat Sacramentalis, debet determinari ad finem Sacramentalem per intentionem Ministri, prout Disp. 2. qu. 4. & 5. ostensum est. Atqui ad hunc finem per intentionem præteritam non determinatur, nisi illa intentio per aliquam virtutem seu effectum à se relictum in actionem Sacramentalem influat, ad eamque determinet. ergo.

PROBATUR 2. ex absurdo; si enim sufficeret intentio habitualis, sequeretur, quòd si quis in susceptione Sacerdotii faceret hanc intentionem: quoties durante toto vitæ tempore induam sacras vestes, volo, ut illa indutio & accessio ad Altare sint ordinatæ ad consecrandam Eucharistiam, ea intentio sufficeret ad valorem consecrationis pro toto vitæ tempore, etiamsi nunquam ampliùs per 50. annos renovetur ea intentio. Sed hoc non potest dici. ergò. *Min. prob.* ejusmodi intentiones generales speculativæ nihil dirigunt in praxi. Ergo nec tollunt indifferentiam actionum Sacramentalium ad varios fines etiam non Sacramentales.

DICO V. Ad valorem Sacramentorum non sufficit intentio indirecta aut directa per medium privans usu rationis. Sufficit tamen intentio non solùm directa, sed etiam indirecta per medium non privans usu rationis.

PROBATUR. Intentio indirecta per medium privans usu rationis est illa, qua Minister v. g. vellet ebrietatem vel somnum, prævidens se etiam ebrium vel dormitantem exactè obiturum cæremonias præscriptas. Sed talis intentio non sufficit. Ergo. *Min. prob.* Princeps terrenus non vult actiones à suo Legato in ebrietate vel somno positas haberi pro suis. Ergo nec Christus vult actiones Sacramentales positas à suo Ministro ebrio vel dormitante haberi pro suis. *c. prob.* est eadem utrinque ratio; quia nempe non ponuntur modo humano consueto in contractibus vel negotiis seriis.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 4. Concl. D. Thomas p. 3. Q. 64. a. 8. ad 3. expressè docet, ad valorem Sacramentorum sufficere intentionem habitualem. ergo sufficit. *a. prob.* textus sic habet: *Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti.*

RESPONDEO dist. Docet, ad valorem Sacramentorum sufficere intentionem habitualem habitualitate physica. c. habitualem habitualitate metaphysica n. D. Thomas ibi loquitur de intentione habituali præterita, quæ manet in aliquo sui effectu, seu in vi, virtute, seu habitu relicto. Ut enim à me in Tract. de Virtutibus part. 2. de Spe & Charitate. disp. 3. Q. 6. ostensum est, omne mentis propositum relinquit post se in mente aliquem habitum mentis inchoatum. Hanc enim sententiam teste P. Gaudentio Bontempi tom. 4. tract. 2. de habitibus disp. 1. Q. 6. c. 5. n. 71. docent Durandus, Scotus, Major, Gabriel, Argentina, Angestus, Almainus, Conimbricenses, Henricus, Suarez, Vasquez, Azor, Tannerus, Viguerius, D. Bonaventura, & ipse P. Gaudentius, citatis singulorum horum Authorum locis, ubi ita docent. Hoc ergo supposito, quod verissimum censeo, facilè intelligitur, quod detur intentio habitualis *habitualitate physica*, hoc est, intentio actualis præterita transiens v. g. occidendi, furandi, orandi, eleemosynas dandi &c. quæ animo imprimit quemdam habitum inchoatum physicum. Sicut ergo habitus physici artium & scientiarum, utut adhuc imperfecti ac primum inchoati, physicè influunt in actus subsequentes, ad eosque determinant per modum causæ physicæ; ita etiam quælibet intentio seu propositum aliquid agendi imprimit animo quemdam inchoatum habitum physicum, qui tanquam virtus ex præcedente actu relicta influit in actum. Ita acceptum fuisse hunc terminum à S. Thoma juxta usum illorum temporum, quibus nondum omnes termini Scholastici habebant stabilem ac fixam & exactam notionem, colligitur inprimis ex eo; quia in eadem Responsione fermè iisdem terminis proposita in 4. dist. 6. expressè docet, quod intentio præterita debeat influere in actionem Sacramentalem, & *vi sua*. Dein id manifestum est ex eo, quia S. Thomas eandem intentionem, quam in uno loco vocat *habitualem*, in alio loco re ipsa declarat esse virtualem, seu perseverantem in aliqua virtute relicta. Nam 1. 2. Q. 88. a. 1. ad 2. loquens da ordine, quem peccans venialiter in ipso actu peccati venialis servat ad Deum, vocat hunc ordinem habitualem, quem in hoc ipso textu ostendit consistere in aliqua virtute relicta, nempe in charitate habituali, relicta ex præcedente actu charitatis, prout ex Tract. de Charitate suppono. Textus D. Thomæ (*) sic habet: "Non „ peccat, qui non actu refert in gloriam Dei, „ omne quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis „ habitualiter referat se & omnia sua in Deum „ ad hoc, quod non semper mortaliter peccet, „ cum aliquem actum non refert in gloriam Dei „ actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani „ in gloriam Dei, sed solùm actualem; quia non „ ex-

(*) Paulo aliter in Edit. Lugd. quam habent PP. DD. Bern. & Mansuetus.

„ excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat „ in Deum." Idem ſenſus D. Thomæ colligitur ex eo; quia alibi loquens de hac ipſa ordinatione actuum humanorum in ultimum finem, quam in Summa vocat habitualem, & aſſerit eſſe ſufficientem ad eſſe meritorium, in 2. Sent. diſt. 40. Q. 1. a. 5. ad 6. negat eſſe ſufficientem, manifeſto indicio, termino *habitualis* ab ipſo S. Doctore diverſimodè accipi. „Dicendum, *inquit*, quod „ non ſufficit omnino habitualis ordinatio actus „ in Deum; quia ex hoc, quod eſt in habitu, „ nullus meretur, ſed ex hoc, quod actu operatur; nec tamen oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum ſit ſemper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum; ſed ſufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, ſicut fit, quando aliquis cogitat, ſe totum ad Dei dilectionem dirigere; „ tunc enim quidquid ad ſe ipſum ordinat, in „ Deum ordinatum erit." In hoc textu evidenter D. Thomas inter ordinationem habitualem, quam negat ſufficere & inter ordinationem actualem, quam negat requiri, agnoſcit ordinationem mediam, quæ & ſufficit, & requiritur. Hanc ordinationem mediam ita explicat, ut evidens ſit, eam ab ipſo intelligi, quam nos vocamus *virtualem*. Nam ibidem ad 7. ſic ſcribit: „Hoc quod „ dicitur: omnia in gloriam Dei facite, ſi intelligatur affectivè, hoc poteſt eſſe dupliciter, „ aut ita, quod actualis relatio in Deum ſit conjuncta actioni noſtræ cuilibet, non quidem in „ actu, ſed in virtute, ſecundum quod virtus „ primæ ordinationis manet in omnibus actionibus ſubſequentibus, ſicut & virtus finis ultimi „ manet in omnibus finibus ad ipſum ordinatis, „ & ſic adhuc præceptum eſt, & contingit omiſſionem ejus eſſe venialem vel mortalem, ſicut „ dictum eſt. Vel ita, quod ordinatio actualis „ in Deum ſit actu conjuncta cuilibet, & ſic eſt „ conſilium." In hoc textu, dum S. Thomas aſſerit, *actualem relationem* actus ad Deum eſſe de præcepto; ſed *actualem ordinationem* actus ad Deum non eſſe de præcepto, manifeſtum eſt, quod *actualem relationem* ſalvet in actu tantum virtualiter ordinato in Deum.

Dices: D. Thomas non confundit intentionem habitualem cum intentione virtuali. Ergo cum aſſerat expreſſe in textu ſuperius citato, intentionem habitualem in Sacramentis ſufficere, non poteſt explicari de intentione virtuali. *a. prob.* S. Thomas in *Quæſtionibus diſputatis*. de potentia Dei, de malo, de virtutibus, & de veritate, in Tract. *de Virtutibus*. Quæſt. *de charitate*. a. 11. ad 2. ſic ſcribit: „Dicendum, quod omnia actu referre in Deum, non eſt poſſibile in hac vita, „ ſicut non eſt poſſibile, quod ſemper de Deo „ cogitetur; hoc enim pertinet ad perfectionem „ Patriæ; ſed quod omnia virtute referantur in „ Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quod ſicut in cauſis efficientibus virtus primæ cauſæ manet in „ omnibus cauſis ſequentibus, ita etiam intentio „ principalis finis virtute manet in omnibus finibus ſecundis. Unde quicunque actu intendit „ aliquem finem ſecundarium, virtute intendit „ finem principalem; ſicut Medicus, dum colligit herbas actu, intendit conficere potionem, „ nihil fortaſſis de ſanitate cogitans, virtualiter „ tamen intendit ſanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur, cùm aliquis ſe ipſum „ ordinat in Deum, ſicut in finem, in omnibus, „ quæ propter ſe ipſum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus eſt: unde in omnibus mereri poteſt, ſi charitatem habeat. Hoc „ igitur modo Apoſtolus præcipit, quod omnia „ in gloriam Dei referantur. *Et ibidem ad* 3. „ Dicendum, quod aliud eſt, habitualiter referre in Deum, & aliud, virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum, & qui nihil agit, nec „ aliquid actualiter intendit, ut dormiens; ſed „ virtualiter aliquid referre in Deum eſt agentis „ propter finem, ordinantis in Deum; unde habitualiter referre in Deum, non cadit ſub præcepto; ſed virtualiter referre omnia in Deum „ cadit ſub præcepto charitatis.

Respondeo diſt. a. D. Thomas non confundit intentionem habitualem cum virtuali, ubi de hac materia tractat fuſe & enucleatim, ac particulatim. c. ubi de hac materia tractat tantum ſummariè, prout fit in Summa. n. Quod enim D. Thomas in ſua Summa, ubi breviter agendum erat, non enucleatim attingat omnes diſtinctiones & ſubdiviſiones, quas prius attigerat in Libris Sententiarum, & in Quæſtionibus diſputatis, & in Quodlibetis, & in l. contra Gentiles, quæ ſcripſerat junior, vegetior, & ab aliis negotiis diſparatis liberior, facile patet diligenter verſatis in D. Thoma. Idem obſervo contigiſſe D. Thomæ etiam in his tribus terminis, *univocum*, *analogum*, *& æquivocum*. Nam aliquando hos terminos exactè diſtinguit, aliquando verò tantum facit diviſionem in terminum univocum & æquivocum, in qua diviſione minus exactà terminum *analogi* cum *æquivoco* confundit.

Objicitur 2. Intentio habitualis ſufficit ad valorem Sacramenti in recipiente Sacramentum. Ergo etiam ſufficit in Miniſtro conferente Sacramentum. *a. prob.* validè baptizatur catechumenus etiam dormiens. ergo.

2. Intentio habitualis ſufficit ad rationem meriti. Ergo etiam ſufficit in Miniſtro intentio habitualis ad rationem Sacramenti. *a. prob.* intentio matutina omnia ſua opera diurna referendi in Deum, quamdiu non retractatur, reddit omnia opera meritoria, quæcunque aliunde ex ſuo genere ſunt moraliter bona, & honeſta atque capacia meriti.

3. Intentio habitualis ſufficit ad hoc, ut Miniſter alteri validè applicet fructum Sacrificii Miſſæ. Ergo etiam ſufficit ad hoc, ut Miniſter alteri validè applicet fructum Sacramenti.

Respondeo c. a. n. c. & parit. Diſparitas eſt; quia in ſuſcipiente ad fructum Sacramenti recipiendum ſufficit ſola capacitas, quæ in adultis habetur ſufficienter per voluntatem præteritam non retractatam. Econtra ad Sacramentum validè conferendum requiritur, ut in actione Sacramentali tollatur indifferentia ad fines varios; quæ indifferentia non tollitur per ſolam volun-

tatem

autem ante 50. annos præteritam necdum retractatam.

Ad 2. n. a. Suppono enim ex dictis in Tract. *de Actibus humanis*. & in Tract. *de Gratia*. & in Tract. *de Charitate*. quod nullus detur actus vitæ æternæ meritorius, nisi saltem virtualiter procedat ex præcedente actu charitatis.

Ad 3. n. a. Suppono enim ex dicendis in Tract. *de Eucharistia*, quod applicatio Missæ non sit præcise *nuda cessio*, vel *donatio* fructus specialis; sed quod sit *oblatio deprecativa*, seu *deprecatio oblativa* Sacrificii incruenti pro alio. Cùm ergo sola promissio deprecationis futuræ nondum sit ipsa deprecatio, vel oblatio, ita non potest sola intentio habitualis, quæ consistit in nudo proposito vel promisso faciendæ deprecationis oblativæ, sufficere ad verificandam hanc propositionem; *nunc fit*, vel *nunc in Missa facta est* deprecatio Sacerdotalis oblativa pro alio.

Dices: Attamen opposita sententia est valde probabilis; quia eam docuerunt Suarez, Lugo, Arriaga &c. ergo à pari etiam probabilis est sententia, quod in Ministro Sacramenti sufficiat intentio habitualis.

Respondeo dist. Est probabilis extrinsecè ab authoritate. c. intrinsecè ex ratione. n. quando autem sententiæ sunt tantùm probabiles extrinsecè ab authoritate, cùm Authores aliquando loquantur inconsequenter, non licet à probabilitate unius sententiæ argumentari ad probabilitatem alterius sententiæ. Nam sola natura rationum non patitur inconsequentiam doctrinæ, non verò natura authoritatis humanæ.

Objicitur 3. In Sacramento Matrimonii sufficit intentio habitualis Ministri. Ergo etiam sufficit in aliis Sacramentis. *a. prob.* in Sacramento Matrimonii Ministri sunt contrahentes. Sed horum intentio habitualis sufficit. ergo. *Min. prob.* quando Princeps contrahit per Procuratorem, verè conficitur Sacramentum eo momento, quo Procurator nomine sui Principalis matrimonium contrahit, licet Princeps ea ipsa hora dormiat. Ergo in tali Principe eo tempore ad obtinendum fructum Sacramenti sufficit intentio habitualis.

Respondeo n. a. *ad prob.* n. *Maj.* Suppono enim ex dicendis de Matrimonio, solum Sacerdotem seu Parochum esse Ministrum hujus Sacramenti.

Objicitur 4. Si requireretur intentio virtualis, vel illa consisteret in qualitate physica potentiis impressâ per modum impulsus ab intentione actuali præterita, prout vult Richardus in 4. dist. 6. a. 1. Q. 3. ad 2.? vel in continuis actibus voluntatis & intellectus super intentionem præteritam & objectum reflexis, attamen sensu imperceptibilibus, ut vult Lugo disp. 8. Sect. 5. à n. 78. Dicastillo, Maurus, & alii? vel tandem in concatenatione specierum phantasiæ recurrente eodem objecto ad consimiles actus appetitum instigantium, prout quoad rem docere videntur D. Thomas, Scotus, Suarez, disp. 3. Sect. 3. Vasquez disp. 188. Arriaga, & alii? Neutrum potest dici. ergo non requiritur intentio virtualis. *Min. prob.* quoad omnia membra. Nam 1. sæpe remanet virtualis intentio ad opera ardua, ad quæ nulla sentitur impulsio vel inclinatio potentiarum. 2. Illa continuatio actuum reflexorum est merum figmentum, nec ratione, nec experientia subnixum. Dein est impossibile, inter tot negotia, quibus homo per diem occupatur, semper actu dari actum intellectus & voluntatis reflexum, quo homo v. g. in intensissimo studio intus in animo diceret: *Video, & approbo, ac confirmo priorem intentionem*. Imo in hac explicatione sequeretur, quod ad valorem Sacramentorum semper requireretur actualis intentio. 3. Ipsæ species repræsentativæ prioris intentionis, etiamsi de novo actuarentur recurrente simili vel connexo objecto cum priori intentione, se solis nihil præstant, nisi novam apprehensionem, non autem novam instigationem; & supposito etiam, quod instigarent objectivè per modum ipsius objecti primo-suasivi, non tamen tribuerent potentiis facilitatem seu promptitudinem ad operandum, qualis tamen datur teste experientia in intentione virtuali.

Respondeo. n. *Maj.* Dico enim, quòd intentio virtualis consistat in habitu inchoato. Cæterùm in quo consistant habitus aquisiti artium, scientiarum & virtutum moralium, dependet ex principiis Philosophicis traditis *de Anima*. Censeo autem, quòd sicut habitus consistunt materialiter partim in coordinatione specierum phantasiæ vel intellectus, partim in dispositione potentiarum facilè parendi imperio voluntatis, partim in inclinatione ipsius voluntatis potentiæ volitivæ impressâ; formaliter verò in ordine superaddito ad actus imperatos, ita etiam habitus relicti ac impressi ab intentione actuali præterita ponendi actiones Sacramentales in eadem concatenatione ac coordinatione specierum, & in dispositione potentiarum, & in superaddito ordine ad actiones Sacramentales consistunt.

Dices 1. Intentio virtualis est aliquid unum ac simplex. ergo non potest dici, quòd simul in coordinatione specierum, & dispositione potentiarum, & ordine superaddito ad actus imperatos consistat.

Respondeo. dist. a. Est aliquid simplex quoad suum esse formale. c. quoad suum esse materiale. n. Sicut enim in plurimis piis rebus contingit, quæ simplices videntur, ita etiam omnes habitus aquisiti habent aliquod esse *materiale*, nempe varias partes coordinatas, & aliquod *formale*, nempe ipsum ordinem omnium specierum, & potentiarum superadditum, & activum, quo omnes partes coordinatæ ordinantur ad finem intentum.

Dices 2. Non videtur possibile, quòd per singulas intentiones vel proposita quidquam operandi semper producatur novus habitus. Ergo intentio virtualis non potest explicari per ejusmodi habitus inchoatos. *a. prob.* Reperiuntur in homine quotidie innumeræ ejusmodi intentiones seu proposita, quin tamen per hoc censendum sit, produci innumeros habitus.

Respondeo. n. a. ad prob. c. a. quoad 1. membr. Nego illud quoad 2. membr. sicut enim in phantasia vel intellectu se invicem compatiuntur innumeræ species complexæ circa diversis-

versissima objecta in genere agendorum, ita etiam possunt dari innumeræ dispositiones potentiarum proportionatæ, & innumeri ordines disparati correspondentes illis objectis agibilibus.

Dices 3. Habitus aquisitus ex intentione actuali præterita non potest tendere in actiones Sacramentales quà tales. Ergo intentio virtualis non potest consistere in ejusmodi habitu relicto. *a. prob.* nullum ens naturale tendit in aliquod intrinsecè supernaturale, quale sunt actiones Sacramentales quà tales. Sed habitus aquisiti sunt ens naturale. ergo.

Respondeo. dist. Maj. Tales habitus non possunt tendere in actiones Sacramentales qua tales, secundùm suum esse materiale spectati. tr. secundùm suum esse formale spectati. n. Habitus enim illi, prout ostensum est, secundùm suum formale consistunt in quodam ordine activo ad actiones Sacramentales qua tales producto dependenter à lumine & imperio fidei in Christianis.

Dixi. tr. Quia etiam species naturales possunt tendere in aliquid supernaturale implicitè & confusè spectatum, sicut si Gentili proponatur Mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ &c. habebit ille aliquid supernaturale pro objecto cognitionis & volitionis etiam ante lumen fidei. Itaque etiam à Turca vel Gentili, si baptizet Catechumenum in casu necessitatis, poterit haberi intentio actualis ac consequenter etiam virtualis cum ordine ad actiones Sacramentales, prout substant intentioni Christi vel Ecclesiæ; ac proin ille ordo poterit etiam reperiri in habitu relicto ex intentione præterita actuali.

QUÆSTIO III.

An & quando Minister licitè uti possit intentione conditionata vel indeterminata?

Notandum 1. Intentionem conditionatam vocari illam, qua Minister non absolutè, sed tantum conditionatè vult conferre Sacramentum, v.gr. si Sacerdos alicui, de quo dubitat, an non jam sit baptizatus, conferat baptismum sub hac intentione; si nondum es baptizatus, ego te baptizo; si verò jam es baptizatus, nolo habere intentionem te baptizandi.

Notandum 2. Conditiones, quæ apponi possunt, esse varias. Sunt enim aliquæ *de præterito*, aliquæ *de præsenti*, aliæ *de futuro*. Conditio de præterito esset, si baptizans diceret: si nondum es baptizatus antecedenter. Conditio de præsenti foret, si baptizans baptizando diceret: Si verum habes propositum servandi vitam christianam. Vel si monstro diceret: *si es verè homo.* Conditio de futuro esset, si baptizans baptizando diceret Judæo: si quamprimum restitueris injustè per fraudem parta. Alia divisio conditionum valde notabilis est, qua conditio dividitur in *intrinsecam* & *extrinsecam*. Conditio intrinseca seu inexistens est, quæ per se exigitur ad validam susceptionem Sacramenti, v. gr. si baptizans baptizando diceret: Ego te baptizo, si es verè homo; vel si non habes voluntatem positivè contrariam. Item si confessarius pœnitenti diceret: Absolvo te, si ea, quæ confiteris, sunt verè peccata; vel si habes serium propositum &c. ea conditio foret intrinseca. Econtra conditio extrinseca vocatur, quæ per se non exigitur ad valorem Sacramenti. Talis conditio extrinseca foret, si quis diceret: Ego te baptizo, si dederis mihi centum aureos; vel ego te baptizo, si parentes tui consenserint; vel ego te absolvo, si verùm est, quod jam restitueris. Denique dividitur etiam conditio in eam, *de cujus purificatione modo humano constare potest*, v. gr. baptizo te, si pater tuus consenserit; & in eam, de cujus *purificatione modo humano constare non potest*, v. gr. baptizo te, si stellæ sunt pares, vel si es prædestinatus &c.

Notandum 3. Intentionem indeterminatam vocari illam, quæ nullum habet determinatum objectum, v. gr. si Sacerdos ex tribus hostiis velit consecrare unam, & non determinet sua intentione individuum determinatum. Vel si Titius conjungatur matrimonio cum una ex duabus sororibus adhuc non determinata à parentibus.

DICO I. Intentio conditionata sub conditione impossibili, vel de cujus purificatione modo humano constare non potest, non sufficit ad valorem Sacramenti.

Probatur 1. In Ministro ad valorem requiritur intentio efficax faciendi, quod facit Ecclesia. Sed talis intentio non est intentio efficax faciendi, quod facit Ecclesia. ergo. *Min. patet*; quia talis non efficaciter intendit facere, quod Ecclesia facit, qui ex mera malitia apponit conditionem, de cujus verificatione nunquam constare potest in ordine ad hoc, ut possit constare, an egerit, quod agit Ecclesia; neque etiam Ecclesia hoc facit, ut apponat talem conditionem.

Probatur 2. In aliis contractibus humanis Legislator non vult eos esse validos sub conditione. Ergo nec Christus vult ejusmodi intentionem Ministri esse validam.

DICO II. Intentio conditionata sub conditione de præterito vel de præsenti sufficit ad valorem Sacramenti, si jam fuerit impleta conditio.

Probatur. Intentio conditionata sub conditione jam purificata est jam absoluta. Sed intentio absoluta sufficit. ergo. *Maj. prob.* conditio purificata ipsum conditionatum ponit in esse absoluto. ergo. *a. prob.* purificatio conditionis tollit objectivè objectum conditionatæ tendentiæ. Ergo ipsum conditionatum ponit in esse absoluto.

Confirmatur. Contractus conditionati eo momento transeunt in absolutos, quo momento purificata est conditio. Ergo etiam intentio Ministri sic conditionata.

DICO III. Intentio Ministri conditionata sub conditione de futuro in nullo Sacramento sufficit ad valorem Sacramenti.

Probatur 1. Ex constanti traditione & praxi Ecclesiæ, quæ nunquam administravit, vel administrare permisit Sacramenta sub conditione de futuro. Ergo præsumendum est, Christum

Sacra-

Sacramenta ſic inſtituiſſe. *a. prob.* partim *negativè;* quia nullum afferri exemplum poteſt adminiſtrati ullius Sacramenti ſub conditione de futuro; partim *poſitivè;* quia ſi Ecclefia agnoviſſet adminiſtrari poſſe Sacramenta ſub conditione de futuro, ſine dubio ea facultate uſa fuiſſet in Sacramento Pœnitentiæ, v. gr. abſolvendo pœnitentes ſub conditione, ſi reſtituerint, ſi pœnitentias canonicas expleverint, ſi intra tempua pœnitentiæ conſtitutum non fuerint relapſi &c. Sed Ecclefia bac facultate nunquam uſa eſt. ergo eam non habuit à Chriſto. *Min. patet* ex *Pœnitentialibus antiquis*, edendis in Tract. *de Pœnitentia.*

PROBATUR 2. Signa Sacramentalia non ſunt idonea ad conferendum effectum Sacramentalem tempore futuro, ſed ad cauſandam gratiam de præſenti. Ergo non recipiunt intentionem conditionatam ſub conditione de futuro. *a. prob.* formæ Sacramentales, v.g. ego te baptizo, ego te ſigno &c. ſimul eum materia Sacramentali, ſignificant effectum de præſenti. ergo.

DIXI: *In nullis Sacramentis*, ne quidem in Sacramento Matrimonii. Suppono enim, quod non contrahentes, ſed Sacerdos vel Parochus ſit Miniſter bujus Sacramenti, qui utitur forma de præſenti: *Ego vos conjungo*, vel alia ſimili, ſupponente actualem contractum civilem abſolutum pro materia.

DICO IV. Ad valorem Sacramentorum requiritur intentio Miniſtri determinata.

PROBATUR. Ex conſtanti traditione ac praxi Ecclefiæ, in qua non reperitur exemplum de cullatione Sacramenti ſub materia indeterminata vel relatè ad perſonam recipientem indeterminatam. Ergo nec valida erit intentio indeterminata. *prob. c.* talis intentio non eſſet intentio faciendi, quod facit Ecclefia.

CONFIRMATUR. Specialiter de Sacramento Matrimonii. Si perſonæ contrahentes eſſent indeterminatæ, conjungerentur ut primum determinandæ v. g ex voluntate parentum. Sed ejusmodi collatio Sacramenti non eſſet valida. Ergo. *Min. prob.* in tali caſu Sacramentum conferretur ſub conditione de futuro. Sed ejusmodi collatio eſt invalida. ergo. *Min. patet* ex Concl. 3.

DICO V. Nunquam licet habere aut exprimere intentionem conditionatam ſub conditione extrinſeca Sacramento.

PROBATUR. Repugnat conſtanti praxi Ecclefiæ appoſitio ejusmodi conditionum extrinſecarum. ergo non eſt licita. *a. prob.* negativè; quia nullus Patrum aut Theologorum tam Veterum quàm Recentiorum, aut Librorum Ritualium oſtendi poteſt, qui uſpiam faciat mentionem de uſu licito talium conditionum.

DICO VI. Nunquam licet habere vel exprimere intentionem conditionatam ſub conditione intrinſeca præſenti vel præterita, niſi ub foret prudens dubium ſaltem latè dictum de exiſtentia talis conditionis.

DIXI: *Dubium ſaltem latè dictum.* Etiamſi enim ſit probabilius, v.g. baptiſmum jam fuiſſe collatum, ordinationem eſſe validam, vel monſtrum baptizándum eſſe hominem, vel conjungendos carere impedimento, vel abſolvendum in Sacramento Pœnitentiæ habere ſufficientem materiam, aut ſufficiens propoſitum &c. ſi tamen adhuc probabile ſit oppoſitum, nil vetat, haberi intentionem conditionatam in collatione Sacramenti, dummodo cæteroquin in reiteratione Sacramenti poſſit vitari Seandalum.

PROBATUR. Ex conſtanti praxi & ſenſu Ecclefiæ, quæ nunquam permiſit conferri Sacramenta ſub conditione, niſi haberetur prudens dubium de exiſtentia conditionis inexiſtentis. Id probatur inprimis ex iis, quæ dicta ſunt diſp. 2. Q. ult. de forma conditionali, tum etiam ex c. *de quibus. de Baptiſmo.* ubi Alexander III. ita ſtatuit: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur bis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es: ego te baptizo.*

DICO VII. In Sacramentis, quæ nec imprimunt characterem, nec requirunt novam applicationem materiæ, licet habere intentionem conditionatam ſub conditione intrinſeca, ſi certitudo de conditione illa convenienter haberi vel ſperari non poteſt.

DIXI 1. *Licet babere* intentionem conditionatam. Ut enim ea exprimatur verbis, in Sacramento Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, ubi agitur de ſola tranquillitate Miniſtri, id neque neceſſarium, neque conſultum eſt. 2. DIXI id licitum eſſe in Sacramentia, *quæ nec imprimunt characterem, nec requirunt novam applicationem materiæ*, prout ſit in Sacramentis, ubi ſolum dubium habetur de recta pronuntiatione formæ, quæ in continenti emendari poſſit, prout ſit in reiteratione formæ in Sacramento Euchariſtiæ & Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis. DIXI 3. *Si certitudo de conditione requiſita convenienter haberi vel ſperari non poſſit.* Id contingit, ſi v.gr. à puero ſeptenni, ruſtico imperito, vel Senecione oblivioſo materia confeſſionis certa, aut propoſitum certum extundi non poteſt.

PROBATUR. Huic doctrinæ nec praxis Ecclefiæ, nec ratio, nec authoritas, nec præſumpta intentio Chriſti obſtat. ergo poteſt tuto practicari. *a. prob.* partim negativè; quia non poteſt oſtendi contraria Ecclefiæ praxis, aut ratio, aut authoritas, aut intentio Chriſti. Imo hanc doctrinam expreſſè tradit Sotus in 4. ubi ſic ſcribit: *Modò dubium ſit fundatum, ſufficit, ut ſub conditione forma iterari poſſit.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 1. Concl. 1. Matrimonium contractum ſub hac conditione: contraho tecum, ſi digito cœlum tetigeris, eſt validum. Ergo valet intentio Miniſtri ſub conditione impoſſibili. *a. prob.* ex c. fin. *de conditionibus appoſitis.* ubi dicitur, ejusmodi conditiones in favorem Matrimonii pro non adjectis haberi.

2. Etiamſi purificatio conditionis bumano modo ſit incognoſcibilis, datur tamen verificativum determinatum propoſitionis, per quod propoſitio conditionata re ipſa tranſeat in abſolutam. ergo adhuc in tali caſu datur verificati-

vum formæ Sacramentalis, ac consequenter etiam Sacramentum.

Respondeo c.a. n.c. & suppositum, quod in tali contractu matrimoniali interveniat conditio; eoipso enim, quod Ecclesia, cujus dispositioni subjacent ejusmodi contractus, appositionem talis conditionis annullet, & irritet, censendum est, contractum non esse conditionatum, sed absolutum.

Ad 2. dist. Datur verificativum propositionis modo humano incognoscile. c. cognoscibile. n. Christus, ut in Probatione Conclusionis ostensum est, requirit verificativum formæ Sacramentalis modu humano cognoscibile, alioquin foret imprudens institutio.

Objicitur 2. contra 2. Concl. 1. Non valent Sacramenta collata sub conditione inhonesta de præsenti vel præterito; etiamsi illa jam fuerit impleta. Ergo hæc conclusio non est universaliter vera. *a. prob.* non valet Matrimonium sub hac conditione: contraho tecum, si sumpsisti poculum sterilitatis; vel contraho tecum, si habeas sincerum propositum, lucrandi panem adulterino quæstu.

2. Christus non potuit prudenter habere voluntatem conferendi valorem Sacramento, si ipsemet Minister apponat conditionem inhonestam, v. gr. confero tibi baptismum, si habeas serium propositum me juvandi ad occisionem Titii. ergo.

3. Non valet Sacramentum collatum sub conditione impertinente. ergo Conclusio non est universaliter vera. *a. prob.* non valet Sacramentum sub hac conditione collatum: Ego te baptizo, si nunc canis excutiat pulices; vel si nunc Imperator Turcarum dormiat. ergo. *a. prob.* Christus noluit valere tale Sacramentum. ergo. *a. prob.* Christus Ministris tantum dedit potestatem *ad ædificationem*, & non *ad destructionem*, seu scandalum, prout testatur Apostolus 2. Cor. 13. v. 10. ergo.

Respondeo *ad* 1. dist. Non valet hoc Matrimonium ex defectu materiæ. c. ex defectu intentionis ex parte Ministri. n. Suppono, Ministrum Sacramenti Matrimonii esse Parochum. Materia autem hujus Sacramenti est contractus civilis ad individuam vitæ societatem & generationem prolis jure naturæ ordinatus. Cùm ergo ejusmodi conditiones repugnent substantiæ contractus, ille contractus erit jure naturali invalidus ac nullus, ac consequenter deficit materia Sacramenti.

Ad 2. tr. a. dist. c. Ergo Conclusio non est universaliter vera in suppositione conditionis invalidæ. c. in suppositione conditionis validæ. n. Suppono ex *Tract. de Justitia*, omnes contractus turpes esse jure naturæ invalidos. Cùm ergo in casu posito concurrant duo contractus, unus Christi cum Ecclesia per promissionem gratiæ ad applicationem Sacramenti, alter Ministri cum recipiente Sacramentum, & hic posterior contractus conditionatus, tanquam turpis, sit jure naturæ invalidus, eo ipso intentio Ministri conditionata ob irritationem conditionis transit in absolutam, & Sacramentum erit validum.

Ad 3. tr. a. dist. c. Ergo Conclusio non erit universaliter vera universalitate conditionum invalidarum. c. validarum. n. videtur in tali casu conditio esse turpis, & sic eo ipso ejusmodi intentio erit invalida. Idem enim censendum est Christum voluisse statuere circa valorem intentionis turpis deductæ in pactum, quod Legislator humanus vel jus naturale statuit circa contractum matrimonialem sub conditione impossibili, aut turpi.

Dixi: tr. a. Posset enim responderi, tale Sacramentum non reddi invalidum ratione conditionis impertinentis, sed ex alia ratione, quia videlicet Minister non censetur agere serio & graviter, prout agitur in negotiis arduis humanis, & prout facit Ecclesia, sed tantum *joculatoriè*. Aliunde autem constat ex dictis disp. 2., quòd Sacramentum joculatoriè collatum sit invalidum.

Dices: Ante Tridentinum Matrimonium clandestinum contractum sub conditione turpi: si dederis copiam tui corporis; erat validum, & consequebatur suum valorem per ipsam positionem illius conditionis; imò hoc etiamnum procedit de tali Matrimonio contracto ab hæreticis, vel à Catholicis in loco, ubi Tridentinum non est promulgatum. ergo non potest responderi, quod ejusmodi Matrimonia sub conditione turpi sint invalida.

Respondeo dist. Talia Matrimonia erant valida accedente novo consensu absoluto, & solum in ratione contractus civilis. c. sine novo consensu absoluto, aut in ratione Sacramenti. n. Suppono enim ex dicendis de Matrimonio, quod Matrimonia clandestina nunquam fuerint valida in ratione Sacramenti; imò si erant contracta sub conditione turpi, ne quidem erant valida in ratione contractus civilis, nisi postmodum accessisset novus consensus absolutus, saltem implicitus, ex libera voluntate contrahentium, vel ex dispositione legis de novo positus.

Objicitur 3. contra 3. Concl. 1. Valet Sacramentum Matrimonii initum sub conditione de futuro. Ergo etiam valent alia Sacramenta collata sub conditione de futuro. *a. prob.* Sacramentum Matrimonii se habet per modum contractus. Sed contractus valent sub conditione de futuro. ergo etiam Matrimonium.

2. Si Sacramenta collata sub conditione de futuro non essent valida, ratio esset; quia formæ Sacramentorum significant effectum Sacramentorum de præsenti. Sed hæc ratio nihil probat. ergo. *Min. prob.* etiam in contractu v. g. matrimonii, vel venditionis verba significant effectum de præsenti, dum dicitur v. g. contraho tecum, si numeraveris mille aureos, aut vendo tibi equum, si attuleris idoneum fidejussorem pro solutione totius pretii &c. & tamen ejusmodi contractus sunt conditionati sub conditione de futuro. Ergo idem potest contingere circa formas Sacramentorum.

Respondeo dist. a. Valet in ratione contractus civilis. c. in ratione Sacramenti. n. Ratio autem disparitatis est; quia contractui non repugnat, ut effectus suspendatur usque ad eventum conditionis, cùm nulla exinde sequantur absurda;

furda; fed non decet, ut effectus Sacramentorum fufpendatur ad eventum conditionis incertæ; fic enim Sacramentis non conveniret efficacia caufandi gratiam ex opere operato per materiam & formam juxta æftimationem communem hominum de præfenti, prout tamen illis convenit ex fenfu communi Patrum & fidelium, utpote quæ non folum caufent, fed juxta Concilium Tridentinum *contineant* gratiam. Quod fi quis velit effe contentiofus, ac tueri, quod non obftante fufpenfione effectus Sacramentalis usque ad purificationem conditionis Sacramenta nihilominus poffent dici figna efficacia ex opere operato caufalitate morali collativa gratiæ, refpondeo, Chriftum ad commendandam dignitatem Sacramentorum voluiffe iis tribuere tantam efficaciam, quanta convenienter poteft tribui, & quæ captu facilior, ac dignior eft in apprehenfione Simplicium; nempe efficaciam de præfenti, idque conftare ex traditione ac fenfu Ecclefiæ, quæ nunquam ufa eft tali forma conditionata fub conditione de futuro.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* c. a. n. c. & parit. Difparitas jam eft data; quia in contractibus nullum eft inconveniens, fi effectus fufpendatur usque ad eventum conditionis. Econtra ejusmodi fufpenfio effectuum Sacramentalium non fervit Chrifto ad commendandam dignitatem Sacramentorum, & majori certitudine ac folicitudine recipiendam gratiam Sacramentalem, ad quam homines certius & folicitius fe præparant, fi fciant effectum non poffe fufpendi, fed ftatim conferri in applicatione fignorum Sacramentalium.

Dices 1. Poteft dari abfolutio à reatu pœnæ fub conditione de futuro. Ergo etiam abfolutio à culpa poteft dari fub conditione de futuro. *a. prob.* poteft Confeffarius, præfertim tempore Jubilæi, pœnitenti dicere: Ego te abfolvo à reatu pœnæ, fi fatisfactionem injunctam, & opera in Jubilæo præfcripta impleveris. ergo.

Respondeo n. a. *ad prob.* dift. Poteft hoc Confeffarius relatè ad abfolutionem à reatu pœnæ indulgentialem. c. relatè ad abfolutionem à reatu pœnæ Sacramentalem. n. In tali cafu, quo Confeffarius pœnitenti fimul applicat Indulgentiam plenariam, concurrunt duæ abfolutiones; una Sacramentalis, quam Confeffarius confert nomine fuo; altera Indulgentialis, quam Confeffarius confert non nomine fuo, fed nomine Ecclefiæ. Pofterior abfolutio, facta nomine Ecclefiæ, cum non fit Sacramentalis, poteft conferri fub conditione; quia Indulgentia fub conditione confertur ab Ecclefia. Econtra abfolutio Sacramentalis à reatu pœnæ non poteft conferri fub conditione de futuro; quia abfolutio Sacramentalis folum directè refertur ad culpam, ad pœnam autem tantum indirectè, & quidem præcife fub ratione fatisfactoria fecundum juftitiam commutativam pro honore divino læfo, non autem fub ratione vindicativa fecundum juftitiam vindicativam, prout in Tract. *de Pœnitentia.* difp. 5. & 6. pluribus explico. Ratio, cur Sacramentalis Abfolutio non patiatur talem conditionem, patet ex dictis. Itaque injunctio Pœnitentiæ non habet effectum fufpenfivum, nec fenfus verborum fic injungendo pœnitentias eft *conditionalis*, fed *modalis*, ita ut fenfus fit: abfolvo te fub modo, ac fub ea obligatione, ut habeas de præfenti actuale propofitum efficax adimplendi pœnitentiam injunctam; aut fi quis vocare velit eum modum loquendi conditionatum, dicendum eft, eum effe conditionatum fub conditione de præfenti intrinfeca, fi nempe pœnitens actu habeat propofitum efficax implendi injuncta, adeò, ut, fi pœnitens fimul actu haberet intentionem tacitam accedendi proxima vice alium Confeffarium, quem fcit effe laxum, & impetrandi relaxationem pœnitentiæ alioquin proportionatæ delicto & perfonæ, etiam prior abfolutio foret nulla ob defectum propofiti exigiti nomine Dei in fatisfactionem à priore Confeffario.

Dices 2. In Sacramentis vivorum juxta probabilem fententiam tantum confertur jus ad gratias actuales fuo tempore, ubi urget neceffitas, v. gr. ab ordinato, vel conjugato confequendas. Ergo faltem in his non verificatur noftra Refponfio, quod Sacramenta non patiantur conditionem de futuro; quia non poteft fufpendi effectus Sacramentorum, ac confequenter faltem in Sacramentis vivorum poteft apponi conditio de futuro.

Responneo tr. a. n. c. Quia juxta me femper etiam in Sacramentis vivorum confertur actualiter gratia Sacramentalis, confiftens in difpofitione actuali vel melioratione potentiarum ad finem Sacramenti, fi fufcipiens Sacramentum fe ritè difponat. Viderint autem Patroni oppofitæ fententiæ, qualem ipfi convenienter allegent rationem, cur Chriftus non potuerit, vel non voluerit etiam in Sacramentis effe contentus intentione conditionata fub conditione de futuro.

Dices 3. Abfolutio à cenfura poteft conferri fub conditione de futuro. Ergo etiam abfolutio à culpa.

Responneo c. a. n. c. & parit. Difparitas eft; quia dilatio Abfolutionis à cenfura interdum eft utilis pœnitenti ad majorem fui humiliationem, & Ecclefiæ ad emendandum fcandalum. Econtra fufpenfio effectus Sacramentalis recipienti aliunde ritè difpofito foret ordinariè magis nociva quam utilis; aut certè ob proclivitatem licentiæ generalis in varios abufus ex parte Miniftrorum ea effet nociva Ecclefiæ.

Dices 4. Si folennitas nuptialis jam parata fit, & tam fponfus quàm fponfa cum invitatis jam actu compareant in Ecclefia ad accipiendam benedictionem nuptialem, fi quis tunc inopinato accedat, ac detegat probabile impedimentum dirimens v. gr. confanguinitatis poffet Parochus benedicere nuptias fub obligatione à conjungendis acceptata, quòd velint petere difpenfationem, & interea fe continere. Ergo cùm juxta noftram fententiam Minifter Sacramenti Matrimonii fit Parochus, poffet faltem in hoc cafu fufcipi Sacramentum fub conditione de futuro. Idem contingeret, fi contrahentes jam parata folennitate manè vel pridie confiteantur Parocho, & in confeffione exprimant peccatum, cui annexum eft impedimentum dirimens.

Respondeo. tr. a. n. e. & suppositum, quòd in tali casu matrimonium sit conditionatum. Dico, quòd sicut in casu necessitatis Ecclesia supplet jurisdictionem in Sacerdote habente titulum coloratum, & publicè existimato habere jurisdictionem sufficientem, ita Ecclesia supplcat defectum dispensationis saltem *ad effectum*, nempe ad effectum Sacramentalem.

Verùm quia hæc responsio vix est tenuiter probabilis, & in Sacramentis non licet uti sententia probabili, ubi agitur de valore Sacramenti.

Respondeo 2. Sacerdotem, si retectio impedimenti fiat extra confessionem, debere abstrahere à solennitate nuptiali, & ad evitandum scandalum publicare causam, quòd nempe inopinatò motum fuerit dubium de impedimento. Posset tamen pergere in celebratione Missæ solennis votivæ, & dein obtenta dispensatione conjungere contrahentes sinè solennitate in foro civili. Si autem impedimentum retectum fuerit in confessionali, illúdque publicari non possit, ne quidem in genere, sine præjudicio pœnitentium, aut sine scandalo, censeo, tales contrahentes factâ sponsione de postulanda dispensatione, & servanda interim continentia posse conjungi, & quidem sub forma & intentione absoluta. Responsio mea est, quia mihi probabilius est, Ecclesiam in casu extremæ necessitatis eodem modo dispensare circa Ecclesiastici juris impedimenta, saltem *ad effectum*, quomodo dispensat circa alias leges Ecclesiasticas. Neque enim in ejusmodi casu discrimen est inter leges præcipientes, prohibentes, & irritantes, cùm irritatio tanquam adjacens fundetur in lege prohibente. Ergo si cessat ratio prohibitionis, etiam cessat ratio irritationis, quia percunte substantia etiam perit accidens cohærens. Accedit, quòd etiam in Sacramentis in casu extremæ necessitatis, ubi materia aut forma certa haberi non potest, liceat uti materia vel forma dubia. Itaque illud eo magis erit licitum, cùm in præsenti casu concurrat aliud dubium, necdum certum, an verba Sacerdotis conjungentis contrahentes sint forma Sacramentalis, vel cæremonialis.

Dixi tamen: *ad effectum*, nempe ad recipiendam gratiam Sacramentalem, remanente obligatione dispensationem petendi, seque interca continendi, ut si præter exspectationem non obtineretur dispensatio, sub alio colore posset dissolvi matrimonium. Si autem retegeretur impedimentum juris naturalis, id insinuandum foret contrahentibus, ut ultrò desistant à contrahendo matrimonio sub aliquo honesto titulo. Quòd si nollent desistere, deberet Sacerdos iis anministrare matrimonium in forma Ecclesiæ consueta retenta intentione conficiendi Sacramentum, si non invenerit aliam viam evadendi sine fractione Sigilli.

Dices 5. Validum est matrimonium sub hac conditione: Si cras sol orietur; vel si venturus est Antichristus. Ergo valida sunt etiam alia Sacramenta sub conditione de futuro.

Respondeo. tr. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia conditiones de futuro necessario jam censentur in æstimatione morali positæ, utpote jam habentes verificativum præsens in præparatione causarum; hinc non suspendunt effectum contractuum, nec referendæ sunt simpliciter in classem conditionum de futuro, sed in classem conditionum de præsenti.

Dixi: tr. quia talis conditio numeranda est inter eas, quæ habentur in æstimatione morali pro non adjectis. Itaque consensus contrahentium est absolutus, & non conditionatus.

QUÆSTIO IV.

An ad valorem vel licentiam administrandi requiratur probitas Ministri?

Notandum 1. Quòd ad valorem Sacramentorum non requiratur fides aut probitas Ministri, jam sæpiùs ab Ecclesia fuit definitum: videlicet contra D. Cyprianum & 70. Episcopos Africanos; dein contra Donatistas; tertiò contra Albigenses; quartò contra Wicleffum in Concilio Constantiensi Sess. 8. ac demum contra Lutheranos & Hussitas in Concilio Trident. Sess 7. ubi de Sacramentis in genere can. 12. sic habetur: „Si quis dixerit, Ministrum in peccato mor„ tali existentem, modò omnia essentialia, quæ „ ad Sacramentum conficiendum aut conferen„ dum pertinent servaverit, non conficere, aut „ conferre Sacramentum, anathema sit.

Notandum 2. Per probitatem Ministri hoc loco intelligi statum gratiæ. Quæritur autem, an etiam laicus in casu necessitatis baptizans, vel quilibet Sacerdos vel Clericus administrans Sacramentum quodcunque in statu peccati mortalis peccet mortaliter, nisi priùs se vel per confessionem vel per contritionem perfectam constituat in statum gratiæ? Aliqui Authores faciunt discrimen inter Sacramenta continentia intrinsecam Sanctitatem, quale est Sacramentum Eucharistiæ, & inter Sacramenta tantùm conferentia Sanctitatem, v. gr. Baptismum. Inter diversissimas Authorum sententias sequor eam, quæ à Doctoribus Sanctis & famâ virtutis insignibus uniformiter tradita est, cùm hæc obligatio dependeat ab æstimatione divina, quæ non nisi ab ejusmodi Doctoribus cognosci potuit per inspirationes internas & lumen divinum.

DICO I. Ad valorem Sacramentorum non requiritur fides vel probitas Ministri.

Probatur. Ecclesia constanter à tempore Apostolorum usque ad hæc tempora censuit, validum esse baptismum aut ordinem ab hæretico aut impio Ministro collatum. Ergo censuit fidem aut probitatem Ministri non requiri ad valorem Sacramentorum. *ant. patet* ab Inductione.

I. Stephanus Papa, teste ipsomet D. Cypriano, ejus in hac sententia Adversario, in Epist. 74. ad Pompejum, docuit, ex traditione Constanti Romanæ Ecclesiæ, baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos; sic enim D. Cyprianus scribit: „Quia desiderasti in notitiam tuam per„ ferri, quæ mihi Stephanus *(Papa)* rescripserit, „ misi tibi Rescripti ejus exemplum. Inter cæ„ tera etiam illud adjunxit, ut diceret: *Si quis* „ *ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innove*„ *tur, nisi quod traditum est*, *ut manus illi imponatur*

„in

„ *in pœnitentiam*. A quacunque hæresi venien-„ tem baptizari in Ecclesia (*Dei*) vetuit." Ita D. Cyprianus circa medium Sæculi III.

II. Concilium Laodicenum anno 314. can. 8. statuit: „De Afris, quòd propria sua lege u-„ tantur, ut rebaptizent, placuit, ut, si aliquis de „ hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & „ si perviderint, eum in Patre & Filio & Spiritu S. „ esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, „ ut accipiat Spiritum S. (*hoc est confirmationem.*)

III. Concilium Nicœnum anno 325. dum solos Paulianistas rebaptizari jubet, coipso approbavit definitionem Concilii Laodicensis. Can. 19. sic habet: „De Paulianistis, qui ad Ecclesiam „ confugerunt, statutum est, ut ii omnino re-„ baptizentur." Ratio autem hos excipiendi erat, quia non baptizabantur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. prout disp. 2. qu. 3. ostensum est.

Idem Concilium Nicœnum, ut ostendat, se agnoscere validum baptismum aliorum hæreticorum, can. 8. sic habet: „De his, qui se catha-„ ros, id est, puros, quandoque nominant, ad „ Catholicam autem Ecclesiam accedunt, sanctæ „ magnæ Synodo visum est, ut impositis eis ma-„ nibus (*in confirmationem vel pœnitentiam*) in clero „ maneant." Hinc Hyerus in Dialogo adversus Luciferianos testatur: „Nicœnam Synodum „ omnes hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Sa-„ mosateni discipulis.

IV. Concilium Laodicenum anno 364. can. 2. & Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum anno 381. can. 7. & Siricius Papa, & Innocentius I. & Leo M. & Gregorius M. idem confirmant.

V. Id fuit renovatum à Concilio Constantiensi, ubi inter articulos Wicleffi sequens, ordine 4. his verbis damnatus est: „ Si Episcopus, „ vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordi-„ nat, non conficit, non consecrat, non bapti-„ zat."

Ex his ergo patet, quòd Concilium Tridentinum definiendo valorem Sacramenti collati ab impio non condiderit novum articulum, sed quòd secutum fuerit antiquam traditionem.

DICO II. Ad licitam administrationem Sacramentorum in Ministro requiritur status gratiæ, quando ad id est specialiter deputatus, idque administrat solenniter.

PROBATUR I. Ex universali sensu omnium Theologorum. D. Thomas P. III. qu. 64. a. 6. c. scribit: „Non est dubium, quin mali exhibentes „ se Ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione „ Sacramentorum peccent; & quia hoc pecca-„ tum pertinet ad irreverentiam Dei & contami-„ nationem Sacramentorum, quantum est ex „ parte ipsius peccatoris, consequens est, quòd „ tale peccatum ex genere suo sit mortale.

PROBATUR 2. Agere in occulto, quod in publico, si sciretur, haberetur pro gravi deordinatione, est peccatum mortale. Sed id agit Minister administrans Sacramenta in statu peccati mortalis. ergo. *Min. prob.* homines, si scirent Ministrum constitutum in peccato mortali sanctificare alios, quin per confessionem vel contritionem velit sanctificare se ipsum, æstimarent hoc pro gravi deordinatione contra reverentiam Sacramento debitam, & contra obligationem status. ergo. Idem observat S. Thomas l. c. ad 1. "Sacramenta in se ipsis sanctificationem „ quamdam habent, & ideo præexigitur in Mi-„ nistro sanctitas justitiæ, ut congruat suo Mini-„ sterio. Et ideo incongrue agit, & peccat, si „ in peccato existens ad tale Ministerium ac-„ cedat.

PROBATUR 3. In æstimatione divina habetur pro objecto gravis indignationis divinæ, si constitutus in peccato mortali operetur prædicatione verbi divini ad aliorum conversionem. Ergo etiam in æstimatione divina habetur pro objecto gravis indignationis divinæ, si Minister Dei operetur ad aliorum sanctificationem constitutus in peccato mortali. *a. prob.* ex Psal. 49. v. 16. ubi dicitur: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum; tu vero odisti disciplinam?*

PROBATUR 4. Actio Sacramentalis Ministri est moraliter actio Christi, prout ostensum est disp. 3. Q. 1. ergo Minister peccat mortaliter administrans Sacramentum in statu peccati mortalis. *a. prob.* si Legatus Principis in solenni functione, ubi inimici Principis reciperentur in gratiam, haberet actualem confœderationem vel amicitiam cum hostibus Principis, ea circumstantia esset ratione sui digna gravi indignatione Principis clementissimi. Ergo idem est circa actionem Sacramentalem.

PROBATUR 5. In administrandis Sacramentis præfigurativis Sacramentorum Christianorum requirebatur mundities externa præfigurativa munditiei internæ. Ergo certum est, per illas figuras significari simul voluntatem divinam seriam, & obligatoriam sub gravi ad munditiam internam Ministri in administratione Sacramentorum Christianorum. *a prob.* Exodi 19. v. 22. dicitur: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Et Lev. 21. scribitur: *Dixit Dominus ad Moysen: loquere ad Sacerdotes, & dices ad eos: Ne contaminetur Sacerdos in morte civium suorum. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus; incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt, & ideo Sancti erunt. Scortum & vile prostibulum non ducent in uxorem, nec eam, quæ repudiata est à marito; quia consecrati sunt Deo suo, & panes propositionis offerunt. Sint ergo Sancti; quia & Ego Sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.* Similiter Levit. 22. scribitur: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: loquere ad Aaron & ad filios ejus, ut caveant ab his, quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen* (hoc est, dignitatem) *sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. Ego Dominus. Dic ad eos, & ad posteros eorum: omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus.* Hæ expressiones divinæ profectò ostendunt, quanta obligatione exigat Deus munditiam internam in præfigurato, cùm tam gravibus expressionibus eam requirat in figura. Sic etiam in Isaia c. 52. v. 11.

 dicitur:

dicitur: *Pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.*

PROBATUR 6. Authoritate Patrum. 1. S. AUGUSTINUS l. 2. *contra Epist. Parmeniani.* c. 10. scribit: "Omnia Sacramenta cùm obsint „ indignè tractantibus, prosunt tamen per eos „ dignè sumentibus. *Et c.* 13. Constat, sancti- „ tatem Sacramentorum in perversis & sceleratis „ hominibus (Ministris) impollutam atque in- „ violabilem permanere; & quia dicuntur mali „ eam polluere, quantum in ipsis est, dicuntur, „ cùm illa impolluta permaneant, sed in bonis „ permanent ad præmium, in malis ad suppli- „ cium. *Idem Tract.* 5. *in Joan.* Ego dico, & „ omnes dicimus, quia justos esse oportet tanti „ Judicis Ministros." Et conc. 1. in Psal. 103. n. 9. *de malis Ministris loquens* ait: „Videant, qua- „ lem rationem habituri sint cum Deo, qui San- „ ctis non sanctè utuntur.

2. D. GREGORIUS M. l. 1. Ep. 2[?]. ait: „ Necesse est, ut esse munda studeat manus, quæ „ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius „ inquinet, si sordida ipsa insequens lutum te- „ neat. Scriptum namque est: mundamini, qui „ fertis vasa Domini.

3. S. BERNARDUS l. *de Convers. ad Clericos.* c. 10. „Væ Ministris infidelibus, qui needum „ reconciliati reconciliationis alienæ negotia ap- „ prehendunt.

PROBATUR 7. Authoritate Summorum Pontificum. 1. NICOLAUS I. in Resp. *ad Consulta Bulgarorum.* c. 71. scribit: „Sciscitantibus „ vobis, si à Sacerdote, qui sive deprehensus „ in adulterio, sive de hoc sola fama respersus „ est, debeatis communionem suscipere, nec „ ne? Respondemus: Qualiscunque Sacerdos „ sit, quæ sancta sunt, coinquinare non potest. „ Idcirco ab eo, usquequò judicio Episcoporum „ reprobetur, communio percipienda est; quo- „ niam mali bona administrando se tantummodò „ lædunt; & cerea fax accensa sibi quidem detri- „ mentum præstat, aliis verò lumen in tenebris „ administrat, & unde aliis commodum exhibet, „ inde sibi dispendium præbet.

2. GREGORIUS IX. in l. 3. Decret. tit. 2. c. 10. ait: "Quæsitum est de Clericis in fornica- „ tionem prolapsis, si eorum officium, priùs „ quàm pœnituerint, sit audiendum? Verùm etsi „ quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum „ constet esse suspensum, non debet tamen in „ officiis evitari, quia quantum ad alios etiam in „ casu proposito suspensus non est, nisi pecca- „ tum hujusmodi sit notorium per sententiam, „ seu confessionem factam in Jure, aut per evi- „ dentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari „ non possit.

PROBATUR 8. Ex Catechismo Romano pro Parochis jussu Concilii Tridentini conscripto. part. 2. n. 24. sic habet; "Meminisse sem- „ per debent pastores, Sacramenta quamdam di- „ vinam virtutem, quæ illis inest, nunquam „ amittere. At verò impurè ea ministrantibus „ æternam perniciem & mortem afferre. San- „ cta enim sanctè & religiosè tractanda sunt. „ Quodsi homini, peccatis contaminato minus „ licet de rebus divinis agere (juxta textum „ Isaiæ c. 52.) quantum ab eo scelus concipi ex- „ istimandum erit, qui sibi multorum scelerum „ conscius est, nec tamen Sacra mysteria pollu- „ to ore conficere, vel in fœdas manus sumere, „ contrectare, atque aliis porrigere, & ministra- „ re vereatur?

PROBATUR 9. Ex Rituali Romano, edito jussu Pauli V. ubi tit. 2. §. 4. sic habetur: (*) "Mi- „ nister Sacramentorum illud perpetuò curabit, „ ut integrè, castè, pieque vitam agat; nam etsi „ Sacramenta ab impuris coinquinari non pos- „ sint, neque à pravis Ministris eorum effectus „ impediri; impure tamen & indigne ministran- „ tes æternæ mortis reatum incurrunt. Sa- „ cerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi con- „ scius, quod absit, ad Sacramentorum admini- „ strationem non audeat accedere, nisi prius „ corde pœniteat. Sed si habeat copiam Con- „ fessarii, & temporis locique ratio ferat, con- „ venit confiteri.

PROBATUR 10. Speciatim de celebratione Missæ ex Concilio Trident. quod Sess. 13. sic scribit c. 7. de SS. Euchar. "Si non decet ad Sa- „ cras ullas functiones quempiam accedere, nisi „ sanctè; certe quo magis sanctitas & divinitas „ cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano com- „ perta est, eò diligentius cavere ille debet, ne „ absque magna reverentia & sanctitate ad id per- „ cipiendum accedat, præsertim cùm illa plena „ formidinis verba apud Apostolum legamus: „ qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi „ manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Do- „ mini. Quare communicare volenti revocan- „ dum est in memoriam ejus præceptum: probet „ se ipsum homo. Ecclesiastica autem consue- „ tudo declarat; eam probationem necessariam „ esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, „ quantumvis sibi contritus videatur, absque „ præmissa Sacramentali Confessione ad S. Eu- „ charistiam accedere debeat; quod à Christia- „ nis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, qui- „ bus ex Officio incubuerit celebrare, hæc San- „ cta Synodus perpetuò servandum esse decre- „ vit, modò non desit illis copia Confessoris. „ Quodsi necessitate urgente Sacerdos absque „ prævia Confessione celebraverit, quamprimum „ confiteatur.

DICO III. Ad licitam Sacramenti administrationem in Ministro requiritur status gratiæ, etiam tunc, quando illud non solenniter administrat.

PROBATUR. Textus pro Conclusione præcedente adducti urgent etiam in Ministro non solenniter administrante, prout patet consideranti. ergo idem dicendum. *a. prob.* Patres, Concilia, Theologi gravitatem peccati hic controversi non fundant in solennitate, sed in ipsa intrinseca indignitate rei. ergo.

DICO IV. A Ministro constituto in peccato mortali, per sententiam, aut evidentiam rei notorio, ne quidem saltem probabiliter per pœnitentiam retractato, non licet petere, vel accipe-

(*) NB. in mea edit. Antwerp. de An. 1669. hunc textum non inveni.

, accipere Sacramenta, nisi in casu necessitatis. Si autem probabile sit, eum peccata retractasse, id licet.

PROBATUR. In hac Quæstione concurrunt authoritates Conciliorum, Patrum, & primi nominis Theologorum quoad speciem valde inter se contrariæ, quæ per hanc distinctionem possunt à potiori concordari. Ergo hæc distinctio Conclusionis est admittenda. *a. prob.* ab inductione ejusmodi textuum & authoritatum:

I. S. AUGUSTINUS docet, baptismum accipere ab hæretico, vel excommunicato in casu necessitatis esse licitum; econtra extra casum extremæ necessitatis ne quidem accipere baptismum à Schismatico licitum putat. l. 1. *de Baptismo.* c. 2. ait: "Si quis, cùm possit in Ecclesia Catholica baptismum accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari; etiamsi postea venire ad Catholicam Ecclesiam cogitat, quia certus est ibi prodesse Sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autem non potest, procul dubio perversus est, iniquus est, & tantò perniciosius, quantò scientius. Ita enim non dubitat rectè illic accipi, sicut non dubitat, illic prodesse, etiam quod alibi acceperit." In hoc textu D. Augustinus perversitatem mentis videtur constituere in eo, quod communicet hæresi vel schismati per receptionem baptismi sine necessitate extrema. Ergo etiam videtur communicare criminosi & scandalo Sacerdotis notoriè criminosi, & ne quidem probabiliter pœnitentis, qui sine necessitate ab eo petit Sacramenta, cùm ea facilè possit habere ab alio.

II. IDEM S. Pater tantum allegat casum extremæ necessitatis, ubi liceat ab hæretico vel schismatico recipere Sacramenta. Ergo idem dicendum de notoriè criminoso, seu suspenso in foro interno, nisi saltem probabiliter sit emendatus. l. 1. *de Baptismo.* c. 2. sic scribit: "Si quem fortè coëgerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholica custodita per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in unitate Catholica recepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit corporali morbo liberatus, cùm se Catholicæ Congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime, verissimeque laudamus." In hoc textu videtur S. Augustinus loqui de aliquo, qui coram Ministro hæretico nec hæresin, nec fidem Catholicam exterius professus est; quia dicit: *In animo fide Catholica custodita*, videlicet in casu, quo ex professione fidei externa timeret ob perversitatem Ministri excludi à Sacramento necessitatis. Hæc Responsio & explicatio confirmatur ex sequenti textu, ubi S. Doctor l. 6. de baptismo. c. 5. sic scribit: "Potest tradere (*baptismum*) separatus (*ab Ecclesia*) sicut potest habere separatus: sed quàm perniciose habere, tam perniciose tradere. Ille autem, cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat, sicut plerisque accidit, ut Catholico animo & corde ab unitate pacis non alienato aliqua necessitate mortis urgentis in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Christi baptismum sine illius perversitate perciperent, & sive defuncti, sive liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos nunquam corde transierant." Hic iterum S. Augustinus tantum meminit internæ conservationis fidei, haud dubiè sine externa professione hæresis.

III. NICOLAUS I. in textu superiùs adducto, dum tribuit licentiam accipiendi communionem à Sacerdote improbo, non loquitur de eo, qui est notoriè criminosus, & evidenter permanet in crimine absque omni etiam probabili signo pœnitentiæ; imò videtur ultimatò suam licentiam restringere tantùm ad casum, quo non constat evidenter de crimine aut de impœnitentia; verba enim illius sic habent: „Sciscitantibus vobis, si à Sacerdote, qui sive deprehensus in adulterio, sive de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem suscipere, nec ne? Respondemus. Ab eo, usquequo judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est. - Sumite ergo intrepidi ab omni Sacerdote Christi mysteria, quia omnia Christi fide purgantur. Sed dicente B. Hieronymo, priusquam audias (*accusatum*) ne judicaveris quemquam, atque ante probationem accusationis illatæ neminem à tua communione suspendas, quia non statim, qui accusatur, reus est, sed qui convincitur, criminosus.

IV. MARTINUS V. in Constitutione *ad evitanda scandala*, renovat Constitutionem Gregorii IX. superiùs relatam in tantum, ut ubi Gregorius IX. dixerat, NEMINEM DEBERE vitare, nisi declaratum, vel notorietate facti criminosum, hic Pontifex explicans terminum æquivocum dicat, NEMINEM TENERI ad vitandum, nisi declaratum, vel notorietate facti criminosum. Verba hujus notabilis Constitutionis, à Concilio Basileensi anno 1435. sess. 20. & anno 1512. in Concilio Lateranensi sub Leone X. innovatæ, sunt ista: „Nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum participatione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ à jure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Interdictum Ecclesiasticum observare, nisi censura vel sententia hujusmodi fuerit facta in vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum à Judice publicata vel denuntiata specialiter, aut expressè, aut si aliquem ita notoriè in Excommunicationis sententiam constiterit incidisse, ut nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari." Ex hoc textu sequitur, quòd nullus *necessariò debeat* vitari ratione censuræ, nisi personaliter denuntiatus, aut notorietate facti inexcusabiliter inordinatus. Ergo à pari, cùm subtractio Parochianorum, qua se subtrahunt à Parocho, & à divinis, & à receptione Sacramentorum, sit quædam species Excommunicationis,

cationis, ac pœnæ Ecclesiasticæ Medicinalis, à nonnullis Conciliis particularibus statuta; pari ratione dicendum, neminem *teneri* ad vitandum suum Parochum quoad receptionem Sacramentorum, nisi hæc concurrant, nempe vel declaratio criminis & censuræ per sententiam, vel notorietas criminis sinè omni, ne quidem probabili opinione pœnitentiæ; vel denique nisi aliunde ad ejusmodi remedium extraordinarium devitationis obliget lex charitatis, & amor salutis propriæ vel alienæ, prout in nonnullis casibus potest contingere; licèt enim in tali casu Parochus *non necessariò debeat* vitari, nec *porochianus* ad hoc *teneatur* PER SE, vi alicujus legis directæ, tenetur tamen indirectè, & PER ACCIDENS ad eam segregationem per legem charitatis propriæ vel alienæ, nempe ad præcavendam ruinam spiritualem propriam vel alienam.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 1. Concl. 1. In canone Apostolico 45. dicitur: *Episcopum aut Presbyterum, qui hæreticorum baptisma vel sacrificium susceperit, deponi præcipimus.*

2. Ibidem can. 46. dicitur: *Episcopus, aut Presbyter, si pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitor, ut qui non discernat veros Sacerdotes à Sacerdotibus impostoribus.*

3. Innocentius I. Ep. 18. ad Alexandrum dicit: *Arianos, quia eorum laicos sub imagine pœnitentiæ ac S. Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate; quoniam quibus solum baptisma ratum esse, permittimus, nec Spiritum S. eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur, nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maximè in Ordinationibus operatur.*

4. S. Leo Epist. 79. ad Nicetam dicit, nullum hæreticorum per Sacramenta conferre sanctificationem.

5. D. Gregorius M. l. 11. Epist. 67. jubet iterari baptismum à Bonosianis collatum.

6. Pelagius II. apud Gratianum dicit, non esse corpus Christi, quod Schismaticus conficit.

7. Urbanus II. in Ep. ad Lucium dicit: *Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur.*

RESPONDEO. *Ad* 1. Hæreticos primi sæculi fuisse potiùs Philosophos Ethnicos, aut Judæos, qui non servabant materiam & formam baptismi, ut patet ex Irenæo & Epiphanio *de hæresibus*. Ideo non est mirum, quòd Ecclesia illud baptisma ratum non habuerit. Alii censent, hos canones conscriptos fuisse & collectos ex variis Conciliis particularibus, inter quæ erat Iconiense, in quo statuebatur error rebaptizantium.

Ad 2. Idem respondetur.

Ad 3. dist. Innocentius I. dicit, quòd hæretici in ordinationibus non possint dare plenitudinem Spiritûs intelligendo gratiam Sacramentalem. c. intelligendo characterem. n. Hic Pontifex solùm dicit, quòd ordinati ab Episcopis hæreticis debeant manere perpetuò suspensi ab exercitio ordinum. Ratio ipsius est, quia sic ordinati, cùm præsumendum sit, eos vincibiliter communicâsse hæresi, non receperunt gratiam Sacramentalem ob sui indispositionem; ac consequenter, cùm tale Sacramentum non reviviscat, vel id admodum incertum sit, à taliter in statu peccati mortalis ordinatis nihil posse boni sperari.

Ad 4. Idem respondeo. Nam S. Leo tantùm dicit, ab iis, qui præsumptivè schismati vel hæresi scienter communicant, gratiam Sacramentalem sanctificantem non obtineri ob indispositionem ex peccato mortali.

Ad 5. D. Gregorius M. expressè testatur l. c. à Bonosianis non fuisse collatum baptismum in nomine SS. Trinitatis.

Ad 6. dist. Non conficit corpus Christi negativum. n. Urbanus II.* sic habet: *Unam enim, quæ Christi corpus est, constat esse Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest; simul enim, ac quis ab ea recesserit, desistit esse Ecclesia.*

Ad 7. dico, quòd Urbanus II. loquatur de hæreticis formalibus, qui communicando in hæresi cum suis Pastoribus ob indispositionem suam ponunt obicem gratiæ. Verosimile est, quòd hic Pontifex, & plures alii ejusmodi Scriptores Veteres non agnoverint reviviscentiam Sacramentorum in ordine ad gratiam Sacramentalem, quam recepissent, si obicem non posuissent.

OBJICITUR 2. Non pauci ex antiquis Patribus docuerunt, esse reiterandum baptismum ab hæreticis collatum. Ergo pro hac sententia non habetur uniformis traditio. *Ant. prob.* 1. De S. Dionysio Alexandrino S. Hieronymus de Script. Eccl. testatur, eum in Cypriani & Africanarum Synodorum dogma de rebaptizandis hæreticis consensisse.

2. S. Basilius Epist. 2. ad Amphiloch. can. 47. de Encratitis & Novatianis, aliisque hæreticis loquens ait: *Nos una ratione eos rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicujus Oeconomiæ gratia, nostra tamen ratio vires obtineat.*

3. S. Athanasius orat. 2. contra Arrianos, vacuum & inutilem esse censet baptismum Arrianorum.

4. Optatus Milevitanus l. 1. contra Parmenianum docet, hæreticos habere *falsa baptismata*; & ne possit dici, eum loqui de sola gratia baptismali, addit: *Vobis verò Schismaticis, quamvis in Catholica Ecclesia non sitis, hæc negari non possunt, quia nobiscum communia & vera Sacramenta traxistis.*

RESPONDEO. dist. Docuerunt, reiterandum esse baptismum circa hæreses applicativas materiæ ac formæ dubiæ. c. circa hæreses applicativas materiæ & formæ certæ. n. Dico enim, quòd dissensio horum Patrum à praxi Romanæ Ecclesiæ solùm fuerit circa quæstionem facti; utrùm verba formæ concomitante professione Religionis hæreticæ v. gr. Arrianæ, Novatianæ &c. importent sensum à Christo intentum, vel non? Nam cùm verba ex circumstantia loquentis contrahant sensum secundarium ohvium, prout in arte critica demonstratur, aliqui judicabant, formam illam hæreticorum *in sensu obvio*

ab

* . Pelagius II.

ab illis intento falsam, ac consequenter nullam esse. Sed Ecclesia Romana sensum illum erroneum non esse *verborum* sed *personarum* tenuit. In hac ergo quæstione facti dogmatis definitio spectabat ad Supremum controversiarum Judicem, quæ donec emanasset, licitum erat sentire diversa.

Ad 1. Dico, Dionysium tantùm *consensisse conniventia* & *communicatione*, non errore. In aliis locis secundùm proprium judicium aliter sentit, prout Tournelius ex Eusebio l. 7. c. 9. ostendit.

Ad 2. dico, S. Basilium manifestè tantùm loqui de baptismo hæreticorum, qui circa Trinitatem erroneè sentiebant, quorum errorem censebat in forma baptismi exprimi *non verbis*, sed *ex circumstantiis* personarum baptismum conferentium, & recipientium. Ibidem enim dicit, quòd Encratitæ sint germen Marcionitarum, existimantium, Deum Patrem esse causam malorum. Novatiani autem erant injuriosi in Spiritum S. quem negabant peccata post baptismum remittere per pœnitentiam.

Ad 3. dico, etiam S. Athanasium eo ipso loco testari, quòd error Arrianorum videatur influere in formam baptismi, quia intelligunt Patrem non consubstantialem Filio, & Filium ex nihilo creatum. Itaque cum juxta Basilium & Athanasium sensus formæ videretur dubius, quod pertinet ad quæstionem facti doctrinalem, utpote versantem circa sensum verborum obvium ex circumstantia personarum loquentium, practicè in hoc dubio poterat renovari baptismus, & non renovari, juxta *Oeconomiam* seu leges prudentiæ. Illi, qui in dubio practicabant, aut practicari sinebant baptismum, pro motivo babuêre collationem certam gratiæ baptismalis, utpote cujus collatio, & reviviscentia Sacramenti erat dubia. Alii, qui non practicabant, nec à suis subditis practicari sinebant renovationem talis baptismi, pro motivo habere poterant, quòd gratia sanctificans in tali casu dubio, ubi liceret uti sententia probabiliori, obtineri posset per sumptionem Eucharistiæ, & quòd character posset suppleri in *Confirmatione*, utpote quæ est supplementum baptismi.

Ad 4. dico, quòd Optatus Milevitanus tantùm asserat, quòd Donatistæ veram gratiam Sacramenti ordinationis *ab Ecclesia traxerint*, & consequenter ob eam gratiam permanentem etiam in Schismaticis possint post conversionem denuò relinqui in suo officio ordinis, non autem alii hæretici, qui susceperunt ordinem in ipsa hæresi, vel post separationem ab Ecclesia factam, qui licèt acceperint characterem, tamen non receperunt gratiam Sacramentalem, ad bene obeunda officia ordinis necessariam, nunquam recuperabilem, eòquòd reviviscentia hujus Sacramenti aut nulla aut valde incerta sit.

Objicitur 3. D. Cyprianus in Synodo 7. Episcoporum declaravit, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. Ergo altera sententia non potest esse certa ex constanti traditione.

2. D. Cyprianus expressè negavit, dari traditionem pro opposito, à Stephano Papa prætensam, prout patet ex ejus epistola ad Pompejum.

3. I. Sæculo non dabantur hæretici retinentes veram materiam & formam baptismi. Ergo non potest allegari observantia vel traditio Apostolica contraria Cypriano.

Respondeo. *ad* 1. dist. Decrevit eos esse rebaptizandos definitione, respiciente praxin ac disciplinam Ecclesiæ circa quæstionem dubiam facti. c. definitione respiciente dogma fidei. n. in illo Concilio Africano non fuit definitum, baptizatos ab hæreticis sub debita materia & forma, & sub debita professione fidei circa SS. Trinitatem esse rebaptizandos, sed tantùm definitum est simpliciter, baptizatos ab hæreticis illorum temporum iterum esse baptizandos. Ea definitio respicere poterat solam praxin, congruam ad generales præsumptiones in quæstione facti, utrùm forma baptismi non contineat sensum *hæreticum obvium* ex circumstantia personæ conferentis? nam etiam Sæculo III. adhuc pleræque hæreses erant circa mysterium SS. Trinitatis.

Ad 2. dist. Negavit traditionem universalem & Apostolicam. c. particularem Romanæ Ecclesiæ, eámque antiquam. n. Ipsemet enim in Epistola ad Pompejum eam antiquam traditionem Romanæ Ecclesiæ tacitè fatetur his verbis: *Quæ ista præsumptio est, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere? -- Nec consuetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet, quo minus veritas valeat, & vincat.*

Ad 3. tr. a. dist. c. Ergo non potest allegari Traditio Apostolica circa baptismum, directa. c. indirecta. n. nam poterat Romana Ecclesia saltem habere traditionem indirectam ex traditis principiis generalibus, vel ex observantia circa alia Sacramenta v. g. circa Matrimonium, vel circa ordinationem, collatam ab hæreticis, ita ut posset argumentari à pari ex valore unius Sacramenti ad valorem alterius. Cæterùm quod D. Cyprianum attinet, qui ante suam conversionem fuit Rhetor Gentilis, in rebus Christianis parum versatus, haud dubiè potius est credendum testimonio Cleri Romani & Stephani Papæ, ubi dabatur perpetua contesseratio testium à temporibus Petri, Cleti, Clementis &c. quàm testimonio Episcoporum Africæ, in qua nulla Ecclesia erat Apostolica, hoc est fundata ab aliquo Apostolo.

Dices: Rationes D. Cypriani in Epist. ad Pompejum attingunt etiam dogma fidei & non solum disciplinam circa quæstionem facti dubiam quoad sensum verborum obvium in forma Baptismi. Ergo etiam foret ab eo definitum dogma fidei. *a. prob.* rationes ejus sunt ita generales, ut in proxima objectione videbimus, quæ ostendant Baptismum esse invalidum, etiamsi sit adhibita debita materia & forma, nec ullus interveniat error expressus in forma. ergo.

Respondeo c. a. n. c. Quamvis enim rationes D. Cypriani fuerint generales, non tamen definitio Concilii Africani versabatur de dogmate, sed de praxi & observantia posthac retinenda vel abjicienda.

Objicitur 4. Rationes D. Cypriani convincenter probant, Sacramenta ab hæreticis collata esse invalida: & illæ rationes æquè pugnant de Ministris constitutis in peccato mortali. Ergo etiam Sacramenta collata ab ejusmodi Ministris sunt

sunt invalida. *a. prob.* 1. hæretici & peccatores nullum habent jus tractandi Sacramenta, sicut Chore, Dathan, & Abiron non habuerunt jus usurpandi Ministerii Sacri. Ergo ea invalidè tractant.

2. Baptizati *Christum induunt.* Gal. 3. sed hæretici Christum non induunt. ergo verè baptizati non sunt.

3. Non est aliud, quod percipitur, quàm quod creditur. Sed quod in hæresi creditur, falsum est. Ergo & quod percipitur, falsum est.

4. In hæresi non valet Confessio Christi, aut mors pro Christo tolerata. Ergo nec valet Sacramentum ab hæretico perceptum.

5. Hæreticus non habet Spiritum. Ergo nec potest dare Spiritum Sanctum. Ergo forma Ordinationis administrata ab hæretico, qua dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* falsa est, ac consequenter nulla est.

6. Juxta S. Joannem in 2. Epist. v. 10. *Nec recipiendus, nec ei ave dicendum est*, qui Doctrinam Christi non habet. Ergo nec admittendus est Baptismus collatus ab hæretico.

7. Soli Ecclesiæ Catholicæ, Sponsæ Christi, relicta sunt Sacramenta. Ergo in religione hæretica non dantur vera Sacramenta.

8. Juxta Apostolum Ephes. 4. *Unus est Deus, una fides, unum baptisma.* Ergo præter baptisma Ecclesiæ Catholicæ aliud apud hæreticos baptisma esse non potest.

9. Apud hæreticos non datur regeneratio ad vitam. Ergo nec baptisma.

10. S. Petrus 1. Epist. 3. ait: *Salvos facit baptisma.* Sed baptisma hæreticorum salvos non facit. ergo.

11. Sacramentum sine effectu nullum est. Sed Sacramentum hæreticorum nullum habet effectum. ergo.

RESPONDEO n. a. quoad 1. membrum. *Ad* 1. dist. Non habent jus ea licitè tractandi. c. validè. n. quia ut observat S. Augustinus l. 3. contra Donat. c. 10. *Aliud est, non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicitè usurpare. Non itaque ideo non sunt Sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicitè utuntur non hæretici solum, sed etiam omnes iniqui & impii. Sed tamen illi corrigendi aut puniendi illa vero agnoscenda & veneranda sunt.* Ita Augustinus.

Ad 2. dist. Baptizati non ponentes obicem gratiæ Christum induunt. c. ponentes obicem. n.

RESPONDEO 2. dist. Christum induunt charactere obligationis. c. investitura sanctificationis. n. ita quoad rem respondet S. Augustinus l. 5. de Baptismo. c. 24. ubi docet; Christum indui aliquando usque ad Sacramenti perceptionem, aliquando autem usque ad vitæ sanctificationem.

Ad 3. dist. a. Non est aliud, quod percipitur, & quod creditur à recipiente. tr. quod creditur à Ministro. n. si recipiens non credat, esse Sacramentum, quod percipitur, verum est, non percipi Sacramentum. Sed si tantum Minister non credat, esse Sacramentum non invalidatur Sacramentum. Imò D. Augustinus docet, validum esse Sacramentum; etiamsi nec recipiens Sacramentum credat esse Sacramentum, sed tantum cæremoniam sacram. Nam l. 3. contra Donat. c. 14. dicit: *Cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest; fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.*

Ad 4. c. a. dist. c. Ergo nec Sacramenta aliquid valent in hæretico ex opere operantis, & in ordine ad sanctificationem & salutem. c. ex opere operato, & in ordine ad obligationem Sacramenti. n. Confessio Christi, & mors pro Christo tolerata non habent ullum effectum, nisi ex merito operantis. Econtra Sacramenta etiam habent effectum ex opere operato, nempe characterem cum obligatione ad operationes Sacramento congruas. Itaque ex improbitate Ministri vel recipientis non semper inficitur efficacia & valor Sacramenti. Id explicat S. Augustinus l. 4. contra Donat. c. 17. his verbis: *Aliud est non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptizandus, ut habeat. Qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, corrigendus. Nec adultera est aqua in baptismo hæreticorum, quia nec ipsa creatura, quam Deus condidit, mala est.*

Ad 5. c. a. dist. c. Ergo non potest Spiritum Sanctum dare per modum causæ principalis. c. per modum causæ ministerialis. n. Minister dat Spiritum S. non de suo, sed de munere alieno, sicut & famulus dat nomine sui heri centum aureos, dum forte ipsemet nec habet obolum.

Ad 6. c. a. n. c. Aliud est enim persona hæretici, & aliud est thesaurus Ecclesiæ vel ducatus aureus ad Ecclesiam pertinens injustè ab hæretico, vel prædatore sacrilego possessus. Sacramenta semper sunt aliquod bonum ad Ecclesiam pertinens, quod hæretici injustè possident. Itaque semper habent valorem suum. Idipsum observat S. Augustinus l. 7. contra Donat. c. 45. *Hæretici ad doctrinam Christi convertuntur, ut incorporentur Ecclesiæ, cujus Sacramentum habebant; & ideo, quod ejus habebant, agnoscitur, & sine ulla contumelia suscipitur.*

Ad 7. c. a. dist. c. Ergo extra Ecclesiam non habentur vera Sacramenta nisi ex ipsa Ecclesia. c. ex Ecclesia. n. hæretici enim, nisi exiissent ab Ecclesia, & exinde potestatem ordinandi, absolvendi, consecrandi &c. accepissent, non validè conficerent Sacramentum. Quoad baptismum vero, quem etiam Judæi & Gentiles validè conferunt, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licèt nunquam ingressi fuerint Ecclesiam, hæc responsio non sufficit.

Hinc RESPONDEO 2. dist. Soli Ecclesiæ concessa sunt Sacramenta jure utilitatis. c. jure proprietatis. n. soli Ecclesiæ ad capiendam utilitatem destinata ac tradita sunt. Si verò violenter per injuriam ab aliis usurpentur, nullum exinde in eos jus utilitatis derivatur. Id denuò observat S. Augustinus l. 4. contra Donat. c. 15. ubi respondens ad Objectionem hanc Cypriani: *Extra Ecclesiam salus non est*, ait: *Quis negat? Et ideo quæcunque ipsius Ecclesiæ habentur extra Ecclesiam,*

non

non valent ad ſalutem; ſed aliud eſt, non habere; aliud non utiliter habere. (*)

Respondeo 3. c. a. diſt. c. Ergo non valent Sacramenta, niſi conſerantur nomine Eccleſiæ. c. ſi conſerantur nomine Eccleſiæ. n. Eo ipſo quod ad valorem Sacramenti requiratur intentio faciendi, quod facit Eccleſia, etiam hæretici ac gentiles conferentes Baptiſmum vel aliud Sacramentum, illud conſerunt nomine Eccleſiæ, ſaltem intentione primaria & implicita, prout Diſp. 2. & 3. explicatum eſt.

Ad 8. c. a. n. c. & ſuppoſitum, quòd Sacramenta à gentili vel hæretico collata non ſint Sacramenta Eccleſiæ; quia ab illis tantùm uſurpantur, & nomine Eccleſiæ conſeruntur.

Ad 9. diſt. Apud hæreticos non datur regeneratio per modum cauſæ principalis. c. per modum cauſæ miniſterialis. n. vel *ſubd.* non datur in ſubjecto ponente obicem. c. in ſubjecto ritè diſpoſito. n. Si enim Judæi, Turcæ, vel Gentiles ad fidem Chriſtianam convertantur, ſicut ferme ſingulis annis multa Gentilium millia his temporibus convertuntur à Moſcovitis, tales converſi, ſi invincibiliter exiſtiment, Religionem v. g. Moſcoviticam, vel aliam ejusmodi, eſſe veram religionem, etiam in Baptiſmo conſequentur gratiam.

Ad 10. diſt. Salvos facit in actu primo, & de ſe reſpectu non ponentium obicem. c. in actu ſecundo etiam reſpectu ponentium obicem. n. S. Auguſtinus facit paritatem cum aqua Baptiſmi, & cum aqua diluvii. Nam l. 5. contra Donat. c. 28. ait: *Sicut non alia aqua, ſed eadem aqua in arca poſitos ſalvos fecit, & extra arcam poſitos interemit, ſic non alio ſed eodem Baptiſmo & boni Catholici ſalvi fiunt, & mali Catholici vel hæretici pereunt.*

Ad 11. tr. *Maj.* n. *Min.* Ponit enim characterem, & obligationem ad operationes Sacramento congruas, etſi ob impedimentum non cauſet gratiam ſanctificantem gratum facientem Deo.

Objicitur 5. In c. *Anaſtaſius.* 9. diſt. 19. legitur, quòd Anaſtaſius Secundus fuerit punitus, quia Sacramenta ab Acacio hæretico collata habuit rata.

2. In c. *Daibertum.* cauſ. 1. q. 7. refertur, quod Innocentius Papa declaret, invalidam eſſe ordinationem collatam ab hæretico, addita ratione; *quia nihil dare potuit ei, cui manus impoſuit, qui ipſe nihil habuit.*

3. In c. *Propter.* 10. diſt. 19. dicitur, quòd Synodus Conſtantinop. irritas decreverit Ordinationes factas à Maximo Epiſcopo.

Respondeo *ad* 1. n. a. In illa enim hiſtoria ſolum habetur, Anaſtaſium Clero Catholico fuiſſe exoſum, quia communicaverat cum Photino, qui ob communicationem cum Acacio habitam à Deo punitus eſt. Anaſtaſius autem ordinationes ab Acacio factas in gratiam Photini ratas habuit, hoc eſt, ſuſpenſionem ordinatorum ſolvit.

Ad 2. dico, eam Ordinationem fuiſſe declaratam invalidam; quia hæretici non erant uſi debita forma, ut Gloſſa explicat.

Ad 3. dico, iterum ſermonem eſſe de irritatione Ordinationis quoad effectum ſuſpenſivum, qua declaravit, illicitè ordinatos fore perpetuò ſuſpenſos.

Objicitur 6. Eccleſ. 34. v. 4. dicitur: *Ab immundo quid mundabitur?* ergo malus Sacerdos non mundat baptizando vel abſolvendo.

2. Eccl. 34. v. 30. dicitur; *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio illius?*

3. Pſal. 140. v. 5. dicitur: *Oleum peccatoris non impinquet caput meum.* Ergo Sacramentum Confirmationis & Extremæ Unctionis ab impio collatum nil juvat.

4. Joan. 9. v. 31. dicitur: *Scimus, quia peccatores Deus non audit.*

5. Matth. 7. v. 17. dicitur: *Arbor bona bonos fructus facit: arbor mala malos fructus facit.* Ergo improbus Sacerdos non cauſat gratiam.

Respondeo *ad* 1. tr. a. n. c. & ſuppoſitum, quod Sacerdos interius animam lavet, aut interius animam mundet; Deus enim eſt, qui mundat phyſicè.

Dixi: tr. quia textus tantum verificatur, quod nihil immundum in eodem genere cauſalitatis mundet alia, & mundatione immediata. Poteſt autem aliquid moraliter immundum v. g. chyrurgus mundare phyſice, & viciſſim.

Ad 2. Dico ſenſum eſſe, quod lavatio ejus, qui ex attactu cadaveris in Lege Moyſaica factus erat immundus, nil proſit, ſi ſtatim iterum tangat cadaver. Hunc ſenſum reddit contextus; quia additur explicatio his verbis: *Sic homo, qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe?*

Ad 3. diſt. Oleum morale adulationis non impinguet caput meum. c. oleum phyſicum. n. Senſus patet ex contextu, ubi per oppoſitionem ad vitium adulationis dicitur: *Corripiet me juſtus in miſericordia* (hoc eſt ex virtute miſericordiæ) *& increpabit me.*

Ad 4. diſt. Peccatores Deus non audit intuitu meriti in deprecante. c. intuitu Sacramenti & meriti in eo, cujus nomine deprecatio ponitur. n.

Ad 5. c. a. diſt. c. ergo improbus non cauſat gratiam per modum cauſæ principalis & tanquam fructum ex arbore, & horto proprio. c. per modum cauſæ inſtrumentalis ex arbore & horto dominico. n.

Objicitur 7. Ipſimet SS. Patres agnoſcunt, Sacramenta ab improbis Miniſtris collata nullum fructum conferre ſuſcipienti. ergo nullum conferunt. *a. prob.* 1. S. Auguſtinus l. 5. de Baptiſmo. contra Donat. c. 22. ait: „Conſentimus Cypriano, hæreticos Remiſſionem dare „non poſſe; Baptiſmum autem dare poſſe; qui „quidem illis & dantibus & accipientibus valeat „ad pernitiem, tanquam tanto munere Dei „male utentibus; ſicut etiam maligni & invidi, „quos & ipſe intus eſſe teſtatur (*in Eccleſia*) „Remiſſionem peccatorum dare non poſſunt, „cum eos baptiſmum dare poſſe, omnes fateantur." Similia habet l. c. l. 3. c. 18. & l. 6. c. 4. 2. S. Ambroſius l. de initiandis. c. 14. ait: Baptiſmum perfidorum non mundare, ſed polluere.

(*) In Edit. Lugdun. de A. 1664. textus habetur c. 17. mutata interpunctione, ſcilicet poſt *habentur.* Senſus tamen idem eſt.

luere. 3. S. Hieronymus in c. 3. Sophoniæ dicit: „Sacerdotes, qui Euchariſtiæ ſerviunt, & „ ſanguinem Domini populis ejus dividunt, im„ pie agunt in legem Chriſti, putantes Ευχαριςίαν imprecantis facere verba, non vitam; & „ neceſſariam tantum eſſe ſolennem orationem, „ & non Sacerdotum merita..

Respondeo. n. a. *ad* 1. diſt. D. Auguſtinus dicit, improbos Remiſſionem peccatorum dare non poſſe authoritate aut nomine proprio. c. authoritate & nomine Eccleſiæ. n. S. Auguſtinus in omnibus his locis tantum oſtendit, quòd improbi non nomine proprio abſolvant, ſed nomine Eccleſiæ, cujus ſunt immediati Miniſtri, ita ut ſint Miniſtri Chriſti tantum mediate. Is ſenſus elicitur partim ex contextu, partim ex aliis textibus, ubi vehementer reprehendit Sacerdotes, ſi ſe jactent: *Ego dedi tibi Remiſſionem peccatorum*, *Ego te mundavi &c.* Cum hoc tantum egerint immediate nomine Eccleſiæ, & mediate nomine Chriſti. l. 3. l. c. c. 18. ait: „Re„ miſſam peccatorum *(improbi Miniſtri)* non da„ bant, quæ per orationes Sanctorum, id eſt, „ per Columbæ *(Eccleſiæ)* gemitum datur." Et hoc ipſo in loco ſuperius: „Pax Eccleſiæ dimit„ tit peccata, & ab Eccleſiæ pace abalienatio „ tenet peccata, non ſecundum arbitrium homi„ num, ſed ſecundum arbitrium Dei, & oratio„ nes Sanctorum ſpiritalium. Pax autem hujus „ unitatis in ſolis bonis eſt." Et l. 5. c. 21. „Sa„ cramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, „ ipſam vero gratiam non niſi per ſe ipſum, vel „ per Sanctos ſuos. Et ideo remiſſionem pec„ catorum vel per ſe ipſum facit, vel per illius „ columbæ membra, quibus ait: ſi cui dimiſeri„ tis &c." Et l. 4. c. 4. eundem ſenſum manifeſte tradit his verbis: „Cum mihi *(objiciendo)* di„ citur: ergo hæreticus dimittit peccata? & ego „ dico: ergo avarus, raptor, fœnerator, invi„ dus dimittit peccata? Si per vim Sacramenti „ Dei, ſicut & ille, ita & ille. Si per meritum „ ſuum, nec ille, nec ille..

Ad 2. diſt. aſſerit, perfidorum *recipientium* baptiſmum polluere. c. perfidorum *miniſtrantium* baptiſmum. n. Ex contextu manifeſtum eſt, quod D. Ambroſius loquatur de recipientibus baptiſmum, qui haud dubiè, cum in ſtatu peccati mortalis ſine debita converſione accipiunt Sacramentum, peccant mortaliter.

Ad 3. diſt. Aſſerit hoc D. Hieronymus loquendo de Euchariſtia in concreto, & reduplicative ſumpta, ſeu qua tali, prout involvit non ſolum materiale ſed etiam formale Sacramenti gratiarum-actorii. c. loquendo de Euchariſtia denominative & materialiter ſumpta. n. Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti in Sacrificio Miſſæ poteſt ſpectari ſub quadruplici conſideratione, nempe tanquam Latrevticum, tanquam Euchariſticum, tanquam propitiatorium, & tanquam impetratorium. Dicit ergo S. Hieronymus, quod hoc Sacramentum non poſſit dici Euchariſticum in actu ſecundo, ſeu gratum Deo ſub ratione Euchariſtica per modum gratiarum actionis acceptæ Deo, niſi correſpondeat etiam recipientis hoc Sacramentum vita.

Objicitur 8. contra 2. & 3. Concl. Peccator exercendo opera charitatis non peccat. Ergo nec peccat Miniſter improbus conficiendo & adminiſtrando Sacramenta.

2. Si peccaret Miniſter improbus adminiſtrando Sacramenta, etiam peccaret Chriſtianus ab improbo Miniſtro petendo, vel recipiendo Sacramenta. Sed hoc non poteſt dici. ergo. *Maj. prob.* Tales Chriſtiani petendo vel recipiendo Sacramenta ab impio cooperantur ſine neceſſitate ad peccatum mortale. ergo.

3. D. Thomas expreſſe docet, quod Miniſter Sacramenti non ſolenniter adminiſtrans baptiſmum non peccet. Ergo ſaltem 3. Concluſio non eſt vera. *a. prob.* p. 3. q. 64. a. 6. ad 3. ſic ſcribit: „Miniſter in articulo neceſſitatis non „ peccaret baptizando, in caſu, in quo etiam „ poſſet Laicus baptizare; ſic enim patet, quod „ non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſub„ veniret neceſſitatem patienti. Secus autem „ eſt in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ „ neceſſitatis.

Respondeo *ad* 1. c. a. n. c. & parit. diſparitas eſt; quia opera charitatis non habent aliquam conſecrationem, tanquam inſtrumenta divinæ miſericordiæ collativa gratiæ, ac eo ipſo religione ſacra & veneranda ex officio perſonæ ſacra, ſicut ſunt Sacramenta; ſed ſunt tantum diſpoſitiones ad juſtificationem. Itaque in iis juxta æſtimationem tam divinam, quam humanam Summorum Pontificum, & Patrum ac Doctorum illuminatorum exigitur ſtatus gratiæ, non autem in iſtis. Ita reſpondet D. Thomas p 3. q. 64. a. 6. ad 1. certe ubi agitur de materia irreverentiæ, & de gravitate irreverentiæ, totum ab æſtimatione hominum vel Dei dependet, quorum æſtimationi, qua reſpective aut condunt, aut determinant legem ſecundum ſe indeterminatam, haud dubie ſtandum eſt.

Ad 2. diſt. *Maj.* Peccaret Chriſtianus ſine neceſſitate petendo vel recipiendo Sacramenta à Miniſtro exiſtente in peccato mortali vel declarato, vel per evidentiam rei notorio, & necdum ſaltem probabiliter pœnitente. c. exiſtente in peccato non evidenter notorio, aut ſaltem probabiliter pœnitente. n. Si enim delictum ſit occultum, quod manifeſtare aut publicare non licet, & chriſtianus non poſſit commode ab alio recipere Sacramenta, præſertim neceſſaria, aut valde utilia, licebit etiam ab impio ſummere Sacramenta; quia in tali caſu non cenſetur in æſtimatione morali eſſe cooperationia ad peccatum, quod eſt neceſſitatis inevitabilis ſine gravi detrimento.

Ad 3. diſt. S. Thomas docet, talem Miniſtrum non peccare in caſu neceſſitatis repentinæ, ubi non ſupereſt Miniſtro tempus ſe in animo recolligendi. c. in caſu neceſſitatis non repentinæ, ubi Miniſtro datur tempus ſe recolligendi. n. Quod enim D. Thomas loquatur de caſu neceſſitatis repentinæ, manifeſtum eſt ex eo, quia loquitur de illo caſu, in quo liceret etiam Laico baptizare, cui haud dubie tantum licet baptizare in caſu neceſſitatis repentinæ, ubi periculum eſt in mora, & non poteſt vocari debitus Miniſter. Itaque ſi habeat Miniſter tempus ſe

se recolligendi v. g. in via, dum vocatur ad baptizandum, tenetur sub peccato mortali elicere contritionem perfectam.

Dices 1. Ex his sequeretur, quod etiam mortaliter peccaret 1. Episcopus consecrando S. Chrisma. 2. Concionator ex officio prædicans verbum Dei. 3. Clericus administrans actus ordinis v. g. Acolythatûs. 4. Sacerdos distribuens Eucharistiam prius confectam. Sed hæc sunt nimis rigorosa.

Respondeo. dist. Sequeretur, quod Episcopus, Concionator, vel Clericus sic ministrans peccarent mortaliter per accidens. c. per se ratione sacrationis rei, quam tractant. n. Hoc enim, quod committatur peccatum mortale per se ob sacrationem rei, quæ tractatur, tantum contingit in tractatione Eucharistiæ, & in administratione Sacramentorum, ubi actio Ministri simul est moraliter actio Christi; idque ita sentiendum est ob æstimationem Dei & Ecclesiæ. Quia autem Consecratio Chrismatis, & prædicatio Verbi divini, & Officium Clerici non sunt actiones Sacramentales, tantum per accidens contingit, ibi intervenire peccatum mortale; quia nempe peccator juxta veriorem sententiam *in Tract. de Pœnit.* tradendam tenetur sub peccato mortali ponere actum veræ conversionis ad Deum, quotiescunque occurrit cogitatio practica, seu inspiratio divina de facienda conversione ad Deum. Cùm ergo ipsa actio Consecrationis, ipsa prædicatio Verbi divini, ipse actus immediatè tendens ad cultum Latrevticum moneant animum de conversione animi ad Deum, peccabunt tales Episcopi, Concionatores, vel Clerici per accidens, vel monitionem internam supprimendo, vel ob negligentiam supinam attentionis circa negotium sui officii illam excludendo seu arcendo. Hanc verò doctrinam non esse nimis rigorosam probatur ex sensu Insignium Doctorum Ecclesiæ. Nam 1. Gregorius IX. c. *Quæsitum. 17. de temp. Ordinat.* generaliter de omnibus Clericis loquens ait: „Quæsitum est de Sacerdotibus vel aliis Clericis, qui per reatum adulterii, „ perjurii, homicidii vel falsi testimonii bonum „ conscientiæ rectæ perdiderunt. Respondemus, „ quòd si proposita crimina ordine judiciario „ comprobata, vel alias notoria non fuerint, non „ debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam in jam susceptis vel suscipiendis ordinibus impediri. Qui si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii „ obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis „ in susceptis etiam ordinibus non ministrent." 2. D. Thomas expressè docet, quòd etiam Concionator ex officio prædicans verbum Dei peccet mortaliter, si fit in statu peccati mortalis. In 4. dist. 19. q. 2. a. 2. qq. 2. ad 4. sic habet: "Dicendum, quòd docere S. Scripturam dupliciter contingit; uno modo ex Officio prælationis, sicut „ qui prædicat, & docet: alio modo ex Officio „ Magisterii, sicut Magistri Theologiæ docent. „ Dicunt ergo quidam, quòd ille, qui primo modo docet, peccat mortaliter si sit in peccato „ mortali notorio; non autem, qui secundo modo docet; sed hoc est falsum; quia eorum, qui „ docent Scripturam, est idem finis, ac eorum, „ qui Sacram Scripturam ediderunt. -- Dicendum, quòd ille, qui est in peccato notorio, „ peccat, sive sic sive sic doceat. Sed ille, qui „ est in peccato occulto, peccat, si primo modo „ doceat, non autem, si secundo.

Dices 2. Hæc sententia, quòd Minister sic peccet mortaliter baptizando etiam non solenniter, exponit infantes periculo moriendi, sine Baptismo, vel moribundos sine Absolutione, & extrema Unctione, vel etiam Parochianos constituit in periculo, ne Parochi mali urgeant frequentem usum Sacramentorum. Ergo non videtur talis lex rationabilis, vel intenta à Christo.

Respondeo dist. Exponit infantes periculo &c. per accidens. c. per se. n. Illud dicitur fieri per accidens, quod fit præter intentionem principalis causæ, nec habentis obligationem præcavendi effectus contingentes malos in comparatione boni per se intenti ac præstabiliti, utpote majoris, quàm est malum permissum. In præsenti casu reverentia Sacramentis debita, & obtinibilis à potiori ex lege requirente statum gratiæ in Ministro juxta æstimationem divinam est eminenter majus bonum, quam est malum ex perversione Ministri. Itaque illud bonum est objectum per se; hoc verò malum est tantum objectum per accidens, quod Supremus Provisor Universi non tenetur impedire.

Objicitur 9. contra 4. Concl. Dantur Leges Ecclesiæ, prohibentes sine discrimine, audire Sacrum Ministrorum improborum. Ergo. *a. prob.* 1. inter Decreta Nicolai I. tit. 11. de Presb. habetur sequens Canon: *Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit, concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem.* 2. In Concilio Pictaviensi celebrato anno 1078. sub Gregorio VII. Can. 9. dicitur: *Ut nullus Diaconus, Presbyter, vel Subdiaconus concubinam habeat; sed nec aliam fœminam, unde mala suspicio habeatur, in una domo secum teneat, & quicunque hujusmodi Sacerdotis, seu per pecuniam ordinati, Missam scienter audierint, excommunicationi subjacere debeant.*

Respondeo dist. Dantur ejusmodi Leges Ecclesiæ non audiendi Missam Sacerdotis notoriè concubinarii, vel per sententiam declarati, ubi nec probabilia habentur emendationis signa. c. ubi per sententiam necdum est declaratus, & insuper habentur probabilia emendationis signa. n. Hæ leges partim loquuntur de Sacerdotibus concubinariis excommunicatis, vel de notoriè concubinariis, qui ex retentione publica concubinæ in sua domo ostendunt, se necdum esse emendatos, vel de condemnatis per sententiam, ac consequenter suspensis à celebratione Missæ. Gregorius enim VII. varias ejusmodi pœnas excommunicationis, & suspensionis in concubinarios statuerat. At verò pœnis illis sublatis per subsequentes Canones, quibus non urgebantur, sola remansit obligatio juris naturalis, & divini, per Decretum Gregorii IX. declarata, & ad certos terminos, in Conclusione 4. explicatos, reducta.

 DISPU-

DISPUTATIO VI.

De Suscipientibus Sacramenta.

In hac Disputatione quæritur :

1. Qualis dispositio in recipiente requiratur ad validam susceptionem Sacramenti?
2. Qualis dispositio in recipiente requiratur ad fructuosam susceptionem Sacramenti ?
3. An Sacramenta inæqualiter dispositis ex opere operato conferant æqualem gratiam?
4. An & quænam Sacramenta remoto obice reviviscant? Et qualis in recipiente requiratur dispositio ad reviviscentiam Sacramentorum?

QUÆSTIO I.

Qualis dispositio requiratur in recipiente ad validam susceptionem Sacramenti?

NOTANDUM 1. Per dispositionem in recipiente intelligi actum voluntatis liberum, quo libere animum ad susceptionem gratiæ Sacramentalis præparat, v. g. actum fidei, actum spei, actum attritionis, actum dilectionis initialis, aut intentionis &c.

NOTANDUM 2. Non esse confundendam *dispositionem* cum *conditione* requisita. *Conditio* enim consistit in requisito non dependente ab actu libero voluntatis. Sic enim ad validam susceptionem Sacramenti in baptismo requiritur *negatio* baptismi jam semel valide suscepti; in aliis omnibus Sacramentis prærequiritur character baptismalis; in Sacramento ordinis requiritur sexus virilis; in Sacramento Pœnitentiæ actuale peccatum præteritum; in Sacramento Extremæ Unctionis infirmitas; in Matrimonio negatio impedimenti dirimentis. Hoc loco solum agitur de dispositionibus, non de conditionibus requisitis ex parte recipientium Sacramenta.

DICO I. Ad validam susceptionem Baptismi in parvulis aut perpetuo amentibus nulla requiritur positiva intentio, aut dispositio.

PROBATUR 1. ex Concilio Trident. quod Sess. 7. de Baptismo Can. 13. definit, in parvulis non esse necessariam fidem ad validum baptismum. Ergo etiam non requiritur ullus alius actus præsupponens exercitium fidei. Et cum perpetuo amentes quoad carentiam usus rationis parvulis æquiparandi sint, ob paritatem rationis idem de utrisque dicendum erit. Concilium l. c. sic habet: „Si quis dixerit, parvulos, eoquod „ actum credendi non habent, suscepto baptismo „ inter fideles computandos non esse, ac pro„ pterea cum ad annos discretionis pervenerint, „ esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum „ baptisma, quam eos non actu proprio creden„ tes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

PROBATUR 2. Ecclesia semper agnovit validum baptismum parvulorum, & aliunde physice certum est, in iis non posse naturaliter reperiri actum voluntatis liberum circa objectum sibi incognitum. ergo non requiritur. *a. prob.* testimonio Patrum; sic

I. ORIGENES homil. 8. in Levit. dicit: „ Cum Baptisma in Remissionem peccatorum de„ tur, secundum Ecclesiæ observantiam etiam „ parvulis baptismum dari, si nihil in parvulis „ esset, quod ad Remissionem peccatorum per„ tineret, gratia baptismi superflua videretur." Idem hom. 14. in Lucam ait: „Parvuli baptizan„ tur in Remissionem peccatorum.

II. D. CYPRIANUS epist. 59. *ad Fidum.* „ Quantum ad causam Infantium pertinet, quos „ dixisti intra secundum vel tertium diem, quo „ nati sunt, constitutos baptizari non oportere, „ & considerandam esse legem circumcisionis an„ tiquæ, ut intra octavum diem baptizandos non „ putares, longe aliud in Concilio nostro visum „ est. Idcirco hæc fuit in Concilio nostro sen„ tentia, à Baptismo atque à gratia Dei nemi„ nem per nos debere prohiberi. Quod cum „ circa universos observandum sit, magis circa „ infantes & recens natos observandum putamus.

Idem S. Pater Serm. de lapsis docet, S. Sanguinem etiam infantibus infundi consuevisse, quod non potuit fieri sine præcedente baptismo.

III. D. AUGUSTINUS sæpissimè ex baptismo parvulorum ubivis consueto summit argumentum pro peccato originali v. g. in libris contra Julianum.

PROBATUR 3. Si in parvulis requireretur positiva dispositio aut fides, tunc etiam requireretur cognitio & libertas liberè assentiendi mysteriis fidei per specialem revelationem sibi propositis, sed hoc non potest dici. ergo. *Maj. patet;* quia dispositio libera ad Sacramentum dari non potest, sine cognitione mysterii, & sine libertate. *Min. prob.* Si in parvulis daretur cognitio mysteriorum & libertas, non est verosimile, omnes parvulos uniformiter assensuros mysteriis sibi propositis, sicut nec omnes Angeli uniformiter assenserunt gratiis sibi collatis. Sed hoc non potest dici. ergo. *Min. prob.* Si non omnes uniformiter assentirentur, sequeretur, ab Ecclesia ne quidem probabiliter sciri posse, an hic vel ille parvulus fuerit justificatus per baptismum, vel non? Quod est contra unanimem sensum Ecclesiæ, & contra omnem traditionem, dum parvulis antiquitus etiam fuerit data communio.

DICO II. In recipiente Sacramenta, imprimentia characterem, sufficit, & requiritur intentio seu voluntas saltem permissiva.

Pro-

PROBATUR I. Ex D. Thoma in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. qq. 3. ubi ait: „Sciendum, quod non „ requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi, quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis. Et ideo si sit coactio sufficiens, ita, „ quod principium sit ex toto extra nihil conferente vim passo, ut cum aliquis reclamans „ immergitur violenter, tunc talis nec Sacramentum suscipit, nec rem Sacramenti. Si „ autem sit coactio inducens, sicut minis vel „ flagellis, ita, quod baptizatus potius eligat „ baptismum suscipere, quam talia pati, tunc „ suscipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti.

PROBATUR 2. ex Innocentio III. in c. *Majores. de Baptismo.* ubi Summus Pontifex Archiepiscopo Arelatensi sic respondet: „Est Religioni „ Christianæ contrarium, ut semper invitus & „ penitus contradicens ad recipiendam & servandam Christianitatem aliquis compellatur propter quod inter invitum & invitum, coactum „ & coactum alii non absurdè distinguunt, quod „ is, qui terroribus atque suppliciis violenter „ attrahitur, & ne detrimentum accipiat (†), baptismi suscipit Sacramentum; talis, sicut & is, „ qui ficte accedit ad baptismum, characterem „ suscipit christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute „ non velit, cogendus est ad observantiam fidei „ Christianæ, in quo casu debet intelligi decretum Concilii Toletani, ubi dicitur, quod, „ qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt, „ sicut contigit (*) temporibus Religiosissimi Principis Sisibuti; quia jam constat, eos Sacramentis „ divinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis „ Domini extitisse participes: oportet etiam, ut „ fidem, quam necessitate susceperunt, tenere „ cogantur. - - Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec „ characterem suscipit Sacramenti; quia plus est „ expresse contradicere, quam minime consentire. Dormientes autem & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, „ in contradictione persisterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, & si sic fuerint immersi, characterem non „ suscipiunt Sacramenti. Secus autem si prius „ Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Unde tales in necessitatis „ articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc „ ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non „ invenit obsistentem.

DICO III. In Sacramento præsertim Pœnitentiæ, Matrimonii, & Extremæ Unctionis requiritur quidem intentio positiva ad valorem Sacramenti, sed sufficit habitualis ex parte recipientis.

PROBATUR ex Concilio Arausicano I. de anno 442. can. 12. ubi dicitur: „Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari aut „ pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat.

DICO IV. In Sacramentis imprimentibus characterem ex parte recipientium Sacramenta non requiritur fides interna.

PROBATUR I. ex praxi Veteris Ecclesiæ, quæ ad Ecclesiam redeuntes ab Arrianis, Nestorianis, & Macedonianis, non rebaptizavit, nec reordinavit, licet prius in sua Secta non habuerint veram fidem.

PROBATUR 2. ex S. Augustino lib. 3. de Baptismo. c. 14. ubi sic scribit: „Non interest, „ cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit „ ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.

PROBATUR 3. Etiam Atheus vel Gentilis coactus ad recipiendum baptismum potest habere intentionem internam recipiendi hunc ritum christianum externum non tantum materialiter, sed etiam formaliter, prout eum à Christo recepit Ecclesia, etiamsi credat, eum esse tantum ritum superstitiosum. Ergo non requiritur fides interna ad valorem talis baptismi. *a. prob.* Talis Atheus vel Gentilis re ipsa habet intentionem absolutam se conformandi etiam interius in animo obligationibus hujus Sacramenti ac status Christiani, quamprimum agnoverit fidem Christianam esse veram. Ergo potest habere intentionem, hunc ritum recipiendi etiam formaliter.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. contra 2. Conclus. Sæpe Ordines Sacri collati sunt, absolute invitis ac repugnantibus. Ergo non requiritur voluntas positiva permissiva. *a. prob.* Theodoretus in Hist. c. 13. de Macedonii Eremitæ Ordinatione sequentia narrat: „Postquam Magnus Flavianus „ magno Dei Gregi (*Antiochenæ Ecclesiæ*) Pastor „ est ordinatus, & Viri (*Macedonii*) virtutem „ cognovit. - - De montis illum vertice per „ speciem objectæ accusationis, abduxit, & sub „ mysticum Sacrificium Altari admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum. Cumque „ peracta Liturgia hoc illi quidam indicassent „ (ignorabat enim prorsus, quid egissent,) primum quidem conviciis verbisque asperis proscidit universos; deinde arrepto baculo, quo „ innixus propter Senium incedebat, Pontificem „ ipsum, & alios, qui aderant, insecutus est, „ ordinationem hanc ratus montis verticem sibi „ optatamque habitationem erepturam. Sed „ tum quidem sic indignantem ægre tandem amici „ quidam sedaverunt. Expleto autem hebdomadæ curriculo, cum rediisset dies dominicus, „ iterum evocat illum magnus Flavianus, rogatque, ut celebritati cum ipsis intersit. Tum „ ille, ad eos, qui venerant, an vobis, ait, „ non sufficiunt, quæ jam acta sunt, sed iterum „ me Presbyterum creare vultis? Et respondentibus illis, fieri non posse, ut bis eadem „ fiat manuum impositio, non acquievit." Hæc Theodoretus. Secundum exemplum est Pauliani Fratris S. Hieronymi, *quem*, ait S. Epiphanius in Epist. ad Joannem Hierosolymitanum inter Hieronymianas, 110. alias 60. „Ignorantem & nullam penitus habentem suspicionem, „per

(†) Detrimentum incurrit. (*) Factum est.

„ per multos Diaconos apprehendi jussimus, & „ teneri os ejus, ne forte liberare se cupiens, „ adjuraret nos per nomen Christi: & primum „ Diaconum ordinavimus, proponentes ei timo„ rem Dei, & compellentes, ut ministraret; „ valde quippe obnitebatur, indignum se esse „ contestans. Vix ergo compulimus eum, & „ persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, „ & propositione mandatorum Dei; & cum mi„ nistraret in Sanctis Sacrificiis, rursus eum in„ genti difficultate, attento ore ejus, ordinavi„ mus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus „ ante suaseramus, impulimus, ut sederet in „ ordine Presbyterii." Hæc S. Epiphanius.

2. S. Augustinus Tract. 26. in Joan. ait: „ Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, ac„ cedere ad Altare potest nolens, accipere Sa„ cramentum potest nolens; credere non potest „ nisi volens.

3. Glossa in c. *Solet.* de Consecr. dist. 4. & in c. *Majores* de baptismo docet, esse validum baptismum ab eo susceptum, qui corde dissentit, modo dicat, se ore consentire.

4. Concilium Florentinum tantum dicit, tribus perfici Sacramentum, nempe materia & forma, & intentione Ministri, nullam faciendo mentionem de intentione recipientis. ergo hæc non requiritur.

Respondeo n. a. *ad prob.* Dico, ordinationem Macedonii fuisse invalidam, & verosimile est, eum hac ordinatione nunquam fuisse usum; quia ut ex historia colligitur, ipsemet credidit, se nondum esse validè ordinatum in Presbyterum. Pauliani autem ordinatio erat valida; quia ut ex historia apparet, tandem persuasus est, ut ordinationi acquiesceret.

Ad 2. dist. S. Augustinus hoc dicit loquens vel de Sacramento Eucharistiæ, quam accipere potest nesciens, esse consecratam; vel de baptismo parvulorum sæpe reluctantium cæremoniæ Sacramentali, vel de nolente secundum quid, seu per metum adacto. c. loquendo de nolente absolute. n.

Ad 3. dist. Glossa hoc dicit, loquendo de dissentiente dissensu speculativo per infidelitatem. c. loquendo de dissensu practico circa receptionem Sacramentalis cæremoniæ. n Si aliter sentiret Glossa, ejus authoritas tanta non est, ut propterea authoritati aliorum Doctorum & sensui communi Ecclesiæ præponenda sit.

Ad 4. dist. Concilium hoc docet loquendo de essentialibus requisitis Sacramentorum, respectivis ad quævis indiscriminatim individua. c. respectivis etiam ad parvulos. n. Eugenius IV. tantum vult designare requisita, quæ universim in omni usu Sacramentorum adhiberi debent.

Objicitur 2. contra 3. Concl. Moribundis solet dari Extrema Unctio, etiamsi eam nunquam petierint. Ergo non requiritur, ulla positiva intentio, ne quidem habitualis.

2. Si sufficeret intentio habitualis, sequeretur, quòd Sacramentum Confirmationis conferri posset dormienti vel amenti. Sed hoc est contra praxin Ecclesiæ. Ergo. *Maj. prob.* nullus est Christianus, qui non est ita comparatus, ut in articulo mortis, vel alias velit provideri omnibus Sacramentis sibi utilibus, vel recipere omnia media salutis non specialiter ardua.

3. Si sufficeret talis intentio habitualis, posset validè ordinari dormiens, qui prius aliquando aspirasset, vel optasset pinque beneficium vel Episcopatum.

4. Si talis intentio habitualis sufficeret, sequeretur, quòd tempore Paschali comedens hostiam consecratam, quam putat non esse consecratam, satisfaceret præceptu annuæ communionis ob intentionem habitualem.

5. Sequeretur, quòd etiam in articulo mortis deprehensus sine ullo signo doloris posset absolutè absolvi. Sed hoc non potest dici. ergo.

Respondeo c. a. n. c. Quia in moribundo supponitur, quòd aliquando habuerit voluntatem actualem recipiendi in morte Sacramenta, quorum fuerit capax, seu moriendi christianè.

Ad 2. n. *Maj.* Quia non potest in Christiano supponi voluntas peccandi, seu recipiendi Sacramentum non necessarium sine actuali vel virtuali præparatione.

Ad 3. n. *Maj.* Quia licet quis optaverit fieri Sacerdos, non tamen potuit sine peccato optare recipere Presbyteratum pro & in ea circumstantia, in qua nullam præmitteret præparationem actualem vel virtualem.

Ad 4. n. *Maj.* Quia ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio saltem virtualis. Dein Ecclesia exigit Communionem idoneam ad obtinendam gratiam. Talis autem Communio non esset idonea ad obtinendam gratiam; adeoque non satisfieret intentioni Legis Ecclesiasticæ, nec poneretur Communio præcepta ab Ecclesia.

Ad 5. n. *Maj.* Quia in Sacramentis, in quibus pro materia ponuntur ipsi actus recipientis, ut fit in Sacramento Matrimonii & Pœnitentiæ; materia debet esse moraliter præsens formæ, quod in hoc casu non contingeret. Hinc tale Sacramentum esset invalidum ex defectu materiæ, nempe doloris signo expressi & actualiter vel virtualiter ordinati ad Sacramentum.

Idem dicendum, si quis vellet altero die confiteri, & in somno vel phrænesi confiteretur Sacerdoti; talis enim non posset absolvi; quia materia hujus Sacramenti est confessio modo humanu facta & actualiter vel virtualiter ordinata ad formam Sacramenti, quod in hoc casu nun contingeret; cùm somnus aut phrænesis non sit medium idoneum à libero arbitrio ad Confessionem peccatorum efficaciter ordinabile.

Dices: Si sufficeret intentio habitualis, saltem sequeretur, quòd Judæus vel Gentilis in articulo mortis constitutus possit validè baptizari. Sed hoc est contra sensum & praxin Ecclesiæ. v. gr. in conflictibus cum exercitu Turcarum. Ergo. *Maj. prob.* potest meritò supponi, vel saltem dubitari, quòd Judæus vel Turca moribundus habuerit aliquando desiderium serium consequendi salutem æternam, & amplectendi omnia media salutis à Deo præscripta; potest etiam supponi vel saltem dubitari, quòd habeat saltem attritionem de suis peccatis. Ergo posset baptizari saltem sub conditione. Eodem modo sequeretur, quòd etiam hæreticus in articulo mortis

jamque destitutus usu linguæ & sensuum posset absolvi.

Respondeo dist. *Maj.* Sequeretur, hoc fieri posse spectata natura Sacramenti. tr. spectata intentione Christi & Ecclesiæ. n. Christus & Ecclesia enim omnia ad ædificationem fieri voluit; hoc non vult exponere Sacramenta Ecclesiæ generali contemptui, irrisioni & profanationi, ob rarissimum aliquem fructum, qui sequeretur ex tali praxi. Cùm ergo malum longè frequentius & gravius foret, quàm lucrum tenue, Ecclesia nunquam usa est hoc medio. Utrum in casu extraordinario, ubi Sacerdoti perspecta erat probitas moralis talis personæ, & mors est indubitata, ejusmodi praxis foret illicita, non assero. Exemplum tamen nullum alicujus viri probitate ac doctrina insignis ex historiis scio, qui usus foret ea sententia.

Objicitur 3. contra 4. Concl. In Concilio Arelatensi, celebrato Sæculo IV. jubentur baptizandi interrogari de SS. Trinitate, quod ipsum statuitur in Concilio Arelatensi II. Can. 17. ergo fides suscipientis in adultis requiritur ad valorem Baptismi.

2. *S. Augustinus* l. 7. de Baptismo. c. 53. asserit, valere Baptismum receptum sine simulatione & *cum aliqua fide.* ergo supponit, quòd ad valorem Sacramenti requiratur fides.

3. *S. Optatus Milevitanus* l. 5. ait: „In Sa„cramento baptismatis celebrando tres esse spe„cies constat; prima species est in Trinitate: „Secunda in credente: Tertia in operante. „Duas video necessarias. Principalem locum „Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest „geri, hanc sequitur fides credentis. Trinitas „enim semper ipsa est; fides in singulis una est, „vim suam semper retinent ambæ.

Respondeo c. a. n. c. Quia ex praxi Ecclesiæ, quòd baptizatus teneatur edere professionem fidei, tantum sequitur, quòd fides in adultis requiratur ad licitam susceptionem Sacramenti.

Ad 2. dist. Dicit hoc S. Augustinus loquendo de Baptismo joculariter administrato, sed cum fide recepto, idque per virtutem Sacramenti extraordinariam à Deo collatam. c. loquendo de Baptismo recepto per virtutem Sacramenti ordinariam. n. D. Augustinus ibi loquitur de Mimo, qualis erat S. Genesius, qui ab initio joculariter, dein in ipso actu Baptismi conversus seriò recepit Baptismum. De hoc ergo sentit, quòd Deus Sacramento virtutem extraordinariam contulerit, eamque actionem Sacramentalem suo nomine Deo Patri ad conferendam recipienti gratiam offerri ex speciali pietate voluerit. Ea expositio videtur propterea conformis menti S. Augustini; quia expresse docet, ad valorem Sacramenti non requiri fidem recipientis, prout Concl. 4. ostensum est.

Ad 3. dico, Optatum Milevitanum non requirere fidem de natura & effectu Sacramento-rum; eam enim nec nos requirimus. Requirimus tamen in tali Ministro, faciendi quod facit, Ecclesia, prout dictum est.

QUÆSTIO II.

Qualis dispositio ex parte recipientis requiratur ad licitam & fructuosam susceptionem Sacramentorum?

Notandum I. Aliud esse *licitam* receptionem Sacramenti, & aliud esse *fructuosam* susceptionem. Potest esse Sacramenti susceptio licita, v. gr. Eucharistiæ, Ordinis, Extremæ Unctionis, Matrimonii, quin sit fructuosa; tunc videlicet, quando homo existimat, se adhibere diligentiam sufficientem, quin tamen ea ad fructum in Sacramento obtinendum sufficiat.

Notandum 2. Authores non convenire inter se, quidnam requiratur ad fructuosam Sacramentorum receptionem? Aliqui enim tantum requirunt fidem & spem cum remotione obicis positivi, nempe peccati: Alii verò insuper requirunt actus internos positivos specialiter ordinatos & proportionatos ad finem cujuslibet Sacramenti.

DICO I. Pro Baptismo in parvulis & à nativitate amentibus non requiritur positiva dispositio.

Probatur. Ex praxi Ecclesiæ ejusmodi parvulos & amentes baptizantis, quin prudenter in iis supponi possit aliqua positiva dispositio.

DICO II. Pro Baptismo in adultis ad fructuosam susceptionem Sacramenti requiritur actus fidei, spei, & dilectionis initialis, attritionis & propositi servandi mandata.

Probatur ex Concilio Tridentino quod Sess. 6. c. 5. & 6. præparationem seu dispositionem ad justificationem in Sacramentis impetrandam sic describit: „Declarat S. Synodus, justifi„cationis exordium in adultis à Dei per Chri„stum præveniente gratia sumendum esse, ut ad „justificationem eidem gratiæ libere assentiendo „& cooperando disponantur. Disponuntur au„tem ad ipsam justitiam, dum excitati divina „gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes li„berè moventur in Deum, credentes vera esse, „quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque „illud inprimis, à Deo justificari impium per „gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in „Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelli„gentes à divinæ justitiæ timore, quo utiliter „concutiuntur, ad considerandam Dei miseri„cordiam se convertendo in spem eriguntur, „fidentes, Deum sibi propitium fore, illumque „tanquam omnis justitiæ fontem diligere inci„piunt, ac propterea moventur adversus pec„cata per odium aliquod, & detestationem, „hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante ba„ptismum agi oportet: denique dum proponunt „suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, „& servare divina mandata.

DICO III. Pro Sacramento Pœnitentiæ ad fructuosam Sacramenti perceptionem requiritur eadem dispositio, quæ in Baptismo.

PROBATUR. Concilium Tridentinum l. c. universim ad omnem justificationem requirit præfatam dispositionem. ergo etiam requiritur in Sacramento Pœnitentiæ.

CONFIRMATUR. Sacramentum Pœnitentiæ vocatur à Concilio Tridentino Sess. 14. c. 2. & à SS. Patribus *laboriosus quidam Baptismus.* ergo ad minimum requirit easdem dispositiones, quæ in Baptismo requiruntur. Plura de hoc videri possunt in Tract. *de Pœnitentia.* disp. 3.

DICO IV. Pro Sacramentis vivorum ad fructuosam eorum susceptionem per se requiritur status gratiæ.

DIXI: *per se.* Inferius de Sacramento Eucharistiæ dicetur, quòd conferat primam gratiam *per accidens*, iis videlicet, qui præmissa attritione bona fide ad hoc Sacramentum accedunt, existimando se esse in statu gratiæ.

PROBATUR 1. Finis horum Sacramentorum directus non est justificatio peccatoris, seu collatio primæ gratiæ; sed potius augmentatio & confortatio gratiæ, prout disp. 2. ostensum est. Ergo suscipiens Sacramentum eo ipso tenetur se prius constituere in statu gratiæ, quæ possit augeri & confortari.

PROBATUR 2. Ex Concilio Tridentino, quod de Sacramento Eucharistiæ Sess. 13. c. 7. sic habet: "Communicare volenti revocandum „ est in memoriam præceptum *(Apostoli)* probet „ se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam „ esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, „ quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis „ omnibus hæc S. Synodus perpetuò servandum „ esse decrevit: modò non desit illis copia Confessoris." Similiter idem Concilium de contrahentibus Matrimonium Sess. 24. c. 1. scribit: „ S. Synodus conjuges hortatur, ut, antequam „ contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter „ confiteantur, & ad SS. Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.

PROBATUR 3. Existens in peccato mortali est incapax gratiæ sanctificantis. Ergo etiam est incapax augmenti gratiæ sanctificantis, qualis est omnis gratia Sacramentalis. prout disp. 3. Q. 2. ostensum est; quamvis enim gratia Sacramentalis consistat directè in dispositione potentiarum ad fines cuilibet Sacramento proprios, non tamen datur ea dispositio nisi amicis, aut iis, qui ipso actu fiunt amici. Imò cùm gratiæ Sacramentales essentialiter tendant ad subjecti sanctificationem introducendam vel augendam, eo ipso foret indignus gratia, qui sua perseverantia in peccato gratiam sibi infusam Sacramentalem & habitualem frustraret fine suo intrinseco; per hoc ipsum enim peccaret mortaliter.

DICO V. In Sacramentis vivorum ex parte adultorum Sacramenta recipientium ad fructuosam receptionem requiritur actuale vel saltem virtuale propositum serium vivendi congruenter ad finem Sacramenti suscepti.

PROBATUR 1. In receptione gratiæ sanctificantis juxta D. Thomam ex parte recipientis requiritur assensus gratiæ. Ergo etiam in receptione gratiæ Sacramentalis requiritur assensus ad naturam gratiæ. Atqui iste assensus non potest intelligi sine proposito serio vivendi congruenter ad finem Sacramenti. ergo. Hoc Generale principium statuit D. Thomas 1. 2. Q. 113. a. 3. C. ubi sic habet: "Deus omnia movet secundum modum uniuscujusque. Unde & hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturæ humanæ. Homo autem secundum propriam naturam habet, quòd sit liberi arbitrii. Et ideo in eo à Deo non fit motio ad justitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiæ justificantis, quòd etiam simul cum hoc moveat liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum, in his, qui sunt motionis capaces. *Et ad* 1. Si quis aliquando habuit usum liberi arbitrii, & postmodum eo careat, vel per infirmitatem, vel per somnum, non consequitur gratiam justificantem per Baptismum exterius adhibitum, aut per aliquod aliud Sacramentum, nisi prius habuerit Sacramentum in proposito, quod sine usu liberi arbitrii non contingit. Et hoc modo ille, de quo loquitur Augustinus, renatus est, quia & prius & postea Baptismum acceptavit." Idem tradit l. c. ad 2. Ex his ergo manifestum est, quòd etiam ad gratiam justificantem in Sacramentis vivorum requiratur motus liberi arbitrii acceptantis, seu se conformantis gratiæ; quia ut D. Thomas ad 2. observat, donum gratiæ justificantis ordinat hominem ad bonum, *quod est objectum voluntatis.*

PROBATUR 2. Indecens est, à Deo conferri sanctificantem gratiam relatè ad determinatos fines homini adulto, quin habeat intentionem, congruenter cooperandi gratiæ. Ergo Deus gratiam Sacramentalem non confert sine tali proposito serio saltem virtuali, vivendi congruenter ad finem Sacramenti.

PROBATUR 3. Deus in Scriptura sæpè reprehendit neglectum gratiæ. Ergo etiam aversatur receptionem gratiæ sine serio proposito utendi gratia Sacramentali in ordine ad fines Sacramenti. Atqui si aversatur talem receptionem, verosimile est, à Deo non conferri talem indignis gratia.

PROBATUR 4. In Sacramento Eucharistiæ nullam prorsus acquirunt gratiam Sacramentalem, qui illam sumunt sine devotione congrua ad fines Sacramenti, prout monstrabitur in Tract. *de Eucharistia.* Ergo idem dicendum in aliis Sacramentis vivorum.

PROBATUR 5. Juxta communem Thomistarum sententiam apud Gonetum Sacramenta vivorum tribuunt jus ad gratias actuales fini Sacramen-

cramentorum congruas. Atqui hoc jus non tribuitur invito, sed acceptanti; quia jus non acceptatum nullum babet effectum. Ergo neque gratia Sacramentalis tribuitur, nisi acceptanti per serium propositum utendi boc jure.

PROBATUR 6. Concilium Tridentinum universim dicit, justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Sess. 6. c. 7. ergo etiam in Sacramentis vivorum, ubi confertur donum habituale, requiritur assensio ad ordinem gratiæ.

COROLLARIUM I. Ex hac doctrina sequitur, quòd Parochi debeant admonere recipientes Sacramenta de hac obligatione, ne defraudentur fructu Sacramenti.

COROLLARIUM II. Sequitur etiam, neglectum hujus serii propositi in ordinatis, vel conjugatis causam esse, cur nullam receperint gratiam Sacramentalem; & hunc defectum perpetuò durare in eorum vita, prout lamentabiliter in multis observare licet.

COROLLARIUM III. Sequitur etiam, quòd peccent graviter, qui sine ulla devotione seu proposito saltem virtuali ad Sacramenta accedunt, quia Sacramentum destituunt suo effectu, & se privant gratia Sacramentali.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 2. Conclus. Non potest explicari, quid sit illa dilectio initialis, quam requirit Tridentinum in baptismo adultorum, nisi propositum servandi mandata ex metu inferni. Ergo nil speciale exigitur præter propositum vivendi Christiane.

2. Est communis doctrina, quod in Sacramento Pœnitentiæ sufficiat attritio ex metu inferni concepta. Ergò non requiritur dilectio initialis.

RESPONDEO. n. a. Consistit enim in affectu amicitiæ seu proposito exhibendi DEO omnes actus essentiales reciprocos amicitiæ, oblatæ homini à Deo, idque ex motivo amoris amicitiæ, nempe qua Deus non solum est infinite bonus in se, sed etiam qua bonum beatificans hominem.

Ad 2. dist. Est communis doctrina privatorum, quod justificet in Sacramento talis attritio sine dilectione initiali. tr. est communis doctrina Ecclesiæ. n. Ecclesiæ doctrina desumi debet ex Traditione Patrum, & Theologorum Veterum. Sed necessitatem dilectionis initialis semper à Patribus & Theologis usque ad Sæculum XVI. assertam fuisse, constat ex Morino de Pœnitentia, & ex SS. D. N. Benedicto XIV. l. de Synodo l. 7. & ostendetur in Tractatu de Pœnitentia Disp. 3.

OBJICITUR 2. contra 4. Concl. 1. Licet Sacramenta mortuorum per se ac directe sint ordinata ad conferendam primam gratiam, tamen constitutis in statu gratiæ conferunt gratiam secundam. Ergo etiam vicissim Sacramenta vivorum, licet directè sint instituta pro gratia secunda, possunt tamen constitutis in peccato mortali conferre primam gratiam.

2. Sacramenta vivorum juxta Tridentinum conferunt infallibiliter gratiam non ponentibus obicem. Atqui constituti in statu peccati mortalis posita attritione non amplius ponunt obicem gratiæ. ergo.

RESPONDEO. c. a. n. c. & parit. disparitas est; quia Sacramenta mortuorum sunt per se & directe ordinata ad duos effectus, nempe ad primam gratiam, & simul ad dispositionem potentiarum congruam Sacramento. E contra non constat, quod Sacramenta vivorum sint simul ordinata ad duos effectus per se & directe, nempe ad dispositionem potentiarum habitualem Sacramento congruam, & simul ad primam gratiam. Itaque, si aliqua Sacramentorum conferunt primam gratiam, v. g. Eucharistia, eam tantum conferunt per accidens, hoc est præter essentialem finem Sacramenti.

Ad 2. dist. Conferunt infallibiliter gratiam non ponentibus obicem tam negativum, quam positivum. c. tantum positivum. n. Etiam non baptizatus, vel fœmina, vel infans, non ponit obicem gratiæ ordinationis positivum, & tamen non est capax gratiæ ejusmodi Sacramentalis ob defectum alicujus requisiti. Ergo idem debet dici de solo attrito ex metu inferni sine dilectione initiali, quia videlicet contracturus amicitiam cum Deo non ponit actum essentialiter incompossibilem cum statu peccati mortalis.

OBJICITUR 3. contra 5. Concl. Si hæc Conclusio esset vera, tunc sequeretur, quod in susceptione Sacramenti vivorum peccans venialiter eo ipso peccaret mortaliter. Sed hoc est absurdum. ergo. *Maj. prob.* Per peccatum veniale homo se redderet indignum gratia. ergo.

2. Hæc Conclusio ultimato probaret, quod gratia Sacramentalis daretur ex opere operantis, & non præcise ex opere operato. Sed hoc non potest dici. ergo.

3. Decet, ut Deus ad conservandam infallibilitatem gratiæ Sacramentalis non requirat ejusmodi dispositiones. ergo.

4. Probationes tantum ostendunt necessitatem assensus ad gratiam actualem, non autem habitualem. ergo.

RESPONDEO. n. *Maj.* Potest enim cum peccato veniali actuali v. g. distractionis, vel dissolutionis stare propositum serium cooperandi gratiæ Sacramentali alterius finis; vel etiam superandi ipsam infirmitatem præsentem actualem virtute gratiæ Sacramentalis.

Ad 2. n. *Maj.* Aliud enim est; quod ejusmodi dispositio requiratur per modum meriti; & aliud est, quod prærequiratur per modum conditionis: id patet ex requisitis in Sacramento baptismi, fide, spe, dilectione initiali, attritione &c. quæ omnia ibi non concurrunt

currunt per modum meriti, sed per modum conditionis, vel dispositionis congruæ.

Ad 3. retorq. in Sacramento baptismi, qui etiam ipse infallibiliter confert gratiam.

RESPONDEO 2. dist. Decet hoc, nisi lex Sanctitatis, Sapientiæ, & justitiæ divinæ requirat acceptationem & assensionem liberi arbitrii ad gratiam gratum facientem. c. secus. n. a. Perfectiones divinæ nunquam operantur solitariè, sed cum harmonia omnium perfectionum divinarum.

Ad 4. n. a. Nam S. Thomas eam acceptationem & assensionem expresse requirit in omnibus Sacramentis; imo etiam ad dona gratis data, v. g. ad donum Sapientiæ Salomoni infusum; quod ibidem AD 2. asserit, fuisse collatum ob præcedens ejus desiderium Sapientiæ. S. Doctor l. c. sic scribit: „Dicendum, quod „ etiam Salomon dormiendo non meruit Sa„ pientiam, sed in somno declaratum est ei, „ quod propter præcedens desiderium ei à Deo „ Sapientia infunderetur. Unde ex ejus Per„ sona dicitur Sapient. 7. optavi, & datus est „ mihi sensus.

Certe ratio D. Thomæ est generalis in omnibus Sacramentis. Nam cum gratia in Sacramentis vivorum sit tantum extensio gratiæ sanctificantis vel per novum ordinem ad novas gratias actuales, prout multi Thomistæ defendunt, vel per novam dispositionem potentiarum: semper urget ratio D. Thomæ 1. 2. q. 13. a. 3. ad 2. sic scribit: Sciendum est, quod non est eadem ratio de dono Sapientiæ, & de dono gratiæ justificantis. Nam donum gratiæ justificantis præcipue ordinat hominem ad bonum, quod est objectum voluntatis, quæ est motus liberi arbitrii. Sed sapientia perficit intellectum, qui præcedit voluntatem.

Et *ad* 3. dicendum, quod in infusione gratia est quædam transmutatio animæ humanæ, ut anima moveatur secundum modum suum. Sed conservatio gratiæ est absque transmutatione. Unde non requiritur aliquis motus gratiæ (sicut in infusione) sed sola continuatio influxus divini.

QUÆSTIO III.

An Sacramenta inæqualiter dispositis conferant inæqualem gratiam?

DICO I. Sacramenta æqualiter dispositis conferunt ex opere operato æqualem gratiam.

PROBATUR. Eadem causa naturalis æqualiter applicata in subjectis æqualiter dispositis operatur æquales effectus. Ergo etiam Sacramenta.

DICO II. Sacramenta tam vivorum, quam mortuorum inæqualiter dispositis conferunt ex opere operato inæqualem gratiam.

PROBATUR 1. Causæ naturales in agendo necessariæ in subjectis inæqualiter dispositis causant inæqualem effectum. Ergo etiam Sacramenta, in quantum operantur ex opere operato, æque habent virtutem operandi uniformiter, ac causæ naturales necessariæ in agendo. *a. prob.* Duo ignes causant diversos effectus in subjectis diversimode dispositis v. g. in ligno sicco & humido, in cera & luto. Anima rationalis operatur inæqualem effectum in tibia recta & curva, in brachio sano & paralytico, in oculo claro & turbido &c.

PROBATUR 2. D. Thomas eam inæqualitatem effectus agnoscit in baptismo. Ergo ob paritatem rationis idem est dicendum de reliquis Sacramentis. *a. prob.* in p. 3. q. 69. a. 8. C. sic scribit: „Dicendum, quod duplex est „ effectus baptismi; unus per se & alius per „ accidens. Per se quidem effectus baptismi „ est id, ad quod baptismus est institutus, „ scilicet ad regenerandum homines in spiritua„ lem vitam. Et hunc effectum æqualiter fa„ cit in omnibus, qui æqualiter se habent ad „ baptismum. Unde, quia omnes pueri æqua„ liter se habent ad baptismum, omnes æqua„ lem effectum percipiunt in baptismo. Ad„ ulti vero, qui per propriam fidem ad ba„ ptismum accedunt, non æqualiter se habent „ ad baptismum; quidam enim cum majori, „ quidam cum minori devotione ad baptismum „ accedunt, & ideo quidam plus, quidam mi„ nus de gratia novitatis accipiunt. Sicut etiam „ ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus „ ei appropinquat, licet ignis, quantum est de „ se, æqualiter ad omnes calorem suum effun„ dat. Effectus autem baptismi per accidens est, „ ad quem baptismus non est ordinatus, sed di„ vina virtus hoc in baptismo miraculose ope„ ratur. Et tales effectus non æqualiter susci„ piuntur ab omnibus baptizatis, etiamsi cum „ æquali devotione accedant.

PROBATUR 3. Concilium Tridentinum docet, mensuram gratiarum commensurari à Deo juxta cujusque dispositionem. Ergo inæqualiter dispositi recipiunt inæqualem gratiam. *a. prob.* Sess. 6. c. 7. sic habet: „Dispositionem „ seu præparationem *(in baptizando)* justificatio „ ipsa consequitur. - - Causa *(justificationis)* est „ justitia Dei, qua ab eo donati renovamur spi„ ritu mentis nostræ, justitiam in nobis reci„ pientes unusquisque suam secundum mensu„ ram, quam Spiritus S. partitur singulis, pro„ ut vult, & secundum propriam cujusque dis„ positionem & cooperationem.

PROBATUR 4. Authoritate S. Damasceni l. 4. de Fide Orthodoxa c. 20. ubi ait: „Quamvis „ peccatorum remissio omnibus æque per baptis„ mum detur; Spiritus tamen gratiæ pro fidei „ ac præcedentis purgationis modulo ac ratione „ comparatur.

PROBATUR 5. Ratio Sapientiæ divinæ postulat, ut inæqualiter dispositis conferatur inæqualis gratia. Ergo sic Christus instituit. *a. prob.* Per hoc obtinentur plurima ingentia bona, idque sine ullo ex hac lege redundante malo; & leges prudentiæ humanæ hoc postulant in humanis.

manis. Ergo idem dicendum in Sacramentis. a. quoad 1. membr. *prob.* quia sic acuitur industria fidelium se devotius præparandi ad receptionem Sacramentorum; nec tepidis per eam inæqualitatem infertur ullum damnum. ergo.

PROBATUR ETIAM c. quia ratio prudentiæ humanæ est participata à divina, & leges prudentiæ universim sunt unisonæ seu univocæ in humanis & divinis, cùm nulla perfectio ex suo genere simplex reperiri possit, quæ non reperiatur in Deo.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra 1. Concl. In casu, quo ad Sacramentum Baptismi accedunt duo æqualiter dispositi, ita tamen, ut unus apportet unum peccatum mortale actuale, alter centum peccata mortalia; hic posterior obtinet majorem gratiam. Ergo Sacramenta æqualiter dispositis conferunt inæqualem gratiam.

2. Accedentibus ad Sacramentum cum æquali dispositione conferuntur inæquales gratiæ actuales. Ergo etiam iis confertur inæqualis gratia habitualis. *a. prob.* duobus parvulis baptizatis, quando ad usum rationis perveniunt, conferuntur inæquales gratiæ actuales, v. g. illustrationes, vel motiones internæ. Ergo. Consimiliter, quando absolvuntur duo pœnitentes æqualiter dispositi in Sacramento Pœnitentiæ, sæpe obtinent à Deo diversas illustrationes & auxilia gratiæ.

RESPONDEO dist. Obtinent diversam gratiam secundum id, quod gratia attingit in obliquo de præterito. c. secundum id, quod gratia attingit in recto aut de futuro. n. peccata remittenda sunt totum objectum gratiæ, & quidem objectum de præterito. Ista ergo objecta gratiæ remissivæ in obliquo importata non sunt ipsa gratia; requiritur entitativè fortior aut perfectior gratia ad remittendum mille peccata, quàm ad unum peccatum mortale.

Ad 2. dist. Conferuntur inæquales gratiæ, vel ex libera prædestinatione divina sine intuitu ullius meriti; vel intuitu meritorum præcedentium ex parte parentum, vel pœnitentis. c. intuitu Sacramenti. n. nam gratiæ actuales non commensurantur Sacramentis, sed partim Sacramentis, partim meritis personalibus præcedentibus, partim orationibus piorum, v. g. parentum, avorum &c. partim intercessionibus Sanctorum, partim liberæ voluntati divinæ. Ad gratias enim actuales pertinet, quod scribitur ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.*

OBJICITUR 2. contra 2. Concl. Sacramenta tantum conferunt gratiam, quam significant. Sed tantum significant gratiam æqualem. Ergo. *Min. prob.* non significant gratiam inæqualem. Ergo tantum significant æqualem.

2. Sacramenta tantum operantur, quantum possunt operari. Sed possunt operari æqualem gratiam in subjecto etiam inæqualiter disposito. Ergo. *Min. prob.* etiam in subjecto minus disposito nullus datur obex gratiæ. ergo.

3. Sacramenta suum effectum habent ex infinitis meritis Christi. Ergo ad majorem vel minorem eorum effectum nihil facit major vel minor dispositio subjecti. c. *prob.* virtus infinita in operando non limitatur à dispositione objecti. ergo.

RESPONDEO tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. a. Non significant gratiam inæqualem significatione determinata. c. significatione disjunctiva. n. dico enim, quòd Sacramenta determinatè neque significent gratiam æqualem, neque inæqualem, sed quòd abstrahant à mensura gratiæ; quia hæc non determinatur à Sacramento, sed à Deo juxta dispositionem subjectorum. Itaque Sacramenta non operantur plus, quàm significant.

Ad 2. dist. *Maj.* Tantum operantur, quantum possunt operari potentia ordinata congruenter ad ordinem Sapientiæ divinæ ac dispositionem subjecti. c. quantum possunt operari potentia non subordinata ad ordinem sapientiæ divinæ & dispositionem subjecti. n. Sic etiam in Jure, quod convenienter fieri nequit, fieri non posse dicitur.

Ad 3. dist. a. Habent suum valorem ex infinitis meritis Christi, applicatis tamen modo finito cum subordinatione ad ordinem Sapientiæ divinæ. c. applicatis modo infinito, & sine tali subordinatione. n.

OBJICITUR 3. Etiamsi inæqualiter dispositis conferatur inæqualis gratia, potest tamen dici, quòd excessus majoris gratiæ non veniat ex opere operato Sacramenti, sed ex opere operantis. ergo. *a. prob.* major dispositio sufficienter præmiatur per augmentum gratiæ extrasacramentalis, quæ debetur tali dispositioni etiam extra Sacramentum positæ. ergo.

2. Plura peccata suscipientis Baptismum reddunt illum indignum gratia æquali, quam recipit alius cum minoribus peccatis posita tamen æquali devotione.

3. Qui habet majores gradus gratiæ, reddit per hoc æqualem dispositionem majoris valoris, quàm est dispositio alterius non habentis tot gradus gratiæ. Jam vel tali confertur inæqualis gratia vel non? Si dicatur, quòd illi conferatur æqualis gratia, sequitur, quòd inæqualiter dispositis non conferatur inæqualis gratia. Si verò dicatur, quòd illi conferatur inæqualis gratia, sequitur, quòd habentibus æqualem devotionem actualem possit conferri inæqualis gratia ob inæqualem dispositionem actualem.

RESPONDEO n. a. *ad prob.* c. a. dist. c. Ergo potest dici, quòd excessus ille gratiæ veniat ex opere operantis, si dispositio major consideretur in ratione meriti. c. si consideretur in ratione conditionis vel dispositionis congruæ. n. Eadem devotio suscipientis Sacramentum potest considerari sub duplici ratione; nempe per mo-

dum actionis meritoriæ, & sic illi correspondet præmium vitæ æternæ; & per modum conditionis applicativæ, qua subjectum perficiendum propius applicatur ad causam, aut per modum dispositionis perfectivæ sui subjecti in ordine ad activitatem causæ de se amplissimam minus limitandam. Sub hac ratione applicativa vel perfectiva subjecti non correspondet illi præmium, sed tantum illimitatior activitas causæ.

Ad 2. n. a. Quia, si Deus in admensione gratiæ Sacramentalis voluisset attendere ad numerum & gravitatem peccatorum præcedentium, collatio minoris gratiæ in æqualiter dispositis esset quædam tacita exprobratio peccatorum præcedentium; quod non convenit perfectæ amicitiæ divinæ, quæ contrahitur in Sacramentis mortuorum. Decet autem Deum, ut in admensione gratiarum attendat ad præsentem cujusque dispositionem.

Ad 3. dist. Reddit dispositionem majoria valoris in ratione meriti. c. in ratione conditionis vel dispositionis ad gratiam Sacramentalem. n. Dico proin, quòd talibus habentibus diversa merita præcedentia, attamen habentibus æqualem devotionem in susceptione Sacramenti conferatur æqualis gratia Sacramentalis; quia hæc non commensuratur meritis præcedentibus, sed dispositioni præsenti.

Objicitur 4. Deus in Sacramentis frequenter solet suscipientibus æqualiter dispositis inæquales gratias conferre. Ergo non est præsumendum, quòd ordinariè attendat ad diversam dispositionem recipientis. *a. prob.* Deus frequenter in Sacramentis confert inæquales gratias ex speciali fine suæ vocationis, aut prædestinationis gratuitæ; vel ob preces Sanctorum, & aliorum propinquorum, vel ob intercessionem S. Angeli Custodis.

2. Deus multis contulit in Sacramento Baptismi speciales gratias corporales, v. g. sanitatem, ùt refertur de Constantino M., vel specialem sanationem passionum & naturæ, ùt contigit in D. Cypriano, qui id de se ipso testatur; vel expulsionem dæmonum, prout etiamnum fit in India, vel specialem pulcbritudinem &c. ergo idem observat Deus circa largienda inæqualia dona animæ.

3. Infantes post Baptismum decedentes ordinantur ad replendas diversas Sedes, seu gradus gloriæ diversos, quos prius occupabant Angeli mali ante lapsum. Ergo etiam accipiunt inæqualem gradum gratiæ Sacramentalis, relativæ ad gloriam. *a. prob.* ex D. Augustino l. 22. de Civit. Dei.

4. Fideles se existimant feliciores, si recipiant Sacramenta à Ministris sanctioribus; idque esse optandum docet Scotus in 4. dist. 4. Q. 7. & D. Thomas p. 3. Q. 64. a. 1. ad 2. idem confirmat.

Respondeo c. a. dist. c. Ergo non est præsumendum, quod in dispensandis gratiis Sacramento accidentalibus attendat ad dispositionem recipientis. c. in dispensandis gratiis Sacramento essentialibus. n. gratiæ Sacramento essentiales sunt, quæ debentur ex pacto, & conferuntur ex opere operato, quæ cùm sint effectus constantes ac regulati, decet, ut conferantur ordinatè ac congruenter ad dispositiones prævias; quia Deus in ordine gratiæ quoad operationes stabiles sequitur ordinem consuetum in natura, ut omnia operetur, quoad fieri potest, in numero, pondere, & mensura, & servetur analogia causarum naturalium & supernaturalium relatè ad suos effectus & modum operandi. Hinc

Ad 1. c. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia illi effectus sunt præter ordinem, seu extraordinarii, nec consequenter petunt constantem ordinem in operando. Econtra gratiæ Sacramentales sunt effectus constans ac essentialis Sacramento; quæ proin petunt ordinem constantem operandi, conformem statis legibus Sapientiæ divinæ, nempe ut omnia fiant juxta præcedentes dispositiones subjecti in numero, pondere, & mensura.

Ad 2. c. a. n. c. & parit. Disparitas patet ex priori Responsione; quia etiam bi effectus sunt effectus irregulares, seu extraordinarii, seu præter ordinem, & ideo non requirunt constantem ordinem causandi.

Ad 3. dist. Infantes ordinantur ad replendas Sedes Angelorum inferiorum æqualis speciei ac meriti. c. ad replendas Sedes Angelorum æqualis naturæ ac meriti. n. Id enim D. Augustinus non docet.

Ad 4. dist. Existimant se feliciores spe obtinendi majorem fructum ex opere operantis, nempe ex deprecatione Ministri. c. spe obtinendi majorem fructum ex opere operato Sacramenti. n. id non obscurè indicat D. Thomas p. 3. Q. 64. a. 1. ad 2. ubi ait: "Effectus Sacramenti „ non datur melior per meliorem Ministrum. „ Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per devotionem Mini„ stri. Nec tamen Minister illud operatur, sed „ impetrat operandum à Deo.

QUÆSTIO IV.

An Sacramenta reviviscant? & qualis requiratur dispositio ad reviviscentiam Sacramentorum?

Notandum 1. Quæstionem sub variis loquendi formulis proponi. Nam aliqui Quæstionem hoc modo instituunt: An Sacramenta validè quidem sed infructuose suscepta remoto obice reviviscant? Alii quærunt: An Sacramenta fictè suscepta recedente fictione reviviscant? Alii denique sic quærunt: an Sacramentum informe reviviscat? Omnium harum phrasium sensus

sus est: An in casu, quo quis constitutus in peccato mortali suscepit Sacramentum Baptismi, Confirmationis, Ordinis, Matrimonii &c. postea, quando v. gr. post viginti annos detestatur peccatum per contritionem, vel per confessionem, rursus consequatur gratiam etiam Sacramentalem, quam in susceptione Sacramenti obtinuisset?

NOTANDUM 2. Varias esse in hac re sententias.

1. SOTUS simpliciter hoc privilegium reviviscentiæ concedit soli baptismo. Ita docet in 4. dist. 6. q. 1. a. 8.

2. D. THOMAS in 4. dist. 4. q. 3. a. 2. qq. 3. ad 3. reviviscentiam Sacramentorum agnoscit in solis tribus Sacramentis imprimentibus characterem, nempe in baptismo, Confirmatione & Ordine. Ejusdem sententiæ sunt D. BONAVENTURA in 4. dist. 12. part. 2. q. 2. ad ult. Et dist. 3. part. 1. a. 2. q. 3. SCOTUS 1. dist. 1. q. 5. PALUDANUS in 4. dist. 4. q. 5. SYLVESTER v. baptismus. n. 4. & alii.

3. DURANDUS in 4. dist. 4. q. 4. & dist. 17. q. 23. censet, etiam reviviscere Sacramentum Pœnitentiæ valide sed infructuose susceptum.

4. TANNERUS hic disp. 3. q. 3. dub. 4. n. 132. putat, omnia Sacramenta, quæ valide recipi possunt sine fructu, reviviscere, excepto solo Sacramento Eucharistiæ.

5. CAJETANUS opusc. 5. q. 3. *Petrus Sotus* lect. 4. de baptismo. *Henriquez. Diana. Franc. Lugo.* & alii plurimi eam reviviscentiam concedunt omnibus Sacramentis, quæ valide cum peccato recipi possunt.

NOTANDUM 3. Quamvis sat multæ sint Doctorum sententiæ circa reviviscentiam Sacramentorum, longe tamen plures esse circa modum reviviscentiæ. Nam Glossa Joan. Andreæ in Can. *tunc valere.* de Consecr. dist. 4. & alii Jurisperiti, cum quibus sentit Joannes Medina *de Confessione* qui, ubi loquuntur de iteranda ficta Confessione, docent, recedente fictione fieri remissionem peccatorum non virtute baptismi, sed solius contritionis. Alii distinguunt inter fictionem *positivam* & *negativam*. FICTIO POSITIVA est, qua aliquis scienter cum peccato mortali accedit ad Sacramentum. FICTIO autem NEGATIVA est, qua aliquis constitutus quidem est in peccato mortali, ita tamen, ut non advertat, aut non credat, se esse constitutum in peccato mortali. Illam fictionem positivam dicunt non tolli sine contritione perfecta; tolli verò per attritionem alteram fictionem. Sunt, qui per reviviscentiam baptismi tolli solum peccatum originale, reliqua verò peccata actualia tolli per contritionem perfectam existiment. Sed D. Thomas docet, quod Sacramentum baptismi reviviscat non solum ad delendum peccatum originale, sed etiam ad delenda omnia peccata actualia ante baptismum commissa, cum omni reatu pœnæ illorum peccatorum.

DICO I. Fictio, saltem positiva, non potest tolli nisi per contritionem perfectam.

PROBATUR. Omnes antiqui Theologi conveniunt inter se, quod fictio positiva non tollatur, nisi per contritionem perfectam. ergo. *a. prob.* Omnes antiqui Theologi dicunt, quod talis fictio non deleatur directè nisi per pœnitentiam, vel per Confessionem; aut dicunt expressè, quod non deleatur per baptismum. Ergo necessario delenda est per contritonem perfectam.

D. THOMAS p. 3. q. 69. a. 10. ad 2. ait: *Fictio non removetur per baptismum, sed per pœnitentiam consequentem.* Alii Theologi proximè referendi aperte remissionem fictionis adscribunt contritioni; aut illam fictionem numerant inter ea peccata, quæ sunt materia Confessionis. Cum ergo fictio positiva sit peccatum actuale mortale, clarum est, quod ex mente horum Doctorum deleri non possit, nisi per contritionem perfectam.

DIXI autem: SALTEM POSITIVA, fictionem enim negativam, cum non sit peccatum actuale sed tantum negatio retractationis sufficientis circa peccata præterita, vel negatio propositi sufficientis, quin tamen actu advertatur ad obligationem, defectum, vel malitiam, Paludanus existimat deleri per attritionem.

DICO II. Baptismus recedente fictione reviviscit non solum in ordine ad remissionem quoad reatum culpæ, sed etiam quoad reatum pœnæ peccatorum baptismum præcedentium.

PROBATUR tam ex Scriptura, quàm ex Patribus, & traditione veterum Theologorum.

I. SCRIPTURA omnibus diligentibus Deum promittit remissionem omnium peccatorum & pœnarum ope baptismi certam sine ulla exceptione. Atqui hæc promissio non esset universalis & sine exceptione, si recedente fictione adhuc remanerent pœnæ prioribus peccatis debitæ; imo pro illis pœnis adhuc deberetur præstari rigorosa satisfactio; eadem peccata adhuc per accidens utiliter pro expungendo reatu pœnæ exponerentur in Confessione; vel pro iis deberent posse applicari indulgentiæ; quod totum est contra praxin & sensum Ecclesiæ. *a. prob.* Apostolus, postquam ad Rom. 6. v. 3. dixerat: *Quicunque baptizati sumus in Christo JEsu, in morte Ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, dein c. 8. v. 1. quasi recapitulando subjungit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU, qui non secundum carnem ambulant.* Et ad Galat. 3. v. 27. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Omnes enim vos unum estis in Christo. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.* Sic etiam D. Petrus 1. Epist. c. 3. v. 21. Omnibus serio ad perfectionem vitæ Chri-

Christianæ contendentibus dicit: *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.*

II. D. Augustinus l. 1. c. 12. de baptismo, loquens de eo, qui baptizatus est ab hæreticis aut Schismaticis adhuc in hæresi vel schismate constitutus, & dein ad Ecclesiam Catholicam convertitur, ait: „Non iterum baptizandus „ est, quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in „ unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, „ quod acceptum in schismate prodesse non poterat. *Et l. 3. c. 13.* Tunc incipit valere idem „ baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut jam dimissa „ non retineantur, neque ut ille baptismus quasi „ alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse, qui propter discordiam „ foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. *Et l. 6. c. 5.* Ideo, si ab „ illa perversitate correctus, & à separatione „ conversus venerit ad Catholicam pacem, sub „ eodem baptismate, quod acceperat, ejus peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, „ sub quo baptismate peccata ejus tenebantur „ propter sacrilegium divisionis; quia illud & in „ homine justo, & in homine injusto semper „ sanctum est, quod neque æquitate alicujus augetur, neque alicujus iniquitate minuitur.

III. Author Sermonis de Passione Dominica, qui, cum scribat contra Novatianos, ostenditur vixisse Sæculo IV. vel V. ac continetur inter opera D. Cypriani. n. 10. sic scribit: „Quicunque sint Sacramentorum Ministri; qualescunque sint manus, quæ vel mergunt accedentes ad baptismum, vel ungunt, operationis authoritas omnibus Sacramentis largitur „ effectum, & cuncta peragit nomen à Sacramentorum Vicariis invocatum. Et licet indigni sint, qui accipiunt, Sacramentorum tamen reverentia & propinquiorem ad Deum „ parat accessum (nempe per Sacramentum Confessionis, in quo potest deleri peccatum fictionis, quin requiratur contritio perfecta) & ubi „ redierint ad Cor, constat ablutionis donum, „ & redit effectus munerum; necalias quæri aut „ repeti necesse est salutiferum Sacramentum." In hoc textu Notandum, quod licet Author ab initio etiam mentionem faciat de Unctione Confirmationis, ubi ostendit, non nocere malitiam Ministri, tamen in fine, ubi est sermo de reviviscentia, solum faciat mentionem ablutionis baptismalis.

IV. Magister Sententiarum l. 4. dist. 4. sic habet: „Si quæritur, cujus rei baptismus sit „ Sacramentum, qui datur jam justo? Dicimus, Sacramentum esse & rei, quæ præcessit, „ id est, remissionis ante per fidem datæ, & remissionis temporalis pœnæ, seu peccati, si „ quod habetur, quod interim committitur, & „ novitatis ac omnis gratiæ ibi præstitæ. Nec „ mireris, rem (nempe gratiam sanctificantem) „ aliquando præcedere Sacramentum, cum aliquando etiam longè post sequatur, ut in illis, „ qui fide accedunt (in statu peccati mortalis) „ quibus, cum post pœnituerint, incipiat baptismus prodesse, in quibus fuit baptismus Sacramentum hujus (futuræ) sanctificationis, quam „ pœnitendo habent. Sed si nunquam pœniterent, nec à figmento recederent, cujus rei „ Sacramentum (seu signum) esset baptismus „ ab illis susceptus? Potest dici, rei, quæ ibi „ foret, si eorum enormitas non impediret." In hoc textu Notandum, quod Magister Sententiarum in collatione baptismi in justo faciat mentionem quinque effectuum, nempe gratiæ sanctificantis, remissionis quoad reatum pœnæ, remissionis quoad peccata actualia præcedentia baptismum, novitatis seu regenerationis, & virtutum infusarum. Sed ubi loquitur de reviviscentia baptismi, loquitur de sola sanctificatione, tanquam effectu, *quam pœnitendo habent*; cum ergo pœnitendo per contritionem perfectam tantum habeatur sanctificatio per gratiam sanctificantem, incertum est, an Petrus Lombardus voluerit, talem baptismum etiam prodesse in ordine ad tres illos effectus, nempe quoad remissionem pœnæ, & quoad novitatem regenerationis, & quoad habitus infusos.

V. Alexander de Ales part. 4. q. 8. memb. 7. a. 2. §. 2. qq. 8. utrum recedente fictione baptisma habeat efficaciam? sic respondet: „ Dicendum, quod baptismus habeat illam efficaciam recedente fictione, quam ante habuisset, si sine fictione susceptus fuisset. *Et ad* 3. „ Recedente fictione character baptismalis facit, „ quod fecisset baptismus, si non præcessisset „ fictio. *Et ad* 5. Recedente fictione virtute „ baptismi dimittitur omnis pœna peccati præcedentis baptismum, sed non omnis pœna peccati consequentis peccatum. *Et ad* 6. Baptismus tollit gemitum & planctum, si adsit fides „ & contritio, quantum ad peccata præcedentia „ baptismum, non autem quantum ad peccata „ consequentia, licet illa præcedant contritionem de fictione. *Et ad* 7. Dicendum, quod „ sufficiat baptismus ad delendum originale peccatum in parvulo & veniale, si quod contraxit in pueritia; non sic autem est in adulto, „ ubi exigitur contritio propter actualia peccata „ (mortalia) quæ superaddita sunt, postquam „ ratio capax erat præcepti; quia fictio requirit „ contritionem. *Et qq.* 9. Adhuc quæritur; an recedente fictione baptismus habeat „ effectum suum ad tollendam pœnam pro peccatis præcedentibus baptismum? & ex qua „ causa id fiat? si dicatur; quod contritio sit „ causa. Contra est; quia contritio non „ est causa deletionis omnis pœnæ, nisi sit valde „ magna. Dicendum, quod causa surgit ex „ virtute baptismi, quam habet à passione, & „ ex ipso charactere, & ex gratia infusa, ut gratia infusa deleat culpam, baptismus vero manens in charactere ratione virtutis, quam habet à passione, deleat omnem pœnam." In hoc notabili textu duo notari merentur, *primo*, quod

quod ad tollendam fictionem requiratur contritio perfecta justificativa; quia remissionem culpæ non adscribit Baptismo, sed Gratiæ infusæ; *secundò*, quòd character non sit causa physica revivificentiæ, sed moralis, qua characteri solum tribuit, quod intuitu præcedentis Baptismi ex Passione Christi tollat tantum reatum pœnæ. Imò videtur dubitari posse, utrum Alensis non requirat contritionem perfectam justificativam etiam in eo, qui confitetur fictionem; quia l. cc. ad 3. dicit: eam pœnitentiam, per quam tollitur fictio, debere esse non SACRAMENTALEM. „Recedente fictione, *inquit*, character baptismalis, pœnitentia existente de fictione, facit, quod fecisset Baptismus, si non præcessisset fictio; Pœnitentia, dico, quæ est actus voluntarius recedens à malo volito, non sacramentali.

VI. ALBERTUS M. in 4. dist. 3. a. 2. sic scribit: „Fictio *primò* modo tunc est, si quis deridet ritum Ecclesiæ, & tamen intendit accipere, quod facit Ecclesia, licet derideat. Ille enim percipit Sacramentum. *Secunda* fictio est, quando quis est in statu peccati mortalis. *Et art.* 4. *Object. sic scribit*: Ponamus, quòd fictus inter Baptismum & ante pœnitentiam multa committat peccata, & postea pœniteat de fictione, aut illa peccata remittuntur sine gemitu exteriori & planctu, vel non? Si sic? Ergo peccatum actuale commissum post Baptismum remittitur sine exteriore satisfactione; quod non dicitur à Doctoribus. Si non remittitur? Ergo gratia Baptismi non delet, quidquid invenit." Ad hanc objectionem B. ALBERTUS sic respondet: „Dicendum, quòd virtute baptismatis non delentur in isto, nisi quæ usque ad horam Baptismi commiserit, sed virtute pœnitentiæ delentur sequentia, & ideò pro istis, debet recipere pœnitentiam exteriorem; & quod dicitur, quòd Baptismus delet, quidquid invenit, benè exponitur ab Augustino; quia deletur ibi hesternus dies, & hora ipsa ante Baptismum, sed non ea, quæ fiunt post; sed potius virtute contritionis & pœnitentiæ." In hoc textu *B. Albertus* videtur omnia peccata commissa post hesternum diem, & post horam præviam Baptismo referre ad peccata, quæ aut contritione, utique justificativa, aut pœnitentia externa Sacramentali delenda sunt. Si enim illam particulam relativam temporis, *post*, referret ad ipsum Baptismum, & non ad dies, horas, ac momenta præcedentia Baptismum, sequeretur, quòd in sua divisione omisisset peccatum commissum in ipso actuali Baptismo, utpote tantum loquendo de peccatis ante & post Baptismum commissis, quod non est supponendum de tam exacto Doctore.

VII. S. BONAVENTURA in 4. dist. p. 1. a. 2. q. 3. C. ait: „Sacramentum Baptismi imprimit characterem, & ille habet omnem efficaciam recedente fictione, quam habuisset ante. Unde peccata illa remittit quantum ad pœnam & culpam, quæ præcesserunt. Quæ autem post commisit, virtute pœnitentiæ remittuntur, & pro illis est pœnitentia injungenda. *Et ad* 2. Character efficit, quod faceret gratia fictione recedente. *Et ad* 3. Si aliquis indignè recipit Corpus Domini, recedente indignitate non propter hoc (Sacramentum) aliquid efficit, tum quia transit, & nihil relinquit gratis datum disponens ad gratiam gratum facientem, tum etiam, quia est intolerabile &c. *Et ad* 4. Qui medio tempore peccavit (inter Baptismum & remotionem obicis) non reportat commodum, quoniam tam de fictione, quam de peccatis post perpetratis est ei pœnitentia imponenda." Ex his D. Bonaventuræ verbis denuò sequitur, quòd ipsa fictio non possit deleri, nisi per contritionem justificativam, & per Sacramentum Pœnitentiæ.

VIII. D. THOMAS in 4. dist. 4. q. 3. a. 2. qq. 3. C. ait: „In Baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam. Et ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character incipit habere effectum suum, & ita recedente fictione effectum suum consequitur. *Et ad* 2. Baptismus recedente fictione habet illum effectum, quem prius habuisset, si fictio non fuisset. Et ideo peccata præcedentia Baptismum remittit & quoad culpam & quoad pœnam, sed non quantum ad pœnam totaliter." Ex hoc textu D. Thomæ manifestum est, quod fictionem referat ad secundum divisionis membrum, dum peccata dividit in peccata præcedentia Baptismum, & ad peccata subsequentia, nempe ad ea peccata, quæ per contritionem delenda sunt quoad culpam, & ex hoc sequitur, quòd fictio removeri non possit, nisi per contritionem justificativam. Non enim dicit D. Thomas, quod *Baptismus* præcedens posita attritione amoveat *fictionem quoad culpam*, sed quòd contritio amoveat contritionem quoad culpam. *Idem* in summa p. 3. q. 69. a. 10. C. dicit: „Baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Cùm autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquod impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit suum effectum; sicut simul, cùm corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquod prohibens, quo remoto statim incipit moveri deorsum. Similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet, quòd remota ea per pœnitentiam Baptismus statim consequatur suum effectum. *Et ad* 2. Dicendum, quòd fictio non removetur per Baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem; qua remota aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum Baptismo. Unde Augustinus docet l. 1. de Baptismo. c. 12. in fine. Solvitur hesternus dies, & quidquid superest, solvitur, & ipsa hora, momentumque ante Baptismum, & in Baptismo; deinceps autem continuo reus esse incipit. Et sic ad Baptismi effectum consequendum concurrit Baptismus & Pœnitentia, sed Baptismus „sicut

„ sicut causa per se agens, Pœnitentia sicut causa per accidens, id est, removens prohibens. „ *Et ad* 3. Dicendum, quòd effectus Baptismi „ non est tollere peccata futura, sed præsentia, „ vel præterita. Et ideo recedente fictione peccata subsequentia remittuntur quidem sed per „ pœnitentiam, non per baptismum. Unde non „ remittuntur quoad culpæ reatum, sicut peccata præcedentia baptismum." In his duobus textibus D. Thomas agnoscit quidem, quòd baptismus etiam reviviscens auferat peccata concomitantia baptismum, inter quæ est ipsa fictio, & quidem quoad culpam, cùm priùs in 4. sent. docuerit, fictionem quoad culpam removeri per contritionem; sed si benè consideretur mens D. Thomæ, non contradicit sibi ipsi, sed tam in Summa, quàm in *Quartum* sentent. requirit contritionem de se justificativam, quia universum docet, quod omnis contritio justificativa tantùm fit causa gratiæ per accidens, in quantum removet prohibens gratiam, & in quantum disponit subjectum ad gratiam. Utrùm verò illa gratia conferatur PER SE intuitu Sacramenti, vel intuitu solùm dispositionis, non mutat naturam contritionis. Et hinc S. Thomas docet, quòd in tali reviviscentia ad effectum Baptismi consequendum simul concurrat Sacramentum, & pœnitentia seu contritio; & quidem etiam quoad culpam, ita tamen, ut Sacramentum spectetur tanquam causa PER SE culpæ: contritio autem tanquam causa *per accidens remissiva culpæ*, prout semper est tantùm remissiva culpæ, seu justificativa *per accidens*. Hinc solùm peccatum fictionis inter omnia peccata hoc habet speciale, quòd solùm agnoscat duo principia justificativa, nempe Sacramentum & contritionem justificativam, illam ùt *causam per se*, hanc ut *causam per accidens*, quod non repugnat; possunt enim ad eundem effectum concurrere duæ causæ, sicut astra seu causæ universales tanquàm *causa per se* respectu substantiæ, v. gr. ignis & accidentia, quæ & ipsa disponendo materiam tanquam *causa per accidens* juxta D. Thomam producunt substantiam, ùt ostendi in Physica Phil. Polling.

IX. SCOTUS in 4. dist. 4. q. 5. sic scribit: „ Fictus dicitur, qui aliud prætendit exterius, „ aliud habet interius. Potest ergò aliquis in „ suscipiendo baptismum esse fictus dupliciter. „ Uno modo, quo ostendat, se velle recipere illam ablutionem eo modo, quo intendit Ecclesia „ eam conferre, & tamen oppositum habet in ani„ mo. Et ille non recipit Sacramentum. Alio mo„ do potest aliquis esse fictus, vel quia non habet „ rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum „ mortale. Et isto secundo modo loquuntur „ communiter Doctores de fictè baptizato.

„ DICO; tunc iste nullo modo recipit gra„ tiam. Etsi Objicitur; ergò iste tunc videtur „ esse perplexus; quia non patet sibi via salutis, „ cùm non possit iterum baptizari, & sine gratia „ baptismali salvari non potest.

„ RESPONDEO, DEUS instituit aliquod „ aliud remedium, scilicet Sacramentum pœni„ tentiæ; & tunc dico, quòd isti patet via salu„ tis per veram pœnitentiam de ista fictione." In hoc textu Scotus manifestè peccatum fictionis subjicit Sacramento pœnitentiæ; & consequenter extra Sacramentum non potest deleri, nisi per contritionem justificativam.

Idem confirmatur ex sequenti textu SCOTI n. 4. „ Si objicitur, *inquit*, quomodò babebit iste „ gratiam baptismalem, vel effectum aliquem „ baptismi? Uno modo potest dici, quòd „ illa fictio non dimittitur nisi per veram „ pœnitentiam; sed eâ fictione dimissâ habet ba„ ptismus effectum suum respectu omnium pec„ catorum præcedentium baptismum. Sed con„ tra istud arguitur: quia per veram pœniten„ tiam deletur ista fictio per se. Non autem po„ test deleri unum peccatum mortale, quin de„ leantur omnia; ergo per illam delentur omnia „ alia peccata (*etiam præcedentia baptismum*). Si „ dicatur; quòd pœnitentia, quantum est de se, „ potest delere omnia peccata, tamen quandò „ prævenitur ab aliqua causa potentiori, non de„ let illa. Sed hic causa est gratia baptismalis, „ quæ prævenit pœnitentiam (*quoad peccata præcedentia baptismum*). Hoc non videtur rationa„ bile: quia priùs naturaliter tollitur fictio, quàm „ per baptismum aliquid causetur. - Potest er„ gò aliter dici, quod pœnitentia vera perfectè „ reconciliat Deo, & per consequens nullum „ peccatum (*etiam antecedens baptismum*) relinquat; „ sed tantùm non omne (*peccatum*) PER SE cu„ rat; non enim per virtutem pœnitentiæ dimit„ tuntur hic omnia peccata, sed in pœnitentia „ dimittuntur partim per pœnitentiam, partim „ per aliam causam, (*nempe per baptismum*) sed to„ ta à Deo. Aliter potest dici, quòd quandò „ verè aliquem pœnitet de fictione illa, gratia „ sibi infunditur perfectior, quàm esset illa, quæ „ sibi præcisè virtute pœnitentiæ infunditur. Ter„ tiò modo principaliter potest dici, quod ille pœ„ nitens de fictione tantùm recipit gratiam virtu„ te pœnitentiæ, & ita non majorem, quàm si fuis„ set fictus in baptismo, & post baptismum cadens „ resurgeret per pœnitentiam. Non est enim ve„ rosimile, quod æquè pœnitenti & de æquali pec„ cato vel minori non detur æqualis gratia. Ille „ autem lapsus post baptismum, licèt quantum ad „ aliquid gravius peccaverit, quàm fictus; tamen „ fictus quantum ad aliquid gravius peccavit, quia „ Sacramento irreverentiam fecit. Et tunc illa „ verba (*S. Augustini*) quæ dicuntur de effectu ba„ ptismi, quem sortitur pœnitens de fictione in„ telligenda sunt, non quòd in pœnitentia illa re„ cipiat gratiam aliquam virtute baptismi, quia „ susceptio ejus mortua fuit, & mortuus revivi„ scere non potest, sed absolutus est à præcepto „ de baptismo suscipiendo, quia illud implevit: il„ la autem impletio nihil sibi valuit ad salutem „ ante istam pœnitentiam. Recipit ergò effe„ ctum baptismi, quandò pœnitet, quia est filius „ regni, & non obligatur ad suscipiendum Baptis„ ma, ut fit filius regni." Ita Scotus. Ex hoc notabili textu habetur PRIMÒ, quòd Scotus non agnoscat, fictionem deleri, nisi vel per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem justificativam extra Sacramentum. SECUNDÒ, quòd Scotus non agnoscat ullam reviviscentiam baptismi in ordine ad gratiam, sed tantùm ad hoc, ut imple-

impletio præcepti de suscipiendo baptismo per gratiam sanctificantem possit esse proficua ad salutem. Videtur tamen, quòd in tali reviviscente baptismo agnoscat remissionem omnium peccatorum præcedentium baptismum quoad reatum pœnæ, quia, ùt Paludanus observat hujus sententiæ Patroni non distinguunt reatum pœnæ & culpæ. Si ergò peccatum originale remittitur quoad reatum culpæ, etiam remittitur quoad reatum pœnæ. Hic ejus sensus colligitur ex eo, quia inter quatuor modos explicandi effectum baptismalem, primum positivè impugnat, secundum tolerat ùt probabilem, tertium ipso facto relinquit ac rejicit, dum solum quartum modum assumit tanquam principalem, & huic soli sine ulla objectione aquiescit.

X. Durandus in 4. dist. 4. q. 4. sic scribit: „Est duplex opinio. Una, quod recedente „ fictione baptismus in isto habet tantum suum „ effectum; cujus ratio assignatur; quia fictus „ recipit characterem; character autem, quantum est de se, est dispositio necessitatis ad gratiam, nisi subveniat impedimentum prohibens „ eam. Sed istud non valet; quia dispositio „ necessitatis potest accipi dupliciter. Uno modo dicitur dispositio necessitatis omnis illa, quæ „ necessario præexigitur in subjecto ad hoc, ut „ aliqua forma introducatur, sicut diaphaneitas, „ quæ est in aëre, est dispositio necessitatis ad „ recipiendum lumen. Alio modo dicitur dispositio necessitatis, ad quam necessario sequitur forma. Sed character nullo prædictorum „ modorum est dispositio necessitatis ad gratiam; „ quia sine charactere potest recipi gratia in ani „ ma, & character stat cum opposito gratiæ „ (nempe cum pecato.) Alia opinio est, quod „ recedente fictione sequatur remissio peccatorum non virtute baptismi præcedentis, sed „ propter cordis contritionem. Sed si talis remissio fieret solum ratione contritionis, peccata commissa ante baptismum non delerentur „ totaliter quoad pœnam, cujus contrarium „ communiter docet Ecclesia. Potest ergo alio „ modo dici, quod, si in Sacramentis non sit „ aliqua virtus inhærens, sed sola virtus per modum pactionis seu ordinationis, potest probabiliter sustineri, quod recedente fictione baptismus prius receptus habeat suum effectum. „ Ad objectionem, quòd post baptismum fictè „ susceptum contingat committi multa peccata „ mortalia, dicendum, quod peccatum post „ baptismum commissum deletur simul cum aliis „ prius commissis, non tamen virtute baptismi „ præcedentis, sed virtute contritionis fictionem „ amoventis; & quia contritio non tollit totam „ pœnam, ut baptismus, ideo peccatum illud „ post baptismum commissum non expiatur totaliter quoad pœnam; tenetur etiam homo de „ eo confiteri; non sic autem de commissis „ prius." In hoc textu Durandus ostendit; Primo, quod fictio non tollatur nisi per contritionem justificativam; Secundo, quod baptismus reviviscens tollat totam pœnam peccatorum præcedentium baptismum, & quidem ex communi sensu Ecclesiæ.

XI. Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. sic habet: „Omnes dicunt, quod baptismus habeat „ suum effectum fictione recedente. Sed de „ modo sunt tres opiniones. Prima Thomæ, „ qui dicit, quod fictione recedente baptismus „ tantum habet suum effectum; quia fictus habet characterem. Character autem, quantum „ est de se, est dispositio necessaria ad gratiam. „ Alia opinio est, quod recedente fictione sequatur remissio peccatorum non virtute baptismi præcedentis, sed propter cordis contritionem. Sed ista opinio non concordat ei, „ quam tenet Ecclesia de remissione peccatorum „ per baptismum; quia per baptismum tollitur „ omnis culpa mortalis & omnis pœna. Si igitur fiat remissio solum ratione contritionis, „ peccata commissa ante baptismum non delerentur quoad pœnam, cujus contrarium communiter docet Ecclesia. Tertia opinio est „ quorundam modernorum dicentium, quod, si „ in Sacramentis est aliqua virtus spiritualis agens „ ad effectum Sacramenti, non apparet qualiter „ fictione recedente baptismus prius receptus „ de novo possit habere suum effectum. Si autem in Sacramentis non sit virtus inhærens, „ sed solum virtus divina assistens per modum „ divinæ pactionis seu ordinationis potest probabiliter sustineri, quod recedente fictione baptismus prius receptus habeat suum effectum. „ Ex his tribus opinionibus teneo primam fratris Thomæ tanquam veriorem, addendo, „ quod in Sacramentis imprimentibus characterem est specialis necessitas, quod fortiatur effectum suum recedente fictione, quia alias non „ posset eorum effectus haberi, quia non possunt „ iterari; ad primam objectionem dicendum, „ quod character est dispositio necessitatis supposita ordinatione divina, sicut dispositio fœtus est dispositio necessitans ad infusionem animæ, nisi sit indispositio ex ordinatione divina. „ Sic igitur, cum fictio removeatur per solam „ attritionem sine contritione, si baptismus remota fictione debet habere suum effectum, habebit (effectum) sine contritione. Quod autem per solam attritionem fictio tollatur, apparet; quia unumquodque tollitur per positionem sui contrarii. Unde cum fictio non sit „ aliquid quam non pœnitere de peccatis, vel „ indevotè accedere vel hujusmodi; quæ omnia „ contrariantur ei, quod est displicere ista, „ quod tamen potest esse per dolorem imperfectum, quæ non est contritio, ideo &c. &c. „ Sed si hujusmodi fictio foret mortale (peccatum,) tunc dicunt quidam, quod peccata „ præterita tollantur per baptismum; sequentia „ vero per contritionem. Sed hoc non videtur „ valere, quia impossibile est, quod unum peccatum remittatur sine altero quoad culpam. „ Ergo per quodcunque remittitur culpa unius „ peccati mortalis, remittitur & talia (culpa alterius peccati mortalis) sed ipsi per hoc dicunt „ unum remitti sine altero, quia credunt, quod „ peccatum remitti aliud non sit, quam ad pœnam non imputari. Sic posset dici, quod attritio sufficit, (in quantum pœna peccato post „ baptismum commisso debita de æterna mutatur in temporalem virtute baptismi) licet alias

 „non

„ non remitteretur fine contritione. Sed hoc „ est per accidens. Vel (si quis non teneat „ hanc sententiam, quod remitti peccatum nihil „ aliud sit, quam pœnam dimitti:) potest dici „ econtrario, quod licet alias attritio sufficeret, „ tunc tamen mortale adjunctum impedit, ne „ sufficiat, & tunc propter utrumque Sacramen- „ tum & præteritum & futurum, remittuntur „ omnia peccata mortalia, sed differentialiter; „ quia per baptismum præcedentia directe, se- „ quentia vero ex notabili concomitantia; econ- „ trario vero per pœnitentiam in voto." In hoc textu Paludanus satis clare ostendit, quòd fictio positiva tantum tollatur per contritionem perfectam & Sacramentum Pœnitentiæ in voto; quia ipse non tenet sententiam Scoti, quod reatus culpæ & pœnæ non distinquantur.

XII. Innocentius V. & Richardus à Media Villa in 4. dist. 4. pariter asserunt, quod character tanquam dispositio proxima ad gratiam baptismalem remota fictione causet remissionem peccatorum baptismum præcedentium, sicut organizatio corporis causat infusionem animæ rationalis. Utrum vero tollatur fictio per attritionem vel contritionem altum silent.

XIII. Gabriel Biel in 4. dist. 4. q. 1. sic scribit: „Est alia opinio Doctorum commu- „ niter, Alexandri, Thomæ, Richardi, quam „ ipse approbat, & dicit, Ecclesiam tenere, „ quod per baptismum recedente fictione tolli- „ tur omnis culpa & pœna peccatorum ante ba- „ ptisma commissorum, non tamen ipsius fictio- „ nis, nec eorum præcedentium, quæ erant „ causa fictionis in baptismo. Et id declarat Sco- „ tus hoc modo v. g. aliquis ante baptismum „ commisit septem peccata mortalia, & veniens „ ad baptismum de se atteritur; septimum actu „ placet, vel de eo nullo modo atteritur. Il- „ lud septimum est solum causa fictionis in ba- „ ptismo. Oportet ergo, quod verè pœniteat „ de illo septimo & in se, & in quantum fuit „ causa fictionis ejus in baptismo, quod pro „ tanto dico, quia forte peccavit uno alio pec- „ cato mortali faciens irreverentiam Sacramento, „ suscipiens baptismum in tali fictione. Sed re- „ cedente illa fictione per veram pœnitentiam & „ contritionem, quia aliter fictio illa, & pecca- „ tum hoc septimum non dimittitur, Deus con- „ fert gratiam baptismalem contra alia sex pec- „ cata; & ideo talem de illis sex non oportet „ habere veram pœnitentiam, nec forte novam „ attritionem præter illam, quæ habita est ante „ baptismum. Nec valet, si diceretur, quod „ pœnitentia, quantum est de se, deleret omnia „ peccata, si non præveniretur per baptisma, „ quia prius naturaliter tollitur fictio, quam „ per baptismum aliquid causetur, & in illo prio- „ re oportet habere veram pœnitentiam; quia „ fictio non tollitur nisi per veram pœnitentiam. „ Vera autem pœnitentia plene reconciliat Deo „ quantum ad omnia. Ergo baptismus non „ potest prævenire effectum pœnitentiæ, quan- „ tum ad illorum sex deletionem; imo præve- „ nit pœnitentia delendo omnia. - - Videtur „ mihi, quod illa difficultas facilius expediri „ posset, tenendo quasi mediam inter illas duas „ opiniones, scilicet dicendo, quod baptismus „ non alium effectum habet nunc recedente fi- „ ctione, quam habuisset, si fictio non fuisset. „ Si enim fictio non fuisset, & peccata ante ba- „ ptismum commissa per præviam contritionem „ fuissent dimissa, baptismus illa non dimitteret, „ non ex sua impotentia, sed quia non inveni- „ ret peccata, quæ dimitteret. Potens est ta- „ men dimittere, quæcunque invenit; & ideo „ si pœna non est dimissa virtute contritionis „ præviæ, illam integre dimittit. Sic etiam ces- „ sante fictione per pœnitentiam, quæ non pot- „ est esse de sola fictione, sed de omnibus pec- „ catis formaliter, si occurrerent, vel virtuali- „ ter, si non occurrerent, dimittuntur omnia „ peccata ante baptismum, in baptismo, & postea „ commissa, quoad culpam; per baptismum au- „ tem omnia ante baptismum commissa, quæ „ non fuere causa fictionis, remittuntur quan- „ tum ad omnem pœnam, quam pœnitentia non „ abstulit. Unde sic manifeste docet, quod fi- „ ctio positiva concomitans baptismum non pos- „ sit deleri, nisi per contritionem, & quod pœ- „ na huic peccato debita non remittatur per ba- „ ptismum.

DICO III. Probabile est, etiam reviviscere Sacramentum Confirmationis & Ordinationis.

Probatur 1. D. Paulus 2. Tim. 1. v. 6. in persona Timothei videtur omnes Ordinatos alloqui & Ecclesia his ipsis verbis solet adhortari Ordinatos his verbis: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum, quamvis verosimile sit, in tanta multitudine ordinatorum esse aliquos, qui in statu peccati mortalis receperunt Sacramentum.* Ergo Ecclesia supponit, resuscitari posse characterem ad vitam gratiæ.

Probatur 2. D. Thomas & alii veteres Theologi, quando in solutione objectionum reddunt causam, cur Sacramentum Eucharistiæ indigne susceptum non reviviscat, reddunt hanc rationem, quia est iterabile, nec imprimit characterem. Ergo videntur supponere, quod Sacramenta imprimentia characterem reviviscant.

Probatur 3. a paritate rationis. Ideo juxta *D. Thomam, D. Bonaventuram, Innocentium V., Richardum, Paludanum*, & alios veteres Theologos potiores, Sacramentum baptismi reviviscit, quia character est proxima dispositio ad gratiam, sicut organizatio ad infusionem animæ, saltem relatè ad illam gratiam Sacramentalem, ad quam ille character est intrinsece ordinatus à Deo. Sed hæc ratio urget etiam in Sacramento Confirmationis & Ordinationis.

DICO IV. Sacramentum Eucharistiæ certo non reviviscit.

Probatur. Veteres Theologi unanimiter fatentur, illud non reviviscere; & aliunde ex scriptura vel traditione non habetur ullum hujus reviviscentiæ argumentum; imo ex scriptura potius habetur fundamentum, quod universim manducetur ad judicium & condemnationem ab iis, qui indigne manducant; ergo. *c. patet.* Quia non manducaretur in judicium, si remoto obice revi-

reviviſceret. Tædet de re adeo liquida litigare. a. quoad 1. memb. probatur ex inſpectione illorum Theologorum veterum. Sic D. THOMAS in 4. l. cc. ad 3. ubi objicitur, quod ille non percipiat recedente fictione effectum, qui prius fictus acceſſerat, ſic reſpondet: *Dicendum, quod in Eucharistia non imprimatur character, cujus virtute poſſet aliquis virtutem Sacramenti percipere fictione recedente; & ideo non eſt ſimile.*

CONFIRMATUR. Si Euchariſtia reviviſceret, ſequeretur, quod, ſi quis per 50. annos ſacrilege communicaſſet, ac dein in Sacramento pœnitentiæ eliceret attritionem, tantum gratiarum in momento perciperet, quantum accepiſſet per quotidianas communiones ſacrilegas in ſacrificio Miſſæ. Sed hoc eſt abſurdum, & repugnat communi ſenſui Eccleſiæ; ergo &c.

DICO V. Sacramentum Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & matrimonii nonreviviſcunt.

PROBATUR. Non datur ulla poſitiva probatio ex Scriptura vel traditione de hac reviviſcentia; Ergo non eſt adſtruenda. *c. patet.* quia effectus tam notabiles non ſunt gratis fingendi ob levem ratiunculam deſumptam ex convenientia vel paritate. *a. prob.* Nullus PP. & nullus TT. veterum aſſeruit hanc reviviſcentiam; ergo. *a. prob.* negativè, quia nullus ejusmodi DD. poteſt oſtendi.

CONFIRMATUR. Ex teſtimonio DOMINICI DE SOTO, qui reviviſcentiam in ſolo baptiſmo admiſit. Is in 4. diſt. 6. q. 1. a. 8. ſic ſcribit: D. *Thomas in 4. à ſeipſo variare videtur; nam diſt. 4. q. 3. a. 2. qq. 3. ad 3. affirmare videtur, omnia ſolaque Sacramenta, quæ characterem imprimunt, licet ficte recipiantur, poſtea reviviſcere; & hanc ſententiam ſequuntur Paludanus & Sylveſter. At vero diſt. 17. q. 3. a. 4. idem ait de Sacramento pœnitentiæ. Et tunc, inquit, quando confeſſio fit integra, recedente fictione percipiet fictus abſolutionis fructum, ſicut, inquit etiam in aliis Sacramentis. Ubi videtur, hoc generaliter hoc omnibus tribuere. Nihilominus, ut meam fatear inſcitiam, ſi meo arbitratu res deſinienda eſſet, mallem prærogativam hanc baptiſmo ſoli adſcribere, ut nulli alii conveniat Sacramento.* Ita Sotus.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Sacramentum baptiſmi eo tempore, quo removetur obex, non amplius exiſtit; ergo non poteſt cauſare gratiam. 2. Sacramenta non ſignificant gratiam conferendam de futuro, ſed ut conferendam de præſenti; ergo non cauſant, niſi de præſenti. 3. Tridentinum Seſſ. 7. Can. 6. tantum definit, quod Sacramenta non ponentibus obicem conferant gratiam; ergo inſinuat, à Sacramentis nullam conferri gratiam ponentibus obicem. 4. Opus mortuum ſeu factum in ſtatu peccati mortalis nunquam reviviſcit; ſed Sacramentum in ſtatu peccati ſuſceptum eſt opus mortuum; ergo non reviviſcit. 5. Opus bonum v. g. eleemoſyna, factum in ſtatu peccati mortalis, nunquam cauſat gratiam ex opere operantis; ergo etiam Sacramentum in tali ſtatu ſuſceptum nunquam cauſat gratiam ex opere operato. 6. Si Sacramenta reviviſcerent, ſequeretur quòd aliquis commodum referat ex ſua iniquitate; ſed hoc eſt abſurdum; ergo. 7. Si probaretur baptiſmum reviviſcere, id probaretur potiſſimum ex S. Auguſtino; ſed ex hoc nihil probatur; ergo. *Min. prob.* Poteſt cum Scoto dici, quod tantum reviviſcat in ordine ad hoc, ut homo cenſeatur ſatisfeciſſe valide præcepto ſuſcipiendi baptiſmum; vel poteſt dici, quod faciat hominem idoneum ad ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, ubi per ſolam attritionem poteſt obtinere gratiam; vel denique poteſt dici, quod illius intuitu remittatur peccatum originale, ſeu incapacitas ad beatitudinem ſupernaturalem & ad omnes gratias ordinis ſupernaturalis, utpote quæ etiam per contritionem & charitatem perfectiſſimam ordinis naturalis deleri non poſſet, niſi ex communicatione meritorum Chriſti per Sacramentum baptiſmi in re & voto ſuſcepti.

RESPONDEO.

Ad 1. diſt. Sacramentum non exſtat amplius phyſice. c. mortaliter. n. Suppono enim ex dictis Diſp. 3. quod Sacramenta tantum moraliter cauſent gratiam.

Ad 2. diſt. Tantum ſignificant gratiam conferendam de præſenti ſignificatione objective conditionata. c. ſignificatione etiam objective abſoluta. n. Sacramenta ſignificant gratiam ſtatim de præſenti conferendam ſub hac conditione objectiva, niſi Sacramentum reperiat obicem. Poſſet etiam ſimpliciter negari antecedens; quia Sacramenta ſignificant collationem gratiæ ampliative, hoc eſt, pro omni tempore, quocunque primo repererit ſubjectum non impeditum obice.

Ad 3. diſt. Tridentinum hoc docet in ſenſu ampliativo. c. in ſenſu reſtrictivo. n. Contrarium enim patet ex mente Doctorum, & Patrum, qui interfuerunt Tridentino.

Ad 4. c. a. n. conſ. & par. Diſparitas eſt, quia Sacramentum non eſt opus *mortuum*, ſed opus *vivificum*. Eſt enim opus Dei, ſemper de ſe juſtificativum, non opus hominis. Et ita D. Thomas reſpondet l. cc. ad 1.

Ad 5. c. a. n. conſ. & par. Diſparitas eſt, quia Sacramentum non eſt opus hominis ſpiritualiter mortui, ſed eſt opus Dei vivi, & vivificantis omnia idonea ſubjecta ad vitam, ſi forent diſpoſita congruenter ad ſuam præordinationem.

Ad 6. diſt. *Maj.* Reportaret commodum, ſi Deus eam gratiam conferret intuitu iniquitatis humanæ. c. ſi tantum eam conferat intuitu ſuæ miſericordiæ & amoris erga Eccleſiam, aut intuitu bonorum ex hac gratia in gloriam divinam redundantium. n. videtur enim Deus, Eccleſiam ſuam reddi poſſe ſanctiorem, ſi gratia baptiſmali nullus defraudetur, quicunque reſipuerit.

Ad 7. c. *Maj.* n. *Min.* ad probationem n. a. Nam imprimis omnes hæ explicationes relinquunt in baptizato reſipiſcente adhuc reatum pœnæ, quod repugnat Apoſtolo, aſſerenti, nihil ſupereſſe damnationis univerſim omnibus iis, qui baptizati ſunt. Dein homines tenerentur adhuc ſecuritatis cauſa perpetuo ſatisfacere pro peccatis ante baptiſmum commiſſis; & ſi vellent ea ſubjicere clavibus Eccleſiæ centies, ſemper deberent audiri, quia ſemper obtinerent aliquam remiſſionem eorum peccatorum ante baptiſmum commiſſorum quoad reatum pœnæ. Specialiter vero, ut reſpon-

respondeam ad singula; PRIMUM non potest dici, quia præceptis divinis v. g. dandi eleemosynam, restituendi aliena &c. satisfit etiam in statu peccati mortalis, excepta S. Communione & Confessione. Igitur in ordine ad hunc effectum non est opus reviviscentia baptismi, cum huic præcepto suscipiendi baptismum jam fuerit satisfactum per susceptionem baptismi sacrilegam. Nec potest dici SECUNDUM; quia D. Augustinus non dicit; ad hoc valere ejusmodi baptismum, ut Sacramentum Pœnitentiæ possit prodesse ad dimittenda peccata, sed quod ipse baptismus prosit ad dimittenda peccata. Docet enim, *sub eodem baptismate peccata dimittunt*, & quod *idem baptismus operetur salutem.* Neque etiam potest dici TERTIUM, quia D. Augustinus non dicit, quod talis baptismus operetur *capacitatem seu idoneitatem* ad beatitudinem, & ad dona supernaturalia, sed quod *operetur salutem*, hoc est, ipsam gratiam sanctificantem, remissivam omnium peccatorum, non tantum originalis, sed etiam accidentalium.

DICES. Si fictio non posset tolli, nisi per contritionem perfectam, sequeretur, quod etiam juxta nos pro priori ad causalitatem baptismi debeat infundi gratia sanctificans destructiva fictionis, ac consequenter destructiva etiam reliquorum peccatorum quoad culpam. Ergo etiam juxta nos nihil relinquitur causalitati baptismi circa remissionem peccatorum.

RESPONDEO dist. Sequeretur, quod debeat pro priori ad causalitatem baptismi physicam infundi gratia sanctificans. c. pro priori ad causalitatem moralem baptismi. n. Dico enim, quod nec ipsa contritio ex suo genere materialiter perfectissima de condigno mereatur aut obtineat gratiam sanctificantem, nisi intuitu baptismi actu suscepti, vel ex voto suscipiendi. Itaque contritio, ut respectiva baptismi præcedentis id obtinet, ut informetur gratia sanctificante, in primo signo rationis expulsiva fictionis, in secundo signo expulsiva peccatorum baptismum præcedentium cum pœna, & in tertio signo rationis expulsiva peccatorum baptismum subsequentium sine destructione reatus pœnæ. Hæc enim tria objecta respiciuntur à gratia sanctificante juxta ordinem rationis existentem in conferente & ordinante gratiam. Itaque in hoc sensu verificatur, quod fictio simul tollatur per contritionem tanquam causam dispositivam, & simul per baptismum tanquam causam per se, prout docet D. Thomas, dum asserit, etiam fictionem & alia peccata baptismum concomitantia tolli per baptismum, nempe tanquam causam materialem per se, præsupposita contritione in suo esse materiali, seu in esse dispositivo perfecta, ita ut reddatur primum formaliter perfecta per gratiam accedente causalite materiali baptismi.

DICES: Si causalitas baptismi debet concurrere ad hoc, ut tollatur fictio, non est verum dicere, quòd sublato obice fictionis Sacramentum reviviscat & operetur; quia deberet operari ad tollendam ipsam fictionem.

RESPONDEO. dist. Non est verum, quòd sublato prius obice fictionis formaliter Sacramentum reviviscat. c. sublato prius obice materialiter. n. Sensus enim illius propositionis, quòd Sacramentum Baptismi remoto obice reviviscat, est iste; quia fictione quoad suum esse materiale per contritionem in suo esse materiali consideratam destructa, in quantum videlicet fictio & contritio sunt actus voluntatis inter se contrariantes, Baptismus in re susceptus reddat hoc materiale contritionis dignum, ut mereatur informari gratia sanctificante, destructiva formaliter tam fictionis, quam peccatorum Baptismum præcedentium & subsequentium.

OBJICITUR 2. *contra* 4. *Conclus.* Causa habens virtutem operandi de se perfectam exigit operari semper remoto obice; sed tales causæ sunt omnia alia Sacramenta; ergo. 2. Juxta Tridentinum Sess. 7. c. 2. *Deus in Sacramento Eucharistiæ divitias sui amoris veluti effundit.* Ergo huic Sacramento contulit etiam virtutem reviviscentiæ. 3. Non est verosimile, quod Deus Sacramentum matrimonii voluerit in conjugibus perpetuò relinquere sine gratia Sacramentali, si fortè ex infirmitate humana vel inconsideratione in statu peccati mortalis contraxerunt matrimonium. 4. Similiter non est verosimile, quod si quis constitutus in peccato mortali & usu rationis ac sensuum destitutus inungatur extrema unctione, nullum dein possit durante eodem morbo percipere hujus Sacramenti effectum, si ad se rediens confiteatur vel conteratur de suo malo statu.

RESPONDEO dist. Causa necessaria in agendo sic exigit operari & operatur semper. c. causa libera. n. Causa enim libera movetur ad determinatum finem relativè ad determinatas circumstantias, ultra quas nec agit, nec petit agere.

Ad 2. dist. Deus effundit divitias sui amoris effusione regulata per leges prudentiæ ac sapientiæ divinæ. c. non sic regulata. n. Deus enim, qui non potest agere imprudenter, si vellet reviviscere Sacramentum Eucharistiæ etiam in negligentibus, non videtur agere prudenter in ordine ad promovendam suam majorem gloriam.

Ad 3. dist. Non est hoc verosimile, nisi hujus generis gratiæ Sacramentales, nempe idoneæ ad decentiam spiritualem status, possint compensari fervore charitatis. c. si possint compensari. n. Nam tales gratiæ possunt obtineri per fervidas preces, & alia pia opera. Hinc denegando gratiam Sacramentalem ejusmodi conjugibus imprimis corrigitur socordia contrahentium, ne contrahant in statu peccati mortalis; dein vero incitantur ad uberiora pia opera, quibus mereantur gratias sanantes & excitantes. Certe in variis statibus æquè difficilibus, v. g. militis, aulici, religiosi etiam sine Sacramento comparari possunt & debent gratiæ necessariæ pro rectè servando suo statu.

Ad 4. Idem respondeo. Hinc, nisi urgeat extrema necessitas, utile est exspectare tempus, donec redeant ad se, ut Sacramentum accipiant ejusmodi ægri cum certiori & majori fructu.

Tractatus

DE SACRAMENTO BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS.

Circa Baptismum hoc loco agitur

1. De natura, & necessitate Baptismi.
2. De materia & forma Baptismi.
3. De subjecto Baptismi.
4. De Patrinis.
5. De Ministro Baptismi.
6. De effectu Baptismi, præsertim circa infantes necdum perfectè egressos uterum maternum.

§. I.

De natura, institutione, & necessitate Baptismi.

Quæritur 1. Quid sit Baptismus?

Respondeo: Baptismus est ablutio corporis exterior per aquam sub præscripta verborum forma ex institutione divina significans, & ex opere operato causans interiorem ablutionem animæ ab omni peccato tam originali, quàm actuali, non solùm quoad reatum culpæ, sed etiam quoad reatum totius pœnæ peccatis debitæ.

Quæritur 2. Quotuplex sit Baptismus?

Respondeo: Triplex. Dividitur enim communiter in Baptismum *fluminis*, *flaminis*, & *sanguinis*; quæ tamen divisio non est univoca, sed tantùm analoga; quia membra dividentia non participant perfectè rationem divisi. Baptismus fluminis est Baptismus per aquam *Quæstione prima* definitus. Baptismus flaminis est ablutio interior ab omni peccato tam originali, quàm actuali, saltem quoad reatum culpæ, obtenta per contritionem, & actum charitatis perfectæ intuitu Baptismi in voto suscepti. Baptismus sanguinis est ablutio interior ab omni peccato tam originali, quàm actuali non solùm quoad reatum culpæ, sed probabiliùs etiam quoad reatum totius pœnæ obtenta per martyrium pro Christo voluntariè toleratum.

Quæritur 3. An Baptismus fuerit à Christo institutus ante, vel post ejus Resurrectionem?

Respondeo: D. Augustinus, & D. Thomas existimant, Baptismum à Christo institutum fuisse initio prædicationis, postquam Baptismum à Joanne Baptista acceperat. Hæc sententia probari videtur ex eo; quia certum est, quòd Apostoli, & Discipuli Christi baptizaverint Baptismo Christi, & quidem adhuc vivente Joanne Baptista. Id evidens est ex Evangelio Joan. c. 3. v. 26. ubi dicitur: *Venerunt* (Discipuli Joannis) *ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum ad Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Et c. 4. dicitur: *Cognoverunt Pharisæi, quòd Jesus plures Discipulos facit, & baptizat, quàm Joannes; quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus.*

Hunc autem Baptismum Christi non fuisse nudam ceremoniam, sed collativum gratiæ, probari posse videtur; quia S. Joannes Baptista Joan. 1. v. 31. dicit: *Veni ego in aqua baptizans, sed qui misit me, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Hoc tamen non obstante Rupertus l. 4. in Joan. Alensis, & B. Albertus M. docent, Baptismum fuisse tantùm institutum post Resurrectionem Christi, quando paulò ante Ascensionem in Cœlum suis Discipulis dixit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Hanc posteriorem opinionem esse probabilem non solùm fatetur Melchior Canus de *Locis Theol.* L. 8. c. 5. sed ea etiam probari potest.

Primo. Quia S. Joannes Baptista Matth. 3. v. 11. priùs citata sua verba explicans satis apertè declarat, se loqui de Baptismo Christi Apostolis, & Discipulis Christi conferendo in die Pentecostes; sic enim ait: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Idem repetit Lucæ 3. v. 16.

Secundo. Quia, licèt Christus potuerit ante suam mortem fructum suæ passionis, & plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti communicare Sacramentalibus Ceremoniis à se tempore prædicationis institutis, videtur tamen meritò dubitari posse, an id voluerit. Ratio est; quia Joan. 16. v. 7. dicitur: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Videtur proin, quòd Christus ante suam mortem *materiale Sacramentorum*, seu Ceremonias sacramentales varias quidem instituerit, ac etiam gratiam Sacramentalem contulerit, sed non *sacramentaliter*, benè tamen *extrasacramentaliter*, videlicet potestate excellentiæ applicata suscipienti, non ex opere operato Sacramenti.

Confirmatur ex ratione D. Thomæ, quam adducit pro sua sententia, applicari tamen potest pro hac posteriori sententia. Sacramenta enim non censentur tunc institui, quando instituitur ipsum *materiale* Sacramentorum, hoc est, quando determinatur materia, & forma Sacramentorum, sed quando istis Ceremoniis Sacramentalibus confertur *vis collativa gratiæ*. P. 3. q. 66. a. 2. C. sic scribit: *Sacramenta ex sui institutione hoc habent, quòd conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum.* Applicando ergo

go hoc principium D. THOMÆ ad Baptiſmum, licèt ipſe exiſtimet eam virtutem Sacramento collatam eſſe, quando Chriſtus fuit baptizatus in Jordane, poſterioris ſententiæ Patroni dicent, Baptiſmum tantùm eſſe inſtitutum poſt mortem; quia tunc fructum ſuæ paſſionis Sacramentis actu conferre voluit, ut verè dici poſſit, *omnia Sacramenta fluxiſſe ex latere Chriſti.*

QUÆRITUR 4. An Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate *medii*, vel neceſſitate *præcepti?*

RESPONDEO: Reſolutionem hujus quæſtionis dependere ab exacta notione, ſeu definitione terminorum. Si enim per *neceſſarium neceſſitate medii* intelligatur illud, *ſine quo etiam invincibiliter ignorato non poteſt obtineri ſalus*, ſic Baptiſmus non eſt neceſſarius neceſſitate medii. Si verò per *neceſſarium neceſſitate medii* intelligatur illud, *ſine quo vincibiliter ignorato, ac ſaltem in voto implicitè habito non poteſt obtineri ſalus*, ſic Baptiſmus erit neceſſarius neceſſitate medii. Tunc Baptiſmus non eſt neceſſarius neceſſitate medii. Cùm hæc poſterior terminorum acceptio ſit apud Theologos communior, ſimpliciter dicendum eſt, quòd Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medii.

PROBATUR *Reſponſio.* Nemo poteſt ſalvari, niſi intuitu Baptiſmi ſaltem implicitè in voto habiti; & omnis ille, qui habet implicitè votum ſuſcipiendi Baptiſmum, poteſt ſalvari per contritionem, & actum charitatis perfectum.

ANT. *quoad* 1. *memb.* PATET ex illis verbis Chriſti Joan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei* Ergo etiam tunc, quando v. g. Gentilis elicit contritionem, & actum charitatis perfectæ, non accipit gratiam ſanctificantem præciſe intuitu ſuæ actionis, putà contritionis, vel dilectionis erga Deum, ſed potiſſimùm intuitu Baptiſmi, implicitè voliti inter media ſibi præordinata, ac præordinanda à Deo. ANT. *quoad* 2. *memb.* PROBATUR ex D. THOMA, qui p. 3. q. 68. a. 2. ſic ſcribit: *Dicendum, quòd Sacramentum Baptiſmi dupliciter poteſt alicui deeſſe. Uno modo & re, & voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, quod manifeſtè ad contemptum Sacramenti pertinet, quantùm ad illos, qui habent uſum liberi arbitrii. Et ideo hi, quibus hoc modo deeſt Baptiſmus, ſalutem conſequi non poſſunt, quia nec ſacramentaliter, nec mentaliter Chriſto incorporantur, per quem ſolùm eſt ſalus. Alio modo poteſt Sacramentum Baptiſmi deeſſe re, ſed non voto: ſicut cùm aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu prævenitur morte, antequam Baptiſmum ſuſcipiat. Et talis ſine Baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium Baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operantem, per quam Deus interius hominem ſanctificat, cujus potentia Sacramentis viſibilibus non alligatur.* Ita D. THOMAS de juſtificatione ex voto *explicito* Baptiſmi, ubi tamen juſtificationem magis adſcribere videtur dilectioni humanæ, & potentiæ extraſacramentali divinæ, quàm ipſi Sacramento habito in voto. In *Tractatu* tamen DE SACRAMENTIS *in genere quæſt. ult.* oſtenſum eſt, ab aliis nonnullis antiquis Theologis juſtificationem adſcribi ipſi Sacramento præterito, vel futuro. Quod verò attinet ſufficientiam *impliciti voti*, D. THOMAS 2. 2. q. 2. a. 7. ad 3. ſic habet: *Si qui ſalvati fuerunt, quibus revelatio* (de Incarnatione) *non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide mediatoris; quia, etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia credentes, Deum eſſe liberatorem ſecundùm modos ſibi placitos.* Item in 2. ſent. diſt. 28. q. 1. a. 4. ad 3. *Si quis in barbaris nationibus natus, quod in ſe eſt, faciat, Deus ſibi revelabit, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel Doctorem mittendo.* Sed hoc neceſſarium ad ſalutem S. Doctor in priori textu explicat de notitia Dei, qua agnoſcitur, *Deum ſalvare poſſe ſecundùm modos ſibi placitos.*

QUÆRITUR 5. An Parentes teneantur infantes offerre Baptiſmo, quàm primùm poſſunt? Et num Parochi ad eum ſtatim conferendum graviter obligentur?

RESPONDEO 1. Parentes ſpectata præſente conſuetudine Eccleſiæ tenentur ſuos infantes offerre Baptiſmo, quàm primùm poſſunt.

PROBATUR *Reſponſio.* Spectata præſente conſuetudine Eccleſiæ non licet differre Baptiſmum infantium uſque ad annos diſcretionis, & infra annos diſcretionis non datur motivum grave differendi notabiliter Baptiſmum parvulorum; ergo tenentur eos offerre Baptiſmo, quàm primùm poſſunt.

RESPONDEO 2. Quid ſit tempus notabile quoad dilationem Baptiſmi, rectè relinquitur æſtimationi prudentis, v. g. Parochi, vel Confeſſarii, vel alterius conſcientiæ Directoris: in obligationibus enim Legis naturalis, ac divinæ indeterminatis determinatio rectè relinquitur arbitri, vel Superioris indifferenti judicio. Ut verò Parochi, Confeſſarii, vel alii Conſcientiarum Arbitri habeant ſaltem Regulas directivas, reſpiciendum eſt 1. ad Ritualia Diœceſana. RITUALE ROMANUM tit. 7. *de Baptizandis parvulis* §. 1. ſic habet: *Opportunè Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, quàm primùm fieri poterit, deferant ad Eccleſiam, ne illis Sacramentum tantoperè neceſſarium nimium differatur cum periculo ſalutis.* 2. Præ oculis habeant Decreta varia Synodalia: Cùm enim ea partim forment, partim declarent, praxin ac ſenſum Eccleſiæ, notabiliter ab iis recedere ſine gravi cauſa non licet.

D. CAROLUS BORROMÆUS in *Concilio Provinciali I.* ſtatuit, ante nonum diem ad ſuſcipiendum Baptiſmum infantes ad Eccleſiam deferendos eſſe. *In* SYNODO AUGUSTANA de anno 1610. *de Baptiſmo* n. 11. ſic habetur: *Ne Baptiſmus fortè dilatus periculum adferat infantibus, ſedulò præcipimus, ut Parentes, Nutrices, & Obſtetrices moram omnem abrumpant, & quàm fieri poteſt citiſſimè baptizandos infantes offerant. Nec feratur, ut ultra dies octo natis parvulis Baptiſma prorogetur.*

In SYNODO FERRARIENSI de anno 1726. *de Baptiſmo* n. 7. dicitur: *Monemus, ne ultra tres dies infantium recens natorum Baptiſmus differatur; imo citiùs, mortis periculo impendente, conferatur. Quodſi ultra octavum diem protrahatur, pœnis arbitrio noſtro ſubjacebunt ii, quorum culpa id evenerit. In* SYNODO VENETA 1667. de Baptiſmo dicitur: *Diligenter curent Parochi, ut infantes infra dies octo ab eorum nativitate ad Eccleſiam baptizanti deferantur, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis, quas incurrent etiam Obſtetrices non monentes Parochum die ſequenti, qua infans natus fuerit. In* SYNODO PATAVINA 1624.

de

de Baptismo dicitur: *Parochus det operam, ut quamprimùm infantes ad hoc Sacramentum suscipiendum ad Ecclesiam deferantur, nec ultra nonum diem, si fieri possit, mora trahant parentes.* In SYNODO TARAVISINA 1670. *Parochis injungimus, ut summopere caveant, ne ad summum ultra novem dies Baptismus differatur.* In SYNODO TRIDENTINA Diœcesana 1593. *Statuimus, natum infantem quamprimùm, vel ad summum intra octiduum ad Ecclesiam deferendum, & baptizandum.* In SYNODO BRIXIENSI 1614. *de Baptismate* dicitur: *Ne infantibus cum salutis periculo Baptismus differatur, illis, quibus hæc cura incumbit, omnino præcipimus, ut natos infantes intra octavum diem in Ecclesia Baptismum suscipere curent.* Ex his ergo sequitur, rectè scripsisse LEANDRUM cum aliis Doctoribus, fore peccatum mortale, si ultra duodecim dies Baptismus differatur sine gravi causa, v. g. Solennitatis publicæ.

RESPONDEO 3. Ministrum vocatum ad Baptismi administrationem teneri promptissimè obsequi, nisi præpediatur motivo altioris ordinis, v. g. quòd debeat se præparare ad concionem, servire ægrotis, curare suam valetudinem, &c. considerata tamen brevitate moræ, & absentia periculi, & spectato ordine charitatis,

QUÆRITUR 6. An nonnulli ex Patribus Ecclesiæ suaserint Baptismum parvulorum differri usque ad annos discretionis, vel Senii?

RESPONDEO 1. Quòd aliqui ex Patribus probatis Baptismum parvulorum usque ad annos discretionis differendum censuerint, verum non est. Nam TERTULLIANUS solus l. *de Baptismo* positivè reprobavit eum morem Ecclesiæ Catholicæ statim baptizandi parvulos. *Veniant* (inquit) *parvuli, dum adolescunt, veniant, dum discunt, dum quò veniant, docentur; fiant Christiani, cùm Christum nosse potuerint. Quid enim necesse est, Sponsores etiam* (Patrinos) *periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem* (mortem) *destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli? Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem, quàm dilationem.*

SI QUIS DICAT, etiam D. GREGORIUM NAZIANZENUM suasisse eam dilationem Orat. 40. *de Lavacro.*

RESPONDEO: Falsum esse, quòd D. NAZIANZENUS eam dilationem suaserit usque ad annos discretionis; quia expressè in eadem Oratione docet contrarium; sed tantùm docet, Baptismum parvulorum differri posse usque ad annum ætatis circiter tertium, quo infantes jam possunt loqui, & proferre verba usitata in Baptismo, quamvis ea necdum intelligant. Sic enim n. 17. scribit: *Infans tibi est? Ne occasionem improbitas arripiat, ab infantia sanctificetur; ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur. At propter naturæ imbecillitatem Sigillum metuis? Quàm imbecillis animi mater es? Anna Samuelem, priùs etiam, quàm procreatus esset, Deo promisit, atque in lucem editum statim consecravit, ac cum Sacerdotali stola educavit, nihil humani verita. Nihil tibi amuletis opus est, cum quibus Diabolus ingreditur, venerationem Deo debitam in se furtim transferens in ejusmodi levis animi hominibus, Trinitatem ipsi da, magnum illud, & pulchrum amuletum.* Et n. 27. *At dixerit aliquis: Sint sanè hæc ita, quantum ad eos attinet, qui Baptismum requirunt. Quid autem dicis de infantibus, qui nec damnum, nec gratiam agnoscunt? An hi quoque baptizandi erunt? ita prorsus, si quod periculum urgeat. De aliis autem censeo, ut triennio exspectato, aut aliquanto breviori, vel longiori temporis spatio (nam tunc Mystici sermonis aliquid audire, & respondere possunt: quamvis enim perfectè ea non intelligant, ea tamen suis animis imprimunt) per Baptismi Sacramentum animos, & corpora sanctificent. Etenim reddendæ rationis de suis actibus tunc primùm quidem obnoxii fiunt, cùm perfectum usum rationis adepti fuerint, & Mysterium didicerint; attamen, licèt eorum, qui per ignorantiam in prioribus annis deliquerunt, rationem reddere minimè cogantur, propter casus inopinatos, ac repentinos, lavacro communiri conducibilius est.* Ita Nazianzenus.

RESPONDEO 2. Ecclesia tamen nec Parentes, nec baptizandos obligavit lege positiva Ecclesiastica ad Baptismum ante senium, vel periculum apertum vitæ postulandum; sed hoc discretioni Parentum, & Baptizandorum reliquit, quod consideratis particularibus rerum, & personarum circumstantiis ad salutem animæ & gloriam Dei magis expedire judicarent. Id PATET ex plurimis testimoniis Veterum. PAULINUS *de vita S. Ambrosii* refert, quod hic S. Doctor primùm fuerit baptizatus ante susceptionem Episcopatus Mediolanensis. Et S. AUGUSTINUS l. 1. *Confess.* c. 11. narrat, quòd, licèt habuerit matrem sanctam, nempe S. Monicam, non tamen fuerit baptizatus in infantia. *Audieram ego* (inquit) *adhuc puer de vita æterna, & signabar jam signo crucis, & condiebar ejus sale* (benedicto) *ab utero matris meæ, quæ multùm speravit in te. Cùm quodam die pressus stomachi dolore repentè æstuarem penè moriturus, vidisti Deus meus, quo motu animi, & qua fide Baptismum flagitavi, & conturbata mater curaret festinabunda, ut Sacramentis salutaribus abluerer, nisi statim recreatus essem. Dilata est itaque mundatio mea.*

QUÆRITUR 7. Cur illa vetus libertas differendi Baptismum fuerit ab Ecclesia indulta? Et cur fuerit sublata?

RESPONDEO: Verosimile est, priorem illam libertatem propterea fuisse indultam ab Ecclesia. 1. Quia sic Ecclesia coram Gentilibus majorem præstare poterat ædificationem, si nullus admitteretur, vel ad Legem Christianam obligaretur, nisi ultrò à parentibus oblatus, vel post plenum rationis usum, & edomitas pravas passiones ultrò baptismo initiaretur. 2. Quia, cùm illis temporibus pro gravioribus criminibus, per Leges civiles impunitis, aut nondum ad forum Laicum deductis, gravissimæ statutæ fuerint pœnitentiæ Canonicæ, ut sic conservaretur coram Ethnicis honestas Religionis Christianæ, nimis arduum videbatur Ecclesiæ, omnes ex Christianis parentibus ortos subjicere tam severis Ecclesiæ Legibus, nisi essent vel ultrò à parentibus oblati in infantia, vel nisi ultrò post plenum usum rationis Baptismum peterent. 3. Quia eo tempore, quo Christiani vivebant permixti Ethnicis, & occasiones peccatorum fuerunt decuplo majores, quàm nunc, remedia autem decuplo minora, quàm nunc, horrebant multi relapsum post Baptismum; quo in casu jam non supererat altera quoad reatum totalem pœnæ remissio; & peccata singula ob irrogatam Sacramento irreveren-

tiam essent longè majora. His verò motivis cessantibus Ecclesia tandem cœpit rigorosiùs urgere Baptismum parvulorum; præsertim cùm sensim observaretur, ejusmodi dilationem Baptismi adultis tantùm præbere incentivum liberiùs peccandi, & parvulis dare ansam sine fræno vitiis indulgendi, quorum semel contracta consuetudine difficiliùs è cœno eluctarentur. Rationes hæ insinuantur potissimùm à D. Augustino, Nazianzeno, & aliis. D. AUGUSTINUS l. c. ait: *Dilata est itaque mundatio mea, quasi necesse esset, adhuc sordidari; quia videlicet post lavacrum illud major, & periculosior in sordibus delictorum reatus foret.* Sic & NAZIANZENUS Orat. 40. n. 16. observat, eos opinionem vitæ lasciviæ non effugere, qui in ultimum senium Baptismum differunt. *Turpe est* (inquit) *cùm ætate consenueris, libidinem tamen minimè consenuisse; sed vel ea affici, vel certè eam opinionem* (de tua lascivia) *propter Baptismi dilationem hominibus præbere.*

QUÆRITUR 8. An parvulis noceat dilatio Baptismi?

RESPONDEO: Ea dilatio parvulis nocet; quia manent diutiùs sub potestate Dæmonis. Dum autem manent sub potestate Dæmonis, faciliùs exponuntur infestationibus Dæmonum per maleficos; & privantur majori protectione Angeli Custodis in periculis, & subjiciuntur magis directioni, ac societati pravorum hominum, pravos habitus suo exemplo, & verbo infantibus implantantium. Hinc S. GREGORIUS NAZIANZENUS in Textu superiùs citato dicit: *Trinitatem illi da, magnum illud, & pulchrum amuletum.* Aliam rationem insinuat SYNODUS ARETINA, quòd nempe Dæmon justo Dei judicio acquirat eò majorem potestatem in baptizatos, quò diutiùs priùs in iis suum dominatum exercuerit. *De Baptismo* sic habet: *Parentes filios in lucem editos citiùs, quàm fieri potest hoc salutari lavacro aspergi, mundarique curent, ne sub Dæmonis captivitate diutiùs immorentur; & sciant, quod Princeps tenebrarum, quò magis exteriùs regnavit in homine, eò sæviùs expulsus illum foris oppugnet, atque diuturnitate suæ interioris dominationis majores recipit vires, ut inde bella moliatur exteriùs.*

QUÆRITUR 9. Quandonam Baptismus cœperit fieri necessarius ad salutem?

RESPONDEO: Baptismus obligare cœpit ad sui susceptionem post promulgationem Evangelii in die Pentecostes. Id patet ex Act. 2. v. 37. cùm enim S. Petrus in die Pentecostes prædicaret Legem Evangelii, & audientes dicerent: *Quid faciemus Viri Fratres?* Petrus ad illos dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Hinc etiam TRIDENTINUM Sess. 6. c. 4. dicit: *Translatio* (in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei) *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.*

§. II.

De Materia, & Forma Baptismi.

QUÆRITUR 1. Quæ sit materia Baptismi?

RESPONDEO: Materia *remota* Baptismi est *aqua elementaris.* Materia autem ejus *proxima* est ipsa ablutio. Materia *sufficiens* sunt 1. aqua fontana, marina, fluvialis, paludosa, acidula, sulphurea, martialis, & aliæ similes, quæ in balneis salubribus è terra scaturiunt, utpote ad abluendum corpus humanum idoneæ. 2. Non refert, utrùm aqua sit calida, vel frigida, turbida, vel pura, colorata, vel limpida, pluviosa, nivosa, vel ex glacie, aut grandine resoluta. Ratio est; quia omnes hæ aquæ sunt naturales, hoc est, à natura productæ, atque ad abluendum idoneæ. 3. Sufficit etiam ros, pruina resoluta, vapores condensati in aquam, v. g. in fenestris, muris, lapidibus tempore hyemali. Ratio est; quia etiam hæc aqua est naturalis, seu à natura producta, atque ad abluendum idonea. *Materia non sufficiens* Baptismi sunt 1. aquæ artificiales, v. g. aqua ardens, seu spiritus vini, aqua rosacea, aqua vitæ, aqua ex floribus, vel herbis expressa, aqua distillans ex vitibus, vel arboribus; idem est de sero, quod circulatur cum sanguine humano, vel aqua, quæ fluxit ex latere Christi, vel lacrymis D. Magdalenæ. Ratio est; quia hæ aquæ, licèt sint respectivè naturales, utpote productæ à natura, non sunt in usu humano ordinatæ, vel idoneæ ad corpus abluendum. Huc pertinent saliva, sudor, & alii hujusmodi humores excrementitii, mustum ex succo fructuum, Mellonum, seu mustum vulgare &c. *Materia dubia* sunt jusculum, seu brodeum ex coctione carnium, Fleisch-Supp, Fleisch-Brühe. LIXIVIUM, Laug, seu aqua salibus cinerum elutorum imbuta, aqua ex sale resoluto, cerevisia, &c. Ratio est; quia dubium est, utrùm in his liquoribus adhuc in æstimatione morali salvetur ratio aquæ elementaris ad ablutionem usualis. Quando enim partes aquæ, & aliorum corporum, v. g. salium, sulphurum, vel partium sic incorporantur per naturam, vel artem, ut ad priorem suam naturam sua sponte non redeant, videtur planè resultare aliquid tertium, quod in æstimatione morali perdit denominationem, & naturam aquæ elementaris. Aliter contingit interdum in aqua præcisè odorifera, sulphurea, acidula, &c. quia ejusmodi aquæ vel per subtiliorum volatilium partium vel evaporationem per præcipitationem partium salinosarum ultrò ad naturam puræ aquæ redeunt.

QUÆRITUR 2. Quæ sit forma Baptismi?

RESPONDEO: Forma Baptismi apud Latinos consistit in illis verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* DIXI *apud Latinos*; quia in Ecclesia Græca etiam eorum, qui cum Ecclesia Romana uniti sunt, valida, & licita est hæc forma: *Baptizetur Servus Christi N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

QUÆRITUR 3. Quænam sint verba essentialia in hac forma?

RESPONDEO: Omnia verba sunt essentialia præter ista duo: *Ego*, & *Amen.* Ratio est; quia in Baptismo quatuor exprimenda sunt, nempe 1. *Persona Ministri baptizantis*, quod fit per Τὸ *baptizo.* 2. *Persona baptizandi*, quod fit per particulam demonstrativam *te.* 3. *Actus ablutionis*, qui significatur per verbum Græcum *baptizo*, quod in Latino idem significat, ac *ablutio.* 4. Invocatio explicita trium Personarum, in Sanctissima Trinitate, quod fit per illa verba: *In Nomine Patris &c.*

QUÆ-

Quæritur 4. Qualis mutatio formæ sit substantialis, & quæ sit accidentalis?

Respondeo: Illa mutatio formæ est *substantialis*, qua tollitur significatio, vel significatum verborum ex institutione Christi, vel ex determinatione Ecclesiæ requisitum. Econtra mutatio formæ est tantùm *accidentalis*, quando non mutatur significatio verborum ex institutione Christi, vel ex determinatione Ecclesiæ requisita. Exempla mutationis substantialis sunt 1. Si quis dicat: *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ratio est, quia *nomen* non sumitur *appellativè*, sed significat id, ac *authoritatem*, ita ut sensus sit: *Ego te baptizo authoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cùm ergo non sint tres authoritates in Trinitate, sed tantùm una authoritas, seu potestas dominativa, prout constat ex *Symbolo* Athanasii, in ejusmodi forma Baptismi sic immutata tollitur significatum intentum à Christo. 2. *Ego te baptizo in nomine Domini nostri Jesu Christi.* 3. *Ego te baptizo in nomine ignoti omnium Patris, & in veritate omnium matre, & in eo, qui descendit in Jesum.* Ratio est; quia in secunda forma non exprimitur *Trinitas personarum*; & in tertia forma non exprimitur *proprietas* trium personarum, nempe Paternitas, Filiatio, & Spiratio, seu processio trium personarum ad intra. Exempla mutationis accidentalis sunt, si quis dicat: *Ego te abluo in nomine Patris &c.* vel si ex imperitia Linguæ Latinæ dicat: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta &c.* Exempla formæ dubiæ sunt 1. Si quis v. g. dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris &c.* quia dubium esse potest, an baptizans non alliget huic suo errori intentionem conferendi Sacramentum; & utrùm non intendat per hanc formam introducere novum ritum in Ecclesiam, tanquam professionem fidei: Si enim alligaret huic errori intentionem conferendi Sacramentum, & per hanc formam novum in Ecclesiam ritum introducere intenderet, Sacramentum foret nullum. 2. Si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti.* Quia dubium foret, an non per hanc formam exprimantur tria nomina, hoc est, tres authoritates trium personarum inter se distinctæ, vel utrùm ille terminus *nomen* tantùm usurpetur *appellativè*. 3. Si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis Mariæ.* Ratio est; quia dubium esset, utrùm non significetur per hoc *cumulativè* etiam authoritas B. Virginis, licèt participata à Deo, ùt influens causaliter in virtutem, & effectum sacramentalem.

Quæritur 5. Quandonam liceat uti materia dubia?

Respondeo: Tunc solùm licet adhibere materiam dubiam, quando in casu necessitatis non potest haberi materia certa. *Casus necessitatis* vocatur, quando baptizandus est in præsenti discrimine vitæ, vel in eo statu, in quo non ampliùs poterit habere idoneum Magistrum Baptismi, v. g. inter Ethnicos &c. In tali casu liceret etiam uti aqua expressa ex herbis, ac floribus, vel aqua rosacea, vel alia artificiali; quia non est omninò certum, quòd substantialiter differant ab aqua pluvia imbibita per radices herbarum, vel à rore, qui certissimè non differt ab aqua pluvia, nisi tantùm subtilitate.

Quæritur 6. Quid agendum, si adhibita fuerit materia, vel forma dubia?

Respondeo: Baptismus est de novo conferendus sub conditione. Ratio est; quia hoc Sacramentum est Sacramentum necessarium necessitate medii, vel saltem rigorosi præcepti, quod alio remedio suppleri, aut impleri non potest. Idque ostendit praxis Ecclesiæ, de qua actum est de Sacramentis *in genere* Disp. 2. qu. 3. & 4.

Quæritur 7. Quot modis potest fieri Baptismus, seu ablutio?

Respondeo: Tribus: nempe per *infusionem*, *immersionem*, & *aspersionem*. Per infusionem solet fieri, quando super caput baptizandi infunditur aqua. Per immersionem fit, quando ipsum corpus baptizandi immergitur aquæ. Per aspersionem fit, quando aliquot guttulæ asperguntur baptizando; ita tamen, ut illæ guttulæ aliquantulum distendantur, & per modum ablutionis saltem in aliqua parte corporis ad eluendas sordes, vel maculas detergantur; quia alioquin non referrent symbolicè internam ablutionem animæ. In hoc ergo sensu intelligendus est Catechismus Tridentini *de Baptismo*, & Rituale Romanum *de Baptismo*, ubi dicunt: *Baptismus licèt fieri possit, aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, & secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur, ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, aut immergatur.*

Quæritur 8. An, & quamdiu trina immersio in Ecclesia Latina fuerit?

Respondeo: Trina immersio etiam in Ecclesia Latina servabatur usque ad Sæculum XIII. Id patet ex variis testimoniis Veterum.

I. In Can. Apost. 50. dicitur: „ Si quis Episcopus, vel Presbyter non trinam mersionem unius Mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, „ deponatur.

II. Tertullianus descripturus Sacramenta, & Ritus Ecclesiæ in l. *de Corona militis* c. 3. ait: „ Ut à Baptismate ingrediar; aquam adituri „ in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, „ nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis „ ejus. Dehinc ter mergitamur.

III. S. Ambrosius, & S. Chrysostomus testantur, quòd personæ baptizandæ nudæ, hoc est, nulla alia veste, præterquam velo, seu paludamento lineo usque ad talos contectæ, fuerint ingressæ lavacrum, quo non fuisset opus, si non fuissent immersæ. S. Ambrosius Serm. 10. ait: „ Nudi in sæculo nascimur, nudi etiam „ accedimus lavacrum. Quàm autem absurdum „ est, ut, quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, dives intrare velit in cœlum. Et S. Chrysostomus narrans irruptionem militum tempore Baptismatis solennis in *Epist. ad Innocentium I. Papam* ait: „ Mulieres quoque, quæ „ per illud tempus se exuerant, ut baptizarentur, „ metu graviorum insidiarum nudæ aufugerunt, „neque

„ neque etiam concedebatur, ut se velarent, sicut „ mulieres honestas decet.„ Ut autem ea vestimentorum exutio, & veli, seu paludamenti linei inductio, & ipsæ ceremoniæ honestè peragerentur, Diaconissarum officium erat, baptizandas fœminas dirigere. Sic etiam

IV. In Concilio Carthaginensi IV. Can. 12. habetur mentio *viduarum, & Sanctimonialium, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur.* Et ne daretur occasio scandali, *primò baptizabantur masculi, deinde fœminæ;* prout habetur in Ordine Romano *de Sabbatho sancto.*

V. S. Ambrosius ritum hujus immersionis exactiùs describens l. 2. *de Sacramentis* c. 7. scribit: „Interrogatus es: Credis in Deum Pa„ trem omnipotentem? dixisti: Credo; & mer„ sisti, hoc est, sepultus es. Iterum interroga„ tus es: Credis in Dominum nostrum Jesum „ Christum, & in Crucem ejus? dixisti: Credo, „ & mersisti. Ideo & Christo es consepultus; „ qui enim Christo consepelitur, cum Christo re„ surgit. Tertio interrogatus es: Credis & in „ Spiritum Sanctum? dixisti: Credo. Tertiò „ mersisti, ut multiplicem lapsum superioris æta„ tis absolveret trina confessio.

VI. S. Leo in *Epist. ad Siciliæ Episcopos* dicit: „ In Baptismatis Regula & mors intervenit inter„ fectione peccati, & sepulturam triduanam imi„ tatur trina demersio, & ab aquis elevatio resur„ gentis ad instar est de sepulchro.

VII. S. Gregorius M. in *Epist. ad Leandrum* ait: „Nos, qui tertiò mergimus, triduanæ „ sepulturæ Sacramenta signamus, ut, dum ter„ tiò infans ab aquis educitur, resurrectio tridua„ ni temporis exprimatur.„ Ex hoc textu D. Gregorii patet, quòd etiam infantes fuerint immersi. Cæterùm hunc morem perdurasse usque ad Sæculum XIII. colligitur partim ex eo, quia Magister Sententiarum, ubi de Baptismo tractat, solius immersionis meminit; partim quia D. Thomas testatur, quòd adhuc suo tempore communius fuerit adhibita trina immersio. Magister Sententiarum, qui scripsit circa annum 1160, *de Baptismo* agens nullam facit mentionem de infusione. *De immersione verò*, inquit, *si quæritur, quomodo fieri debeat, præcise respondemus, vel semel, vel ter pro more Ecclesiæ.* Ex quo constat, quòd eo tempore adhuc fuerit in more Ecclesiæ immersio. Et D. Thomas p. 3. q. 66. a. 7. in Summa, quam scripsit circa annum 1271. dicit: „Ablutio „ in Baptismo fieri potest per aquam, non solùm „ per modum immersionis, sed etiam per modum „ aspersionis, vel effusionis. Et ideo, quamvis „ tutius sit baptizare per modum immersionis; „ quia hoc habet communior usus, potest tamen „ fieri Baptismus per modum aspersionis, vel et„ iam effusionis.„ Et ibid. a. 8. C. ait: „Com„ muniter observatur in Baptismo trina immer„ sio; & ideo graviter peccaret aliter bapti„ zans.

Quæritur 9. An semper in usu fuerit trina immersio?

Respondeo: Semper fuit in usu trina immersio usque ad Sæculum VI., quo primitùs in Hispania mos baptizandi per unam immersionem introduci cœpit. Causa hujus novi moris erat; quia hæretici utentes etiam ipsi hac trina immersione exinde inferebant, etiam Deitatem, seu naturam divinam in tribus Personis divisam esse. In detestationem etiam hujus hæresis S. Gregorius M. l. 1. Ep. 41. *ad Leandrum Episcopum*, jussit, ut in Hispania adhiberetur una immersio. „ Si nunc usque, inquit, ab hæreticis infans in „ Baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud „ vos esse non censeo, ne, dum mersiones nume„ rant, divinitatem dividant.„ Concilium Toletanum IV. anno 633. Can. 5. hanc controversiam, & Rescriptum S. Gregorii Magni referens ait: „De Sacramento Baptismi, propter „ quod in Hispaniis quidam Sacerdotes trinam, „ quidam simplam mersionem faciunt, à nonnul„ lis schisma esse conspicitur. Nam dum partes „ diversæ in baptizando quasi contrario modo a„ gunt; alii alios non baptizatos esse conten„ dunt. Proinde, quid à nobis in Sacramenti di„ versitate faciendum sit, Apostolicæ Sedis infor„ memur præceptis, non nostram, sed paternam „ instructionem sequentes. Beatæ ergo memo„ riæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex de „ hac Hispaniæ diversitate sic ait: De trina verò „ mersione Baptismatis nihil respondéri verius „ potest, quàm quod ipsi sensistis; quia in una fi„ de nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo di„ versa, reprehensibile nullatenus esse potest, In„ fantes in Baptismate, vel ter, vel semel merge„ re. Quapropter, quia utrumque irreprehensi„ bile habetur, propter vitandi hæretici dogma„ tis usum simplam teneamus Baptismi mersio„ nem, ne videantur apud nos, qui tertiò mer„ gunt, hæreticorum approbare assertionem, dum „ sequuntur & morem.

Quæritur 10. Cur Sæculo XIV. Baptismus per immersionem sensim defierit?

Respondeo: Causa primaria videtur esse; quia Sæculo XIII. exeunte jam tota Europa conversa fuit ad Fidem Catholicam; ita, ut vix ullus ulteriùs reperiretur baptizandus ex adultis, nisi fortè aliquis Judæus, aut Gentilis, vel Saracenus in bello captus. Cùm ergo restarent soli infantes baptizandi, & pro iis postularetur Baptismus aliquot statim diebus post nativitatem, non videbatur congruum in Paschate, & Pentecoste pro uno, vel altero adhibere immersionis cæremoniam, præsertim cùm Sæculo XIV. in plerisque Episcopatibus vix unus adultorum inveniretur baptizandus. Itaque parcitum est simul infantium valetudini, & mulierum baptizandarum pudori, & Sacramenti reverentiæ eo tempore, quo hæc incommoda nullo alio ampliùs compensarentur insigni animarum Baptismum suscipientium, vel spectantium ex significatione Cæremoniæ emolumento.

Quæritur 11. Qualis nunc soleat in Baptismo observari forma accidentalis?

Respondeo: Ea forma accidentalis reperitur in Ritualibus Diœcesium. In Rituali Romano Tit. 13. describitur his verbis: „O„ mnibus opportunè præparatis Sacerdos ad tan„ ti Sacramenti administrationem lotis manibus, „ superpellicio, & stola violacea indutus accedat „ad

„ad limen Ecclesiæ, ubi foris exspectant, qui infantem detulerunt. Accepto nomine baptizandi in hunc modum nominatum interroget 1. N. Quid petis ab Ecclesia Dei? 2. Patrinus respondet: *fidem.* 3. Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, & dicat semel: *Exi ab eo immunde Spiritus &c.* 4. Postea pollice faciat signum crucis in fronte, & in pectore infantis dicens &c. 5. Deinde imponat manum super caput infantis, & dicat: *Oremus, Omnipotens &c.* 6. Deinde Sacerdos benedicat salem, qui semel benedictus aliàs ad eundem usum deservire potest. 7. Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens: &c. 8. Hic pollice in fronte signat infantem, dicens: &c. 9. Mox imponit manus super caput infantis, & dicit: &c. 10. Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ super infantem, & introducit eum in Ecclesiam dicens: &c. 11. Cùm fuerunt Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim, clara voce dicit: *Credo &c.* 12. Ac deinde, antequam accedat ad baptisterium dicat: *Exorcismus.* 13. Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, & tangat aures, & nares infantis: Tangendo verò aurem dexteram, & sinistram dicat: *Ephphetha, quod est adaperire.* Deinde tangat nares, dicens: &c. 14. Postea interroget nominatim baptizandum, dicens: N. Abrenuntias Satanæ? 15. Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter scapulas in modum Crucis, dicens: &c. 16. Hic deponit stolam violaceam, & sumit aliam albi coloris &c. 17. Subinde pollicem, & inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili, & interrogat expresso nomine baptizandum Patrino respondente. N. &c. 18. Subinde expresso nomine baptizandi Sacerdos dicit: *N. vis &c.* 19. Tunc Patrinus, vel Matrina, vel uterque, (si ambo admittuntur) infantem tenente, Sacerdos vasculo surculo accipit aquam baptismalem, & de ea ter fundit supra caput infantis in modum Crucis, & simul verba proferens semel tantùm distinctè & attentè dicit: N. EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠ (*fundat primò*) ET FILII ✠ (*fundat secundò*) ET SPIRITUS SANCTI ✠ (*fundat tertiò.*) 20. Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, & advertens, ne lædatur, cautè caput ejus immergit, & trina mersione baptizat, & semel tantùm dicit: N. &c. 21. Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis. 22. Si verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma: *N. Si non es &c.* 23. Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, & ungit infantem in summitate capitis in modum Crucis dicens: &c. 24. Tunc bombacio, aut re simili abstergit pollicem suum, & locum inunctum, & imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albæ dicens &c. 25. Postea dat ei, vel Patrino candelam accensam, dicens: &c. 26. Postremò dicit; *Vade in pace, & Dominus sit tecum.*„ Ita Rituale Romanum.

§. III.

De Subjecto Baptismi.

QUÆRITUR 1. Quale sit subjectum Baptismi?

RESPONDEO: Omnis, & solus homo viator nondum baptizatus.

DICITUR 1. *Homo:* si enim sit monstrum, quod non habeat animam rationalem, non poterit validè baptizari.

DICITUR 2. *Viator:* si enim jam sit mortuus, vel nondum natus; pariter non validè baptizatur.

DICITUR 3. *Nondum baptizatus:* si enim jam sit baptizatus, alter Baptismus non est validus. Imò rebaptizantes scienter jam validè baptizatum peccant mortaliter, & fiunt irregulares. C. *Eos quos. de Consecrat.* dist. 4.

QUÆRITUR 2. Quid agendum, si afferatur monstrum?

RESPONDEO: Est inspiciendum 1. Utrùm adsint certa signa naturæ humanæ, vel belluinæ: si enim adsint signa certa, v. g. caput, & pectus humanum, vel lacrymæ, vel vagitus &c. debet Baptismus absolutè conferri. 2. Si omnibus consideratis dubium fuerit, an lateat natura humana, vel belluina, Baptismus erit sub conditione conferendus. RITUALE ROMANUM tit. 7. §. 4. sic ait: *In monstris baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est, de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat.* Et §. 5. *Monstrum, quod humanam speciem non præseferat, baptizari non debet, de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: Si tu es homo, ego te baptizo, &c.* Hoc loco Rituale Romanum providè monet, consulendum esse Ordinarium; quia si forma esset sic comparata, ut multis videretur potiùs natura belluina, quàm humana, fortè Ordinarius juberet administrari Baptismum clam, & fortè absque ceremoniis.

QUÆRITUR 3. Quid agendum, si fuerit dubium, an in monstro, quod affertur, contineantur duæ personæ, v. g. si habeat duo capita, vel quatuor brachia?

RESPONDEO: Ante omnia est inspiciendum, an reperiantur signa duarum personarum, vel tantùm unius certa: tunc enim Baptismus absolutè ad duas, vel unam personam referendus est. Si autem dubia maneat unitas, vel dualitas personarum, unus ex duobus est *absolutè* baptizandus, alter *conditionatè*. Ita respondet RITUALE ROMANUM tit. 7. §. 6. ubi sic habet: *Illud monstrum, de quo dubium est, unane, aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum, vel plura capita, unum, vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque distincti, & eo casu singuli eorum sunt baptizandi, unicuique dicendo: Ego te baptizo &c. Si verò periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit Minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiri-*

Spiritus Sancti. Quam tamen formam in iis solùm, & in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, aliàs nunquam licet adhibere. Et §. 7. *Quando verò non est certum, in monstro esse duas personas, vel quia duo capita, & duo pectora non habet benè distincta, tum debet primùm unus* ABSOLUTE *baptizari, & postea alter* SUB CONDITIONE *hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

QUÆRITUR 4. Quid agendum, si Mater prægnans obierit?

RESPONDEO: In RITUALI ROMANO tit. 7. §. 3. sic præcipi: *Si Mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimùm cautè extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur. Si fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet.* Verùm circa hoc Decretum nonnulla observanda sunt. 1. Est observandum, quòd Rituale non faciat discrimen inter tempora prægnationis, utrùm quarto, quinto, sexto, septimo, octavo, vel nono Conceptionis mense fuerit; dummodo constet de statu prægnationis. 2. Observandum est, ne nimia properetur in sectione: Contingit enim aliquando, ut ii, qui videntur esse mortui, necdum obierint. Et hinc per talem sectionem occidi posset mater, quæ nondum obierat. Id per sectionem ejusmodi evenisse Andreæ Vessalio, Anatomico peritissimo, narrat M. DE THOU & ANTONIUS TEISSIER tom. 1. Elog. *des hommes sçavans.* Mihi etiam narrabat quidam Missionarius Castrensis, quòd grassante contagioso morbo inter milites, cum singulis diebus ad noctem onerarent plaustrum cadaveribus sepeliendis, unum ex plaustro deciderit; apprehendente autem uno crines cadaveris, ut id in plaustrum facilius iterum levaret, qui erat proximè sepeliendus, ad se rediit, ac adhuc uno die supervixit. Hinc BUFFALDUS in *suis notis ad Rituale Romanum*, rectè monet, aliis experimentis (v. g. ustione, vel applicatione intensè calidorum) tentandum priùs esse, an mater verè obierit. Hinc etiam sectio lentè facienda, ut, si fœcunda adhuc viveret, excitata dolore signa vitæ ederet. 3. Est observandum, ut hæc sectio, si haberi possit, committatur perito Chyrurgo, vel Physico. 4. Est observandum, hoc munus exequendum esse à Laicis, non à Clericis: si enim sua operatione, & inconsulto Medico temerariè occiderent vivam, incurrerent irregularitatem. 5. Observandum est, quòd ejusmodi matribus aperiendum statim post mortem sit os, & sic apertum retinendum, donec sectio peracta fuerit: quamvis enim probabile sit, infantes in utero materno habere communicationem cum aëre externo per poros ventris materni, facilius tamen fit ea circulatio per poros, si etiam os retineatur apertum, sicut fit in culinis, ubi faciliùs fumus evehitur in furnum, si janua aut fenestra relinquatur aperta pro circulatione aëris. 6. Cùm mariti nonnunquam illibenter ferant, ejusmodi, ùt putant, crudelitatem erga defunctas conjuges, amicè hortandi sunt, aut etiam metu infamiæ, quòd parricidæ habendi sint suorum infantium, si eos sine cæsione perire siverint, ad hoc adigendi sunt.

QUÆRITUR 5. An aliquando matres prægnantes obligentur ad patiendam sectionem in bonum prolis?

RESPONDEO: Nunquam tenentur eam sectionem permittere. Ratio est; quia non licet seipsum occidere ad salvandam vitam alienam, etiam ob conservationem totius mundi: nunquam enim Deus censetur velle bonum alicujus regni conservare per aliquid, quod est malum intrinsecè, nempe per ejusmodi suicidium. Accedit, quòd, si hoc etiam Deus permitteret, ut homo cooperetur directè ad sui occisionem, quando vita propria non est multùm æstimanda, & procuraretur ingens bonum, in præsenti tamen casu, ùt rectè PALAUS hic punct. 6. n. 2. observat, fortè est majus periculum occidendi simul infantem ex vehementissimis doloribus Matris, quàm si Spiritibus matris sensim exspirantibus exspectetur ejus mors. Et hæc ratio etiam suadet, ejusmodi sectionem ne quidem tentandam esse in matribus ultimo supplicio dignis, sed exspectandum esse partum ante supplicium.

QUÆRITUR 6. An baptizandi sint, qui necdum ex utero materno nati sunt?

RESPONDEO: RITUALE ROMANUM tit. 7. §. 2. sic præcipit: *Nemo in utero Matris clausus baptizari debet. Si infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, & tunc si natus est: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. Si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Plura de hac re vide in quæst. disput. ex PIONATELLI Tom. 1. Conf. 153.

QUÆRITUR 7. An filii infidelium, puta Judæorum, Turcarum, vel Gentilium possint invitis parentibus baptizari?

RESPONDEO: Si puer habeat usum rationis, & petat Baptismum, baptizandus est etiam invitis parentibus. Ita D. THOMAS p. 3. q. 68. a. 10. C. ubi sic scribit: *Si pueri infidelium habent usum rationis, jam quantùm ad ea, quæ sunt Juris divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse. Et ideo propria voluntate invitis parentibus possunt Baptismum suscipere. Et ideo tales licitè moneri, & induci possunt ad suscipiendum Baptismum.*

RESPONDEO 2. Si infantes infidelium necdum habent usum rationis, non possunt invitis parentibus baptizari. Ita D. THOMAS l. c. ubi addit: *Si pueri infidelium nondum habent usum liberi arbitrii, secundùm Jus naturale sunt sub cura parentum. Et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur. Esset etiam periculosum, taliter filios infidelium baptizare; quia facilè ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quòd filii infidelium invitis parentibus baptizentur.*

RESPONDEO 3. Si tamen pueri infidelium sint in evidenti mortis periculo, possunt, & debent invitis parentibus baptizari. Ita SALMANTICENSES, LEANDER, & GARIBALDUS. Ratio est; quia concurrente periculo proximo amittendæ salutis æternæ ex parte infantis, & jure

re paterno; ordo charitatis exigit, ut jus paternum cedat juri reciproco infantis.

RESPONDEO 4. Si infantes habent parentes infideles, qui ne quidem profitentur unum Deum, quem tamen Judæi, & Turcæ agnoſcunt, probabile eſt, eos invitis parentibus baptizari poſſe etiam extra mortis periculum. Ratio eſt; quia quilibet homo jure domini magis pertinet ad Deum, & ejus gubernationem, quàm ad parentes & eorum gubernationem. Ergo ſi hi ne quidem ad Deum ordinent ſuos liberos etiam poſt adeptum uſum rationis, exoptabilius erit infanti habere Baptiſmum, ut accedente gratia Baptiſmi, quando ad uſum rationis pervenerit, poſſit ſe ipſum ordinare ad Deum. Neque S. THOMAS videtur eſſe contrarius; quia l. cc. ad 3. videtur ſupponere, tunc ſolùm non poſſe baptizari infantes infidelium, quando hi Deum agnoſcunt, & ad Deum diriguntur. *Dicendum* (inquit) *quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoſcere poteſt. Unde puer antequam uſum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curæ naturaliter ſubjacet; & ſecundùm eorum diſpoſitionem ſunt circa ipſum divina ordinanda.*

CONFIRMATUR ex eo; quia Deus permiſſive tolerat, ut infantes quandoque initientur Sacramentis dæmonum per magos, vel ſagas; ergo etiam approbat, ut infantes Atheorum initientur Sacramento veri Numinis ad coercendas hoc modo inſidias, & poteſtatem dæmonia.

RESPONDEO 5. Probabile eſt, licitum etiam eſſe baptizare infantes infidelium jam baptizatorum, hoc eſt, eorum, qui à Religione Chriſtiana ad Judaiſmum, Machometiſmum &c. apoſtatarunt. Ita GARIBALDUS citans CAJETANUM, & BONACINAM. Ratio eſt; quia tales Eccleſiæ jam ſemel fuerunt ſubjectæ; ergo illis non fit injuria, ſi eorum infantes baptizentur. Neque obſtat S. THOMAS; quia ſolum videtur loqui de caſu, quo infans curæ parentum ſubtrahitur per abductionem è domo paterna, vel ſciente parente. Id inſinuat 2. 2. q. 10. à. 12. C. ubi ait: *Contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi puer, antequam habeat uſum rationis à cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus.* Quamvis autem duæ ex his reſponſionibus, nempe *tertia* & *quarta* videantur eſſe probabiles, practice tamen videtur in contrarium ſtare Eccleſiæ conſuetudo, quæ nunquam videtur uſa eſſe ejuſmodi clancularii Baptiſmis: cùm enim ſimus filii lucis, non videtur rationi conſentaneum, à Chriſtianis aliquid practicari, cujus publice, ſi deprehendantur, non poſſint dare rationem ſine opproprio, & præjudicio Eccleſiæ. Imo, quantumvis videatur urgere charitas, non licet Apoſtolis abire in vias gentium, & diſpenſare gratias mediatoria ultra præſtitutum ordinem, & miſſionem Divinæ Sapientiæ. Hinc plane præ oculis ſemper habenda, & cuſtodienda illa doctrina S. THOMÆ, quam tradit l. cc. 2. 2. q. 10. à. 12. & Quodl. 2. a. 7. his verbis: *Dicendum, quod maximam habet authoritatem conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſemper in omnibus eſt æmulanda; quia & ipſa Doctrina Doctorum Catholicorum ab Eccleſia authoritatem habet. Unde magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quàm authoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcunque Doctoris. Hoc autem Eccleſiæ uſus nunquam habuit, quod Judæorum Filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retro actis temporibus multi Catholici Principes potentiſſimi, ut Conſtantinus, Theodoſius, quibus familiares fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi, ut Sylveſter Conſtantino, & Ambroſius, Theodoſio, qui nullo modo prætermiſiſſent ab eis impetrare, ſi hoc eſſet conſonum rationi. Et ideo periculoſum videtur hanc aſſertionem de novo inducere, ut præter conſuetudinem hactenus in Eccleſia obſervatam Judæorum invitis parentibus Filii baptizentur.* Verum de his Lege Bullam SS. D. N. Benedicti XIV. de praxi infantes Judæorum baptizandi, in fine hujus Tract. de Baptiſmo infra adjiciendam.

RESPONDEO 6. Si infideles ſint ſubditi Principis Catholici, etiamſi non ſint mancipia, poſſunt eorum liberi baptizari etiam invitis parentibus. PROBATUR ex Concilio Tholetano IV. quod refertur *C. Judæorum* 28. q. 1. his verbis: *Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus, deputatos aut Monaſteriis, aut Chriſtianis viris, vel mulieribus, Deum timentibus, ut ſub eorum converſatione cultum Fidei diſcant, atque in melius inſtituti tam in moribus, quàm in fide proficiant.* Id eo magis locum habet, ſi alteruter conjugum fuerit addictus Fidei Catholicæ, & ambo degant ſub Juriſdictione Principis Chriſtiani. Ita habet l. cc. *C. Judæi* ubi ſic dicitur: *Judæi, qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur, ab Epiſcopo civitatis, ut ſi cum eis permanere cupiant, Chriſtiani efficiantur. Quodſi admoniti noluerint, ſeparentur; quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Chriſtianam translata eſt fidem. Filii autem, qui ex talibus nati exiſtant, fidem, atque conditionem matris ſequantur. Similiter & hi, qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Chriſtianam ſequantur Religionem, non judaicam ſuperſtitionem.* Id etiam referente VALENTIA Diſp. 4. q. 3. p. 3. à Gregorio XIII. declaratum eſt in caſu, dum avus paternus quemdam puerum baptizari voluit reluctante Matre Judæa, quæ defuncto marito ſuperſtes erat. Hæc tamen omnia intelligenda ſunt de ſubditis Chriſtiani Principis, qui poteſtati ipſius ſubjecti fuerunt ex bello, aut ſucceſſione, nullo interveniente alio pacto. Si enim Princeps ex pacto, vel juramento obligaretur ſubditis ſuis Vaſallis ad conſervanda Privilegia, vel conſuetudines, non poſſet in ejuſmodi negotiis arduis ponere legem contractui matrimoniali, niſi forte infideles eſſent tam exigua portio populi, ut merito cenſeantur in omni contractu, & more ſe conſormare debere legibus communitatis.

RESPONDEO 7. Filii ſervarum, ſeu mancipiorum, emptorum, aut in bello captorum ſine dubio poſſunt baptizari invitis parentibus. Cæterum etiam illud obſervo, quod, cùm hujuſmodi abductio à cura parentum alterutra, vel utraque parte conjugatorum invita pertineat etiam ad jus gentium, moribus vicinarum nationum introductum, in praxi nihil ſit innovandum ſine prævia conſultatione Epiſcoporum, vel ſummorum Pontificium, ne per novitatem plus inſerátur damni, quam emolumenti in Eccleſiam. Hinc etiam SYNODUS AUGUSTANA tit. de

Baptismo n. 12. hæc præcipit: *Non baptizet Judæos, & Judæorum filios, aut filias, nisi in illis vitæ periculum timeretur, absque nostra, vel Vicarii nostri expressa facultate. Referet enim prius inquiri, sistene, an vere tales baptizari cupiant*; & num in fide sint sufficienter instructi: de Infantibus autem Judæorum vide Bullam sequentem.

Bulla

Benedicti XIV.

De

Baptismo Judæorum, sive Infantium, sive Adultorum.

Venerabili Fratri Archi-Episcopo Tarsen. Vicesgerenti.

Benedictus Papa XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

§. I.

Casus trium Infantium Judæorum nuper Romæ, invitis Parentibus, baptizatorum refertur.

„ Postremo mense Superioris anni cum de more „ ad nos accessisses, retulissesque Antonium „ quemdam Vivianum in Hebræorum vico do- „ mum Perlæ Misani Hebreæ ingressum esse, ibi- „ que cum tres ejus filias, quibus cum puer dun- „ taxat aderat, earum frater, annos natus duode- „ cim, invenisset, eam, quæ nonum annum age- „ bat, Baptismate abluisse, Sacramenti verbis rite „ eodem tempore pronunciatis, quo caput aqua „ lustravit, idemque deinceps cum reliquis dua- „ bus sororibus primæ adhuc ætatulæ peregisse, „ marem autem non baptizasse, quod aquam sibi „ deesse viderit. Tunc nobis quoque significavi- „ sti, quid ad mulctandam Viviani audaciam sta- „ tueras, quidque de puellis Sacro Baptismate ini- „ tiatis statuere in animo habebas: id porro à no- „ bis probatum fuit.

§. II.

Casus hujusmodi quum accidunt, statim novi sermones, & opiniones excitantur; ideo Pontifex certam super hoc instructionem & methodum edere statuit.

1. „ Si quoniam facta hujusmodi frequenter Ro- „ mæ, & alibi audiuntur; quotiescunque „ verò id accidit, multæ hinc statim opiniones, „ maximeque diversæ, perinde quasi tunc id pri- „ mo evenerit, excitantur, quod sane inde oritur, „ quia bene multi temere obloquuntur, cum hac „ de re scriptos neque expenderint libros, neque „ noverint; alii verò, qui scriptores legerunt, „ cum eosdem non semel videant sibi invicem ad- „ versantes, non satis ingenii, & facultatis habent „ ad judicandum quis eorum prudenter senserit, „ quis verò secus; alii demum aut nunquam tri- „ bunalium judicata cognoverunt, aut eorum „ certe non reminiscuntur; ideo operæ pretium „ existimavimus Epistolam hanc scribere, eam- „ demque typis impressam in lucem edere, quæ si „ tibi usui non erit, quia probe jam nosti omnia, „ quæ hic continentur, non parum opinor iis for- „ tasse proderit, qui in eodem Vicesgerentis mu- „ nere tibi succedent, vel aliis extra Romam de- „ gentibus, ad quos pertinet, quemadmodum ad „ Vicesgerentem Romæ spectat, hujusmodi casi- „ bus providere, aut non omnino diversis, aut „ huic plane similibus, qui novissime in urbe ac- „ cidit, quique, ut vulgo dicitur, *dat causam E-* „ *dicto.*

§. III.

Divisio Materiæ in duas partes. Prima Hebræorum Infantium. Secunda Hebræorum adultorum. Subdivisio primæ.

„ Atque ut omnis, quoad fieri potest, confusio „ evitetur, materiam duximus in duas partes „ distribuendam. In prima enim de Hebræorum „ infantium; In secunda de Adultorum Baptis- „ mate disseremus. Prima autem pars multifa- „ riam dividitur. Primo enim expendetur, utrum „ invitis parentibus, ac reluctantibus, Hebræi in- „ fantes baptizari licite possint: Secundo, si hoc „ nefas esse dixerimus, an casus unquam contin- „ gat aliquis, in quo id fieri non modo possit, sed „ etiam liceat, planeque deceat: Tertio, Baptis- „ mum Hebræis infantibus tunc impertitum, cum „ fas non sit, ratumne, an verò irritum haberi „ debeat: Quarto, quid sit faciendum, quum in- „ fantes Hebræi afferuntur, ut baptizentur, aut „ compertum sit eos jam fuisse Sacro Baptismate „ initiatos; demum quomodo probari possit, eos- „ dem aquis salutaribus jam lustratos fuisse.

§. IV.

I. Punctum an dissentientibus Parentibus, possint Infantes baptizari.

„ De primo primæ partis capite si sermo sit, u- „ trum nempe dissentientibus Parentibus „ Hebræi Infantes baptizari possint, aperte asseri- „ mus, hoc jam à S. Thoma tribus in locis defini- „ tum fuisse, nempe in *quodlibet* 2. *art.* 7. *in* 2. 2. „ *quæst.* 10. *art.* 12., ubi ad examen revocans quæ- „ stionem in quodlibetis propositam: *Utrum pue-* „ *ri Judæorum, & aliorum Infidelium sint invitis* „ *Parentibus baptizandi*, ita *respondet*: *Respondeo* „ *dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ec-* „ *clesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmu-* „ *landa &c. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam ha-* „ *buit, quod Judæorum Filii invitis Parentibus ba-* „ *ptizarentur, quamvis fuerint retro actis temporibus* „ *multi Catholici Principes potentissimi, ut Constanti-* „ *nus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctis-* „ *simi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Am-* „ *brosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent* „ *ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: &* „ *ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo* „ *inducere, ut, præter consuetudinem hactenus in Ec-* „ *clesia observatam, Judæorum Filii, invitis Paren-* „ *tibus*

„ *tibus baptizarentur.* Transitum deinde facit Doctor Angelicus ad exponendas rationes, atque „ ita ait, *in* 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum „ rationis, aut non habent &c. si nondum habent „ usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt „ sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non „ possunt: unde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum; & ideo „ contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis Parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. „ Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, „ propter naturalem affectum ad Parentes; & ideo „ non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod Filii Infidelium invitis Parentibus baptizentur.*

§. V.

„ Scotus *in quarto sententiarum distinct.* 4. *quæst.* 9. *num.* 2., & *in quæstionibus relatis ad quæst.* 2. „ censuit laudabiliter posse Principem imperare, „ ut, invitis etiam Parentibus, Hebræorum, atque Infidelium infantuli baptizentur, dummodo id potissimum prudenter caveatur, ne iidem „ infantes à Parentibus occidantur. Habet sectatores hæc sententia suos non solùm in Scholis, „ verùm etiam apud Auctores recentiores in Sæcularibus negotiis apprime versatos, quos inter „ recensendus est *Loaysa in notis ad Concilium decimum septimum Toletanum pag.* 761. *Tom.* 2. *collect. Concil. Hispan. clar. mem. Cardinalis Aguirre.* Prævaluit tamen in Tribunalibus S. Thomæ sententia, ut testatur Cardinalis Albizi *de inconstantia in fide cap.* 11. *n.* 32, atque inter Theologos, Canonumque peritos vulgatior est, quorum nomina recensentur à Cardinali Santorio in Rituali Sacramentorum, ut videre licet *pag.* 209. & *seq.*, in quo Rituali complures viri doctrina illustres multum laboris, atque operæ insumpserunt, quos inter Cardinales Bellarminus.

§. VI.

„ Ut colligi potest ex nuper allatis S. Thomæ verbis, sententiæ ipse suæ præcipuum statuit in Ecclesiæ consuetudine fundamentum; „ quodsi, ad gravissimi hujus argumenti vim labefactandam, Matathiæ, aliorumque exemplum „ proponeretur, qui nimirum, ut legitur *in lib.* 1. *Machabæorum cap.* 2. *circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israël*; quod „ quidem invitis eorum Parentibus evenit: Respondet Liranus, solos Hebræorum filios circumcisos fuisse, cujus sententiam sequutus est „ Verhost *de lib. Machabæorum pag.* 88. Concedit „ Sotus in Hebræorum filios hoc gestum esse, sed „ ulterius procedens addit, quodsi hoc pariter in „ Ethnicorum liberos factum esset, Matathias erravisset: Scriptoris hæc suot verba *in* 4. *Sent. Dist.* 5. *quæst. unic. art.* 10. §. *Quodsi Historiam: Respondetur, eos, qui Judæis Parentibus erant progenati, jure poterat vi circumcidere; siquos autem inter eos circumcidit gentilium, fecit zelo Fidei, sed tamen non secundum scientiam.* At enimvero cum in *D. Amort Tract. de Bapt. & Confirm.*

„ Divinis Litteris nulla occurrat distinctio inter „ Hebræorum, & Infidelium filios, illa sane responsio videtur certior, ac probabilior, Matathiam nempe, quotquot invenit pueros, circumcidisse; cumque idem vir esset virtute egregius, & sanctitate clarus, id jure gessisse optimo, „ cum illi infantes lege belli captivi essent sui, „ quos propterea merito quidem, vel invitis Parentibus circumcidi jussit, quemadmodum multa cum laude Christiani solent Turcarum filios „ in bello captos sacrosancto Baptismate initiare: „ Sapienter ita disserit Suarez *in* 3. *parte S. Thomæ tom.* 3. *quæst.* 68. *art.* 10. *Disput.* 25. *Sess.* 4. §. *Secundo est certum.* Cornelius à Lapide *lib.* 1. *Machab. cap.* 1. *vers.* 46.

§. VII.

II. An aliquo casu id liceat?

„ Hoc igitur posito, quod nefas sit Hebræorum infantes, reluctante parentum arbitrio, baptizare, nunc juxta ordinem initio propositum „ descendere jam oportet ad alteram partem; an „ videlicet contingere unquam possit occasio aliqua, in qua id liceat & conveniat. Ex his quidem casibus unum modo exposuimus, cùm „ Matathiæ exemplum consideravimus. Sed „ quum ejusmodi eventus nostris hisce temporibus contingere nusquam possint, cum neque „ Hebræorum quisquam contra Christianos stipendia mereatur, neque talis eorum conditio „ sit, ut bellum indicere Christianis valeant, rem „ fore opportuniorem ducimus, si sermo hic noster de frequentibus tantum casibus habeatur, „ in iisdemque si prudens, si certa methodus proponatur, cujus etiam hoc loco addatur non inutilis aliqua declaratio.

§. VIII.

Casus practici, in quibus licet infantes baptizare.

„ Duo, ut plurimum casus evenire solent: cum „ Christianorum aliquis Hebræorum infantes „ invenit in extremo mortis discrimine constitutos; alter autem, quum iidem infantuli crudeliter à Parentibus projecti, destitutique inveniuntur. Cum id eveniat, ut ab aliquo Christiano Hebræorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem, Deoque gratam „ is certe efficiet, qui salutem puero aqua lustrali „ præbeat immortalem. Inter cætera Congregationis Sancti Officii decreta unum extat latum „ postridie Kalend. Novembris ano. 1678. cujus „ verba hæc sunt: *Cum filius Hebræorum consignatus fuisset Nutrici Christianæ in deficientia Nutricum Hebræarum, dum esset proximus morti, fuit baptizatus, & Sacra Congregatio declaravit, prædictum „ puerum fuisse licite baptizatum.* Cum quo convenit alterum emanatum die 18. Februarii anno „ 1705. quæstioni respondens fel. mem. Præsulis „ Caroli Maigrot; illud autem est hujusmodi: *An „ filii infantes infidelium possint baptizari invitis Parentibus: Eminentissimi, audito voto DD. Consultorum, „ dixerunt, non licere, nisi in articulo mortis.* Gobat

„ *in Theologia experimentali Tractatu* 2. *caf.* 11. *num.* 329. maxime commendat Virum Religiosum de Societate Jesu, qui cum vi quasi coactus Machumetani domum ingressus esset, veluti Medicus, ejus puellam morti proximam invisurus, eam caute baptizavit, quin id Pater cognoverit; quæ quidem puella post menses aliquot ex hac vita emigrans ad cœlum feliciter evolavit. Conveniunt quoque in eamdem sententiam Suarez *in tertiam partem S. Thomæ Disp.* 78. *quæst.* 25. *art.* 3. §. *Ex his autem.* Becanus *de Sacram. Baptismi cap.* 10. *quæst.* 7. *num.* 7. Hurtadus *de Sacram. Bapt. Disp.* 3. *diff.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *c.* 25. *quæst.* 10. Castrus Palaus *Tract.* 19. *Disp. unic. de Bapt. punct.* 9. *n.* 16. Paschal. *de viribus patriæ potestatis part.* 1. *n.* 11. Barbosa *in Canon. Judæorum* 28. *quæst.* 1. *n.* 3. Ad hanc rem præclare facit Epistola sancti Francisci Xaverii *pag.* 67. Romæ typis edita, in qua confirmans Patrem Franciscum Henricum, quod quereretur paucos à se Infideles in Indiis ad veri Numinis cultum revocari, sic scribit: *Plus itaque proficis, quàm tu putas, infantes diligentissime conquisitos per Baptismum cœlo parturiendo.* Nam certum est, Xaverium hic loqui de Indorum Infantibus, extremum vitæ agentibus quos Pater Franciscus Henricus rite ac licite baptizabat. *At memento, te octo mensibus, quibus isthic versaris, plures animas conservare moribundis infantibus baptizandis.*

§. IX.

De Infantibus expositis.

„ Si item eveniret, ut puer aliquis Hebræus projectus esset, atque à Parentibus derelictus, communis omnium sententia est, pluribus quoque confirmata judiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam, repetentibusque Parentibus, ut recte docent Azorius *Inst. Moral. par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 5. Ricciul. *Lucubrat. lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 30. Clericatus *de Jurisdictione, discord.* 17. *n.* 12. Sessa *de Judæis cap.* 51. *n.* 110. *& seq.* At Hebræorum Parentes Patriam se in filios habere potestatem contendunt, nec plane injuria. Compertum est patriam potestatem neque ad Jus Divinum positivum, neque ad jus naturale, neque ad jus gentium pertinere, sed juris, ut ajunt, *umani Romani* esse; cum autem Civitate Romana Antoninus Imperator omnes Imperio Romano subjectos donaverit, juxta ea, quæ leguntur *in l. in Orbe Romano*, quæque in aliis exemplaribus incipiunt *in Urbe Roma ff. de statu hominum*, & Hebræi Imperio Romano tunc essent subditi, hoc ipsis argumentum suppeditat pro patria in filios potestate. Sic differit Abbas *in cap. cit. ex litteris n.* 3. *de Convers. Infid. Judæus habet filium in potestate; & est ratio, quia Judæi contrahunt justas nuptias, sunt sub Romano Imperio, & sic gaudent Legibus Imperialibus.* Sed itidem plane constat prædictam patriam potestatem tunc certe amitti, cùm filius derelinquitur, projiciturque; juxta responsum Gregorii IX. *cap.* 1. *de Infantibus, & languidis expositis*, cujus hæc sunt verba: *Si à Patre, sive ab alio, sciente ipso, aut ratum habente* (relegato pietatis officio,) *infans expositus extitit, hoc ipso à potestate fuit patria liberatus.*

§. X.

„ Animadvertendum tamen est, eum infantem non inter projectos, expositosque adnumerandum, quem sine Patre, sine Matre, nullo comite, aut per urbem, aut extra Hebræorum vicum temere vagantem inveneris; sed quem in loco publico solum, derelictum, abjectum, atque omni cura, & spe destitutum offenderis, is absque dubio projectus, is sane expositus censendus est.

§. XI.

„ Benigna hæc interpretatio non nullis improbanda videtur; neque enim ignoramus, apud auctores multas hac de re sententias valde huic nostræ dissimiles inveniri, quæ eo potissimum innituntur, quod Hebræi, quamvis non jure belli, Christianorum tamen mancipia sunt. Itaque cum servitutem serviant, tametsi sententia admittatur, eorum infantes sine parentum consensu baptizari non posse, non decere tamen subtiliores addere limitationes. Multa de hac re habet Antonius Francus in *additionibus in Abb. cap. ex litteris, lit. B. de Conversione Infid.* Nostri autem instituti non est in hanc Epistolam omnes congerere limitationes, explicationesque regulæ; non enim Tractatum, sed simplicem tantum methodum hic proponimus, quoad casus & eventus passim obvios, ac sequentes. Sanctus Thomas in locis præfatis docet, Hebræos in servitute quidem apud Christianos esse, non vero pœnali libertatique contraria, sed civili, quæ licet in abjectissimo gradu constituat, non eum tamen præbet, quem altera, dominatum: quod item in rem nostram Sapienter à Suarez consideratur *in* 3. *part. S. Thomæ quæst.* 68. *art.* 10. *Disp.* 25. *Seff.* 4. §. *dico secundo*, & à Silvio *in* 3. *part. S. Thom. tom.* 4. *quæst.* 68. *art.* 10. *concl.* 7.

§. XII.

„ San: mem. Pius V. Prædecessor noster *in sua Constitut.* 80. Omnes Hebræos ab omni Ecclesiastica ditione, exceptis Romæ, & Anconæ Civitatibus, eliminavit. Sixtus V. iisdem concessit omnia ditionis Ecclesiasticæ loca, dummodo septa mænibus essent, habitanda. Sed Pontifex Clemens VIII. rem in antiquum statum restituit; Romæ tamen, Anconaque, Avenionem adjunxit, ut videri potest *in ejus Constitut.* 19. Cum verò Apostolica Sedes Urbini, Ferrariæque Ducatus recepisset, non ejecti fuere Judæi ab iis Urbibus, Oppidisque, ubi antea per duces iis licuerat commorari. At siquis peteret, qua de causa non Hebræis negatum fuerit, nec negetur, in Pontificia ditione, ac Romæ etiam libere permanere, is quidem quæstiones adeat Theologicas Piette, qui *part. V.* usitata ingenii sui sagacitate quæstionem agitat, an infantes Hebræorum possint invitis Parentibus baptizari, tum id affirmantes (quorum & sententiam ipse amplecti videtur) hac interrogatione provocat *pag.* 335. *Cur ergo Romæ Ecclesia Filios Judæorum non baptizat, baptizatosque à Parentibus non avellit, ne in odio Christi, multiplicique im-*

„ *pietate*

„ *pietate enutriantur. Hanc deinde responsionem subjungit: Respondeo, & peto vicissim ego: Cur infensissimos illos Christi hostes ipse Christi Vicarius Pontifex Romanus in sua Civitats tolerat? Cur eos inde non amandat? sicut ergo suas habet rationes, gentem illam Deo abominabilem, Christoque infensissimam tolerandi, ita & rationes habet, quare infantes eorum, ipsis invitis, non baptizet, nec ab eis avellat.* Et inter cætera, quibus nititur argumenta, unum extat S. Augustini lib. 18. *de Civitate Dei cap.* 46., in quo exponit Deum non eos extinguere penitus voluisse, sed tantum disperdere, ac dissipare, ut quocumque pergerent, sacras litteras ferentes, id boni Ecclesiæ parerent, ut suorum Codicum testimonio, Christi vaticinia vel invito animo ubique terrarum disseminarent. *Ideo parum fuit* (verba sunt Augustini,) *ut diceret: ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam; nisi etiam adderet: Disperge eos; quoniam si cum isto testimonio scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique essent, profecto Ecclesia, quæ ubique est, eos Prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.*

§. XIII.

„ Hoc verò obiter attigimus, non contendentes veram causam constituere, cur Hebræis liceat & Romæ, & in aliquibus Pontificiæ ditionis urbibus moram facere; id enim ad rem propositam satis est, quodsi Hebræi servitutem Christianis serviunt, ea quidem non pœnalis est, sed civilis, ac si Romæ, aliisque Pontificiis Urbibus commorantur, id potissimum summorum Pontificum indulgentiæ acceptum referunt; ex quo quidem colligere aperte licet, non id ab iis expetendum esse, quod jure non potest exigi; tum etiam eorum ad Christum conversionem, atque Infantium Baptismum, moderate, Religiose, pie procurandum esse, sine ulla vi, aut injuria; quoniam quidquid injustitiam sapit, Christianorum indignum est; contumelia verò omnis asylo ipsis concesso penitus adversatur. S. Gregorius Pontifax ad Paschasium Episcopum Neapolitanum scribens, eum admonet, ut humaniter, & mansuete in Hebræos se gerat, qui tunc eam civitatem incolebant. *Agendum est ergo, ut potius ratione, & mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum Codicibus ostendentes, quæ dicimus, ad sinum Matris Ecclesiæ Deo possimus auxiliante convertere.* Et quoniam Paschasius quasdam iisdem celebritates jam pridem concessas interdixerat, hæc subjungit: *Itaque Fraternitas tua eos monitis, prout poterit, Deo adjuvante, ad convertendum accendat, & de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat, sed omnes festivitates, feriasque suas, sicut hactenus tam ipsi, quàm parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi, celebrandique licentiam.* Et quæ in eadem Epistola decernebantur, pertinere quoque voluit ad omnes Episcopos, in quorum Diœcesibus Hebræi commorabantur: *Item universis Episcopis per Galliam, & Europam, & Germaniam constitutis. Hæc autem Epistola recensetur in Can. Qui sincera, dist.* 45.

§. XIV.

Declarationes circa casus præmissos.

„ Postquam casus magis obvios exposuimus, in quibus nostra hæc regula prohibet, Hebræorum infantes, invitis parentibus, baptizari; aliquas insuper declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum hæc prima est: si parentes desint, infantes verò alicujus Hebræi tutelæ commissi fuerint, eos sine tutoris assensu licite baptizari nullo modo posse, cum omnis parentum potestas ad tutores pervenerit. Sic Azorius *institut. Moral. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 9. Thomas à Jesu *de convers. gent. pag.* 212. Sessa *de Jud. cap.* 25. *num.* 30.; alios præterea auctores eadem sentire non ignoramus, à quibus recensendis brevitatis gratia supersedemus.

§. XV.

„ Secunda est, si Pater Christianæ Militiæ nomen daret, juberetque, infantem filium baptizari, eum quidem vel Matre Hebræa dissentiente baptizandum esse, cum filius non sub Matris, sed sub Patris potestate sit habendus, juxta textum *in Lege nulla ff. de suis, & legitimis Hæredibus, & in §. fœminæ, Instit. tit. de adoptionibus*, quod quidem ad verbum statuit Gregorius IX. in sua Decretali ad Argentinæ Episcopum scripta, & relata in *cap. ex litteris, de conversione Infidelium.*

§. XVI.

„ Tertia est, quamvis Mater Filios sui juris non habeat, tamen ad Christi fidem si accedat, & infantem offerat baptizandum, tametsi Pater Hebræus reclamet, eum nihilominus aqua baptismatis abluendum esse. Ita cum cæteris Azorius verba facit *in loco præfato quæst.* 3. *Ubi de communi Fidei bono agitur, nulla habenda est ratio patriæ potestatis, quam leges, & jura Romana sanxerunt; & propterea Mater fidelis, quamvis ei jus civile patriam potestatem non tribuat, jus habet ad Baptismum filium offerendi.* Huic quidem sententiæ favet prædicta Decretalis Gregorii IX., in qua licet loquatur de patria potestate in eo casu, quem explicabat, Patris nempe Christiani filium aquis lustralibus offerentis, matre Hebræa perperam discrepante: statuit tamen sententiæ suæ in favore Fidei fundamentum: *In favorem maxime Fidei Christianæ respondemus, patri eundem puerum assignandum:* favor autem Fidei in utroque casu valere plurimum jure debet.

§. XVII.

„ Quarta est, quodsi pro certo habeatur, parentum voluntatem esse infantium Baptismati necessariam, quoniam sub appellatione parentum locum quoque habet paternus avus, ut observatur *in l. justa interpretatione* 201. *ubi glossa in verb. avus ff. de verb. signif.* cum eo, quod amplius Legi potest in *discept.* 977. *num.* 4. *Gratiani*

„*ni*. Hinc necessario sequitur; ut, si avus paternus Catholicam Fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri Fontem, quamvis mortuo jam patre, mater Hebræa repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus. Martinus Navarrus vir, Sacrorum Canonum doctrina excellens, cùm hic Romæ casus ejusmodi evenisset, plus valere contendebat matris dissensum, ut videre licet in ejus *conf.* 4. *lib.* 3. *de Conversione Infidelium*. Contra eum scripsit Præsul Rutilius Benzoni: Pontifex autem Gregorius XIII. pro avo sententiam tulit, ut ipse refert in suo *speculo Episcoporum lib.* 1. *quæst.* 9. *dub.* 1. ubi testatur, Hebræo infanti Baptismum se contulisse. Quamobrem in fine Consilii Navarri hæc leguntur: *Advertendum autem, contra opinionem latam sententiam, infantemque traditum fuisse Avo Christiano, & demum baptizatum, perseverareque adhuc in fide*. Hujusce facti Marchinus etiam testis est *de Bello Divino par.* 1. *cap.* 2. Non desunt alia judicata, quorum vi avus, ad fidem conversus præferri debet, non solùm si Mater, sed etiam si Pater dissentiat, & quamvis ambo pariter protestentur, se se filii Baptismati non assentiri, ut videri potest in *cit. disc.* 977. *Gratiani*, cum præter favorem Religionis, qui maximi habendus est, argumenti loco etiam esse debeat *text. in Can. Patrem* 32. *quæst.* 3. ubi in neptis nuptiis, avi sententia patris judicio anteponitur, cum avus liber, pater autem servus existit. *Patrem puellæ Ecclesiæ nostræ famulum, avum verò ejus liberis ortum constat esse natalibus, & ideo avi magis electionem de conjunctione neptis, quàm patris ejus, cujus nullo modo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic ista nupsisse probatur, hanc constat legitimè esse copulatam.*

§. XVIII.

„Fictitia res non est, quod aliquando Pater Hebræus se velle Catholicam Religionem amplecti prædicet, ac se ipsum, filiosque infantes baptizandos offerat, postmodum verò sui se consilii pœniteat, abnuatque filium baptizari. Id Mantuæ evenit, ubi Hebræus quidam non modo cum viro perhonorificum dignitatis gradum tenente, sed ipso etiam cum Duce id rei gessit. Duos habebat infantes liberos, totidemque pueros, atque uxorem, cumque deinceps ad Christi fidem accedere recusasset, Ducisque spem frustratus esset, res ad examen deducta est in Congregatione Sancti Officii, ac Pontifex *die* 24. *Septembris anni* 1699. statuit ea fieri, quæ sequuntur: *Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter scilicet triennis, alter quinquennis baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum, & filia duodecim, collocentur in domo Catechumenorum, si ea Mantuæ adsit, sin minus apud piam, honestamque personam, ad effectum explorandi ipsorum voluntatem, eosque instruendi. Uxoris quoque in loco à filiis separato exploretur voluntas. Patrem verò, & Maritum respective, qui à proposito suscipiendæ Fidei Christianæ recessit, non esse cogendum, sed contra eum posse procedi, prout de jure &c.* Idem „ferme accidit Augustæ Taurinorum, ubi cum Hebræus quidam Religionem Catholicam amplecti nollet, postquam id se facturum promiserat, cumque instaret, ut filiola, quam baptizandam obtulerat, ideoque à Matre Hebræa jam ablatam Christianæ nutrici lactandam dederat, in potestatem rediret suam; Congregationis Sancti Officii auctoritate Romæ sancitum fuit, ut puellula Christianos penes esset, & ad sacrum regenerationis Fontem elevaretur, quod videri potest apud Sessam cap. 51. *num.* 98. Hoc autem prudenter statutum est, ne scilicet Parentes Hebræi, quibuscum summa æquitate apud Christianos agitur, eo impudentiæ deveniant, ut & nos, & Ecclesiam audeant irridere.

§. XIX.

De Infidelibus, qui Baptismum recipiunt ob bonum aliquod temporale.

„Sunt quoque aliqui infideles, suos infantes Christianis offerre soliti, ut aquis salutaribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur: sed id faciunt indigna quadam superstitione ducti, quod nempe Baptismi beneficio existimant, eosdem à malignis spiritibus, à fœtore, aut morbo aliquo liberandos. S. Augustinus in *Epistola ad Bonifacium Episcopum Tom.* 2. *typis Patrum S. Mauri num.* 5. de hac re ita disserit: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, & verba Sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest.* Mens quippe non infantem Baptismo offerentis, sed baptizantis est serio consideranda: *At non parentum, sed ministrorum mens est spectanda, hi enim si bona, & recta mente voluerunt exequi, quod Ecclesia postulat, omnino Baptismum valide contulerunt.* Verba sunt Arcudii *lib. de Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis lib.* 1. *cap.* 12.

§. XX.

„Res ad examen revocata fuit in Synodo habita anno 1148. Sub Patriarcha Luca, de qua synodo sermonem habet Balsamon *super Canone* 84. *Trullano*. Agareni quidam synodo adfuerunt, qui ut Baptismum reciperent, invitati, illico responderunt, se se jam pridem Sacro Baptismate initiatos; nam id in more suam apud gentem esse dixerunt, infantes vix natos ad Sacerdotes Catholicos deferri solitos, ac baptizari: *Non tamen admissi fuerunt; audierat enim* (prædictus scilicet Patriarcha) *quod Baptismus, quem Infideles à Christianis petunt; non bona affectione, & Orthodoxo proposito petitur, sed propter corporalem medicinam. Persuasum est enim Agarenis, fore, ut sui liberi à Dæmone vexentur, & tanquam canes male oleant, nisi Baptismum Christianum assequantur.* Verba sunt Balsamonis è Græco idiomate „in

„in Latinum versa à Card. Baronio *in annalibus* „*ad annum prædictum* 1148., unde significari vide„tur, illius Concilii Patres Baptismum ratum, „ac validum nequaquam existimasse.

§. XXI.

„Cum ad Theologos, Canonumque peritos „ hujus quæstionis examen transisset, varii „casus propositi, ac discussi fuerunt. Infideles „aliqui, cum hoc sibi in animum induxissent, „Baptismi gratia Infantes suos à morbis, Dæ„monumque vexationibus liberatum iri, eò de„mentiæ adducti sunt, ut mortem quoque mini„tati sint Catholicis Sacerdotibus, qui, utpote „eorum pravæ mentis conscii, Baptismum eo„rumdem liberis constantissime denegabant. *Na„varrus in suo conf.* 5. *de tit. Bapt.* respondit, pue„ros jam rationis compotes in casu ejusmodi à „Baptismi fontibus repellendos, infantes vero „omnino admittendos esse, qui adhuc rationis „expertes sint. Alii verò perperam sentiunt, o„mnibus conferri Baptismum posse, mors ut e„vitetur, dum materia solùm, non autem forma „adhibeatur. At huic sententiæ refragatur Con„gregatio Sancti Officii coram Pontifice habita „die 6. Septembris 1625. *Sacra Congregatio uni„versalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo, relatis „litteris Antivarensis, in quibus supplicabat pro resolu„tione infra scripti dubii: An cum Sacerdotes coguntur „à Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos „efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur à fœto„re, comitiali morbo, maleficiorum periculo, & lupis, „an tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita „Baptismi materia sine debita forma? Respondit nega„tive, quia Baptismus est Janua Sacramentorum, ac „protestatio Fidei, nec ullo modo fingi potest.* Hoc „Decretum typis editum extat in *Vericello de A„postolicis Missionibus tit.* 5. *ad verb. Baptismus quæst.* „219. Neque hoc loco prætermittendum est, „vigesimam nonam inter propositiones ab Inno„centio XI. damnatas die 2. Martii 1679. esse „hujusmodi: *Urgens metus gravis est justa causa „Sacramentorum administrationem simulandi.*

§. XXII.

Conferri nequit Baptismus, cum adest periculum perversionis.

„Si tamen mortis discrimen absit, omnibus „ hæc opinio insedisse videtur, Baptismum „conferre nefas esse, cum dubitari prudenter „possit, id futurum, ut baptizatus tractu tem„poris à Catholica Religione desciscat; quod „quidem experientia docet plerumque iis Infan„tibus evenire, qui à Parentibus Infidelibus ob„lati, ut ab infirmitate aliqua Baptismo liberen„tur, postea verò in eorum educationem, ac „potestatem revertuntur. Hoc idem compro„bat suffragio suo *Castrus Palaus Tom.* 4. *fuorum o„perum moralium Tract.* 19. *disput. unic. punct.* 6. *num.* „11. *Cardinalis Albizi de inconst. infid. cap.* 33. *num.* „47. *Verricellus de Apostolicis Missionibus titul.* 6. „*quæst.* 113. *n.* 8. Hinc verò id sequitur, quodsi „baptizatus infans non ad Parentes infideles re„diret, sed Christiano cuipiam committeretur, „is baptizari deberet, etiamsi non à Parentibus „oblatus esset, ut Catholicus evaderet, verum „ut ab ægritudine, ac morbo aliquo servaretur. „Apposite ita concludit Azorius *instit. moral. par.* „1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 6. *Ex quo perspicuum est, „ejusmodi infantes jure donari, & ablui Baptismo pos„se, quoties commoda occasio se se obtulerit à patrio ejus „jure, & potestate liberandi.*

§. XXIII.

„Negari profectò nequit grave perversionis „ periculum in hac materia rem esse maximi „momenti. Episcopus Quebec alias significa„vit, Barbarorum aliquot, etiamsi Christianæ „militiæ adscriptos, nullum Religionis specimen „exhibere; hoc enim habent in more positum, „ut statim ac filius nascitur, eum Christianis of„ferant baptizandum; is verò ubi adolevit, à „Religionis nostræ Sanctimonia abhorret, pa„rentum scilicet exemplo edoctus. Quare non „sine causa prædictus Episcopus postulavit, iis „ne infantibus Sacramentum esset Baptismatis „conferendum? Huic petitioni diligenter expen„sæ in Congregatione Sancti Officii habita die „3. Maji 1703. responsum fuit, Baptismum con„ferre infantibus non licere, qui filii infidelium „essent, atque in eorum potestate mansuri. Hoc „tamen Decretum eos excepit pueros, qui gra„vissime ægrotantes vita periclitarentur. *Non „licere, si sint filii infidelium, & in potestate eorum re„linquendi; secluso tamen mortis imminentis periculo.* „Licere autem, si filii quidem Barbarorum sint, „sed jam Christi militum, dum tamen, aut à vi„ris Apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis Pa„rentibus, de Sanctæ Religionis præceptis, ac „mysteriis edoceantur, cum adoleverint. *Lice„re verò, si sint filii Barbarorum baptizatorum, curan„dum tamen per Missionarios, ac per ipsosmet eorum „parentes, ut, cùm ad annos discretionis pervenerint, à „se, vel ab aliis instruantur, præsertim in illis regioni„bus, si non provideatur in promptu adfuturos Mini„stros Evangelicos, qui in hoc parentum commode sup„plere possint defectum.* In Servia audivimus pau„perculas esse Christianas mulieres invito cum „Turcis Matrimonii vinculo copulatas, quæ cum „filium pariunt, eum Sacerdotibus offerre solent, „ut baptizetur. Idcirco postulatum fuit, qui „debeant in casu hujusmodi se se gerere Sacer„dotes. De hac re Decretum habetur in nostro „Bullario *n.* 89. §. 8. *n.* 304., ubi apparet, confe„rendum esse Baptismum, si constet, mortem „oblato puero imminere: *Istarum verò filios, quos „Parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitæ pericu„lum imminere videatur, sacro Lavacro abluere prædi„cti Parochi minime dubitent, admonitis matribus, ut, „si convaluerint, ipsos in Christiana Religione educare si„dulo curent.* Si nullum adsit vitæ periculum, „certa regula generalis statuta non est, cùm o„porteat diligenter omnes expendere circumstan„tias, & præsertim, *vel eos in Evangelicæ Legis, & „Fidei cultu perseveraturos, vel Christiana educatione „ab ejusmodi matribus fraudatos, Mahometani Patris „impietatem secuturos esse.* Si Sacerdotes, postquam „pie, & Religiose hoc negotium Deo commen-

„dave-

,, daverint, æquum, bonumque exiſtiment, prædictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de graviſſimo, quo tenentur, munere filios de Chriſtiana Religione ſedulo edocendi.

§. XXIV.

,, Non certe ignoramus, accidiſſe, ut Pater aliquis Hebræus Romæ, aut alibi infantem obtulerit Sacris Baptiſmi aquis tingendum, non quod eum cuperet Chriſtianum fieri, ſed à morbo aliquo liberari. Hoc ſi unquam eveniat; S. Auguſtini ſententia, nempe pravam parentum intentionem Baptiſmati non obeſſe rite collato, præ oculis habita; & conjunctim communi opinione conſiderata, in hoc caſu Baptiſmum minime negandum eſſe, dum nullum ſit periculum perverſionis, quod ſane eſt maximum, ſi baptizatus in Infidelium poteſtatem ſit rediturus; prudentum certe judicio rite luſtrari debet infans, & Chriſtianis tradi, ut probe educatus, ætate, & ſapientia coram Deo proficeret; hoc autem ſi diligenter fieret, ut ſemper poſt Baptiſmi Sacramentum decet, nullum eſſet periculum perverſionis; quod vitari non poteſt, ſi Patri Hebræo filius reſtituatur; atque hoc pacto omnis etiam difficultas tolleretur, quæ ſæpiſſime in cauſa fuit, cur reſponſoria Categorica Miſſionariis negata ſit enixe poſtulantibus, liceretne Baptiſmum conferre Infidelium Infantibus Sacro Fonti oblatis, non pietatis, non Religionis cauſa, ſed rerum temporalium caducarumque cupiditate. *Vid. Card. Albizi cit. cap.* 33. *de Inconſtant. in fide num.* 47.

§. XXV.

III. An Baptiſmus etiam in caſibus non licitis collatus, validus ſit.

,, Satis abunde diximus non ſolùm de primo hujus partis capite, utrum nempe, invitis Parentibus, Hebræi Infantes baptizari poſſint; verùm etiam de ſecundo, an caſus unquam contingat aliquis, in quo id æque licitum ſit, ac decorum; ad tertium nunc accedimus, Baptiſmum videlicet Hebræis infantibus impertitum, cum fas non ſit, ratumne, an verò irritum haberi debeat.

§. XXVI.

,, Nulla de hac re inter S. Thomam, & Scotum diſſenſio eſt, cùm non in eam ſententiam diſputaverint, utrum Baptiſmus Hebræis Infantibus ſine Parentum conſenſu conferri valide poſſit, verum an licite; ut prudenter animadvertit Cardinalis Lauria egregius Scotiſta *in Tom.* 1. *lib.* 4. *Sententiarum Diſp.* 14. *art.* 5. *num.* 58. *Et nota, quod ſermo non eſt de poſſe valido, quia ſi baptizarentur, certum eſt remanere baptizatos; ſed de poſſe licito, id eſt, an licite fiat, ſi baptizentur.* Durandus *in* 4. *ſent. diſt.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 13. contendens, irritum Baptiſmum eſſe ſine conſenſu ſaltem interpretativo illius, qui baptizatur, ideo ſi hoc Sacramentum Hebræorum, aut Infidelium filiis, invitis Parentibus, impertitum fuerit, illud eſſe irritum omnino exiſtimat; ea ratione ductus, quod Infantis non alia, quàm Parentum voluntas ſit, quæ ſi deſideretur, omnis deeſt voluntas, cujus neceſſitas eſt ſane maxima, Baptiſma ut validum habeatur. Verùm hæc Durandi opinio ſingularis nunquam aut plauſum, aut exiſtimationem nacta eſt; quod re vera conſtet, Baptiſmum eſſe ratum, ac validum, quotieſcumque baptizantis voluntas cum forma & materia neceſſaria accedat. Quamobrem Durandi ſententiam Suarez falſam, Cajetanus à ratione alieniſſimam eſſe affirmant. Præfati argumenti, validitatem Baptiſmi collati ſine conſenſu Patris contra Durandum comprobantis, Silvius auctor eſt, doctiſſimus S. Thomæ ſectator *in* 4. *Tom. in* 3. *part. S. Thomæ quæſt.* 68. *art.* 10. *Si Filiis quorumcumque Infidelium conferatur Baptiſmus, erit validus, etiamſi Parentes ſint inviti, quia ſubjectum eſt capax, & Miniſter cum debita intentione adhibet ei materiam, & formam. Nihil autem aliud requiritur, ut Baptiſma parvulorum teneat; nam intentio Parentum eſt impertinens.* Et Phraſſen eximius Scotiſta *Tom.* 10. *ſui Scoti Academici tract.* 10. *diſput.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. Durandi ſententiam refellens, & ejuſdem argumento, hoc eſt, in Baptiſmo Infantium voluntatem deeſſe, ſi Parentum vel offerentium voluntas deſit, reſpondens admonet, Eccleſiæ voluntatem ſemper ineſſe: *Quid ſi nullus offerat, ſed ſolus Miniſter baptizet? Recte intelligitur reſpondere tota mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, quia tota omnes, tota ſingulos parit, per voluntatem Miniſtri, ſuo, & Chriſtiani nomine baptizantis.* Quæ quidem reſponſio S. Auguſtino auctoritatem debet, qui in memorata Epiſtola ad Bonifacium ſic ſcribit: *Offeruntur ad percipiendam ſpiritalem gratiam non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quàm ab univerſa Societate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum ſancta & individua charitate ad communionem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo Mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, pueros geſtat, & offert, quia tota omnes, tota ſingulos offert.*

§. XXVII.

,, Argumentis per ſe clariſſimis, tantorumque auctoritate hominum corroboratis alia addere ſupervacaneum ducimus; quædam verò Congregationum reſponſa in medium proferre nullo modo non poſſumus, inter quæ primo loco afferemus illud Congregationis Sancti Officii *habitæ die* 30. *Martii* 1638. *Circa Baptiſmum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter filiæ Hebræorum à Fauſtina Chriſtiana invitis Parentibus, Eminentiſſimi Domini cenſuerunt, parvulam puellam eſſe vere baptizatam, concurrente materia, forma, & intentione; Baptiſmum probari unico teſte; & quamvis Filii Hebræorum non poſſint invitis Parentibus baptizari, ſi tamen de facto baptizentur, valere Baptiſmum, & characterem imprimi, & filiam baptizatam penes Chriſtianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in poſterum caveat à ſimilibus; notificandum vero populo, non licere invitis Parentibus filios Hebræorum baptizare, quia, licet finis ſit bo-*

,, *nus,*

,, *mus, media non sunt licita, præsertim stante Bulla*
,, *Julii III. imponente pœnam mille ducatorum, & suf-*
,, *pensionem baptizantibus filios Hebræorum invitis Pa-*
,, *rentibus.* Ante hanc resolutionem alia extat
,, *die* 3. *Martii* 1633. cujus hæc sunt verba: *Quæ-*
,, *ritur, an infantulus filius Judæi à Nutrice Christia-*
,, *na baptizatus inscio Patre Hebræo, sit vere baptizatus,*
,, *& ejusmodi Baptisinate teneatur, & apud quem debeat*
,, *infantulus educari? Respondetur, infantulum esse ve-*
,, *re baptizatum, Baptismumque esse validum, eundem-*
,, *que educandum penes Christianos, à quibus instruatur,*
,, *& cùm pervenerit ad usum rationis, posse cogi ad per-*
,, *severantiam in fide Catholica, eidemque providendum*
,, *à patre, si habeat in bonis, sin minus in necessariis ad*
,, *minus ad sustentationem.* Conveniunt aliæ quoque
,, ejusdem Congregationis solutiones, quarum al-
,, tera emanavit *die* 23. *Decembris* 1698. altera die
,, 8. Martii 1708., & à Leone *in suo Thesauro Fori*
,, *Ecclesiastici part.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. alia huic similis
,, producitur in Congregatione Concilii habita in
,, causa Fossani, quem tamen cum registris con-
,, ferri non potuit.

§. XXVIII.

IV. Quid faciendum, quando Infantes Hebræi baptizati exponuntur, vel fuisse baptizatos notitia habetur.

,, Nihil aliud nunc restat, ùt primæ parti finis
,, imponatur, quàm exponere, quid sit facien-
,, dum, cùm Infantes Hebræi aut baptizandi of-
,, ferantur, aut compertum sit, eos jam fuisse Sa-
,, cro Baptismate initiatos; demum quomodo
,, probari possit, eosdem aquis salutaribus fuisse ri-
,, te lustratos; quæ postrema sunt hujus primæ
,, partis capita, & quorum explicationem paucis
,, expediemus.

§. XXIX.

,, Nihil hoc loco cum iis infantibus nobiscum
,, est, qui vel ad Sacrum Fontem ab iis fe-
,, runtur, quibus id faciendi jus esse constat, vel
,, qui juxta sacrarum legum vim, invitis licet, re-
,, luctantibusque parentibus, sunt baptizandi, ut
,, ante demonstravimus; de iis, inquam, infanti-
,, bus nullus hic sermo est, quoniam patet, o-
,, mnino esse ad Sacrosanctum regenerationis la-
,, vacrum elevandos. Ad eos itaque spectat hic
,, sermo noster, qui Baptismo neque à Parenti-
,, bus, neque ab aliis, qui jus in eos habeant, of-
,, feruntur, sed ab aliquo nullam habente aucto-
,, ritatem. De iis præterea agitur, quorum ca-
,, sus non comprehenduntur sub ea dispositione,
,, quæ sinit Baptismum conferri, etiamsi majorum
,, consensus desit: hoc quidem in casu baptizari
,, non debent, sed ad illos remitti, quorum in
,, potestate ac fide sunt legitime constituti.
,, Quodsi jam Sacramento initiati essent, aut de-
,, tinendi sunt, aut ab Hebræis Parentibus recu-
,, perandi, tradendique Christi fidelibus, ut ab
,, illis pie, sancteque informentur; hic enim Ba-
,, ptismi licet illiciti, tamen veri, validique, ef-
,, fectus est. Ex quibusdam paulo ante citatis
,, resolutionibus hoc eruitur, quibus accedit

,, Concilii Toletani quarti textus expositus *in*
,, *Can. Judæor. dist.* 26. *quæst.* 1. *Judæorum filios,*
,, *vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus,*
,, *ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut*
,, *Monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus*
,, *Deum timentibus, ut sub conversatione cultum Fidei*
,, *discant, atque in melius instituti tam in moribus, quàm*
,, *in fide proficiant.* Si autem, postquam adoleve-
,, rint, suo ipsi infortunio Catholicam fidem de-
,, sererent, & Hebræorum ritibus adhærerent,
,, contra eosdem Legibus utendum esset, ut con-
,, tra Hæreticos, juxta Decretalem Bonifacii VIII.
,, *in cap. contra, de Hæreticis, in sexto: Contra Chri-*
,, *stianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Judæo-*
,, *rum, etiamsi ejusmodi redeuntes, dum erant infantes*
,, *&c. baptizati fuerint, erit tanquam contra Hæreti-*
,, *cos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu*
,, *Judæos convicti &c. procedendum.*

§. XXX.

,, Dura nonnullis hæc sententia visa est, qui
,, eamdem ut minus asperam facerent, exi-
,, stimarunt, fas esse, puerulos Judæis parentibus
,, restituere, dummodo ipsi parentes cautione,
,, ac fidejussione data, ingenue spondeant, ab se
,, filios, vix ad convenientem ætatem perven-
,, rint, Christi fidelibus restituendos, nec quid-
,, quam contra fidem Catholicam edocendos. Ita
,, opinatus est Calderinus *in suo Consil.* 3. *de Judæis,*
,, quem secutus est Grassius *in suis decis. cas. con-*
,, *scien. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 23. Verum hæc
,, Calderini sententia à cæteris omnibus erroris
,, insimulata fuit, ut Afflict. *decis.* 151. *n.* 13. Spe-
,, rel. *decis.* 1. *num.* 42. Sessa *de Judæis cap.* 55. &
,, *n.* 64. Piton. *Discept. Eccles. p.* 4. *discept.* 146. *dub.*
,, 3. & *n.* 33. Card. Albizi *de Inconst. in fide cap.* 11.
,, *n.* 33. *Et vere scio, in hac Sacra Congregatione,* lo-
,, quitur de Congregatione S. Officii, *Sententiam*
,, *Calderini uti erroneam fuisse rejectam.*

§. XXXI.

V. Quomodo probetur, Baptismum infanti fuisse collatum.

,, In quibusdam præfatis resolutionibus innuitur,
,, eum, qui Hebræorum filios sine parentum
,, consensu Baptismo lustrare ausus fuerit, exce-
,, ptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, in-
,, quam, pœna mulctandum esse; Baptismum au-
,, tem unius testimonio comprobari. Ut primæ
,, parti hujus nostræ instructionis extrema manus
,, accedat, nihil aliud restat, quàm prædictarum
,, resolutionum judicium confirmare, & quidquid
,, in iisdem continetur, nostra quoque sententia
,, stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam,
,, rectamque non dubitamus; modus autem o-
,, mnino illicitus habendus est; & ea quicumque
,, facit, quæ Ecclesia fieri vetat, pro Judicis pru-
,, dentia mulctari debet, pœna scilicet aut mitio-
,, ri, vel severiori, juxta circumstantias. Addi-
,, tur etiam, qui infantes Hebræorum liberos ba-
,, ptizare solent, eos plerumque aut Laicos, aut
,, mulieres esse; quod neutris liceat, nisi necessi-
,, tas interfuerit, ut videri potest *in Can. ad Li-*

„ *mina* 30. *quæst.* 2. *in Can. sanctum*, *in Can. in necessitate Consecr. dist.* 4. *in Conc. Flor. Armen. Instruct.* „ *in casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest.* Hoc etiam in „ trigesimo octavo Concilii Illiberitani Canone „ statutum est, *peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate.* Et quamvis Petavius *in not. ad Sanctum Epiph. pag.* 341. miretur, Concilium, etiamsi necessitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere; *ergone à bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?* Mendoza tamen & „ Albaspineus ajunt, in Canone quemquam baptizari à bigamis interdici, cùm plures adsint rei „ conficiendæ magis idonei, quod Catholicus „ Ethnico, Laicus autem non bigamus jure sit bigamo anteponendus. Jam vero Baptismati „ comprobando unius sufficere testimonium, vetus Jurisperitorum axioma est, ut videtur in „ Glossa *Cap. Nuper, ad verbum: nisi juratus, de testibus, & attestationibus. Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit præjudicium alicui; puta, utrum aliquis sit baptizatus, vel utrum esset Ecclesia consecrata, & ubi quis vult probare, se egisse pænitentiam per confessorem suum. Et in Can. Placuit, in verbo: testentur, de Consecrat. dist.* 4. *Creditur ergo testimonio unius in Baptismo, & in Consecratione Ecclesiæ.* Hoc tamen intelligendum est, dummodo testi aut mari, aut fœminæ, fides adhiberi „ prudenter possit, aut idem si testatur qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens Baptismum Hebræo infantulo ministrasse, non re n „ modo ab sese gestam, sed etiam pœna dignissimam suo ipse testimonio confirmaret. In S. „ Spiritus Xenodochium, projectorum perfugium, „ feruntur non raro infantes chartam collo suspensam præseferentes, in qua scriptum legitur, „ jam Baptismum eidem collatum esse. Cùm adhuc in minoribus à Secretis Sac. Congregationis „ Concilii munere fungebamur, Sancti Spiritus „ Parochus interrogavit, quid sibi agendum esset „ in hujusmodi casibus? Proposita quæstio fuit „ in Congregatione *die* 18. *Decembris* 1723., *ut declarat Thesaurus resolut. tom.* 2. *pag.* 412. *die autem* 15. *Januarii* 1724. ita rescriptum fuit: Si non „ lateret, qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto præstari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum esse, ac ne Baptismo quidem „ initiandum *sub conditione*, ut aperte liquet *in tom.* 3. *præfati Thesauri pag.* 2.

§. XXXII.

SECUNDA PARS.

De Baptismo Judæorum adultorum. Quando adultus dici possit.

„ Hæc sunt, quæ breviter exponenda censuimus „ quoad primam partem ad Hebræorum infantes unice pertinentem. Itaque ad secundum „ descendimus, sermonem de Hebræis adultis, ac „ ratione pollentibus habituri. Atque ut ordine „ utamur, & claritate, differemus primo de iis, „ qui ultro Baptismum petunt, tum de iis, qui „ jam baptizati ad Ecclesiam se conferunt. Verùm in primis constituendum est, quænam plerumque ea ætas sit, in qua Hebræus sponte Baptismum expetens, non infans, sed sui compos censendus est, & quodammodo adultus, „ atque hac quidem in re duos Jurisperitos, licet haud indoctos, cavere necesse est; Nattam „ scilicet *in Consil.* 454. *lib.* 2., & Bursat. *in Consil.* 231. *lib.* 3. quibus in casu, de quo agitur, necessaria videtur duodecim annorum ætas; *id* „ autem perperam quibusdam decretis probant „ æquè antiquis, ac antiquatis. Hac in re consulendus est Sedulus, accuratusque Præsul Spe„ rellus *in sua decis.* 1. *num.* 32. *& duobus seqq.* ubi „ probat rationis usum ab anno septimo compleo inchoari; idemque confirmaturus, præclara „ quædam in unum collegit Cardinalis Albizi *de inconst. in Fide cap.* 11. *num.* 39. Ricciul. *in tract. de Personis extra gremium Ecclesiæ lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 3. Zasius *in tract. de Judæis quæst.* 2. Clericat. *de Jurisdict.*, *Discord.* 18. *num.* 25. Sessa *de Judæis cit. cap.* 43., quibus addimus Congregationis Concilii resolutionem, quæ extat *lib.* 16. *Decretorum pag.* 233. *a tergo* in quadam causa „ Vilnæ: *Die* 16. *Julii* 1639. *Sacra Congregatio Concilii respondit, filios Judæorum non esse invitis Parentibus baptizandos, donec perveniant ad ætatem legitimam; & tunc, si ipsi consentiant: Ætatem verò legitimam regulariter censeri completo Septennio.* Animadvertere opus est illud *regulariter*, nam indicat, oportere, Præsidem Ecclesiasticum etiam „ atque etiam considerare, quisnam sit Baptismi „ petitor, cùm possit contingere, ut is etiam non „ completo Septennio sufficienti sit præditus ratione; ideoque baptizandus, invitis licet reluctantibusque parentibus, ut sapienter disserit „ Sotus *in* 4. *Sententiar. dist.* 5. *quæst. unic. art.* 10. *dub.* 2. *Certissima regula est, quod si citra illam ætatem certo constat, puerum Fidei Catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, & quemadmodum sit professio Christianæ legis, baptizandus est, quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; lex autem divina Baptismi neutiquam ab humana dependet.*

§. XXXIII.

„ Si verò de perfecto rationis usu dubitaretur, „ & Baptismum implorantis capacitas anceps, „ ac incerta esset, cavendum est ab eorum sententia, qui juxta tritum illud axioma, in dubio „ nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt, petentem Baptismum „ ad Hebræos, & ad patrem potissimum, si superfit, necessario remittendum. Cavendum „ est, inquam, ne quis arbitretur, sententiam ejusmodi approbandam, & axioma, cujus duntaxat est ratio habenda in causa æquali: nulla „ verò æqualitas intercedit Hebræos inter, atque „ Christi fideles; ac multo minus inter patrem, „ & filium; cum alter patriæ potestatis jacturam ad breve tempus, damnum nempe levissimum evitaret; ærumnæ alter gravissimæ provideret, hoc est mortem fugeret sempiternam, „ cujus periculum certe subiret, regressus ad infidelium curam, ac sub patriam potestatem.

„ Quare

„Quare in supradictis casibus Sacramentum est differendum, sed hoc qui postulat, retinendus, ac sic interea informandus, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

§. XXXIV.

„Suarez in 3. *part. S. Thomæ tom.* 3. *quæst.* 68. *art.* 10. *disp.* 25. *sect.* 3. *ad fin.* sic scribit: *Ad cognoscendum autem, an pervenerit parvulus ad eum statum, & facultatem usus rationis, utendum est signis, & conjecturis ex experientia desumptis, & hominis prudentis arbitrio judicium ferendum est. Quodsi signa non fuerint satis evidentia, tamen rem faciant dubiam, & aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectari potest & debet commodior occasio, & major cognitio.* Magni hujus Theologi auctoritas, quidquid supra diximus, mirificè probat, Baptismum nempe, donec dubio locus fuerit, protrahendum: adultum verò id temporis a Christi fidelibus detinendum procul à Genitoribus, ex his, quæ subjungimus, apertè patet. *Cardinalis de Lugo lib.* 5. *respons. moral. ad dub.* 4. hoc Romæ accidisse narrat ætate sua: *Contigit Romæ, ut parvula quædam puella casu inveniretur longè ab Hebræorum domibus, quæ interrogata à suis Parentibus, respondit, se parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam. Conducta ergo ad Catechumenorum domum, parens petiit, filiam sibi restitui, quæ adhuc sui juris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione.* Consilium expetitum est sapientissimi Cardinalis, qui postquam puellam examinasset, dubitavit, an perfecto rationis usu præditam judicaret: *Consultus ergo tunc fui, & examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui, nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius.* Cùm puella septennium adhuc non complevisset, dubitaretque Cardinalis de perfecto rationis usu, Baptismum protrahendum esse respondit, & puellam interea apud Catechumenos detinendam: *Ego, quoniam puella illa Septennium non compleverat, & de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi, Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certo constare posset de sufficienti ejus voluntate; interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiæ causa retinendam in eadem Catechumenorum domo.* Atque ita gestum est, ac puella deinceps, nova adhibita diligentia, baptizata fuit, ut videtur in fine prædicti Dubii IV. *Non erat controversia, an puella baptizanda esset, sed an Patri reddenda, in dubio de usu rationis sufficienti; in quo dubio de facto reddita non fuit; sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, & explorata jam ejus voluntate, cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.*

§. XXXV.

„Species facti, quam modò exposuimus, de puella est, quæ septennium nondum expleverat; si autem illud superasset, & non constaret de perfecto rationis usu, non ideo Hebræis Parentibus reddenda esset, sed Christianorum curæ mandanda. Etenim idem argumentum & ad puellam detinendam, & ad Baptismum protrahendum in utroque casu valeat, necesse est, *Auctore Sessa de Jud. cap.* 54. *num.* 8. *& seq. Ego verò adhærendum puto sententiæ Henriquez, ut baptizari in dubio usus rationis non debeat, sive septennium compleverit, sive non &c. modò non urgeat periculum mortis &c. Erit tamen eo casu à Parentibus segregandus, & in domo Catechumenorum, vel penes honestam mulierem collocandus, ad vitandum periculum, ne à Parentibus subvertatur.* Et ante Sessam id docuerat Sotus loco cit. *Quid verò, quando res esset aliquo modo dubia, nempe si bonæ essent conjecturæ, & indicia, puerum annum agentem octavum intelligere, quid vellet profiteri, Baptismumque peteret? esset baptizandus, ac subinde ab eorum educatione subtrahendus?*

§. XXXVI.

De iis adultis, qui Baptismum petierunt.

„Tempore constituto, in quo Hebræus rationis compos prudenter censendus est, statuto etiam, quid sit agendum, cùm Baptismi petitor, an sit idoneus, dubitatur; de iis jam disseremus, qui aut ab adolescentia, aut ætate etiam maturiori Baptismum postulant. Quoad hanc ætatem, Parentum consensum necessarium omnino non esse, auctor est S. Thomas *in præfat. loc. id est in* 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 12. quo in loco disputans de Baptismo Filiorum Hebræorum, dissentientibus Parentibus, sic scribit: *Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus, & potest, quantum ad ea, quæ sunt Juris Divini, vel naturalis, sibi ipsi providere; & tunc est inducendus ad Fidem, non coactione, sed persuasione, & potest etiam invitis Parentibus consentire Fidei, & baptizari, non autem, antequam habeat usum rationis.* Eadem verò repetit *in* 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. *Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea, quæ sunt Juris Divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse; & ideo propria voluntate, invitis Parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere; & ideo tales licitè moneri possunt, & induci ad suscipiendum Baptismum.* Quæ quidem cum iis conveniunt, quæ scripta reliquit idem *Doctor Angelicus in quodlib.* 2. *art.* 7.

§. XXXVII.

„S. Thomæ doctrina de modo, quo Hebræi jam rationis compotes ad Fidem Catholicam amplectendam inducendi sunt, omnino congruit cum Sancti Gregorii sententia *in Can. qui sincera, dist.* 45. cujus hæc sunt verba: *Qui sincera intentione extraneos à Christiana Religione ad Fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine a consulta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quàm Dei causas probantur attendere.* Accedit Concilii Toletani IV. Auctoritas *in Can. de Judæis dist.* 45. *De Judæis autem præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult Deus, misere-*

„*tur; & quem vult, indurat. Non enim tales inviti* „*salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma ju-* „*stitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate ser-* „*penti obediens periit, sic, vocante se gratia Dei, pro-* „*priæ mentis conversione homo quisque credendo salva-* „*tur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut* „*convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.* „Idem sentit Clemens III. in sua Decretali, cujus „hoc est exordium: *Sicut Judæi sub tit. de Judæ.* „*& Saracen. Statuimus, ut nullus invitos, vel nolen-* „*tes Judæos ad Baptismum venire compellat: si quis* „*autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam* „*voluntas ejus fuerit patefacta, Christianus absque ca-* „*lumnia efficiatur, quippe Christi fidem habere non cre-* „*ditur, qui ad Christianorum Baptismum non sponta-* „*neus, sed invitus cogitur pervenire.*

§. XXXVIII.

„Nec plane obest huic sententiæ auctoritas A- „driani Pontificis, qui Baptismum a Carolo „Magno Saxonibus vi collatum, ut fertur, com- „probavit, cùm infidelium ratio æque ac He- „bræorum habenda sit, juxta S. Thomæ Senten- „tiam *in* 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. ubi sic scribit: *In-* „*fideles quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem,* „*sicut Gentiles, & Judæi, & tales nullo modo sunt ad* „*fidem compellendi, ut ipsi credant &c. alii verò sunt* „*Infideles, qui quandoque fidem susceperunt, & eam* „*profitentur, sicut Hæretici, & quicumque Apostatæ;* „*& tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut im-* „*pleant, quod promiserunt, & teneant, quod semel su-* „*sceperunt.* Nullius quoque momenti sunt, quæ „gesta fuerunt à Sisebuto Hispaniarum Rege, „quem Concilium IV. Toletanum *cap. Majores, de* „*Baptismo*, Principem Religiosissimum compella- „vit, propterea, quod vi, ac minis Hebræos ad „Baptismum impulerit, cujus vestigiis institerunt „Rex Ægæa, Ferdinandus, atque Isabella, ut vi- „dere licet in Mariana novissimæ editionis *ann.* „1733. *tom.* 1. *pag.* 202. *& in tom.* 3. *pag.* 184. *&* „211.

§. XXXIX.

„Placet hic verò nonnulla breviter adnotare; „ac primò, Pontifex Adrianus gratulatus est „quidem Carolo Magno, quod Saxones jussisset „ad Baptismum accedere; in ejus tamen Episto- „la typis impressa *in tom.* 2. *Concil. antiqu. Galliæ* „*pag.* 112., quod unum extat facti ejusmodi mo- „numentum, in ejus, inquam, epistola ne le- „viter quidem commemoratur modus, quo fue- „rant Saxones baptizati; deinde, iidem Saxones „fidem Imperatori dederant, sua se sponte ad „Baptismum venturos, cum armis superati, & „prælio victi se Carolo tradiderunt: *Spoponderunt,* „*se esse Christianos, & se sub ditione Domini Caroli Re-* „*gis, & Francorum subdiderunt:* ut narrat Anna- „lium Scriptor Loissellanus *tom.* 6. *Annal. Ecclesia-* „*stic. Galliæ Patris le Cointe pag.* 110. Tertio, Rex „Sisebutus non ubique fuit, neque ab omnibus „commendatus; quapropter Rex Sisenandus im- „peravit, ut nulla vis in posterum adhiberetur, „quod Mariana testatur *tom.* 1. *pag.* 207. *Judæos* „*amplius ad Religionis Christianæ Professionem cogere* „*nefas, esto.* Quarto, Religiosissimi Nomen Si- „sebutus, non scientiæ merito, sed pietatis cau- „la est consecutus, *propter zelum, quem habebat,* „*licet is non esset secundum scientiam*, ut notat Sil- „vius in 2. 2. *S. Thomæ quæst.* 10. *art.* 8. *Concl.* 4. §. „*Ad hoc tamen.* Quinto in Hispania per eam æ- „tatem Ecclesiastica Disciplina nimis remissa erat; „ideoque Episcopi non ausi sunt Regum volun- „tati adversari, uti animadvertit Natalis Alexan- „der in sua *Theologia Dogmatica, & Morali, de* „*Sacram. Bapt. lib.* 2. *cap.* 7. *Propos.* 7. *ad fin. Mores* „*illos in Hispaniarum Ecclesiis viguisse, negari non* „*potest, Episcopis Ecclesiasticam disciplinam ad nu-* „*tum Regum suorum flectentibus; sed saniorum fuis-* „*se, ut & antiquiorem disciplinam de Judæis ad* „*Fidem Christianam per Baptismum non cogendis,* „*perspicuum est.* Demum Principum gesta legem „præscribere privatis nequeunt, cùm fas sit Re- „gibus infideles devictos, captivosque suos vi „ad Baptismum impellere, edictoque sancire, ut „illud accipere si recusent, à regno eliminentur; „id autem Regibus licet non sine causa: me- „tuunt enim, ne ipsi aliquando ad rebellionem „deficiant, aut alios ad infidelitatem perducere „moliantur. Quamobrem S. Augustinus in Epi- „stola ad Vincentium, quæ nunc XCIII. est, olim „XLVIII. postquam suam sententiam semper fuis- „se agit: *Neminem ad unitatem Christi esse cogendum;* „hoc ad rem nostram addit: *Legum terror, quibus* „*promulgandis Reges serviunt Divino in timore, ita* „*profuit, ut nunc alii dicant . . . . . Gratias Domi-* „*no, qui vincula nostra disrupit, & nos ad pacis vincu-* „*lum transtulit.*

§. XL.

„Hebræis igitur, ut Baptismum accipiant, vim „facere nefas est; quare, si quis Hebræorum „expleto jam septennio Catholicam Religionem „amplecti cupiat, aut si non dubia, sed certa si- „gnificatio detur, Hebræum aliquem prædictæ „ætatis Baptismum petere, in hoc casu tum In- „dex, qui hoc admonet, est retinendus, tum „Sacramenti petitor ex Hebræorum vico evo- „candus, Christianisque tradendus est, ut in- „terrogetur, qua potissimum de causa velit ab „Hebræorum institutionibus ad Christi cultum „accedere; diligenter demum instrui debet, ut „paulo post edocebimus. Hac autem adhibita „diligentia, si forte incapax inveniretur, iterum „absque dubio Judæis tradendus esset. *Et me-* „*mini*, verba sunt Cardinalis Albizi *de inconst. in* „*Fid. cap.* 11. *sub num.* 38. *A Congregatione Consul-* „*torum Sancti Officii revocatum fuisse ad examen* „*puerum quemdam Hebræum, qui supponebatur pe-* „*tiisse Baptismum, & ad domum Catechumenorum* „*redactus fuerat; qui tamen adeo hebetis ingenii vi-* „*sus fuit, ut, etiamsi explevisset septennium, nihilo-* „*minus Patri Hebræo restitutus fuerit.*

§. XLI.

„Si contingat, ut Hebræorum aliquis ætate ad- „ultus Baptismum cupiat; is quidem est reti- „nendus, aut e vico evocandus, dum ejus opti- „mam voluntatem quispiam fide dignus attesta- „tur. Magna hic verò diligentia opus est, ex- „perien-

„perientia edocente, Hebræas seu mulieres, seu puellas frequenter ad Baptismum confugere, non Religionis, sed matrimonii causa, quod nimirum Christianum aliquem depereant: mares autem Christianæ Fidei desiderium affectare, quod matrimonii jam contracti laqueos declinare cupiunt, & uxorem Hebræam relinquere, aut quod ære alieno gravati sunt, ac solvendo impares. Atque utinam in præsentiarum non eveniret, quod Stephanus Tornacensis scripsit in Epist. XXXII. *Rarò accidit, ut de plebis circumcisæ duritia in novam Ecclesiæ renatus infantiam fideliter aliquis conversetur.* Hanc vocem *raro* ita interpretamur, ut non negemus persæpe Hebræos ad veram fidem divinitùs evocatos, ea fecisse omnia, quæ bonos viros, & utiles Christianos decent. Eorum Elenchum vide apud Possevinum, & Thomam a Jesu *de Convers. Gent. lib. 9. part. 2. cap. 1. pag.* 635. Præviam institutionem multùm ad hanc rem conferre fatendum est. Sapientes instructiones pro Missionariis Romæ in lucem editæ anno 1699. pag. 187. hæc habent: *Enimvero comprobatum est experientia, Christianos pejores non inveniri, quàm qui ante competentem instructionem ad Baptismum admissi sunt; quippe qua facilitate Christo nomen dederunt, eadem ut plurimùm nuntium ei remittunt &c. Quodque miserabilius est, deteriores multò sunt quàm ante Baptismum, & correctionis omnino impatientes.* Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 6.* indicat, quæ adulto, & ad Baptismum cum spirituali utilitate accipiendum sunt necessaria. Catechismus Romanus *par. 2. de Baptismo* moram, & tarditatem in hoc negotio inculcat, cùm mortis discrimen abesse videatur. *Dilatio aliquas videtur utilitates afferre: primùm enim quantum ab Ecclesia providendum est, ne quis ad hoc Sacramentum ficto, & simulato animo accedat, eorum voluntas, qui ad Baptismum accedunt, magis exploratur, atque perspicitur; deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, & Christianæ vitæ institutionibus erudiuntur perfectius.* Quoad ea, quæ ante Baptismum adulto credenda sunt, animadversione dignum est dubium, seu quæstio ab Episcopo Quebec Sancti Officii Congregationis proposita, definita 3. Maji anno 1703. *Utrum, antequam adulto conferatur Baptisma, Minister teneatur ei explicare omnia Fidei nostræ mysteria, præsertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non sufficeret, si moribundus promitteret fore, ut, ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod ei præscriptum fuerit? Respondetur, non sufficere promissionem; Sed Missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria Fidei, quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt præcipuè mysteria Trinitatis, & Incarnationis.*

§. XLII.

De illis, qui extra infantilem ætatem baptizati sunt, absque eo, quod ipsi Baptisma petierint.

„Hactenus verba fecimus de Hebræis adultis ultro Baptismum petentibus; modò, finis ut epistolæ imponatur, de iis sermonem instituemus, quibus, infantium ætate expleta, nec ipsis quidem petentibus, Baptismus impertitur, ut re ipsa contigit in Viviani facto; unde oblata Nobis hujus epistolæ conscribendæ occasio fuit. Is enim præter infantes, filiam annorum novem Baptismate consecravit, idem cum filio jam duodenni facturus, nisi aquam deficere comperisset. Eos itaque & retinere oportet, & diligenter inquirere, à quo baptizati sint, an debita forma & materia adhibita; tum etiam oportet eos instruere & docere supplendo quidquid antea non factum fuit, ac fieri omnino debuit: Neque verò hæc satis sunt, sed nonnulla insuper observari necessariò debent.

§. XLIII.

Intentio baptizati an requiratur, quando est extra infantilem ætatem.

„Non rarò fit, ut puer adhuc rationis impos in rebus momenti maximi cogatur alienæ inservire voluntati, quod solebat olim ex veteri disciplina frequenter usuvenire. Quos enim ab infantia parentes ad Monasterium miserant, ii toto vitæ spatio solitudinem colere tenebantur, quamquam, ubi adolevissent, sese palam profiterentur ab instituto ejusmodi abhorrere. *Vide Can. Audyttis 20. quæst. 1.* Atqui adultus alienæ obnoxius voluntati, nisi sponte sua obligari nequit: quare, cum Baptismo Catholicæ Religionis observantia conjuncta sit, hinc sanè oritur, hoc Sacramentum non esse validum in adulto palam ac liberè dissentiente. Sanctus Thomas 3. *part. ad quæst.* 68. *art.* 7. quærit: *Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi Sacramentum Baptismi?* Et quibusdam more suo propositis argumentis intentionem non esse necessariam probantibus, ita quæstionem solvit: *Respondeo dicendum, quod per Baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem &c. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur, secundùm Augustinum, in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio Sacramenti; & ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, seu intentio suscipiendi Sacramentum.* Glossa Canonica *in Can. Solet, ad verbum, implorandum, de Consecratione dist.* 4. intentionis necessitatem in adulto, qui baptizatur, non requirit, sed baptizantis tantummodo satis esse affirmat. *Si baptizans intendit baptizare, qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipit Sacramentum: sed, si non intendit baptizare, licet verba proferat, non est baptizatus.* Sed juxta Sotum *in 4. Sent. dist. 5. quæst. unic. art. 7. §. His igitur*, supradicta Glossa, sicut & alia *in cap. Majores, de Baptismo, tum contra veritatem, tum etiam contra textus ipsos apertè pugnant:* Ratio verò, qua Glossa innititur, nempe baptizatum patientis partes agere in Sacramento, intentionem autem quoad agentem, minimè quoad patientem necessariò requiri; ratio, inquam, ejusmodi refellitur à Sancto Thoma *loc. cit.* in responsione ad primum argumentum:

 „*Ergo*

„ *Ergo dicendum, quod in justificatione, quæ fit per Baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria; & ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.* Quidquid Sanctus Doctor in Summa de hac voluntatis necessitate scribit, jam antea declaraverat *in 4. Senten. distinct. 6. quæst. 1. art. 6. quæstiuncul.* 3.

§. XLIV.

„ Cùm ergo voluntatis, sive intentionis in adulto, quoad Baptismum, necessitas certa sit, is debet ideo interrogari, quo esset animo, aut voluntate, cum ab se non postulatum acciperet Sacramentum; fieri enim potuit, ut in ipso actu intentionem habuerit accipiendi Baptismum, aut quoddam veluti lavacrum in Ecclesia solitum frequentari, aut ut profanam quamlibet lavacri speciem. Nihil prohibet, quo minus ante Baptismum intentio fuerit illius, ut lavacrum est Ecclesiæ proprium, accipiendi, ea deinde intentione in ipso actu caruerit, cùm lustraretur. Contingere item potuit, ut animo, ac voluntate extiterit Sacramento contraria, licet modestam vultus, ac corporis totius compositionem in accipiendo Baptismate præseferret. Nihil demum impedimento est, quin ipsa rei novitate perculsus, nulla omnino voluntate, nec assentiendi scilicet, nec abnuendi fuerit; & fieri etiam potest, ut animo prorsus à sacris mysteriis alieno, vel voluntate coacta & repugnante Baptismum acceperit.

§. XLV.

„ Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, sed unicè Ecclesiæ proprium, ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non potest. Ita Æst. *lit.* 4. *sent. dist.* 4. §. 10. *In his enim ad veritatem Baptismi, sive ad characteris susceptionem omnino necessaria est intentio suscipiendi Sacramentum, non tamen ut est lotio quædam in genere, sed ut talis, qualem frequentat Ecclesia.*

§. XLVI.

„ Verùm si quis Baptismum accipiens præsenti voluntate careat, quam aliàs tamen habuerit, talis suscipiendæ lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla præcesserit retractatio, & moraliter perdurare intentio videatur, est certè validum Sacramentum. Hic casus ad eos spectat, qui ante furorem, vel somnum, Baptismum petunt, accipiunt verò, dum aut insania vexantur, aut somno indulgent, & hoc genus hominum validè baptizatum dicitur *in Concil. III. Carthagin. cap.* 34. Non secus accidit S. Augustini amico, qui febris ardore delirans, *baptizatus est nesciens, mente, atque sensu absentissimus,* ut habetur in *lib.* 4. *Confess. cap.* 4. Is enim cùm adhuc inter Catechumenos versaretur, propositum absque dubio habuerat baptizandi. Ad hanc rem animadversione dignissima verba sunt Innocentii III. *cap. Majores, ad* §. *Verum, de Baptismo,* ubi hæc leguntur: *Dormientes autem, & amentes, si priusquam in amentiam inciderent, aut dormirent, in contradictione perstiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti: secus autem, si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.*

§. XLVII.

„ Qui vultu, atque oculis, ac toto corpore ad modestiam composito, voluntate tamen alienissima, ad hoc Sacramentum veniat, is aditum aperit ad controversiam non parvi momenti. Quidquid sit de opinione Caterini, qui sustinet, conferenti exteriorem sufficere compositionem, etiamsi non id animo proponat facere, quod Ecclesia solet, de qua opinione multa alibi diximus in nostro Tractatu *de Sacrificio Missæ ad part.* 4. *sect.* 2. *num.* 76. *& seqq.* Hæc, inquam, opinio minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed de accipiente Baptismum. Propositio autem ab Alexandro VIII. damnata, objici Caterino solita, conferentem respicit, non accipientem: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat; intus verò, & in corde suo resolvit, non intendo facere, quod Ecclesia facit.*

§. XLVIII.

„ Quotiescumque sacra hæc mysteria suscipiuntur indifferenti prorsus animo ac proposito, neutra scilicet voluntate, Cardinalis Cajetanus *art.* 7. *in Summa S. Thomæ* 3. *part. quæst.* 58., admissa in recipiente intentionis necessitate, docet, intentionem non *per se*, ut scholæ loquuntur, sed *per accidens*, necessariam esse, ut nimirum contraria voluntas, si adfuisset, sublata penitus intelligatur. Itaque si quis nec abnuens, nec assentiens, neutra videlicet voluntate, baptizaretur, censendus esset Baptismum validè suscepisse. At enim Sotus 4. *Sent. dist.* 5. *quæst. unic. art.* 7. Cajetano vehementissimè adversatur, & ea quidem felicitate, ut plurimos habeat sententiæ suæ Theologos assertores. Silvius *tom.* 4. *in* 3. *part. S. Thomæ quæst.* 68. *art.* 7. postquam rem prolixè discussit, ita concludit: *Ex jam dictis certum est, non sufficere, quod quis neque sit volens, neque sit nolens, quia talis non habet intentionem recipiendi Sacramentum.* Valentia *tom.* 4. *suorum Comment. Theolog. disp.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 2., Cajetano valere jusso, adhæret Soto: *Quod si neuter prorsus aliquis esset, id est, qui neque vellet, neque nollet suscipere, putavit Cajetanus, si sic baptizaretur, fore Baptismum validum, sed admodum falsè id putavit, ut multis argumentis probat Sotus.* Consulendus quoque est Cardinalis Lauria *lib.* 4. *sent. tom.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 2. *num.* 22. *& seqq.* Cajetanus fulcire studet sententiam suam auctoritate Decretalis Innocentii III., de qua mox sermo erit, *in Cap. Majores, de Baptismo,* ubi leguntur hæc verba: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obsistentem:* ubi sentire videtur, Baptismo satis esse, recipienti voluntatem non inesse contrariam.

„ At

„ At enimvero animadvertatur necesse est, Pon-
„ tificem Innocentium respondere quæstioni, u-
„ trum amentes baptizati absque consensu pos-
„ sint, ac decernere hoc licere, eorum si consen-
„ sus adfuerit furori prævius, secus verò, si nul-
„ lus dementiam consensus præcesserit ac volun-
„ tas. Itaque Pontificia postea asserentis Sacra-
„ mento imprimi characterem, *quando non invenit*
„ *obicem contrariæ voluntatis*, nemo non videt, hanc
„ mentem esse, Baptismatis haberi effectum, quan-
„ do quis vel in actu assensum præbeat, vel jam
„ ante præbuerit. Quod si Pontifex ea in senten-
„ tia fuisset, suscipiendo Baptismati satis esse vo-
„ luntatem non obsistentem, utique non decre-
„ visset, ut re vera statuit, in amentibus volun-
„ tatem necessariò requiri antecedentem.

§. XLIX.

„ Demum si Baptismus violenter, atque animo
„ palam contrario suscipiatur, supradictus
„ Pontifex Innocentius III. *eadem in Decretali Ma-*
„ *jores, de Baptismo*, distinctione utendum judicat.
„ Etenim eos, qui minis, ac terrore correpti vio-
„ lentiæ cedunt, Baptismum, ut sibi consulant,
„ suscipientes, ab iis distinguit, quibus, vi etiam
„ illata, contradicentibus palam, & reluctantibus,
„ hoc Sacramentum per vim confertur. Decer-
„ nit autem in primo casu, non in secundo, Ba-
„ ptismatis imprimi characterem: *Is, qui terrori-*
„ *bus, atque suppliciis vehementer attrahitur, ne detri-*
„ *mentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, sicut*
„ *& is, qui fictè ad Baptismum accedit, characterem su-*
„ *scipit Christianitatis impressum &c. ille verò, qui num-*
„ *quam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec*
„ *characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expresse*
„ *contradicere, quàm minimè consentire: sicut nec ille no-*
„ *tam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus*
„ *& reclamans, thurificare idolis cogitur violenter.* Di-
„ stinctio ejusmodi occurrit quoque in Glossa Ca-
„ nonica *in Can. de Judæis, ad verbum, coacti sunt,*
„ *dist.* 45. *in cap. Majores*, §. *item quæritur, ad ver-*
„ *bum, conditionaliter, de Baptismo*, & in *Cap. Contra*
„ *Christianos, ad verbum, absolutè, de Hæreticis, in*
„ *sexto.*

§. L.

Quid servandum, si post Baptismum quis negat intentionem sufficientem habuisse.

„ Examen porro si haberi debeat de adulti pro-
„ posito, aut voluntate, cùm Baptismum ac-
„ cepit, is profectò est ante cæteros audiendus,
„ & interrogandus; cavendum tamen, ne incon-
„ sultò fides eidem illicò habeatur, ubi responde-
„ rit, se baptizatum non liberè, sed invitò. Fie-
„ ri enim potest (nec casus sanè hic metaphysicus
„ est) ut ipso in actu intentionem habuerit suffi-
„ cientem, Diabolicis deinde stimulis incitatus,
„ & victus, ad vomitum rediturus mendacium
„ proferat, & de intentione interrogatus nigrum
„ pro albo, ut inquiunt, repræsentet. Qui in
„ foro, in Curia, in Republica versatus, non
„ ignorat, & sæpè aliàs contigisse, & frequenter
„ usuvenire, ut sacris Ordinibus initiati, ac vitam
„ Regularem professi, enixè postulent contractis
„ à vinculis solutionem, dictitantes nimirum, &
„ nonnunquam jurejurando affirmantes, sese illo
„ tempore aut nullam penitus intentionem, aut
„ omnino contrariam habuisse. In hoc rerum
„ statu quid solet consilii capere Judex cautus, &
„ prudens? Clamores aspernatur, respuit jusju-
„ randum, nisi hoc idem comprobent adjuncta
„ plurima, & circumstantiæ antecedentes, conco-
„ mitantes, & subsequentes, & eæ quidem mo-
„ menti sint ineluctabilia, & inconcussi. Hac pro-
„ fectò ratione, hoc examine, hac diligentia opus
„ est, ubi adultus post Baptismum aut intentio-
„ nem sibi fuisse pernegat, aut non idoneam, mi-
„ nimeque sufficientem extitisse contendit.

§. LI.

„ Quod si nulla sit reliqua dubitatio, planeque
„ constet hac luce clarius, adulto Baptis-
„ mum accipienti nullam prorsus fuisse volunta-
„ tem, aut intentionem, nil restat aliud, quàm
„ eumdem & hortari, & admonere, ut ritè id fa-
„ ciat, quod jam irritè fecit, & suscipiat *absolutè*,
„ ac libere Sacramentum; ac si obstinatè repu-
„ gnet, tum nihil aliud superest, nisi nec remitta-
„ tur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi
„ possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfue-
„ rit necne, adultus tum retinendus, baptizan-
„ dusque *sub conditione*. S. Thomas 3. *part. quæst.* 68.
„ *art.* 7.; ubi, ut antea diximus, in Baptismo in-
„ tentionis necessitatem probans, hoc sibi obje-
„ ctum proponit secundo loco: *Cùm de intentione*
„ *Baptizati non constet, quilibet posset petere, se denuò*
„ *baptizari, propter intentionis defectum. Non vi-*
„ *detur ergo, quod intentio requiratur ex parte ba-*
„ *ptizati, ut suscipiat Sacramentum:* atque ita re-
„ spondet: *Dicendum ergo, quod si in adulto de-*
„ *esset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebapti-*
„ *zandus, si tamen hoc non constaret, esset dicendum,*
„ *si non es baptizatus, ego te baptizo.*

§. LII.

„ Demum quotiescumque aliqua ex parte de col-
„ lato Baptismate dubitetur aut in facto, aut
„ in jure; cùm ex facto articulus juris oriatur,
„ de quo nihil adhuc certi Ecclesia statuit, Theo-
„ logorum autem, Scriptorumque sententiæ di-
„ visæ sunt; Hebræus jam lustratus non remitti,
„ sed retineri debet, & baptizari *sub conditione*,
„ juxta regulam Alexandri III. *in cap. De quibus*,
„ *sub tit. de Baptismo: De quibus dubium est, an*
„ *baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis:*
„ *Non te rebaptizo, sed, si nondum baptizatus es,*
„ *ego baptizo te.* Hi porro ita baptizati tenen-
„ tur, omnino Fidem Catholicam observare, eo-
„ rum instar, qui minis, ac terrore adducti, su-
„ scipiendo Baptismati assensum liberè præbue-
„ runt: vide *cit. cap. Majores*, §. *Verùm, de Ba-*
„ *ptismo: Et ipse tanquam conditionaliter volens, li-*
„ *cet absolute non velit, cogendus est tamen ad obser-*
„ *vationem Fidei Christianæ.* Et prolixius in *Con.*
„ *de Judæis, ad dist.* 45., ubi sic legitur: *O-*
„ *portet, ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate*
„ *susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blas-*
„ *phe-*

„ *phemetur*, *& Fides, quam susceperunt, vilis, &*
„ *contemptibilis habeatur.*

§. LIII.

Alia dubia circa hanc materiam solvuntur.

„ Statutum hìc nobis fuerat, epistolam terminare; „ sed deinceps audivimus operæ pretium esse, „ quasdam quæstiones solvere huc spectantes, „ quarum usus haud infrequens esse solet. Tene- „ mus itaque huic epistolæ additamentum necte- „ re, & opportunius hoc fore existimamus, quàm „ opus jam perfectum retexere, aut fasciolas, ut „ dici solet, ac frustula infarcire.

§. LIV.

I. In casu denunciationis aliquem Christianum effici optare, quibus testibus fides præstari debeat.

„ Superius, hoc est *num.* 40. e vico evocandum, „ tradendumque Christianis diximus, eum, qui „ nuncio haud dubio, sed certo & indubitato de- „ latus est, & dedisse, & adhuc exhibere indicia „ desiderii, quo flagrat, suscipiendi Baptismatis. „ Hoc præmisso, in præsentia quæritur, quando- „ nam ejusmodi denunciatio tuta, minimeque du- „ bia habenda sit? Cùm non de adulto ad salutis „ fontem ultro se conferente, sed de eo nunc ser- „ mo sit, quem alii significant Baptismum votis „ omnibus exoptare, jam patet non posse quæ- „ stionem solvi, nisi decernatur, cujusmodi & „ quot esse testes debeant, eorum ut denuntia- „ tio non incerta, non anceps, sed fide dignissi- „ ma existimetur.

§. LV.

„ Regula generalis, quam te non ignorare com- „ pertum habemus, aperte jubet non unius „ testimonio haberi fidem. Illæc verò Jure Di- „ vino innititur, *in ore* scilicet, *duorum*, *vel* „ *trium, stabit omne verbum*, concordat Jus Pon- „ tificium *in cap. Veniens* 10. *& cap. Licet uni-* „ *versis* 23. *de testibus*, & Jus Civile *in leg. Ju-* „ *risjurandi C. de Testibus.* Aliquæ porro sunt „ hujus regulæ limitationes, quarum unam pau- „ lo ante produximus, nimirum collationem Ba- „ ptismi unius testimonio probari: præter hanc si „ quis alias unde triginta legere cupiat, Specula- „ torem adeat *tit. de testib. num.* 8. Nobis in præ- „ sentiarum satis erit earum unam memoravisse, „ rem nempe aliquam unico etiam teste probari, „ dum is tamen fultus haud dubiis indiciis fuerit, „ & claris oppidò conjecturis: ita Farinaccius *de* „ *test. quæst.* 63. *cap.* 1. *num.* 35. Pac. Jordan. *elu-* „ *cubr. lib.* 14. *tit.* 18. *n.* 66. Panimoll. *decis.* 23. *an-* „ *not.* 5. *num.* 18. Quoad testium conditionem, „ usus invaluit, tam in Judiciis Canonicis, quàm „ Civilibus, admitti mulierum testimonia, ut a- „ pud Tiraquell. *de Legib. Connub. Leg.* 9. *num.* 64. „ *& seq.* Farinac. *de test. quæst.* 59. *per tot.* Pac. Jor- „ dan. *loc. cit. num.* 529. Pirhing. *titul. de test. num.* „ 66. *&* 69. Anaclet. *ad eundem titulum, num.* 84. „ Sperell. *decis.* 81. *num.* 45. Quidquid hactenus „ dictum est, probatum suis, ut inquiunt, à prin- „ cipiis videre qui cupiat, suffragium perlegat ad- „ modum elaboratum, & 19. Julii 1709. typis e- „ ditum à 60. mem. Præsule Frosini Pisarum Ar- „ chiepiscopo in quadam Controversia, quæ ipsi „ cum illius Civitatis Hebræis intercessit.

§. LVI.

„ Ut ergo regulæ hæ generales in quæstione „ proposita locum habeant, cavendum est, „ ne inconsulto ac temerè quidquam fiat, si testes „ Hebræum aliquem seriò Baptismum petere si- „ gnificaverint. Ac in primis videndum, num „ index, sive mas, sive fœmina fuerit, certæ sit „ probitatis, ac notæ fidei; deinde examinari de- „ bet, & admoneri de gravitate jurisjurandi; „ tum ejus examen est describendum, cui & in- „ dex ipse subscribat necesse est. Si duo inter se „ testes concordent quoad locum, tempus, & oc- „ casionem, in qua Hebræus suscipiendi Baptis- „ matis voluntatem aperuit, tunc prudentis erit „ Præsidis, Hebræum ad Catechumenos evocare, „ eumdemque ibi ad dies duodecim detinere, ut „ non minus rei veritas, quàm voluntatis con- „ stantia cognoscatur. At cùm rem denuntiant, „ aut duo testes singulares, aut unus tantummo- „ do, sed fide dignus, & omnem citra dubitatio- „ nem idoneus, & multò magis si adminiculis ful- „ fultus; tunc habito, ùt diximus, testium, vel „ testis examine, non oportebit Hebræum ad Ca- „ techumenos ducere, sed Judex Catholicus, qui „ Romæ est Vicesgerens pro tempore, ejus vo- „ luntatem extra vicum, vel domi suæ, vel in „ Templo aliquo semel, atque iterum, aut etiam „ pluries explorabit, ut Hebræi consilio clarè per- „ specto, & cognito, cum tuto jubeat, aut ad vi- „ cum remitti, aut Catechumenis recenseri.

§. LVII.

„ Neque id verò recens inventum est, sed de- „ cretum à Congregatione Sancti Officii an- „ no 1727. Cum adhuc in minoribus eadem in „ Congregatione Consultoris munere fungere- „ mur; itemque hoc postea confirmavit per Lit- „ teras Apostolicas die 14. Februarii anni prædi- „ cti Benedictus Papa XIII. fel. rec., cujus in Nos „ beneficentia haud parva fuit: ejus Decreti ver- „ ba talia sunt: *Feria* 4. *die* 7. *Februarii* 1727. „ *in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & U-* „ *niversalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctæ* „ *Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis, &* „ *Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* „ *Cardinalibus in tota Republica Christiana contra* „ *Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à* „ *Sede Apostolica specialiter deputatis: Cùm plures* „ *exortæ sint Controversiæ super intelligentia, & exe-* „ *cutione Decreti ab hac Sacra Congregatione editi* „ *die* 8. *Julii* 1641. *quoad Hebræos utriusque sexus* „ *denuntiatos de eorum animi declaratione suscipiendi* „ *Baptismum; Eminentissimi, & Reverendissimi Do-* „ *mini Cardinales Generales Inquisitores prædicti di-* „ *ctum Decretum declarando, & quatenus opus sit,* „ *reformando, in posterum illud sequenti modo exequi* „ *mandarunt, & decreverunt: nempe quod testes, qui* „ *He-*

„ *Hebræos denuntiabant, sive mares, sive fœminas de declaratione animi suscipiendi Baptismum per Notarium, juxta interrogatoria Generalia ab R. P. D. Vicesgerente præscribenda, cum speciali monitione relevantiæ Juramenti, in scriptis coram eodem R. P. D. Vicesgerente, & eo impedito, coram ejus Auditore, examinentur; qui etiam examen præfatum subscribere debeant; &, quatenus duo testes sint de loco, tempore, & occasione contestes, tunc denuntiati ad domum Catechumenorum duci, & collocari in loco separato, ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate, & constantia declarationis eorum voluntatis suscipiendi Baptismum explorentur. Si autem testes erunt singulares, vel unus adesset testis idoneus, & fide dignus, tunc denuntiati, non statim post denuntiationem, & testium examen ducendi erunt ad domum Catechumenorum, sed per R. P. D. Vicesgerentem extra Ghetum, vel in ejus domo, vel in aliqua Ecclesia, vel alio loco fibi benè viso, & intra tempus necessarium, & opportunum, juxta facti speciem & circumstantias, pro arbitrio, & prudentia dicti R. P. D. Vicesgerentis, eorum voluntas exploranda erit.*

§. LVIII.

II. De uxoribus, & sponsis oblatis à Maritis, qui Christiani efficiuntur.

„ Hanc alia quæstio sequitur ad sponsas pertinens, atque conjuges Hebræorum, quæ viri jam Christiani, aut sponsi opera Fidei Catholicæ offeruntur. Nulla Judæorum querela est, quod a viris, aut sponsis Christi fidelibus sponso, aut conjuges ad lavacrum sanctissimum offerantur; non enim nesciunt vel ipsi Hebræi, nullam hac invitamenti, vel adhortationis specie violentiam includi, ita ut si mulier Baptismum respuat, matrimonium in Judaismo contractum omnino solvatur, teste Apostolo 1. *ad Corinth. cap.* 7. & juxta *Decretalem, Quanto, de divortiis*, quæ quidem matrimonii solutio fit statim ac Judæus Ecclesiæ gremio admissus transit ad alias nuptias, ut à Nobis longa disceptatione probatum est, cùm in Congregatione Concilii à Secretis essemus, in quadam causa Florentina proposita 27. *Julii* 1726., ut videre licet *in tom.* 3. *Thesauri resolut. pag.* 340. *& pag.* 350. *& seq. ac tom.* 4. *pag.* 30. *& sequ.* Quando infidelis ad Christum conversus transitum facit ad alias nuptias, an eadem sit libertas conjugi infideli alias contrahendi nuptias, res adhuc in dubio est. Sententiam negativam sustinet Pontius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 48. *num.* 25. Affirmativæ adhæret Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 77. *num.* 6. Utramque probabilem Diana existimat *in edit. coordinata de matrim. tom.* 2. *resol.* 122. *tract.* 6.

§. LIX.

„ Illud quoque Hebræis est probè cognitum, conjugem viro esse obnoxiam, ejusdemque in potestate constitutam, quod legunt *Geneseos cap.* 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* *D. Amort Tract. de Bapt. & Confirm.*

„ Ipsis præterea compertum est sponsalia plurimùm à matrimonio differre, cùm hæc non sint aliud, quàm futuri promissio matrimonii, ut *in Can. Nostrates* 30. *quæst.* 1. *& in leg.* 1. *ff. de Spons.* quod & colligitur ex historia Jacobi Genes. cap. 29. qui servitutem servire Labano debuit ad statum tempus, ut uxorem duceret promissam sibi Rachelem. Non id audet Hebræorum quispiam inficias ire, juxta eorum mores, per sponsalia jus quoddam sponso dari forsan etiam majorem illa, quam Christi fidelis habet in Christianam mulierem sibi desponsatam. Nam Jure Pontificio gravis est reus culpæ, non adulterii, qui aliena cum sponsa turpi consortio conjungatur, ut Nos alibi demonstravimus in *nostra Notificatione V. tom.* 3. *pag.* 65. *edit. Bonon.* At apud Hebræos, ex veteri instituto, qui rem aliena cum sponsa habuerit, non impudicus dicitur, sed adulter, ut post Seldenum *lib.* 2. *Uxor. Hebr. cap.* 1. animadvertit Calmet *in sua Dissert. de Connubiis Hebr.* & adhuc in præsens apud Hebræos scelus, quo de nunc agimus, est capitale, ut observat Cardinalis de Luca *de matrimon. in discur.* 9. *num.* 15. quem habuit de quorumdam Judæorum Romæ connubio. Igitur quemadmodum cùm ad fidem accedunt, qui potestatem in filios, aut filias habent, eorum oblationem Ecclesiæ liberè, ac jure faciunt; ita vir, aut sponsus Christi legem amplexus jure optimo oblationem facit suæ vel uxoris, aut sponsæ, in quam Jus à Legibus, & auctoritatem sibi concessum habet. Facta hæc vero oblatio nec sanè potest, nec omnino debet à Christi fidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiæ, nullique studio, ut Christiana veritas jam viro, aut sponso cognita, uxori quoque, aut sponsæ lucem afferat, ac salutem, eo vel maximè quòd Romani Pontifices licet Judæis vim fieri quoad Religionem severè prohibeant, palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quàm ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas Hebdomadas iis publicè Evangelium annuntiari, eosdemque jubent Sacris hisce Concionibus interesse, ut apparet *in Constit.* 1. *Nicolai III. & Constit.* 106. *Gregorii XIII.*

§. LX.

Sponsalia quando contracta dicantur juxta Hebræorum ritus.

„ Verùm quanquam Hebræi de uxorum, sponsarumque oblatione nec conquerantur, nec conqueri possint; queruntur tamen, ut primum Hebræorum aliquis ad Fidem profectus, aut profecturus, suam offert Ecclesiæ sponsam, quod hæc illico evocatur, domumque Catechumenorum transfertur, ubi quadraginta dierum spatio detinetur. Clamant in casu ejusmodi nimiam Christianos incertis vocibus habere fidem, & imprudenter agere, priusquam ullis probationibus demonstratum fuerit, sponsalia ritè ac validè contracta fuisse. Hinc dictitant damna, turbationesque oriri plurimas,

„ cùm non ſemel evenerit, ut Hebræus infima „ de plebe aliquis, mulieris aut virginis amore „ flagrans & divitis & honeſtæ, deſperans verò „ eam in Judaiſmo ducere uxorem poſſe, id con- „ ſilii ceperit, contracta nempe ſponſalia falſo, „ ac temerè venditare, illuſtrem ut ad thalamum „ perveniret.

§. LXI.

„ Magnus ille Prædeceſſor Noſter S. Gregorius „ laudabili ſemper methodo, & incorrupta „ juſtitia in Hebræorum negotiis uſus eſt. Con- „ ſule *ejus Epiſtolam* 25. *lib.* 8. *indict.* 1. *ultimæ edit.* „ Victori Epiſcopi Panormitano datam: *Si igi-* „ *tur querimonia eorum veritate fulcitur, oportet, ut* „ *Fraternitas veſtra, legis ſerie diligenter inſpecta, ita* „ *eis quidquid hac de re decretum eſt, cuſtodire debeat,* „ *ac ſervare, ut nec ipſa aliquid injuſtum facere, nec* „ *illi pati præjudicium videantur.* Sed admonet eo- „ dem tempore, ut facta diligenter accurateque „ perpendantur, ad veritatem rei à Judæis pro- „ poſitæ cognoſcendam; ut colligitur ex alia e- „ jus epiſtola ad Fantinum Panormi Defenſorem „ miſſa, quæ 55. *eſt*, *lib.* 9. *indict.* 2. ubi legitur, „ *ne fortè in eorum ſola voluntate verſari præjudicium* „ *videretur.* A S. Gregorio edocti, ne ullam his „ de ſponſalibus diligentiam prætermiſiſſe vide- „ remur, Seldenum, Buſtorfium, Leonem Mo- „ dena, & alios Scriptores conſulendos dijudica- „ vimus. Decreta quoque percurrimus, quæ a- „ liàs in caſibus hujuſce generis à Congregatione „ Sancti Officii emanarunt. Sed auctorum lectio „ prædictorum, quàm Nobis utilis extitiſſet ex- „ ornandæ diſſertationi pro aliqua ex Academiis „ Eccleſiaſticis, quæ coram Nobis ſingulis heb- „ domadis haberi ſolent; tam planè inutilis, ac „ ſupervacanea fuit certo ac tuto ſyſtemati de- „ cernendo, quod maximopere optabamus. Ex „ prædictis Decretis, quorum principium eſt ab „ anno 1725., licet illud intelligatur, quod ſi „ ſponſus Hebræus jam Chriſtianus ſponſæ ad- „ huc Judeæ oblationem fecit, hanc inter Cate- „ chumenos ad quadraginta dies detentam fuiſſe; „ nullo tamen modo cognoſci potuit, an, & qua „ ratione ſponſalia probata fuerint, itemque, an „ eorum probatio ſolius ſponſi, vel plurium te- „ ſtimonio innireretur; an demum quodlibet „ mutuæ ſponſionis genus exiſtimatum fuerit ve- „ rus, ac legitimus ſponſaliorum contractus.

§. LXII.

„ Doctor Paulus Mediceus in ſuo Tractatu de „ Hebræorum ritibus, ac inſtitutis, quorum „ ipſe peritiſſimus erat, quippe qui è Moſaica ad „ Chriſtianam Legem tranſierat, *cap.* 27. de ſpon- „ ſalibus agit, & matrimonio Judæorum, & id, „ ut paucis dicam, oſtendit, in hoc inſtituto non „ admodum à Chriſti fidelibus differre Hebræos. „ Nam hanc apud eos conſuetudinem eſſe teſta- „ tur, ut ſcriptura conficiatur, in qua parentum „ alteruter filiam ſuam aut puellam, aut viduam „ promittit ſponſo; hic autem eam ſe ducturum „ pollicetur. Tempus quoque decerni ſolitum, „ in quo nuptiæ celebrentur. Contractui demum „ ſubſcribere tum ſponſus, tum duo prætereà te- „ ſtes de more debent. Sed quia Hebræi eorum, „ qui Chriſti fidem amplexi ſunt, dictis, ac teſti- „ monio ægrè acquieſcunt, ideo Nos veritatis „ apprimè cupidi, cuidam familiari noſtro juris- „ perito mandavimus, ut convocaret in unum „ Judæos aliquot, quorum unus jam pridem No- „ bis, cùm adhuc Anconæ Eccleſiam gubernare- „ mus, eſt probè cognitus, & in Moſaicis ritibus „ egregiè verſatus. Ex eo autem Conventu ea, „ quæ ſequuntur, evicta ſunt.

§. LXIII.

„ Primo, ſemper ſponſalia contrahi inter virum, „ & parentes mulieris, aut inter virum, & „ mulieris propinquos, ſi parentes mulieri deſint: „ mulierem Sponſalia non contrahere pudoris „ cauſa & honeſtatis, imo contractum, qui he- „ braicè dicitur *Tenaim*, fœminæ plerumque igno- „ tum eſſe, quæ poſtca explicitè præbet aſſen- „ ſum ſuum in ſolemni nuptiarum celebratione „ hebraicè nuncupata קדושין *Kidduſcim.*

§. LXIV.

„ Secondo, ſponſalibus hac ratione contractis „ obligari utramque partem; cùm autem con- „ ſenſum parentes tantùm mulieris, aut conſan- „ guinei præbuerint, non vero fœmina, ideo „ hanc, ſi diſſentiat, minimè cogi poſſe, & diſ- „ ſentientem non contractum frangere, ſed pec- „ care graviter juxta Hebræos, debitam nem- „ pe obedientiam parentibus, aut majoribus de- „ negando.

§. LXV.

„ Tertio, contractum dici obligatorium, & ab- „ ſolutum, cùm à viro, ac fœmina parenti- „ bus ſponſio facta eſt, ac deſcripta, nec non te- „ ſtibus confirmata aut duobus, aut pluribus. „ Hic contractus Romæ deſcribi ſolet Notarii o- „ pera, alibi à Judæis hebraicè.

§. LXVI.

„ Additur, contractum dici pariter abſolutum, „ cùm pars utraque, vel privatim, vel coram „ Rabbino ſponſionem firmat jurejurando, co- „ ram duobus, aut pluribus teſtibus, & ſponſio- „ nem inſuper deſcribi jubent. Quodſi vel abs- „ que ſcripto, & teſtimoniis, aut coram teſtibus „ tantùm ſine jurejurando ſponſio facta fuerit, „ tunc neque obligationem inducit, nec contra- „ ctum perficit ſponſaliorum, ita ut pars utraque „ libera omnino ſit; at ſi de ſponſione conſtet, „ & de juramento per teſtes, tunc recedere licet „ utrique parti, dummodo præviam à Rabbino „ impetrent abſolutionem à juramento.

§. LXVII.

„ Hæc Hebræorum ex Conventu collecta ſunt. „ Hinc verò deducitur, duabus tantummo- „ do ſupradictis modis contracta ſponſalia inter „ Judæos

„ Judæos haberi valida, atque obligatoria. Mutuæ igitur viri, ac mulieris sponsiones, epistolis, aut schedulis expresse nihil ad effectum, de quo quæritur, valent; ac multò minus munera, vestes, & nuptiarum apparatus. Non probato autem, quod sponsio uno vel altero ex supradictis modis facta fuerit, si copula sequatur ante Kiddusim, seu matrimonium, utraque pars ad contrahendum obligatur, non quidem contractus vi, sed commissi sceleris pœna, & ut crimen commissum luatur.

§. LXVIII.

„ Si de sponsaliorum validitate, aut invaliditate, itemque de obligatione, aut contra, deberet judicium fieri, res autem inter Hebræum, & Hebræam intercederet, æquum esset sententiam ferre legibus consentaneam, & consuetudinibus Hebræorum; communis enim, & probata opinio est, in judiciis hujusmodi oportere non Juri Pontificio, vel Civili, sed Legi, & Mosaicæ consuetudini adhærere. Marquard. *de Judæis part.* 2. *cap.* 4. Ricciul. *de Jure person. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 7. Sessa *de Judæis cap.* 33. *n.* 6. Card. de Luca *de Matrimonio discurs.* 15. *num.* 3. In præsens verò res in disceptationem venit ad Hebræam pertinens, & ad Hebræum jam Christo servientem, aut inservire optantem: negotium nempe agitur sanè maximum, quod ad Christianam summoperè pertinet Religionem. Consilio igitur prudenti admodum opus est ac salutari. Nos autem re diu ac multùm considerata, hoc, quod sequitur, opportunè decernendum existimavimus.

§. LXIX.

„ Quotiescumque Sponsus Hebræus Christianæ Religioni nomen dare statuerit, & Evangelio sponsam offerat, Tuum erit, eum prudenter interrogare, vel ut ab aliis interrogetur, imperare, quomodo sponsalia probentur, neque enim decet ejus affirmationi unicè habere fidem. Editas sponsaliorum probationes Tuum pariter munus erit examinare, aut alicui prudenti viro examinandas tradere. Argumenta sponsalibus comprobandis idonea erunt, si tanti esse ponderis, & momenti videbuntur, ut contracta inter Catholicos sponsalia iisdem rationibus evinci apertè ac tutò valeant. Apud Christianos Scriptura non opus est, cujus defectus testium auctoritate suppleri solet, adhibitis etiam censuris, cùm quis post Canonicas admonitiones sponsionem vel sine juramento factam implere negat. Sponsaliorum itaque probationes si tales fuerint, ùt modò diximus, antiqua tibi methodus, quæ ufui erat ante an. 1725., adhibenda est; e vico scilicet evocanda mulier, & semel atque iterum, aut quamdiu opportunum duxeris, ejus voluntas in templo aliquo, aut alibi exploranda, ac demum aut innata in pervicacia, atque errore relinquenda, si resipiscere nolit, aut inter Catechumenos retinenda est, ut instruatur, si conversionis certa spes aliqua oboriatur.

D. Amort Tract. de Bapt. & Confirm.

§. LXX.

„ Cùm aut sponsus, aut alius quilibet fide dignus ejusmodi argumenta proferat, quibus planè constet, sponsalia ita, ut supra diximus, contracta fuisse, nempe apud ipsos Hebræos valida, atque obligatoria; ad Te spectabit, sponsam illico inter Catechumenos collocare, ubi tamdiu versabitur, quamdiu necesse erit, dummodo quadraginta dierum spatium non superetur; intra enim hos limites procedere absque dubio putamus supradicta decreta, quæ initium habent ab *anno* 1725.

§. LXXI.

„ Inter Cassiodori epistolas Regis Theodorici nomine exaratas, septima supra trigesimam ad Hebræos Mediolanenses transmissa fuit, in qua iis significatur, hoc decretum fuisse, quòd nimirum *nullus Ecclesiasticus, quæ Synagogæ vestræ jura competunt, violentia intercedente pervadat, nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat, sed ut Religionis cultu, ita & actuum sint conversatione discreti.* Et hoc idem Nos hactenus facere procuravimus. Eadem præterea epistola admonentur Judæi, ne ingrati sint, Christianorum æquitate temerè abutentes: *Hac tamen moderatione Principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad præfatæ Ecclesiæ jus, vel religiosas personas cæteras, legibus pertinere constiterit, inciviliter attrectare tentetis.* Et id quoque Nos addere non prætermittimus. Experimento enim didicimus, cùm Hebræus palam declarat, Christianorum se velle institutis, ac legibus obtemperare, à Synagoga, si ejus voluntatem nequeat immutare, rationem, aut potius fraudem excogitare de more aliquam, celare scilicet, aut allò mitte eum, qui à bono proposito deterreri, non potest. Cum verò sponsus Christiano se nomini devovere statuit, statim id Synagoga efficit, ut sponsa pervicaci aliquo cum Hebræo matrimonii vinculo copuletur, aut ut omnes illico evanescant sponsaliorum rationes, probationesque. Hi porro eventus cum metapbysicos non esse scias, ideo severitatis erit ac vigilantiæ tuæ, remediis, ac pœnis etiam, si opus fuerit, Hebræorum principes in officio continere, ut fraus mulctetur, ac rerum perturbatio tollatur. Hæc sunt, quæ nostra hac epistola explicanda duximus, quibus ut feliciter utaris, paternam tibi ex animo Apostolicam Benedictionem impertimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii 1747. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

QUÆRITUR 8. Quid observandum circa infantes expositos?

RESPONDEO: RITUALE ROMANUM tit. 7. §. 3. sic jubet: *Infantes expositi, & inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.* BUFFALDUS scribens in hunc locum censet, schedam testimonialem, quæ ejusmodi infantibus accludi solet de jam collato Baptismo, non mereri tantam fidem, ut dici

 possit,

possit, *constare* de eorum Baptismo. *Tutius* (inquit) *agitur, si cuicunque exposito, licèt schedа, seu testimonio in scriptis de Baptismo vallato, administretur Baptismus; quia hujusmodi schedis, nisi sint omni exceptione supereminentes, fides de raro præstatur. Mos ille laudabilis in Ecclesia Ferrariensi servatur, ad quam quicunque expositus defertur, sacro Baptismo munitur à Parocho sub conditione.* Idem habetur in SYNODO BRIXIANA 1614. his verbis: *Si diligenti inquisitione facta dubium sit, an sit baptizatus, tunc licebit sub conditione baptizare. Quæ inquisitio etiam in illis requiritur, qui expositi sunt, licèt appensum collo scriptum habeant, quo baptizatos illos significetur, ut Concilium Provinciale declarat.*

QUÆRITUR 9. Quid agendum circa hæreticos jam baptizatos?

RESPONDEO: SYNODUS nostra AUGUSTANA de anno 1610. tit. *de Baptismo* n. 8 præcipit, ut in illis cæremoniæ suppleantur. *Quod ad alios* (inquit) *pertinet, qui ab hæreticis ipsorum more baptizati ad Ecclesiam Catholicam redeunt, observari volumus Synodi Moguntinæ Decretum, ut, qui ritus circa Baptismum in illis sunt prætermissi, Catholico more secundùm Obsequialis nostri tenorem cautè, & piè suppleantur. Primùm autem tales ab hæreticis baptizati, ut hos ritus, & solitas unctiones, atque precationes admittant, seriò exhortandi, &, qua fieri potest ratione, permovendi sunt. Illis quoque totum Baptismum secundùm Ecclesiæ nostræ ritum tradat, in quorum fortè Baptismo debita quoque forma non fuerit observata.*

QUÆRITUR 10. Quid observandum circa infantes, qui in casu necessitatis ab Obstetricibus, vel aliis Laicis fuerunt baptizati?

RESPONDEO: Quandocunque prudenter dubitari potest, an Baptismus validè ab iis collatus sit, ita, ut adbue probabile sit, Baptismum non esse validè collatum, Baptismus sub conditione conferendus est. Itaque quandocunque consideratis circumstantiis, & habilitate personæ baptizantis non habetur moralis certitudo de valore collati Baptismi, infans sub conditione denuò baptizandus est. Hæc regula, & praxis approbatur à multis Synodis. SYNODUS TRIDENTINA de anno 1595. tit. *de Baptismo* sic habet: *Parochus, antequam ad actum baptizandi deveniat, diligenter inquirat, an infans ob aliquod periculum fuerit baptizatus, & si repertus fuerit ritè esse baptizatus, eo casu ne sub conditione quidem ampliùs baptizet, sed tamen imposito nomine infanti consuetas preces, sacram unctionem, atque alia adhiberi solita adjunget. Et quia experientia docet, aliquando* CONSTARE *vix posse, an à Laicis baptizatis Baptismum verè susceperit, ideo ad medendum in hoc Sacramento tam periculosæ incertitudini Parochus quomodolibet baptizatum, ubi* PROBABILITER *de Baptismi validitate dubitat, baptizet juxta modum præscriptum in Rituali.* SYNODUS BRIXIANA 1614. sic habet: *Parochus perquirat, an ritè baptizatus sit infans; Quodsi diligenti facta inquisitione* DUBIUM *sit, an sit baptizatus, tunc licebit sub conditione baptizare.* SYNODUS VENETA 1714. ait: *Delato parvulo ad Ecclesiam obstetrix ejus interrogetur, an fuerit baptizatus ab eadem, vel ab alia persona, & quænam fuerit, ita, ut Parochus* CERTUS *reddatur; qua materia; & forma usa sit, & quibus præsentibus? quodsi dubitari contingat de validitate Baptismi, baptizetur sub conditione.*

Eodem modo respondent D. CAROLUS, CATECHISMUS CONCILII TRIDENTINI, & CONCILIUM RHEMENSE 1583. & CONCILIUM CAMOTENSE 1585. CATECHISMUS TRIDENTINI Part. 2. Cap. 2. *de Sacram. Bapt.* §. 43. sic habet: *Ea Baptismi forma* (conditionata) *ex Alexandri Papæ authoritate in illis tantùm permittitur, de quibus re diligenter perquisita dubium relinquitur, an Baptismum ritè susceperint. Aliter verò nunquam fas est, etiam cum adjectione* (conditionis) *Baptismum alicui iterum administrare.* Ita Catechismus, qui, dum dicit, Baptismum conditionatum aliàs esse illicitum, videtur respexisse ad praxin Anabaptistarum, qui, ut eluderent severitatem legum, etiam in dubio juris, an Baptismus parvulorum esset validus, conditionatè se baptizasse dicere poterant. LA CROIX l. 6. n. 320. scribit: *Abstrahendo à Statutis Diœcesanis plerique ab imperitis, & à mulieribus baptizati licitè baptizantur sub conditione; quia sæpe deprehensi sunt errores ab iis commissi, uti refert Gobat. Sed quando obstetrix est integræ famæ, animosa, circumspecta, sæpiùs experta, & probata semper egisse rectè, tunc proles ne quidem sub conditione est rebaptizanda, si illa asseveret, eam à se legitimè esse baptizatam; quia tum non potest esse prudens dubium.*

QUÆRITUR 11. An infantes sine Baptismo defuncti baptizari debeant conditionatè, si ad imagines Thavmaturgas delati edant signa vitæ dubia?

RESPONDEO 1. Eos infantes, de quibus indubitatò constat, eos re vera esse mortuos, non esse baptizandos, nisi de eorum reviviscentia constet per signa certa & indubitata. Ita responsum est à S. Congregatione S. Officii Romæ in causa Urspergensi anno 1729. 1737. & 1738. Extractus ex Protocollo S. Congregationis sic habet: *In Congregatione 27. Aprilis 1729. fuit decretum: = Rescribendum esse Em.mo Cardinali Schönborn, ut impedire curet abusum Baptismatis infantium mortuorum, & vita naturali aut miraculosa carentium, cum, ut vivi censeantur, requiratur, ut dent signa certa & indubitata certitudinaliter reviviscentiam denotantia.* Idem decretum fuit in præfata Congregatione confirmatum 19. Decembris ejusdem anni. Idem Decretum post novas instantias partium fuit confirmatum 29. Februarii 1737. Et anno 1738. 30. Januarii fuit in Congregatione coram Summo Pontifice habita resolutum: *In Decisis. Et sciant, prohibitionem indictam de non baptizando pueros demortuos absque certis signis reviviscentiæ non fuisse per modum simplicis consilii, sed per modum expressæ & præceptivæ prohibitionis; ideoque omnino executioni demandent.* Rationes hujus Resolutionis videri possunt in Dissertatione II. de hoc Baptismo inferius subjungenda.

RESPONDEO 2. Quando non constat certò de morte infantis per signa indubitata, & simul concurrunt indicia vitæ saltem dubia, sine scrupulo baptizari possunt ejusmodi infantes. Ita communis Theologorum.

Cæterùm quandonam mors infantium sit incerta, videri potest in dicta Dissert. II. Quod attinet priorem Responsionem, eam dudum firmavit etiam PHILIPPUS Episcopus Lingonensis *in Synodo* 1452. inquiens: *Statuimus, & ordinamus,*

mus, quòd de cætero nullus tales infantes præsumat baptizare, nisi constet per evidentia signa, quòd infans de se ipso moveatur, non autem moveatur propter calorem ignis, aut alterius accidentis. Quido successor Philippi in Episcopatu Lingonensi *in alia Synodo* 1455. Constitutionem sui Prædecessoris confirmavit.

§. IV.

De Patrinis.

Quæritur 1. Quid intelligatur per Patrinos?

Respondeo: Per Patrinum intelligitur, qui baptizatum de fonte levat, ac fidejussionis munus in se recipit, de conservando, ac dirigendo baptizato in Fide Cathoiica.

Quæritur 2. An mos adhibendi Patrinos in Baptismo sit antiquus?

Respondeo: Hic mos adhibendi Patrinos semper erat usitatus jam primis Ecelesiæ sæculis, non tantùm apud parvulos, sed etiam adultos baptizandos. De his enim jam meminit Tertullianus in l. *de Baptismo*, ubi Baptismum parvulorum improbans ait: *Quid necesse est, Sponsores etiam* (Patrinos) *periculo ingeri, qui & ipsi destituere permissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli?* D. Augustinus *Ep.* 23. scribit: *Quid est illud, quòd, quando ad Baptismum offeruntur* (parvuli) *pro eis parentes tanquam fidedictores respondent; & dicunt, illos facere, quod illa ætas cogitare non potest? Interrogamus enim eos, à quibus afferuntur, & dicimus: Credit in Deum? respondet: Credit. Et ad cætera sic respondent singula, quæ quæruntur.* Ejusdem moris meminit l. 1. *de peccatorum meritis* c. 34. Quòd autem etiam in Baptismo adultorum Patrini fuerint adhibiti, testatur Author Libri *de Ecclesiastica Hierarchia*, c. 2. ubi sic scribit: *Qui bonum Sacramentorum particeps fieri cupit, eum aliquem eorum, qui initiati sunt, adiit, suadet ille quidem, ut se rectà ad Pontificem ducat; ipse autem omnino, se ea, quæ tradentur, secuturum esse pollicetur, petitque, ut ad eum adducatur, & vitæ omnis, quam deinceps aget, curam suscipiat. Illum autem, qui ejus quidem salutis cupiditate ducitur, dum humanæ naturæ vires cum rei magnitudine confert, horror quidem repentè, reique difficultas deterret, ad extremum tamen id, quod petivit, benignè se facturum esse, promittit, acceptumque eum ducit ad Pontificem. Hic verò lætus virum, qui adest, interrogat, cur venerit? Ille juxta quod à susceptore suo fuerat edoctus, petit, ut Deo potiatur. Tum Sacerdotibus imperat, ut viri, atque Sponsoris nomina perscribant. - - - Cum Sacerdos aliquis ex tabula professionis eum, & sponsorem citat, hic à Sacerdotibus ad aquam ducitur - - - -* (Baptismo peracto) *eum sponsori, & duci viæ Sacerdotes permittunt.*

Quæritur 3. Quodnam sit officium Patrinorum?

Respondeo: Eorum officium est, susceptos è fonte admonere, ut Christianè vivant conformiter Baptismo. Hanc obligationem D. Augustinus Serm. 163. *de Tempore*, (vel quisquis est Author illius Sermonis) explicat his verbis: *Hoc admoneo, ut, quoties Paschalis solemnitas venit, quicunque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant, se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse, & ideo semper illis solicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, à maledicto, vel perjurio linguam refrænent, cantica turpia, vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non invideant, iracundiam, vel odium in corde non teneant, auguria non observent, philacteria, & characteres diabolicos nec sibi, nec suis aliquando suspendant, incantatores velut Ministros Diaboli fugiant, Fidem Catholicam teneant, ad Ecclesiam frequentiùs currant, contempta verbositate lectiones divinas attentis auribus audiant, peregrinos accipiant, & secundùm quod ipsis in Baptismo dictum est, hospitum pedes laven, pacem & ipsi teneant, & discordes ad concordiam revocare contendant, Sacerdotibus, & parentibus honorem amore veræ charitatis impendant. Hæc ergo omnia, & his similia, si filios, & filias vestras admonere contenditis, cum ipsis ad æternam beatitudinem feliciter pervenietis.* Ibidem Serm. 215. ait: *Filios, quos in Baptismo excipitis, scitote vos fidejussores pro ipsis apud Deum extitisse. Et ideo tam illos, qui de vobis nati sunt, quàm illos, quos de fonte excipitis, semper castigate, atque corrigite, ut castè, & justè, & sobriè vivant.*

Quæritur 4. Quot adhibendi Patrini? Et qualis ab iis contrahatur cognatio?

Respondeo: Tridentinum jubet, tantùm adhiberi *unum*, *vel unam*, aut ad summum *unum, & unam*. Sess. 24. c. 2. *de Reform.* sic habet: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitorum* (hoc est, impeditorum) *multoties in gradibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.*

Parochus, antequam ad Baptismum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quamnam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quodsi alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent.

Quæritur 5. Quales Patrini assumendi sint?

Respondeo: In omnibus ferè Synodis inculcatur, à Parocho non esse admittendos in Patrinos, qui officio suo satisfacere non possunt, aut verosimiliter non satisfacient. In Synodo nostra Augustana 1610. n. 14. sic habetur: *Illi tantùm in Compatres, vel Commatres, ut vocant, admittantur, qui officio suo satisfacere posse videbuntur.* Et n. 15. *Animadvertant Parochi, priusquam ad Ecclesiam veniatur, cum parentibus baptizandorum illud agendum esse, ne Compatres, vel Commatres eligant, qui nondum tenent fidei rudimenta; quique ad annos discretionis nondum pervenerunt, & qui sunt personæ Regulares cujuscunque Ordinis, quòd neutri pro aliis spondendi necessa-*

necessariam libertatem habeant. Et n. 16. *Præterea sciant, & moneant Parochi, in Compatres admittendos non esse, qui justo impedimento cessante eo anno Sacerdoti peccata confessi non sunt, neque in festo Paschatis sacram susceperunt Eucharistiam, quique hæresi fortasse infecti, aut excommunicati reperiantur.* Hæc omnia confirmantur à RITUALI ROMANO, quod tit. 8. §. 3. sic habet: *Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse, maximè convenit.* Et §. 4. *Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos; non publicè excommunicatos, aut interdictos; non publicè criminosos, aut infames; nec præterea, qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei: hæc enim Patrini Spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportunè docere tenentur.* Et §. 5. *Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares à sæculo segregati.*

QUÆRITUR 6. An Regulares etiam Jure communi à munere Patrini excludantur?

RESPONDEO: De Jure communi c. 103. *Non licet. De Consecratione.* dist. 4. sic habetur: *Non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Et ibidem c. 104. *Monachi* dicitur: *Monachi sibi Compatres, Commatresve non faciant, nec osculentur fœminas.* Et c. *pervenit.* 20. *causa* 18. *q.* 2. Abbati B. GREGORIUS l. 3. Ep. 40. scribit: *Hujus te præcepti seriò commonemus, ut in Monasterio tuo non permittas, Monachos tuos Commatres sibi facere.*

Verum quidem est, quòd PALAO Tract. 19. p. 11. §. 1. n. 4. Canonicos Regulares ab hac lege excipiat. *Non caret* (inquit) *difficultate, an nomine Monachi omnes Religiosi tam mendicantes, quàm Canonici Regulares veniant, ita, ut à supra dicto munere sint exclusi? Affirmat Layman. Contrarium verius existimo cum Conink; quia, esto, eadem ratio prohibitionis procedat in Religiosis Mendicantibus, & Canonicis Regularibus, ac in Monachis, inde solùm infertur, posse prohibitionem ad omnes extendi, non tamen de facto extensam esse. Non enim sub nomine Monachorum veniunt Mendicantes, & Canonici Regulares in Decreto prohibitivo, odioso, correctorio.* Verùm, licet Palao sic sentiat, judico, etiam Canonicos nostros Regulares à munere Patrini excludi ex Jure communi; tum quia hæc lex non est in odium, sed in favorem Religionis; Dein legem dubiam explicat sensus, & mens universalis Ecclesiæ, quæ in multis Synodis excludit Regulares *cujuscunque Ordinis.* BASILIUS PONTIUS l. 7. *de Matrim.* c. 37. censet, ejusmodi Patrinatum à Regulari susceptum etiam esse irritum, ac invalidum.

QUÆRITUR 7. An possint in eodem Baptismo adhiberi duæ Commatres, vel duo Compatres?

RESPONDEO: Id non permitti in RITUALI ROMANO, ubi Tit. 8. §. 2. dicitur: *Patrinus unus tantùm, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una adhibeantur; sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque ipsius baptizandi Pater, aut Mater.*

QUÆRITUR 8. An in Regionibus, vel Urbibus, ubi Catholici vivunt permixti cum hæreticis, liceat adhibere Patrinum hæreticum, si ita ferat consuetudo reciproca?

RESPONDEO: Ad hoc respondere LA CROIX l. 6. n. 371. his verbis: „Peccat, qui rogat hæreticum, ut fit Patrinus Catholici infantis." Et n. 373. „Ubicunque, & à quocunque baptizetur infans, Authores apud Gobat communissimè docent, admitti non posse Patrinum hæreticum; tum quia hæreticus est incapax illius officii; tum quia proles objiceretur periculo perversionis. Putat tamen Layman, licere in Germania, quando adest gravis causa, vel necessitas. Consentit Castropalao, si alioquin nasceretur gravis offensio. Sed adhuc contradicunt Tannerus, aliique communiùs, dicentes, esse intrinsecè malum. Duæ tamen praxes licitæ sunt. Prima est Tanneri, & Gobati. n. 560, ut baptizans in tali casu omittat omnia, quæ Patrinum concernunt, & infantem baptizatum reddat Obstetrici. Altera est aliorum, in quibusdam Urbibus Acatholicis usurpata, ut baptizans præter hæreticum designet alium Catholicum ex voluntate Parentum, qui puerum tangat assistente hæretico quasi ad honorem, & tum inscribit Libro Baptismali Patrinum Catholicum. Notet autem, hæreticum tantùm fuisse testem." Ita ille. Ex his ergo verbis P. LA CROIX colligitur, Patrinum hæreticum in casu necessitatis tantum adhiberi tanquam Patrinum *Politicum*, non tanquam Patrinum *Ecclesiasticum.* Patrini politici in tali casu intentio non est, baptizatum instruere in fide, sed tantùm protegere, speciali favore, & auxilio prosequi, & providere, ut post obitum parentum habeat bonam educationem, & provisionem in temporalibus. Hæc expositio quidem quosd speciem elegans est, sed, cùm Ecclesia in Sacramentis horreat omnem simulationem, & communicationem cum hæreticis circa divina, nunquam positivè approbabitur ab Ecclesia. Accedit, quòd hæretici eas cæremonias, quas ipsi in suo Baptismo non habent, v. g. exsufflationem, & inunctionem chrismatis, & dationem salis, tantùm irrideant.

QUÆRITUR 10. An integra communitas possit in se recipere munus Patrini?

RESPONDEO: Quòd non possit integra communitas in se recipere munus Patrini. Ratio est; quia hoc est manifestè contra intentionem TRIDENTINI, à quo jubetur in Patrinum assumi persona, & non communitas, quæ utique in corpore non potest habere, aut certè non solet habere curam in casu particulari talium baptizatorum.

Dein TRIDENTINUM vult tantùm adhiberi ad summum unum, & unam: in tali casu autem essent Patrini viginti, triginta, imo multa millia in Urbe populosa. Nec potest dici, quòd Procurator, qui tenet infantem nomine communitatis, contrahat cognationem spiritualem; quia hac intentione suo nomine contrahendi obligationem non tenet infantem. Ad praxin appositam dicendum, quòd ejusmodi communitates tantùm habeant rationem Patrini *politici*, seu *honorarii.* Hinc Parochi tenentur monere Procuratorem communitatis, ut suo nomine per modum Patrini *Ecclesiastici* teneat infantem, ejusque solum nomen inscribere libro. Imò praxis opposita videtur esse antiqua, aut in bene

benè inſtitutis Diœceſibus nota; quia illius in nullis Statutis Synodalibus fit mentio.

Quæritur 11. An in Patrinam baptizandi infantis maſculi admitti poſſit ſola mulier?

Respondeo: De Jure poſitivo pro mare adhibendus eſt Patrinus, pro fœmella verò adhibenda eſt Patrina. Ratio eſt; quia ita ſtatuitur per *Canones Arabicos*, Authoritate Concilii Nicæni editos, vel, ut veroſimile eſt, à Patribus illius Concilii pro uſu Africæ approbatos. In iis Canon 22. ſic habet: *Viri non teneant in Baptiſmo fœminas, neque mulieres teneant mares, ſed potius mulieres teneant fœminas, & viri teneant mares.* Dein, quia ita obſervatur teſte Layman, & La Croix in Germania. Neque aliud intendit Tridentinum, dum ait: *ſive virum, ſive mulierem poſſe eſſe Patrinum:* id enim intelligendum eſt *reſpectivè*, nempe pro maribus viros, pro fœmellis mulieres eſſe aſſumendas. Niſi enim ſic intelligendum foret Tridentinum, non daretur ratio, cur Pontifex in Rituali Romano prohibuiſſet adhiberi duos Compatres, vel duas Commatres.

Quæritur 12. Quænam ſint aliæ controverſiæ Authorum circa Patrinos, & quid tenendum probabilius?

Respondeo: Controverſiæ aliæ circa Patrinos ſunt 1. *An duo conjuges ſimul poſſint levare infantem?*

Respondeo: *Id licet.* Et quæ exſtitit contraria Conſtitutio Urbani II., ea per contrariam conſuetudinem valde rationabilem fuit abrogata, ſaltem in locis, ubi viget Baptiſmus per infuſionem; in aliis autem, ubi viget per immerſionem conformiter ad Canonem Arabicum Concilii Nicæni adhuc ſervanda eſt; quia etiamnum manet motivum, ac finis inadæquatus honeſtatis, ac decentiæ.

2. *An baptizans poſſit ſimul eſſe Patrinus?*

Respondeo: *Quòd hoc non liceat.* Ratio eſt; quia, etſi baptizans ſui loco ſubſtituat alium, qui loco ſui levet infantem, conſuetudo tamen Eccleſiæ, & mens legum requirit diſtinctionem perſonarum, ut alius ſit, qui obligetur, & alius, qui poſſit urgere obligationem. Neque ob ceſſationem motivorum legis in caſu particulari recedendum eſt à lege, vel conſuetudine univerſali ſine urgente neceſſitate.

3. *An Pater poſſit eſſe Patrinus filii ſui illegitimi?*

Respondeo: *Quòd hoc non liceat.* Cùm enim Rituale Romanum, prout ſuperiùs oſtenſum eſt, non admittat patrem legitimum, aut matrem legitimam pro Patrinis, multò minùs intentioni Eccleſiæ conforme erit, admittere Patrem illegitimum, utpote de quo longè minor haberi poterit pro bona educatione, aut ſollicitudine præſumptio.

4. *An contrahat obligationem, & cognationem Patrini, qui tenet infantem in Baptiſmo, ſed tamen non eſt deſignatus à Parocho, vel à parentibus?*

Respondeo: *Quòd talis contrahat obligationem, ac cognationem.* Ratio eſt; quia Patrinum non facit deſignatio Parochi, vel parentum, ſed *propria intentio*, & baptizati tacita, vel expreſſa acceptatio. Ita Navarrus, Henriquez, Palao, &c.

5. *Quis contrahat obligationem, & cognationem Patrini, quando plures ſimul ſunt deſignati, vel admiſſi in Patrinos?*

Respondeo: *In hoc caſu contrahunt omnes eam obligationem, ſeu cognationem.* Ratio eſt; quia in caſu extraordinario concurrentis erroris, vel ignorantiæ illud præſumendum eſt velle Eccleſiam, quod conformius eſt legibus prudentiæ legiſlativæ; ſed conformius eſt legibus prudentiæ legiſlativæ, ut omnes contrahant, quàm ut nullus.

Confirmatur ex Pionatello *Tom. 7. Conſult.* 93. *n.* 6. qui refert, Sacram Congregationem Tridentini ſic declaraſſe.

6. *An obligatio, & cognatio Patrini in Baptiſmo etiam non ſolemni contrahatur ab eo, qui tenet infantem?*

Respondeo: *Non contrahi ab iis hanc obligationem.* Ita Sanchez. Ratio eſt; quia officium Patrini non eſt officium neceſſitatis, ſed voluntatis, & pietatis, ùt patet ex natura primæva hujus officii.

7. *An Parochus peccet, ſi ſumat Patrinum invitis parentibus, v. g. in caſu, quo Patrinus à parentibus deſignatus diu emaneat?*

Respondeo: *Si in tali caſu à Parocho deſignetur Patrinus, contra quem parentes conſideratis circumſtantiis poſſint eſſe rationabiliter, & graviter inviti, peccat quidem Parochus graviter, attamen Patrinus à Parocho deſignatus validè fungitur actu levatoris.* Ratio eſt; quia in Tridentino l. c. ſuperiùs dicitur, deſignationem fieri debere à Parocho, vel parentibus.

8. *An ad contrahendam obligationem patrini neceſſarium ſit, ut Patrinus in actu Baptiſmi phyſicè tangat baptizandum?*

Respondeo: *Requiritur, ut tangat eum phyſicè, eumque recipiat à baptizante.* Ratio eſt; quia huic actui externo determinato Eccleſia voluit alligare ſuam intentionem obligandi Patrinos; & conſequenter etiam Patrini, quorum voluntas circa actus legitimos ſacros tacitè eſt ſubordinata intentioni Eccleſiæ, voluit tacitè huic actui externo alligare ſuam intentionem ſuſcipiendi munus Patrini.

9. *An Procurator, qui nomine alieno infantem levat, contrahat obligationem Patrini?*

Respondeo: *In tali Baptiſmo non Procurator, ſed Principalis contrahit obligationem Patrini, ſaltem ſi Principalis ſit perſona idonea ad fungendum officio Patrini.* Ratio eſt; quia ita eſt ſenſus communis, & intentio fidelium dantium mandatum procuratorium; & quia ſic teſte Gallemart declaravit S. Congregatio Tridentini.

10. *Quis contrahat obligationem, ſi Procuratore tenente baptizandum Principalis interea revocaverit mandatum?*

Respondeo: *In tali caſu non à Procuratore, ſed à Principali contrahi obligationem Patrini.* Ratio eſt; quia in tali caſu Eccleſia, quæ non patitur ſibi illudi, non acceptat revocationem mandati ſine debita inſinuatione præcedente actum Baptiſmi: ſicut etiam in contractibus, v. g. venditionis per Procuratorem initis non attenditur revocatio Mandantis, niſi fuerit facta ante completum actum venditionis.

§. V.

§. V.

De Ministro Baptismi.

QUÆRITUR I. Quis sit Minister Baptismi?

RESPONDEO I. Validè Baptismus administratur à quovis homine, dummodo habeat intentionem *faciendi, quod facit Ecclesia.* Itaque Minister idoneus ad Baptismum validè conferendum est etiam hæreticus, Gentilis, puer, fœmina.

RESPONDEO 2. Ad Baptismum licitè administrandum Minister idoneus ordinarius est solus Episcopus, vel Sacerdos ex commissione Episcopi.

Id PROBATUR I. ex TERTULLIANO, qui L. *de Baptismo* c. 17. ait: *Dandi Baptismum habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, non tamen sine Episcopi authoritate.* 2. S. PAULINUS in Vita S. Ambrosii testatur, eum tot baptizasse, ut vix quinque Episcopi aliàs huic labori sufficerent. 3. S. HIERONYMUS in Dialogo adversus *Luciferianos* testatur, Presbyteris tantùm in minoribus Urbibus Baptismum Catechumenorum commissum fuisse.

RESPONDEO 3. Diaconi ad administrandum licitè Baptismum non sunt Ministri ordinarii, sed tantùm extraordinarii, nisi sint simul Parochi. Diaconus verò, si simul sit Parochus, potest jure etiam ordinario administrare Baptismum solennem; quia in tali casu censetur delegatus ab Episcopo.

Id PROBATUR I. ex EPIPHANIO, qui *Hæresi* 79. ait: *Neque Diaconis ullum in Ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur.*

2. PROBATUR id ex c. *Diaconos*, dist. 93. seu potiùs ex epistola 9. S. GELASII Papæ ad Episcopos Lucaniæ, ubi dicitur: *Diaconos propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem à paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus. Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi in prædictis ordinibus fortasse longiùs constitutos necessitas extrema compellat.* Item ex c. *Constat.* dist. 4. *de Confirmatione.* Seu potiùs ex ISIDORO, l. 2. *de Officiis*, c. 24. sic scribente: *Constat, baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo, vel Presbytero, nisi his procul absentibus ultima languoris necessitas cogat.*

3. PROBATUR id ex sensu Ecclesiæ, quem repræsentat CATECHISMUS TRIDENTINI. Is part. 2. §. 22. sic habet: *Secundum Ministrorum locum obtinent Diaconi, quibus sine Episcopi, aut Sacerdotis concessu non licere hoc Sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur.*

QUÆRITUR 2. An Diaconus fieret irregularis, si baptizaret solenniter sine commissione Parochi?

RESPONDEO: Affirmativè. Ratio est; quia, ut habetur Lib. 5. Decret. Tit. 38. *de Clerico non ordinato*, Cap. 1. *Qui aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.*

QUÆRITUR 3. An in casu necessitatis Laici licitè ministrent Baptismum?

RESPONDEO: Affirmativè.

Id posset PROBARI ex innumeris testimoniis Patrum. TERTULLIANUS l. *de Baptismo* c. 17. ait: *Etiam Laicis jus est* (baptizandi) *sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit, cùm viget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si superséderit præstare, quod liberè potuit.* Et S. HIERONYMUS in Dialogo contra *Luciferianos. Si necessitas cogit, scimus, etiam licere Laicis baptizare.* Hæc omnia declarantur à Rituali Romano tit. 6. §. 1. his verbis: *Legitimus quidem Minister Baptismi est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans, vel adultus versatur in periculo vitæ, potest sine solemnitate à quocunque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive Laico, etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive Catholico, sive hæretico, sive viro, sive fœmina, servata tamen forma, & intentione Ecclesiæ.*

QUÆRITUR 4. Quis sit servandus personarum ordo circa Baptismum in necessitate conferendum?

RESPONDEO: RITUALE ROMANUM l. c. §. 2. hunc ordinem præscribit: *Si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, & vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potiùs, quàm virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius fœmina sciret formam, & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, præsertim Obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant, & servent.*

QUÆRITUR 5. An si Pater, vel Mater in casu necessitatis baptizet proprium infantem, incurrant cognationem spiritualem?

RESPONDEO: Eam non incurrunt. Hanc enim Ecclesiæ mentem esse, patet ex RITUALI ROMANO, quod l. c. sic scribit: *Pater, aut Mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet. Neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ matrimonii usum impediat.*

QUÆRITUR 6. An Diacono aliquando possit à Parocho committi potestas solenniter baptizandi? Et num quavis ex causa?

RESPONDEO I. Diacono non potest à Parocho concedi potestas solenniter baptizandi quavis ex causa. Ratio est; quia in textibus *quæst.* 1. relatis Diaconis nunquam conceditur facultas baptizandi, nisi in casu necessitatis.

RESPONDEO 2. Diacono potest committi potestas solenniter baptizandi, quando Parochus ob infirmitatem, vel aliud impedimentum non potest Baptismum conferre, si alius Sacerdos commodè haberi non possit. Ita quoad rem PALAO Tr. 19. p. 9. n. 5.

PROBATUR. Ordo Diaconis collatus debet operari aliquem effectum, quando Episcopus in ordinatione ad Ordinandum dicit: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Atqui non haberet hunc effectum, si non posset etiam solenniter baptizare ex commissione Parochi in aliquo tali casu necessitatis, se tenentis ex parte Ministri ordinarii, nempe in absentia, vel interveniente impedimento Sacerdotis. Ergo.

QUÆ-

Quæritur 7. Quo tempore sit administrandus Baptismus?

Respondeo: In Rituali Romano Tit. 9. §. 1. sic præscribitur: *Quamvis quovis tempore, etiam interdicti, & cessationis à divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit; tamen duo potissimùm ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus solenni cæremonia hoc Sacramentum administrari maximè convenit, nempe Sabbatum sanctum Paschæ, & Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismatis fontis aqua ritè consecratur. Quem ritum, quantùm fieri commodè potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certè non omnino prætermitti, præcipuè in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesiis.* Burfaldus ad hunc *Ritualis Romani* textum observat, quòd etiam Benedictus XIII. in *Concilio Romano* Tit. 26. c. 1. hunc morem veterem reducere conatus sit, atque Episcopos adhortatus sit, ut his duobus temporibus cæremonias per seipsos administrent.

Quæritur 8. An liceat Baptismum solenniter administrare in ædibus privatis?

Respondeo: Id non licere sine gravi peccato, nisi respectu Principum. Ratio est; quia hæc praxis recedit ab universali consuetudine Ecclesiæ semper religiosè observantis, & exigentis hanc publicam professionem fidei saltem initio suscipiendæ Religionis Christianæ. Ea autem publica, ac solennis professio cum deductione baptizandi ad Ecclesiam non habetur, nisi infans ducatur in Ecclesiam. Rituale Romanum l. c. §. 3. sic scribit: *Necessitate excepta in privatis locis non baptizari debet, nisi fortè sint Regum, aut magnorum Principum Filii, id ipsis ita disponentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, sive Oratoriis, & in aqua Baptismali de more benedicta.*

Quæritur 9. An Ministro Sacramenti timenda sit irregularitas, si ex mero inani scrupulo baptizatos sub conditione denuo baptizet?

Respondeo: Si Baptismus sit certo collatus, & sine debita investigatione ex mero scrupulo repetatur Baptismus sub conditione, incurritur à Ministro irregularitas. Ita scribit Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. *De Synodo* l. c. 6. n. 2. 3. & 4. his verbis: „Non ideo tamen, quòd „per præfatam conditionem periculum evitetur „rebaptizandi, qui jam semel fuerit legitime ba„ptizatus, est illa (adjectio nempe conditionis) „passim, & temere adhibenda; sed tunc solùm „ea uti licebit, cùm prudens, & probabilis sub„est dubitatio, an quis fuerit rite baptizatus, nec „diligenti præmissa indagatione, potuit rei veri„tas innotescere, quemadmodum scite perpendit „Sotus in 4. dist. 3. quæst. unic. art. 9. §. Circa „hanc solutionem, ubi à sacrilegio non excusat, „neque ab irregularitate absolvit sacerdotem, „sub conditione rebaptizantem, quem scit, do„mi baptizatum, & nihil eft, quod collatum ei „Baptisma rationabiliter suspectum reddat. Qua„re minime sectanda sunt exempla, quæ congesse„runt Gobat Tom. 1. Tract. 2. sect. 3. & Marin. „Theolog. Tom. 3. Tract. 19. Disp. 1. sect. 8. num. „140. ubi plures sub conditione baptizatos nar„rant, qui, ob merum scrupulum non tam dubi„tabant, quàm imprudenter suspicabantur, se non „esse rite baptizatos, quam quidem conditiona„tam Sacramenti iterationem, ob consecutos, „seu potius apprehensos effectus, quietis con„scientiarum, iidem Authores videntur approba„re; sed potius aures præbendæ sunt Estio in 4. „dist. 4. §. 15. hæc ad rem adnotanti: Sciendum „est, non quamcunque levem in contrarium su„spicionem, vel scrupulum debere sufficere ad „hoc, ut sub conditione quis hoc pacto baptize„tur, sed requiri dubitationem probabilem.... „Ea autem probabilis dubitatio est, quæ facta et„iam diligenti indagine, discuti non potest, ita, „ut nec moralis certitudo facti haberi queat; „Imo verius obtemperandum est Catechismo Ro„mano par. 2. de Sacram. Baptism. num. 57. ubi „de forma conditionata ait: Ea Baptismi forma „ex Alexandri Papæ authoritate in illis tantum „permittitur, de quibus, re diligenter discussa, „dubium relinquitur, an Baptismum susceperint; „aliter verò nunquam fas est, etiam cum adjun„ctione, Baptismum alicui iterum administrare. „Quæ huc usque diximus, copiosius adhuc, & „clarius à nobis exposita, pluribusque Sacræ Con„gregationis Concilii responsis confirmata fuere „in nostra Notific. 84. ubi non solùm ex ejusdem „Sacræ Congregationis sententia ostendimus, non „esse Baptismum, ne sub conditione quidem, ite„randum, cùm nulla occurrit prudens ratio dubi„tandi de prioris Baptismi validitate, sed etiam „ab irregularitate Iterantibus Baptisma inflicta ab „Alexandro III. in cap. ex litterarum, de Apo„statis, & iterantibus Baptisma. Non eximi pro„bavimus, qui, ob solum apprehensum prioris „Baptismi vitium, nullaque præmissa veritatis in„dagatione, illud denuo, sub conditione confe„runt, quibus certo sciunt jam semel fuisse ante „collatum. Etenim, quamquam plures Docto„res istiusmodi, sub conditione rebaptizantes à „gravi culpa, atque ab irregularitate absolvant, „eo quod per adjectam conditionem, satis con„fultum existiment reverentiæ debitæ Sacramen„to, ad quod conficiendum, non aliter fertur in„tentio Ministri, nisi si rite confectum non fue„rit aliud, antea administratum; hæc tamen sen„tentia rejicitur à Catechismo Romano c. l. ubi „reprobantur asserentes, nullum scelus admitti, „si quemvis, sine delectu, cum adjunctione illa „(videlicet conditionis) baptizent. Eidemque „opinioni refragatur authoritas S. Caroli, in cujus „Instructionibus, inter acta Ecclesiæ Mediolanen„sis p. 497. hæc de forma conditionata habentur: „Qua forma utitur, cùm infans, aliusve, qui „Baptismo offertur, re diligenter perquisita, „dubium relinquitur, aut certe non apparet, „eum baptizatum esse, ut de expositis, inven„tisque parvulis dubitari, atque ignorari sæpe „numero solet. Quod si re accurate investi„gata, exploratum habuerit, illum, forma „servata, baptizatum esse, caveat omnino, „ne hanc sub conditione baptizandi formam „adhibeat, cùm sacrilegium committat, si „contrafecerit, & illud impedimentum con„trahat, quod Sacri Canones irregularitatem „vocant.

„vocant. In alia itidem nostra Notific. 8. hanc „eamdem materiam tractantes, diximus cum Car. „dinali Albitio de inconstantia in fide cap. 33. à „num. 14. usque ad 16. improhandas esse Syno- „dos, in quibus generatim, atque indistinctè ite- „rum sub conditione in Ecclesia baptizari juben- „tur, quicunque privatim fuse ab obstetricibus „domi baptizati. De hisce Synodis, ac Rituali- „bus idem decernentibus, agit Holzman in sua „Theologia Morali Tom. 2. Tract. 2. cap. 2. art. 2. „qui, licet eorumdem anthores, hoc nomine ex- „cuset, quod scilicet dubium illis visum fuerit „Baptisma ab obstetrice collatum, fatetur nihi- „lominus, minus caute, ac nimium indefinite „eos loquutos, cum debuerint potius rerum cir- „cumstantias distinguere, easque determinare, „quæ incertam reddunt validitatem collati Baptis- „mi, quem propterea tunc oporteat sub condi- „tione iterari. Enimvero si obstetrices de Sacra- „menti materia, forma, & necessaria in Ministro „intentione, sint legitime edoctæ, sicuti nos in „cit. Notific. 8. eas, per Parochos solerter edo- „ceri jussimus, priusquam ad obstetricum officium „exercendum admittantur, eæque in speciali even- „tu, quo Baptisma periclitanti infanti privatim „contulerint, ab eodem Parocho interrogatæ, o- „mnia rite à se adhibita, testentur, quæ ad Sacra- „mentum validè conficiendum, requiruntur, „nulla sane subest probabilis ratio, cur Baptismus „debeat, aut licitè possit, sub conditione repeti. „Scimus utique in aliis Synodis relatis à Giberto, „Tom. 2. Consult. Canonicar. Consult. 16. cau- „tum reperiri, ne plena Fides habeatur solius ob- „stetricis testimonio, nisi comprobetur assertio- „ne aliorum, qui Baptismo præsentes fuerint. „Verum quamquam, ex plurium attestatione, „major profecto hauriatur rei gestæ certitudo, at- „tamen Sacri Canones sufficienter probatam ha- „bent collationem Baptismatis, per unicum te- „stem, præcipue si is testificetur de facto proprio, „hoc est, si affirmet illud fuisse à se legitimè ad- „ministratum, nec quidquam in contrarium oc- „currat, quod illius testimonio fidem detrahat, „uti diserte decernitur in Can. 110. & 112. de „Consecrat. dist. 4. & cap. Nuper, de Testibus, „ubi interpretes omnes.„ Ita Pontifex moder- nus. Insuper videantur etiam dicta in *Tract. de Sacramentis in genere* Disp. 2. q. 6. ubi ex CONCILIO CARTHAGINENSI V. Ex S. LEONE M. Et S. GREGORIO M. ostensum est, nullam prorsus formidinem habendam esse de incurrenda irregularitate, si de novo baptizetur sub conditione is, pro cujus Baptismo, vel valore non habentur *certissimi testes*, vel *certa indicia*. CONCILIUM CARTHAGINENSE c. 6. sic habet: *Placuit de Infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos.* Et S. GREGORIUS M. l. 12. Ep. 32. dicit: *Non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.* Imo si agatur tantùm de habilitate obstetricum, de qua in particulari casu timetur, an non forte imperite administraverint Baptismum, valor prioris Baptismi nunquam monstrari (hoc est, demonstrari) poterit, & ideo in tali casu, ubi iteratur sub conditione Baptismus, nunquam ostendi poterit, incursam esse irregularitatem. Hinc locum potius habere poterit illa Regula TERTULLIANI l. *de Baptismo.* c. 17. *Reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit.*

§. VI.

De Effectu Baptismi.

QUÆRITUR 1. Quis sit effectus Baptismi?

RESPONDEO: Effectus Baptismi est *quadruplex*. Nam 1. imprimitur baptizato character indelebilis, quo distinguitur Christianus à non Christiano, & ordinatur constanter ad obligationes, ac jura Religionis Christianæ. 2. Confertur gratia sanctificans remissiva non solùm peccati originalis, sed etiam omnium peccatorum actualium Baptismum præcedentium. 3. Remittitur etiam totus reatus pœnæ, pro peccatis actualibus ante Baptismum commissis post remissionem peccatorum quoad reatum culpæ residuus. 4. Confertur gratia specialis regenerativa, qua potentiæ internæ in anima ad faciliorem observantiam Legis Christianæ per modum habitus infusi disponuntur. De quibus omnibus videantur dicta in *Tract. de Sacramentis in genere* Disp. 3.

QUÆRITUR 2. Qualis in adulto requiratur dispositio ad consequendum effectum Baptismi?

RESPONDEO: Requiritur 1. Actus *Fidei*, quo homo fide Catholica credit, per merita Christi sibi in Sacramentis conferri gratiam. 2. Actus *Spei*, quo baptizandus sperat ex Baptismo gratiam. 3. Actus *Pœnitentiæ*, seu detestatio peccatorum cum proposito observandi omnia mandata Legis Christianæ, præsertim charitatis erga Deum, & proximum. 4. Actus *dilectionis* initialis erga Deum, quo baptizandus Deum tanquam justificationis tam copiosæ, tam liberalis, & amorosæ authorem diligere, eumque mutuo amicitiæ affectu complecti incipit.

Plura de hoc effectu vide in *Tract. de Sacramentis in genere* Disp. 3.

QUÆSTIO DISPUTATA I.

De Baptismo infantium in utero materno.

NOTANDUM 1. Quæstionem valde controversam priore sæculo agitari cœpisse, utrum infantes adhuc in utero parturientium latentes, etiamsi nullum corporis membrum extra uterum prostet, baptizari possint validè, & licitè? DIXI *validè, & licitè.* Nam diversæ sunt hæ duæ quæstiones. Posset forte non improbabiliter defendi, quod ejusmodi Baptismus posset aliquando esse validus. Sed utrum expediat, ut Ecclesia, quæ ad ædificationem publicam in Sacramentis Christi conformiter ad traditionem, ac perpetuam observantiam amat summam honestatem, ejusmodi Baptismum ex *una* parte incertum, ex *altera* parte raro pertingentem ad conditiones pro valore requisitas, ex *tertia* parte non carentem quadam specie inhonestatis, secundùm Leges prudentiæ, ac Sapientiæ Divinæ in Scripturis præmonstratæ, approbet, vel ordinet, difficilius resolvitur.

NOTANDUM 2. Utramque quæstionem fusè discussam esse à SS. D. N. BENEDICTO XIV. l. 7.

l. 7. *de Synodo*, c. 5. & dudum ab Eminentissimo Cardinali PIGNATELLO *Consult. Canonicarum* tom. 1. *Consult.* 153. eo tamen discrimine, quòd Eminentissimus PIGNATELLUS absolutè stet pro valore, & licentia hujus Baptismi: Contra SS. D. N. BENEDICTUS XIV. rem etiamnum in bivio, ac sub Judice relinquat. Hinc nec meum ausim interponere judicium; Sed tantùm afferam tam Eminentissimi Cardinalis, quàm Sanctissimi Domini Nostri eruditas Dissertationes, relicturus cuilibet liberum eligendi, quod verosimilius duxerit, judicium.

I.

CONSULTATIO

Em. Cardinalis Jacobi Pignatelli de Baptismo infantium in utero.

An puer nondum in aliqua parte sui corporis natus in extrema necessitate baptizari possit in utero matris?

„Dubitatio excitata fuit ab Obstetricibus jus-
„su Eminentissimi Domini mei Cardinalis
„Vicarii examinatis ab ejus Congregationis Præ-
„fectis, inter quos & ego minimus sum. Earum
„enim aliquæ etiamsi infans nullam sui corporis
„partem extra uterum matris emiserit, volunt
„facile aqua in manum, vel spongiam, seu Gossi-
„pion infusa, se posse ipsum uterum penetrare,
„aquam super fœtum exprimere, ac verba pro-
„ferre, & baptizare. Idemque afferunt, fieri
„posse per fistulam, vel per cochleare immissum
„cum aqua in uterum, sicque eas ab experientia
„perdoctas fuisse.

„Et quidem opinio negativa creditur com-
„munis, & probata in cap. *Qui in maternis d.* 4.
„*de Consecr.* ubi disponitur, quod si mater præ-
„gnans baptizetur, fœtus non sit baptizatus;
„quia qui natus secundùm Adam non est, secun-
„dùm Christum regenerari non potest; nec in
„eum operari quid potest regeneratio, quem ge-
„neratio non præcessit. Unde regula: *Qui natus*
„*non est, non potest renasci.*

„Ratio autem secundùm Glossam ibidem est,
„quia talis notus est Deo, non hominibus, nec
„est subjicibilis operationi Ministrorum Dei, pro-
„ut etiam de Jure Civili non perfectè natus, non
„dicitur homo, *l. quod certatum, C. de posth. her. in-*
„*stit.*

„Tunc igitur infans erit capax Baptismi, quan-
„do ita sit in lucem editus, ut dici possit vitam
„degere cum aliis hominibus, à quibus juvari
„possit, seu saltem aliqua sui pars ita ex utero
„prodierit, aut apparuerit, ut dici possit quo-
„dammodo natus, & sic Sacramento renasci, ne
„aliàs dicatur renatus, antequam natus. Ipsa e-
„nim Ecclesia Sacramentorum dispensatrix illa
„præbet tantummodo iis, qui hanc communem
„vitam ingrediuntur, in ejusque foro, & notitia
„versantur, qualis non est puer materni uteri te-
„nebris circumfusus, qui etiam aperto ostio ipsius
„uteri quando mater est paritura, licet puer ma-
„nibus ab obstetrice tangi possit, adhuc tamen
„oculis ab ea cerni non potest, imò nec matri
„patienti, neque eidem obstetrici, quamvis peri-
„tissimæ, innotescit, an proles vivat.

„Quare non immeritò hujusmodi Baptismus
„intra uterum administratus aliquibus magnis vi-
„ris displicuit, præcipue Mayroni *in* 4. *d.* 4. *q.* 1.
„§. *sed occurrit.* Ricbardo etiam *in* 4. *d.* 9. *art.* 1.
„*q.* 1. Astesano 1. *p. summ. lib.* 4. *tit.* 6. *art.* 2. *q.* 5.
„Henriquez *lib. de Baptism. cap.* 21. *num.* 2. *litt. M.*
„Angles. *in* 4. *q.* 2. *de Baptism. art.* 3. *Conclus.* 5.
„Grassio *p.* 2. *dec. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 31. S. Augu-
„stino, S. Thomæ, S. Antonino, S. Bonaventu-
„ræ, & aliis relatis à Comitulo *in respons. moral.*
„*lib.* 1. *q.* 13. Quinimò Raynaudus *de sect. Cæsar.*
„*cap.* 6. *num.* 13. quomodo possit perfici pueri u-
„tero abditi ablutio saltem plerumque, & quo-
„modo aqua, utero non fisso, possit ad fœtum
„tot involucris, ac septis circumdatum pertin-
„gere, non putat ostendi posse. Nam & ipse u-
„terus est admodum abditus, ac exquisitè occlu-
„sus à momento conceptionis usque ad tempus
„partus, & intra ipsius uteri latebras fœtus tot
„undique secundinis circumsepitur, ut nesciatur,
„qua ratione dici possit, aquam ita esse applica-
„bilem, ut ad fœtum immediatè possit pertinge-
„re. Atque etiam ob eandem secundinarum cir-
„cumpositionem non existimet idem Author,
„puerum, etiam recluso jam utero sub tempus
„partus posse intra uterum baptizari, quia quo-
„usque fœtus expeditus sit involucris secundina-
„rum, quod non fit nisi in exclusione ab utero,
„aqua, quæ immitti posset non nisi secundinas
„perfundet, quod non potest ad verum fœtus
„Baptismum sufficere.

„Nihilominus pronuntiandum esse censeo:
„Desperato partu naturali, fore, ut posset verus,
„ac licitus Baptismus peragi, fœtu intra matris
„uterum constituto, si aqua ad eum posset per-
„tingere.

„PROBATUR. Quia infans, sic constitutus,
„est subjectum capax Baptismi; nam est homo
„non baptizatus, & potest tingi, sive aspergi ab
„aqua, omniaque hic interveniunt, quæ ad Sa-
„cramentum Baptismi requiruntur, nimirum ma-
„teria, & forma, & intentio debita, ac subjectum
„Baptismi capax.

„CONFIRMATUR hæc ratio ex doctrina D.
„Thomæ 3. p. q. 68. art. 11. & in 4 dist. 6. &
„Scoti dist. 4. q. 3. aliorumque Doctorum utriuſ-
„que Scholæ, ubi inquirentes rationem, quare
„in maternis visceribus pueri baptizari non pos-
„sint, reprobant, & rejiciunt aliquorum ratio-
„nem dicentium, non posse baptizari, quia quam-
„diu in utero matris sunt, tamdiu adhærent cau-
„sæ peccati originalis, & sic ab eo mundari non
„possunt, nisi à peccati causa sint separati per na-
„tivitatem ex utero, & rationem unicam, & ad-
„æquatam afferunt, quia ut inquit D. Thomas:
„*Dum puer adhuc est in utero matris, non potest subjici*
„*operationi Ministri Ecclesiæ, per quem Baptismus ap-*
„*plicatur*, & dist. 24. a. 2. q. 1. ad 2. Baptismus
„non est, nisi illorum intrantium, *qui ablutioni*
„*subjici possunt.* Et Scotus l. c. *Non quia conjunctus*
„*est causæ corruptionis, sed quia Baptismus est lo-*
„*tio, vel ablutio in aqua, sed parvulus sic in ute-*
„*ro non potest lavari, quia nec sic immediatè tangi*
„*aqua.* Ergo quandocunque propter fœtus ma-

„ turitatem, aut similem aliam causam patefacta „ sit via, ut possit infans aqua pertingi, etiam poterit baptizari. Ideo namque regulariter negatur baptizari posse in utero matris, quia ibi difficile redditur, quòd aqua fœtum attingat. Si „ ergo detur, quòd attingat, validus erit Baptismus.

„ PROBATUR secundò anthoritate Celeberrimorum Doctorum, qui in terminis hanc doctrinam tradunt, scilicet Victoria *in Summ. q.* 32. „ Suar. Valentia, Zambranus, Ledesma, Vivaldus, Gabriel, Coninch. & alii, quos citat, & sequitur Diana *p.* 2. *tr.* 15. *ref.* 43. Nec non Gamacheus, & Præpos. in 3. p. ille q. 65. hic q. 66. „ art. 8. dub. 3. Hancque sententiam jam pridem „ antiquatam esse, posseque verè infantem intra „ matris uterum baptizari, dummodo ad eum, saltem interjecta tantùm secundina, pertingat ablutio, communissimam esse testatur idem Raynaudus loco citato, piamque appellant Doctores, quos Diana sequitur ibidem, & tr. 3. de ca„ sib. occurr. temp. mort. ref. 12.

„ CONFIRMATUR hæc probatio. Quia „ tempore D. Antonini, ut ipse docet 3. p. tit. 14. „ c. 15. §. 1. *Communiter ab authoribus non reputabatur baptizatus infans, qui aqua baptismali fuisset ablutus in manu, vel in pede quos ex utero protulerat.* Quia tamen nonnulli asserebant, probabile esse, talem Baptismum posse subsistere; „ ideo Ecclesia præcipit, ac præsertim Rituale „ Romanum, *ut si aliud membrum* (præter caput) *emiserit, quod vitalem indicet motum, baptizetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus &c.*

„ Multò magis ergo moveri poterunt Ecclesiæ Prælati à tot celeberrimorum Doctorum authoritate, ad subveniendum parvulis, qui jam, „ hlante utero, sese emittere incipiunt, & ablutioni subjiciunt.

„ PROBATUR 3. Quia nisi saltem per hujusmodi Baptismum re ipsa susceptum, posset „ prospici saluti æternæ infantium in matrum uteris abditorum, incusaretur Deus improvidentiæ, tanquam, qui defecisset in necessariis, nec „ hujusmodi infantium saluti verè consuluisset, „ cùm tamen Scriptura conceptis verbis testetur, „ velle Deum omnes homines salvos fieri. Quæ „ verba D. August. *lib.* 4. *contra Julianum* ad parvulos quoque maternis uteris abditos pertinere „ docet, atque adeo vult etiam salvos fieri hos „ paucorum dierum homines, ùt festivè dixit S. „ Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. Nulla „ enim est ratio, cur puer, qui in utero matris „ absque ejus culpa labem Adæ contraxit, etiam „ sine illius culpa non possit saltem hoc pacto in „ utero regenerari, & renasci. Deus enim in „ nullo statu negat talem spiritualem regenerationem, ac boni omnes probant consilium, laudant conatum in re tanti momenti, tot ac tam „ illustrium Doctorum, ut mox videmus, quos „ certè vel impudentiæ, vel imprudentiæ insimulare, quasi rem aggressi sint Deo non gratam, „ vel planè desperatam, scelus est. *Melius enim est*, inquit Salvianus, *nihil inexpertum relinquere, quàm morientem non curare.*

„ PROBATUR 4. Quia in puncto dubii propositi non habemus aliquod argumentum, quod „ convincere debeat Ecclesiæ Prælatos ad excludendum pueros sic constitutos à gratia baptismali, necessaria necessitate medii, ut salventur.

„ Quamvis enim Comitolus lib. 1. responf. „ moral. q. 15. contrariam sententiam solam defendi posse contendat, & in hunc finem alleget „ sacrorum Canonum, S. Augustini, S. Isidori, S. „ Thomæ, aliorumque Doctorum authoritatem, „ ejus tamen pace, nullus eorum, quos videre „ potui, nostri dubii casum attingit, imò plures „ nostræ sententiæ veritatem confirmare videntur. Etenim Can. *qui in maternis, de Consecr. dist.* 3. quem Gratianus ex S. Isidoro *lib.* 1. *sent. cap.* 22. deprompsit, sic habet: *Qui in maternis uteris sunt, cum matre baptizari non possunt, quia qui natus secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest.* Ubi Glossa: Quærebatur ab Isidoro, quare partus non baptizatur cum „ matre prægnante? vides quàm multùm distet à „ casu nostro dubium S. Isidoro propositum, & „ quod ejus, ac Canonis ex eo excerpti resolutio „ non attingat punctum nostræ difficultatis.

„ Sed objicies rationem à S. Doctore subjunctam, *quia qui natus secundùm Adam non est &c.*

„ RESPONDEO 1. Rationes Canonibus, ac „ Decretis adjunctas non constituere jus: Secundò: Antequam penitus elidam hanc objectionem, quæ certè considerabilis est in hac materia, debeo illius vim magis explicare, & augere. Augetur ergo vis objectionis ex verbis „ Christi Joan. 3. *Oportet vos nasci denuò.* Et: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Etne evadere „ conemur, dicendo, quòd per Baptismum regenerari possumus à nativitate in utero, & non „ necessariò ab ea, quæ ex utero, opponit Comitolus authoritatem S. Aug. ep. 55. ad Dardanum, ubi expressis verbis hanc evasionem præcludere videtur. Addit Comitolus, dicta verba Christi, Sanctos Patres, & Theologos doctrina, gloria, antiquitate insignes, ita interpretatos, ut nemo nativitatem spiritualem queat „ adipisci, qui è materno alvo non prodierit, seu „ omnino, seu ex parte.

„ Quibus ut ordinatè respondeam, dico, quòd „ omnes Catholici sustinere debemus, quòd nativitas, à qua renascimur per Baptismum, propriè est illa, qua nascentes in utero contrahimus peccatum originale. Ita nos docet *Concil. Trid. Sess.* 5. *in decreto de peccato originali. Parvuli ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt; nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

„ Certum est autem secundùm fidem, quod „ peccatum originale contrahitur generatione in „ utero antequam infans nascatur ex utero, ergo „ regeneratio Baptismi est ab ea, qua nascimur in „ utero.

„ Cùm ergo Concilium doctrinam suam stabiliat ex verbis Christi Joan. 3. manifestè consequitur, quod ex mente Concilii hæc verba Christi intelligenda sint de renasci à natlvitate in utero, ita ut qualitercumque sive per uteri sectionem, sive per ejusmodi dilatationem pateat „ via ad ablutionem infantis, quamvis non eximatur utero, imò eidem firmiter adhæreat per „ umbilicum, membranas, & fibras, capax sit re„ gene-

„ generationis per Baptismum, sicuti S. Joannes „ Baptista ante suam ex utero nativitatem capax „ fuit regenerationis in Christo, & de facto fuit „ regeneratus in Christo sine Baptismo ante suam „ ex utero nativitatem.

„ Usitatum quippe est in S. Scriptura, vocem „ *natum* accipi pro *genito*. Ita Matth. c. 1. *De qua* „ *natus est Jesus.* Græcè autem habetur *genitus*, & „ cap. 26. *Bonum fuisset ei, si natus non fuisset homo* „ *ille*, hoc est genitus, prout græcè etiam dicitur, „ ut intelligant, se errare, qui ad probandum, me„ lius esse homini malè esse, quàm non esse, hunc „ locum contra ipsos facientem ita conantur elu„ dere, quod non dixit Dominus, si nunquam ge„ nitus fuisset homo ille, sed si nunquam natus. „ Ac eodem c. 1. explicatiùs: *Quod in ea natum est,* „ *de Spiritu Sancto est*, Græcè *genitum*. Non enim tunc „ erat Jesus natus, sed Conceptus, sive ut græcum „ verbum significat, *genitus*. Unde Baptismus re„ generatio à Tridentino appellatur. Denique „ verba Christi intelliguntur de regeneratione si„ ve nova nativitate spirituali, ut ex contextu li„ quet, quæ sanè etiam in utero verificari po„ test.

„ Hinc D. Thomas locis citatis rationem hanc, „ quod nondum natum est, non potest renasci, „ intelligendo do nativitate ex utero rejicit, & „ confutat, & ad D. Augustini verba in Epistola „ ad Dardanum respondet in 3. dist. 3. q. 1. ad 1. „ *Verbum S. Augustini ad Dardanum ita intelligendum* „ *esse*, quia qui *in uteris maternis sunt, operationi mi*„ *nistrorum Ecclesiæ subjacere non possunt*, ut supra di„ ximus, & latiùs declaravimus.

„ Nunc ad Doctores Scholasticos, quos Comi„ tolus pro se citat, deveniamus. Et in primis „ ait, S. Thomam hoc modo concludere, *& ita* „ *relinquitur, quòd nullo modo infantes in uteris existen*„ *tes baptizari possunt.* Fateor ita loqui S. Tho„ mam, sed ex præcedentibus liquet, ly *nullo mo*„ *do* idem esse, ac si diceret, neque baptizando „ matrem, quia est distinctum suppositum, neque „ baptizando parvulum, quia ad eum ablutio per„ venire non potest, quemadmodum etiam supe„ rius demonstravimus.

„ Eadem ferè, & non amplius docent Magi„ ster Sent. Alensis, S. Bonaventura, Richardus, „ & alii ab eodem citati, quæ casum nostrum non „ feriunt, sed potius adjuvant nostram Conclu„ sionem.

„ Denique video, objici posse Rituale Roma„ num, ubi ait: *Nemo in utero matris clausus bapti*„ *zari debet: at si infans caput emiserit, baptizetur &c.* „ Sed existimo, si benè considerentur hæc verba, „ pro nobis facere: nam in casu nostro infans „ non est in toto rigore clausus in utero matris, „ sicut non debet dici clausus in carcere, qui stat „ ad ostium carceris apertum, ut egrediatur, quam„ vis nullam corporis partem foras extulerit, præ„ supponitur enim infans jam aperuisse ostium u„ teri: saltem quantum necessarium est, ut aqua „ ad ipsum pergat, imò quod manibus obstetricis „ tangi possit ipsum corpus infantis, ut ipse Co„ mitolus fatetur juxta sibi tradita à perantiqua „ & expertissima obstetrice. Addo ergo & ex„ emplum ex Sacra Scriptura. Gen. 38. *Instante* „ *partu, apparuerunt gemini in utero Tamar, atque in* „ *ipsa effusione infantium unus protulit manum.* Ecce „ quomodo dicuntur apparuisse in utero, *ante*„ *quam*, ùt inquit Tostatus, *ullus eorum egrederetur* „ *vel in toto, vel in parte. Et hoc sensit Obstetrix inte*„ *rius applicando manum.* Nam maturus infans na„ turali impetu contendit erumpere carcerem „ ventris, Secundinas scindit, suo pondere ape„ rit uterum, quodsi vires infanti non sufficiunt, „ Obstetrix adjuvat unctionibus, & frictionibus, „ Secundinas vellicat, ac disrumpit, & sic ad ex„ timum materni corporis ostium sese infans e„ mittit. Cùm autem motus emissionis hujusmo„ di adesse clausum in utero, usque ad totaliter, „ & perfectè egressum esse ex toto corpore ma„ tris sit motus successivus, sequitur, quòd statim „ inchoata emissione, jam aliqua emissio facta sit, „ & aliqua restet magis, minusque perficienda.

„ Tunc ergo dici debet, quòd se magis, vel „ minus perfectè emiserit infans, quamvis adhuc „ nullam sui corporis partem foras, & extra to„ tum matris corpus extulerit. Tunc autem sæ„ pe contingit, perfectum egressum è materno „ corpore compleri non posse sine gravissimo „ mortis periculo. Sic sese jam aliquo modo e„ mittit purpurea rosa, quando carcerem viridium „ foliorum, quibus claudebatur protuberans, a„ peruit, & cœli rorem non jam in viridi tegmi„ ne, sed in suam substantiali purpura suscipit. „ Sic Bombyx, quo nullum aptius est exemplum „ fœtus humani, postquam exuit vermis formam, „ candentibus alis præditus Secundinam, ac secun„ dam suis sibi filis contextam aperit, & aëre fruitur, „ ac rore cœli, priusquam foras egressus evolet.

„ Ad reliquas objectiones facile respondetur. „ Nam primò quòd ab obstetrice sibi relatum „ Comitolus affert, nimirum neque matri, neque „ Obstetrici innotescere, an proles vivat, contra „ experientiam est, & contra rationem. Nam „ quomodo Obstetrix manu tangere potest cor„ pus pueri manu intra uterum emissa, absque „ eo, quòd sentiat ejus vitalem motum, quem „ percipere etiam potest manu supra uterum ab „ extra adhibita? Et ad quid deservient signa; „ quæ congerunt Medici, ex quibus cognoscatur, „ mortuam esse in utero prolem ad hoc, ut Ob„ stetrix de extrahenda provideat? imò etiam as„ signant modum cognoscendi, & providendi, „ quando ex duobus gemellis unus est vivus, al„ ter mortuus.

„ Secundò. Quòd in dispositione quarum„ dam Legum Civilium, nondum perfectè natus, „ habeatur quasi non esset, nec juribus natorum „ potiatur, tradunt Paulus Castrensis *ad l. quod* „ *certatum, C. de posthum. hæred. instit.* Ubi etiam „ Jason, & Jacobus de S. Gregorio. Subscribit „ Purpuratus *lib.* 1. *Consf.* 156. *num.* 4. & Curtius „ Jun. *lib.* 3. *Consf.* 326. *num.* 6. & 7. aliique non„ nulli, eo maximè nixi fundamento, quod ùt „ Paulus Juris Consultus *l. Anniculus ff. de verb. si*„ *gnif. falsum est, eam peperisse, cujus filius exsectus est.* „ Quod dictum valde celebrant Angel. Alexan„ der, & alii *ad l. Quod dicitur ff. de liber. & posthu.* „ Idemque multi adducti à Tiraquell. *ad l. si un*„ *quam C. de revoc. donat.* v. *susceperit liberos num.* 140.

„ Verùm hæc & similia non urgent. Quia cùm „ connisus prolis inadæquatè integret concursum „ neces-

„ necessarinm ad ejus nativitatem, aliquatenus quoque fundat *nati* denominationem, undc fœtus, matre præmortua, prosiliens vi sua & nisu ex utero, minùs absurdè dici potest natus ex matre, cujus efficientia circa emissionem est desiderata. Quare contraria sententia, quæ affirmat Cæsones, aut nondum perfectè natos iisdem potiri juribus, quibus potirentur, si naturali modo, & perfectè editi fuissent, est longè communissima & verissima. Tradit eam Guilielmus Benedict. *ad cap. Raynutius de testam. num.* 64. Gutier *quæst.* 101. Tiraquel. *l. c. n.* 141. *& seqq.* Alphonsus Garranza *de part. cap.* 6. qui alios permultos adducunt. Et proferri sanè possunt omnes illi, qui docent, Cæsones esse verè filios Matrum, è quibus eximuntur, & ùt filios earum habendos, atque tractandos, etiamsi non sint per partum suscepti, quem esse communem sensum Jurisperitorum babetur ex Alciato, l. *etiam* 141. ff. de verb. signif. Ubi disertè id tradidit Ulpian. & l. 1. §. Si qua prægnans ff. unde Cognati. & l. Quod dicitur, ff. de liber. & posth. ac præcipuè l. 1. ff. ad S. C. Tertull. ubi statuitur, exsecto matris ventre editum ad legitimam matris hæreditatem esse admittendum, & institutum secundùm tabulas esse censendum. Nam tametsi Cæso, vel qui nondum perfectè natus est, propriè, & in rigore loquendo nec pariatur à tali fœmina, nec ex ea nascatur, tamen cùm ex ejus sanguine sit formatus, meritò habetur tanquam ex ea muliere natus. Jus enim commune ad aliquem pro nato habendum, spectari duntaxat voluit formationem ex tali fæmina, & fœtus vitalitatem, quantum est ex vi formationis. Præterea hæc Legis fictio est in particulari materia, quæ ultra suum casum non extenditur. Unde filius Regis in utero existens, succedit in Regno. Bald. in l. fin. C. de testam. militari, in utero existens potest legitimari. Unde generatim, is, qui in utero est, pro nato habetur, quoties de ipsius, commodo agitur. l. qui in utero, de stat. homin. Idque prærogativa quadam non fit, non fictione, sicuti communiter putant Interpretes, refutati ab Arumdo Disp. 1. ad Pandec. Thes. 13. & exercit. Justin. 13. Thes 5.

„ Quo item modo declinatur, quòd aliqui Jurisperiti docent, nimirum infantem nondum natum non esse hominem, quare admitti in illum homicidium negare videtur Tiraquell. ad l. *si unquam*, C. de revoc. donat. §. suscepit liberos num. 148. ex Bald. & aliis, quos refert, nixos ea Domini apud Joannem sententia: *Mulier cùm parit, tristitiam habet &c. cùm autem peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Hinc enim intulerunt DD. prædicti, infantem priusquam utero funderetur, & natus dici posset, non esse hominem de Christi sententia. At homicidium non potest esse nisi hominis. Igitur, si non est homo, non est capax Baptismi.

„ Sed quidquid sit de genere supplicii, Legibus decreto huic nequitiæ, quod diversum est à pœna homicidio proditorio constituta, re vera tamen cerni in hoc scelere malitiam homicidii proditorii recte affirmat Molin. tr. 3. dè Justit. Disp. 27. num. 2. Nec contrarium potest, nisi ridicule fundari in verbis Christi, cùm Christus verbis allegatis non in partu, & nativitate fieri hominem, qui homo non fuerat, sed nasci hominem utique jam factum, & præexistentem dixerit; constat enim, abortione animati jam fœtus procurata occidi vivum quid, non utique plantanimum, & pecuinum, igitur humanum, dc quo occiso ante Christi tribunal reddendam esse ultro occidenti rationem graviter contestatur D. August. ser. 244. de temp. Hac de re optime ita Clemens Alex. 2. pædag. C. 10. Tertio in nostro casu, infans nondum aliqua sui parte ex utero foras agressus, non soli Deo natus est, sed etiam Ecclesiæ, quatenus Minister necessitatis Sacramenti Baptismi à Christo, & ab Ecclesia deputatus, ipsa nimirum obstetrix experimentalem notitiam per tactum habet vitæ infantis, cujus corpus dum aqua Baptismali ablult, animam sanctificat, & Ecclesiæ Christi aggregat, quamvis illud non videat; non enim ad valorem Baptismi requiritur visio, quandoquidem & cæci baptizare possunt.

„ Quare assero: Probabile etiam esse, quod, quando aqua capillos solummodo, aut umbilicum tangit, & non immediate aliquam aliam corporis partem, conficiatur validum Baptisma. Dc Capillis docent Henriq. Otolctus, Vasquez, Valentia, & alii plures, quos sequitur Diana p. 5. tr. 3. de Casib. occurr. res. 4. & 5. quibus suffragatur Card. de Lugo in resp. mor. dub 1. n. 3. & reclamantibus Bonacina, Roderico, Sylvio, & aliis ab eodem de Lugo adductis n. 11. de umbilico, Diana docet, cum probabilitate sustineri posse, Et horum omnium ratio est, quia probabilius est, quod informentur omnia totius viventis, & ab ea recipiant omnes gradua essendi, quod signum est physicæ continuationis; ut recte adnotavit Valesius lib. 2. controvers. med. cap. 5. quare cùm omnia ista pertineant ad suppositum infantis tanquam unum cum illo, & sint aliquid ejus, per consequens, iis ablutis dici debet, infantem esse ablutum in aliquo sui. Imo & infantis partes dici debent interim, dum in tali statu reperitur. Sic si super folia arboris pluvia decidat, aspergitur arbor, quamvis nec ramos, nec truncum attingat. Similiter si solùm contingat pluvia exteriorem arboris corticem, & ut de Lugo inquit n. 6. habent se Capilli respectu capitis, sicut pellis in ove, vel sicut pennæ in ave. Nemo autem dicet, non esse proprie, & in omni rigore madefactam ovem, vel avem, quarum pellis, & lana, vel pennæ madefactæ sunt.

„ De Baptismo autem in secundina majus dubium est, Aureolus in 4. d. 4. q. 1. art. un. arbitratur, ad Baptismum infantis sufficere ablutionem secundinarum, dummodo puer sit extra uterum; nam puerum prorsus utero abditum censet Baptismi incapacem. Idem habet Sylv. & Angel. v. *Baptismus*. Nonnulli item recentiores verùm pueri Baptismum intra secundinam, sola secundina ablutionem excipiente, agnoverunt, ut Vasquez. 3. p. Disp. 155. c. 4. & Præpositus 3. p. q. 66. n. 91. Hoc tamen non existimo

„ verisi-

„ verisimile, ut Valentiæ quoque visum 3. p. „ Disp. 4. q. 1. punct. 2. corol. 5. ac Raynaudo de „ sect. Cæsar. d. C. 6. n. 14.

„ Nemo sane jure censuerit, puerum sacco „ coriaceo indutum verè baptizatum iri, si aqua „ soli corio affunderetur, nec ablutio ad puerum „ immediatè pertingeret, sicut facilè eveniret, si „ corii immissio intra aquas esset subdita, & per„ brevis, corium autem validum, nec facilè per„ meabile ab aqua meritoque Richard. in 4. d. 6. „ art. 2. q. 1. & Gabr. ibid. d. 5. q. 3. dub. 2. negant, „ corii puero circumfusi intinctionem fore verum „ pueri Baptismum.

„ Atqui licet ex dictis remanere possit aliquod „ dubium non omnino evacuatum, imo in facti „ contingentia, Baptismus sic collatus, regulari„ ter dubius censeri debeat, ideoque dicendum „ sit, quodsi supervixerit infans, sub conditione „ sit denuo baptizandus; quia ut prudentissime „ advertit de Lugo sup. n. 11. quidquid sit de aliis „ Sacramentis, an in eorum collatione, & susce„ ptione licet amplecti opinionem probabilem; „ in Baptismo tamen, Sacerdotio, & Episcopatu „ propter eorum necessitatem, & damnum irrepa„ rabile, quod ex eorum invaliditate consequere„ tur, debemus, quoties fieri potest, certam, & „ securam viam amplecti, quam doctrinam alias „ alibi secuti sumus.

„ Non est autem omnino certus valor Baptis„ mi in casibus adductis, negatur enim ejus valor „ à multis doctoribus, quos supra recensui. Ni„ hilominus tamen instruenda videtur Obstetrix, „ quod in casibus positis urgente articulo necessi„ tatis, omnium meliori modo, quo potest, fata„ gere debeat, ut infantem probe aqua abluat, „ pronuntiata Baptismali forma cum intentione „ faciendi, quod facit Ecclesia.

„ Habemus enim magistralem regulam ab An„ gelico Doctore traditam in simili dubio de Ba„ ptismo per ablutionem pedis, vel manus, „ qui tunc temporis communiter à Doctoribus „ censebatur invalidus. *Non nocet*, inquit, *etiamsi* „ *tunc aspergantur illæ partes Baptismali aqua, quia Di*„ *vina misericordia non est arctanda.* Ita in 4. d. 6. art. „ 1. q. 6. ad 3. quam regulam Ecclesia approbare „ visa est in Rituali Romano, & Theologi con„ corditer amplexi sunt, eamque explicat. & pro„ bat Montesin. in 1. 2. Disp. 26. q. 5. n. 45. & Joan„ nes sanctus in select. Disp. 44. n. 35. Quia in ca„ su necessitatis Sacramentum quasi juri suo cedit, „ & periculo irritationis exponi non ægre fert, „ eo quod salus proximi magis tuta relinquitur „ suscepto Sacramento, & in casu nostro plane „ desperata est, si illud non ministretur, & ubi „ violatio charitatis imminet, aut Religionis, cha„ ritas est præferenda ex Card. de Lugo Disp. 8. „ sect. 9. n. 140. Summa enim indigentia proximi, „ cui aliter subvenire non possumus, præponde„ rat reverentiæ, quæ debetur Sacramentis, & „ reddit licitam talem operationem, propter ne„ cessitatem.

„ Atque hactenus satis firmis, ut opinor, ra„ tionibus nostram sententiam probavimus, quam „ primus, absit vero verbo invidia, propugnavi, „ quamque alii quidam magni viri secuti sunt, no„ minatim Franciscus Paparettus, Parochus S. „ Mariæ in Cosmedin. vir exquisitæ eruditionis, „ nec mihi absque candoris, & virtutum, doctri„ næque elogio nominandus.

II.

Dissertatio

Sanctissimi Domini nostri

BENEDICTI XIV.

de

Baptismo collato infanti in matris utero latitanti, nec non infanti, qui aliquam sui partem ex utero matris emisit.

„ Certum est, infantem in matris utero ita lati„ tantem, ut nulla ejus pars aqua perfundi „ queat, baptizari non posse, nec ei quidquam „ prodesse, quod nonnulli hæretici olim sunt ar„ bitrati, si ejus loco, matris corpus abluatur, „ quemadmodum lib. 6. contra Julianum cap. 14. „ disserte tradit Augustinus relatus in Can. 114. „ de Consecrat. distinct. 4. Si ad matris corpus „ id, quod in ea concipitur, pertineret, ita, ut „ ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, „ cujus mater baptizata est, aliquo mortis urgen„ te periculo, cùm eum gestaret in utero. Nunc „ verò cùm etiam ipse baptizatur, non utique „ bis baptizatus habebitur. Non itaque ad ma„ ternum corpus, cùm esset in utero, pertine„ bat. Et prosequitur D. Thomas 3 part. quæst. „ 68. art. 11. At quæstio est, an reserato materni „ uteri ostio, quod puerperii initio contingit, „ validè baptizetur infans, cujus corpusculum, „ etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua „ nihilominus, saltem per siphunculum tingi po„ test. Mirum est, quantum in hac quæstione „ varient Doctores. Validè etiam baptizari af„ firmat Victoria in Summ. de Sacram. quæst. 32. „ Suarez. in 3. part. Disput. 2. quæst. 68. sect. 6. „ art. 11. in Comment. Gregorius de Valentia „ Tom. 4. Disput. 4. quæst. 1. punct. 2. §. 3. *sequitur.* „ Capeaville de Casibus in peste, cap. 2. quæst. 10. „ sub fin. quibus ex recentioribus adhærent Pe„ guletus in Tract. probabilit. cap. 41. & seq. Piet„ te in elucidat. difficilior. Theolog. quæstionum. „ part. 5. de Baptismo, quæst. 8. Florentius Cocq. „ de Baptismo sect. 7. Franciscus Henno Disp. 3. „ quæst. 1. Conclus. 2. Holzman Theolog. mo„ ral. Tom. 2. Tract. 2. cap. 2. art. 2. §. 1. num. 137. „ Sbogar in Theologia radicali Tract. 13. de Ba„ ptismo, cap. 5. num. 43. Et Gabriel Gualdus in „ opusculo de hac re accurate conscripto, Pata„ vii impresso anno 1710. & denuo anno 1712. „ quorum sententiam Theophilus Raynaudus, „ etsi contrariam sequatur, dicit communissimam. „ Negant ex adverso idem Raynaudus opusc. de „ ortu infantium per sectionem Cæsaream, cap. „ 6. num. 14. oper. Tom. 14. Cardinalis de Lau„ ræa in 4. sent. Tom. 1. de Baptismo, Disput. 14. „ art. 4. Martinus Orelli in peculiari de hoc ar„ gumento dissertatione. Nicolaus l' Herminier „ de Baptismo cap. 10. Natalis Alexander Theo„ log. dogmat. & moral. Tom. 2 l. 2. c. 7. prop. „ 2. in fin. Juenin. de Sacram. dissert. 2. quæst. 7.

„ c. 1.

„ c. 1. a. 2. in fin. Gibert. consult. Canonicar. Tom. „ 2. consult. 22. de Baptismo per tot. & præsertim pag. 242. & seq. Cardinalis Gotti Tom. 13. „ pag. 260 & novissime Joannes Laurentius Berti in sua Theologia Tom. 6. l. 31. c. 18. sed non „ omnes hujus posterioris sententiæ Patroni eidem fidunt argumento: Theopbilus Raynaudus validum fatetur Baptismum, collatum infanti è matris utero nondum egresso, si ad ejus „ corpus aqua quomodocunque pertingat; sed „ hoc nequaquam evenire posse putat. Quia, „ inquit, ipse uterus est admodum abditus, & exquisite occlusus à momento conceptionis usque „ ad tempus partus, & intra ipsius uteris latebras, „ fœtus tot undique secundinis circumsepitur, ut „ nesciam, qua ratione dici possit, aquam esse applicabilem, & ad fœtum immediatè possit pertingere, neque ad rem facere autumat Raynaudus, quòd aqua madefiant secundinæ, quibus „ infantis corpus involvitur: nemo quippe, ait, „ censebit, verè baptizatum iri puerum sacco coriaceo inclusum, si aqua soli corio affunderetur, per quod ad pueri corpus non pervaderet. „ Sed ex duobus, quæ Raynaudus, tanquam certa sumit, primum est evidenter falsum; siquidem ex Medicorum, & Obstetricum testimonio, „ satis constat, infantem, puerperii initio, secundinarum involucris jam spoliatum, posse intra „ matris uterum tangi, & tractari: alterum verò „ est in quæstione positum; quamvis enim ferè „ communiter Doctores concedant, validum non „ fore Baptismum, si aqua solæ perfunderentur „ vestes, quibus baptizandus obtegitur, non omnes tamen idem sentiunt de secundinis, quibus infans à natura circumvestitur; hæ quippe „ censentur quodammodo pars infantilis corporis, quod propterea videtur immediatè ablui, „ cùm illæ madefiunt, uti præ cæteris ratiocinatur Sylvester v. Baptismus 4. quæst. 1. Et Vasquez in 3. part. Tom. 2. Disput. 145. cap. 4. n. 31. „ Quamobrem aliud alii argumentum instaurant, „ ad evertendum Baptisma, de quo est sermo: „ Baptismus, inquiunt isti, est Sacramentum „ regenerationis, & secundæ nativitatis spiritualis, cui necesse est, ut prima corporis „ nativitas præcedat; dixit enim Christus Dominus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo.* „ Et rursum: *oportet eos nasci denuo*; non potest „ autem denuo nasci, qui nunquam antea natus fuit. Eo autem fidentius huic argumento insistunt; quia ab Augustino se illud accepisse gloriantur, enimvero non semel S. Doctor hac ratiocinatione utitur, ad probandum, natum esse oportere, qui regenerationis lavacro, ab Originali culpa est expiandus; libro enim 2. de peccat. merit. & „ remiss. cap. 27. (Tom. 10. oper. col. 63.) „ inquit: Sacramentum Baptismi profectò Sacramentum regenerationis est: quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere „ non potest; ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Et Epistola 187. olim 57. „ ad Dardanum num. 31. (Tom. 2. oper. col. „ 688.) Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit; & infra: Non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei, ad „ habendum in se inhabitantem Deum, nisi cùm „ fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati: ac tandem: Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus Sancti in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo, antequam nascatur, quod fieri nullo „ modo potest.

„ Idem, quod Augustinus, docet Isidorus l. 1. „ Sentent. c. 24. relatus in Can. 115. de Consecrat. distinct. 4. Qui in maternis uteris sunt, „ ideo cum matre baptizari non possunt; quia „ qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundùm Christum non potest.

„ Verùm has, & similes Patrum locutiones „ facile evadunt Auctores primæ sententiæ, contendentes, unicum illarum scopum esse, improbare Baptismum, collatum matri pro puero, quem in utero gestat, quod quidem baptisma Augustinus, loco paulo ante producto, „ contra Julianum rejecit. Neque urgeri se arbitrantur à ratione petita ex allegatis Christi „ Domini verbis: Verè enim, quantum ad rem „ attinet, natum ajunt, qui ex abditioribus maternæ alvi penetralibus ad uteri ostium deductus, „ atque obstetricis manibus pertractatur. Hanc „ porro responsionem confirmant authoritate D. „ Thomæ, qui cit. quæst. 68. art. 11. C. nuper „ citatis Patrum testimoniis ritè expensis, ideo „ duntaxat infantem intra matris uterum latitantem baptizari posse, inficiatur; quia salutari a„ qua immediatè lustrari nequit, ex quo apparet, „ oppositum ab Angelico statui, cùm infantis „ corpus posset aliquo modo immediatè ablui: „ *Dicendum* (verba sunt Angelici) *quod de necessitate Baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo „ aqua abluatur, cùm Baptismus sit quædam ablutio, ut „ supra dictum est; Corpus autem infantis, antequam „ nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua, „ nisi fortè dicatur, quòd ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem „ perveniat. Sed hoc esse non potest &c.* Hisce argumentis nimium confisus Gualdus in cit. Opusc. cap. 12. n. 216. Episcopos hortatur, ut „ parvulos, intra matris uterum adhuc occlusos, „ cùm in vitæ discrimine versantur, & obstetricis manibus tractari queunt, omnino baptizari „ præcipiant, atque edicant. Verùm, quoniam „ ipsemet fatetur, ultimum controversiæ judicium à Sede Apostolica esse proferendum, tutius erit, ut Episcopus istud expectet, nec interim quidquam suis Constitutionibus inferat, „ quo implexæ istius quæstionis decisionem sibi „ arrogasse videatur. Ad Parochos verò pertinebit, obstetrices instruere, ut cùm casus evenerit, in quo infantem, nulla adhuc sui parte „ editum, mox decessurum prudenter timeant, „ illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat, & foras prodeat, quemadmodum, post alios, faciendum monet Tournely in suis Prælection. de Sacram. Baptism. q. 3. a. 3.

„ Hæc de infante, intra matris uterum totaliter abdito, quid autem de illo dicendum, qui „ aliquam sui partem ex utero emisit? Hic instante mortis periculo, in ea parte esse Baptis„ mum

„ mum conferendum, quæ ex utero emerfit, ftatuit Rituale Romanum tit. de baptizand. parvulis, additque, non effe Baptifmum ullo pacto repetendum, fi falutari aqua infantis caput tinctum fuerit; fecus verò faciendum decernit, cùm non caput, fed alia quælibet corporis pars aqua perfunditur, tum quippe pucrulum, fi vivus evaferit, iterum fub conditione baptizandum præcipit. Rituali Romano confentit Rituale Sacramentorum à Cardinali Julio Antonio Sanctorio, Juffu Gregorii XIII. Romæ evulgato anno 1584. atque utrique refpondent inftructiones S. Caroli Borromæi, inter acta Ecclefiæ Mediolanenfis pag. 497. §. *Si verò fætus.* Hanc eamdem doctrinam disertè tradit D. Thomas 3. part. quæft. 68 a. 11. ubi hæc habet: *Ad quartum dicendum, quòd exfpectanda eft totalis egreffio pueri ex utero ad Baptifmum, nifi mors immineat, fi tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes fenfus, debet baptizari, periculo imminente, & non eft poftea rebaptizandus, fi eum perfectè nafci contingat. Et videtur idem faciendum, quæcunque alia pars egrediatur, periculo imminente: quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita confiftit, ficut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacunque alia parte corporis abluta, puer poft perfectam nativitatem fit baptizandus, fub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

„ At nihilominus, licèt Doctores fatis communiter admittant, fub conditione effe repetendum Baptifmum, cùm abluta fuit exigua pars corporis, puta digitus, & juxta alios etiam fola manus, aut pes, quæ ex matris utero erupit, attamen inter fe difputant, an repetendus fit, cùm abluta fuit alia pars æquè principalis, ac caput, puta humeri, pectus, fcapulæ, brachia, &c. exiftimantibus plerisque tam à D. Thoma, quàm à Rituali Romano caput nominatum effe, non reftrictivè, fed merè demonftrativè, ùt ajunt, feu exempli caufa, ac propterea idem judicium effe ferendum, de aliis partibus, æque principalibus, ficuti ratiocinantur Sotus in 4. diftinct. 3. quæft. unic. a. 7. circa medium. Suarez Tom. 3. in 3. part. difp. 2. quæft. 66. a. 4. fect. 2. ubi explicans mentem D. Thomæ ait: *Si Baptifmus fieri poffit in capite, illa eft certiffima, & fufficientiffima materia; quia illa pars præcipua eft, & ab ea maximè poteft totus homo denominari.*

„ Quod fi hoc commodè fieri non poteft, propter aliquod gravis nocumenti periculum, fi fiat ablutio in fcapulis, aut in pectore, vel in humeris, erit fatis certa, & indubitata materia. Interdum verò folet occurrere neceffitas baptizandi puerum in pede, propter periculum mortis, & tunc etiam licitè id fit; tamen quia res eft dubia, fi infans evadat periculum, & perfectè nafcatur, iterum abluendus eft fub conditione, prout in Ritualibus Ecclefiafticis Parochi admonentur. Et hæc eft communis doctrina Theologorum cum D. Thoma. Et profequuntur Gregorius de Valentia Tom. 4. difput. 4. q. 1. punct. 2. §. *Quanquam rectè Sotus.* Coninch. de Sacram. q. 66. a. 2. dub. 2. n. 79. Gonzalez in cap. 5. de Baptifmo n. 3. & alii. Idem diffidium, quod viget inter Theologos, viguiffe olim, deprehendimus, inter Ecclefiarum Antiftites. Etenim Statuta Synodalia Ecclefiæ Biterrenfis, à Guillelmo Epifcopo anno 1342. condita num. 10. (Tom. 4. Thefaur. nov. Anecdotor. Martene col. 644.) validum ftatuunt Baptifmum, quæcunque fit pars corporis, quæ aqua luftretur: præcipimus moneri populum, quòd fi in ipfo partu mulieris immineat grande periculum, ipfa muliere multo tempore laborante in editione partus, & caput, & manus, vel alia pars infantis appareat, quòd illa baptizetur, & cenfeatur baptizatus: At antiqua Statuta Ecclefiæ Rutenenfis, in Aquitania ratum duntaxat habent Baptifmum, in capite, non verò in alio quovis membro collatum; Cap. enim 6. (Tom. 4. Thef. Anecdotor. Martene Col. 686.) ita decernunt: Si verò muliere in partu laborante, infans extra ventrem matris caput tantùm emiferit, & in tanto periculo infans pofitus, commodè haberi nequiverit, infundet aliquis, vel aliqua de aftantibus aquam fuper caput infantis, dicens: *Creatura Dei ego te baptizo &c.* & erit baptizatus. Si verò non caput, fed aliud membrum emiferit, & fuper illud membrum aquam effundendo, prædicto modo fuerit baptizatus, & poftea vivus natus fuerit, non judicamus talem baptizatum. Concilium verò Treverenfe anni 1310. difcrimen faciens, inter membra principalia, & minus principalia, idem ftatuit, quod nuper laudati Theologi opinantur; Cap. enim 114. hæc habet: (eodem Tom. 4. Thef. Anecdot. Col. 268.) Si autem muliere in partu laborante, infans in ventre matris tantùm caput emiferit, & nafci nequeat, mox aliqua de obftetricibus aquam fuper caput infantis infundat, dicens: *Ego baptizo te &c.* & erit baptizatus. Idemque dicendum eft, prout quidam afferunt, fi major pars corporis, præter caput appareat, baptizatur; fecus fi minor, folus pes, vel fola manus appareat, baptizari non debet; quod fi fiat, nihil agitur; Cùm enim partus tunc non nafcatur, nec tunc etiam poteft renafci. Cùm itaque hæc Controverfia hactenus indecifa remaneat, uti fcitè animadvertit Cardinalis de Roban in fuo Rituali Argentinenfi ad tit. de Baptifmo §. 5. inquiens: *Utrum ratus fit Baptifmus, non in capite, fed in aliqua alia corporis parte collatus, multi non immeritò dubitant, idcirco cavere debet Epifcopus, ne in fua Synodo aliquid, quoad eam, decernat, fed id folum curabit, ut Parochi, cæterique, quorum intereft, illud exactè exequantur, quod in Romano Rituali præfcribitur, ficuti optimè animadvertit citatus Gibertus in Confult. Canonic. de Sacramento Baptifmi Confult.* 22. ubi Synodos affert. Rituali Romano conformes, ejusque veftigiis inhærentes.

QUÆSTIO II.

An fint baptizandi infantes defuncti, fi ad imagines Thavmaturgas edant figna vitæ dubia?

NOTANDUM I. Reperta effe non folùm in Germania, fed etiam in aliis regionibus varia Loca pia, in quibus infantes in utero materno jam defuncti dicuntur edere figna vitæ dubia, quibus

quibus positis baptizantur sub conditione. Ita fiebat IMPSTII in Tyroli in Diœcesi Brixiensi circa annum 1680; in Diœcesi Augustana in quadam Parochia Rottenbuechensi ante annos serme quinquaginta, in Diœcesi Constantiensi in quadam etiam Parochia ante annos circiter triginta, & URSPERGÆ ab anno 1686. usque ad annum 1738. Plura alia similia loca recenset P. BAGATTA, & P. GOBAT. Prior in l. cui Titulus: *Admiranda Orbis Christiani*, l. 8. c. 2. in Appendice, alter in sua *Theologia Morali* de hac re fuse scribit. Textus amborum ad calcem hujus Quæstionis adducam.

NOTANDUM 2. Hos terminos: *Signa mortis aut vitæ dubia*, *signa mortis aut vitæ certa*, aliam habere notionem apud plebem, & imperitos; aliam apnd Physicæ experimentalis peritos, & veros Theologos. Eadem enim indicia, quæ imperiti apprehendunt tanquam *signa vitæ dubia*, v. g. colorem rubeum, stillationem sanguinis, cessationem fœtoris &c. in Philosophia periti ne quidem tanquam *signa vitæ probabilia* recipient. Et ea indicia, quæ populus apprehendit tanquam *signa mortis certa*, periti in Philosophia neutiquam pro indubiis, sed tantùm pro *signis mortis dubiis* accipient. Ex ea notionum diversitate forte provenit, quod Roma respiciendo ad notionem popularem *signorum vitæ dubiorum*, quæ reipsa communiter ne quidem probabilia seu dubia sunt, ad regulandam praxin Ecclesiæ juxta sana principia pro administrando ejusmodi infantibus Baptismo sapienter *signa reviviscentiæ certa* requirat, hoc est, talia, quæ etiam à plebe pro certis habeantur. Cæterùm illa tantùm signa in æstimatione sapientum rectè pro signis vitæ dubiis seu probabilibus habentur, quæ posito eodem circumstantiarum complexo in centum aut mille casibus saltem aliquando cum effectu operationis vitalis manifesto conjungi contingit. Si enim simile complexum circumstantiarum in casibus innumeris prorsus nunquam operatur vitales operationes manifestas, nemo rectè tale circumstantiarum complexum pro signo vitæ dubio posuerit.

NOTANDUM 3. Romæ in Congregatione S. Officii anno 1729. 1737. & 1738. prohibitum fuisse Baptismum infantium mortuorum, nisi edant signa *certa ac indubitata reviviscentiæ*. Decretum hoc recitavi superiùs in Quæstiunculis §. 3. qq. 1.

NOTANDUM 4. Hoc ipsum dudum fuisse judicatum à Synodo quadam Diœcesana Lingoliensi anno 1452. & 1455. Quia tamen contra hanc Synodum Patroni oppositæ sententiæ excipere solent; quod solùm Synodus mota fuerit ad condemnandos tales Baptismos propter abusum, infantes defunctos prius ponendi super carbones, iisque applicandi varia media naturalia, operæ pretium est adducere textum integrum, quem refert P. NATALIS ALEXANDER in Theologia Morali tom. 1. l. 2. c. 7. propos. 2. Reg. 3. ubi sic scribit: PHILIPPUS Lingonensis Episcopus in Synodo 1452. hæc decernit: *Multoties infantes, qui nascuntur, & quibus non est vita aut anima, per aliquos ignaros baptizantur, qui credunt, vitam & animam habere, quia videntur moveri ad motum ignis, & propter calorem, qui solet fieri circa tales pueros in certis Ecclesiis, seu Locis piis nostrarum Civitatis & Diœcesis, in quibus consueverunt tales deferri sub spe, quod per intercessionem, & merita Sanctorum vitam & animam recuperent. Statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus tales infantes præsumat baptizare, nisi constet per evidentia signa, quod infans de seipso moveatur, non autem moveatur propter calorem ignis, aut alterius accidentis.* QUIDO successor Philippi in alia Synodo Lingonensi 1455. id confirmat his verbis: *Constitutionem Domini Philippi nostri Prædecessoris renovantes damnamus & penitus reprobamus abusum illum, quo passim & indifferenter temporibus retroactis fuerunt infantuli ex utero matrum suarum suffocati, qui vulgariter dicuntur mortui nati, quorum etiam aliqui fuerunt ad Ecclesiam delati, certis diebus ac noctibus coram Imaginibus Sanctorum appositi, à principio frigidi & tanquam baculus rigidi. Sed per ignem carbonum, & quandoque cereorum ac lampadum accensarum molles effecti, in quibus color rubeus ad tempus, & sanguis fluens à naribus apparuit. Quorum etiam aliqui sudare super orificio stomachi visi sunt, & venas temporales, & frontes, ac circa collum aliquantisper movere, alterum oculorum aperire & claudere, flatum à naribus calidum emittere, à quo plumæ naso impositæ asufflantur: persusi sacri baptismatis unda, & deinde in Cæmeteriis Ecclesiasticis fuerunt tumulati. Hos igitur & similes abusus de cætero sub excommunicationis pœna, & Emendæ arbitrariæ per nostras Civitatem & Diœcesin districtiùs fieri prohibemus: Inhibentes, ne aliquibus Sacramentum conferatur, nec etiam in Ecclesiastico Cæmeterio tumulentur aliqui, quos* VERISIMILITER CONSTITERIT *vita naturali aut miraculosa caruisse. Et quia sunt quædam mulieres, se de præmissis abusibus propter quæstum intromittentes, ipsis de cætero hoc facere inhibemus, prohibemusque omnibus, ne tales mulieres ad talia de cætero in suis Ecclesiis recipiant seu admittant. Sed ne Laici ex hac prohibitione scandalizati remaneant, volumus, quod cum prædicta occurrerint, ad Curatos singulorum locorum specialis habeatur recursus.* Ita Synodus Lingonensis, in qua notandi sunt termini: *Verisimiliter constiterit.* Hi enim termini videntur loqui *de certitudine morali*, ita ut solùm ii prohibeantur baptizari, quos morali certitudine constat, nec naturali nec miraculosa gaudere vita; & hinc vi hujus Synodi Diœcesanæ saltem à Curatis seu Parochis sub conditione baptizari possent, de quibus probabile est, eos non carere vita naturali vel miraculosa. Cæterùm quid Sedes Apostolica pronuntiatura sit in Causa Urspergensi post iteratam Informationem distinctam, aut quid præscriptura sit Parochis, patebit suo tempore. Ego illius judicio has meas considerationes omni veneratione subjicio. Interea inhærendo Decretis S. Officii de anno 1729. 1737. & 1738.

DICO 1. Nulli infanti, de cujus morte certò constat, Baptismus conferendus est, nisi edat signa reviviscentiæ certa & indubitata.

RATIO est 1. quia S. Congregatio S. Officii Romæ anno 1729. 1737. & 1738. declaravit, non esse baptizandos infantes sine Baptismo mortuos, prout §. 3. quæstiunc. 11. ostensum est. 2. Quia Concilium Tridentinum Sess. 25. de Purg. & Invoc. Sanct. vetat promulgari in vulgus miracula incerta. 3. Quia alioquin Ecclesia se exponeret periculo gravissimo prostitutionis & confusionis coram

coram hæreticis, si forte instituis Experimentis innumeris & per plures annos continuatis circa ejusmodi infantes demonstrarent, ad minimum decimam ejusmodi infantium partem edere simillima signa, quæ conspiciuntur in locis piis nullo concurrente probabili indicio supernaturalis principii. 4. Si liceret ob signa reviviscentiæ præcise probabilia, aut tenuiter dubia, baptizare infantes nondum baptizatos, etiam liceret ob similia reviviscentiæ signa absolvere adultos, v. g. ex submersione, suffocatione, strangulatione, apoplexia, &c. sine absolutione defunctos, præsertim si ante mortem petiissent Confessarium, & post mortem à propinquis pro ejus reviviscentia ad effectum absolutionis sacramentalis fuisset emissum votum ad Imagines Thavmaturgas. Sed hoc non potest dici, quia est contra sensum Ecclesiæ & Fidelium, deplorantium acerrimè, si quis obierit sine absolutione. 5. D. Thomas, prout supra ostensum, Quodl. 2. art. 7. ubi agit de Baptismo infantium Judaicorum, plus tribuendum esse docet consuetudini Ecclesiæ, quàm pietati & propensioni propriæ in favorem infantium, ubi cum pietate concurrit quædam absurditas vel inconvenientia. Ergo idem sentiendum in præsenti. *Maximam*, inquit, *habet authòritatem consuetudo Ecclesiæ, quæ semper in omnibus est æmulanda, quia doctrina Doctorum Catholicorum ab Ecclesia authoritatem habet. Unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur. Et ideo periculosum videtur, de novo inducere, ut præter consuetudinem hactenus in Ecclesia observatam baptizentur.* 6. Meritò dubitari potest, utrum ista praxis deportandi infantes ad Imagines, ut vocantur, Thavmaturgas plus prosit, quàm obsit saluti animarum. Ergo non est facile admittenda.

Ant. prob. Per hanc praxin moraliter certum est, longè plures infantes vivos interfici sine Baptismo, quàm resuscitari ad vitam. Nam cum statim una & altera hora post partum, si in iis plebs imperita non reperit signa vitæ, efferantur domo ad imagines Thavmaturgas, & involvantur undique fasciis, & includantur arculæ ligneæ vel schatulæ benè clausæ, & dein per unum, duos, vel tres dies sine omni fomento relinquantur expositi aëri frigido ac humido in Ecclesia, necesse est mori etiam eos, qui eousque retinuerant latentem in pectore sine respiratione vitam. Occasionatur etiam socordia matrum, incontinentia maritorum temulentorum usque ad extrema gravitationis tempora, & Religionis vilipensio apud hæreticos; neglectus fervidarum oblationum, quas alioquin parentes ante partum pro salute parvulorum, &c. quæ licet sequantur per accidens ex illa praxi, *plura* tamen & *majora* mala forte inducunt, quàm sunt bona opposita. Dæmon autem habet suum intentum, ubicunque sequuntur plura & majora mala bono opposito, nec curat, an sequantur per se vel per accidens. 7. Quando Deus resuscitat mortuos etiam in ordine ad Baptismum, causat signa vitæ evidentia, ita ut sic resuscitati fiant etiam capaces cæremoniarum Ecclesiæ, tum ut juvetur infans perfectè, tum ut manifestetur gloria Dei in confirmationem Religionis. Id patet ab exemplo, quod S. AUGUSTINUS testatur, ad Reliquias S. STEPHANI fuisse patratum. Nam Sermone trigesimo secundo & trigesimo tertio *de diversis* sic habet: *Apud Usalim, ubi est Episcopus frater meus Evodius, quanta ibi miracula fiant* (ad Reliquias S. Stephani) *quærite & invenietis. Prætermissis aliis indico vobis unum, quod ibi factum est. Mulier quædam subito ægrotum filium, cui succurrere festinando non potuit, in gremio sua Catechumenum infantem lactentem amisit. Quæ cum vidisset amissum & irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter quàm mater. Non enim filii sui desiderabat vitam, nisi in futuro sæculo. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, & cucurrit ad memoriam B. Stephani, & cœpit ab ipso exigere filium, & dicere: S. Martyr; tu vides, quare plangam; redde mihi filium, ut habeam eum ante conspectum Coronatoris tui. Hæc & talia cum precaretur lacrymis, revixit filius ejus. Et quia dixerat; Nosti, quare illum plangam; ostendere voluit etiam Deus verum animum ipsius. Continuò tulit illum ad Presbyteros; baptizatus est; sanctificatus est; unctus est; imposita est ei manus; completis omnibus Sacramentis assumptus est. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquam non deduceret ad requiem sepulchri, sed ad sinum Martyris Stephani. Probatum est cor fidele mulieris.* Ita S. Augustinus.

D. Amort Tract. de Bapt. & Confirm.

DICO 2. Nulli infanti denegandus est Baptismus conditionatus, si ex una parte de ejus morte necdum certò constet, & ex alia parte in eo reperiantur signa vitæ saltem dubia.

RATIO est, quia in hoc Doctores conveniunt, administrandum cuivis esse in casu necessitatis Sacramentum necessarium ad salutem, dummodo saltem in subjecto reperiatur dispositio dubia, & nulla obstet particularis lex Ecclesiæ, aut generalis præsumptio in oppositum.

DICO 3. Mutatio sola coloris, & cessatio fœtoris cadaverici non est signum certum & indubitatum reviviscentiæ. Idem dicendum de flexibilitate membrorum, fluxione sanguinis, pelluciditate oculorum, motu irregulari oculorum &c.

RATIO est, quia hæc omnia possunt provenire vel à *fermentatione*, quæ inseparabilis est à putrefactione internarum partium in cadavere; vel ex *præcipitatione* crassiorum partium, vel ex *obstructione pororum* per frigus & humiditatem Ecclesiæ, prout in DISSERT. II. fuse ostendam.

DICO 4. Inter mille infantes, qui habentur pro mortuis ex utero materno, complures sunt, qui adhuc conservant vitam ad triduum, & ultra, sine ullo externo vitæ indicio.

RATIO est 1. quia ZACHIAS, Medicus in his rebus peritissimus, & SS. D. N. BENEDICTUS XIV. testatur; eos, qui moriuntur *suffocatione, submersione, strangulatione, Apoplexia, Syncope, &c.* vivere posse saltem per triduum sine ullo signo vitæ externo. Quod autem plerique infantes in utero materno defuncti obierint vel ex suffocatione, vel ex submersione, vel ex strangulatione per venam umbilicalem, vel per Syncopen, certum est. 2. Quia infantes in utero materno jam sunt assueti soli vitæ internæ partium sine respiratione & usu pulmonis, ope cujusdam particularis circulationis sanguinis per foramen ovale, per quod sanguis non transito pulmone

mone immediatè transit in sinistrum cordis ventriculum, prout Academia Parisiensis novissimis experimentis detexit. Potest ergo post partum aliquamdiu continuari hæc vita interna in nonnullis saltem, respectivè paucis. 3. Quia in iis infantibus, qui ad loca pia solùm deferuntur ex vicinia, v. g. ex distantia aliquot horarum, vel unius solùm diei, sæpe nec reperitur fœtor cadavericus, nec aliud certum mortis indicium. Hæc omnia fuse ostendo in DISSERT. I.

DICO 5. Consultius est; ejusmodi infantes non deferri ad Loca pia; sed eos commendari Deo etiam cum emissione voti, v. g. instituendæ suo tempore peregrinationis ad Loca pia, qualis locus est Ursperga, ubi reperitur antiquissima ac devota Imago Crucifixi cum duabus Statuis juxta primævam formam fabrefactis B. Virginis, & S. Joannis stantium sub cruce, & si apparuerint beneficio Numinis dubia vitæ signa, eos à propriis Parochis baptizari.

RATIO est 1. quia ita judicavit Synodus Lingonensis anno 1455, prout *Notando* 3. ostensum est. 2. Quia moraliter certum est, plures tales infantium, qui una statim vel altera hora, aut certè brevi post partum, efferuntur ex domo materna ad Loca pia valde dissita, partim in via, partim in Ecclesia, ubi exponuntur, primùm amittere suam vitam, sicque perire; cum in iis locis, prout certò comperi, inter centum vix decem edant signa vitæ dubia. Nam infantes, si qui, ut verosimile est, veniunt vivi vita æterna, necessariò pereunt ob frigus & alias incommoditates, ac defectus fomentorum, quibus per ejusmodi deportationem exponuntur. 3. Quia nonnulli infantium bajuli testati sunt, gravius pondus se sensisse in infante post aliquamdiu continuatum iter, quàm ab initio; quod signum est valde probabile, infantes primùm in itinere obiisse. Cadavera enim plus ponderant, quam vivorum corpora. Verùm hæc omnia in duabus sequentibus Dissertationibus latiùs deduco, quibus subnecto *interrogatoria* & *observanda*, quæ circa ejusmodi infantes formari aut notari merentur, ut tutum de morte aut vita infantis ferri judicium queat.

DICES: Ex una parte certum est, dari in Ecclesia miracula circa ejusmodi infantes deportatos ad loca pia, prout patet ab exemplo relato superius ex S. AUGUSTINO, & ex relationibus *Bagattæ*, & *Gobati*; ex altera parte non est verosimile manente constanter in Ecclesia consimili devotione matrum cessare consimilem benignitatem Numinis; ex tertia parte illæ mutationes infantium jam diu sepultorum & fœtentium in colorem amœnum & odorem non cadavericum agnoscuntur à Medicis & Chirurgis, etiam Lutheranis, tanquam effectus supernaturales.

RESPONDEO: Ex una parte illud miraculum fuisse manifestum per signa certa vitæ ac indubitata. Ergo non est moris divini operari miracula in ordine ad collationem Baptismi dubia. Dein illo tempore dabatur specialis necessitas edendi miraculum apertum pro necessitate Baptismi parvulorum, quam eo tempore negabant Pelagiani. Hoc tempore autem, si Deus has suas operationes ordinaret contra hæreticos in confirmationem Religionis, deberet edere signa certa; si has ordinat in solatium Catholicorum, non opus est *miraculo*, sed sufficit *beneficium* conservatæ in infantibus vitæ, & retentæ in corporibus adhuc integris animæ necdum dissoluta unione, quamdiu adhuc in infantibus datur circulatio *sanguinis*, vel saltem *spirituum* circa partes cordi vicinas; quæ res sectione anatomica inveniri posset, si statim post edita signa & post receptum Baptismum deficientibus signis aperirentur. Posset enim sumi conjectura de tempore vitæ & mortis præcedentis. Hinc constanti matrum devotioni constans respondet *beneficium* Dei, ubi par præcedit fiducia & meritum. Quod attinet testimonia Medicorum & Chirurgorum, etiam Lutheranorum, in eorum testimoniis lego hanc clausulam: *Si omnia phœnomina recensita ita se habeant.* Itaque complexum illorum omnium phœnomenorum in uno eodemque subjecto aliquando verificatum esse, testimoniis indubiis probandum esset. Si probetur idoneis testibus, ipsus fatebor miraculum. Si verò illa phœnomena non reperiantur conjunctim in uno, sed divisim in diversis infantibus, iidem Medici & Chirurgi, si Physicam experimentalem noverint, certissimè dabunt, imo & dant, testimonium oppositum. Neque etiam Relationes BAGATTÆ & GOBATI ita exactæ sunt, ut ex iis formari queat certum de morte indubitata, aut de reviviscentia infantium judicium, prout consideranti patebit. Aut enim carent teste idoneo, aut deest signum præcedentis mortis, vel novæ vitæ infallibile.

Relatio P. BAGATTÆ sic habet:

„Admiranda Perennia circa Resurrectionem „Mortuorum.

„Coronidem imponant huic capiti, totique o„peri, quæ admiranda adhuc perennant cir„ca resurrectionem mortuorum.

„1. Eustachius Rudius in sua arte medica „lib. 2. cap. 60. de Abort. apud Petram Sanctam „de miraculis perpetuis, cap. 2. Est sacra ædes „Virginis Deiparæ in ditione Comitum Ortem„burgensium, inter fines Principatus Tirolensis, „quam incolæ, ac finitimi populi appellant, „S. Mariam de Luggau. Ad eam sacram æ„dem, si emortui fœtus statim a puerperio per„ferantur, super aram Virginis reviviscunt, do„nec lustrali fonte abluantur, & mox rursus mo„riuntur donati æternitate. Hujus autem rei, „inquit Eustachius, ne dum nos, verùm etiam „innumeri alii clarum & indubitatum testimo„nium reddere possunt; & Pater Fulgentius Ma„ria Kuen, Ordinis Servorum B. Virg. olim Præ„ses antedictæ Ecclesiæ, testatus est, ita omni„no esse, atque ibi librum exstare, in quem cùm „idoneis testibus nomina omnium referuntur „quotquot ad vitam infantes excitantur.

„2. Gumppenberg, de imag. B. Virg. Welf„sensteinensi, in Germ. Sup. Infantes sine Ba„ptismo mortui, ante hanc imaginem deferun„tur, & in præsentia idoneorum testium, indu„bia dant signa vitæ, & ritè sacris aquis abluun„tur.

„3. Idem,

„ 3. Idem, de imag. B. Virg. Sporæ, in Germ. „ Sup. Porro huic loco proprium est, jam ab „ antiquo in hodiernum usque diem; infantes si„ ne Baptismo defuncti, nonnulli etiam e sepul„ chro eruti, atque ab ipsa usque valle Telina „ huc portati, frequentissimè vitæ signa dant, ad „ Baptismum recipiendum sufficientia. Authen„ ticum instrumentum testatur, ann. 1652. 1653. „ 1654. viginti quinque eo modo revixisse, & „ baptizatos esse.

„ 4. Idem, de imag. B. V. de Libercourt, in „ Germ. inf. Miraculosa est in hodiernum diem „ hæc Sac. Imago: Gratiam præcipuam expe„ riuntur infantes sine Baptismo defuncti, qui a„ liquandiu per idoneos testes super altari positi, „ signa dant vitæ, & confestim baptizantur.

„ 5. Idem, de imag. B. Virg. Buriensi Busejl, „ in Lotharingia. Multi pueri in matrum utero „ demortui, ad Imag. hanc Buriensem propè Bu„ sceium vitæ restituti, ac piacularibus undis ab„ luti, iterum decessere.

„ 6. Idem, de Imag. B. Virg. Ecclesiæ Geldo„ niæ, in Germ. infer. Accurius ad hanc Sac. I„ mag. prodest omnibus, præcipuè tamen opem „ inveniunt sine Baptismo extincti infantes.

„ 7. Idem, de Imag. B. V. Bethuniensi, in „ Germ. infer. Duabus, qua ex urbe Insulensi „ Bethuniam itur, leucis, celebritatem obtinuit „ non vulgaribus miraculis hæc B. Virg. imago; „ Quorum celebrius erat infantum mortuorum „ ad vitam revocatio, ut sacro abluerentur Ba„ ptismo. Hoc Beneficium inviderunt nobis mi„ lites, qui subjecto igne templum cum Sac. Sta„ tua exusserunt.

„ 8. Joannes Bucelinus in Ann. Gallo-Fland. „ lib. 2. de Statua Virginis, quæ Fournis colitur. „ Observatum est, homines singulare beneficium „ ibi antiquitùs percepisse, & modò etiam impe„ trare; ut si quis prius extincti fuerint, vel quàm „ ab utero fundantur, vel quàm sacro latice tin„ gantur, horum multi tantisper vitam recipiant, „ si deferantur ante prædictam imaginem, donec „ eos quis unda Baptismatis abluat, & interdum „ quidem ad multos vitam annos producant.

„ Hactenus de Admirandis vires effectrices „ cujuscumque causæ procreatæ in Macrocosmo, „ & Microcosmo excedentibus. Omnia haud „ certè complexus sum, multa sine dubio super„ sunt; neque enim intellectus limitatus, memo„ ria labilis, cunctorum ignorantia scriptorum, „ librorumque defectus, omnia perlegere, ex„ currere, colligere, permisere. Ad ea, quæ se„ legi, procul dubio frangere, allidereque tu„ mentes fluctus suos incredulorum pertinacissi„ ma velit, nolit, cogetur superbia; his quippe „ Miris viduam, destitutamque eorum prægno„ scentes superstitionem, Orthodoxæ Religioni, „ tot tantisque præteritis, præsentibus, perenni„ busque decoratæ prodigiis, dummodo ratione „ potiantur, dare manus haud detractabunt. Fa„ xit igitur Deus. Votique mei compos ero, si „ uni tantùm ex tot Admirandorum rutilantibus „ splendoribus lumen veritatis illucescat, fidei„ que dogmatibus ab ipsis pertinaciter impugna„ tis, utpote tot divinitatis obsignatis characteri„ bus, tandem subscribant. Omnia autem sint ad „ Majorem Dei gloriam, ad laudem Sanctiss. Vir„ ginis Mariæ, S. P. N. Cajetani, & omnium San„ ctorum. Amen.

P. GOBAT verò in Theologia Morali Tom. I. Tract. 2. casu 8. num. 272. sic habet:

„ Quia in hoc capite fuit mihi sermo de Ba„ ptismo moriturientium, singulariter infantium, „ placet memorare hic, quod certissimis testibus, „ atque exemplis compertum est, infantes, qui „ mortui eduntur in lucem, consuêsse deferri iti„ nere quatuor, sex, octo dierum in Lotharin„ giam, ad urbem, cui nomen Mirecourt, atque „ ad imaginem Virginis Deiparæ, quæ magna ve„ neratione in Ecclesia Reverendorum Patrum „ Franciscanorum colitur, & ad quam, post mis„ sæ sacrificium, aliasque consuetas preces, par„ vuli illi edunt non raro talia vitæ indicia, ut „ sæpe nemo dubitet, quin verè sint anima præ„ diti, eamque ob rem tinguntur aqua Baptisma„ li, ac paulo post fiunt omnis sensus, motus, al„ terationis expertes, evolantque ad superos.

„ Vidi ego duo authentica instrumenta, te„ stantia ejusmodi (inter cætera plurima) mirifi„ cum reditum ad vitam, emigrationemque ex il„ la. Unum illorum instrumentorum habui in „ manibus circa annum 1659. de infante Rhein„ feldensi. Alterius, signati manu G. GENUIER „ Notarii Apostolici, copiam habui die 3. de„ cembris, anno 1666. quo hæc pro altera edi„ tione scribebam, de Filiolo Excellentissimi Do„ mini Joannis comitis de Montfort, accolæ no„ stri lacus Acroniani, *qui infantulus expers sen„ sus, & vitæ editus in lucem, delatus fuit (per„ urgente Illustrissima Domina Matre) in Mirecourt, „ spatio dierum octo, atque die 5. Septembris Anni, „ ut dixi, Millesimi, sexcentesimi sexagesimi sexti, „ sub horam septimam matutinam, deportatus ad „ imaginem Magnæ Dei Matris, post Liturgiam, „ atque alias preces consuetas ab iisdem Patribus „ chordigeris peractas in eum finem, ut intercessione „ gloriosæ Virginis infans restitueretur vitæ tanti„ sper, quoad posset per aquam Baptismalem regene„ rari cœlo, cœpit sanguine manare in umbilico, & „ cruribus, roseo colore tingi in vultu prius palli„ do, atque insuper perfundi guttis aqueis instar su„ doris.* Quibus curiosè conspectis tum ab aliis, „ *tum à Chirurgo, judicatum fuit, infantem illum „ verè vivere, ideoque adhibitis etiam Patrinis, & „ quidem duobus viris, duabusque fœminis, tinctus „ fuit ab Ordinaria, probeque probata Obstetrice un„ dis salutiferis, atque destinatus, ut inhumaretur „ in Monasterio Patrum Franciscanorum.* Hæc ex „ illo Gallico instrumento huc transtuli, ad„ dens, fuisse etiam sub annum 1650. similia „ circa mortuos sine Baptismo infantes patra„ ta ad statuam Beatissimæ Virginis in Brau„ neck, celebri oppido Tiroleos, in qua tunc „ degebam.

„ Supparia his ipsis hodieque peragi in ædicu„ la Lauretana ad Bruntrutum, urbem illustrem „ Ordinaria Residentia Reverendissimorum, & „ Celsissimorum Principum, Episcoporum Basi„ leensium didici abhinc tres hebdomadas à duo„ bus fide dignissimis viris, altero Sacerdote, al-

„ tero Laico. Non me fugit, fuisse à multis Sapientibus viris dubitatum, an ejusmodi infantuli essent ritu Christiano abluendi, eo quod „ indicia vitæ (inter quæ nonnunquam in Brauneck est excrementorum ejectio per alvum) incurrentia in oculos spectantium, viderentur „ esse potius præstigiæ, fascinatioque oculorum, „ quàm verus, vitalis, miraculosusque motus, „ vera vitalis actio, alteratioque.

„ Denique tamen sæpissimè repetita prodigia „ sustulerunt omnem fere dubitationem, præsertim in Mirecourt; idcirco judico omnino, posse hic, & debere tingi sacro latice saltem sub „ conditione.

„ Porro, quia fui in prius nominato oppido „ Bruntruto, novennium moratus, & anno 1625. „ quo inde ad hoc ipsum Collegium Constantiense missus sum à Superioribus, ne vestigium „ quidem illius Sacelli Lauretani exstabat, incessit me singularis, hisce jam scriptis, cupido „ comperiendi rationem, indubitatamque certitudinem rei, quam memoravi de Infantibus illius loci. Quare dedi die 15. Januarii anno „ 1667. litteras ad R. P. Jacobum Reiss Collegii „ Bruntrutani Rectorem, ad quas ipse respondit „ die 7. Februarii hisce formalibus: *Inquisivi fundamentaliter de Infantibus mortuis sine Baptismo, qui exponuntur in Sacello nostro Lauretano, etiam me ad aram faciente, & semel, iterumque inspiciente, quique quandoque ad vitam redire creduntur. Admodum R. D. Decanus Jobelot Parochus noster, & Sacelli illius supremus Inspector, sicut & æditius (sive ut Bruntrutani loquuntur, Lo brouder de lorette) bomo senex, & maturus concorditer asseruerunt, nullum unquam infantem mortuum in Sacello positum edidisse vel vocem sive ploratum bumanum, atque infantilem, vel manus, aut pedes movisse, attraxisseque ita, ut evidenter revixisse censeretur, sed tantùm fuisse animadversum, quòd tales parvuli aliquantulum moverint pupillam oculi, aut labiola, aut ex naribus aliquid halitus emiserint, quæ signa, quando deprebenduntur, ipsis potestas conceditur, ejusmodi infantulos sub conditione baptizare. Hæc, nec plura comperire potui.* Ita ille R. P. Rector, „ testis utique major omni exceptione.

APPENDIX I.

„ Quia concors Theologorum sententia fert, „ posse, imo debere animæ in extrema „ necessitate spirituali constitutæ adhiberi omnia „ probabiliter profutura media, saltem si hæc gratia non sint, in ejusmodi autem necessitate „ constitutæ sunt, vel maxime animæ corporis „ vinculis exsolutæ ante susceptionem Baptismi „ fluminis, flaminis, sanguinis, ostendimus verò „ in postrema parte hujus *casus octavi*, Baptismum „ fluminis probabiliter iis prodesse, si subministretur in Ecclesia Lauretana juxta Bruntrutum, quo major fides habeatur dictis, exhibeo „ in hac quoque quinta recusione hujus Tractatus, testimonium particularis eventus, qui in „ ea contigit mense octobri Anni 1659. aliorumque plurium indeterminate.

Datum his verbis:

„ *De circumstantiis, quæ circa Infantis Baptismum acciderunt, per testes oculatos in præsentia aliquorum etiam Sacerdotum, Domini Henrici Guesnin, Domini Melchioris Li Peure certiores facti affirmamus, testamur servatam esse legitimam Baptismi formam, signaque satis apparentia vitæ fuisse: manasse sanguine: sudasse: colorem mutasse, &c. Præstita juramento affirmarunt circumstantes: Sanguinis vestigia etiamnum in linteis apparent. Quapropter volui bæc pauca scribere, ut latori barum Casparo Schuarz purior fides babeatur. Non labitur mensis, quin aliqui in boc nostro Sacello Lauretano mortui nati infantes baptizentur, datis prius variis signis. Datum Bruntruti 20. Octobris, anni 1659.*

Joannes Erhardus Mathiat, Presbyter.
Henricus Guesnin, Presbyter.

„ Circa hoc testimonium notanda sunt sequentia. Primo. Esse descriptum ex ipsomet „ Chyrographo R. D. Mathiat, quod ego habui „ in manibus die 13. Octobris Anni 1670. Secundo. Illum Infantem fuisse filium Clarissimi D. „ Joannis Leonardi Kleinbrot Administratoris „ Oeningani pro Reverendiss. & Illustriss. Principe, & Episcopo constantiensi, qui dictum „ Casparum Schuarz ablegarat cum suo exanimi „ infante, in oppidum Mirecourt, de quo hoc „ ipso casu 8. num. 272. sed ex itinere fuit ab aliqua nobili Matrona deductus Bruntrutum. „ Tertio. Reverendiss. D. Vicarium Generalem „ Constantiensem, viso illo testimonio, quod „ supra descripsi, expresse permisisse, ut ille puerulus humaretur loco sacro; fuisse autem tumulatum 23. die à nativitate, & tamen non „ modo permansisse usque ad sepulturam prorsus „ incorruptum, omnique ingrato odore liberum, „ sed etiam ejus labiola fuisse rosea, sicuti mihi „ audientibus aliis, plusquam duodecim Religiosis, ac sæcularibus, asseverantissime, & perægre lachrymas continens dixit parens infantuli, „ omni fide dignissimus.

„ Ex quibus omnibus junctis toti relationi, „ quam legere est à cit. n. 272. & seq. deduco, „ parentes ejusmodi infantium mortuorum sine „ Baptismo, obligari in conscientia, ut confugiant ad tale salutis remedium, saltem si non „ distent nisi itinere bidui, aut tridui ab uno trium „ locorum supra nominatorum. Ratio est, quam „ tetigi superius, quod videlicet quilibet, & maxime Genitores teneantur procurare salutis remedia constitutis in extrema necessitate, si ea „ remedia sint, & non valde difficilia, & probabiliter profutura, certo tamen non obsutura; „ nec faciant Theologi hac in re discrimen inter „ media naturalia, aut supernaturalia, cùm non „ suppetat sufficiens ratio statuendi tale discrimen.

„ Ad iter octo, vel decem dierum, nollem „ quemquam obligare, cùm non videatur esse „ tanta difficultas subeunda propter remedium „ valde incertum, sicut est istud, & ideo quidem, „ quod forte neque omnes, qui deferuntur ad ea „ loca, edant ulla etiam dubia signa vitæ, neque „ sit

„ fit omnino exploratum, ea, quæ superius ex-„ pressi, provenire ex aliqua vitali actione animæ. „ Omnia proficisci, vel ab aliqua Sympathia, An-„ tipathiave inter loca, in quibus hæc patrantur, „ & tenella corpuscula, cum quibus patrantur, „ non credo, cùm à se invicem distent duo ex „ his tribus locis spatio facile duodecim dierum, „ sicuti & differunt materiæ, quibus constant. „ Esse meram imposturam malorum hominum, „ nemo prudens credet; Ergo est opus vel Dia-„ bolicum, vel Divinum; atqui in dubio, utrum „ aliquid procedat à Diabolo, an à Deo, præsu-„ mendum est provenire à Deo, si videlicet ille „ eventus accidit sine ministerio hominis, si au-„ tem cum ministerio, censet Sanch. in summa l. „ 2. c. 5. n. 48. esse adscribendum Cacodæmoni. „ Equidem perdifficile mihi videtur, damnare „ summæ inscientiæ, oscitantiæ, aut philadoxiæ „ omnes dominos Ordinarios eorum trium locc-„ rum, tolerantes hanc tam diuturnam consuetu-„ dinem: tot Parochos, Capellanosque studiose „ cooperantes huic negotio, ac Baptismo, si is „ superstitiosus, atque ab avernali genio intro-„ ductus est, & introductus, continuatusque post „ tot preces, tot missæ Sacrificia ab optimæ no-„ tæ Sacerdotibus (atque Ordinariè in Mirecourt „ ab ipsismet Patribus Chordigeris, ut retuli in „ hoc casu 8. num. 272.) oblata Deo, ut exoran-„ dam Divinam Majestatem, ut intercessione suæ „ Matris reducat in corpuscula sua illas animas, „ easque tantisper saltem in eis detineat, quoad „ animula edat signum suæ præsentiæ, restauratæ-„ que Divinitus unionis cum innocentissimo socio.

APPENDIX II.

„ Credibilitatem de revocatis ad vitam, bre-„ vem quidem, sufficientem tamen reci-„ plendo Baptismo infantulis, de quibus in præ-„ cedente appendice, augebit sequens

Multiplex prodigium Brasilum.

„ *Abacuci Christianæ gentis odio innatam feri-„ tatem acuente, antequam inirent prælium* (cum „ Brasilis Catechumenis, ducem certaminis, & „ victoriæ vatem habentibus Patrem Almeidam) „ *multos, in quos incurrerant, pueros sagittis confo-„ derant, & illorum cadavera per agros strata fe-„ ris, avibusque voranda reliquerant. Affecit ea „ miserorum cædes gravi dolore Joannem, illa potis-„ simum ratione, quod Sacri Baptismi expertes de-„ cessérant certæ damnationi obnoxii. Ergo, cælesti „ baud dubie instinctu motus, se dedit in preces: „ nec prius ab illis destitit, quàm intellexerit, fore, „ ut omnes ad vitam salutis æternæ obtinendæ causa „ revocarentur. Hac concepta fiducia, singulorum „ in brachia defunctorum corpora accipit, & ad se „ colligit arctius; mox pectori appressa infuso fovet „ spiritu. Mirum visu, dictuque: omnes ad vitam „ mortui continuo redierunt, eatenus tamen, quoad „ sacro abluti fonte, & candida innocentiæ veste in-„ duti ad beatam vitam, ex ipso pene lustralis un-„ dæ regenerantis utero pervolarunt.*

„ *Hæc à pluribus, & idoneis testibus Sacra-„ mento adactis, litteris prodiderunt Brasilicæ Pro-„ vinciæ Socii, de quorum fide dubitare nefas esset. „ Non alia res magis Joannem apud fideles, Ethni-„ cosque reddidit fama illustrem, effecitque, ut Ca-„ rigii illius moti consiliis patrias desererent sedes, „ & in proximam Lusitanorum Coloniam confestim „ iter arriperent.*

DISSERTATIO I.

De Baptismo infantium ad Imagines Thavmaturgas sera vitæ signa edentium.

I. Ex Relatis à *Bagatta* & *Gobatio* & *Urspergensi Canonia* constat, communem persuasionem esse, quod infantes ad Imagines Thavmaturgas baptizati in casu ibi exposito vere prius fuerint *mortui*, ac denuo *miraculosè* ad effectum obtinendi Baptismi gratiam *resuscitati*. Cum autem Concilium Tridentinum Sess. 25. de cultu & venerat. Sanct. prohibeat, *admitti nova miracula, nisi recognoscente & approbante Episcopo*, cui tum primum *veritati & pietati* statuere *consentanea* conceditur, postquam de præfatis miraculis *compertum aliquid habuerit*, mirum videri non debet, si in tali casu *ad publice asserendum* miraculum signa revivifcentiæ *certa* requirantur. Neque enim Concilio visum est, expedire ad honestatem & decorem Ecclesiæ Catholicæ, si repleatur & in plebe quasi fulciatur fama miraculorum solum tenniter probabilium, aut profecto valde incertorum, quorum facile à peritis in dubium revocari possit veritas, aut omnino experientiis physicis demonstrari falsitas. Hinc etiam Roma, ubi de *resuscitatione miraculosa* infantium ad Imagines Thavmaturgas agitur, in Rescriptis, S. Congregationis S. Officii anno 1729. 1737. & 1738. pro Canonia Urspergensi editis, *signa revivifcentiæ certa* exigit. Quamvis enim ad conferendum Baptismum, ubi nullum prætenditur *solenne miraculum*, sufficiant *signa vitæ dubia*, propter oblocutiones tamen Acatholicorum, etiam in hac parte signa certa requirenda duxit. Neque obstat; quod priori ævo minori cautela actum fit, quia ut SS. D. N. Benedictus XIV. in opere de Beatif. l. 4. c. 21. n. 29. observat: *Sanctæ Sedis disciplina est maximis laudibus cumulanda, si quasdam novas adhibeat diligentias, quæ olim non fuerunt adhibitæ, ut obstruatur os loquentium iniqua.* Illud Rescriptum Romanum etiam ea de causa commendandum est, quia sæpe contingit, à populo aut ab imperitis ea indicia recipi tanquam signa revivifcentiæ dubia, quæ nequidem signorum dubiorum seu probabilium nomen merentur, prout quæst. 2. Notando. 2. ostensum est.

II. Cum autem ex iis, quæ à patronis Baptismi in favorem revivifcentiæ adducuntur, signis, vix certitudo miraculi ante tentamina Physicorum, circa ejusmodi infantes instituenda, concludi possit, examinandum in hac Dissertatione duxi, quod dici possit; plurimos ex iis infantibus, qui ex utero

utero habentur pro mortuis, revera non esse mortuos, sed adhuc per plures dies, v. gr. triduum, septiduum, imo decendium, continuare vitam, etiamsi exterius nulla appareant sufficientia ad conferendum Baptismum vitæ indicia. Hoc supposito *extremus quidam naturæ in Infantibus conatus*, gratia Dei adjutus vel excitatus, ad edendas in sensibus externis operationes vitæ, quamvis non pertingat ad causandas operationes vitæ indubitatas, pertingere tamen posset ad efficiendas, in partibus extimis operationes vitæ *saltem dubias*. Cum autem in hac explicatione non agatur *de miraculo*, sed de speciali *beneficio* Dei, sua gratia conatus naturæ adjuvantis, *indicia vitæ dubia* ad conferendum Baptismum conditionatum facilius admitti possent. Dixi: *ante tentamina à Physicis instituenda*. Sic enim sentio; æquitati consentaneum esse; ut ii, qui omnes mutationes in ejusmodi infantibus deprehensas naturæ in vero cadavere operanti tribuunt, aut experimentis Physicis in veris infantium cadaveribus simillimos effectus demonstrent, aut beneficium Dei in conservanda vel restituenda infantibus vita agnoscant. Ut autem hic modus explicandi verosimilis appareat, sic discurro.

III. Miraculum est, quod excedit vires totius naturæ creatæ tam corporalis, quàm spiritualis in moderna providentia. Econtra non miraculum, sed Beneficium est, quod etiam in moderna providentia non excedit vires totius naturæ creatæ corporalis vel spiritualis, saltem adjutæ vel excitatæ per gratiam. Sic enim non est miraculum, sed beneficium, si Deus mediante ministerio Angelorum ad preces populi reducat serenum, aut conferat pluviam; neque enim etiam in moderna providentia excedit vires naturæ Angelicæ, diducere nubes, vel movere vapores acris ab una regione in aliam; multo minus miraculosum est imperium Dei, quo Angelos jubet vel sinit ita suis operationibus succurrere miseris. Idem dicendum de operationibus Beatorum spirituum post exutam carnem feliciter in cœlis cum Christo regnantium, si imperio vel permissione divina sinantur suo vel Angelorum auxilio juvare clientes, cum ibi inter Sanctos, & inter Angelos regnet una, concors, socia, & semper expedita charitas. Sic etiam non ad miraculum, sed ad *beneficium* est referendum, si Deus immediatè vel mediatè ministerio Angelorum ad invocationem ægrotantium suggerat Medico, Chirurgo, amico, vel ipsi ægro bonum consilium ad applicandum potius hoc, quàm illud, aut potius isto, quàm illo modo, remedium. Vel si ægro inspiret quandam alacritatem animi, per quam excitetur naturæ activitas ad cooperandum facilius medicinæ, de se insufficienti ad exerendas suas vires in languentis simul animi languido corpore. Similiter ad *beneficium* referendum, non ad miraculum adscribendum est, si Deus immediatè vel ministerio Angelorum ad benedictiones Ecclesiæ inhibeat operationes dæmonum, fuget pestes & nociva animalia, aut etiam augeat activitatem minimarum partium in medicina, organis internis, cibo, potu, & aliis conservandæ ac reducendæ sanitatis adminiculis. Hæc descriptio Miraculorum ac beneficiorum conformis est communi sensui fidelium & Doctorum. Illi enim neutiquam à se posci miraculum existimant, dum sanitatem, tempestatem bonam, effugationem animalium nocentium, compressionem dæmonum, aut benedictionem ciborum, agrorum, & medicinæ &c. postulant. Itaque non ad miraculum sed ad beneficium referendum foret, si in homine apoplexia aut syncope correpto, aut aquis submerso, aut exhalationibus suffocato, jamque omni externo vitæ indicio per multas horas destituto, naturæ vires per gratiam Dei vel ministerium Angelorum adjutæ novum ac veluti extremum conatum adhibeant ad exterius edendas operationes vitæ, si non certas, saltem dubias, prout in morientibus non raro contingit.

IV. Jam verò infantes plurimos, qui ex utero materno habentur pro mortuis, *submersione* aut *suffocatione* vel syncope vel strangulatione per nervum umbilicalem venisse in eum insensibilitatis statum, verosimillimum imo certum est. Cum enim certum sit, infantes intra secundinas uteri materni conclusos detineri in integro veluti stagno humorum, quos alvus in partu effundit, facile contingit, partus jam perfecti per contorsiones maternas aut alios vehementes motus maternos vehementer agitati aperiri jam perfecta oris vel narium ostiola, sicque vel intromisso humore eos *submergi*, vel turbato illo stagno fæculento humorum turbatisque proin rectilineis humorum poris, per quos aer circulabat in infantem, *respirationem* infantis *intercipi*; vel denique apertia narium ostiolis transire in tenellum infantis cerebrum tetrum odorem ex commotis omnibus maternis humoribus; sicque *causari* repente *apoplexiam* aut *syncopen*. Causæ horum effectuum existunt & sufficiunt. Itaque necesse est; plurimos infantes, qui ex partu habentur pro mortuis, vel ex submersione, vel ex suffocatione, vel ex apoplexia seu syncope in eum statum insensibilitatis devenisse.

Dixi: Aliquando in infantibus respirationem intercipi ex turbatione pororum rectilineorum in humoribus maternis. Constat enim; aerem facilius transire per poros corporum rectilineos, quam turbatos & agitatos, utpote à transitu libero impeditum per innumeras reflexiones ex partibus elasticis agitatis. Quod enim infantes in utero materno non attrahant aerem per nares, nec per os, nec per solum umbilicum, sed per poros sui & materni corporis, & per poros humorum ambientium, suppono aliunde demonstratum.

V. Restat proin, ut ostendam; submersos, suffocatos, Apoplecticos, & hujusmodi, per plures dies, etiam triduum, septiduum, imo & decendium & ultra, sine omni sensibili vitæ indicio persistere ac pro mortuis haberi posse, etiamsi necdum fuerint revera mortui. Exempla hujusmodi hominum vitam per plures dies in statu totalis insensibilitatis protrahentium refert Zachias, & S. D. N. Benedictus XIV. l. c. Prior l. 4. Quæstionum Medico-legalium tit. I. q. II. n. 2. sic scribit: „De *Ælio Tuberone* Plutar-„ chus de serp. numin. meminit, quod de sublimi „ loco in cervicem delapsus, ictu absque vulnere „accepto,

„ accepto, mortuus (hoc est, pro mortuo habi-„ tus) est, tertiaque post die sub ipsam funera-„ tionem revixit. Mirabilius est, quod de *Ere Pampbilo* narrat Valerius Max l. 1. c. 8., quod „ revixerit post decimum diem, qua mortuus „ fuerat. Multo majorem admirationem affert, „ quod *Sigismundus Liber* in suis Moscoviæ Com-„ mentariis & ex eo Delrio memorat; homines „ quosdam Lucomoriæ trans flumen Obium in „ montibus positum sub finem mensis Novem-„ bris obdormire, seu ut Sigismundus inquit, mo-„ ri; post hæc sub finem subsequentis Aprilis re-„ viviscere. Similia apud *Herodotum* legi l. 4. „ Nescio an de eisdem populis loquatur; eos ta-„ men sex mensibus dormire narrat. *Marcellus Donatus* l. 4. Hist. Med. c. 12. refert, tempore „ Gregorii XI. quendam Scholasticum (Lubecen-„ sem) septem annis dormivisse, excitatumque „ unam se noctem dormivisse sibi persuasisse. „ *Giraldus* testatur in Hist. Poet. Dial. 4., in Ger-„ mania rusticum quendam per totum autumnum „ universamque subsequentem hyemem dormi-„ visse. *Cromerus* l. 1 Hist. Polon. narrat, Hi-„ rundines implicitis inter se pedibus congloba-„ tas in lacus & paludes sub hyemis initium se „ immergere, nec excitari usque ad novum ver; „ capi autem à piscatoribus hyberno quoque „ tempore fine ullo sensu & motu aut vitæ admi-„ niculis, sed igni admotas reviviscere, licet illico „ ab externo ambientis aëris frigore de novo ex-„ tinguantur. Apes quoque oleo enecatas ace-„ to reviviscere dicunt, & quomodo id fiat, re-„ censet Licetus l. 1. de sponte vivent. c. 39. Mu-„ scas item & Apuas post mortem reviviscere te-„ stis est Cardanus l. 9. de subtil. in fine. His „ observationibus collectis à PAULO ZACCHIA „ addo, me Romæ apud Superiorem Ecclesiæ „ Germanicæ vidisse testudinem jam ad minimum „ sexagenariam, utpote jam à tribus successivè „ Dominis alitam, quæ ineunte vere incipiebat „ manducare usque ad autumnum. Sed ab au-„ tumno usque ad ver insequens manebat in sua „ testudine inclusa sine ullo cibo & potu, & si-„ ne ullo motus vel sensus indicio. Non igitur „ mirum, si etiam infantes, quibus nec os, nec „ nares, nec oculi, nec aures hactenus in utero „ aperta fuerant, diu fine motu & sensu post par-„ tum continuent vitam internam.

Cæterùm quod ad præsentem casum propius attinet, Paulus Zacchias l. c. n. 27. sic pergit:

„ Quia contingit in examine hujus miraculi „ dubitare, an is, qui resurrexisse præsumitur, „ mortuus verè esset, necne, idcirco quatuor „ puncta discutienda veniunt. *Primum* est, ut e-„ narremus eos morbos, ex quibus homines in-„ terdum contingit ita affici, ut omnino pro mor-„ tuis judicari possint, hinc morbo discusso à mor-„ te suscitari. *Secundum*, an possit homo absque „ ullo sensu & motu vivere, ita ut à verè mor-„ tuo nequaquam discerni possit? *Tertium*, quot „ diebus in eo morborum statu homo vivere ad-„ huc præsumi possit, motu & sensu jam orbatus? „ *Quartum*, quibus potissimùm signis distingui pos-„ sint aliquo morbo detenti ab his, qui jam verè è „ vita excesserunt?

D. Amort Tract. de Bapt. & Confirm.

„ CIRCA PRIMUM dicendum, tres præci-„ pue morbos esse, in quibus solet homo ali-„ quando absque ullo sensu & motu permanere, „ & mortuo simillimus apparere. Hos esse apo-„ plexiam, Syncopen, uteri suffocationem. Ad „ Apoplexiam revoco Epilepsiam, quando ita „ fortis fuerit, ut ab apoplexia forti distingui non „ possit. Ad Apoplexiam item revoco suffoca-„ tionem ex aqua; quia licet vulgo persuasum sit, „ aqua submersos, quod multum aquæ hauriant, „ perire, tamen suffocari potius constat, quod „ respirare non possint. Ad eundem morbum re-„ voco suffocationem ex laqueo. Nonnulli e-„ nim, cum per plures horas pependissent, & eo-„ rum corpora tradita essent aut vespillonibus, ut „ sepulchris conderentur, aut Anatomicis disse-„ canda, inter opus revixerunt. Ad eandem A-„ poplexiam revocandi, qui ex carbonum fumo „ strangulantur. Ad eundem effectum revocan-„ da suffocatio ex ebrietate, ex vapore vini, aut „ cerevisiæ, cum ebulliunt; ex fulminis ictu; ex „ cerebri percussione & concussione, ut in iis, qui „ ex alto cadunt; ex aëre item corrupto exspi-„ rante ex cavernis, puteis, subterraneis locis, ex „ fossis, in quibus frumenta asservantur, & cloa-„ cis, sentinis, & hujusmodi. Huc etiam revo-„ canda suffocatio ex fumo Mercurii, Arsenici, „ & similium medicamentorum; & denique huc „ revocanda suffocatio vel animi defectus ex pe-„ ste: multi enim ob tetrum corruptumque va-„ porem pestilentem animo linquuntur atque de-„ ficiunt, ut omnino mortui appareant, cum ta-„ men adhuc vivant. Aliqui eorum, qui aliquo „ ex his modis afficiuntur vel suffocantur, ali-„ quando post duos aut tres dies ad vitam revo-„ cantur. De quibus omnibus exempla vide a-„ pud *Schenkium*, & *Dominicum Terill.*; peculiariter „ autem de suffocatis, & de aqua submersis.

„ CIRCA SECUNDAM dubitationem, quo-„ modo fieri possit, ut homo absque ullo sensu & „ motu, etiam ipsius pulsus & respirationis vivat, „ dicendum, boc realiter nequaquam possibile es-„ se, quia privatio respirationis est ipsa mors. „ Aliqui ergo dixerunt, in Apoplecticis & hujus-„ modi servari tantummodo respirationem, quam „ sufficientem esse volunt ad vitam utcunque „ conservandam. Respectivè ergo ad nos, & sen-„ sum nostrum homo potest absque ullo sensu & „ motu, etiam pulsus & respirationis vivere, ita „ ut à verè mortuo vix, ac ne vix quidem digno-„ sci valeat. Sic enim concludunt omnes Autho-„ res supra citati, *Averroes*, *Galenus*, *Valesius*, *Gor-„ donus*, *Altomara*, *Massaria*, *Fidelis*, *Mercatus*, *Fa-„ britini*, *Sennert*, & alii.

„ CIRCA TERTIUM, dicendum videtur, „ quod ultra terminum trium dierum cum tanto „ morbo, qui hominem quoad nos sensu & motu „ privet, vitam esse superstitem pro impossibili „ sit existimandum; & hoc dico universaliter lo-„ quendo de omnibus prædictis morbis. „ Ita quidem Zachias; verùm, si admittantur quæ di-cit, solùm de iis intelligenda erunt, qui jam ali-quando gavisi sunt perfectè aura vitali per aper-tionem pulmonum, tracheæ, oris, & narium, non de infantibus, qui octo aut septem mensibus in utero tantùm traxerunt aërem per poros cor-

poris in ordine ad motum spirituum vitalium in nervis. Nam aër externus per pulmones potius ordinatur ad motum sanguinis hydraulicum & ad motus membrorum, puta pedum, brachiorum, linguæ, oculorum mediante sanguine. At verò in infantibus, qui per plures in materno utero menses jam sunt assueti soli transpirationi, & in quibus pori illi adhuc aut aperti aut facile aperibiles sunt, ad conservandum præcise motum internum spirituum vitalium latior terminus sic continuandæ vitæ assignandus est etiam ultra triduum, aut septiduum.

„Circa quartum Medici ad nonnulla „experimenta confugiunt ad dignoscendum, an „homo verè mortuus sit. Gossipii vel lanæ tenuissimæ carptæ flocculum, vel accensam candelam ori jacentis admovent, vel cyathum aqua plenum super ægri pectus imponunt, & ex „flocculi, ignis, vel aquæ motu vitam explorant. „Sed has experientias parvi pendit Hollerius. „Alii speculum tersissimum ori admovent, quod „si offuscari deprehendant, vivere ægrotantem „dicunt. Optassem ut alia tutiora experimenta „adduxissent. Nonnulla ego subdam. Si Syncope absque ulla causa manifesta adveniat, atque illico æger omni motu & sensu etiam pulsus & respiratione destitutus appareat, cum faciei lividitate, cum tenui ac frigido sudore, pallore, & intensa partium frigiditate. Contrarium tamen sentire videtur Mercatus. Si præterea facies apparuerit livida & nigricans aut viridis, mortis signum. Si item sternutatoria naribus applicata fuerint, & ille non sternutaverit, omnium consensu pro mortuo judicandus. „Præter hæc membra in mortuo rigida evadunt, „nullo modo flexibilia, squallor item, ac siccitas „quædam membrorum adnotatur. Postremo oculi, ubi homo vivit, tantisper fulgere, & intuentium imaginem reddere solent. His accedit unum aut alterum infallibile mortis signum, „partium nempe ant partis alicujus livor, & æstuatio cadaveris, & fœtor ex ipsius jam putredine ortum ducens. Est enim fœtor proprium „accidens putredinis, quo præsente dubio absque „dubio non est locus.„ Hucusque Zachias. Verùm nec istud ultimum est certum mortis indicium. Ipsemet morienti religioso jam prope septuagenario adstiti, qui pluribus ante mortem horis diffundebat per cubiculum odorem cadavericum. Potest enim ille fœtor oriri à partium internarum putrefactione, quæ, ut ipsemet Zachias l. 5. tit. 2. q. 9. n. 52. fatetur, præ aliis citissimè putrescunt. Facile autem contingit, partes aliquas interiores putrescere, nempe sitas sub Diaphragmate, aliis superioribus salvis remanentibus, prout in Gangræna fit.

VI. Prædicta confirmantur ex iis, quæ scribit SS. D. N. Benedictus XIV. de Beatif. l. 4. c. 21. n. 11. his verbis: „Trium dierum spatium „in his, qui sunt apoplectici, nonnulli requirunt, „ut tutum de eorum morte ferri possit judicium. „Ita Schenkius. At alii censent; distinguendum „esse casum à casu. Vel enim sermo est de apoplectico? Et septuaginta duæ horæ necessariæ „esse videntur, ut tutum ferri possit de morte „judicium. Ad apoplexiam autem revocantur „suffocatio ex aqua, suffocatio ex laqueo, strangulatio ex fumo carbonum, suffocatio ex ebrietate, ex fulminis ictu, ex cerebri percussione, ex fumo Mercurii, animi defectus ex peste. „Vel sermo est de Syncope affectis, quæ distinguitur à Lipothymia, tempus viginti quatuor „horarum sufficiens est. At in Syncope & hystericis passionibus non modo quartum diem, „sed septimum & ultra esse exspectandum, ut tutum ferri possit de morte judicium, ostendere „conatur Medina *de rectâ in Deum fide* l. 2. c. 7. „Est enim doctissimorum Medicorum usu compertum, nonnunquam in quartum, nonnunquam in septimum diem bujusmodi languidos „durare; *neque, si rem exactè dispicias, aliquid obstat, „quo minus ampliori temporis spatio, quàm septem diebus „quis perduret, præsertim in Syncope & Hystericis* „(hoc est, uterinis mulierum) *passionibus*. Sed à „communi sententia non videtur esse recedendum.„ Ita Pontifex.

Ex his omnibus colligitur, mortem infantium, qui à præfata adultorum regula excipiendi sunt ob assuetudinem transpirationis, frequenter non esse certam ante triduum, septiduum, vel decendium, & ultra.

Huc pertinet, quod in eruditis Novellis Ratisbonensibus 1751. Hebdom. IX. ex Anglia refertur; Non ita pridem obierat repentina morte, ut putabatur, Præco cujusdam pagi prope Bristolum siti, Richardus nomine. Amici insepultum detinuere per biduum. Tertio die, cum sepulturæ commendare vellent, advertunt, cadaver esse aliquantisper calidum, & flexile. Itaque advocant Chirurgum, qui, cum secasset venam, sanguis tanto impetu crupit, ut difficulter sisti posset. Declarat proin; Richardum non esse mortuum, sed eum quadam specie deliquii, seu syncope, detineri. Ea de causa tentabantur omnia media, ut restitueretur sensibus; sed irrito omni conatu. Cum ergo cadaver nec minimum ederet signum vitæ, sepeliebatur die sequente, nempe quarto. Contigit autem brevi post sepelitionem, ut persona quædam veniret in Ecclesiam, quæ in aliquo sepulchrorum quidpiam se movere audiit. Adiit igitur eeleriter scrinarium, qui adveniens etiam ipsemet quidpiam vivum in sepulchro Richardi detineri advertit. Aperit proin sine mora sepulchrum & sarculum, sed serò nimis. Repererunt enim, quod cadaver copiose sudavit, & ex naribus stillarit sanguinem. Ex hoc concludebatur, Richardum necdum fuisse mortuum, dum sepeliebatur, sed eum primùm fuisse suffocatum in sarculo.

VII. Idem fat luculenter ostenditur ex recentioribus Observationibus Anatomicis. Ex his enim patet, Infantes in utero materno habere quandam circulationem sanguinis sine usu, dilatatione, contractione, aut respiratione pulmonum. Certum est, illam circulationem sanguinis fieri ope cujusdam *foraminis ovalis*, quod ex vena cava & dextra cordis auricula immediatè aperitur in sinistrum cordis ventriculum, & quod non semper statim obstruitur post partum. Itaque non repugnat, Infantes post partum aliquamdiu continuare circulationem sanguinis abbreviatam

tam

tam fine ullo motu & ufu pulmonum. Hoc principium fufe explicatur in VERHEYDEN, & in Actis Academiæ Regiæ Parifienfis 1699. 1701. 1703. 1717. & 1725. VERHEYDEN in Anatomia Edit. Colon. 1712. tract. 5. c. 19. de circulatione fanguinis in fœtu fic fcribit: *Habetur circulatio fanguinis fœtui propria circa ipfius cor per vias eum in finem fpecialiter fabricatas, quibus fcilicet maxima pars maffæ fanguineæ tranfit per finiftrum cordis ventriculum & per aortam non transeundo prius per pulmones. Illæ autem viæ fpeciales funt* (ovale) *foramen inter venam cavam, & venam pulmonalem; item tubulus brevis arteriofus inter arteriam pulmonalem, & aortam defcendentem. Per hunc tubum magna fanguinis portio è dextro cordis ventriculo in arteriam pulmonarem injecti tranfit rectà in aortam defcendentem. Sunt igitur foramen ovale & tubus arteriofus eum in finem confecta, ut major maffæ fanguineæ portio abfolvat fuum circulum non transeundo per pulmones. Fit igitur fanguinis circulatio in fœtu hoc modo. Magna pars fanguinis è vena cava tranfit per foramen ovale in truncum venæ pulmonaris; inde influit in ventriculum cordis finiftrum. Ille autem fanguis, qui in vena cava foramen ovale fubterfugit, tranfit in ventriculum cordis dextrum; è ventriculo expellitur in arteriam pulmonarem, indeque ftatim magna ejus pars tranfit per tubulum arteriofum in aortam defcendentem. Altera pars profequitur vias per arterias & venas pulmonares ufque ad finiftrum cordis ventriculum, atque inde per conftitutionem pellitur in aortam cum fanguine, qui venit per foramen ovale. Cum autem aorta defcendens multum occupetur per fanguinem confluentem ex tubulo arteriofo, evidens eft, eam non poffe capere multum fanguinis ex finiftro cordis ventriculo; adeoque hunc fere totum, aut faltem pro parte longe maxima diftribui per partes fuperiores. - - Porro verofimile eft, præfatum fanguinis circuitum non folùm fieri in fœtu animato, fed etiam anima nondum infufa; quia fœtus animatio præfupponit aliquam membrorum confectionem. Neque ftatim poft nativitatem omnino ceffat idem fanguinis curfus per foramen ovale & tubum arteriofum; quia hæ viæ nequaquam fubitò, fed fenfim & decurfu temporis clauduntur.* Et C. 20. *Foramen ovale, & tubulus arteriofus fenfim clauduntur, dum liberè refpirat. In cadavere infantis duobus à nativitate menfibus extincti inveni & foramen ovale & tubulum arteriofum adhuc modicè pervia.* Hucufque Verheyden. Ex his ergo manifeftum eft, infantem, cui per fuffocationem, fubmerfionem, ftrangulationem, Apoplexiam, vel Syncopen, prohibetur ufus pulmonum pro refpiratione, adhuc poffe per plures dies continuare circulationem & vitam latentem, quamdiu abeft putrefactio partium.

Idem confirmatur, & eruditè per varia Medicorum fyftemata deducitur in ACTIS ACADEMIÆ PARISIENSIS anno 1699. 1701. 1703. 1717. & 1725. In *Actis* 1717. Edit. Amft. f. 23. fic habetur: *In foramine ovali in fœtu reperitur valvula feu membrana, fed ea non impedit, quin fanguis liberè transeat ex dextro in finiftram, & ex finiftro in dextram partem. Ejus ufus folùm eft, ut poft partum obftruat foramen. Itaque ante partum fanguis duarum auricularum cordis & duorum ventriculorum fefe permifcet, & fœtus eft in eo ftatu, ac fi ejus cor haberet tantùm unam auriculam & unum ventriculum; hinc etiam non refpirat; & confequenter eft in eodem ftatu, in quo funt animalia carentia pulmonibus veris, qualia funt pifces; vel quæ non habent perpetuum ufum pulmonum, qualia funt animalia amphibia, v. g. teftudines, & ranæ. Conftat enim, quod omnium horum animalium cor habeat tantùm unam auriculam & unum ventriculum.* In ACTIS ACADEMIÆ 1701. fol. 46. refertur, quod foramen ovale adhuc apertum fuerit inventum in homine quadraginta annorum. In ACTIS EJUSDEM ACADEMIÆ 1725. *dans Memoires* fol. 36. refertur, quod etiam in octo infantibus, quorum quatuor jam erant trium vel quatuor annorum, pariter foramen ovale adhuc fuerit apertum poft mortem inventum. Itaque nil repugnat, infantes carentes refpiratione, etiamfi non appareat exterius vitæ indicium, poffe adhuc habere circulationem & vitam internam, ficque fanguinem accedente alteratione tranfpirantis per poros aëris, & excitato quodam *extremo naturæ morientis conatu* poffe propelli in vultum, auriculas, & labia.

OBJICIES I. Si alterationes coloris provenirent à latente infantium vita, verofimile eft, inter tot infantium millia, quæ venerunt, ad loca pia, v. g. Urfpergam, faltem aliquoa per extremum naturæ conatum perventuros fuiffe ad alia manifefta figna vitæ, v. g. motum oculorum, vocem; fed id nunquam contingit.

RESPONDEO: Id confecuturum forte fuiffe, fi corpora horum infantium fuiffent debitis fomentis confervata, & non tam liberè frigido ac rigido aëri in Ecclefia aut Propylæo expofita. Certè in uno aliquo veniffe *calorem & fudorem* ex certa Relatione conftat. Narrabat mihi Sacerdos fide dignus, quod cum aliquando fungeretur cura parochiali, infanti, qui habebatur pro mortuo, illiniverit balfamum Braunfchoberianum, quod balfamo Bori fimile eft, & infans ftatim refpiraverit ac emiferit vocem; quo figno edito illum baptizavit. Infans autem poft mediam horam obiit. Dein, cum infantes in utero nunquam habuerint ufum pulmonum, qui requiritur ad vocem, & inflandos mufculos, ut patet ex animalibus in *Antlia pneumatica* pofitis; & pulmonum contractarum craffities à tenui circulante fanguine fuperari nequeat, *extremo conatu naturæ* in infantibus plus præftari non poterit, quàm ut fanguis fluidior propellatur verfus caput & pectus.

IN CONFIRMATIONEM prædictorum, quod infantes ex utero pro mortuis habiti poffint continuare vitam inteftinam per aliquot dies fine omni fenfibili figno vitæ externo, addo recens exemplum, quod ante quatuordecim in Parochia Regulari, Canoniæ noftræ Pollinganæ incorporata contigit. Mulier quædam honeftæ conditionis die 25. Augufti 1750. hora pomeridiana circiter fexta poft exantlatos quatuor horarum dolores infantem mafculum, mortuum, ut credebatur, peperit. Maritus, quem ad me vocaveram, vir cordatus, & prudens, teftabatur, quod femiquadrante ante enixionem actualem fœtus manifeftè vitam in illo deprehenderit. Animadvertebat enim attactu, quod infans fortiter fuis pedi-

pedibus presserit latera uteri, ut sic facilius promoveret exitum. Infans ex utero editus habuit colorem rubeum vividum, qui tamen paulo post in cæruleum transiit. Nervus umbilicalis in ipso partu deprehensus est circumligatus collo, ac sub axilla brachii ab humero versus pectus protensus. Adhibito per diem alterum novies ut fieri solet, balneo calido, ac tandem frigido, applicatis etiam spiritibus & rebus odoriferis, nullum tamen signum vitæ deprehensum est. Itaque maritus tertio die, nempe die 27. Augusti, mane sumit infantem, eumque defert Urspergam, ubi ad noctem advenit. In medio viæ infantem deposuit in quadam Capella ad quandam imaginem B. Virginis, quò etiam deportari olim solebant ejusmodi infantes. Ibi considerans infantem deprehendit, colorem cæruleum iterum mutatum esse in rubeum & sanguinem manasse ex naribus. Die 28. Augusti mane detulit infantem ad Ecclesiam Urspergensem, ibique peracta sua devotione considerans denuo infantem advertit, non tantùm colorem in labiis & genis & naribus esse rubeum vivacissimum, eum novis guttis sanguinis, quæ manaverant ex naribus & ore, sed etiam os infantis, quod prius erat clausum, nunc esse apertum. Cum ergo attente consideraret vultum infantis, vidit in præsentia P. Bernardi Gadinger, Presbyteri Urspergensis, quod infans octies circiter moverit linguam, eam ad labia protendendo, ac denuo retrahendo. De cætero maritus iste mihi testabatur, se in infante nec post partum, nec altero die, nec in via, nec *Urspergæ* ullum notabilem odorem cadavericum advertisse. Censeo proin; in hoc infante, suffocato vel strangulato in partu, vitam intestinam remansisse, quæ in extremo conatu naturæ morientis beneficio Numinis ad sui manifestationem quandam vires suas exeruerit.

Similem protensionem linguæ se observasse testatur mihi D. Augustinus Hafner, dum ante decem circiter annos in sua Parochia Attenchoven ad suam Ecclesiam deferretur infans jam per quatuor septimanas in cœmeterio infantium sine Baptismo defunctorum sepultus, sed ad instantiam matris, quæ infantem Deo voto obstrinxerat, denuo erutus, ac repertus coloris vivacis rubei. Postquam enim illum per triduum Catholicis & Hæreticis turmatim accurrentibus spectandum exhibuerat, semel advertit, quod infans linguam versus labia protendat.

Huc servit experimentum ex Physica. Nam quando per novum genus microscopii inspiciuntur vermiculi, v. g. pediculi, trans radium solarem in obscurato cubiculo, jam emortuus exterioribus membris, omnique motu destitutis observatur adhuc interna *æstuatio* humoris, seu sanguinis, in pectore, hoc est, ejus pressio versus exteriora organa jam obstructa & repressio.

Idipsum confirmat infans Urspergam delatus eo tempore, quo ibi versabar in commissione. Præsentatus mihi ibi fuerat tertio die post partum, evolutis à partu horis circiter triginta sex. Color illi erat rosaceus; fœtor nullus; summa membrorum flexilitas; frigus vix ullum; mollities carnis in genis & pectore; oculi non valde obscuri; solum cranium fuerat in partu compressum & diffractum. Omnibus bene expensis interrogavi duos Chirurgos; utrum in illo infante reperiant aliquod *infallibile* mortis signum? Responderunt ambo coram pluribus astantibus; se *infallibile* mortis signum non reperire.

Dissertationem claudat alius infans, de quo mihi testatur quidam, ut supra dixi, amicorum, olim munere parochiali functus, quod pro exanimi habito applicaverit certum genus balsami, Pori-balsamo simile, quod ex urina conficitur. Infans post applicationem manifesta signa vitæ per vocem edidit; baptizatus est; & intra semihoram obiit.

Itaque verosimile est; facile contingere posse, ut intra centum vel mille infantes pauci aliqui infantes pro mortuis habiti vitam intestinam aliquamdiu continuent, atque in ultimo agone seu extremo naturæ conatu in membris exterioribus diffusione spirituum residuorum *dubia* aliqua signa vitæ latenter continuata proferant. Neque enim existimandum est, ab omnibus infantibus ad loca pia, v. g. Urspergam delatis edi signa vitæ, seu, ut ajunt, reviviscentiæ dubia, sed ea sors inter decem vix uni contingit, prout mihi compertum est. Non est autem incredibile, inter decem infantes, qui ab obstetricibus habentur pro mortuis, saltem in uno adhuc latere aliquamdiu intestinam vitam, obstetricibus & imperitis aliis incognitam.

Objicies 2. Hunc morem baptizandi infantes, pro mortuis habitos judicio Fidelium & Chirurgorum ac Medicorum, esse antiquæ Ecclesiæ incognitum, & absurdum.

Respondeo: Non esse antiquitati incognitum, baptizare eos, de quorum superstite vita habetur prudens dubium, etiam judicio Medici aut Chirurgi *periti*. Peritus autem hoc tempore dici nequit, qui negat, vel non curat recentiores observationes ex Verheydenio, & ex Actis Academiæ Regiæ Parisiensis relatas. Quod attinet absurditatem, ea tota ferme tollitur, si Fideles severè prohibeantur portare aut mittere ejusmodi infantes ad loca pia, præsertim remota itinere unius diei, aut statim una vel altera hora post partum, & Baptismus in casu vitæ dubiæ administretur à Parochis propriis. Dein si qua superesset absurditatis species, ea *incomparabiliter minor* foret, quàm in Baptismo infantium adhuc existentium in utero materno *per Siphones*, quem tamen SS. D. N. Benedictus XIV. in l. *de Synodo* non est ausus condemnare.

Objicies 3. Saltem *complexum indiciorum probabilium* mortis, quando simul concurrunt, & dimidio die durant, inducunt moralem certitudinem mortis, quia inter centum millia hominum vel infantium vix unus rediit ad operationes sensibiles vitæ, in quibus dabatur illud *complexum*, nempe *defectus respirationis, defectus pulsus arteriæ, defectus sensationis post applicationem ferri intense calidi, defectus alterationis post afflationem sulphuris accensi in nares & os; defectus alleviationis naturæ post applicationem sternutatoriorum pulverum*, vel salis volatilis ex cornu cervi, vel balsamorum, vel spirituum illitorum, *frigus permanens ac pertinax, defectus elasticitatis impresso genis vel carni pollice, color ater aut lividus, oculi tenebrosi & fracti, mem-*

membrorum rigor, *aliqualis odor cadavericus saltem incipiens*, *cranium læsum &c.*

RESPONDEO: Ex tali complexo circumstantiarum nasci quidem moralem certitudinem de morte, sed non semper *stabilem* mutatis aut noviter apparentibus aliis circumstantiis. Sic moraliter quidem certum est, exercitum decem millium fore superandum ab exercitu centum millium, domum hanc præsenti hora non incendendam, pontem non ruiturum, hominem robustum hodie non moriturum, urbem non capiendam ab hostibus &c. Ea tamen moralis certitudo non semper est stabilis, quando apparent novæ circumstantiæ v. gr. defectus occulti, dispositiones prius incognitæ, proditio detecta &c. Itaque etiam experiri aliquamdiu licebit, utrum in cadavere existimato perseveret tale complexum indiciorum, & an non appareant nova signa, ex quibus corrigi possit præsumptio moraliter certa. Si enim, ubi agitur de vita corporis, vel salute temporali unius urbis, sæpe tentantur extrema pericula, etiamsi moraliter certum sit, conatus fore irritos, & sola supersit *tenuis possibilitas* conservandi v. gr. vitam in naufragio, incendio, vel salutem Reipublicæ jam dejectis turribus & aggeribus; cur non liceat *possibilia* amplecti, ubi agitur pro salute vel perditione æterna animæ, præsertim si id sine absurdo generali, aut præjudicio gravi particulari, fieri possit, prout fieri potest juxta eam, quam monstravi, methodum, ut nempe tales infantes per aliquot dies, donec appareat jam certus & notabilis fœtor cadavericus, serventur in loco temperato, & si interea dubia vitæ signa ediderint, à proprio loci Parocho, vel in ejus defectu ab alia persona baptizentur? Ego certè in tali casu infantem baptizarem, atque etiam alios, ut exemplum sequerentur, admonerem. Imo monerem, ne cum signa probabilia venerint, Baptismum differrent. Experimento enim didici; tres status in his signis vitæ distingui posse; nempe *progressionis* seu incrementi; *stationis*, & *retrogradationis* seu decrementi. Quando mutatio coloris atri in vividum ad suam *stationem* venerit, ita ut intra semihoram non amplius crescat, Baptismum festinandum censeo, quia infans, si forte illa mutatio coloris ab extremo conatu naturæ venerit, tunc jam in extrema lucta naturæ seu agone est. Cæterum, excepto solo fœtore vehementi cadaverico, non obstante reliquo complexo indiciorum plures adhuc retinuisse vitam, ostendit GARMANNUS *de miraculis mortuorum* in Differt. Prælim. à. n. 11. Sic etiam ex curione castrensi audivi; militem ex morbo contagioso pro mortuo habitum, dum eum octo circiter ab existimata morte horis ad sepulturam comitaretur, & à vespillone crinibus in currum funeralem traheretur, revixisse, & triduo adhuc vixisse.

OBJICIES 4. Ipsemet in altera Dissertatione ostendo, quod hujusmodi mutationes colorum & odorum in cadavere ex causa naturali v. gr. *fermentationis*, *præcipitationis* partium, *obstructionis pororum* odorem exhalantium &c. facile venire possint. Ergo ubi habetur causa parata, quæ *datur & sufficit*, non est requirenda causalitas ex principio vitali incerto.

RESPONDEO: In hoc negotio non quæri, quid præsumendum, aut probabilius judicandum sed quid probabile, ac saltem tenuiter dubium sit. Quamvis enim verosimilius sit, ejusmodi mutationes in infante non venire à principio vitali, sed à fermentatione, præcipitatione, ac pororum ad tempus obstructione; id tamen certum non est. In hac materia autem, ubi agitur de salute animarum aliis viis irreparabili, licet probabilia, imo & possibilia sequi. Non adstruo; *necesse* esse, aut *credibilius* esse, has mutationes venire ordinarie à principio vitali, sed dico; id *possibile* imo nonnunquam consideratis variis circumstantiis mortis & mutationum & temporum *probabile* seu *dubium* esse. Hoc enim ad Baptismum sufficit.

OBJICIES 5. Si admittenda est vita latens in aliquibus ejusmodi infantibus post biduum aut triduum à partu, ea etiam admittenda erit in ejusmodi infantibus post mensem vel annum à partu, quia prout ex relatione constat, eadem ediderunt signa, ac priores. Sed hoc nimium.

RESPONDEO: Id non consequi. Ex relatione enim constat, eos infantes, qui venerunt ex locis remotis ac consequenter longo tempore post partum, excepto uno vel altero casu, in quo præsumendum est, intervenisse ob fidem parentum beneficium extraordinarium Dei, conservantis corpus infantis à putrefactione ac morte per causas secundas; habuisse manifestum fœtorem cadavericum. Itaque in iis jam dabatur *putrefactio*, & *fermentatio*, quam constat non solùm *posse*, sed etiam necessariò debere mutare colorem. Constat etiam, putrefactionem esse certum signum mortis. Itaque in illis non potest prudenter dubitari, quin ejusmodi effectus proveniant à principio non vitali. Econtra in aliis infantibus non adeo remotis à partu, vel tempore hyemali sub terra, nive, vel glacie præservatis à putrefactione, non reperitur principium fermentationis aut præcipitationis partium. Itaque rectè dubitari poterit, an non proveniat à principio vitali, sicut fieri solet in hirundinibus, muscis, testudine, climace, & variis aliis animalibus tota hyeme sine sensibili signo vitæ perdurantibus. Jam verò etiam QUÆSTIO foret, an ad continuationem vitæ requiratur circulatio *sanguinis*? Cur non sufficiat sola circulatio seu potius æstuatio & reciprocatio *spirituum vitalium* in nervis cordi vicinis? Antiqui optimè explicarunt vitam humanam, licet necdum agnoverint circulationem sanguinis. Imo cur non ad vitam servandam sufficiat sola integritas & recta dispositio partium solidarum & liquidarum ad recipiendam motionem ab æthere suo tempore, prout fit in arboribus, muscis, hirundine, testudine, &c. in hyeme? An quia est aliud anima rationalis, & aliud sensitivæ ac vegetativæ animæ, quæ possunt educi ex materia? Verùm ex hoc ipso animarum discrimine sequitur, unionem animæ ad corpus dependere ab ordinato decreto Dei. Quis autem scit, an Deus velit recedere animam, antequam dissolvatur integritas partis principalis solidæ vel liquidæ ad denuo recipiendam suo tempore motionem ætheris?

DISSERTATIO II.

In qua oſtenditur, ea ſigna, quæ in talibus infantibus conſpiciuntur, non eſſe certa & indubitata ſigna reviviſcentiæ, aut vitæ.

§. I.

Recenſentur ſigna, quæ reperiri ſolent in ejusmodi infantibus ad loca pia delatis.

Signa enumerari ſolent ſequentia:

Primum Signum reviviſcentiæ ponitur mutatio coloris atri & mortualis in colorem rubeum, vel aliàs vividum & amœnum. Nam in auriculis, labiis, naſulo, imo quandoque in toto vultu induunt roſeam rubedinem. Facies, pectus, & ipſæ aliquando manus, & alia membra vivacem colorem contrahunt, ut ſolùm dormire videantur.

Secundum Signum eſt fœtoris cadaverici amiſſio, ita ut qui ab initio advenerant odore moleſtiſſimo, hunc ſpargere deſinant, poſſintque manibus palpari abſque nota inficientis fœtoris.

Tertium Signum eſt manatio recentiſſimi ſanguinis ex naribus vel ore, ita ut aliquando etiam ſæpius deterſus manarit.

Quartum Signum eſt flexibilitas membrorum, quæ etiam contingit tempore hyemali, licet Eccleſia ſit frigida, & corpus congelatum.

Quintum Signum eſt claritas oculorum, dum oculi, qui prius erant fracti, obſcuri, & emortui, redduntur clari, ita ut in iis inſtar ſpeculi videatur imago inſpicientis.

Sextum Signum extraordinarium deprehenſum eſt una vel altera vice motus labiorum, & copioſus fluxus ſanguinis.

Notandum tamen 1. quinque illa ſigna nec examinari nec reperiri in omnibus infantibus, ſed ordinariè præciſe attendi ad ceſſationem fœtoris cadaverici, & mutationem coloris. 2. Fœtorem cadavericum ordinariè non reperiri in infantibus, qui apportantur ex vicinia, ſed in iis, qui afferuntur ex locis remotis; ut proin in illis, qui ex vicinia veniunt, vix tantum ad mutationem coloris attendatur. 3. Eam ipſam mutationem coloris non eſſe inſtantaneam, ſed ſucceſſivam. 4. Inter centum infantes, qui apportantur, vix à decem edi ſufficientia ſigna ad conferendum Baptiſmum conditionatum. Reliqui nonaginta, cum nulla edant ſigna, ſine Baptiſmo ſepeliuntur, vel remittuntur. Id habeo ex ore eorum, qui erant teſtes de viſu.

§. II.

Statuuntur principia generalia ad ferendum in hac re judicium neceſſaria.

1. Omne cadaver ſuapte natura tendit ad *putrefactionem.*

2. In omni cadavere citius putreſiunt interiora, quàm exteriora.

3. In omni cadavere inteſtina incipiunt putreſieri etiam tempore intenſi frigoris. Patet ex apris, cervis, & aliis animalibus vulneratis lethaliter, ſi primùm reperiantur die altero, tertio, quarto, aut quinto.

4. In omni cadavere, quò natura eſt mollior, eò putrefactio eſt facilior, ac feſtinatior. Patet ex piſcibus, lepuſculis, damulis.

5. Omnis putrefactio eſt aliqua *fermentatio*, ſeu disjunctio intimarum partium chymicarum, præſertim *acidarum*, & *alcalicarum*, quæ fieri nequit ſine inteſtino motu partium. Id ſupponitur ex Philoſophia, & ex Chymia.

6. Omnis fermentatio fit cum expanſione partium, & incaleſcentia, quando miſcentur *acida* cum *alcalicis*. Patet ex mille experientiis chymicis.

7. In cadavere infantium omnia inteſtina ſunt diſpoſita ad celerem putrefactionem, ac conſequenter ad celerem fermentationem; quia tenera & mollia & imperfecta ſunt.

8. In cadavere infantium neceſſe eſt reperiri *acida* & *alcalica*. Acidum enim miniſtrant abundantes humores facile declinantes in *acetoſum* exhalatis partibus ſulphureis, Alcalicum autem præbent partes ſolidæ exhalatis ſalibus volatilibus ſeu partibus ſulphureis.

9. In cadavere infantium excitata ſemel putrefactione ſeu-fermentatione interna ex commixtione acidorum & alcalicorum neceſſe eſt cauſari alterationem ſanguinis & preſſionem verſus partes extimas, abundantes venulis, nempe auriculas, labia, faciem, &c. Cum enim arteriæ, venæ, artèriarum & venarum valvulæ, nervi, muſculi, &c. ſint complexionis tenerrimæ, reſiſtere nequeunt preſſioni verſus partes extimas cauſatæ per fermentationem internam. Ipſe autem ſanguis infantium, cum necdum habeat conſiſtentiam, ſed ſimilior ſit aquæ rubræ vel ſero rubicundo, eò eſt mobilior quò fluidior.

10. Fermentatio inteſtinarum partium in cadavere infantis excitari & augeri repente poteſt ex admiſſione aëris externi, quando cadavera ex ciſtulis, in quibus deferuntur, in aërem ad altare exponuntur, vel caput, brachia, & pectus ex faſciis, quibus involvebantur, evolvuntur. Cum enim aër ſcateat nitro, aëris ad inteſtina jam putreſcentia intromiſſio facile auget fermentationem internam.

11. Cum omnis fermentatio in liquidis mutet colorem, neceſſe eſt, ex tali fermentatione repente orta mutari colorem in infante.

12. Cum affuſio aquæ frigidæ ſiſtat fermentationem, neceſſe eſt, ut per ſuperinfuſionem aquæ baptiſmalis frigidæ ſiſtatur fermentatio, & conſequenter quieſcente fermentatione redeat prior color mortualis.

13. Fri-

13. Frigus externum fiſtit graveolentiam & ſuaveolentiam corporum. Id patet in fere omnibus odoriferis. Cum enim frigus compeſcat motum extimarum partium & conſtringat poros corporum, fiſtuntur exhalationes ſeu effluvia odorifera, grata vel ingrata. Itaque ſi cadavera infantium ex ciſta vel faſciis fumantia deferantur in Eccleſiam frigidam, non repugnat, ſiſti graveolentiam cadaveris, præſertim ſi exponantur in loco, ubi preſſior eſt circulatio aëris, vel preſſior afflatio aëris.

14. Frigus externum promovet fermentationem internam. Sic enim major eſt concoctio ſeu fermentatio ſtomachi in hyeme, quàm in æſtate; quia minor eſt exhalatio partium ſulphurearum. Si ergo in Eccleſia frigida per occluſionem pororum augetur fermentatio interna in cadavere infantis, non eſt mirum, augeri etiam effectus fermentationis preſſione ſanguinis verſus partes extremas.

15. Fermentatio facilior & major in liquidis fit, quando poſt agitationem primò ſinuntur quieſcere; ſæpe etiam poſt novam agitationem redit ſecunda, ac tertia vice fermentatio. Id patet ex muſto vini, aut cereviſia in doliis recta. Non igitur mirum eſt, ſi in cadavere infantium poſt novam agitationem vel inverſionem liquorum redeat prior fermentatio, & mutatio coloris.

16. Plerique infantes, qui ſine vita naſcuntur, moriuntur in utero materno ex ſuffocatione. Cum itaque in defunctis ex ſuffocatione facilior fit reſtitutio circulationis liquorum ſaltem in venis & arteriis, mirum non eſt, in ejusmodi corpore ex fluxu ſanguinis per venas & arterias poſſe alterari colorem.

§. III.

Oſtenditur, mutationem coloris cadaverici in colorem vividum & roſeum ex cauſa naturali venire poſſe.

Ea mutatio ex triplici cauſa venire poteſt; nempe vel ex *affuſione aquæ*, vel ex *præcipitatione* ſeu receſſione craſſiorum partium in fundo, vel ex *fermentatione*. Ex *affuſione novi humoris*; exinde enim liquida, quæ habebant colorem rubeum, vel album atrum & obſcurum, eoipſo quod fiant dilutiora & limpidiora, fiunt etiam clariora, prout patet ex vino, cereviſia, decoctis, ſuccis, pulmentis, juſculis, &c quæ per affuſionem aquæ ſiunt magis clara, diaphana, diluta, & limpida. Itaque ſi caro infantium, quæ ſe habet inſtar chartæ bibulæ, ſi adhuc ex utero recens, vel per frigus diſtenſivum partium concreta, & in loco temperato relaxata ſit, attrahat humorem in loco humido, eoipſo prior color rubeus fiet dilutior, & pallidus vivacior. In Academia Regia Pariſienſi 1714. oſtenditur, corpora humefacta diſtendi; ita ut faſcia papyracea undecim linearum poſt humefactionem evaſerit tredecim linearum. Itaque, ſi caro infantis poſita in loco humido diſtenditur, eoipſo etiam color fit dilutior. *Ex præcipitatione* videmus vinum & cereviſiam obtinere colorem clarum, & vivacem, quod in vinis rubris atri coloris manifeſtum eſt. *Ex fermentatione* autem, quam in cadavere infantis ſimul cum interna putrefactione & fœtore cadaverico oriri citius vel ſerius neceſſe eſt, prout §. 2. oſtendi, oriri mutationem coloris ſic oſtendo.

1. Quando vina aut cereviſiæ in doliis fermentant, mutant notabiliter colorem.

2. Quando cauſatur fermentatio ex affuſione aceti in oculos contuſos cancrorum pulveriſatos, redit color tertius.

3. Quando vinum aut cereviſia fermentans ejicit ſpumam, iſta ſpuma eſt diverſi coloris à vino vel cereviſia. Cum ergo etiam cadavera talium infantium ore egerant ſpumam, ſignum eſt internæ fermentationis ſufficientis ad mutandum colorem.

4. Quando oleum tartari miſcetur cum ſpiritu vitrioli, cauſatur ingens fermentatio, quæ augetur, ſi miſceatur limatura ferri; imo jam finita fermentatione poteſt ea reſuſcitari, ſi de novo agitetur liquidum. Semper autem in actuali fermentatione mutatur color.

5. Idem homo mutat colorem ex pallido in rubeum ordinarie poſt liberalem comeſtionem & potationem, nempe per novam ciborum & potus in ſtomacho & aliis vaſis fermentationem.

6. In cadaveribus nonnunquam creſcunt ungues & barba. In aliis mutatur color, fluit ſanguis, excitatur ſudor. Imo novi quandam mulierem lenta tabe confectam, quæ, ut ab ejus marito, viro docto & fide digniſſimo audivi, ante mortem habebat oculos fractos, & in corpore frigus inſtar glaciei intenſiſſimum, octo circiter horis poſt mortem obtinuit colorem rubrum, & in toto corpore calorem magnum, qualis reperitur in ſanis, qui durabat pluribus horis. Ergo cum in infantibus ad mutationem coloris & fluxum ſanguinis detur major diſpoſitio, etiam hic effectus poteſt eſſe frequentior.

7. In aquis colorandis per affuſionem unius guttulæ, quæ habetur ex fermentatione aquæ fortis cum argento, ferro, cupro, coloratur ingens quantitas aquæ. Ergo etiam ex fermentatione in cadavere infantium poteſt alterari color liquidorum ſeu humorum.

8. Experientia oſtendit, colorem cereviſiæ, vini, vel alterius decocti liquidi fieri ex obſcuro limpidum, dilutum, ac dilucidum, quando præcipitantur, aut reſident in fundo partes craſſiores. Idem ergo fieri poterit in colore cadaverum, præſertim admiſſo novo aëre humido impregnato partibus alcalicis, ubi locus fuerit paluſtris.

§. IV.

Oſtenditur, ceſſationem & reditum fœtoris cadaverici cauſas naturales habere poſſe.

1. In lotrinis ſpirante vento auſtrali ſeu meridionali repente fœtor expanditur; ceſſante ceſſat.

2. Sic aëris humiditas cum moderato calore excitat odorem roſarum mane & veſpere. Exorto ſole repente quieſcit.

3. Eadem velox odorum excitatio & remiſſio per varias aëris diſpoſitiones obſervatur tempore

pore verno in floribus arborum, in cœmeteriis, in lignis odoriferis, v. g. cypressinis, in moscho, in Violis, Tulipis, Rosmarino, Jesamino, Lilio, fœtore hædorum, sterquiliniis, stabulis, carnibus putridis, aut ferinis sylvestribus, piscibus in foro, assa fœtida, caligis & habitibus assiduè gestis.

4. Idem observatur in variis carnibus, piscibus, pannis, vel lanimentis odore aut fœtore infectis, donec libero transpiranti aëri exposita, effluviis per aërem pervadentem motis ac dispersis, sufficienter expurgentur. **Bis sie in dem Luft ausziehen.** Potest ergo contingere, quod atmosphæra vaporum fœtidorum in cistulis aut pannis contenta, dum cistulæ aperiuntur & panni evolvuntur, à permeante spissiore aëre circa altare, ubi infantes deponuntur, dissolvatur; & nova effluvia durante vehementiori interna fermentatione sistantur; præsertim si Ecclesia sit humida. Nam in papyro madefacto, cui similis est caro infantium, impediri transitum liberum aëris, & notabiliter distendi corpora, adeo ut fascia papyracea, quæ sicca longa erat undecim lineis, madefacta longa fuerit tredecim lineis, prout ibidem pag. 71. dicitur, constat ex Actis Academiæ Regiæ Parisiensis 1714. Itaque si Ecclesia sit humida, dum caro infantium instar papyri imbibit humorem, necessariò sistitur & impeditur exhalatio odoris cadaverici ex partibus interioribus; quæ aliquot horas necessariò iterum sensim redit, dum iterum desiccatione vel actione aëris aperiuntur pori.

§. V.

Ostenditur, manationem sanguinis ex ore vel naribus naturaliter fieri posse.

1. Etiam ex cadaveribus adultorum, ac præsertim infantium baptizatorum, manare solet sanguis, si vehantur.

2. Sanguis infantium est similior aquæ coloratæ vel sero. Cum ergo per commotionem causatam in gestatione talis liquor infantium ex venis & fibrillis facile extravasare possit in carnem, non est mirum, per frigus Ecclesiæ arctius compressis musculis extrudi liquorem extravasatum. Vel si necdum est extravasatus, frigore constringi venas & arterias in Ecclesia, sicque ex illis & fibrillis exprimi sanguinem.

3. Etiam in Physicis, in quibus organa pulmonum vel sunt putrida, vel tenera, ad quamvis vehementiorem commotionem, v. g. ex intensione vocis, sæpe extruditur ex pulmonibus per tracheam & os copiosus sanguis. Cur idem fieri nequeat in infantium cadavere, ubi pulmones & alia vasa sunt tenerrima? Dein, in iis, qui moriuntur ex submersione, hoc ordinariè contingit, ut post mortem copiosum effundant sanguinem, cujus rei luculentum præbent exemplum duodecim personæ in vicino Lacu Amrensi ante mensem submersi. Harum personarum novem extractæ fuerant ex Lacu profundo undecim diebus post submersionem. Omnes habebant colorem rubeum, instar vivorum. Brachia erant rigida, & adhuc extenta instar orantium extensis brachiis. Fœtor cadavericus nullus in iis deprehendebatur; & licet undecim diebus in profundo lacus jacuerint, in nullo tamen eorum venter intumerat vel minimùm. Sed quando observ. sa facie deponebantur in navi, omnes ex ore cum una circiter mensura aquæ & dimidia emiserunt copiosum sanguinem, eumque rubicundum, qualis emitti solet ex vivis. Itaque emissio sanguinis ex ore vel naribus non est firmum ac indubitatum signum vitæ in infantibus, præsertim cum etiam horum complures moriantur ex submersione in utero. Novi etiam aliam personam, quæ obiit ex defectu virium causato ob frequentem effusionem sanguinis ex ore. Illa enim etiam post mortem stillavit sanguinem ex naribus. Plura ejusmodi exempla allegantur à Garmanno.

§. VI.

Ostenditur, flexibilitatem membrorum in tali cadavere naturalem esse.

1. In tali infante nec datur adhuc soliditas ossium, nec cartilaginum consistentia, nec tendinum firmitas, nec nervorum ac musculorum rigiditas. Itaque necesse est, dari flexibilitatem membrorum.

2. Eadem flexibilitas reperitur in aliis etiam infantibus recenter post Baptismum defunctis. Ergo non est supernaturalis.

3. Eadem flexibilitas membrorum reperitur etiam in infantibus mortuis, recenter natis ac defunctis, antequam deferantur Urspergam. Et in infantibus remissis sine Baptismo, & in infantibus jam ibidem baptizatis perdurat usque ad sepulturam. Ergo non est signum vitæ.

4. In Ecclesia papyrus, præsertim charta bibula, flaccescit, si Ecclesia fuerit humida. Ergo necesse est, etiam flaccescere membra infantium in tali Ecclesia.

§. VII.

Ostenditur, pelluciditatem oculorum naturalem esse posse.

1. Pelluciditas in oculis ex duabus vel tribus causis tollitur. *Primò* si humor aqueus ex putrefactione vicinarum partium fiat turbidus. *Secundò*, si humor crystallinus ex remissione nervorum ac musculorum flaccescat. *Tertiò*, si cornea ex vaporum internorum anhelitu obfuscetur. Hæc autem omnia tolluntur per repentinam magnam fermentationem internam. Per eam enim præcipitantur partes heterogeneæ in humore aqueo. Sic enim vinum turbidum, vel cerevisia turbida fiunt clara, quando resident in fundum partes crassiores; vel quando ope fermentationis causatæ per injectionem cinerum, calcis, & aliorum alcalicorum præcipantur partes acidæ. Sic etiam acetum dulcoratur & fit pellucidum per injectionem olei tartari, quod nil aliud est, quam tartarum vini calcinatum & resolutum in liquorem ex appensione in aëre humido. Itaque eodem modo lucidi reddi possunt oculi ex nitro aëris humidi concurrente interna fermentatione liquorum, aut præcipitatione partium.

2. Ea-

2. Eadem mutatio claritatis in oculis etiam observari potest non rarò io aliis infantibus primùm post Baptismum denatis, & io iis, qui ob defectum aliorom signorum à Baptismo exclusi fuerunt. Itaque illa mutatio claritatis oculorum non est operatio gratiæ resuscitantis ad vitam, sed naturæ.

3. Quando oculi taurorum in hyeme finuntur gelascere, in retina distinctè exhibent species transmissas, prout opticis notum est. Ergo etiam cornea tunica in infantibus reddere poterit imaginem inspicientem instar speculi, pro diversa siccitate vel humiditate aëris modo fusci & obscuri, modo clari & clarè repræsentantis. Quod ipsum nocte humida experiuntur Astrooomi in vitris objectivis, & in Tubis Newtonianis.

§. VIII.

Nec motus subitanei aut inordinati labiorum vel oculorum in ejusmodi Infantibus sunt certum signum reviviscentiæ.

Id patet ex plurimis exemplis non solùm infectorum post dissectionem edentium quosdam motus irregulares, sed etiam hominum. Sic de quodam Romani Imperii Principe, qui frequenter ante mortem utebatur Essentia Sinensi, à fide dignis audivi, quod post ejus mortem quosdam motus in Cadavere operata sit. Plura talium motuum exempla refert Garmannus in l. de miraculis mortuorum. Quidam etiam meorum familiarium, in physicis expertus, narrabat; se aliquando ranis jam decortatis, & avulso anteriori corpore paratis ad mensam experimeotum sumpturus de earum motu posthumo inspersisse salem, qua facta inspersione non solùm oriebatur turbatus ranarum motus, sed una earum tali dimidio sui & toto saltaverit extra patinam, in qua jacebant. Possunt igitur vel residui spiritus vitales, vel salia admixta contrahere oervos & musculos, sicque ciere motus irregulares.

Si autem quis interroget; cur disputatæ hucusque mutationes in unis infantibus fiant, in aliis noo fiant? cur interdum cito, quandoque serò, v. g. primùm secundo aut tertio die fiant?

Respondeo: Id inprimis venire ex diversa constitutione naturæ io iosantibus. Mollior enim & corruptioni vicinior est natura femellarum quàm masculorum, quæ proio sexus diversi circumstantia annotari debuisset in hoc negotio. Secunda causa est celerior vel tardior aëris externi per poros cadaveris iosantilis ad interiora penetratio ac communicatio aperta. Observat eoim Academia Regia Parisiensis anno 1705. & 1714, si loco tubi vitrei in Barometro sumatur tubus papyraceus, membranaceus, vesicarius, ligneus, ferreus, &c. quod pro diversa densitate harum materiarum aër exterous modo citius modo tardius in tubi superiorem partem penetret, sicque Mercurium præcipitet. In tubo enim papyraceo pro diversa ejus densitate ad permeationem aëris requiruntur 1. 2. 3. 4. 5. horæ; in vesicario porcorum 9. horæ; in ferreo 30. horæ. Itaque etiam in iosantibus eo tardior erit fermi-natio vel præcipitatio internarum partium, quo tardior erit permeatio aëris externi in cadaver infantis.

Quæres: Ad quæ potissimùm attendi debeat, ut ferri possit firmum de morte, aut reviviscentia Infantis judicium?

Respondeo: Parochi, Chirurgi, & alii, quibus incumbit cura talium baptismatum & infantium, tria examinare debent. 1. Causam & tempus mortis in infaote. 2. Signa mortis. 3. Signa vitæ. Ut in Examine ordinatè procedatur, subjuogo sequentem Iostructionem.

Instructio

ad examinanda signa certa mortis aut vitæ in Infantibus.

Primo circa tempus et causas mortis ex Bajulis infantium defunctorum interrogandum est 1. Quot dies vel horæ effluxeriot à partu infantis? 2. Quot diebus vel horis locus distet, ex quo allatus est infans? 3. An partus fuerit difficilis? Et quot horis dolores partus duraveriot? 4. An mater jam diu ante partum ægrotaverit? 5. Quanto tempore ante partum mater vitam in infante senserit? 6. An iosans ante ordioarium tempus partus venerit? Et quanto tempore? 7. Quot horis post partum iosans è domo materna dimissus, & bajulo traditus sit? 8. Quæ media infanti post partum adhibita fuerint ad excitandos spiritus vitales? 9. Ao proles sit puellus vel puella? 10. Quis color fuerit infanti post partum? quis domi in abitu? quis in via? 11. An in infante nullus fœtor cadavericus domi, vel in via animadversus sit? 12. Ao infans in via pondere notabiliter creverit?

Secundo in loco, ad quem infans defertur, observetur, an in eo reperiantur infallibilia mortis indicia? Observetur 1. utrum in infante jam ad aliquot passus sentiatur magnus fœtor cadavericus? Ao verò vix ullus, aut nullus talis odor cadavericus etiam proximè adverti possit? 2. utrum color in vultu sit pallidus, lividus, seu emortuus? an atrocærulcus? an rubeus amœnus & limpidus? an atrorubeus? an iotermixtus? Notentur etiam determioatæ maculæ pallidæ in facie, ut earum mutatio post uoam vel alteram horam facilius deprehendi possit. 3. an brachia faciliter vel difficulter flecti possint? 4. an caro in vultu vel pectore post impressionem digiti statim vel tarde se restituat? 5. an genæ, vel caro in pectore mollis vel dura sit? 6. an oculi sint clari vel obscuri? 7. utrum vultu sudor, vel in oculis limpida aqua sit? 8. an sub naribus, vel in fasciis, ac lioteis sanguis aut maculæ sanguineæ sint? 9. an cranium fractum, vel alia principalis pars læsa sit? 10. an corpus instar glaciei inteose frigidum? vel frigus exiguum, aut vix ullum sit? 11. si nullum reperiatur infallibile mortis signum, applicetur vel spiritus, vel balsamum, aut pulveres sternutatorii, vel salia volatilia, v. g. sal volatile corou cervi; vel admoveantur pectori aliquandiu panni calidi, aut laminæ lapideæ calefactæ; vel sulphur affletur nari-

naribus & ori incenſum, &c. dein obſervetur effectus poſt aliquod tempus. Infans autem ſervetur in loco temperato bene obtectus; nec exponatur magno frigori vel humiditati.

TERTIO, ſi nullum adhibitis omnibus mediis reperiatur ſignum vitæ; obſervetur poſt aliquot horas interruptis vicibus 1. an nullus veniat color vivus? 2. an oculi non fiant pellucidiores? 3. an brachia non fiant flexibiliora? 4. an fœtor cadavericus totaliter deſierit? 5. an ex oculis fluant lachrymæ claræ ac limpidæ? 6. an ex naribus fluat clarus ſanguis? 7. an rigor in genis & pectore ceſſaverit? Quando talia ſigna reperiuntur in infante, in quo prius nulla infallibilia ſigna deprehenſa ſunt; & prudenter dubitari poſſit, utrum tales effectus proveniant à principio vitali per modum ultimi conatus naturæ, vel non vitali, id ſine mora indicetur Sacerdoti, ut fiat, quod faciendum duxerit. Me quod attinet, ſi in tali infante nulla deprehenderem prius manifeſta certæ mortis indicia ex fœtore cadaverico & corruptione ſeu *putreſcentia incboativa* in cute ac carne vultus & pectoris, quæ ex mixtura palloris lividi ſeu obſcuri cum diverſi coloris maculis heterogeneis cognoſcitur, concurrente poſtea eleganti colore roſeo, aut vivido intra triduum, infantem ſub conditione baptizarem hac forma: *Si adhuc vivis, ego te baptizo &c.* Idem facerem etiam poſt triduum, imo menſem, & annum, ſi infans dicto modo in caſu extraordinario reperiretur incorruptus in vultu & pectore; & de novo illi in vultu & pectore rediret color *vividus*, hoc eſt, manifeſtè ſimilis alicui homini viventi.

Circa locum, ubi ponuntur infantes, obſervandum eſt 1. an ſit humidus, vel ſiccus, quod ex plagula papyracea bene bibula experiri licebit. Si enim in tali loco flacceſcat, & manu ſenſibilem humorem contrahat, quaſi fuiſſet in cella ſubterranea; vel ſi circiter per horam in tali loco poſita pluribus granis plus ponderet, quàm prius vel poſtea aliquamdiu detenta in loco ſicco, manifeſtum eſt, locum eſſe humidum. 2. an ſit frigidus vel reſpectivè temperatus. Id experiri licet ope Thermometri, ſi in illo loco poſitum, & prius vel poſtea in aliis locis collocatum oſtendat notabilem differentiam. 3. an ſit paucis, exiguis, & altis feneſtris præditus, ſicut Eccleſiæ Romæ. Tales enim Eccleſiæ in hyeme ſolent eſſe temperatiores externo aëre. 4. an janua vel feneſtra ſit verſus plagam Auſtralem, Occidentalem, Septentrionalem, aut Orientalem, & utrum in illa regione venti pluvii potius veniant ex meridie & Occidente, quam alia plaga? Ex eo enim cognoſcitur, an in illo loco dominentur venti ſicci vel humidi, calidi vel frigidi? 4. an vicinia ſit humida, paluſtris, vel collibus ſepta, ita ut ibi in vere & autumno ſe detineant in valle vapores? 5. qualis fuerit tempeſtas tempore obſervationis, an pluvioſa, vel ſerena, vel nebuloſa? quis tunc ſpiraverit ventus, quota tunc fuerit luna in Martyrologio? An eo tempore fuerit concurſus magnus multitudinis in Eccleſia? Hæc enim omnia dirigunt & variant judicium circa copiam humorum concurrentium ad effectum. 6. Qualis ſit tabula, in qua deponuntur infantes, an lignea, vel lapidea? an ſubtus ſit pavimentum frigidum, humidum? Conſtat enim ex Actis Academiæ Regiæ Pariſienſis, ſpiritum vini fortiſſimum in vaſe ſtanneo, quod in pelvi magna, aqua frigida plena identidem refrigeranda per affuſionem novæ aquæ frigidæ, ponitur, incenſum magnam poſt ſe relinquere quantitatem phlegmatis. Similis ergo ſeparatio volatilium partium ad partes extimas ſuperiores tendentium poteſt in infantibus fieri ex vicinia corporis frigidi. 7. An ſigna in toto vultu & pectore dentur, ſi infantes ſinantur jacere ex latere, vel inverſo corpore? Spiritus enim exhalati per fermentationem tendunt verſus ſuperiora. 8. An affuſa aqua frigida pectori ſtatim ceſſet rubedo? infuſio enim aquæ frigidæ ſiſtit fermentationem. 9. An incrementum & decrementum coloris fiant gradatim ac ſucceſſivè; an inſtantaneè? 10. An poſt decrementum coloris, quando jam fuerunt baptizati conditionatè, factæ ſunt ſectiones Anatomicæ cordis & cerebri, ut ex eorum inſpectione poſſit ſumi conjectura de hora mortis; utrum videlicet contigerit poſt Baptiſmum, vel din ante Baptiſmum? Multa alia hujuſmodi obſervatu digna ſuggeret prudentia & peritia phyſica.

QUÆSTIO III.

Utrum infantes ſine Baptiſmo defuncti ſalvari poſſint fide parentum?

NOTANDUM 1. Triplici modo poſſe formari quæſtionem. Nam *primò* poteſt quæri; utrum Baptiſmus ſuppleri poſſit per aliam cæremoniam externam, per quam accedente fide interna parentum infanti ex promiſſione vel benignitate divina infallibiliter conferatur gratia? *Secundò*, utrum infantes ſine applicatione externarum cæremoniarum infallibiliter juſtificentur per fidem parentum? Et utrum hoc ſit hæreticum, vel errori proximum? *Tertiò*, utrum conſultum ſit, ut parentes orent pro infantibus ſine Baptiſmo in utero materno morientibus, vel jam actu mortuis, pro illis impertienda extraſacramentaliter juſtificationis gratia?

NOTANDUM 2. Circa primam quæſtionem & ſecundam, eam fuiſſe ſententiam CAJETANI, quod Infantes ſufficienter ſalventur fide parentum. De illo Gonetus h. l. Diſp. 3. art. 1. §. 1. n. 4. ſic ſcribit: *Ex Catholicis* CAJETANUS *in Commentario ad Summam D. Thomæ ad a. 2. q. 68. docet, deficiente opportunitate baptizandi parvulos votum Baptiſmi à parentibus, aut ab aliis conceptum eis ſufficienter prodeſſe ad ſalutem, præcipuè cum aliquo exteriori ſigno. Quod ibidem ſic explicat dicens: Debet autem in tali caſu parens ſigno crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, ſicque Deo offerre morientem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Item ſuper art. undec. hujus quæſt. ſic ſcribit: Dicendum, ſub correctione tamen, parvulos in maternis uteris periclitantes poſſe ſalvari per Sacramentum Baptiſmi, non in re, ſed in voto parentum ſuſceptum, cum aliqua benedictione prolis, ſeu oblatione ipſius ad Deum cum invocatione Trinitatis. In eandem ſententiam propendere videntur Gerſon, Gabriel. Et eandem nonnullos Recentiores probabilem exiſtimare teſtatur Serra hic art. 2. Caramuel nulla hanc ſententiam cenſura*

ſura notat, unde illi ut probabili adhærere videtur. Hucuſque Gonet. Idem l. c. §. 3. n. 11. dicit: *Cajetani opinio è Commentariis ejus in D. Thomam juſſu Pii V. expuncta fuit, licet adhuc in quibusdam Exemplaribus vetuſtioribus, aut Romæ non cuſis reperiatur.* Verùm errare Gonetum in hoc loco, dum Gerſoni & Gabrieli ſententiam Cajetani tribuit, ex eorum textibus infra ſubjiciendis patebit. Gerſon enim & Gabriel non primam aut ſecundam, ſed tertiam ſolùm ſententiam ſequuntur.

NOTANDUM 3. Gonetum h. l. §. 3. n. 17. improbare preces & devotiones parentum, dum ſuos infantes ſine Baptiſmo in utero morientes, vel mortuos pro obtinenda extraordinaria juſtificationis gratia Deo commendant. *Hinc colliges,* inquit, *non debere parentes orare Deum, ut infantes nondum natos, ſi in utero matris ſine Baptiſmo ſint morituri, ſalvos faciat, ſed potius, quia ſine Baptiſmo non eſt ſalus, dignetur eos in vita ſervare, donec in lucem editi aqua ſalutis abluantur.* Iſtum precandi morem malè improbari à Goneto, ex dicendia patebit.

DICO 1. Parvulos ſine Baptiſmo decedentes *infallibiliter* aut *regulariter* juſtificari ſola fide parentum, non ſolùm eſt ſententia temeraria, ſed etiam errori proxima.

PROBATUR. Illa ſententia eſt temeraria, quæ repugnat in materia fidei vel morum unanimi ſenſui Doctorum à quindecim anterioribus ſæculis; errori autem proxima eſt, quam per illationem Theologicam moraliter certam conſtat opponi Verbo Dei ſcripto vel tradito; ſed talis eſt iſta ſententia. Ergo. Min. prob. Scriptura, & Traditio conſtanter teſtantur, nullum ſalvari ſine Baptiſmo in re vel voto ſuſcepto. Ergo cum termini ſint indefiniti, ſaltem de providentia Dei ordinaria intelligi debent. *Ant. prob.* ab inductione.

1. CHRISTUS Joan. 3. ad Nicodemnm dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

2. S. AMBROSIUA l. 2. de Abraham C. ult. explicans præſata verba Chriſti ait: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate.*

3. S. AUGUSTINUA l. 1. de peccatorum meritia C. 27. de parvulis loquens ait: *Quoniam de ovibus ejus eſſe non incipiunt parvuli, niſi per Baptiſmum, profectò ſi hunc non accipiunt, peribunt.* Et ibidem l. 3. C. 23. *Nulla ex arbitrio noſtro ſalus æterna præter Baptiſmum Chriſti promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus rationibus præferenda.*

4. S. PROSPEA l. de vocat. Gentium C. 8. *Non eſt fas, eos parvulos, qui regenerationis non ſunt adepti Sacramentum, ad ullum pertinere beatorum conſortium, cum Dominus dixerit Joan. 3. Niſi quis renatus fuerit, &c.*

5. Senſus Fidelium Sæculo 4. & 5. erat, eos *indeclinabiliter* perire inſantes, qui ſine Baptiſmo deceſſerint; prout patet ab exemplo Matria, quæ ſuum inſantem ſine Baptiſmo deſunctum ad Reliquias S. Stephani pro obtinenda reſuſcitationis & Baptiſmi gratia portaverat. De illa enim S. AUGUATINUS Serm. 33. de diverſia ait: *Mulier infantem lactentem amiſit; quæ cum vidiſſet* IRREPARABILITER *perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quàm mater.*

6. CONCILIUM LUGDUNENSE II. 1274. & FLORENTINUM 1438. in Decreto unionis ait: *Definimus, illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

DICO 2. Non eſt improbanda, ſed ſummè commendanda parentum devotio, Deum ſervidis orationibus & piis operibus interpellantium, ut infantes vel ad Sacramenti gratiam perducat, vel extraſacramentaliter juſtificet.

PROBATUR 1. Ex una parte certum eſt, à Deo aliquoa infantes ſuiſſe juſtificatos extraſacramentaliter, v. g. Jeremiam, S. Joannem Baptiſtam, nec poteſt oſtendi divina prohibitio, poſtulandi & per extraordinarium fervorem aut ſtudium bonorum ſperandi hanc gratiam extraſacramentalem, cum Deus non ſit alligatus Sacramentis.

PROBATUR 2. In Lege Naturæ & Moyſaica infantes poterant ſalvari fide viva & ſervida parentum ſine alio externo Sacramento determinato. Ergo veroſimile eſt, fide & charitate ſervida hanc extraordinariam gratiam etiam poſtulari & ſperari poſſe in Lege Gratiæ.

PROBATUA 3. authoritate Theologorum inſignium.

1. S. BONAVENTURA in 4. diſt. 4. part. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 2. concedit, pro parvulis per ſpecialem gratiam poſſe ſperari gratiam, ſic ſcribit: *Ad illud, quod objicitur de parvulo, quod tunc* (ſi poſſet dari ſalus per Baptiſmum flaminis) *non baptizatus poterit ſalvari, dicendum, quod parvulus ſi haberet Baptiſmum flaminis, nunquam damnaretur. Quod ergo damnatur, hoc eſt, quia privatus Baptiſmo aquæ caret gratia Spiritus Sancti, quia aliter ad gratiam non poteſt diſponi, quantum eſt de Jure communi, niſi Deus faciat de privilegio ſpeciali, ſicut in ſanctificatis in utero. Sed adultus de ſententia communi poteſt per fidem & dolorem de peccatis diſponi ad gratiam.*

2. GERSON, Cancellarius Pariſienſis, in Oratione de Nativitate B. Virginis, quam habuit in Concilio Conſtantienſi, Conſid. 2. ſic habet: *Poteſt pia credulitate credi, quod Joſeph ſanctificatus eſt in utero. Sic enim in Officio Jeroſolymitano de Joſeph compoſito continetur. — Conſtat, Deum miſericordiam ſalvationis non ita legibus communibus Traditionis Chriſtianæ, non ita Sacramentis ipſis alligaſſe, quin abſque præjudicio legis ejusdem poſſit pueros nondum natos extra uterum intus ſanctiſicare gratiæ ſuæ Baptiſmo vel virtute Spiritus Sancti. Debent igitur mulieres prægnantes, ſimiliter & viri ſui, per ſe & alios diligentius preces fundere Deo, & ad ſanctos Angelos Cuſtodes hominum, etiam puerorum in utero. Debent ad cæteros Sanctos, Sanctasque omnes confugere, quatenus infans nondum natus, ſi forte moriturus eſt, priusquam ad Baptiſmi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipſum Dominus Jeſus Summus Pontifex Baptiſmo Spiritus Sancti præveniendo miſericorditer conſecrare. Quis enim ſcit, ſi forte exaudiat Deus? Imo quis non devotius ſperare valeat, quod orationem humilium & in ſe ſperantium nequaquam deſpiciat? Proficit hæc conſideratio ad exercitationem devotionis in parentibus; proficit ad leviandum eorum anguſtiam, dum ſine Baptiſmo decedit*

puer, quia non omnis inde ſpes ſalutis ablata eſt. Sed neque absque revelatione, fateor, datur certitudo. Hucuſque Gerſon.

3. DURANDUS in 4. diſt. 6. q. I. *Sanctificatio à culpa originali eſt duplex; una ſecundùm legem communem, quæ fit mediante Sacramento Baptiſmi. Alia ſecundùm ſpecialem diſpenſationem ex ſpeciali gratia Dei. —— Si ex utero matris egrediatur caput pueri, ut quidam dicunt, aſpergi debet cum præſcripta forma verborum, & reputatur puer baptizatus. Secus autem eſt de aliis partibus, ut de manu vel pede. Nibilominus & hæ aſpergendæ ſunt cum forma verborum. Quia non eſt arctanda divina miſericordia; quinimo potius eſt præſumendum, quod ſi aliquid deficiat de integritate Sacramenti, ſuppleatur per miſericordiam Chriſti. Si tamen poſtea plenarie naſcatur; baptizandus eſt ad cautelam ſub hac forma: Si tu non es baptizatus, ego te baptizo, &c. —— Secundùm ſpecialem diſpenſationem poteſt aliquis in utero ſanctificari. Quia ſicut eſt in ordine naturæ; ſic eſt in ordine gratiæ. Sed ſic eſt in ordine naturæ, quod illa, quæ ſecundùm curſum naturæ ſunt mediantibus cauſis ſecundis, poſſunt fieri & quandoque ſunt à Deo ſine eis, ut patet in operibus miraculoſis. Ergo eodem modo eſt in ordine gratiæ, quod ſanctificatio noſtro, quæ ſecundum legem communem fit mediantibus Sacramentis, poteſt à Deo fieri immædiatè ſine eis; & ſic eſt factum in Jeremia, & Joanne Baptiſta.* Ita Durandus, cujus hoc loco data principia præbent argumentum ctiam pro licentia poſtulandi à Deo ſanctificationia gratiam animabua infantium extinctorum in utero, utpote quorum animæ non ſunt *judicio poſitivo reprobatæ*, ſicut animæ damnatorum, ſed tantùm *derelictæ judicio negativo*, hoc eſt, non vocatæ ad gloriam ob peccatum Adami. Eatenus ſtatus inſantium ſine Baptiſmo defunctorum minus eſt diſſimilia ſtatui animarum purgantium, quàm ſtatui damnatorum.

4. GABRIEL BIEL in 4. diſt. 4. q. 2. dub. 2. ſcribit: *Si infans non totus eſt clauſus in utero, ſed apparet pars minus principalis, puta manus vel pes, quamvis quidam dicant, quod illa pars non ſit capax baptiſmatis, dicit tamen Scotus, quod illa pars ſit baptizanda. Credendum eſt autem, quod Deus ſuppleret id, quod impotentia impediret.* —— SED CONTRA *de puero ſecundùm ſe totum clauſum in utero arguitur. Nulli ſtatui hominis præcluditur via ſalutis ab eo, qui vult omnes homines ſalvos fieri. Ad hoc reſpondent Alexander & S. Thomas; quod parvulis in utero matris non eſt proviſum de remedio, non eſt ex defectu miſericordiæ Dei, ſed quia non ſunt capaces illius remedii, puta baptiſmatis, ordinati ſecundùm legem communem contra originale peccatum. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit; quia admittit, quod parvulis pro iſto ſtatu non eſt proviſum de remedio ſalutis, quod videtur repugnare miſericordiæ divinæ, quæ, ut loquuntur communiter Doctores, nullo unquam tempore poſt lapſum reliquit hominem ſine remedio. Unde ſi parvuli non ſunt capaces remedii baptiſmatis in utero; debuit aliud remedium inſtitui, cujus poſſunt eſſe participes & capaces, ſicut in Lege Moyſi; quia ſemellæ non fuerunt capaces remedii circumciſionis, pro eis fuit aliud remedium. Quid ergo erit remedium generale pro parvulis in utero exiſtentibus? Nullum manifeſtat Eccleſia. Sed ſenſum Domini quis cognovit? aut quis Conſiliarius ejus fuit? Ex ſua miſericordia Dominus perdito homini remedia conſtituit, quæ, & quando, & quomodo voluit, quem ſine remediis juſtè damnare potuit. Voluit itaque remedia inſtituere contra morbum peccati in Eccleſio per Sacramento diſpenſando his, qui noti eſſe poteront Eccleſiæ. Eorum verò, qui nondum in lucem notitiæ prodierunt, remedia in ſua poteſtate ſola conſtituit, quos, cum voluerit, ſine exteriori remedio & ſanctificare & ſalvare poteſt: ſicut factum de quibuſdam Scriptura teſtotur. Inſuper, quod paucis in privilegium factum eſt, poteſt, quibuſcunque voluit, impartiri, qui potentiam ſuam Sacramentis non alligavit. Hinc conſulit Joannes Gerſon parentibus, quatenus devotis orationibus ac bonis operibus parvulis ſuis gratiam impetrare nitantur. Potens eſt enim Dominus in utero ſanctificare, quos novit ad nativitatis ortum non perventuros: licet de hoc certitudinem non habeamus. Miſeretur enim cui vult; & quem vult indurat. Quod vero Sancti dicunt; nullum niſi regeneratum ſalvari poſſe, loquuntur ſecundùm legem communem, non præjudicando ſpecialibus privilegiis ac divinis diſpenſationibus.* Ita Biel, qui licet ſe non ſatis explicet, an admittat remedium generale infallibile ex pietate parentum, in qua explicatione cum Cajetano ſoret deſerendus, in hoc tamen, quod nonnullis ex pietate parentum illa gratia obveniat, antequam mortui ſint in utero, nempe in momento mortis, nil doceret repugnana rationi aut traditioni univerſali Eccleſiæ. Cæterùm quamvis non loquatur de infantibus jam mortuia, ratio tamen illius etiam ad hos ſe extendit, ut patet conſideranti.

5. P. MARCUS SERRA, Ordinis Prædicatorum, in Commentario ad part. 3. Summæ S. Thomæ, edito Romæ 1653, quæſt. 66. art. 2. ſic ſcribit: *Quod attinet parvulos in uteris maternis exiſtentes non eſt ſingulare Legis novæ, non poſſe ſalvari, ſi ibi moriantur; quia ſanctificatio, quæ interdum facta eſt in aliquibus, ſemper exiſtimata eſt fieri ex privilegio ſpeciali, ex quo etiam nunc fieri poteſt, ut ait D. Thomas hic art. II.* Ita Serra. Si ergo juxta hunc authorem eſt paritas inter Legem veterem & novam quoad juſtificationem parvulorum in utero materno, ſequitur, quod ſicut in Lege antiqua parentibua rogare Deum pro juſtificatione infantium morientium in utero materno, ita idem parentibus liceat in Lege gratiæ.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Non licet ſine ſpeciali interna motione divina petere à Deo miraculum; ſed juſtificatio infantia jam defuncti eſt miraculum. Maj. prob. petere à Deo miraculum eſt tentare Deum. 2. Non licet à Deo petere reſuſcitationem & juſtificationem damnati ſine ſpeciali inſtinctu divino. Ergo nec licet petere juſtificationem ejusmodi infantis defuncti. 3. Si vera eſſet hæc ſententia, parentibus injungeretur gravia obligatio offerendi Deo jugiter prorſua extraordinaria bona opera pro ſalute infantia ſic defuncti, & eoipſo ob incertitudinem obtentæ gratiæ illis adderetur perpetua anxietas ac triſtitia, quia forte nondum ſatis præſtiterint. Sed hoc non eſt admittendum. Ergo.

RESPONDEO: diſt. Non licet petere miraculum ad ſalutem æternam non neceſſarium. tr. neceſſarium. n. DIXI. *transeat.* Quia multi Sanctorum petierunt varia miracula, non abſo-

lutè

lutè necessaria ad salutem; sicut patet ex iis, qui petierunt miraculosam sanationem vel resuscitationem suorum à Christo vel Apostolis. Posset etiam Negari *Minor*. Quia si potest expulsio Dæmonum peti, & redemptio animarum purgatorii, quin censeatur peti à Deo miraculum, etiam condonatio peccati originalis extrinseca cum immediata investitione gloriæ non videtur esse referenda ad miraculum, si Deus eam voluit alligare & frequenter concedere extraordinariæ pietati parentum.

Ad 2. c. a. n. c. & p. Disparitas est, quia in damnatis datur obex justificationis *positivus*, nempe voluntas obfirmata in malo; & ex parte Dei datur decretum reprobativum pariter *positivum*. Econtra in infantibus datur obex solùm negativus, & ex parte Dei decretum reprobativum est tantùm negativum, in quantùm non assumuntur ad gloriam. Minus autem repugnat ordini divinæ sapientiæ consueto mutare decreta negativa relatè ad objecta, in quibus non reperitur obex positivus.

Ad 3. dist. Daretur jugis ea obligatio & anxietas, si lex charitatis obligat ad summam arduitatem pro fructu incerto. tr. secus. n. Effectus enim, seu acceptatio Dei, est incerta, & arduitas foret summa. Igitur lumen naturæ dictat, non dari in parentibus obligationem ad valde ardua pro salute infantium; quamvis ejusmodi arduis operibus aliquando eam justificationis gratiam concederet.

QUÆSTIUNCULÆ
De
Sacramento Confirmationis.

QUÆRITUR 1. Quid sit Sacramentum Confirmationis?

RESPONDEO: Sacramentum Confirmationis est signum sensibile, quo per impositionem manuum, & inunctionem Episcopi baptizato ex promissione Christi confertur Spiritus S. in ordine ad fidem plenè cognoscendam, fortiter tuendam, & perfectè adimplendam.

QUÆRITUR 2. Quæ sit Materia Confirmationis?

RESPONDEO: Dantur in hac re *quatuor* sententiæ. *Prima* asserit, quòd sola impositio manuum sit materia essentialis Sacramenti Confirmationis. Hæc sententia est SIRMONDI S. J. *in Antirretica* 2. cap. 7. SANBOVII, & aliorum. *Secunda* dicit, quòd sola inunctio Chrismatis sit materia Confirmationis. Hujus sententiæ est D. THOMAS p. 3. q. 72. a. 2. cum suis. *Tertia* vult, adæquatam materiam Confirmationis esse simul impositionem manuum, & inunctionem Chrismatis. Hæc sententia est multorum RECENTIORUM. *Quarta* sententia defendit, determinationem hujus materiæ dependere ab Ecclesia; & hinc in Ecclesia Græca materiam essentialem Confirmationis esse solam inunctionem Chrismatis; in Ecclesia autem Latina tam impositionem manuum, quàm inunctionem Chrismatis. Quæ sententia videatur verior, discutiam in *Quæstione disputata*.

QUÆRITUR 3. Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis?

RESPONDEO: Forma hujus Sacramenti in Latina Ecclesia consistit in illis verbis Episcopi: *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate Salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

QUÆRITUR 4. Quid sit Chrisma?

RESPONDEO: Per Chrisma intelligitur oleum cum balsamo permixtum, ab Episcopo solenni cæremonia consecratum. Ea consecratio Chrismatis fieri solet in die Cœnæ Domini.

QUÆRITUR 5. Quis sit Minister Sacramenti Confirmationis?

RESPONDEO: Ordinarius Minister est solus Episcopus. Solet tamen nonnunquam collatio Confirmationis etiam committi Presbyteris à Summo Pontifice, prout infrà ostendetur.

QUÆRITUR 6. Quis sit effectus Sacramenti Confirmationis?

RESPONDEO: Effectus hujus Sacramenti est præter characterem indelebilem, qui in hoc Sacramento imprimitur, extensio gratiæ baptismalis in ordine ad communes obligationes vitæ Christianæ congruenter ad cujuslibet peculiarem vocationem perfectè obeundas.

DIXI 1. *Extensio gratiæ baptismalis*, quæ fit per majorem adaptationem potentiarum internarum ad functiones Christianas, in quantum videlicet habitus in Baptismo infusi augentur, & perficiuntur.

DIXI 2. *in ordine ad communes obligationes &c.* Censeo enim, in Confirmatione conferri cuilibet majus lumen ad fidem meliùs agnoscendam, majus robur fortitudinis ad fidem coram Gentilibus, Hæreticis, & profanis hominibus intrepidè profitendam, & ad opera vitæ Christianæ faciliùs, ac perfectiùs obeunda.

DIXI 3. *Congruenter ad cujuslibet peculiarem vocationem.* Verosimile enim est, Deum in distributione gratiarum internarum in Sacramento Confirmationis sequi per analogiam modum illum primævum, quo tempore Apostolorum per Confirmationem simul conferri solebant gratiæ variæ gratis datæ, ad cujuslibet peculiarem vocationem congruæ. Ad dona enim varia Spiritus Sancti in Confirmatione conferri solita pertinere videtur illud Apostoli Rom. 12. v. 6. *Habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive per prophetiam, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate, dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes, solicitudine non pigri, Spiritu ferventes, domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, &c.* dum Apostolus hoc loco, uti etiam 1. Cor. 12. & Ephes. 4. enumerat varias donationes virtutum in gradu heroico, vel aliàs eminenti, videtur planè eam diversitatem referre ad donationes Spiritus Sancti collati in Confirmatione.

Id expressiùs habetur Eph. 4. ubi dicitur: *Obsecro, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis; unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in*

una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unicuique autem nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicitur: Ascendens in altum dedit dona hominibus (per missionem Spiritus Sancti) *ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, &c.* Hæc omnia innuunt, diversitatem donorum, ordinatorum in collatione Spiritus Sancti ad sanctificationem propriam, etiam proportionari ad particularem cujuslibet vocationem. Cæterùm ratio probatur ex sensu communi Ecclesiæ, qui repræsentatur in variis Synodis Diœcesanis, & in Catechismo Tridentini.

I. Catechismus Romanus n. 16. sic habet: *Confirmatio hoc cum cæteris Sacramentis commune habet, ut nisi impedimentum aliquod inveniatur, novam gratiam tribuat. Ex quo sequitur, ut peccata etiam condonet, ac remittat, quoniam gratiam simul cum peccato ne fingere quidem nobis licet. Sed præter hæc, quæ cum aliis Sacramentis communia censenda sunt, primum quidem illud proprie Confirmationi tribuitur, quod Baptismi gratiam perficit. Qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modò geniti* (1. Petri 2. & 1. Cor. 3.) *teneritatem adhuc, & mollitiem quamdam habent, ac deinde Chrismatis Sacramento adversus omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus robustiores fiunt, & eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum, & glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi - - - - Confirmationi ab eo nomen impositum est, quòd hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismo operari cœpit, nosque ad Christianæ Soliditatis perfectionem adducit. Nec verò confirmat solùm, sed auget etiam. Deinde non auget modo, sed admirabili quadam ratione auget. Hoc autem pulcherrimè indumenti translatione* (metaphora) *Scriptura significavit, & expressit; Inquit enim Salvator, cùm de hoc Sacramento loqueretur: Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alta.* Hoc loco manifestè Catechismus *habitum quemdam perfectivum omnium potentiarum animæ* demonstrat.

II. Synodus Tridentina Diœcesana 1592. *Per Baptismum renati Sacramento Confirmationis augentur in gratia, & perfectum animi robur accipiunt, ac ad luctam contra Diabolum, mundum, & carnem armantur, quo stabiles in fidei susceptæ Confessione perfectos se Christi milites exhibeant, quod à Parochis populo Dei diligenter inculcari volumus.*

III. Synodus Augustana 1610. *Rectè jam olim constitutum est, & à nostris Parochis volumus observari, ut ipsorum admonitione permoti parentes, & alii, qui curam baptizatorum puerorum gerunt, eosdem Episcopo confirmandos afferant, neque sinant horum animas tam præsenti, & salutari Sancti Spiritus medicina fraudari. Curent interim Parochi de Sacramenti hujus institutione, præstantia, fructu sæpe docere, simulque septem dona Spiritus Sancti, quæ in hoc Sacramento conferuntur, & accipiuntur, ex professo tractent. Admonendi, qui confirmandi accedent, ut cogitent, Sacramentum Confirmationis rem esse sanctitatis plenam; eapropter huc magna religione accedere eos oportere, ut mentes illorum excellentibus donis Spiritus Sancti plenius imbuantur, & in gratia spirituali contra quævis adversa corroborentur.*

IV. Synodus Patavina 1624. *Inest cuique Sacramento sua peculiaris virtus. Sacri Chrismatis unctione roboramur ad pugnam, divinoque Spiritu in animas illabente ita confirmati solidamur in fide, ut quantumcunque se adversus eos truculenta impietas armet, iisque plena acerbos cruciatus intentet, illi tamen fortasse inania veluti terriculenta derideant.*

V. Synodus Tarvisina 1670. *Baptismi virtute ad spiritualem quidem vitam regenerantur, verùm quia in ipsa cum humani generis hostibus æterna nobis colluctatio manet, ut ipsam sustinere possimus, & de adversariis aliquanda triumphum canere valeamus, tutè nos communiri, validissimisque armis instrui est necesse. Hæc omnia nobis in Sacramento Confirmationis parantur, in quo perfectum animi robur assumimus, & quemadmodum in baptismate ad militiam recipimur, ita in Confirmatione coarmamur ad pugnam, quodsi in illo Spiritus Sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam, in hoc perfectionem ministrat ad gratiam. Quæ omnia singularem ejusmodi Sacramenti vim, atque virtutem nobis admirandam proponunt.*

VI. Synodus Veneta 1714. *Parochos hortamur, ut quamprimùm noverint pueros usum rationis habere, eos instruant, quanti ab eis facienda sit hujusmodi Sacramenti virtus, & efficacia ad resistendum Dæmonum tentationibus, & de inimicis nostris victoriam referendam.*

Ex his, & plurium talium Synodorum declarationibus constat, in Confirmatione conferri Spiritum Sanctum, sed dona Spiritus Sancti non tantùm in ordine ad fidem profitendam coram Tyranno, prout Synodus Patavina restringere videtur, sed etiam adversus omnis generis tentationes, atque ad omnem perfectionem assequendam, prout Catechismus Tridentini, & Textus plerique SS. Patrum declarant. Eundem sensum fovet Synodus Ferrariensis 1726. dum nos de efficacia hujus Sacramenti ad eum Catechismum remittit. *Parochi*, inquit, *explicent populo hujus Sacramenti vim, utilitatemque planè singularem, quod mirifice præstitit Catechismus Romanus, cujus normam, & doctrinam inoffenso pede Parochi prosequantur.*

QUÆRITUR 7. An, & quales adhibendi sint Patrini in Confirmatione?

RESPONDEO: In Confirmatione tantùm licet adhibere unum Patrinum, vel unam Patrinam. Ratio est; quia in Tridentino tantùm fit mentio de uno Patrino Confirmationis; dum verò *unus cum una* Patrina admittitur, solùm est sermo de *Baptismo*. Id etiam ex sensu Ecclesiæ colligitur. SYNODUS BAIXIANA de anno 1614. tit. *de Confirmatione* sic habet: *Ea libertas, quæ in Sacramento Baptismi indulta est, assumendi unum, & unam, nequaquam permittitur in Sacramento Confirmationis, in quo unus, vel una tantùm esse debent, qui tenent.* Consentaneum tamen valde est, ut erga puellas, & fœminas item fœminæ, erga verò mares masculi hoc officium præstent.

QUÆRITUR 8. Inter quos contrahatur cognatio spiritualis in Confirmatione?

RESPONDEO: CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. 24. c. 2. sic habet: *Ea cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, & Confirmatum, illiusque patrem, & matrem, & tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

QUÆ-

QUÆRITUR 9. An omnes baptizati obligentur ad suscipiendum Coofirmationis Sacramentum?

RESPONDEO: Non videntur posse excusari à peccato mortali, qui Sacrameotum boc oblata opportunitate suscipere negligunt.

PROBATUR 1. ex constanti observatiooe, ac sensu Ecclesiæ primis sæculis. Nam, prout ex dicendis *quæst. disput.* constabit, omnes adulti statim suscipiebant Sacramentum Confirmationis cum ipso Baptismo; Hæretici ad Fidem conversi Catholicam recipiebant Sacramentum Confirmationis statim in ipsa eorum receptione ad Ecciesiam. Ergo sensus Ecclesiæ fuit, hoc Sacrameotum à nullo baptizato esse oegligeodum.

PROBATUR 2. authoritate Amalarii l. 1. Officiorum c. 27. ubi ait: *Si quis sine isto baptismate* (Spiritus Sancti) *migraverit de sæculo, periculosum iter arripit.* Sic & Rabanus l. 1. Instit. c. 28. dicit: *Necessarium est, ut statim succurratur baptizato cum Chrismatis unctione, ut Spiritus Sanctus participationem accipiens alienus à Christo non existat.* Item Hugo à Saocto Victore l. 2. part. 7. c. 3. dicit: *Timendum est bis, qui negligentia amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manus impositionem, ne fortè propterea damnentur; quia festinare debuerunt, dum potuerunt.*

PROBATUR 3. Omois Christianus tenetur tendere ad perfectiooem Christianam; ergo ettiam tenetur seriò quærere, & amplecti medium præ omnibus aliis mediis intrinsecè efficax, & à Christo institutum ad perfectionem Christianam. A. p. 1. quia omnes Christiani tenentur reparare imaginem Dei per peccatum corruptam juxta illud Coloss. 3. *Mortui estis cum Christo. Mortificate ergo membra vestra exuentes veterem bominem, & induentes novum, qui renovatur in imaginem ejus, qui creavit illum.* 2. Christus requirit ab omnibus Christianis, ut sint perfecti imitatores sui Patris. Matth. 5. sic dicit: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* 3. Apostolus 1. Thess. 4. dicit: *Scitis, quòd præcepta dederim vobis. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. Qui bæc spernit, non bominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum Sanctum in nobis.* 4. Cum Confirmatio sit appeodix, & explicatio obligationum Baptismi, cum quo antiquitus simul conferebatur, Apostolus Eph. 4. dicit: *Renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum bominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis.* Et Eph. 2. *Ipsius factura sumus, creati* (per Baptismum) *in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Et Gal. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura: & quicunque banc regulam secuti fuerint, pax super illos.* Et ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Et Rom. 6. *Vetus bomo noster* (per Baptismum) *simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Et Gal. 5. v. 24. *Qui Christi sunt* (per Baptismum) *carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis.* Et 1. Pet. 1. *Perfectè sperate quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, ut & ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Renovati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi* (videlicet in Baptismo.) Hæc omnia osteodunt, Baptismum ex sua oatura teodere, atque ordioare bominem ad perfectionem Christianam; cui fini intrinseco repugnare per neglectum medii primarii, nempe Confirmationis, gravi culpa non vacat. Eadem obligatio tendendi ad perfectionem Christianam confirmatur ex mandato diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota fortitudine, & ex omnibus viribus, prout habetur Matth. 22. Marci 12. & Lucæ 10. Item ex illo 2. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.* Et Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non babet, bic non est ejus.* Et Gal. 5. *Si Spiritu vivimus, Spiritu, & ambulemus.* Ex his ergo patet, dari in baptizatis gravem obligationem, oblatâ opportunitate recipiendi Confirmationem; imò si Episcopi noo proficiscerentur in loca suæ Diœcesia remota, dari obligationem gravem suscipiendi aliquot dierum iter, ad obtinendam in Urbe Episcopali Confirmationem. Hioc Synodus Arretina anno 1729. dicit: *Nullus boc Sacramentum recipere ultra decennium differat, nisi necessitas, aut aliqua ratio suadeat, Ordinarii judicio comprobanda.*

QUÆRITUR 10. In qua ætate suscipiendum sit Sacramentum Confirmationis?

RESPONDEO: Catechismus Tridentini p. 2. de Coofirmatione n. 14. sic scribit: *Illud etiam observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire, boc fieri, antequam pueri rationis usum babuerint. Quare si duodecimus annus exspectandus non videatur, usque ad septimum certè boc Sacramentum differre, maximè convenit. Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut ejus virtute optimè instructi, & parati inveniremur, cùm nobis pro Christi fide pugnandum esset, ad quod sanè pugnæ genus pueros, qui adbuc usu rationis carent, non aptos judicarit.* Eodem modo sentiunt varia Statuta Syoodalia. Syoodus Tridentina Diœcesana 1595. sic habet: *Moneant Parocbi, Sacramentum boc summa reverentia, devotione, bumilitate, ac omni puritate, prævia in adultis Confessione, suscipiendum esse. Nulli minori septennio præbeatur.* Synodus Augustana 1610. de Confirmatione n. 4. *Septennes autem Confirmandos esse ut minimum suademus, & desideramus.* Synodus Brixiana 1614. *Parocbi cura sit, ne quis boc Sacramentum suscipiat ante septennium, nec illud in longius tempus, quàm par est, differatur.* Synodus Tarvisina 1670. *Parocbi moneant, ad boc Sacramentum recipiendum nos non esse admissuros eos, qui septimum ætatis annum non expleverint, nisi in gravi fuerint infirmitate constituti.* Synodus Patavina 1624. *Nullis impartietur boc Sacramentum Dominicæ Orationis, & Angelicæ Salutationis, Articulorumque Fidei, & decem Decalogi præceptorum ignaris.* Synodus Veneta 1592. *Ne Sacramentum reiteretur, monemus ex Ecclesiæ approbata consuetudine, ut majores septennio compareant pro suscipienda Confirmatione; minores verò parentes eorum, nisi ubi ad ætatem septem annorum pervenerint, præsentare non poterunt.* His tamen non obstantibus patet ex Sacramentario D. Gregorii M. inferiùs *in Quæst. disput.* Conclus. 1. Prob. 2. referendo, antiquis temporibus etiam infantes adhuc lactentes fuisse confirmatos.

QUÆ-

Quæritur 11. Qualis in adultis requiratur præparatio ad dignè recipiendum Sacramentum Confirmationis?

Respondeo: Catechismus Tridentini monet, ut adulti se præparent Confessione; hortatur etiam, ut recipiant hoc Sacramentum jejuni, seque præviis etiam jejuniis, & aliis operibus pietatis se disponant. Variæ Synodi adhortantur Parochos, ut animos Confirmandorum magna æstimatione donorum Spiritus Sancti imbuant, atque invocatione Spiritus Sancti per officium Spiritus Sancti, vel aliam oratiunculam idoneos reddant. Catechismus n. 15. sic scribit: *Ex dictis efficitur, ut qui adulta jam ætate confirmandi sunt, siquidem hujus Sacramenti gratiam, & dona consequi cupiant, eos non solum fidem, & pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera suscipienda incitentur, admoneanturque, laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut nisi jejuni hoc Sacramentum susciperent, quod quidem Fidelibus facile posse persuaderi existimandum est, si hujus Sacramenti dona, admirabilesque effectus intellexerint.* Synodus Arretina 1729. à Confirmandis etiam exigit schedam testimonialem de Confessione deposita, sic inquiens: *Ut una cum hoc Sacramento quis Spiritus Sancti gratiam plenius assequatur, pœnitentiæ Sacramento animi sordes expiare curet, cumque sese nobis ad recipiendum Sacramentum obtulerit, præ manibus habeat testimonium Confessarii subscriptione munitum.* Synodus Veneta 1667. dicit etiam, quomodo Confirmati se gerere debeant etiam post Confirmationem. *Confirmati*, inquit, *ad recolendam septiformis Spiritus memoriam per unum ex nostris Capellanis moneantur, ut qui legere noverint, per integram hebdomadam officium parvum Spiritus Sancti recitare, qui verò legere nescivérunt, per singulos hebdomadæ dies septies Pater noster, & toties Ave Maria dicere non omittant.* Hæc devotio ad Spiritum Sanctum per modum invocationis haud dubiè magis disponit animum ad uberiorem gratiam, si integra hebdomada vel integro mense ante Confirmationem susciperetur, vel à zeloso Parocho in Ecclesia cum Confirmandis publicè recitaretur, ut etiam qui legere non possunt, ab aliis recitata in animo conciperent.

Quæritur 12. Quid significetur, dum signum crucis in fronte confirmandi imprimitur?

Respondeo: Ut Catechismus Tridentini n. 18. explicat, per hoc signum declaratur, confirmatos nullo metu, aut verecundia, quarum affectionum signa maximè in fronte solent apparere, à libera Christiani nominis Confessione absterrendos esse.

Quæritur 13. Quid significetur, dum Episcopus Confirmando alapam infringit?

Respondeo: Causam hujus cæremoniæ Catechismus Tridentini reddit hanc: *Ut Confirmatus meminerit, se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo cæditur. Postremò pax ei datur, ut intelligat, sese pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecuturum esse*, si videlicet in pugna Christiana superet.

Quæritur 14. Quid significet oleum in Sacramento Confirmationis inunctum?

Respondeo: *Oleum*, inquit Catechismus Romanus, *quod natura sua diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit, quod per Spiritum Sanctum à Christo Capite in alios redundat, atque effunditur, sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron usque in oram vestimenti ejus.* Psal. 132.

Quæritur 15. Quid significet balsamum oleo admixtum?

Respondeo: Prout denuo Catechismus Tridentini explicat; balsamum, cujus odoratus jucundissimus est, Fideles, cùm Sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere: Christi bonus odor sumus Deo. Habet præterea balsamum eam vim, ut quidquid eo circumlitum fuerit, putrescere non sinat; quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem significandam valde accommodatum videtur, cùm planè constet, Fidelium animos cœlesti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, præparatos, facile à scelerum contagione defendi posse.

Quæritur 16. An potestas Confirmandi etiam possit, ac soleat conferri simplici Presbytero?

Respondeo: Ea potestas potest, & solet conferri simplici Presbytero, sed in Latina Ecclesia ea delegatio fit à solo summo Pontifice. Ita declaravit SS. Dominus Noster Benedictus XIV. de Synodo c. 7. 8. & 9. ubi asserit, 1. dubitari non posse, Summo Pontifici competere potestatem hanc delegandi simplici Presbytero. 2. Etiam Presbytero à Papa committi posse potestatem consecrandi Chrisma, neque necessarium esse, ut utatur Consecrato per Episcopum. 3. Episcopos de facto, ubi summus Pontifex sibi reservavit potestatem delegandi Presbyteris hanc potestatem, non habere potestatem, eam potestatem delegandi Presbyteris. 4. Utrum spectato præcise Jure Divino Episcopi habeant potestatem delegandi Presbyteris potestatem, esse quæstionem controversam inter graves authores, in qua etiam pro affirmativa sententia *non levia* stant argumenta. 5. In Ecclesia Græca in iis locis, ubi summus Pontifex morem conferendi Confirmationem per Presbyteros notorium tolerat, eam Confirmationem tanquam ex tacita delegatione Summorum Pontificum validam esse; econtra in aliis locis, in quibus Græci Latino Ritui addictis permixtim vivunt, ubi Summi Pontifices eam Confirmationem pro irrita declarant, eam Confirmationem invalidam esse, eo quòd in tali casu, & loco ejusmodi Græci Presbyteri non habeant delegationem à Summo Pontifice. Textum SS. Domini Nostri Benedicti XIV. annecto ad finem *Quæstionis Disputatæ*.

Quæritur 17. An expediat, ut Episcopus inungat infantes periculosè decumbentes?

Respondeo 1. Ut Episcopus veniat in domum infantium, qui certò necdum sunt rationis compotes, eosque ante obitum confirmet, non habetur exemplum in Ecclesia. Id probatur negativè; quia nullum ejusmodi exemplum proferri potest.

Respon-

Respondeo 2. Ut Episcopus veniat in domum adolescentium, qui jam sunt rationis compotes, eosque ante obitum confirmet, non improbatur à SS. Domino Nostro Benedicto XIV. Id probatur ex ejus Dissertatione ad finem *Quæstionis Disputatæ* anoectenda. Certè Em. Cardinalis Quadagnius in Synodo sua Aretina 1729. pro suo zelo, & fervore charitatis ardentis *tit. de Confirmatione* sic scribit: *Si quis adolescens extiterit, aut puer, compos tamen rationis, qui æger in postremo vitæ cursu versetur, & hoc Sacramento insignitus adhuc non esset, Parochus illum moneat, eique omnino suadeat, ut hujusmodi Sacramentum plurimùm in votis habeat, ejusque summopere flagret desiderio, quem, si provecta erit ætate, Sacramento ritè confirmare non omittemus, dummodo hoc nobis expedire videatur.* Ego verò hoc loco præ oculis habendam esse censeo morem universalis Ecclesiæ, à qua D. Thomas relatus *de Baptismo* §. 3. qq 7. non esse recedendum monet; si enim nullum reperitur exemplum, quòd *Clinicis* simul impensum fuerit cum Baptismo, vel extrema unctione Sacramentum Confirmationis, Episcopis non videtur propterea movendus scrupulus; quia ad solam luctam in articulo mortis sufficienter armat Eucharistia, & extrema unctio.

QUÆSTIO DISPUTATA.

Quænam sit materia essentialis Sacramenti Confirmationis?

Notandum I. Quæstionem potissimum versari in eo, utrùm sola impositio manuum super caput confirmandi sit materia essentialis Confirmationis? vel sola inunctio Chrismatis? vel utraque simul? Solam manuum impositionem esse materiam essentialem defendit Sirmondus. Solam inunctionem Chrismatis admittit D. Thomas. Utramque esse simul materiam totalem, & adæquatam, solam autem impositionem manuum, vel solam inunctionem esse tantùm inadæquatam, docet Tournelius, & alii.

Notandum 2. Duplicem in Confirmatione fieri impositionem manuum. Una est *generalis*, ac *moralis*, qua Episcopus ante actum Confirmationis extendit manus versus Confirmandos, quasi manus super eos impositurus, quamvis physicè nec unum attingat. Altera est *particularis*, ac *physica*, dum Episcopus frontem Confirmandi signat signo crucis, & chrismate inungit.

Notandum 3. Resolutionem hujus quæstionis non parùm dependere ex resolutione alterius quæstionis, an Scriptores primitivæ Ecclesiæ loquantur de primo, vel secundo genere impositionis manuum, vel de neutro, sed de alia impositione manuum *physica*, & *particulari*, qua Episcopus super singulorum Confirmandorum caput imponebat manus ante singulorum consignationem.

Dico I. Scriptores Latinæ Ecclesiæ primis octo sæculis per impositionem manuum in Confirmatione intellexerunt sæpe tantùm impositionem manuum *moralem*, seu *generalem*.

Probatur I. Tertullianus *l. de Resurrectione c.* 8. quando loquitur de impositione manuum, eam solùm vocat *obumbrationem*; in obumbratione verò non fit attactus physicus membrandi, & corporis obumbrati; ergo ea impositio manuum erat tantùm moralis. Textus sic habet: *Caro ungitur, ut anima consecretur; Caro signatur, ut & anima muniatur; Caro manus impositione obumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* Hæc antithesis inter adumbrationem, & illustrationem ostendit, quòd loquatur de propria obumbratione, & non de attactu physico, seu tectione.

Probatur 2. Id ipsum, quod in antiquissimo Sacramentario S. Gregorii M. vocatur *levatio manus super capita omnium*, in Ordine Romano antiquissimo vocatur *elevatio, & impositio manus* super capita omnium; ergo sæculo VII. & VIII. ista duo adhuc erant synonima. Marinus in Dissert. de Confirmatione c. 3. totum ritum veterem Confirmationis in Latina Ecclesia exhibet his verbis: „Antiquissimum S. Gregorii Sacramentarium, quod est in Abbatia S. Germani pulcherrimè scriptum, utriusque Chrismationis Presbyteralis (in Baptismo) & Episcopalis (in Confirmatione) ritum, & ordinem sic explicat, quem totum verbum è verbo referimus. Ut autem surrexerit à fonte, ille qui eum suscipit, offerat eum uni Presbytero, qui faciat signum crucis de chrismate cum pollice in vertice ejus, dicens: Deus omnipotens, Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam. Respondetur: Amen. Et baptizantur, & parati sunt, qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum, & accipiunt ipsos à Presbyteris, qui eos baptizant. Pontifex verò redit in Sacrarium exspectans, ut cùm vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Qui etiam non prohibentur lactari ante sacram Communionem, si necesse fuerit. Inducti verò ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt; & infantes quidem in brachiis dextris tenentur; Majores verò pedem ponunt super pedem Patrini sui. Deinde Schola jussa facit Letaniam, quinam ad fontes. Pontifex verò veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma, involutis scapulis, & brachiis ex panno linneo, & levata manu super capita omnium dicit: Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de cœlis, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii, & fortitudinis, Spiritum sapientiæ, & pietatis, adimple eos Spiritu timoris sui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti. Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Et interrogantibus Diaconibus nomina singulorum Pontifex tincto pollice in Chrismate facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim." Eadem omnino habet iisdem verbis, & syllabis liber Sacramentorum S. Gregorii ex antiquissimo Codice Vaticano Romæ editus. Ordo Romanus excusus habet: *Elevata, & imposita manu super capita omnium &c.*

ALCUINUS: *Imposita manu &c.* CODEX TILIANUS: *Elevata, & composita manu super capita omnium.* IN PONTIFICALI ROMANO: *Tunc extensis versus Confirmandos manibus, dicit: Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.* ùt in Sacramentario Gregoriano, qua finita oratione Pontifex ipse interrogatis singulorum nominibus pollice in chrismate tincto signum crucis in eorum frontibus pingit. Hucusque P. Morinus.

PROBATUR 3. In Confirmationis Ritu, qui observatur apud Æthiopes imitantes Ecclesiam Alexandrinam, cui subjecti sunt, manifestè *per impositionem manuum* tantùm intelligitur *impositio moralis, seu generalis.* In eo Ritu, prout editus in Bibliotheca Patrum tom. 6. Confirmatio incipitur ab inunctione frontis, & completur in impositione manus super capita omnium. Titulus totius Ritus est sequens: *Orationes, quas dicit Sacerdos, cùm imponit manus super eos, qui Confirmandi sunt.* Post cæremoniam inunctionis sic habetur: *Postea* (Pontifex) *imponit manum suam super eos, & dicit: Benedicti sitis benedictione Angelorum cælestium. Benedicat vobis Dominus noster Jesus Christus. Accipite Spiritum Sanctum per virtutem Dei Patris, per virtutem Filii Jesu Christi, & per virtutem Spiritus Sancti; sitis vasa electa, & munda Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria cum Patre, & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.* Ita Ritus Æthiopum. Ex hoc autem apparet, quòd, cùm sub impositione manuum orationes dirigantur ad omnes in plurali, etiam impositio manuum, qua durante fiunt orationes, tantùm fit generalis super omnes simul collectivè sumptos, adeoque fit tantùm moralis.

PROBATUR 4. Alcuinus scriptor sæculi octavi per impositionem manus tantùm intelligit impositionem generalem, seu moralem; ergo, cùm fuerit doctissimus, & Præceptor Caroli M. præsumendum est, ex usu generali Ecclesiæ fuisse tunc temporis eam significationem nominis. a. p. Alcuinus loquens de cæremoniis Ecclesiæ in Sabbato sancto ex more Romano sic scribit: *Postquam* (baptizati) *vestiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum, quibus dat singulis stolam candidam Chrismalem, & sic vestiuntur. Et postquam induti fuerint, dat Pontifex super eos orationem, imposita scilicet manu super capita eorum cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus Sancti. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare &c. Hac finita facit crucem de Chrismate cum pollice in singulorum frontibus &c.* Ex hoc textu Alcuini patet, quòd id ipsum, quod in Pontificali Romano vocatur *extensio manuum versus Confirmandos*, ab eo vocetur *impositio manus*, eandem etiam orationem cum illa impositione manus conjungit, quam Pontificale Romanum *extensioni manuum versus Confirmandos* conjungit.

Idem CONFIRMATUR ex eo; quia dum Alcuinus de inunctione dicit, quòd fiat in *singulorum frontibus;* econtra, ubi loquitur de impositione manus, non dicit, *super capita singulorum*, sed tantùm *super capita eorum.* Denique cùm oratio, quæ pronuntiatur à Pontifice durante *impositione manus* designata ab Alcuino, fiat super omnes Confirmandos collectivè sumptos, satis manifestum est, etiam *impositionem manus*, de qua loquitur Alcuinus, esse tantùm generalem, seu moralem. Quòd autem oratio illa sit generalis, patet ex Sacramentario D. Gregorii, *superiùs in Probatione secunda* adducto. Ibi enim dicitur: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos &c.*

PROBATUR 5. S. GREGORIUS M. expresse contradistinguit impositionem manus ab inunctione Chrismatis; ergo sub termino impositionis manus non intelligit impositionem manus physicam consistentem in signatione, seu Chrismatione frontis. a. p. In l. 9. Ep. 61. ad Quirinum sic habet: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresin in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis ad ingressum S. Ecclesiæ Catholicæ oriens reformat.*

PROBATUR 6. Author *Constitutionum Apostolicarum* l. 8. c. 39. etiam ritum benedicendi totum populum vocat impositionem manuum. Sic enim habet: *impositio manus matutina. Oratio. Deus respice populum hunc, qui tibi capita sua inclinarunt.*

DICO 2. Jam sæculo VIII. per impositionem manus à nonnullis intelligi cæpit illa impositio manus physica, quæ fit per signationem ac chrismationem frontis.

PROB. CONCLUS. ex variis textibus Scriptorum, qui vixerunt sæculo IX. X. XI. & XII. 1. RABANUS MAURUS l. 1. *de Institutione Clericorum* c. 30. dicit: *Novissimè à Summo Sacerdote per impositionem manus traditur illi Spiritus Sanctus, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est. Signatur enim baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem in Capitis Summitate, per Pontificem verò in fronte.* 2. RUPERTUS ABBAS l. 5. *de divinis Officiis* c. 16. *Omnis Ecclesia unctione Chrismatis per impositionem manuum consecratur. Quod solis debeatur Episcopis, ut consignent, & Spiritum Paracletum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & Lectio Actorum Apostolorum, quæ asserit, quibusdam baptizatis per impositionem manuum datum esse Spiritum Sanctum. Act. 8. Et cùm imposuisset manus illis prolibus, venit super eos Spiritus Sanctus.* Item in alio loco: *tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum. Ubi apertè datur intelligi, solis Pontificibus deberi, ut consignent, & Paracletum tradant. Legitur autem in Gestis Pontificalibus, quòd Sylvester Papa constituit, ut baptizatum liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua propter occasiones transitus mortis, ne propter absentiam Episcopi sine manus impositione baptizati migrent. Presbyteris itaque chrismate baptizatos ungere licet, non tamen frontem, quod solis Episcopis debetur, sed verticem.* Hoc loco Rupertus non obscurè etiam inunctionem Presbyteri in vertice vocat impositionem manus. 3. WALAFRIDUS STRABO *Rerum Ecclesiasticarum* c. 26. *Mystici lavacri gradatim celebratio*

bratio crevit; addiderunt alii Chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine non est, qui dubitet, cum primis temporibus impositione manuum Baptismum conferri soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur, & Joannem. 4. Hugo de S. Victore l. 2. part. 7. c. 2. dicit: *Manus impositio, quæ confirmatio vocatur, qua Christianus unctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur, solis Episcopis debetur, ut Christianum consignent, & Spiritum Sanctum tribuant; sicut in primitiva Ecclesia Spiritum Sanctum per impositionem manuum dandi soli Apostoli potestatem habuisse leguntur.* Item l. c. part. 15. c. 1. *Pontifex per impositionem manus Confirmandos ungit in fronte.* Et l. c. part. 7. c. 3. *Sylvester Papa constituit, ut baptizatum Presbyter in vertice Chrismate liniat, propter occasionem mortis, ne fortè per absentiam Episcopi sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret.* 5. Venerabilis Beda Scriptor sæculi VIII. in Psal. 26. dicit: *Sciendum, quòd illa unctio, quæ per manuum impositionem ab Episcopo fit, & Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda* (quæ in Baptismo confertur) *propter arrogantiam tamen non concessa singulis Sacerdotibus.*

Dico 3. Materia essentialis Confirmationis est sola impositio manuum, ut contracta ad speciem infimam inunctionis ex determinatione Ecclesiæ.

Dixi, *ut contracta ad speciem infimam ex determinatione Ecclesiæ.* Suppono enim, quòd Ecclesia habeat potestatem determinandi materiam, & formam Sacramentorum quoad speciem infimam, prout ostensum est *in Tract. de Sacramento in genere disp.* 2. *q.* 1. Ex hoc ergo supposito dico, materiam Sacramenti Confirmationis fuisse à Christo determinatam sub ratione generica *impositionis manuum*, tanquam modum à Christo discipulis suo exemplo demonstratum valdè idoneum ad conferendas hominibus omnigenæ benedictionis cœlestis gratias. Hæc autem impositio mannum recipit varias species, quæ determinari possunt ab Ecclesia. Potest enim 1. fieri impositione manuum morali per modum obumbrationis. 2. Potest fieri per impositionem manuum physicam super caput Confirmandi. 3. Potest fieri per solam signationem frontis sine inunctione Chrismatis. 4. Potest fieri per signationem frontis cum inunctione Chrismatis. Dico proin Apostolos suis temporibus adhibuisse primum genus impositionis, vel secundum. Ecclesiam Latinam adhibuisse primum, & quartum ordinariè; Tertium autem respectu hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium. Ecclesiam verò Græcam pro materia essentiali determinasse solum quartum modum ex consensu Apostoli Petri.

Prob. Conclus. 1. In hac sententia concordantur omnium facillimè textus SS. Patrum, & redditur plana ratio omnium consuetudinum Ecclesiæ, in hac re variantium; ergo est præferenda. A. p. ab inductione. Sic enim 1. in hac sententia explicatur, ac redditur ratio, cur in Scriptura, ubi est sermo de Confirmatione, tantùm fiat mentio *impositionis manuum.* Facilè enim respondetur, quòd Apostoli pro congruentia illorum temporum voluerint uti sola impositione manuum, saltem apud Gentiles, minus assuetos ejusmodi cæremoniis unctionum usitatis in Religione Judaica; donec etiam inter Gentes formaretur Ecclesia magis patiens talium unctionum. 2. Potest reddi ratio, cur D. Petrus in Ecclesia Græca, mixta ex variis gentibus, voluerit determinare impositionem magis simplicem per solam consignationem frontis, decoram tamen & mysticam cum inunctione Chrismatis. 3. Potest reddi ratio, cur D. Petrus in Ecclesia Occidentali Latina voluerit retinere etiam primum genus impositionis cum impositione manus physica, & inunctione Chrismatis physica; ut nempe in hac Ecclesia semper retineretur vestigium primæ observantiæ ad majus decus, & formam antiquitatis primævæ. 4. Potest reddi ratio, cur in Ecclesia Latina hæretici fuerint Confirmati per solam impositionem manuum sine inunctione Chrismatis; quia Summis Pontificibus visum est, in receptione hæreticorum minori utendum esse solennitate, aut certè œconomia, ne ab hæreticis exprobrari Ecclesiæ posset, Catholicos esse illas muscas, quæ perdunt suavitatem unguenti, hoc est, Chrismatis collati invalidè ab hæreticis in Baptismo. 5. Denique potest reddi facilis ratio, cur Patres, & Concilia gratiam Spiritus Sancti in hoc Sacramento collatam aliquando adscribant tantùm impositioni manuum, aliquando tantùm inunctioni Chrismatis, aliquando utrique. Potest etiam dici, quòd ea vis adscribatur impositioni manus tanquam generi à Christo determinato, contento in specie, nempe in impositione manus ut contracta ad inunctionem Chrismatis; vel quòd ea vis tribuatur vicissim Chrismationi tanquam speciei infimæ impositionis manuum. Ut autem appareat necessitas sic concordandi textus Patrum, & varias consuetudines Ecclesiæ, adduco textus, & consuetudines Ecclesiæ variantes.

Prob. Conclus. 2. Authoritate Scripturæ, & SS. Patrum, ubi collatio Spiritus Sancti simpliciter tantùm tribuitur impositioni manus. 1. Act. 8. v. 14. dicitur: *Cùm audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Domini, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tum imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Cùm autem vidisset Simon* (Magus) *quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Circa hunc textum observo, si Apostoli ad conferendum Spiritum Sanctum adhibuissent inunctionem Chrismatis, verosimile est, Simonem Magum potius existimaturum fuisse, quòd lateret aliqua vis magica in oleo; & sic potius petiisset artem conficiendi hoc unguentum, quàm virtutem conferendi Spiritum Sanctum per impositionem manus. Imo hæc ipsa fortè erat ratio, cur Apostoli ad præcavendam omnem speciem magiæ ab initio voluerunt modo simplicissimo conferre dona Spiritus Sancti.

2. Actorum 19. dicitur: *Factum est, ut Paulus veniret Ephesum, & inveniret quosdam discipulos, dixitque ad eos, si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiri-*

Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? qui dixerunt: In Joannis baptismate; dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ &c. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant; Erant autem viri ferè duodecim. Non est verosimile, quòd Apostolus toto orbe tulerit balsamum, & oleum secum, aut quòd illud toties incarceratus, & relegatus in promptu habere potuerit.

3. Hebr. 6. v. 2. Confirmatio nondum vocatur unctio, sed impositio manus. *Ad perfectionem feramur non rursus jacientes fundamentum baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, &c.*

4. Post tempora Apostolorum fit quidem tam in Latina, quàm Græca Ecclesia mentio chrismatis, sed Sacramentum non vocatur chrismatio, vel unctio, sed tantùm impositio manuum: neque collatio gratiæ adscribitur unctioni, sed impositioni manuum. Author Constitutionum Apostolicarum licèt l. 3. c. 17. dicat: *Baptismus datur in mortem Filii Dei, aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu Sancto, signum crucis pro cruce, chrisma confirmatio confessionis est.* Per hæc ipsa tamen verba satis ostendit, se oleum tantùm considerare per modum signi speculativi, ac rememorativi collatæ per Apostolos gratiæ Spiritus Sancti; sicut aqua per immersionem est tantùm signum speculativum, ac rememorativum sepulturæ, & signum crucis est signum rememorativum, seu repræsentativum crucis in Calvario; imò totam Chrismationem asserit tantùm esse signum protestativum Confessionis in Baptismo depositæ de Spiritu Sancto. Econtra collationem gratiæ adscribit ipsi impositioni manuum. Nam eod. l. 3. c. 10. prius dixerat: *Laico non permittimus facere aliquod opus Sacerdotale, ut Sacrificium, aut Baptismum, aut impositionem manus, aut benedictionem seu parvam, seu magnam; Hujusmodi enim gratia per impositionem manuum Episcopi datur.*

5. TERTULLIANUS l. de Resurrectione, licèt c. 8. ostenderit ad quid significandum unctio, & consignatio fiant illis verbis: *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut & anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* Tamen in l. de Baptismo c. 7. & c. 8. collationem gratiæ non soli inunctioni quà tali, sed tanquam ultimo determinativo ad gratiam adscribit impositioni manuum. *Egressi de lavacro perunguntur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo in Sacerdotium solebant. Unde Christus dicitur à chrismate, quod est unctio, qua Spiritu unctus est à Patre. Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quo in aqua mergimur, spiritualis effectus, quo delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum; Sed & hoc quoque de veteri Sacramento, quo nepotes suos ex Joseph, Ephraim, & Manassen Jacob capitibus impositis manibus benedixit. Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata, & benedicta corpora libens à Patre descendit.* Ex hoc textu liquet, quòd Tertullianus in Africa, ubi sequebantur ritum Æthiopum juxta Alexandrinæ Ecclesiæ morem, nempe prius inungendo, ac dein primùm imponendo manus, non agnoverit in ipsa inunctione vim, conferendi gratiam, cùm primùm per subsequentem impositionem manus *advocetur*, & *invitetur Spiritus Sanctus.*

6. S. CYPRIANUS Ep. 72. ad Jubajanum: *Illos, qui in Samaria crediderant, quia Baptismum consecuti fuerant, baptizari ultra non oportebat; sed tantummodò, quod deerat, id à Petro, & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consignentur.* In hoc textu consummatio adscribitur quidem signaculo, seu characteri, sed character consequitur consecutionem Spiritus Sancti, quam S. Cyprianus tribuit impositioni manus.

7. CONCILIUM ARELATENSE I. Can. 8. de Afris, *quòd* (quamvis) *rebaptizent, placuit, ut si aliquis ad Ecclesiam de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si præviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.*

8. CONCILIUM ELIBERITANUM c. 38. dicit: *Posse fidelem baptizare in necessitate infirmitatis Catechumenum, ita, ut, si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit. Perfici* in lingua veterum Patrum idem est, ac Sacramentum Confirmationis consequi.

9. OPTATUS MILEVIT. l. 4. *Spirituale oleum in imagine columbæ in Christum descendit, quando unctus est à Deo Patre: Cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis: Hic est Filius meus dilectus.* Hic textus ostendit, gratiam, seu dilectionem Patris alligari impositioni manus.

10. S. HIERONYMUS in Dial. adversus Luciferianos dicit: *Non abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus Urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

11. S. AMBROSIUS l. 4. de Sacramentis c. 2. *Sequitur spirituale signaculum, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* Si hi duo textus D. Hieronymi, & S. Ambrosii conjungantur, colligitur, etiam apud Hieronymum ad invocationem Spiritus Sancti, quæ cum impositione manuum conjungitur, infundi Spiritum Sanctum.

12. S. LEO Ep. 35. v. 37. c. 2. si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, quia hoc Sacramentum regenerationis nullatenus iteretur, sed hoc tantùm, quod ibi deficit, conferatur, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur.

13. CONCILIUM HISPALENSE II. c. 7. *Per impositiones manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Spiritum Sanctum tradere Episcopis tantùm licet.*

14. S. GREGORIUS M. l. 9. Ep. 61. Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem

ctionem verò ſancti Chriſmatis ad ingreſſum S. Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformatur.

15. DAMASUS in Pontificali de Euſebio Papa ſcribit: *Hæreticos invenit in Urbe Roma, quos ſola manuum impoſitione reconciliavit.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Reperiuntur plurimi textus Patrum, qui ipſi chriſmationi adſcribunt collationem Spiritus Sancti; ergo Chriſmatio eſt materia Baptiſmi, vel adæquata, vel ſaltem inadæquata. a. p. ab inductione.

I. TERTULLIANUS l. de Reſurr. c. 8. dicit: *Caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut & anima muniatur.*

II. S. CYPRIANUS Ep. 70. ad Januarium: *Ungi neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, id eſt, unctione eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.*

III. ORIGENES Hom. 8. in Levit. *Purificatio per omnia illa datur, quæ ſupra enarravimus. Donum autem gratiæ Spiritus Sancti per olei imaginem deſignatur, ut non ſolùm purgationem conſequi poſſetis, qui convertitur à peccatis, ſed etiam Spiritu Sancto repleri.*

IV. S. AUGUSTINUS l. 2. Cont. Lit. Petiliani c. 104. *Sacramentum Chriſmatis in genere ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.*

V. CYRILLUS JEROSOLYMITANUS Catecheſi Myſtagogica 3. *Eſt Chriſma Chriſti, quo frons, & alii ſenſus corporis tui ſymbolicè inunguntur, & corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur; anima vero ſancto, & vivifico Spiritu ſanctificatur.*

VI. S. GREGORIUS NAZIANZENUS Orat. 40. *Si per Baptiſmum te præmunieris, animam, & corpus unctione, & Spiritu conſignans.*

VII. THEODORETUS in c. 1. Canticorum: *Qui initiantur Baptiſmo poſt Satanæ abnegationem, & Dei confeſſionem veluti ſigno, ac nota quadam regia ſpiritualis unguenti chriſmate inuncti ſub ea viſibili unguenti ſpecie inviſibilem SS. Spiritus gratiam ſuſcipiunt.* Plurimos alios ejusmodi textus offert Morinus tam ex Græcis Patribus, quàm ex Latinis.

RESPONDEO: diſt. a. reperiuntur plurimi Patrum textus, qui Chriſmationi attribuunt collationem Sancti Spiritus tanquam ſpeciei impoſitionis manuum, ſeu parti poteſtativæ hujus totius, quod eſt impoſitio manuum. c. tanquam generi, vel parti condiſtinctæ ab impoſitione manuum. n. a. Sicut enim homo, leo &c. tantùm eſt pars poteſtativa, ſeu ſpecies hujus totius, quod eſt *animal*; ita *impoſitio manuum* eſt aliquod totum poteſtativum ſub ſe continens diverſas ſpecies impoſitionum. Aliqua enim impoſitio manuum eſt moralis, ſeu generalis per modum *obumbrationis*; alia phyſica per *attactum* phyſicum; alia per *conſignationem verticis*; alia per *conſignationem frontis*; alia per conſignationem *inunctivam*; alia per inunctionem *non inunctivam*. Dico proin, Eccleſiam inter varias ſpecies impoſitionis manuum elegiſſe *inunctivam*; Cùm igitur manifeſtum ſit, omnia prædicata, quæ conveniunt generi, etiam convenire ſpeciei, mirum non eſt, virtutem collativam Spiritus Sancti, quæ convenit impoſitioni manuum, ordinatæ ad collationem Spiritus Sancti, eam etiam tribui poſſe, ac debere ipſi Chriſmationi tanquam ſpeciei contentæ ſub genere.

DICAS: Primis VIII. ſæculis intelligebatur per impoſitionem manuum aliquid realiter diſtinctum à Chriſmatione; ergo non poteſt dici, quòd impoſitio manuum ſe habeat per modum generis, & Chriſmatio per modum ſpeciei. C. PATET; quia genus nunquam diſtinguitur realiter à ſua ſpecie. v. g. ratio animalis ab homine. A. PATET ex dictis in Concluſione I.

RESPONDEO: diſt. a. Primis VIII. ſæculis intelligebatur per impoſitionem manuum aliquid realiter diſtinctum à Chriſmatione in conſideratione phyſica. c. in conſideratione morali. n. a. In conſideratione enim morali impoſitio manuum per obumbrationem, vel ſolam conſignationem dicit omnes actiones ſubſequentes, vel antecedentes, ex determinatione Eccleſiæ coordinatas per modum partia poteſtativæ magis determinativæ, ac ſpecificativæ generis in ratione ſigni ſymbolici gratiæ conferendæ, ita ut actio impoſitiva manuum conſideretur per modum unius actionis continuæ cum Chriſmatione, quæ impoſitionem manuum in ratione ſigni Symbolici repræſentativi gratiæ internæ magis ſpecificat.

OBJICITUR 2. D. Thomas p. 3. q. 72. a. 2. C. pro materia Confirmationis aſſignat ſolam Chriſmationem; ergo. a. p. ex ejus textu. *Dicendum*, inquit, *quod Chriſma eſt conveniens materia hujus Sacramenti.*

RESPONDEO: Diſt. dicit, quòd Chriſma ſit materia Sacramenti conſiderando materiam ſub ſpecie infima determinata per Eccleſiam, & loquendo de materia remota. c. Conſiderando materiam ſub ratione generica determinata à Chriſto, & loquendo de proxima materia. n. quòd autem D. Thomas effectum Sacramenti Confirmationis non adſcribat materiæ remotæ, ſeu Chriſmati, ſed materiæ proximæ, ſeu Chriſmationi, manifeſtum eſt ex iis, quæ ſcribit in 4. diſt. 7. q. 3. a. 2. qq. C. his verbis: *In materia* (Confirmationis) *Chriſma in modum crucis effunditur.* Et ad 2. *Dicendum, quòd quidam dicunt, ipſum Chriſma eſſe Sacramentum, ſed hoc falſum apparet in hoc, quòd uſus Chriſmatis in pluribus eſt, quàm Sacramentum Confirmationis, ſicut patet in baptizato, qui Chriſmate in fronte* (vertice) *linitur, & de Pontifice, cujus caput Chriſmate tangitur. Et ideo dicendum, quòd hoc Sacramentum Confirmationis non eſt ipſum Chriſma, ſed linitio Chriſmatis ſub forma præſcripta verborum.* Ita S. Doctor. Cùm ergo linitio Chriſmatis ſit quædam ſpecifica impoſitio manus, D. Thomas non negat, impoſitionem manus eſſe ſpecificè conſideratam ſub ratione Chriſmationis materiam proximam Sacramenti Confirmationis.

Id CONFIRMATUR ex eo; quia D. Thomas l. c. qq. 1. ad 1. non improbat poſitivè opinionem, quæ aſſerebat, Sacramentum Confirmationis per impoſitionem manuum Chriſti fuiſſe præfiguratum, ſed ab Apoſtolis inſtitutum, puta quoad ſpeciem infimam. *Secundùm unam opinionem*, inquit, *ea, quæ ad hoc Sacramentum pertinent,*

nent, non fuerunt ante Christum instituenda; sed aliquo modo præfiguratum fuit hoc Sacramentum in manus impositione super pueros. Nec hoc differt, sive Dominus ipsemet instituit, sive Apostoli ejus speciali præcepto.

Dices: S. Thomas docet, quòd Apostoli contulerint hoc Sacramentum sine materia; ergo impositio manuum, qua utebantur Apostoli, non rectè allegatur pro materia Confirmationis.

Respondeo 1. Dist. dicit hoc tanquam aliquid possibile, vel tanquam rem possibilem. c. tanquam veritatem constantem, vel necessariam. n. D. Thomas locis supra citatis respondet ad objectionem eorum, qui existimabant ab Apostolis non fuisse adhibitam materiam Sacramenti, atque ex hoc supposito inferebant, ne quidem nunc requiri materiam Sacramenti; dicit proin hoc non consequi; quia in ea suppositione, quòd nulla fuerint usi materia, dicendum, quòd Spiritum Sanctum contulerint extrasacramentaliter, ac miraculose per signa alia visibilia, ut proin non fuerit opus *signo Symbolico*.

Respondeo 2. Dist. dicit, quòd non usi fuerint materia aliquando, & aliquamdiu c. semper, & constanter. n. Nam p. 3. q. 72. a. 2. ad 1. expresse dicit, quòd Apostoli usi fuerint materia Chrismatis, quando Spiritus Sanctus non amplius conferebatur aliis visibilibus signis. Ad impositionem manus Apostolorum descendebat plenitudo Spiritus Sancti super Fideles sub visibilibus signis, sicut à principio descendebat super Apostolos. Unde Petrus Act. 11. dicit: Cùm cœpissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Et ideo non erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebant divinitùs. Utebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Ex his omnibus proin potius confirmatur, quòd Chrismatio fuerit pro materia Confirmationis determinata ab Ecclesia juxta mentem D. Thomæ.

Dices 2. Nec D. Thomas probat, nisi ex supposititio Dionysio Areopagita, nec Scriptura hoc ullibi innuit, quòd Apostoli usi fuerint Chrismatione in collatione Spiritus Sancti, nec potest ostendi, quandonam ea determinatio Chrismationis facta sit ab Apostolis; ergo hæc determinatio Ecclesiæ est fictitia.

Respondeo. n. a. Nam D. Thomas l. c. a. 4. allegat traditionem, in qua fundebatur ille supposititius Dionysius; Scriptura autem 2. Cor. 1. non obscurè alludit ad Sacramentum Confirmationis, ac cæremoniam Chrismationis, dum Apostolus, postquam enumeraverat maximas tribulationes causa fidei toleratas, in quibus opus est gratia Spiritus Sancti confirmantis, & confortantis, sic scribit: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad eandem unctionem quasi regiam, & sacerdotalem alludere videtur D. Petrus 1. Ep. 2. v. 9. *Fideles vocat genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam.* Omnium autem accommodatissimè hæc determinatio Ecclesiæ facta dicitur finito Concilio Jerosolymitano Apostolico, ubi conclusum fuerat, etiam Gentibus conferendum esse Baptismum, & Confirmationem, seu collationem Spiritus Sancti, cùm eam voluntatem Deus revolverit per visibilem, ac miraculosum influxum Spiritus Sancti in Cornelium, & ejus domesticos, ac familiares Gentiles.

Tractatus
DE
SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Sacramentum Eucharistiæ communiter describitur, quod sit *Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum.* De hoc Sacramento instituo sequentes Disputationes.

I. De existentia hujus Sacramenti.
II. De materia & forma aliisque partibus hujus Sacramenti.
III. De Transsubstantiatione.
IV. De Accidentibus Eucharisticis.
V. De effectu, & frequenti usu hujus Sacramenti, & de devotione requisita.
VI. Quæstiunculæ de necessitate, obligatione, Ministro, dispositionibus prærequisitis, & proprietatibus Eucharistiæ.

DISPUTATIO I.

Disputatio hæc dividitur in sequentes quæstiones.

1. An existentia hujus Sacramenti efficaciter probetur ex verbis Christi *Joa.* 6.?
2. An existentia hujus Sacramenti efficaciter probetur ex verbis Christi in ultima Cœna? & ex verbis Apostoli 1. *Cor.* 11.?
3. An existentia hujus Sacramenti efficaciter probetur ex constanti traditione SS. Patrum?

QUÆSTIO I.

An existentia Sacramenti Eucharistiæ efficaciter probetur ex verbis Christi Joa. 6.

NOTANDUM 1. In Evangelio *Joannis* 6. extare longum sermonem Christi, quem circiter integro anno ante suam Passionem ad Capharnaitas suos concives habuit. In hoc sermone Christus sæpius repetit, quod *sua caro vere sit cibus*, & quod *suus sanguis vere sit potus.* De his proin verbis quæritur; an ex iis *efficaciter* probari possit existentia Sacramenti Eucharistiæ?

NOTANDUM 2. Dum quæro; an existentia hujus Sacramenti possit efficaciter probari ex iis verbis; à me non exigi demonstrationem rigorosam, cui seorsim spectatæ non possit opponi ratio aliqua dubitandi saltem apparens, sed *efficacem probationem* eam voco, quæ objectum faciat evidenter credibilius opposito. Cum enim in *Tractatu de fide* ostensum sit; eam Religionem esse certissime veram; quæ est evidenter credibilior cæteris religionibus omnibus; & ea evidentia majoris credibilitatis consurget ex credibilitate evidenter majori articulorum fundamentalium, consequitur, articulum hunc fundamentalem Religionis Catholicæ efficaciter probatum fore, si ostendatur; evidenter esse credibilius; Christum de Sacramento Eucharistiæ superius descripto locutum esse.

DICO. Sacramentum Eucharistiæ efficaciter probari potest ex verbis Christi Joa. 6.

PROBATUR. Evidenter credibilius est; Christum Joa. 6. fuisse locutum de Sacramento Eucharistiæ. Ergo efficaciter probatur. C. pat. ex NOTANDO 2. *ant. probatur* 1. ex proprietate verborum. 2. ex subjecta materia. 3. ex intentione loquentis aliunde ex variis circumstantiis satis manifestata. Suppono enim ex Arte Critica in cursu meo philosophico demonstrata, & ex legibus Hermeneuticis communiter receptis hæc tria Interpretationis verborum principia esse adæquatos reperiendi genuinum verborum sensum fontes. Itaque inspiciamus primum ipsa Christi verba. Verba Christi Joa. 6. & Evangelistæ sunt cum Paraphrasi verosimili, qua tamen non utor tanquam principio, sed tanquam idea Systematis per argumenta stabiliendi, ista. *Abiit Jesus trans mare Galilææ, & sequebatur eum multitudo magna. Erat autem proximum Pascha - cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, unde ememus panes, ut manducent hi? -- Dicit ei Andreas; Est puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit Jesus: Facite homines discumbere - Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter & ex piscibus, quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, quæ superfuerunt his, qui manducaverant. Illi ergo homines, cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Cum autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare, & cum ascendissent navim, venerunt* (cum Jesu) *trans mare Capharnaum. --, Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non erat ibi; ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum, quærentes Jesum; & cum invenissent eum trans mare dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? Respondit eis Jesus: Amen Amen dico vobis; quæritis me, non quia vidistis signa* (alia), *sed quia manducastis ex panibus & saturati estis.* (v. 27.) *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (id est, laborate pro aquirendo eo cibo,

cibo, qui vos etiam quoad corpus suo tempore per beatam resurrectionem, quam causat, facit immortales.) *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* (id est, quas operas & labores oportet nos præstare ut tanquam boni mercenarii Divini patrisfamilias promereamur eum panem, ex quo tu nos dicis fore immortales?) *Respondit Jesus: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille:* (hoc est, labor & operæ vestræ, quibus poteritis a cœlesti patrefamilias obtinere hunc panem, est fides in me, sine qua nemo poterit admitti ad participationem tam sublimium donorum) *Dixerunt ergo ei; Quod ergo tu facis signum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt Manna in deserto; sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare.* (id est, si vis, ut credamus, te non solum esse unum ex prophetis, prout actu credimus, sed etiam esse ipsum Messiam, quo decretorio miraculo id nobis probas? nam & Moyses probavit suam missionem & familiaritatem cum Deo miraculis, v.g. per concessionem ipsius Mannæ. Hic Christus insinuaturus, se majorem esse non solum aliis prophetis, sed ipso etiam summo prophetarum Moyse, docet, se Divinius Manna donaturum: quod enim attinet ad postulationem miraculi decretorii, ne quidem respondet, cum quotidie ante oculos eorum versarentur miracula, quæ sufficerent ad conciliandam suis dictis fidem.) *Dixit ergo eis Jesus: Amen Amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus dat* (dabit, δίδωσιν) *vobis panem de cœlo verum. Panis enim verus* [illegible], Dei) *est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo* (utitur hic Christus adhuc terminis generalibus initio discursus, nondum explicando, utrum intelligat vitam corporis immortalem per resurrectionem; an vitam animæ per augmentum & conservationem gratiæ; an utramque simul, prout tamen explicabit in progressu discursus clarius; ob quam verborum generalitatem & carnales Judæi statim irruentes in objectum suæ spei obvium intellexerunt hanc Christi promissionem de aliquo excellenti pane, conservaturo & restauraturo hominibus vitam temporalem corporis, qualem credebant fore etiam hunc, quem heri comederant) *dixerunt ergo ad eum: Domine, da nobis semper panem hunc. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet in æternum. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras: quia descendi non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est enim voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Hæc est autem voluntas patris mei, qui misit me; ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.* (id est; O Judæi, panis ille, quem vobis promitto, non est panis communis, qualem heri comedistis; & vita, quam ex illo pane vobis promitto, non est temporalis, sed æterna corporis per beatam resurrectionem; si vultis scire, qualis ergo sit ille panis, dicam vobis: Ego ipse sum ille panis, qui confert vitam a me promissam. Si autem vultis scire, qualis sit ergo illa vita a me promissa, dicam vobis & istud aperte, non est temporalis, sed æterna; ac denique, si vultis, scire, quomodo hunc panem, me videlicet, participare possitis, & hoc discetis, & hunc panem obtinebitis, si volueritis venire ad me, id est, fieri mei discipuli, & credere in me; dico enim vobis, omnes, qui facti fuerint mei discipuli me & mea jussa sequendo, ac credendo, hoc assecuturos, ut obtineant etiam vitam corporis immortalem, cujus hæc est natura, ut nec esuriatur amplius, nec sitiatur in æternum. Verum an vos hunc panem, & exinde vitam immortalem assecuturi sitis, non promitto. Ratio est, quia non meum est, vobis aut alicui proprio arbitrio tam grande Donum concedere, sed hoc dependet a voluntate patris mei, cujus in omnibus voluntatem sequor. Pater autem meus voluit, ut vitam illam corporis immortalem per resuscitationem conferam solum iis, qui veniunt ad me fiendo mei discipuli, & credendo in me tanquam verum Messiam, quam conditionem vos nondum implestis; Si autem Pater meus hanc vocationis ad meum discipulatum ac fidem gratiam indulserit, quantum est ex me, neminem repellam nec a discipulatu, nec a mensa & communicatione illius panis, nec a consequente exinde dono immortalitatis etiam corporeæ, quia ob hoc ipsum in mundum veni, ut sequar ejus voluntatem; & certo novi, hanc esse ejus voluntatem, ut corpus cujuslibet veri mei discipuli, sequentis me, & credentis in me, faciam immortale per resuscitationem. Hac ergo via poteritis obtinere & panem a me promissum, & vitam a me promissam) *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum Panis vivus, qui de cœlo descendi, & dicebant: Nonne hic est Filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic; Quia de cœlo descendi? Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem* (existimantes, meum patrem esse Josephum, & hac de causa invicem magna animorum contentione litigantes, dum alii disputant pro me, alii contra me. Deponite hanc turbulentam concertationem; quia fides in me non dependet a persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, aut a fervido pro me litigantium zelo, sed a gratia patris mei illuminantis & trahentis.) *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus* (notate bene, quem ego agnoscam verum patrem) *qui misit me, traxerit eum,* (talis solummodo obtinebit a me vitam æternam corporis) *& ego resuscitabo eum in novissimo die.* (quod autem fides in me dependeat a speciali vocatione ac gratia Dei, scire potestis ex ipsa Scriptura) *Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei* (hinc solum) *omnis qui audivit a patre, & didicit, venit ad me.* Dico autem a patre non visibili, quem vos nosse creditis in persona Josephi; sed invisibili) *Non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo: hic vidit patrem.* Missa ergo inutili concertatione invicem de meo patre, verissima sunt, quæ dixi; quæ proin etiamnum repeto, ac confirmo) *Amen Amen dico vobis, qui credit in me,* (mediante illo pane cœlesti, quem solis discipulis meis veris, in me credentibus,

largiar,

largiar, obtinebit immortalitatem etiam corporia per resurrectionem) *habet* (id est, habebit) *vitam* (etiam corporis) *æternam* (vers. 51.) *Ego sum panis vitæ* (ejusmodi immortalis.) *Patres vestri manducaverunt Manna in deserta, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* (post resurrectionem obtenta immortalitate etiam secundum corpus dependenter ab hoc cibo: nam) *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita* (immortali etiam corporis.) *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam* (per se & ex sua natura ratione unionis cum mea immortali carne immortalem) *in vobis.* (Si vultis scire, quando & quomodo meam carnem comedens fiat immortalis etiam secundum corpus dicam vobis; id nempe fit per resurrectionem gloriosam, qua meo corpore saginati ob unionem cum tali cibo vivificante in vitam immortalem resuscitabuntur.) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* (quia) *& ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vera est cibus, & sanguis meus vere est potus.* (& quia ob analogiam cum aliis cibis naturalibus sic fieri convenit) *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo:* (manendo autem in invicem consequens est, ut etiam corpus cum meo corpore unitum aquirat quoddam quasi semen, seu jus immurtalitatis, per resurrectionem obtineodæ. Declarabo hoc a pari, & ab exemplo: nam) *sicut misit me vivens pater* (qui in me est) *& ego vivo* (semper, nunc & post resurrectionem etiam quoad corpus immortaliter) *propter patrem* (in me manentem ac vivificantem, ita) *& qui manducat me, & ipse* (manendo in me, pane vivificante) *vivet propter me* (etiam quoad corpus immortaliter. Itaque manent verissima, quæ dixi) *Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri Manna, & mortui sunt,* (erit etiam circa hunc panem, ut eum comedentes moriantur sine dono insito ad resurrectionem vitæ immortalis, nam) *Qui manducat hunc panem, vivet* (etiam quoad corpus) *in æternum. Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex Discipulis ejus dixerunt; Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc Discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat?* (non obstantibus tot miraculis, ob quæ verba mea merentur fidem, & dum adhuc apud vos sum, ita ut possitis a me uberiorem habere verborum explicationem; quanto ergo magis scandalizabimini, dum per ignominiosam mortem in cruce tollar a vobis, rediturus ad patrem?) *Si ergo videritis* (θεωρῆτε, videtis) *filium hominis ascendentem ubi erat prius?* (verum non habetis ullam causam sumendi scandalum, existimantes, vos debere comedere carnem meam exanimem, divisam a mea anima; ita ut sic per comestas meæ carnis exanimatas particulas debestis obtinere vitam immortalem, suo tempore per resurrectionem obtinendam; non enim caro mea exanimata dabit vobis vitam corporum immortalem, nec caro mea in particulas dissecta, & comesta, tanquam in Thyestæis conviviis factum esse, ex fabulis gentilium forte audivistis, resuscitabit corpora vestra: neque enim caro sic exanimis, sed) *Spiritus est, qui vivificat. Caro* (sola eanimis ad resuscitationem vestrorum corporum gloriosam) *non potest quidquam.* (Verum hæc omnia non possunt vobis sufficienter explicari pro captu; hinc abstineo a majore explicatione; vosque remitto ad fidem. Credite dictis; nam si iis credideritis, ea vobis erunt in spiritum per media salutis a me ordinata, ad quæ fides dirigit, vivificantem, ac consequenter etiam per alimoniam corporis mei, quæ est inter illa media, in vitam corporum vestrorum immortalem.) *Verba quæ ego locutus sum vobis* (λαλῶ, loquor) *Spiritus & vita sunt. Sed* (heu! quod dolendum) *sunt quidam ex vobis, qui non credunt.* (his verbis meis, quæ vos possunt perducere in vitam immortalem) *Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum; & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Ex hoc multi Discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes:* (id est, perducentia in vitam illam immortalem, de qua locutus es, & ad quam per media salutis a te præscripta, præsertim per illam alimoniam corporis tui Discipulos tuos te vere sequentes, & in te credentes perventuros promisisti) *& nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. Respondit ei Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem de Juda Simonis Iscariotæ; hi enim erat eum traditurus* (& quidem in ipsa institutione Cœnæ Dominicæ, cujus mysterii professionem hic simulabat.)

Hucusque verba Christi cum Paraphrasi verosimili, utpote cohærente cum antecedente & subsequente contextu per modum partis orationis, intellectui loquentis & audientium connaturaliter obviæ, puta explicativæ, demonstrativæ, illativæ, exceptivæ, connexivæ, transgressivæ, conjunctivæ &c. &c. Sicut enim hujusmodi partes orationis menti loquentium regulariter aut facile insunt, licet explicite non exprimantur a loquente vel scribente, ita præsumendæ & a paraphraste verosimiliter exhibendæ sunt, maxime si alius sensus probabilior non occurrat, in quo omnium dictorum reddatur idonea ratio, cum antecedentibus & consequentibus totóque discursu in ordine ad scopum principalem discursus prudenter ac provide consona. Jam verbis Christi sic in conspectu positis, sit

ARGUMENTUM I.

Quandocunque subjecto tribuitur prædicacatum, per vires naturæ aut omnipotentiæ in circumstantiis, de quibus agitur, congruenter compossibile, præsumptio potius stat pro sensu

verborum proprio ac litterali, quam metaphorico; sed in casu & circumstantiis, de quibus agitur, subjecto tribuitur prædicatum per vires omnipotentiæ congruenter compossibile, nempe corpori Dominico tribuitur esse *cibum*, *potum*, *comedi*, *bibi*, causare immortalem *vitam* corporum; Ergo stat præsumptio potius pro sensu verborum proprio ac litterali, quam metaphorico. *Major patet* ex Arte Critica part. 3. §. 7. num. 9. ubi statuitur hæc Regula: *Nulla locutio censeri debet tropica, nisi tropus sit audienti per se sensibilis & manifestus.* Cum ergo tropus non possit fieri sensibilis nisi ex natura terminorum disparatorum, per vires naturæ aut omnipotentiæ incompossibilium; clarum est, nullam locutionem præsumendam esse metaphoricam, nisi a proprietate verborum recedere cogat terminorum disparatorum, congruenter per vires naturæ aut omnipotentiæ incompossibilium, improportio. Dixi, *congruenter compossibilium*, quia licet aliquando per omnipotentiam Dei prædicatum possit convenire subjecto, non congruit tamen semper legibus divinæ sapientiæ in quovis casu particulari operari miracula stupenda nulla apparente necessitate, nullo urgente motivo, nullo præponderante emolumento. Sic, dum dicitur, *prata rident*, *tota urbs venit obviam*, *Christus est petra*, *ovis*, *ostium*, *leo*, *vitis* &c. terminorum disparatorum ea est improportio, ut pro circumstantiis, de quibus dicuntur, non appareant congruenter per vires naturæ, aut per leges divinæ sapientiæ compossibiles suo subjecto. Sic etiam dum in Apocalysi cap. 3. dicitur: Qui vicerit, faciam illum columnam templi Dei, statim apparet, non congruere divinæ sapientiæ & justitiæ, si hominem in remunerationem eximiorum meritorum vellet convertere in ignobilius se, nempe columnam inanimatam; quod ipsum verum esset, si litteraliter intelligeretur illud Apoc. 11. Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra. Regula autem præfata patet ex eo, quia *omnis metaphora, aut quivis alius tropus non sensibilis re vera est mendacium. Probatur* igitur *Minor.* Prædicata in propositionibus hoc loco controversis, puta, esse *cibum*, *potum*, *comedi*, *bibi*, esse causam *vitæ* immortalis corporum, per vires omnipotentiæ sunt juxta leges divinæ sapientiæ, & juxta harmoniam divinarum perfectionum ac decretorum præstabilitam congruenter compossibilia suo subjecto; hanc enim *congruentem possibilitatem* positive suadent excessus divinæ bonitatis & charitatis erga suam Ecclesiam, cujus membris vult Christus uniri modo, quantum fieri potest, summo & perfectissimo; consensus decretorum divinorum per figuras in veteri Testamento, & per Scripturam novi Testamenti, sensus denique totius Ecclesiæ per constantem traditionem, ut monstrabitur §. 5. Negative autem eadem congruentissima possibilitas probatur ex Solutione Objectionum, qua monstrabitur, sensum litteralem & proprium horum verborum nec continere implicantiam, nec indecentiam.

ARGUMENTUM II.

Quandocunque in Scriptura subjecto tribuitur prædicatum disparatum, ac de se improportionatum, addita tamen particula modali *vere*, restringitur semper proportio a sensu metaphorico, aut tropico ad sensum litteralem ac proprium; Sed hoc ipsum fit in textu controverso; Ergo etiam in hoc textu consimiliter restringitur propositio ad sensum litteralem. *Minor patet*, quia dicitur: Caro mea *vere* est cibus, & sanguis meus *vere* est potus. *Major* probatur ab Inductione. Sic dicitur Gen. 20. *Vere soror mea est*, Matth. 14. *Vere filius Dei es.* Et 27. *Vere filius Dei erat iste.* Marci 11. *Quia vere Propheta esset.* Et 15. *Vere hic homo filius Dei erat.* Lucæ 24. *Surrexit Dominus vere.* Joannis 1. *Ecce vere Israelita.* Et 4. *Hic est vere Salvator mundi.* Et 6 *Hic est vere Propheta.* Et 8. *Vere liberi eritis.* 1. Tim. 5. *Quæ vere viduæ sunt.*

ARGUMENTUM III.

Moraliter certum est, eum sensum ab authore esse intentum in rebus maximi momenti, quem auditores innumeri diversissimæ conditionis, tam amici quam inimici palam, & uniformiter subjiciunt, authore præsente, id sciente, actu colloquente, ac nihilominus, licet salus propria, & publica ad evitanda immensa damna perpetuo duratura id posceret, nec verbulo contradicente, imo eadem dicta post compertam auditorum expositionem, iteratis vicibus sine ulla emolliente determinata explicatione ac modificatione sub expressionibus a sensu tropico longe magis recedentibus inculcante. Sed hoc fit in textu controverso circa sensum a nobis assertum. Ergo. *Major* patet ex Legibus Contingentium, quia vix unquam circa verba obscura, dubia, aut æquivoca, v. g. circa textus Scripturæ dubios, contingit uniformiter convenire multitudinem expositorum & audientium; & prorsus alienum est a more, & inclinatione serio in rebus maximi momenti loquentium, non corrigere pravam suorum verborum expositionem aut intelligentiam apud eos, quorum error facile obesse poterit commodis propriis & finibus absolute intentis; imo idipsum alienum est a more Christi in ejusmodi circumstantiis, & a consuetudine Evangelistarum. Sic dum S. Lucas Christum vocat filium Joseph, addit, *ut putabatur*, cap. 3. & dum Christus Discipulos monuit, ut caverent *a fermento Pharisæorum*, Luc. 12. ipsemet Salvator addit, *quod est hypocrisis.* Et dum Christus Joan. 2. dicit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, Evangelista addit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Et dum Christus Matth. 11. de Joanne Baptista dicit: *Ipse est Elias, qui venturus est*, Lucas cap. 1. ex verbis Angeli id exponit: *Ipse præcedet illum in spiritu & virtute Eliæ.* Joan. 3. cum Christus ad Nicodemum diceret: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; & Nicodemus hoc intelligeret de nativitate corporali, Christus statim explicat, hoc intelligendum de regeneratione interna insensibili. Sic & Joan. 4. cum Christus Apostolis diceret: *Cibum habeo manducare, quem vos nescitis*; & illi interrogarent: *Num ei aliquis attulit ad manducandum?* Christus errorem tollit respondendo: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Similiter Joannes, ne quis existi-

existimaret, in cœlo materialiter reperiri, phialas plenas odoramentorum, vestes byssinas, & similia, cap. 5. dicit: *Habebant singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Et cap. 19. *Datum est illi, ut cooperiat se bysso; byssinum enim sunt justificationes Sanctorum.* *Probatur igitur Minor.* Multitudo audientium in tres partes divisa erat, nempe in Capharnaitas scandalizatos, atque manducationem crudam carnis Christi somniantes; in Discipulos Christi ob ipsam difficultatem incomprehensibilem, quam in ista manducatione reperiebant, a Christi discipulatu recedentes, & in Apostolos aliosque, qui difficultatem quidem agnoscebant ac fatebantur, intellectum tamen fidei subjiciebant; atqui hi omnes conveniebant uniformiter in hoc, quod hoc loco agatur de manducatione reali; & Christus eos adeo ab ea opinione non deduxit, ut eam etiam sexies, iisdem ferme verbis, & quidem cum particulis summe confirmatoriis *Amen, Amen* confirmaverit, asseverando in fine, carnem suam *vere* esse cibum, & sanguinem suum *vere* esse potum; id solum insinuavit, modum esse ipsis incomprehensibilem; & carnem suam non comedendam crudam, dissectam, aut exanimem; interim remisit eos ad fidem cum promisso, verba sua, si iis crediderint, illis cessura in spiritum vivificantem & vitam. Hæc omnia patent esse connaturalia textui, compossibilia verbis & intentioni Christi, imo congruentiora contextui præ omni alia expositione Acatholicorum, adeoque evidenter magis credibilia.

ARGUMENTUM IV.

Evidenter credibilius est, intentionem Christi hoc loco potius propendisse ad ingenerandum menti audientium potius sensum litteralem, quam metaphoricum. Ergo etiam credibilius est, intentionem Christi actu illum sensum habuisse; quia, ut patet ex Arte Critica, *effectus regulariter sequuntur inclinationem suarum causarum, & quod pronum est fieri, regulariter fit. Antecedens probatur.* Dantur plura motiva partim suadentia, partim urgentia, nulla econtrario efficaciter retrahentia in ordine ad eam intentionem. Ergo necesse est, intentionem Christi ad ingenerandum hoc loco sensum litteralem propendisse. Motiva sunt sequentia.

1. *Decuit Christum, præparare animos* suorum Discipulorum ad mysterium magnum Cœnæ Dominicæ; ad hoc autem non erat aptior occasio, quam hoc loco & tempore, quo in proximo erat Pascha penultimum, & quo ex multiplicatione panum facilis erat in hanc materiam transitus: ut hanc congruentiam attenderet & sequeretur, movere illum poterat, quia instituturos erat hoc mysterium in ultima Cœna præsentibus tantum paucis, quorum solo testimonio longe adhuc difficiliorem fidem adhibendam fore prævoverat, quam suo. Prævidebat etiam, si in ultima Cœna inexpectato hoc ederet mysterium, dubia, interrogationes, aut concertationes exorituras, incongruas sanctitati & tranquillitati tam sacri convivii. Sciebat præterea & observare ipsemet solebat eam providæ prudentiæ legem, ut ad ardua factu, tolératu, aut creditu præparentur animi; sic ipsemet sæpius præparabat mentes Discipulorum ad mysterium suæ crucis & exinanitionis, ad spem resurrectionis, & ad missionem Spiritus Sancti. Imo cum Apostoli in ultima Cœna proposito hoc mysterio in nullam interrogationem prosilierint, prout audacter faciebant in ipsa Cœna & in sermone post Cœnam de aliis dubiis circa verba Christi, verosimile est, eorum animos ad nudam fidem ab omni disquisitione alienam jam fuisse institutione alia prævia præparatos. Si autem præcessit præparatio animorum, prudentiæ erat, eam in hunc usum assumere, *quæ datur & sufficit*, id est, quæ aliunde danda erat, & in eum de se idonea est, qualis est sermocinatio præsens.

2. *Intentio Christi* tum docentia, tum inspirantis eo solet ferri propensiori consilio, ut præcipua mysteria suæ religionis, solennioribus figuris aut vaticiniis præmonstrata, stabiliantur Evangelistarum omnium unanimi consensu, & uniformi testimonio. Sic omnes scribunt de morte, & resurrectione Christi, & de baptismo &c. Si vero hoc loco non ageretur de Eucharistia, deesset ipsius S. Joannis, qui in ultima Cœna in sinu Salvatoris quievit, de hoc divinissimo mysterio testimonium. Nullibi enim in Evangelio Joannis occurrit relatio de institutione hujus mysterii nisi hoc ipso cap. 6.

3. *Decuit Christum, ut aliquando explicaret* proprii oris testimonio effectum tam excellentis in nova lege Sacramenti; id vero nullibi factum, nisi hoc loco.

4. *Christus toto discursu intendit excitare* in audientibus spem ad immortalitatem corporum; id hunc autem finem aptius erat, si ostenderet, eam consecuturam ex reali unione cum suo corpore resuscitando, quam si ostenderet, eam consecuturam ex fide in se; illud enim habet quandam connexionem & consecutionem ad effectum quasi connaturalem, eamque pro captu populi obviam, si semel intelligunt corpus Christi comedendum mansurum vivum, integrum, ac immortale. Eam autem connaturalem consecutionem non habet fides. *Major* probatur ex eo, quia pani suo constanter hunc effectum assignat, quod tribuat vitam æternam, & hanc connectit ter, ac constanter cum resurrectione; ergo illa vita æterna, quam promittit, referenda est potius ad corpus, quam ad animam, utpote quæ est immortalis & beata etiam ante resurrectionem.

5. *Christus dicit, manducaturos hunc panem* eo modo victuros per hunc panem, quo modo ipse vivit per patrem. (διὰ τὸν πατέρα) Atqui dum asserit se vivere per patrem, insinuat, se victurum ac resurrecturum per patrem in se physice manentem, ergo eodem modo promittit vitam æternam corporum manducaturis hunc panem, ut physice communicaturis immanentem. Quod autem Christus vitam suam & omnem virtutem operandi adscribat patri in se manenti, patet ex variis textibus. Joan. 14. v. 10. dicit: *Non credis, quia ego in patre, & pater in me est? pater autem in me manens, ipse facit opera.* Et Joan. 10. v. 30. *Ego & pater unum sumus.* ... V. 37. *Si non facio opera*

opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Idem argumentum assumit cap. 14. nam postquam dixerat: *Pater in me manens ipse facit opera*, id ex effectu demonstraturus addit: *Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.* Idem innuit cap. 5. *Sicut pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & filius quos vult vivificat .. Amen Amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso; sic dedit & filio habere vitam in semetipso; & potestatem dedit ei judicium facere. Nolite mirari hoc; quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Joan. 11. Christus se ipsum esse ipsam vitam & resurrectionem eorum, qui credituri & victuri sunt in se. *Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Dein quasi limitans aut explicans hoc, quod dixerat, addit, *& omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* Quo loco nisi *τὸ, in me*, etiam referatur ad *τὸ, vivit*, superflua videtur hæc expressio. Itaque dum Christus cap. 6. resurrectionem corporum adscribit cibo Eucharistico, nempe suo corpori, idque per analogiam ad alios miraculosos effectus a se patratos ob unitatem cum patre in se manente, inferendum, etiam resurrectionem corporum consequi ob unionem sui corporis cum corpore eorum, qui resurrecturi sunt, remanente saltem aliqua virtute, seu quasi semine immortalitatis. Argumentum hoc non enervatur, si adversarii dicant, similitudinem a Christo non eousque urgendam esse, sed sufficere minorem consistentem in eo, quod sicut Christus patrat alia miracula ob manentem in se patrem, ita etiam operaturus sit resurrectionem eadem manente in se patris potentia; hic enim modus similitudinis non peteret connaturaliter alligari & connecti cum manducatione cibi Eucharistici. Dein similitudo non instituitur inter opera & opera stante eadem causa, sed inter diversa opera, & diversas causas sub modo causandi analogo; quod nempe sicut pater in Christo manens est causa resurrectionis in Christo, ita panis cœlestis immanens sit causa resurrectionis in aliis. Dein Analogiæ ac similitudines eousque urgendæ sunt, quoad congruenter patitur natura & habitudo terminorum vel aliunde certa ac constituta, vel congruenter ponibilis ipso libero arbitrio eam similitudinem instituentis, prout in præsenti haud dubie dependet a libera voluntate Christi, an in Eucharistia velit ponere præsentiam physicam sui corporis, sicque ab ejus manducatione in re vel voto peracta dependere resurrectionem & immortalitatem corporum.

6. *Christus intendit hoc loco commendare* excellentiam intrinsecam panis a se porrigendi supra præstantiam veteris Mannæ, hoc autem non assequeretur, si ille panis tantum foret nuda repræsentatio corporis Christi immolati in cruce, quia simili modo Manna & Agnus Paschalis erant figura Symbolica Christi; & Manna erat figura pane Eucharistico Protestantium dignior, utpote supernaturaliter productum, & re vera descendens de cœlo, ita ut etiam materialiter meruerit denominationem *panis angelici*, juxta illud Psal. *Panem angelorum*, id est, a superna regione venientem & omnem saporem habentem *manducavit homo*: Agnus Paschalis autem erat figura expressior. Ex hoc ergo sequeretur, Cœnam legalem a Christo Cœnæ Dominicæ in suo ultimo convivio præmissam fuisse perfectiorem Cœna Dominica. Nec sufficit dicere; quod Christus pani Eucharistico cum fide comesto alligaverit majorem gratiam intuitu suæ immolationis actu peractæ in cruce: Si enim Christus præcise ex effectu voluisset extollere panem Eucharisticum, non avocaret attentionem audientium ad concipiendam aliquam excellentiam residentem in ipso pane, dicendo, hunc novi testamenti panem re vera de cœlo descendere; hunc panem novo ac singulari modo esse suum corpus, quo modo dici non poterat, Agnum Paschalem aut Manna esse suum corpus, quæ omnia insinuant, Christum intendisse excellentiam majorem hujus panis non solum extrinsecam ex effectu signo de se inerti libere alligato, sed intrinsecam. Hinc

7. *Christus distinguit per hoc præstantiam* panis sui Eucharistici a Manna veteri, quod ille sit & dicatur esse suum corpus; atqui si diceretur tantum esse corpus Christi symbolice & objective, in eodem prorsus sensu etiam Manna potuisset vocari caro Christi symbolice & objective. Ergo Christus illuderet Judæis ex hac speciosa denominatione, quæ in re non contineret majus quid, eruendo excellentiam longe majorem in suo pane, quam in Manna.

8. *Christus attulit tres excellentias* novi panis supra Manna, nempe 1. quod ille vere descenderit de cœlo. 2. quod in hoc pane vere manducetur suum corpus. 3. quod ille causet immortalitatem corporum per resurrectionem, quam non causabat Manna. Ergo sicut in primo & tertio comparationis membro loquitur in sensu reali & litterali ad comprobandam majorem excellentiam realem, ita etiam in secundo comparationis membro præsumendus est intendisse sensum litteralem.

9. *Si Christus his verborum formulis intendisset* solum repræsentationem sui corporis Symbolicam, tunc iisdem verborum formulis uterentur Protestantes ad explicandam & confirmandam populo hæsitanti de Cœna Dominica doctrinam; atqui nullus Ministrorum Protestantium unquam sic erigere velit suorum dubias de Eucharistia mentes, dicendo: Amen, Amen, si non manducas carnem Domini, non eris salvus: Ipsius caro est vere cibus: & hoc tam verum est, quam verum est, quod Pater cœlestis miserit Christum; quamprimum enim coguntur in os sumere verba Christi prætacta, statim tanquam ad locutiones duras, ne instar veneni inficiant, addunt terminos lenientes, emollientes, & sanantes, v. g. *Symbolice, repræsentative, objective per fidem &c.*

10. *Si Christus tantum intendisset* in pane Eucharistico constituere nudam repræsentationem sui

sui corporis, potuisset cuivis propositioni in hoc discursu ad Capharnaitas factæ substituere in sensu propriissimo contradictoriam; propositionibus affirmativis potuisset substituere verissime negativas, & negativis affirmativas. Sic enim potuisset dicere: Caro mea non est vere cibus; & sanguis meus non est vere potus. Etiamsi quis non bibat meum sanguinem, & etiam quia non manducet meam carnem, nihilominua habebit vitam, dummodo cum fide comedat panem symbolicum meæ carnis. Non est autem verosimile, Christum in re tanti momenti noluisse uti verbis propriis, cuivis obviia, & nullo urgente motivo confugere ad modum loquendi tam improprium, illique insistere, etsi viderat, tam gravia exinde nasci scandala.

11. *Decet per leges prudentiæ legislativæ*, ut præcepta sub gravissimis pœnis comminatoria proponantur, non verbis metaphoricis, & obscuris; nec ut cadant in objectum vagum, indeterminatum, & dubium; sed ut efferantur in sensu proprio, obvio, claro, ac litterali, & ut cadant in objectum præceptum apertum, certum, ac facile demonstrabile; Atqui verba Christi hoc loco controversa sunt præcepta sub gravissimis pœnis comminatoria; dicitur enim: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ergo. *Major patet* ab inductione legum divinarum: sic præceptum primis parentibus datum de non comedendo ex arbore determinata, erat clarum & de objecto determinato: similis est lex circumcisionis, Decalogus & reliquæ leges Mosaicæ, lex baptismi &c. quæ omnia præcepta cadunt in actiones determinatas, & modo præcipiendi claro, dum efferuntur in populum & promulgantur. Jam vero in explicatione Catholicorum ea verba Christi sunt clara, & determinata; in explicatione Protestantium symbolica sunt obscura & indeterminata, ita ut non appareat, qualis fides, ubi, & quando sit constitutiva hujus manducationis spiritualis, utrum fides in Christum natum ac descendentem de cœlo, an passum & abeuntem in cœlum? an sufficiat sine pane symbolico, ita ut panis sit tantum ad melius esse ad excitandam memoriam, an vero sine illo? an requiratur viva & charitati juncta fides, an sufficiat informis? Imo hoc ipsum, quod ea manducatio facienda sit per fidem, ex verbis non obvium est sine ratiocinio acuti ingenii & versatili. Ergo præsumendum, Christum hoc præceptum edidisse in sensu litterali.

12. *Si Christus intendisset* instituere nudam repræsentationem sui corporis ad excitandam fidem & memoriam suæ passionis, recte quidem institueret diversa symbola rememorativa sanguinia in passione effusi, & corporis in cruce mortui; non tamen prudenter ea mysteria memoranda proponeret sub odiosa Judæia, & non necessaria idea manducandæ carnis humanæ, & bibendi sanguinis humani; potuisset enim urgere repræsentationem illam & sanguinis fusi, & corporis mortui, ac frequentem ejus memoriam ad præsentiam symboli, quin contenderet, potandum sanguinem humanum, cum sciverit Judæos abhorrere etiam a sanguine animalium. Ergo verosimile est, Christum his odiosis expressioníbus non usurum sine necessitate; qualis tamen alia non occurrit, quam veritaa litteralis hujus mysterii ob fines divini amoria multoa, ac sublimes semel libere præstabilitos necessario consequens & promulgata.

13. *In articulis fundamentalibus Religionis* decet Legislatorem uti expressionibus claris, quæ venturis sæculis serviant pro fundamento fidei immobili; hoc autem Christus non observasset in hoc articulo, quem prævidebat venturis sæculis fore inter primarios articulos characteristicos Ecclesiæ veræ, si verba non sumpsisset in sensu litterali, ac obvio, quem primo quasi conspectu præferunt, & immediate ingenerant.

14. *Si Christus nil aliud intendisset* suis verbia, quam repræsentationem symbolicam, non increpasset in suia discipulis incredulitatem, sed sinistram suorum verborum expositionem, dum ea interpretantur de manducatione reali: hoc enim habebat in more, ut incredulitatem carpat verbis suis rite intellectis; stultitiam vero exprobret in erronea suorum dictorum acceptione. Sic Matth. 16. ubi dixerat, cavendum a fermento Pharisæorum, & Discipuli id intelligerent de pane materiali, solum reprehendit hebetudinem intellectus dicens: *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis? Tunc intellexerunt, quia non dixerit de fermento panum, sed de doctrina Pharisæorum.* In Marco ea reprehensio datur acrioribus quidem verbis, sed non ob incredulitatem. *Nondum cognoscitis*, inquit, *nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? Oculos habentes non videtis? quomodo nondum intelligitis?* Matthæi 15. *Interrogante Petro* de sensu illorum verborum: *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, respondet: *Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit?* Sic & in pluribus aliis occasionibus compatitur ignorantiæ & cœcitati cordis; in ipsa cruce excusat ignorantiam Judæorum, dicens: *Ignosce quia nesciunt quid faciunt;* & Petrua Act. 3. *Scio, quia per ignorantiam fecistis.* Verosimile itaque, Christum non exprobraturum fuisse incredulitatem, sed debilitati intellectus expositione emolliente compassurum, cum non verosimile sit, in tot discipulis retro abeuntibus, etiam posito quod quædam incredulitatis durities ac pertinacia intercesserit, latuisse tam pravam animi dispositionem aut malitiam, ut meruerint relinqui in sua incredulitate orta ex interpretatione sinistra verborum, tam facile corrigibili per expositionem: aut si Christo displicuit prærupta discipulorum judicandi temeritatis, & præceps discedendi propositum non exspectato opportuno ad postulandam humili prece expositionem tempore, id saltem sequitur, aut verba Discipulis visa esse tam clara, ut nulla expositione metaphorica possent exponi; aut si non visa fuissent tam clara, verosimile est, Apostolos recedentibus reliquis expositionem postulaturos.

16. *Si Christus dicere voluisset*, se esse mystice illum panem, quem in Symbolo suis fidelibus per fidem manducandum se daturum promisit, potuisset dicere, se jam illis dedisse manducandum

dum hunc panem; eo quod non in Symbolo fed in perfona haberent præfentem quotidie manducandum per fidem; hoc autem non dixit, fed primum in futurum fpem & attentionem fuorum difcipulorum diftulit, dicendo; *Panis quem ego dabo, caro mea eft.* Itaque non præfumendum, Chriftum intendiffe per verbum futuri temporis eum fenfum, qui dum congruit omni tempori, futuro, præfenti, & præterito, in iis tamen circumftantiis convenientius exprimeretur verbo præteriti temporis, fed potius eum fenfum, qui congruit foli futuro tempori, io quo actu expreffus eft, nempe fenfum litteralem; maxime cum inftitutio Cœnæ Dominicæ proximo pafchali tempore facta fummam habeat analogiam ad promiffionem boc capitulo datam; ficut enim bic dicit, fuum corpus manducandum, & fanguinem bibendum, ita in Inftitutione confequente dicit; *manducate, boc eft corpus meum, bibite, bic eft fanguis meus.* Hinc poteft fic formari argumentum. De illa manducatione loquitur Chriftus in promiffione, quam actu exhibuit in promiffi impletione: fed in hac exhibuit manducationem realem dicens: *Accipite & comedite.* Ergo

Ex his ergo omnibus indiciis colligitur, evidenter credibilius effe, intentionem Chrifti loquentis potius refpexiffe ad fenfum litteralem quam metaphoricum in textu controverfo.

Objicies 1. Certum eft, Chriftum in verfibus præcedentibus ufque ad verfum 51. egiffe de manducatione fpirituali per fidem: dum nempe dixit: *Operamini non cibum qui perit, fed qui permanet in vitam æternam* &c. Ergo etiam in fubfequentibus verfibus de fimili manducatione loquitur.

Respondeo *negando Antecedens.* Oftendi enim in adducta paraphrafi alium fenfum, & quidem probabiliorem, quia non folum fingulis verfibus feorfim fumptis, aut folum iifdem cum contextu proximo junctis, fed etiam cum contextu totius capituli uniformi quadam proprietate verborum, & conftanti ratiocinio longe congruentiorem. Adverfarii autem coguntur modo tranfilire a fenfu proprio ad improprium, admittere tranfitiones ab uno oratiouis fcopo ad alium ex fua natura non connexum, & in multa verfibus fatigari ad inveniendam dictorum, & phrafium rationem. In mea autem paraphrafi fervatur perpetua verborum proprietas, uniforme ac perpetuum in toto capitulo ad eundem fcopum refpiciens ratiocinium, io quo fingulæ partes funt connaturalis fequela antecedentium, & ratio plana ac obvia omnium confequentium, ut attentius confideranti patebit. Itaque cum in hac quæftione non agatur, quinam horum verborum fenfus ac expofitiones vel ob authoritatem Doctorum extrinfecam, vel ob naturam ipfius textus fint poffibiles, vel probabiles, fed quænam expofitio ex vifceribus ipfius textus fit evidenter credibilior, habita credibilitate evidenter majore habetur intentum.

Objicies 2. Si Chriftus hoc loco foret intelligendus in fenfu litterali, fequeretur. 1. Omnes etiam indigne communicantes habituros vitam æternam. 2. Sumptionem Euchariftiæ effe abfolute neceffariam ad falutem.

Respondeo ad 1. cuivis promiffioni ineffe conditiones per fe inexiftentes, ac per fe cuivis obvias; inter quas etiam hæc; *fi fueris, & perfeveraveris effe meus amicus.* Cum ergo hæc tacita conditio fit jam per fe imbibita in omni promiffione civili, ut patet ex Jure, & ex moribus gentium, etiam promiffio Chrifti habere debuit hunc fenfum tacite conditionatum, omnibus obvium.

Ad 2. concedo, fumptionem Euchariftiæ congruo loco & tempore præftandam omnibus effe neceffariam in voto, adeo ut etiam parvuli, ficut fufcipiendo baptifmum re ipfa contrahunt obligationem fervandi legem Chriftianam, ita etiam re ipfa fufcipiunt realem profeffionem feu votum fumendæ congruo tempore & congruis in circumftantiis Euchariftiæ. Itaque ficut Deus in veteri Teftamento non finebat fe moveri ad conferendas gratias ab ipfis figuris facramentalibus Chrifti, aut ab ipfo actu fidei in Chriftum in fe & fubjective confiderato, fed ab ipfo objecto figuræ aut fidei, nempe ab ipfo Chrifto venturo; ita contingit conferri gratiam regenerationis Catechumenis non ratione actus charitatis, quem eliciunt, fed intuitu baptifmi in voto habiti, ita ut Deus ad conferendam regenerationis gratiam non finat fe moveri ab ipfo voto baptifmi tanquam motivo, fed ab ipfo baptifmo. Pari ergo modo ea refurrectio corporum ad vitam alteram immortalem, quæ promiffa eft communicantibus, confertur etiam parvulis aut aliis a communione impeditis dependenter ab Euchariftia in voto habita. Itaque in his propofitionibus: *Nifi manducaveritis carnem, nifi biberitis fanguinem* &c. debet fubintelligi modus; *congruo loco & tempore, & in debitis circumftantiis.* Ratio eft, quia ficut omni promiffioni ac contractui infunt conditiones tacitæ, ac imbibitæ in fenfu proxime explicato; ita omnibus legibus tacite ineft modus, *loco, tempore, & circumftantiis debitis:* cum enim omnis lex fit *ordo rationis* ad bonum commune vel ad alios fines præftabilitos; nec in ipfa lege congruenter poffint exprimi fingulæ modificationes, reftrictiones, aut explicationes ad circumftantias particulares accommodæ, ejusmodi *modum* in omni lege tacite fubintelligi neceffe eft. Imperiti proin aut malignantis ingenii eft, urgere leges aut præcepta ultra limites & circumftantias fubftantes prudentiæ legislativæ, & intentioni legislatoria legibus prudentiæ regulatæ.

Objicies 3. Chriftus fufficienter oftendit, fe loqui de manducatione fpirituali per illam generalem omnium fuorum dictorum claufulam. *Spiritus eft, qui vivificat; caro non prodeft quidquam; verba, quæ vobis locutus fum, fpiritus & vita funt.*

Respondeo, hæc verba varios recipere fenfus etiam in fenfu proprio; itaque ambigua, obfcura, ac de fe indeterminata ac dubia funt: Econtra priora Chrifti verba funt plana, clara, aperta, ac determinata; cum ergo ex legibus hermeneuticis & criticis conftet, textus obfcuros ac dubios juxta alios textus claros ac determinatos intelligendos effe, prudentia fuadet, potius

potius in hac sermonis clausula ambigua inter plures sensus possibiles eum seligendum esse, qui totius Sermonis ratiocinio apertiori ac clariori congruat; quam ob sensum clausulæ inter plures alios sensus præcise possibilem, aut probabilem totius sermonis ratiocinium dissolvere, eoque dissoluto singulares illius textus nullo connaturalis ratiocinii vinculo cohærentes a sensu proprio ac obvio ad metaphoricum a mente audientium alienum, & intentioni loquentis minus congruum detorquere. Itaque solum id demonstrandum est, prætactam clausulam præter sensum ab Adversariis intentum recipere etiam alios sensus proprios, ab intentione loquentis aliunde certa non alienos.

SENSUS I.

In paraphrasi insinuatus est hic: Ne existimetis, resuscitationem ac vitam æternam beatam corporum, quam ex manducatione meæ carnis vobis promisi, fore effectum meæ carnis inanimatæ; caro enim mea secundum se non habet vim vos resuscitandi; sed spiritus meus, carni meæ in hoc ipso cibo conjunctus, habet vim vobis impertiendi novam æternam vitam: hinc verba, quæ locutus sum vobis, si iis credideritis, vobis cedent in spiritum vitæ, & vitam æternam.

SENSUS II.

Lumen fidei mente comprehensum, non carnalis sensus soli testimonio sensuum conformis est bona regula ad assequendam æternam vitam; verba, quæ ego locutus sum vobis, non carnaliter juxta cognitionem sensuum metienda, sed sublimiori quadam ratione continent sensum de quodam genere spiritualis meæ in illo cibo vitæ, & exinde vestræ.

SENSUS III.

Anima est, quæ tribuit vitam corpori, non caro, quæ nil prodest ad tribuendam vitam: verba quæ ego vobis loquor de cibo carnis meæ & potu sanguinis vivificantis in vitam æternam, tractant de carne & sanguine animatis anima mea. Quod *spiritus* sumatur pro anima, usitatissimum est in Scriptura; quod Christus deducturus Capharnaitas ab ea opinione, quasi caro in frusta dissecta comedenda sit, ut eos disponeret ad suspicandum altius omnipotentiæ divinæ miraculum prudenter monere potuerit, se vivum comedendum fore, patet; quod denique hic modus loquendi, *verba sunt*, idem dicere velit, ac *significant*, probatur ex eo, quia *verba* in Scripturis sæpe sumuntur pro objecto, quod significant, v. g. Marci 13. *Cælum & terra transibunt.* Lucæ 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Joan. 5. *Verbum ejus non habetis in vobis manens.* 1. Joan. 2. *Verbum Dei manet in vobis.* Isaiæ 2. *Verbum, quod vidit Isaias.* Et cap. 9. *Verbum misit Dominus in Jacob.* Et cap. 39. *Non fuit verbum, quod non ostenderet eis.* Jerem. 11. *Verbum, quod factum est a Domino.* Et cap 28. *Cum venerit verbum ejus.* Et cap. 30. *Hoc verbum, quod factum est.* In his & multis aliis textibus verbum sumitur pro suo significato.

OBJICIES 4. *S. Augustinus* hos textus sic explicat de manducatione spirituali, ut nullum alium sensum agnoscere videatur; videlicet Tract. 25. & 26. in Joannem; Homil. in Psal. 98. & lib. 3. de Doctrina Christiana c. 10. & 16. Similiter *Clemens Alexandrinus* Pædag. lib. 1. per carnem Christi intelligit verbum Dei, quo spiritualiter reficimur. *Basilius* Epist. 141. Doctrinam Christi. *Hieronymus* in Psal. 147. Scripturas sacras.

RESPONDEO, Patres frequenter mysteriis tribuere per accommodationem sensum mysticum, attamen pro fundamento sensus mystici supponere sensum litteralem; sic fundamento sensus litteralis, quod Christus natus sit, superstruunt sensum mysticum, quomodo nascatur in cordibus nostris; & fundamento, quod Christus resurrexerit, adjiciunt sensum mysticum de resurrectione spirituali a vitiis. Pari ergo modo, postquam præjecerant fundamentum aut supposuerant de veritate hujus Sacramenti explicant, quomodo etiam extra sumptionem physicam Sacramenti possimus gustare Christum, nempe recipiendo doctrinam illius, aut per fidem illum in cor nostrum accipiendo; imo S. Augustinus observat, eam manducationem realem esse figuram hujus manducationis spiritualis, nec illam fore utilem sine ista, ob quod reprehendit eos, qui parant solum dentes & ventrem pro hoc cibo sine devotione; docetque sic demum mente recipi Christum, dum creditur. Itaque non excludunt manducationem realem, dum corpori Christi venter paratur, eamque speciem quandam facinorosi convivii habere agnoscunt, sed addunt, manducationi corporali jungendam esse mentalem, quæ per corporalem & significatur, & intenditur; quia hac sola immediate ac formaliter in anima recipitur Christus. Cæterum quod iidem hi manducationem realem veram corporis Christi tanquam fundamentum illius significationis & figurationis supponant, patebit ex textibus eorundem Patrum infra § 4. referendis: ac speciatim ex S. Augustino, dum adversarii afferunt tres aut quatuor textus, in quibus circa verba Christi controversa respicit ad significationem hujus mysterii spiritualem nempe ad manducationem spiritualem, afferri possunt duplo aut triplo plures ejusdem S. Patris textus, in quibus ad probandam præsentiam veram Corporis Christi utitur ipsissimis verbis hoc loco controversis: aliqui hujusmodi illius textus videri possunt infra §. 4. & ex Indice Operum D. Augustini de Locis Scripturæ ad cap. 6. Joannis reperiri.

Addo, ea quæ dixi de efficacia Eucharistiæ ad resuscitationem corporum obtinendam, confirmari ex illo textu ad Rom. 8. *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis:* quo modo loquendi aut insinuatur, quod gratia Sancti Spiritus modo vivificante collata vel qualificata per Eucharistiam sit causa resuscitationis, aut insinuatur, quod resuscitatio dependeat ab anima seu spiritu, quam Em. Card. Cienfuegos & Cabasilas infra §. 4. Object. 12.

rese-

referendus, putant physice manere unitam communicanti.

QUÆSTIO II.

An existentia Sacramenti Eucharistiæ efficaciter probari possit ex verbis Christi in ultima Cœna, & ex verbis Apostoli 1. Cor. 11.?

NOTANDUM 1. Christum in ultima Cœna sumpsisse panem, ac dixisse; *Hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem.* Quæritur proin, an ex his ejus verbis probari efficaciter possit Sacramentum Eucharistiæ?

NOTANDUM 2. Apostolum in Epistola *prima ad Corinthios*, postquam egerat de institutione Eucharistiæ in ultima Cœna, addere: *Qui manducat & bibit indigne, reus erit corporis & Sanguinis Domini &c.* Quæritur proin etiam de his verbis, utrum ex iis efficaciter probari possit Sacramentum Eucharistiæ?

DICO. Ex verbis Christi in ultima Cœna, & ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. efficaciter probari potest Sacramentum Eucharistiæ.

PROBATUR. Considerando proprietatem verborum, contextum præcedentem & subsequentem, necnon intentionem loquentis aliunde notam, evidenter credibilius est, Christum & Apostolum locutos esse de Sacramento Eucharistiæ. Ergo efficaciter probatur. c. patet ex NOTANDO 2. quæst. I. *ant. prob.* Verba Christi sunt ista. 1. ex Matth. cap. 26. *Cœnantibus eis accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Seu ut in Græco habetur: τῦτο γάρ ἐςι το αἷμα μȣ, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, το περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον. Hoc (vel hic) est Sanguis meus, ille novi Testamenti, qui pro multis effunditur. 2. ex Marci 14. *Manducantibus illis accepit Jesus panem & benedicens fregit & dedit eis, & ait illis: Sumite, hoc est Corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* In Græco habetur, sicut in Matthæo, 3. ex S. Lucæ 22. *Accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est Calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* In Græco habetur: τῦτό ἐςι τὸ σῶμα μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον --- τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: id est: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc est ille potus (seu poculum) qui est novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.

Verba autem Divi Pauli in 1. Epistola ad Corinth. cap. 11. sunt hæc: *Convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam Cœnam manducare; unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. --- Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur* (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον: quod pro vobis frangitur) *hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque bibitis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc & biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit non dijudicans Corpus Domini.* Hucusque verba Christi & Apostoli. Jam sic argumentor.

Antecedentia, consequentia, proprietas ipsa verborum, & intentio loquentis sunt longe proniora ad ingenerandum sensum proprium, quam metaphoricum, ergo est evidenter credibilius in his verbis doceri præsentiam Christi realem. *Antecedens probatur*, his argumentis.

ARGUMENTUM I.

Ab Antecedentibus.

Christus hoc loco partim verbis, partim factis insinuat se adimplere. 1. Figuram sanguinis in veteri Testamento circum altare ex victimis effusi. 2. Figuram esus Agni Paschalis. 3: Promissionem suam de novo pane cœlesti Joannis cap. 6. factam. Atqui pronius est, tum figuras illas, tum promissionem prætactam adimpleri per præsentiam corporis & sanguinis Christi realem, Ergo. *Minor patet*, quia non est connaturale intentioni figuras instituentium, & exspectationi easdem observantium, ut figuræ tam solennes intendantur & credantur impleri per institutionem alterius novæ figuræ symbolicæ. Quod vero attinet promissionem Joannis cap. 6. factam, jam supra ostensum est, evidenter credibilius esse, ibi promitti præsentiam Christi realem in Eucharistia. *Probatur igitur Major.* 1. *De sanguine.* Nam Christus facit oppositionem inter sanguinem effusum circum altare in veteri Testamento, & hunc suum sanguinem novi Testamenti, dicens: *Hic est sanguis novi testamenti, qui effundetur in remissionem peccatorum: &c.* Ea tacita oppositio ac successio inter sanguinem illum veteris Testamenti, & hunc Eucharisticum novi Testamenti confirmatur ex eo, quia ex D. Paulo ad Hebræos c. 9. constat, eam esse connaturalem utrique comparationis termino, ut proin tanquam obvia facillime occurrere potuerit & debuerit Christo: sic habet: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per tabernaculum non manufactum, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui se per Spiritum sanctum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Et ideo* (per substitutionem

nem sui sanguinis in cruce effusi, & in Eucharistiæ sacrificio jugiter permanentis usque ad finem mundi) *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum est; mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin non valet dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem* (vetus Testamentum) *sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo: Accipiens sanguinem vitulorum & hircorum omnem populum aspersit dicens; Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit; & omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo, exemplaria* (figuras) *quidem cælestium his* (figuris) *mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Ex his patet, sanguinem Christi in cruce effusum esse sanguinem novi Testamenti, præfiguratum ab illo sanguine veteris Testamenti. Cum ergo Christus hoc loco Eucharistico sanguini tribuat eandem denominationem & proprietatem, quod sit sanguis novi Testamenti, necesse est, sanguinem Eucharisticum esse ipsummet *præfiguratum*, adeoque non *figurantem* & symbolicum, ac metaphoricum, *sed realem*, eo tempore quo Christus Cœnam instituit, proxime effundendum in cruce. Quod si Christus hos terminos; *hic est sanguis novi testamenti*, sumpsisset tantum objective, sumendo signum pro suo significato, incongrue faceret oppositionem inter signum sui sanguinis in veteri Testamento, & signum ejusdem in novo Testamento, de hoc potius quam de illo dicendo: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*; eodem enim jure hanc denominationem reciperet ille sanguis vitulorum; & potuisset Christus dicere: *Hic erat meus sanguis novi Testamenti*, in signo videlicet; imo erat longe expressior figura quam ipsum poculum ultimæ Cœnæ.

2. *De Agno Paschali*; quod hujus esus in figura impletus fuerit in cœna ultima Dominica, probatur ex eo, quia ex una parte certum est, Agnum veteris Testamenti Paschalem sua immolatione præfigurasse Christum immolstum in cruce, juxta illud 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ex altera vero parte non apparet aliud *præfiguratum*, cui majori analogia correspondeat esus illius Agni veteris, quam verus esus Agni novi Testamenti, nempe ipsius Christi in cruce immolati. *Confirmatur ex eo*, quia si supponatur hæc analogia inter esum Agni præfigurantis, & esum verum Agni præfigurati esse intenta a Christo, varii textus Christi, Evangelistæ, & Apostoli reperiunt connaturalem connexionem cum antecedentibus, consequentibus, & aliis circumstantiis objecti, de quo agitur; econtra si illa analogia non supponatur, ea dictorum ac phrasium connexio non est obvia, nec reperit expedite rationem & motivum. Nam 1. Si Christus non habuit intentionem præfiguratum substituendi figuræ, cur hanc Cœnam instituit post esum Agni legalis in ultimo suo Paschate? nec ratio, nec exemplum aliud suadet, ut figuræ substituatur figura, umbra umbræ. 2. Cur Christus dixisset; se desiderio desiderasse hoc Pascha manducare cum Discipulis, si realiter nil præstantius contineretur in hoc Paschate, quam in prioribus? si desiderium referatur ad vicinam passionem, non dixisset Christus, se desiderasse, hoc Pascha comedere, quæ actio per se non est connexa cum passione, sed dixisset, se desiderasse hoc tempus, diem, & horam, quibus vicinior fieret passioni. 3. Christus Luc. 22. immediate ante verba institutionis dixit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei.* Ergo illud ipsum Pascha, quod desideravit comedere, erat implendum in Ecclesia, quæ est regnum Dei; ac consequenter, cum Pascha impletum sit Christus immolatus, revera desideravit hunc sumere realiter in Sacramento. 4. Christus Marci 14. declaravit, se bibiturum suum sanguinem *novum* in regno Dei: sed si Eucharistia solum esset signum sanguinis in passioni effusi, non esset *novus*, sed semper *idem*. *Hic*, inquit, *est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia non bibam de genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.* Horum dictorum non occurrit facilior ratio, quam si dicatur, Christum post suam resurrectionem cum Discipulis celebrasse Cœnam ac bibisse in illa suum sanguinem *novum*, utpote corpori restitutum & jam gloriosum; cujus rei suspicio non est temeraria sine omni ansa; legitur enim Lucæ 24. quod duo Discipuli ejus agnoverint eum in fractione panis; & Actorum 10. Petrus dicit: *Manducavimus & bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.* 5. Dum Apostolus 1. Cor. 5. dicit, Pascha nostrum esse immolatum Christum, hoc conjungit cum esu Agni Paschalis. Ergo supponit, figuram esus Agni Paschalis impletam esse per esum Eucharistiæ. *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis Azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in veteri fermento, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: &c.* Non occurrit facile, ad quales alias epulas invitet, ad quas adhibendi sint Azymi sinceritatis & veritatis fraternæ, nisi ad epulum Dominicum, in quo nostrum Paschale convivium est Christus immolatus in cruce, sua secum ferens passionis stigmata, ac vulnera. 6. D. Paulus ad Hæbræos universos, quibus non licebat aperte prodere nostra omnia mysteria præsertim Eucharistiæ & sacrificii, ita tamen ea insinuat, ut ad fidem conversi facile intellexerint, quo collimet, & quid exigat, postquam cap. 10. multa præclara de Christo, tanquam unica & perpetua novi Testamenti hostia dixerat, jubet nos ad eum purgata conscientia accedere, non omittere conventus Ecclesiasticos, nec sanguinem novi Testamenti inhonorare, quæ omnia sicut consona sunt ad illa 1. Cor. 11. *probet seipsum homo, qui indigne manducat, reus erit corporis Domini*; ita etiam hoc loco non recipiunt rationem & interpretationem tam obviam, quam si dicatur, D. Paulum hic, post-

quam Christum consideraverat tanquam hostiam perpetuam novi Testamenti, eum referre ad mensam Dominicam. Ex quo proin iterum sequitur, esum Eucharistiæ esse verum esum hostiæ realis novi Testamenti, nempe Christi, in cœlo, ac consequenter, ubicunque existat, se offerentis & supplicantis Patri: verba D. Pauli sic habent: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis --- Sic & Christus --- secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum --- Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; Hic autem eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium; unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis: talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus; qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo: hoc enim fecit semel se offerendo. --- Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. --- Secundum legem* (Mosaicam) *omnia pene in sanguine mundantur ---- necesse ergo est exemplaria cœlestium his mundari; ipsa autem cœlestia* (novæ legis) *melioribus hostiis quam istis. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummationem sæculorum ad destinationem peccati per hostiam suam apparuit: & quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium; sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. ---- Lex per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere -- Ideo* (Christus) *ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens, quia hostias & oblationes & holocautomata & pro peccato noluisti; tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam; in qua voluntate sacrificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem Sacerdos præsto est, quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei: una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Postquam enim dixit: Hoc testamentum, quod testabor ad illos, dicit: Et peccatorum eorum non recordabor amplius: ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque, Fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est, carnem suam & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus aspersi corda à conscientia mala, & consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum non deserentes collectionem nostram* (ἐπισυναγωγὴν) *sicut consuetudinis est quibusdam: voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia. Irritam quis faciens legem Moysi moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?* (τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος: id est, sanguinem testamenti communem arbitrans) Horum omnium dictorum facile potest reddi ratio, si dicatur, Apostolum alludere ad hostiam novi Testamenti, quæ jugiter semper eadem manet, & ut juge sacrificium in conventibus Ecclesiasticis offertur, & à communicantibus, si indigne communicent, ac hunc pretiosum sanguinem tanquam communem sumpserint, non sine grandi sacrilegio accipitur.

3. *De impleta promissione cap. 6. Joannis facta.* 1. Si quis in Natali alteri promittet mille aureos, dicens, dabo tibi mille aureos; & altero statim anno redeunte eodem suo die anniversario festo eidem amico daret mille aureos dicens; Ecce, do tibi mille aureos; censeretur per hoc velle implere suum promissum; ergo cum Christus in Paschate penultimo jam proxime imminente dixerit: *Panis quem ego dabo caro mea est*, & statim altero Paschate dixerit; *Accipite, hoc est corpus meum*, præsumendus est, implere voluisse promissum. 2. Evangelista cum institutione & promissione connectit verba & facta analoga ac relativa ad invicem, in quibus non occurrit facilior connexionis ratio, nisi dicatur hoc conjungi cum institutione, quia ostendunt, impleta esse, quæ acta & dicta sunt in promissione. Ergo etiam ipsa institutio censenda est esse impletio prætactæ promissionis. *Antecedens probatur.* 1. c. Joannis 6. Evangelista testatur, Christum dixisse, *sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt; sciebat enim ab initio Jesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est? dicebat autem de Juda Simonis Iscariotæ; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.* In ipsa autem institutione Eucharistiæ Christus immediate post verba institutionis: *Hic est calix novum testamentum &c.* Luc. 22. subjungit: *Verumtamen manus tradentis me in mensa - - væ homini illi, per quem tradetur.* Cum ergo Christus tam in promissione quam in institutione cogitaverit & locutus sit de proditione Judæ, & ab experientia constet, species semel cum aliquo objecto conjunctas simul cum eodem manere conjunctas, ita ut recurrente in memoria uno objecto recurrat etiam statim alterum, ita observante Cartesio, connaturale est, objectum primarium promissionis & institutionis, cum quo proditio Judæ in memoria Christi conjungitur, esse idem. 3. Evangelista de promissione loquens ostendit, ea data occasione multos Discipulorum Christi non permansisse cum Christo in tentatione; econtra Christus in institutione Apostolos laudat quod secum permanserint in tentatione, & propterea eos adscribit socios suæ mensæ; ergo cum termini relativi aut demonstrativi, quales sunt hi: *Vos permansistis mecum in tentatione:* soleant referri pronius ad objectum primo ac illustrius obvium, præsumendum, Christum hoc loco respexisse ad illam solennem tentationem, in qua sola ab Evangelio notatur, multos Discipulorum

pulorum

pulorum recessisse. Itaque verba Evangelistæ cap. 6. Joan. sunt ista: *Ex hoc multi Discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Econtra in ipsa institutione Luc. 22. Christus post redargutam Judæ proditoriam mentem ad cæteros Apostolos dicit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo &c.*

ARGUMENTUM II.

A Consequentibus.

Verba institutionis ingenerarunt sensum litteralem in mente Apostolorum nec ullo dubitante, nec Christo aut Spiritu Sancto errorem dedocente; Ergo revera habent hunc sensum. *Consequentia* patet, si enim Christus aut Spiritus Sanctus potuit errorem de articulo tam fundamentali relinquere in mentibus Apostolorum, sic ut falso instruxerint in re tanti momenti Ecclesiam, corruit etiam inspiratio Scripturarum novi Testamenti, adeoque tota Religio; cum non appareat, cur Deus potuerit permittere falsam opinionem ac doctrinam circa hunc articulum, & non potuerit consimilem errorem permittere circa alios articulos. *Probatur Antecedens.* 1. D. Paulus, qui dicit se hoc accepisse à Domino vel per revelationem vel per Apostolos; qui etiam testatur *ad Galatas* 2. *se secundum revelationem ascendisse Jerosolymam, ut cum Apostolis conferret Evangelium* à se prædicatum in gentibus, docet, eum *reum esse Corporis Domini*, qui indigne manducat; illudque *manducari in judicium*; atqui talis reatus, talis impietas, talis damnatio non foret effectus manducationis indignæ, si Eucharistia solum foret figura, neque enim censendum, eos fuisse peccati mortalis reos, qui manducarunt de Agno Paschali, aut de Hostiis pacificis in statu peccati mortalis; neque etiamnum peccati mortalis rei sunt qui aut sumunt Eulogias, id est, panes benedictos symbolicos, aut agunt memoriam passionis Dominicæ legendo, scribendo, adhortando. 2. D. Paulus gravitatem Sacrilegii in indigne communicantibus exaggerat ex eo, quod *non dijudicent corpus Domini.* Hoc antem non sequeretur, si corpus verum Domini tantum se teneret ex parte *significati:* discerneretur enim & dijudicaretur utique hoc præclarum significatum ab omni alio objecto non significato speculative, & practice per indignam tractationem tam parum attingeretur, ac si quis in statu peccati tractat Scripturæ verba, aut alia Symbola Dei & Christi. Econtra illa practica malitia solum locum habet, si corpus Christi præsens est realiter in ipso signo quod per modum cibi sumitur, eo quod practice non discernatur ac dijudicetur ab alio cibo communi aut alias allegorico aut symbolico tantum. 3. Constans & uniformis traditio Ecclesiæ a primis sæculis de reali præsentia Christi in Eucharistia quæ demonstrabitur §. sequente, est certum signum, eam Doctrinam promanare ab Apostolis; ergo Apostoli verba institutionis necessario intellexerunt in sensu litterali. *Antecedens patet*, quia in materia adeo abhorrente à sensu communi, & à judicio sensuum nulla potest fingi communis causa, quæ ingenia tot hominum ultra captum intellectus coegisset ad tam uniformem persuasionem, cum ne quidem in rebus indifferentibus soleant convenire contingenter in uniformem praxin aut sententiam sine authoritate omnibus superiore, qualis tunc intervenisse alia nullo verosimili argumento aut suspicione fingi potest præter Authoritatem Doctrinæ Apostolicæ.

ARGUMENTUM III.

A proprietate verborum.

Quivis testator studet seligere pro suo testamento terminos proprios, ab omni æquivocatione alienos, & ad præcludendas hæredum lites idoneos. Ergo cum Christus fateatur, hanc suam Eucharistiæ institutionem esse testamentariam, ob leges prudentiæ uti debuit terminis propriis, ad præcavendas lites idoneis, quales non forent termini indifferentes ad expositionem metaphoricam & litteralem. Itaque si ea verba institutionis non sunt indifferentia ad utrumque sensum, necesse est, ut quadam evidentia signi determinate præferant alterutrum sensum; non metaphoricum, cum nulla adsint determinata ac certa metaphoræ indicia; ergo proprium. 2. Omnis metaphora, non sensibilis ex natura objecti, aut præparatione animorum, vel usu terminorum jam trito, est mendacium; quia non potest usurpari sine intentione saltem interpretativa animis audientium ingenerandi sensum erroneum; sed talis foret metaphora verborum institutionis ab Adversariis asserta; ergo foret mendacium, quod repugnat Sanctitati Christi. *Minor probatur.* Tunc metaphora non est sensibilis ex natura objecti, quando hujus impossibilitas aut inconvenientia non cogit ad recedendum à sensu verborum proprio, & ad substituendum sensum metaphoricum; sed hoc non fit in præsenti. Tunc enim impossibilitas aut inconvenientia objecti non cogit ad deserendum sensum proprium, quando ex una parte possibilitas objecti sub modo congruo est in potestate absoluta ac saltem extraordinaria loquentis, & ex altera parte circumstantiæ movent vel saltem permittunt prudens dubium, utrum loquens in hoc casu non intendat uti potestate sua extraordinaria; sed utrumque concurrit in præsenti: nam in potestate Christi extraordinaria nempe in omnipotentia illius situm est, ponere realem Christi præsentiam in Eucharistia, & circumstantiæ satis innuunt, eum hoc loco agere de præcipuo aliquo ac incomprehensibili mysterio novæ Religionis, quod & finem imponat antiquis sacrificiis, & sua captus difficultate præbuerit occasionem scandali Capharnaitis, & defectionis discipulis; in quo Christus requisierit, & Apostoli præstiterint magnam fidem; quod denique olim Joan. c. 6. durum

durum visum fuerat ipsis Apostolis: itaque hæ circumstantiæ non solum permiserant, sed etiam necessario movebant prudens dubium, an Christus in hoc casu non vellet uti sua potestate extraordinaria itaque natura objecti non cogebat Apostolos ad renuntiandum intrepide verborum proprietati, & sine hæsitatione amplectendam in re tanti momenti metaphoram: obligationis erat indispensabilis, ut in re tanti momenti interrogarent Dominum. Eodem modo ostenditur, nec præparationem animorum Apostolos coegisse ad deserendum sensum verborum proprium, cum pateat, eos ex circumstantiis præfatis merito debuisse dubitare, an Christus in hoc grandi mysterio non esset usurus sua extraordinaria potestate, nempe omnipotentia à se incomprehensibili. Quod denique nec usus terminorum eorundem aut consimilium tritus potuerit indubitanter figere sensum metaphoricum, probatur ex eo, quia iidem termini nullibi alias usurpati fuerant à Scriptura vel à Christo præsertim cum versio Syriaca, quæ est antiquissima, textum controversum reddat his verbis: *Hoc est ipsummet Corpus meum*; consimiles autem termini, quando fuerunt usurpati, aut versabantur de objecto ex sua natura impossibili, aut moraliter indecente, aut usurpabantur in iis circumstantiis, in quibus nulla poterat haberi prudens suspicio de usu potestatis extraordinariæ, nec dabatur cohortatio vel admonitio ad aperiendum sinum mentis magnæ fidei; itaque nuspiam usus terminorum consimilium tritus, sed potius natura objecti & circumstantiarum cogebant ad substituendum sensui verborum proprio metaphoricum. 3. Quando unum affirmatur de alio in sensu metaphorico, aut alias tropico v. g. affirmando analogatum de termino analogo, causam de effectu, totum de parte, originatum de sua origine, debet aliunde nota, obvia, ac certa esse ratio metaphoræ, aut tropi, nempe similitudo, analogia, causalitas, proportio, origo &c. quæ sua evidentia statim inclinet intellectum ad sensum methaphoricum aut tropicum, eo quod denominari soleant objecta juxta habitudinem eorum obviam. Sic enim dum Christus vocatur flos de radice Jesse, lilium convallium, leo de tribu Juda, petra Ecclesiæ, lapis angularis, ostium, via, vita mundi, lux ovia &c. in omnibus his denominationibus sine laborioso discursu cuivis penetranti terminos nota ac obvia est ipsa terminorum similitudo inter se, quæ consequenter intellectum statim determinet aut inclinet ad sensum metaphoricum. Atqui non erat nec est obvia similitudo inter panem & corpus Christi, vel vini cum sanguine Christi, sed tantum cum ipso Christo sumpto in supposito seu persona, non secundum partem: neque enim corpus Christi, vel sanguis causat vitam eternam instar panis, qui causat temporalem; sed Christus eam vitam causat: nullibi reperimus in Scriptura eum effectum aliunde adscriptum fuisse ipsi corpori Christi v. g. dicendo, Corpus Christi nos redemit, corpus illius nobis promeruit vitam æternam, corpus illius dat nobis salutem; sed potius, Christus nos redemit, Christus causat nobis vitam beatam & salutem: itaque debuisset Christus dicere: *ego sum hic panis, hic panis est vester Magister; hoc ego sum*; cum ergo analogia similitudinis non fuerit ex ipsa idea genuina terminorum Apostolis manifesta aliunde, obvia ac certa, videlicet inter panem & partem materialem constitutivam Christi, quæ est Corpus, ea notorietas similitudinis aliunde certa non potuit Apostolos sine hæsitatione determinare ad sensum metephoricum seu analogum. 4. Quæcunque dicuntur figurate, non solent constanter modo figurato exprimi, sed difformiter, videlicet aliquando modo loquendi proprio, & aliquando metaphorico; sed hæc variatio non fit in Scriptura circa Eucharistiam; ergo ille modus loquendi, de quo agitur, non est præsumendus figuratus ac metaphoricus. *Minor patet*, quia nunquam dicitur, panis significat corpus Christi; nunquam de pane Eucharistico dicitur, quod de Sacramentis veteris legis; *Hæc in figura facta sunt* 1. Cor. 10. *Hæc in figura contingebant illis*: ibid. *Est parabola instantis temporis*: ad Hebr. 9. *Audite parabolam seminantis*. Matth. 13. *Major probatur*, tum ab inductione, tum a ratione: sic licet v. g. Matth. 13. dicatur *Zizania sunt filii nequam*, non tamen recurrente sæpius occasione loquendi de eodem objecto fit prædicatio in recto, sed dicitur sine metaphora. *Sicut colliguntur Zizania, sic erit in consummatione sæculi*. Quando Christus Joan. 15. dicit: *Ego sum vitis vera & vos palmites*; non manet perpetuo in metaphora, sed loquitur etiam proprie dicendo: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, sic nec vos* nisi in me manseritis. Dum Christus Joan. 9. dicit. *Ego sum ostium*, illud ipsum tam Christus quam Apostolus reddit etiam alia phrasi, dicendo: *Per me si quis introierit, salvabitur*. Et dum uno loco dicitur: *Petra erat Christus*, mutatur phrasis in proximo contextu: *bibebant de spiritali consequente eos petra*. Sic & dum Christus uno loco vocatur ovis, agnus, &c. alio loco id exprimitur per modum similitudinis sine tropo: *Sicut ovis ad occisionem ducetur; quasi agnus coram tondente se* non aperuit os, Isa. 53. Ratio autem est, quia ad adhibendam metaphoram non cogit penuria verborum, sed sermonis elegantia; elegantiæ autem assumuntur instar salis ad tollendum fastidium ipsa variatione phrasium; connaturale proin est humano genio, easdem veritates non uniformiter proferre iisdem verborum formulis metaphoricis, prout tamen hic proferuntur tum à Christo in Sermone ad Capharnaitas & in institutione; idque tam circa materiam panis quam vini. Eadem phrasis retinetur ab Evangelistis & Apostolis, licet in aliis narrationibus sæpe solum recenseant substantiam dictorum, sententiarum ac textuum, non ipsa verba. Hæc ergo constans uniformitas, cum non proveniat à casu, est verosimile præsumptionis argumentum, non fuisse sensum metaphoricum, quo stante fuisset contingenter locus variationi. Idem proportionaliter argumentum applicari potest ad textum D. Pauli.

ARGU-

ARGUMENTUM IV.

Ab intentione loquentis.

Summe decuit, institui à Christo pro sua Ecclesia juga sacrificium ex victima realiter præsente, digna Deo; & haoc decentiam eum voluisse attendere probsnt tum varia loca Scripturæ probabilius hoc iosinuantia; tum etiam totum Systema Religionis Christianæ, in quo constanter relucet Christi mors & iotentio, in materia religioois ac cultus sequeodi *rationem melioris*. Ergo sic voluit. *Antecedens probatur:* nam 1. ab origine muodi ea vel lumine naturali vel inspiratiooe erat impressa omnibus hominibus propensio, ut cultum Dei summum protestareotur rerum optimarum sacrificiis; ergo decuit, generali buic propensioni hominum lo nova Religiooe Christiana coocedi sacrificium reale ex victima præsente nobilissima, cujus jugi oblatione redderetur Deo cultus perfectissimus lo solatium & juvameo fidelium. 2. Manifestum est, Christum elegisse hoc systema Religioois per viam crucis & exioanitionem totalem omnium bonorum creatorum, ut faceret Patri sacrificium uoiversale omoium bonorum, bonorum, voluptatum, divitiarum, coosolationum, vitæ &c. sic enim dicitur ad Hebr. 10. *Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem* (ut esset loco illarum bostiarum & oblatiooum veterum) *aptasti mihi:* addit enim Apostolus: *Aufert primum, ut sequens statuat.* Ergo sicut priores hostiæ & oblationes erant realiter & visibiliter perpetuæ ab origioe mundi usque ad Christum tanquam primarium constitutivum illius Religionis præfigurativæ, ita decuit, ut etiam vera hostia realiter ac sensibiliter perduraret à Christo usque ad finem mundi; Subrogatum enim, cum agnoscat similia motiva & consimiles fines, ita etiam, quoad decet, sapit naturam illius, cui subrogatur. 3. Christus Instituendo Eucharistiam Iotendit vivam sui sacrificii io cruce peracti memoriam, prout patet ex verbis institutionis & ex Apostolo: io hunc autem finem cum virtutibus congruis obtinendum iocomparabiliter fortius movet atteotionem jugem & conversionem animi realis ipsius victimæ præseotia: inde enim excitantur fideles ad frequentem, ac prout in antiqua Ecclesia moris erat, ad ferme quotidianam communionem, ac consequeoter ad quotidianam reverentiam, gratitudinem, & amorem erga Christum, & ad perpetuam puritatis custodiam, & conversatiooem cum Deo: quæ omnia partim cessant, partim deficiuot, partim laoguent, si reali præseotiæ tantæ victimæ substituatur oudom ipsiua figoum. Itaque Christus habuit motivum fortissime inclinans ad ponendam realem ac jugem sui præsentiam io Eucharistia. 4. Christus, prout patet ex Apostolo ad Hebræos cap. 7. sgit revera Sacerdotem summum Pontificem apud Cœlestem patrem, jogiter seipsum offerens pro nobis. *Hic autem*, inquit, *eo quod maneat in æternum sempiternum babet sacerdotium; unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis:* & cap. 9. *Non in manufacta Sancta* (Sanctorum) *Jesus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Si ergo Christus vult perpetuo comparere pro nobis coram vultu Dei per modum Sacerdotis sacrificantis, & per modum victimæ, stigmatibus suorum quinque vulnerum characterizatæ, prooum est, ut in eo statu velit etiam sensibiliter comparere coram oculis eorum, pro quibus jugiter interpellat, ut & ipsi eo sensibili ac coooaturali humanis inclinationibus statu attracti junctis secum affectibus semetipsum taoquam pretiosam victimam offeraot Patri. 5. Christus voluit populum Christianum præ omnibus aliis gentibus ditare ac booorare ea speciali gratia, ut babeat oblationem mundam, & habeat modo quodam singulari præseotem Deum. Sic eoim Malachiæ 1. dicitur: *Ad vos, o Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, in quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus; & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Ex hoc textu duo patent; *primò* quod Deus io illa reprehensione Sacerdotum veteris Testameoti, in qua simul reprehendit avaritiam illorum, pro objecto reprehensionis primario habcat vilitatem hostiarum, & victimsrum, cui proio opponit dignitatem victimæ io nova lege ab omnibus geotibus offerendæ. *Secundò*, quod dignitatem novæ oblationis doceat non solum esse sua majestate dignam, sed ex ea etiam commendari atque agnosci suam majestatem. Hæc non implereotur per nudum signum victimæ in cruce oblatæ; nam ipsa oblatio oec esset dignior, aut purior oblatione veteri in se, nec ratione sigoificati; vioum enim, in quo sacrificatur, & repræsentaretur victima crucis, sæpe sapit magnam ministrorum avaritiam, & irreligionem; vasa & paramenta sæpe monstrant mioorem reverentiam, quam illi defectus legales in victimis: & Deus non haberet causam gloriaodi de pretio & dignitate novæ oblationis, paois oudi, & vini nudi, si tantum forent signum oblatæ semel in cruce victimæ. E contra, si Christus realiter est præsens, sic & Deus potest gloriari, eo quod habeamus sacrificium infioitiea dignius sacrificiis aliarum Religionum, imo sacrificium juge dignum Deo. 6. S. Joannes loquens de ultima cœna specialiter observat, in ea præcipue relucere amorem Christi erga suos. *Cum dilexisset suos*, inquit, *in finem dilexit eos:* ea autem expressio amoris per excellentiam nec habetur per lavationem pedum; quia in boc potius exprimitur humilitas, quam amor; oec per institutionem signi rememorativi suæ passionis; ea enim iostitutio potius esset effectus amoris proprii quam alieni; sic enim; dum alios volumus nostrûm memoisse, & psrentes voluot, ut filii meminerint laborum suorum pro ipsis exantlatorum, id non est expressio amoris actualis parentum erga liberos, sed

sed exactio gratitudinis & amoris. Econtra si Christus ponatur se realiter præsentem constituere in Eucharistia in statu isto iteratæ exinanitionis non obstantibus innumeris irreverentiis, quæ illi à tepidis irrogantur, hoc demum est expressio summi amoris, violenter e cordibus durissimis excutiens reciproci amoris flammas. 7. Christus cum Institutione Eucharistiæ conjunxit institutionem lotionis pedum, eamque Cœnæ Dominicæ præmisit: *Postquam lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum, dixit eis. Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, & cum intinxisset panem, dedit Judæ.* Joan. 13. Non apparet pronior causa, cur Christus eam cæremoniam lotionis voluerit præmittere Mensæ Dominicæ, nisi animo significandi, hominem etiam à pulvere minimorum quotidianorum defectum ac terrenorum affectuum purgandum esse, antequam accedat ad purissimum hoc convivium, prout ipsa connaturalitate circumstantiæ in unam uniformem expositionem tracti explicant Patres; & prout ipse Apostolus faciendum monet, dum 1. ad Cor. 11. dicit, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Tanta autem munditiei affectuum connaturaliter ac per se non requiritur ad signum rememorativum passionis tractandum vel manducandum. 8. Complexum omnium bonorum consequens ad suppositionem præsentiæ realis est motivum excellens fortissime invitans & alliciens charitatem Christi ad eam præsentiam potius ponendam, quam ejus negationem. Bona autem exinde consequentia sunt. 1. Frequentior Eucharistiæ & Sacrificii usus: connaturale enim est, fideies pronius attrahi ad ipsum Christum, quam ad nudum ejus signum: 2. Frequentior memoria passionis Dominicæ; quia ubi frequentior usus Eucharistiæ, & sacrificii, etiam connaturaliter frequentior est non solum repræsentatio, sed etiam rememoratio passionis Dominicæ. 3. Frequentior & ferventior exercitatio præcipuarum tali mysterio congruentium, gratitudinis, amoris, imitationis &c. quia experientia monstrat, non ita facile aut fervide nos excitari ad actus amicitiæ & amoris ex præsentia imaginis, quam ex præsentia sensu aut fide apprehensa ipsius amati. 4. Major, ac constantior puritas animi. Dum enim frequentior est accessus ad puritatis fontem, connaturalis est major obligatio ad puritatem animi custodiendam, ne aut tantus Hospes indignum repellat, aut tepidum evomat. 5. Maturior, & certior reparatio lapsuum: cum enim supposita præsentia grave sacrilegium sit sumere intra se Christum corde & animo etiamnum affixo peccatis & mancipato servituti dæmonum, usus frequentior Eucharistiæ connaturaliter monet ad dissolvenda peccatorum vincula, furta, injustitias, inimicitias, lascivias &c. Pravarum consuetudinum & concupiscentiarum refrœnatio, edomatio, eradicatio: cum enim frequentior Eucharistiæ usus post se trahat exercitationem virtutum, renovationem seriam bonorum propositorum, detestationem adducentium à Deo; connaturale est, ut repetitæ impressiones in memoria, & voluntate sensim frangant ac doment pravarum consuetudinum & concupiscentiarum insolens robur. 7. Occupatio sancta cum Deo, quæ est præservativum à peccatis plurimis, nam & dies festivos subtrahit otio, ac evagationi ad periculosa consortia & mentem tam sancte horis matutinis sacratam Deo non facile tam cito resolvit ad impia. 8. Connaturale est, uberiora gratiarum flumina per inspirationes & motiones animi congruas manare ex ipsa præsentia regis, quam ejus absentis invocatione; tum quia ex apprehensione præsentis est ardentior, tum quia decet major præsentem in supplicantes bonitatis diffusio. Cum Sapientia divina testetur Prov. 8. *Delitiar suas esse cum filiis hominum*, etiam inter ordinatas humanitatis Christi affectiones reponendum est, ut delectetur cum animabus sanctis sibi familiaribus. Huic autem ordinatæ affectioni aperitur latior libertas, si realiter suos amicos secum in suo Ecclesiæ regno patiatur socios mensæ, si apponat convivium medullatum, si apponat frumentum electorum, si denique naturalissime ludat sacras, quæ in Canticis sub velo claudruntur, sponsi & sponsæ delitias. Hæc omnia, & forte majora, quæ nonnulli ex verbis Apostoli suspicantur, dum asserit, jam non se, sed Christum in se vivere, & futurum omnia in omnibus Christum, consequuntur bona ex præsentia Christi reali in Eucharistia; quis neget, complexum tantorum bonorum fortiter debuisse sollicitare cor Christi amantissimum, ut ad sanctificandam suam Sponsam Ecclesiam & in se moribus saltem transformandam unico facili verbo diceret, *volo?* Itaque concludendum, cum omnia interpretationis principia, proprietas verborum, subjectæ materiæ circumstantiæ, & intentio loquentis proniora sint ad sensum litteralem, esse evidenter credibilius, hunc sensum doceri in verbis Institutionis & Apostoli.

QUÆSTIO III.

An Sacramentum Eucharistiæ possit efficaciter probari ex constanti traditione SS. Patrum?

NOTANDUM, hanc quæstionem à me fusius deduci, ut Theologi, quorum in presbyteratu quotidianum objectum est Christus in Eucharistia, nonnunquam non sine fraudulentis suggestionibus dæmonum, ex traditione tam constanti & universali confortati eo liberius sine ulla hæsitatione devotioni indulgeant. Cum enim paucis Presbyteris ejusmodi libri Polemici ad manum sint, in quibus tota illa traditio uno conspectu sistitur, suadeo Professoribus, ut in Theologia hanc demonstrationem non omittant.

DICO. Hoc Sacramentum probatur efficaciter ex constanti traditione SS. Patrum.

PROBATUR. Attente considerando & invicem conferendo textus SS. Patrum evidenter credibilius est, ab iis agnosci realem præsentiam Christi in Eucharistia. Ergo ex iis efficaciter probatur existentia Christi in Eucharistia c. *patet* ex NOTANDO 2. *Quæst. I.* ant. prob. SS. Patres

tres afferunt varias notas characteristicas præsentiæ realis Christi in Eucharistia. Ergo. *ant. prob.* Nam

1. Affirmant constanter, panem Eucharisticum esse corpus Christi, nullibi monendo de sensu metaphorico, aut variando & explicando phrasin.

2. Utuntur frequenter loquendi formulis positive exclusivis sensus metaphorici.

3. Dum loquuntur de conversione panis in Corpus Christi, utuntur exemplis & paritatibus conversionum physicarum & realium.

4. Dum loquuntur de hoc mysterio, afferunt id sola fide comprehendi posse; quod non haberet locum in sensu metaphorico.

5. Dum loquuntur de carne Christi in Eucharistia, contestantur, esse ipsissimam, quæ ex Virgine nata, in cruce passa, & in cœlum assumpta est, qua expressione non uterentur fautores sensus Allegorici.

6. Christo existenti in Eucharistia, & pani Eucharistico eas tribuunt proprietates, quæ non congruunt in sensu metaphorico, v. g. adorationem, residentiam in altari, comitatum angelicum, tractationem particularum reverentem, Christum nobis concorporari &c. Quæ omnia probantur sequenti inductione textuum.

I.

S. IGNATIUS MARTYR.

In Epistola genuina *ad Smyrnenses*, juxta editionem Usserii, Vossii, & Cotelerii, num. 2. „ Christus vere passus est; sicut & vere seipsum „ resuscitavit; non ut quidam increduli (ἄπιςοι) „ dicunt, eum tantum apparenter passum esse. „ (τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεπονθέναι) Ego enim & post „ resurrectionem eum in carne vidi. Quem „ quidam ignorantes, abnegant. Quid mihi „ prodest, si quis me laudet, & Dominum me„ um blasphemet, non confitens, ab ipso car„ nem gestari? Qui vero id non dicit, prorsus „ eum negavit. Considerate vero eos, qui ali„ ter docent, quomodo contrarii sint doctrinæ „ Dei. Non est cura ipsis de vidua, non de „ orpbano, non de oppresso, non de vincto, „ non de esuriente. Ab Eucharistia & Oratio„ ne (προσευχῆς, quæ fit in oblatione Euchari„ stiæ) abstinent, eo quod non confiteantur, „ Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Je„ su Christi; quæ pro peccatis nostris passa est, „ quam Pater sua benignitate suscitavit.

In hoc textu observandum est, quod S. Ignatius tota hac sua Epistola ex instituto agat contra eos, qui dicebant, Christum non habuisse verum corpus, sed tantum phantasticum. Si autem Ecclesia solum docuisset, panem Eucharisticum esse tantum figuram ac symbolum corporis Christi, ejusmodi hæretici non habuissent opus, ut tollerent ipsam Eucharistiam, sed explicationem solum correxissent, dicendo, hunc panem non esse symbolum corporis veri, sed phantastici: & S. Ignatius non debuisset eos reprehendere in hoc, quod negent, hunc panem esse carnem Christi, sed quod negant, esse symbolum veri corporis.

D. Amort Tract. de Eucharistia.

II.

S. JUSTINUS MARTYR.

In sua ad Imperatorem & Senatum Romanum pro Christiania *Apologia* 2. quæ revera est prima ritum & naturam Eucharistiæ his verbis explicat: „ Deinde ei, qui fratribus præest, of„ fertur panis & poculum aquæ & vini, quibus „ ille acceptis laudem & gloriam rerum univer„ sarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti „ offert, & Eucharistiam, id est, gratiarum „ actionem, pro eo, quod nos donis suis hisce „ dignatus est, prolixe exequitur. At ubi ille „ preces & gratiarum actionem absolvit, omnia „ populus, qui adest, fausta approbatione ac„ clamat, *Amen.* Vox autem Hebræa *Amen*, „ *fiat*, significat. Præsidens vero, postquam „ gratiarum actionem perfecit, & populus uni„ versus apprecatione læta eam comprobavit, „ qui apud nos vocantur *Diaconi*, distribuunt „ unicuique præsentium, ut participent eum, „ in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & „ aquam, & ad absentes perferunt. Porro ali„ mentum hoc apud nos appellatur *Eucharistia*, „ quod nulli alteri participare licitum est, quam „ veram esse doctrinam nostram credenti, & la„ vacro propter remissionem peccatorum & re„ generationem abluto, & ita, ut Christus tra„ didit viventi. Non enim ut communem pa„ nem, neque ut communem potum ista sumi„ mus, sed quemadmodum per verbum Dei ca„ ro factus, Jesus Christus, Servator noster, „ carnem & sanguinem salutis nostræ causa ha„ buit, ad eundem modum etiam eam, in qua „ per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ „ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro „ nostra per mutationem aluntur, incarnati il„ lius Jesu carnem & sanguinem esse edocti su„ mus. Nam Apostoli in Commentariis à se „ scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradi„ derunt sibi præcepisse Jesum. Eum enim ac„ cepto pane, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc* „ *facite in meam commemorationem; Hoc est corpus* „ *meum*: & poculo similiter accepto, & gratiis „ actis dixisse: *Hic est sanguis meus, & solis ipsis* „ *ea tradidisse.*

Circa hunc Justini textum notandum est, quod Apologia Imperatori, & Senatui Romano gentilibus ac Christianorum persecutoribus, qui miris calumniosis de Eucharistia rumoribus fuerant imbuti, fuerit oblata. Cum ergo Christianæ Religioni fuerit summe expediens, complanare omnes difficultates, quantum veritas fidei pateretur, non est verosimile, Justinum apertissime fuisse declaraturum, panem hunc tantum esse in figura & symbolo corpus Christi per nudam repræsentationem rei absentis, non vero eum acturum fuisse difficultatem affirmando directe, hunc panem esse Corpus Christi.

III.

IRENÆUS.

Sæculo secundo.

1.

„ *Christus suis Discipulis dans consilium, primi*„ *tias Deo offerre ex suis creaturis, eum, qui ex* crea-

„ *creatura panis est, accepit, & gratias agens di. „ xit: Hoc est Corpus meum; & Calicem similiter, „ qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, „ suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti „ novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apo- „ stolis accipiens in universo mundo offert Deo.*" Lib. 4. adv. hæref. cap. 32.

2.

„ *Quomodo constabit* (hæreticis Valentinnia- „ nis, qui dicebant, Christum non esse filium „ Dei conditoris mundi, sed alterius cujusdam „ Dei) *eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, cor. „ pus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, „ si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id „ est, verbum ejus, per quod lignum fructificat, & „ terra dat spicam, dein triticum in spica? quomo- „ do rursus dicunt, carnem in corruptionem venire, „ & non percipere vitam, quæ à corpore Domini „ & sanguine alitur? Nos autem offerimus ei, quæ „ ejus sunt, congruenter communicationem & unita- „ tem prædicantes carnis & spiritus: quemadmodum „ enim, qui est à terra panis, percipiens invocatio- „ nem Dei jam non communis panis est, sed Eu- „ charistia, ex duabus rebus constans, terrena & cæ- „ lesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharisti- „ am, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectio- „ nis habentia.*" Lib. 4. adv. hæref. cap. 34.

3.

„ *Quomodo Christus in homines bonus videtur, „ in ipsum autem, qui fecit homines, injustissimus, „ auferens ab eo, quæ sunt ejus? quomodo autem „ juste Dominus, si alterius patris existit, hujus con- „ ditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem, „ suum corpus esse confitebatur, & temperamentum „ calicis suum sanguinem confirmavit?*" Lib. 4. adv. hæref. cap. 57.

4.

„ *Deus non desiderat aliquid à nobis, quasi in- „ digens; nos autem indigemus ejus, quæ est ad eum, „ communionis: & propterea benigne seipsum effu- „ dit, ut nos colligeret in sinum Patris: vani au- „ tem omnimodo, qui contemnunt dispositionem Dei, „ & carnis salutem negant, & regenerationem ejus „ spernunt, dicentes, non eam capacem esse incorru- „ ptibilitatis: sic autem, secundum hæc videlicet, nec „ Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix „ Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque „ panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus „ est: sanguis enim non est nisi à venis & carni- „ bus, & à reliqua, quæ est secundum hominem sub- „ stantia, qua vere factum Verbum Dei sanguine „ suo redemit nos: & quoniam membra ejus sumus, „ & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipse „ nobis præstat, eum calicem, qui est creatura, su- „ um sanguinem, qui effusus est, ex quo auget no- „ strum sanguinem, & eum panem, qui est à crea- „ tura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra au „ get corpora; quando ergo & mixtus calix, & fra- „ ctus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia „ Sanguinis & Corporis Christi, ex quibus augetur „ & consistit carnis nostræ substantia: quomodo car- „ nem negant capacem esse donationis Dei, qui est „ vita æterna, quæ Sanguine & Corpore Christi nu- „ tritur, & fit membrum ejus? quemadmodum & „ Apostolus ad Ephesios ait: Quoniam membra su- „ mus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus „ ejus; dicens hæc ea dispositione, quæ est secundum „ hominem, qui de calice, qui est sanguis ejus, au- „ getur: & quemadmodum lignum vitis depositum in „ terra suo fructificat tempore, per spiritum, qui „ continet omnia, quæ deinde per sapientiam in usum „ hominibus veniunt, & percipientia Verbum Dei „ Eucharistia fiunt, quod est Corpus & Sanguis Chri- „ sti, sic & nostra corpora ex ea nutrita, & repo- „ sita in terram resurgent suo tempore.*" Lib. 5. adv. hæref. cap. 2.

5.

Marcus hæreticus fingens se consecrare pocula vi- no mixta, atque invocationis verba in longum pro- tendens, purpureum & rubricundum facit apparere poculum, ut existimetur, sanguinem suum per ipsius invocationem in poculum illud stillare. Lib. 1. adv. hæref. cap. 9.

Ex his Irenæi textibus observandum 1. Quod asserat, panem hunc & calicem esse *proprium corpus*, & *proprium sanguinem* Christi, & quod in hac doctrina insinuet difficultatem, ac propterea eam confirmet ipsius Christi testimonio; quia ipse id *confessus est*, & *confirmavit*. Itaque Irenæus per *hoc corpus* non intelligit *corpus mysticum*, nempe Ecclesiam; tum quia expressio *proprii* non est expressio *mystici*; tum etiam, quia in ea significatione, quæ potuisset institui etiam ab Ecclesia, non reperitur ulla difficultas. Neque etiam intelligit tantum figuram corporis veri; nam & hæc significatio potuisset institui ab Ecclesia; neque ad conciliandam assertioni fidem opus fuisset asseveratione Christi. Observandum 2. Juxta Irenæum Christum eodem modo confessum esse, in Eucharistia esse suum proprium corpus, quo modo confessus est, se esse verum hominem: atqui dum se dixit esse verum hominem, id in sensu proprio accipi voluit; ergo etiam sensum proprium intendit in præsenti. 3. Juxta Irenæum Eucharistia duabus rebus constare dicitur; *terrena*, & *cælesti*, nempe *corpore Christi*; atqui res symbolicæ tantum non dicuntur constare ex suo figurato absente. 4. Irenæus probat resurrectionem corporum nostrorum, quia participes sumus corporis Christi. Atqui hæc probatio esset vana, si tantum sumeremus figuram corporis Christi. Sic enim nemo auderet probare resurrectionem corporum & immortalitatem in Judæis ex eo, quod comederint Manna, quod ad ipsum erat figura Corporis Christi; cum & ipse Christus alium effectum eatenus adscribat Eucharistiæ quam Mannæ, dicens: Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, & mortui sunt. 5. Irenæus testatur de hæreticis, quod voluerint physice exhibere præsentiam Sanguinis Christi, qua impostura non fuisset opus, si Ecclesia non agnovisset physicam præsentiam Sanguinis Christi.

IV.

IV.

TERTULLIANUS.

Sæculo tertio.

1.

,, *Stationum diebus non putant plerique sacrificiorum* ,, *orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit* ,, *accepto corpore Domini: ergo devotum Deo obsequium* ,, *Eucharistia resolvit.* Lib. de Orat. cap. 14.

2.

,, *Quis solennibus Paschæ uxorem abnoctantem se-* ,, *curus sustinebit? quis ad convivium Dominicum il-* ,, *lud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet?* ,, Lib. 2. ad Uxor. cap. 4. *A nobis extorquere opor-* ,, *teret, quodcunque falso jactatur, quot quisque jam in-* ,, *fanticidia degustasset: o quanta Præsidis gloria, si* ,, *eruisset aliquem, qui centum jam infantes comedisset!* ,, Apolog. adv. Gentes cap. 2. *Dicimur scelera-* ,, *tissimi de sacramento infanticidii, & pabulo inde, &* ,, *post convivium incæsto.* Apolog. cap. 7. *Ut fidem* ,, *naturæ ipsius appellem adversus eos, qui talia creden-* ,, *da esse præsumunt; Veni, demerge ferrum in infan-* ,, *tem nullius inimicum, excipe rudem sanguinem, eo* ,, *panem tuum satia, vescere libenter. Qui non potes* ,, *facere, non debes credere.* Apolog. cap. 7.

Ex hoc textu patet, calumniam de Infanticidio ortam esse ex Eucharistia, quam Christiani certo fuissent clara explicatione caute evitaturi, aut statim sanaturi, si credidissent, panem Eucharisticum esse nudam symbolicam repræsentationem corporis Christi.

3.

Idem lib. *de Idololatria* cap. 7. reprehendens quosdam Statuarios Christianos, qui conficiebant Idola gentilibus, præsertim Clericos, quorum nonnulli huic arti & confectioni Idolorum vacabant, inconvenientiam exinde ostendit, quia sacrilegum est, iisdem manibus tractare Idolum, & Corpus Domini. *Tota die*, inquit, *in banc partem zelus fidei perorabit ingemens, Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, de adversaria officina in domum Dei; attollere ad Deum patrem manus matres idolorum; eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora* (nempe statuas inhabitandas) *conferunt. Parum sit, si* (laici sint, & in communione a Sacerdotibus vel Diaconis) *ab aliis manibus* (corpus Domini) *accipiant quod contaminant, sed etiam ipsæ* (manus nonnunquam, nempe manus Diaconorum vel Sacerdotum) *tradunt aliis quod contaminaverunt. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti* (Sacerdotes vel Diaconi) *quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ! Viderint jam, an per similitudinem dictum sit, si te manus scandalizat, amputa illam. Quæ magis amputandæ, quam in quibus Corpus Domini scandalizatur?*

4.

,, *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum* ,, *& ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus; HA-* ,, *BEO, inquit, BAPTISMO TINGI; venerat* ,, *enim per aquam & sanguinem, sicut Joannes scripsit,* ,, *ut aqua tingeretur, sanguine glorificaretur; proinde* ,, *ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos* ,, *duos baptismos de vulnere effossi lateris emisit; quia* ,, *qui in sanguinem ejus credidissent, aqua lavarentur,* ,, *qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent.* Lib. de Bapt. cap. 16.

D. Amort Tract. de Eucharistia.

5.

,, *Christus acceptum panem & distributum discipu-* ,, *lis suis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum* ,, *dicendo.* Lib. 4. cont. Marcion. num. 662.

6.

,, *Christianus, tanquam filius prodigus, vestem pri-* ,, *stinam recipit, statum scilicet, quem Adam transgres-* ,, *sus amiserat; annulum accepit tunc primum, quo fi-* ,, *dei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde* ,, *opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia sci-* ,, *licet.* Lib. de Pudicit. cap. 9.

7.

,, *Caro signatur, ut & anima muniatur; caro ma-* ,, *nus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illu-* ,, *minetur; caro corpore & sanguine Christi vescitur,* ,, *ut & anima de Deo saginetur.* Lib. de Resurr. cap. 8.

8.

,, *Namque suo socios homines sibi sanguine fecit;*
,, *Atque sacerdotes voluit sui corporis esse*
,, *Ipse Patris summi perfectus jure sacerdos.*

Author antiquus sæculi 3. contra Marcionem lib. 4. cap. 4. & lib. 5. cap. 8.

Acceptum panem pariter vinique liquorem
Corpus, ait, sanguisque meus, qui funditur, hic est,
Pro vobis; fieri semper quod postea jussit.

V.

CYPRIANUS.

Sæculo tertio.

1. Epist. 63. ad Cæcilium, de Sacramento Calicis agens, & probans, non posse consecrari in sola aqua, sed in vino cum aqua mixto, dicit: ,, Scias, ut calix mixtus vino offeratur; ,, nam cum dicat Christus; Ego sum vitis vera, ,, sanguis Christi non utique aqua est, sed vi- ,, num: nec potest videri sanguis ejus, quo re- ,, dempti & vivificati sumus, esse in calice, ,, quando vinum desit calici -- in Melchisedech ,, sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum ,, videmus, qui panem & vinum obtulit; Chri- ,, stus Jesus idem, quod Melchisedech, obtulit, ,, id est, panem & vinum, suum scilicet cor- ,, pus & sanguinem: præcedit ante imago sacri- ,, ficii Christi, in pane scilicet & vino constitu- ,, ta, quam rem perficiens & adimplens Domi- ,, nus panem & calicem mixtum vino obtulit, ,, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ ,, imaginis adimplevit: in benedictione Judæ ,, idem significatur; Lavabit in vino stolam suam, ,, & in sanguine uvæ amictum suum: quando ,, autem sanguis uvæ dicitur, quid aliud, quam ,, vinum calicis Dominici, sanguis ostenditur? ,, Et apud Esaiam: Quare rubicunda sunt vesti- ,, menta tua, velut a calcatione torcularis? ,, Quomodo ad bibendum vinum veniri non po- ,, test, nisi botrus calcetur ante & prematur: ,, sic nec nos sanguinem Christi possemus bibe- ,, re, nisi Christus calcatus prius fuisset & pres-

,, sus,

„ sus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret: hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi? quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?

2. De lapsis. Dum eos increpat, qui sine condigna pœnitentia ob negationem fidei ad Eucharistiam accedunt, sic ait: „ A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis & infestis nidore manibus accedunt: mortiferos idolorum cibos adhuc pœne ructantes Domini corpus invadunt: quando occurrat Scriptura dicens: Quicunque manducaverit panem Domini. Spretis his omnibus vis infertur corpori ejus & sanguini, & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.

3. Epist. 11. ad Martyres, eos repræhendens, qui post abnegationem fidei sine prævia condecente pœnitentia publica statim ad communionem Eucharistiæ accedebant, ait: „ Ante actam pœnitentiam, ante exomologesin extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero impositam offerre lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audent.

4. Epist. 56. ubi exhortatur Thiberitanos ad martyrium. „ Armemus dexteram gladio spirituali, ut sacrificia funesta respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postea a Domino sumptura præmium cœlestium coronarum.

5. Lib. *de Oratione Dominica* exponens quotidiani panis petitionem dicit: „ Panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est… quia Christus noster: qui corpus ejus contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes, a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum; panis autem quem dedero caro mea est pro sæculi vita. Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de pane ejus, ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est & orandum ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

6. Idem *Sermone de lapsis*, ubi enumerat plura miracula de indigne communicantibus, narrat etiam istud: (fœmina) „ ætate provecta, & in annis adultioribus constituta, quæ sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium (*communicando*) sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens angi & anima exæstuante concludi postmodum cœpit, & pressuram non jam persecutionis sed delicti sui passa palpitans & tremens concidit.

Circa hos textus *observo*, si S Cyprianus & alii Patres credidissent, panem Eucharisticum tantum esse figuram corporis Christi, eam denominationem panis non assumerent ordinarie ac familiariter, utpote non connaturalem objecto, sed facile relaberentur ad modum loquendi proprium ac connaturalem & obvium dicendo, esse symbolum corporis Christi, ac religiosam figuram; neque enim metaphoricæ locutiones transeunt in modum loquendi communem, nisi sint connaturales objecto per similitudinem obviam. Sic nominibus *petræ*, *leonis*, *agni*, quibus significatur Christus, non solet ordinarie ac familiariter substitui nomen Christi, dicendo, *hoc est Christus*. Si autem Patres illorum temporum hoc modo loquendi ordinario intellexerunt, panem Eucharisticum esse vere corpus Christi, non decuit Deum, in confirmationem hujus persuasionis patrare miracula, talia videlicet, quæ magis idonea erant ad insinuandam præsentiam Christi, quam repræsentationem. Sic loco citato refert puellam, quæ per ætatem nondum fuerat loqui, a sua nutrice idolothitis contaminatam, postea Eucharistiam non potuisse admittere, sed violenter infusam evomuisse. *In ore & corpore*, inquit, *violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas. … Cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne attingeret. Alius qui & ipse maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem se ferre apertis manibus invenit.* Hæc miracula non adduco, quasi patrari non potuerint ad venerationem etiam rebus symbolicis conciliandam, prout factam in veteri Testamento, sed quia non decuit ea patrari eo tempore ac loco, quo communis persuasio erat, panem illum esse vere Corpus Christi, si opinio foret falsa.

VI.

ORIGENES.

Sæculo tertio.

1. Homil. 13. in Exodum. *Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis ne ex eo parum decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur: reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat: quod si circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, & merito utimini &c.*

2. In Psal. 37. *Communicare non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam, quasi mundus & purus, quasi nihil sit in te indignum, & in his omnibus putas, quod effugias judicium Dei? non recordaris, quod scriptum est: Quia propterea in vobis infirmi & dormiunt multi? quare multi infirmi? quoniam non seipsos dijudicant, neque examinant, nec intelligunt, quid est accedere ad tanta & tam eximia Sacramenta.*

3. In Lucam Hom. 38. *Si non comedimus panem vitæ, si non vescimur carnibus Christi, & cruore potamur,*

mur, si contemnimus dapes Salvatoris nostri, scire debemus, quod Deus babeat benignitatem & severitatem.

4. In Numerorum cap. 11. Hom. 7. *Moyses, priusquam accepisset Æthiopissam, non est scriptum, quia in specie locutus sit ei Deus, & non in ænigmate, sed ubi accepit Æthiopissam, tunc dicit de eo Deus, quia os ad os loquar ad eum, in specie & non in ænigmate. Modo enim, cum Moyses venit ad nos, & conjunctus est huic nostræ Æthiopissæ, lex Dei jam non in figuris, & in imaginibus sicut prius, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur, & quæ prius in ænigmate designabantur, nunc in specie & veritate complentur. Et ideo ille, qui species figurarum & ænigmatum disserebat, dicit: Scimus autem, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Vides quomodo ænigmata legis Paulus absolvit, & species ænigmatum docet, & dicit, quia petra in ænigmate erat apud Moysen, antequam jungeretur huic nostræ Æthiopissæ: nunc in specie petra Christus est. Nunc enim as ad as loquitur per legem Deus. Antea in ænigmate baptismus fuit in nube, & in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua & in Spiritu sancto. Tunc in ænigmate Manna erat cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

In hoc textu clarum est, ab Origene perpetuo ænigmati opponi veritatem, non figuram figuræ, igitur & cibus per Manna persiguratus debet in veritate contineri in Eucharistia, nempe Christus.

Idem lib. 8. *contra Celsum. Celsus vota persolvat dæmonibus; nos qui rerum omnium conditori placere studemus, cum precibus & gratiarum actione oblatos panes edimus, per precationem jam corpus quoddam sanctum factos & sanctificans utentes eo cum sancto proposito.*

VII.

AUTHOR CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM.

Hic author vixit sæculo secundo vel tertio, utpote a Rufino in latinum versus. Lib. 7. cap. 27. ait. *Gratias agimus tibi Deus pro sancta corpore tuo, quod in nobis babitare fecisti.* Et lib. 8. cap. 14. *Qui pretiosum corpus & pretiosum sanguinem Jesu Christi participavimus.*

VIII.

CONCILIUM NICÆNUM.

Canone 18. Pervenit ad Sanctum Concilium, quod in quibusdam locis Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant, quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab bis, qui potestatem non babent afferendi, illi qui offerunt, Christi Corpus accipiant.

IX.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS.

Sæculo quarto.

„ Qnicunque in Christo spem habuerint, „ quando illius memoriam, corporisque ejusdem, & sanguinis recordationem quotidie celebrant, ad longe præstantius sacrificium, & „ munus assumpti sunt, quam illud antiquius „ erat. Cum ergo sacrificii hujus (*in Cruce peracti*) memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corporisque item illius, salutarisque sanguinis, ut novi Testamenti institutum „ habet acceperimus, a Propheta David instruimur ad dicendum: Parasti in conspectu meo „ mensam adversus eos, qui affligunt me; pingue in oleo fecisti caput meum, & calix tuus „ inebrians, quam præclarus est. Palam igitur „ in his mysticam significat unctionem, & horrorem afferentia mensæ Christi sacrificia, „ quibus operantes incruentas & rationales, eique suaves victimas in tota vita supremo Deo „ offerre edocti sumus. Sacrificamus igitur Deo „ plenum, & horrorem afferens, & sacrosanctum Sacrificium. *Demonst. Evang. lib. 1. ad fin.* „ *Ibidem cap. 10. dicit*: Præstantius quam veteres „ Judæi Sacerdotium & sacrificium consecuti „ non amplius integrum nobis esse putamus recidere in illa prima & infirma elementa, quæ „ signa & imagines, non ipsam veritatem continebant.

Si Eusebius credidisset, in pane Eucharistico haberi nudam imaginem corporis Christi, non videtur ratio cur a Christo, & Ecclesia non potuerint convenienter retineri, ac cum novæ legis Symbolis saltem conjungi illa veteris legis elementa, non jam ut figurativa rei venturæ, nempe hostiæ in cruce oblatæ, sed ut figurativa rei præteritæ, prout actu retinebantur ad tempus a Judæis ad fidem conversis Jerosolymæ: nec enim magis veritatem contineret Sacramentum Eucharisticum, quam Manna aut Agnus Paschalis.

X.

ATHANASIUS.

Sæculo quarto.

1.

„ *Poculum autem mysticum, quod, aut quonam in „ loca a Macario confractum est? atqui locus, in quo „ poculum fractum jactitant, Ecclesia non erat, quale „ igitur mysticum poculum fractum est? pocula multa in „ ædibus babentur, quæ collisa collidentem non impiant: „ mysticum autem poculum nusquam nisi apud Ecclesiæ „ Præsides reperias, eoque solo vos propinatis populo; „ solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi, „ & præterea nullius: cæterum ut impius est, qui bunc „ mysticum calicem frangit, ita multo magis impius est, „ qui sanguini Christi contumeliam facit; qui calice illo „ abutitur.* Apolog. 2.

2.

Idem in Oratione *de fide majore*, cujus Sermonis fragmentum boc refert Theodoretus Dialogo 2. Sic habet: *Quæ de eo adjecimus, Sede a dextris meis, de corpore Dominico dicta sunt. Corpus est ergo, cui dicit: Sede a dextris meis; per quod corpus Pontifex fuit, & dictus est per id quod nobis tradidit mysterium dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & sanguis novi Testamenti, qui pro vobis effunditur.*

XI.

CYRILLUS JEROSOLYMITANUS.

Sæculo quarto.

„ Catechef. 3. myftag. Pania Euchariftiæ „ poft Spiritus Saocti invocationem non am„ plius eft pania communis, fed eft corpus „ Chrifti.

„ Catech. 4. Cum igitur Chriftua ipfe fic af„ firmet, atque dicat de pane; Hoc eft corpua „ meum; quis deioceps audeat dubitare? ac eo„ dem quoque coofirmaote, & dicente; Hic eft „ fanguia meus, quia, inquam, dubitet, & di„ cat, non effe illius fanguioem? aquam ali„ quando mutavit in vioum, quod eft fanguinI „ propioqunm, in Cana Galilææ fola voluota„ te; & non erit dignus, cui credamus, quod „ vinum in fanguinem tranfmutaffet? fi enim ad „ ouptias corporeas invitatus ftupendum mira„ culum operatus eft, & ooo multo magis corpus „ & fanguinem fuum filiis fpoofæ ipfum dediffe „ confitebimur? quare cum omni certitudine „ Chrifti corpus & faoguinem fumamus; nam „ fub fpecie panis datur tibi corpus, & fub fpe„ cie vini datur tibi fanguis, ut fumpto corpo„ re & fanguine Chrifti efficiaris ei comparticeps „ corporis & faoguinis. (Χριςόφοροι γενώ μεθα,) „ Chriftophori erimus, hoc eft Chriftum feren„ tes, cum ejus corpoa & fanguinem in membra „ noftra receperimus, atque ita, ut B. Petrus „ dicit, divinæ naturæ coofortes efficiemur: „ hoc fcieodum, & pro certiffimo habendum, „ panem hunc, qui videtur a nobia, non effe „ panem, etiamfi guftua panem effe fentiat, fed „ effe corpus Chrifti: & vinum quod a nobia „ coofpicitur, tametfi feofui guftus vioum effe „ videatur, non tamen vioum, fed fanguinem „ effe Chrifti.

„ Idem Catechefi 5. explicaos preces in Sa„ crificio coofuetas fic habet: Deum benignum „ exoramus, ut mittat Spiritum Saoctum fuper „ dona propofita, ut faciat panem quidem corpus „ Chrifti, vioùm vero faoguioem Chrifti. Omnino „ enim quod attigerit Spiritus Sanctus, id fan„ ctificatum, & tranfmutatum eft. --- Hic pa„ oia non in ventrem vadit, atque in feceffum „ ejicitur, fed in omnem tui compagem dividi„ tur ad corporis & animæ emolumentum. --- „ Audivifti deinde vocem dicentia: Guftate & „ videte -- Ne corporeia faucibus hujus rei ju„ dicium æftimatiooemque permittite; non, io„ quam, fed fidei omnia dubitatioois experti. „ Qui enim guftant, non panem & vinum degu„ ftare jubentur, fed antitypum Corporia & „ Sanguinia Chrifti. Adiens igitur, ne expan„ fis manuum volia neque disjunctis digitia ac„ cede; fed finiftram velut thronum fubjiciena „ dexteræ, utpote regem fufcepturæ, & con„ cava maou fufcipe Corpus Chrifti refpondens, „ Amen. Tum vero poft communionem Cor„ poris Chrifti accede & ad fanguinis poculum „ non extendens manus, fed pronus & adora„ tionia ac venerationis in modum dicens, „ Amen.

Io his Cyrilli textibus notandum, quod hanc inftructionem dederit Catechumenis, qui fub iftis expreffionibus non fuiffent inftruendi, fi panis tantom effet figura Corporis Chrifti: effet enim hominis infipientiffimi, inftrueodis in fide augere difficultates fine explicatiooe facili obvia affirmat ipfum paoem effe corpus Chrifti, io hac propofitione effe difficultatem, id fieri per mutationem unius in aliud: quid neceffe eft, dare occafionem errandi, & denegandi myfterio fidem catechumenis, cum fatis & in prompu fuiffet dicere, hoc myfterium confiftere in nuda repræfentatione, & fignificatione?

XII.

BASILIUS.

Sæculo quarto.

I.

„ *Dominus nofter verus eft panis, & ejus caro ve*„ *rus cibus.* In Pfal. 33.

2.

„ Regula 21. *Quod neceffaria ad vitam æternam* „ *fit communicatio Corporis & Sanguinis Chrifti*, & „ cap. 2. *Quod qui ad communicationem Corporis &* „ *Sanguinis Chrifti accedit, & indigne communicat*, „ *damnatus fit.* Moral. Reg. 21. & cap. 3. *Quod ra*„ *tio, qua corpus Domini manducari, & fanguis bibi* „ *debeat, commemoratio fit obedientiæ Domini usque ad* „ *mortem.*

„ *Quanto cum timore, qualive cum animi perfuafio*„ *ne, affectioneve Corpus & Sanguinem Chrifti com*„ *municemus. De timore habemus Apoftolum; Qui* „ *manducat indigne* &c. Reg. brev. interrog. 172.

4.

Idem lib. 2. de baptifmo quæft. 2. Judaica facrificia cum noftris cooferens dicit: *Si tales minæ adverfus eos pofitæ funt, qui temere ad ea facra accedunt --- quid dicendum de eo, qui in tantum ac tale myfterium temerarius eft? Quanto enim majus aliquid is eft templo -- tanto gravius & terribilius eft in animæ impuritate conftitutum Corpus Chrifti attingere, quam fic accedere ad tauros & arietes?*

XIII.

GREGORIUS NYSSENIUS.

Sæculo quarto.

I.

„ Judæis defluit cibus varius fimul ac fim„ plex; fimplex vifu atque unicus; varius, quia „ ad fiogulorum cupiditates fe vertens: quid „ hinc difcimus? depurato, defæcatoque animo „ cœleftem cibum effe fufcipieodum, quem nul„ la nobis fatio agriculturæ artibus produxit; fed „ panis eft abfque femine, abfque humano ope„ re oobis paratus: is defuper defluens io terris „ invenitur; panis enim, qui de cœlo defcen„ dit, qui verus cibus eft, qui ænigmatice hac „ hiftoria fignificatur, oon incorporea quædam „ res eft; quo enim pacto res incorporea corpo„ ri cibus fieret? res vero, quæ incorporea „ non eft, corpus omnino eft: hujus corporia „ panem non oratio, non fatio, noo agricoia„ rum opus efficit, fed terra iotacta permanfit, „ & tamen paoe pleoa fuit, quo famefcentes „ myfterium virginis perdocti facile faturantur:

„ is

„ is igitur mirabilis fine agricultura panis varie-„ tate qualitatis ad fuscipiendum habitudinem „ virtutem fuam commutat. *De vita Moyfis.*

2.

„ Qui bonum & honeftum amavit, ipfe quo-„ que erit bonus & honeftum bonitate ejus, quod „ eft in ipfo eum, qui accepit, in feipfam transf-„ mutante: propterea nobis feipfum comeden-„ dum proponit is, qui femper eft, ut cum ip-„ fum in nobis ipfis acceperimus, illud fiamus, „ quod ille eft; dicit enim; caro mea vere eft „ cibus, & fanguis meus vere eft potus. *In Ecclef. hom.* 8.

3.

„ Cum alimenta in me fuerint, fiunt fanguis „ & corpus, nutrimento per vim alterandi con-„ gruenter redacto ad formam corporis: his a „ nobis declaratis ad ea, quæ funt propofita, „ revocanda eft cogitatio: quærebatur enim, „ quemadmodum, quod eft in illo pane corpus „ Chrifti, vivificat omnem hominum naturam, „ in quibus eft fides, omnibus diftributum, & „ ipfum minime diminutum? fortaffe non pro-„ cul abfumus a probabili ratione: nam fi cu-„ juslibet hominis fubftantia feu confiftentia eft „ ex alimento; id autem eft panis; Dei autem „ verbum humana eft natura contemperatum, „ cibo & potu continens fubftantiam: quomo-„ do ergo in nobis, qui panem vidit, huma-„ num corpus videt quodammodo, quod, cum „ ille panis in eo fuerit, hoc fit; ita illic quo-„ que corpus, quod Deum fufcepit, cum panis „ alimentum accepiffet quadam ratione idem „ erat, quod ille, alimento, ut dictum eft, „ transeunte in naturam corporis: corpus au-„ tem Dei verbi inhabitatione ad divinam tranf-„ mutatum eft dignitatem: recte ergo nunc quo-„ que Dei verbo fanctificatum panem in Dei „ veri corpus credo tranfmutari: etenim in „ panis erat poteftate illud corpus: fuit autem „ fanctificatus habitatione verbi, quod tan-„ quam in tabernaculo habitavit in carne: igi-„ tur unde in illo corpore tranfmutatus panis „ tranfit in divinam virtutem, per idem nunc fit „ fimiliter: nam & illic verbi gratia fanctum fe-„ cit corpus, cui ex pane erat fubftantia, & „ quodammodo ipfum quoque erat panis: & hic „ fimiliter panis, ficut dicit Apoftolus, fancti-„ ficatur per verbum Dei & orationem, non „ per cibum & potum procedens ad corpus ver-„ bi, fed a verbo, quemadmodum dictum eft, „ tranfmutatus, nempe, Hoc eft corpus meum. „ Verbum Dei fe admifcuit humanæ naturæ, ut „ communione divinitatis fimul etiam deificetur „ humanitas; ea de caufa per fuæ gratiæ difpen-„ fationem fe per carnem inferit omnibus cre-„ dentibus commixtus & contemperatus corpo-„ ribus credentium, quibus fubftantia eft ex pa-„ ne & vino, ut unione cum eo, quod eft im-„ mortale, fit etiam homo particeps incorrup-„ tionis: hæc autem dat, virtute benedictionis, „ in illud tranfelementata natura eorum, quæ „ apparent. *In orat. catechet. cap.* 37.

4.

„ Panis in altari ab initio panis eft communis, fed „ ubi eum myfterium facrificaverit, corpus Chrifti & „ dicitur & eft; eodem modo vinum. Orat. de baptif.

5.

„ Chriftus Pilati fententiam non exfpectat, „ fed confilio fuo anteverit, & arcano facrificii „ genere, quod ab hominibus cerni non pote-„ rat, feipfum pro nobis hoftiam offert, & vi-„ ctimam immolat, Sacerdos fimul exiftens, & „ Agnus Dei, qui mundi peccatum tollit: quan-„ do id præftitit? cum corpus fuum difcipulis „ congregatis edendum, & fanguinem biben-„ dum præbuit, tunc aperte declaravit, Agni „ facrificium jam effe perfectum: nam victimæ „ corpus non eft ad comedendum idoneum, fi „ anima tum fit: quare cum corpus edendum, „ & fanguinem bibendum difcipulis exhibuit, „ jam arcana & non afpectabili ratione corpus „ erat immolatum, ut ipfius myfterium peragen-„ tis poteftati collibuerat: quapropter fi quis in-„ de tempus incipiat dimetiri, cum facrificium „ Deo factum eft a magno illo principe Sacer-„ dotum, qui ratione, quæ nec verbis expli-„ cari, nec oculis perfpici potuit, feipfum tan-„ quam agnum pro communi falute obtulit, non „ recedat a veritate. *Orat. in Refurrect.*

XIV.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS.

Sæculo quarto.

1. Carmine adverfus mulieres: n. 295.
Sacrificifne caput non horres fubjicere illud
Larvæ inftar formis appofitis nitidum?
Non horrent palmæ, quas lyba ad myftica tendis
Et queis depingis trifte & inane decus?

2. Orat. 1. „ Ubinam & a quibufnam Deus „ myfticis illis ac furfum ferentibus facris cole-„ retur, quibus nec majus quidquam, nec præ-„ ftantius apud nos eft, fi nec facerdotium ef-„ fet, nec facrificium? -- utinam non multo „ pejores prophanis animis in fanctiffima myfte-„ ria fe inferant, priufquam digni fint.

3. Orat 23. „ Adesdum ad menfam hanc „ myfticam, atque ad me, qui per hæc facrum „ delicationis munus obeo.

4. Orat. 32. „ Vale cathedra, invidiofum „ hoc & periculofum faftigium, Pontificum con-„ cilium, Sacerdotum non minus majeftate, „ quam ætate ornatorum, & quicunque tandem „ alii circa facrofanctam menfam Deo miniftra-„ tis, atque ad appropinquantem Deum appro-„ pinquatis.

5. Epift. 240. „ Ne cuncteris orare pro no-„ bis, quando dicto allicis verbum Dei, quan-„ do incruenta fectione corpus & fanguinem „ Dominicum fecas, vocem adhibens pro gla-dio.

6. Orat. 2. De baptifmo. „ Abfque confu-„ fione & dubio comede corpus & fanguinem „ bibe, fi faltem vitæ defiderio teneris: -- Con-„ ftans efto, firmus & ftabilis; in nulla re pro-„ pter fermones Adverfariorum *(gentilium irri-„ dentium)* fluctues.

XV.

XV.

OPTATUS MILEVITANUS.

Sæculo quarto.

Lib: 6. contra Donatistas. „ Quid est tam „ sacrilegum, quam altaria Dei frangere? in qui„ bus vota populi & membra Christi portata „ sunt? quid enim est altare, nisi sedes & cor„ poris & sanguinis Christi: quid vos offende„ rat Christus, cujus illic per certa momenta „ corpus & sanguis habitat? hoc tamen imma„ ne facinus geminatum est, dum fregistis etiam „ calices sanguinis Christi portatores.

XVI.

GAUDENTIUS BRIXINENSIS.

Sæculo quarto.

Tract. 2. de Exodo. „ Jacob de Christo „ propbetaverat, dicens: Lavabit in vino sto„ lam suam; quippe nostri corporis indumen„ tum suo proprio erat sanguine ablaturus: ipse „ igitur naturarum creator, qui producit de „ terra panem, de pane rursus, quia & potest „ & promisit, efficit proprium corpus, & qui „ de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem „ suum. O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei! „ ne terrenum putes, quod cœleste effectum est „ per eum, qui transit in illud, & fecit illud suum „ corpus & sanguinem: quod annuntiatum est, „ credas, quia quod accipis, corpus est illius „ panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis.

XVII.

S. HILARIUS.

Sæculo quarto.

1. Lib. 8. de Trinit. „ Dominus dicit: Ut sint „ unum, sicut & nos unum sumus; ego in his „ & tu in me, ut sint perfecti in unum. Eos „ nunc, qui inter Patrem & filium voluntatis „ ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per „ naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, „ an per concordiam voluntatis? si enim vere „ verbum caro factum est, & nos vere verbum „ carnem cibo Dominico sumimus, quomodo „ non naturaliter in nobis manere existimandus „ est, qui & naturam carnis nostræ jam insepa„ rabilem sibi homo natus assumpsit, & natu„ ram æternitatis sub Sacramento nobis com„ municandæ carnis admiscuit? ita enim omnes „ unum sumus, quia & in Christo Pater est, & „ Christus in nobis est: quisquis ergo naturali„ ter patrem in Christo negabit, neget prius non „ naturaliter vel se in Christo, vel Christum si„ bi inesse, quia in Christo pater, & Christus „ in nobis unum in his esse nos faciunt: si vere „ igitur carnem corporis nostri Christus assum„ psit, & vere homo ille, quia ex Maria natus „ fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio „ carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum „ erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis, „ quomodo voluntatis unitas asseritur, cum na„ turalis per Sacramentum proprietas perfectæ „ Sacramentum sit unitatis? non est humano „ aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum. De „ naturali in nobis Christi veritate, quæ dici„ mus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie „ dicimus: ipse enim ait: Caro mea vere est „ esca, & sanguis meus vere est potus, qui edit „ carnem meam, & bibit sanguinem meum, in „ me manet, & ego in eo. De veritate carnis „ & sanguinis non relictus est ambigendi locus: „ nunc enim & ipsius Domini professione, & fi„ de nostra vere caro est, & vere sanguis est: „ & hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & „ nos in Christo, & Christus in nobis sit: est „ ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo; „ quam autem in eo per Sacramentum commu„ nicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur „ dicens: Et hic mundus jam me non videt, vos „ autem me videbitis, quoniam ego vivo, & „ vos vivetis, quoniam ego in patre meo, & „ vos in me, & ego in vobis: si voluntatis tan„ tum unitatem intelligi vellet, cur gradum „ quendam atque ordinem consummandæ unita„ tis exposuit, nisi ut cum ille in patre per natu„ ram divinitatis esset, nos contra in eo per „ corporalem ejus nativitatem, & ille rursum „ in nobis per Sacramentorum inesse mysterium „ crederetur? quam autem in nobis naturalia „ hæc unitas sit, ipse ita testatus est; Qui edit „ carnem meam, & bibit sanguinem meum, in „ me manet & ego in eo; non enim quis in eo „ erit, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum in se „ assumptam habens carnem, qui suam sumpse„ rit: perfectæ autem hujus unitatis Sacramen„ tum superius jam docuerat, dicens: Sicut me „ misit vivens pater, & ego vivo per patrem, & „ qui manducaverit meam carnem, & ipse vivet „ ergo per patrem, & quomodo per patrem vi„ vit, eodem modo nos per carnem ejus vivi„ mus: hæc vero vitæ nostræ causa est, quod „ in nobis carnalibus manentem per carnem Chri„ stum habemus, victuris nobis per eum ea con„ ditione, qua vivit ille per patrem. Si ergo „ nos naturaliter secundum carnem per eum vi„ vimus, id est, naturam carnis suæ adepti, „ quomodo non naturaliter in se patrem habeat, „ cum vivat ipse per patrem? hæc autem idcir„ co commemorata sint, quia voluntatis tantum „ unitatem inter patrem & filium hæretici men„ tientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur „ exemplo, tanquam nobis ad filium obsequio „ tantum ac voluntate religionis unitis nulla per „ Sacramentum carnis & sanguinis naturalis com„ munionis proprietas indulgeretur, cum per „ manentem in nobis carnaliter filium, & in eo „ nobis corporaliter & inseparabiliter unitis my„ sterium veræ ac naturalis unitatis sit prædican„ dum.

2. In Psal. 64. ad illa verba: „ Parasti cibum „ illorum. Quis est hic cibus? ille scilicet, a „ quo ad Dei consortium præparamur: per com„ munionem sancti corporis in communione „ deinceps sancti corporis collocandi.

XVIII.

S. HIERONYMUS.

Sæculo quarto.

1. Epist. 1. cap. 7. „ Provocabis ad clericos? „ absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, „ qui

„ qui apostolico gradui succedentes Christi cor-„ pus sacro ore conficiunt.

2. Epist. 17. ad Paulum cap. 2. „ Recurre ad „ Genesin, & invenicns Melchisedech, qui jam „ tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, „ & mysterium Christianum in Salvatoris san-„ guine & corpore dedicavit.

3. Adversus Jovinianum lib. 2. cap. 14. „ Quasi non & nos Christi corpus æqualiter ac-„ cipiamus; una est in mysteriis sanctificatio Do-„ mini & servi, nobilis & ignobilis, quanquam „ pro accipientium meritis diversum fiat, quod „ unum est: qui enim indigne manducaverit, „ & biberit, reus erit violati corporis & san-„ guinis Christi.

4 In Apolog. c. 6. ad Pammachium. „ Qua-„ le illud bonum est, quod corpus Christi acci-„ pere non permittit? si per coitum impeditur „ id quod minus est, id est, orare, quanto plus „ quod majus est, id est, corpus Christi prohi-„ betur accipere?

5. Epist. 62. „ Si munera nostra absque pa-„ ce offerre non possumus, quanto magis & „ Christi corpus accipere? qua conscientia ad „ Christi Eucharistiam accedam, cum de chari-„ tate dubitem porrigentis?

6. In Apolog. adversus Ruffinum cap. 9. „ Ergo ideo in Anastasii (*Papæ*) immolato agno „ dextras junximus, ut tuas schedulas furare-„ mur.

7. Ad Hedibiam quæst. 2. „ Quomodo ac-„ cipiendum sit illud Salvatoris: Dico vobis, „ non bibam amodo de hoc genimine vitis, us-„ que in diem illum, quo bibam illud novum „ vobiscum in regno patris mei. Ex hoc loco „ quidam mille annorum fabulam struunt, in qui-„ bus Christum corporaliter regnaturum esse „ contendunt, & bibiturum vinum. Nos au-„ tem audiamus panem, quem fregit Dominus, „ deditque discipulis suis, esse corpus Domini „ Salvatoris, ipso dicente ad eos, Hoc est cor-„ pus meum. Si ergo panis qui de cœlo descen-„ dit, corpus est Domini, & vinum quod Di-„ scipulis dedit, sanguis illius est novi Testa-„ menti, Judaicas fabulas repellamus: non Moy-„ ses dedit nobis panem verum, sed Dominus „ Jesus, ipse conviva & convivium, ipse come-„ dens, & qui comeditur: illius bibimus san-„ guinem, & sine ipso potare non possumus, & „ quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis „ veræ, & vinea sorec, rubentia musta calca-„ mus, & novum ex his vinum bibimus in regno „ patris, in regno Ecclesiæ, quod est regnum „ patris.

8. Epist. 85. ad Evagrium. „ Quis patiatur, „ ut supra eos tumidus se efferat, ad quorum „ preces Christi corpus, sanguisque conficitur?

9. In Genes. cap. 14. „ Quod ait: tu es Sa-„ cerdos in æternum, secundum ordinem Mel-„ chisedech, mysterium nostrum in verbo ordi-„ nis significatur, nequaquam per Aaron irra-„ tionabilibus victimis immolandis, sed oblato „ pane & vino, id est, corpore & sanguine Do-„ mini Jesu.

10. In cap. 21. Esaiæ. „ Dicitur ad omnes „ credentes, ut comedentes & bibentes corpus

„ & sanguinem Domini vertantur in principes „ Ecclesiæ.

11. In cap. 55. Esaiæ ad illud. „ Ite ad „ aquam, emite & comedite. Mirum in mo-„ dum emunt aquas absque pecunia, & non bi-„ bunt eas, sed comedunt: ipse enim & aqua „ & panis est, qui de cœlo descendit: pergamus „ igitur ad eum, qui tenens calicem Sacramen-„ ti Discipulis loquebatur: Accipite, & bibite; „ hic est sanguis meus.

12. In cap. 56. Esaiæ. „ Veniant gentes ad „ Ecclesiam, & comedant cœlestem panem, agni-„ que carne saturentur.

13. In cap. 66. Esaiæ. „ Non comedunt car-„ nem Jesu, neque bibunt sanguinem ejus: de „ quo ipse loquitur: Qui comedit carnem meam, „ & bibit sanguinem meum, habet vitam æter-„ nam: etenim Pascha nostrum immolatus est „ Christus.

14. In cap. 44. Ezech. „ Ipse est pontifex se-„ cundum ordinem Melchisedech, & hostia & „ Sacerdos, qui in conspectu patris nobiscum „ cælestem comedit panem, de quo loquitur in „ Evangelio: Non bibam de hoc genimine &c. „ nemo potest passionis ejus, corporisque ejus „ & sanguinis mysteria cugnoscere.

15. In cap. 2. Sophon. „ Sacerdotes, qui Eu-„ charistiæ serviunt, & sanguinem Domini po-„ pulis dividunt, impie agunt, putantes, ne-„ cessariam esse tantum solennem orationem.

16. Prolog. in Zach. „ Cur tu, qui Pontifex „ es, ut sitientibus populis sanguinis Christi vi-„ num tribuas, non dices &c.

17. In cap. 1. Malach. „ Offertis super al-„ tare meum panem pollutum: polluimus pa-„ nem, id est corpus Christi, quando indigni ac-„ cedimus ad altare, & sordidi mundum sangui-„ nem bibimus; & in cap. 2. polluit Christi my-„ steria indigne accipiens corpus ejus, & san-„ guinem.

18. In cap. 26. Matth. „ Postquam typicum „ Pascha expleverat, & agni carnes cum Apo-„ stolis comederat, ad verum Paschæ transgre-„ ditur Sacramentum, ut quomodo Melchise-„ dech in præfiguratione panem & vinum offe-„ rens fecerat, ipse quoque veritatem sui cor-„ poris & sanguinis repræsentaret.

19. In cap. 4. Epist. ad Gal. „ Nobis licet „ diem Dominicam accepto Domini corpore in-„ desinenter celebrare.

20. In cap. 5. ad Gal. „ Sciebamus in san-„ guinem Christi vinum consecrari.

21. In cap. 1. Epist. ad Tit. „ Tantum in-„ terest inter propositionis panes & corpus Chri-„ sti, quantum inter umbram & corpora, inter „ imaginem & veritatem, inter exemplaria fu-„ turorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præ-„ figurabantur.

Author Commentarii in Psalmos sæpe etiam Eucharistiam vocat verum corpus Christi, si hic commentarius non est D. Hieronymi, certe est scriptoris Hieronymo coævi.

XIX.

S. AMBROSIUS.

Sæculo quarto.

1. In vita S. Ambrosii, ab ejus Clerico scripta. *Honoratus Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis obtulit Sanctum Domini corpus, quod ubi Ambrosius accepit, emisit Spiritum, bonum viaticum secum ferens.*

2. Lib. 2. de Cain. & Abel. c 5. *Ne verearis, ne in convivio Ecclesiæ aut convivæ nobiles desint, aut decentes ministri: quid Christo nobilius, qui in convivio Ecclesiæ & ministrat, & ministratur; istius convivæ recumbentis te adjunge lateri, ac te Deo conjunge.* Et l. 2. c. 6. *Jam non species agni fit, sed veritas corporis Christi.*

3. In psal. 38. ad illud: Thesaurizat. „ Quæ „ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra „ erat in Sermonibus prophetarum, umbra in „ Petra, quæ aquam fluxit, & populum sequebatur: nonne illud in umbra erat sacrosancti „ hujus mysterii Sacramentum? nonne umbra „ erat aqua de Petra, quasi sanguis ex Christo, „ quæ fugientes se populos sequebatur: sed „ jam discessit umbra, dies appropinquavit: vi„ dimus principem Sacerdotum & audivimus pro „ nobis offerentem sanguinem suum; sequamur, „ et possumus Sacerdotes, ut offeramus pro po„ pulo sacrificium; quia etsi nunc Christus non „ videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, „ quando Christi corpus offertur.

4. In psal. 118. ad illud: Media nocte surgebam. *Celebranda est oblatio, tunc paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Jesu, in quo remissio peccatorum est: ubi corpus ejus, ibi Christus est, qui esurientem te sui corporis epulis explevit.*

4. Ibid. ad illud: *Non confundas me ab exspectatione. Venias ad cibum Christi, ad cibos corporis Dominici, ad epulas Sacramenti, ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus.*

6. In cap. 1. Lucæ ad illud: *Apparuit illi angelus. Utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, imo præbeat se videndum: non enim dubites assistere angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur.*

7. In cap. 5. Lucæ: ad illud: *Quare Discipuli Joannis jejunant? Nobis non Caiphas, non Pilatus Christum abstulit, nec possumus jejunare, qui Christum habemus & Christi carnem epulamur & sanguinem: quomodo sitire potest, qui bibit Christum?*

8. In cap. 9. Lucæ ad illud: „ Audivit He„ rodes. Nemo cibum accipit Christi, nisi fue„ rit ante sanatus; ubique mysterii ordo serva„ tur, ut prius per remissionem peccatorum „ vulneribus medicina tribuatur; post alimonia „ mensæ cœlestis exuberet, quanquam nondum „ validioribus hæc turba reficiatur alimentis, „ neque Christi corpore & sanguine jejuna soli„ dioris fidei corda pascantur: lacte, inquit, „ vos potavi, non esca: esca solidior est cor„ pus Christi: potus vehementior sanguis est „ Domini: non statim à primo epulamur omnia, „ neque potamus omnia: est ergo primum quod „ manduces; & est secundum (verbum Dei) „ tertium est corpus Christi. mysticum quo„ que est: quod manducans populus satiatur, „ & ministrant Apostoli, quia non esuriet, qui „ acceperit cibum Christi, & in Apostolorum „ ministerio futura divisio Dominici corporis „ sanguinisque præmittitur.

9. In cap. 17. Lucæ ad illud: *Duæ molentes. Est cibus refectionis, est cibus sanguinis: sicut enim caro Domini vere est cibus, ita sanguis vere est noster potus.*

10. Lib. 1. de officiis cap. 41. sic Laurentium Levitam Xysto Papæ loquentem inducit: „ Ex„ perire, utrum idoneum ministrum elegeris, „ cui commisisti Dominici sanguinis dispensatio„ nem. Et l. 2. cap. 28. Nos aliquando in in„ vidiam incidimus, qui confregerimus vasa my„ stica, ut captivos redimeremus: ornatus sa„ cramentorum redemptio captivorum est, tunc „ vas Dominici sanguinis agnosco, cum in utro„ que videro redemptionem, ut calix ab hoste „ redimat, quos sanguis a peccato redemit: a„ gnosco infusum auro sanguinem Christi non „ solum irrutilasse, verum etiam Divinæ ope„ rationis impressisse virtutem redemptionis.

11. Lib. 4. de fide cap. 5. „ Considera, quid „ præmiserit: vere, inquit, vere dico vobis; „ nisi manducaveritis carnem filii hominis, & „ biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam „ in vobis: secundum filium hominis de carne „ est locutus & sanguine, ad divinitatem putas „ esse referendum? Deinde addidit: Caro enim „ mea vera est esca, & sanguis meus est potus; „ carnem audis, sanguinem audis; mortis do„ minicæ sacramenta cognoscis, & divinitati ca„ lumniaris: audi dicentem ipsum; Quia spiri„ tus carnem & ossa non habet: nos autem quo„ tiescunque Sacramenta sumimus, quæ per sa„ cræ orationis mysterium in carnem transfigu„ rantur & sanguinem, mortem Domini annun„ tiamus.

12. Lib. 2. de pœnit. c. 3. *Quotiescunque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annuntiamus: Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescunque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.*

13. Lib. 1. de virg. ad finem. *In altari caput omnium Christus quotidie consecratur.*

14. Lib. de viduis. *Vide, quid agas Sacerdos, nec febrienti manu corpus Christi attingas.*

15. Lib. 1. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 9. de Eucharistia loquens, eamque cum Manna comparans ait: „ Considera, utrum „ præstantior sit panis angelorum, (Manna,) „ an caro Christi, quæ utique est corpus vitæ? „ Potior est lux quam umbra, veritas quam fi„ gura, corpus authoris cœli, quam Manna de „ cœlo: Forte dicas: Aliud video, quomodo „ tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam? „ Et hoc nobis superest, ut probemus. Quan„ tis ergo utemur exemplis? Probemus hoc non „ esse, quod natura formavit, sed quod bene„ dictio consecravit, majoremque vim benedi„ ctionis esse, quam naturæ, quia benedictione „ etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat „ Moyses, projecit eam, & facta est serpens. „ Rursus apprehendit caudam serpentis, & in

„ virga

„ virgæ naturam revertit. Vides igitur pro„ phetica gratis bis mutatam esse naturam & ser„ pentis & virgæ? Currebant Aegypti flumina „ puro aquarum meatu; subito de fontium ve„ nis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus „ in fluviis. Rursus ad Prophetæ preces cruor „ cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. „ Nonne claret, naturam esse mutatam? Sitie„ bat populus Patrum; tetigit Moyses petram; „ & aqua de Petra fluxit. Nunquid non præter „ naturam operata est gratia, ut aquam vome„ ret petra, quam non habebat natura? Quod „ si tantum valuit humana benedictio, ut natu„ ram converteret; quid dicimus de ipsa conse„ cratione divina, ubi verba ipsis Domini Salva„ toris operantur? Nam Sacramentum istud, „ quod accipis, Christi Sermone conficitur. „ Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem „ de cœlo deponeret; non valebit Christi ser„ mo, ut species mutet elementorum? De to„ tius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, „ & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. „ Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo face„ re, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, „ in id mutare, quod non erant? Non enim „ minus est, novas rebus dare, quam mutare „ naturas. Sed quid argumentis utimur? Suis „ utamur exemplis, incarnationisque exemplo „ adstruamus mysterii veritatem. Nunquid na„ turæ usus præcessit, cum Jesus Dominus ex „ Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, vi„ ro mixta fœmina generare consuevit. Liquet „ igitur quod præter naturæ ordinem Virgo ge„ neravit, & hoc quod conficimus corpus, ex „ virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem „ in Christi corpore, cum præter naturam sit „ ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Vera „ utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ „ sepulta est: vere ergo carnis illius Sacramen„ tum est. Ipse clamat Dominus Jesus; Huc „ est corpus meum. Ante benedictionem ver„ borum cœlestium species nominatur; post con„ secrationem corpus Christi (præsens) significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante „ consecrationem aliud dicitur; post consecra„ tionem sanguis Christi nuncupatur; & tu di„ cis; Amen, hoc est; verum est.

XX.

S. EPHREM.

Sæculo quarto.

1. De Sacerdotio. „ Sacerdotium ascendit „ ad Deum, ut Spiritus Sanctus descendat, san„ ctificetque dona, cumque oblata fuerint tre„ menda mysteria immortalitate plena, tunc „ animæ accedentes per illa tremenda mysteria „ purificationem accipiunt: vides homo illu„ strem miraculi editionem, cernis sublime sa„ crificium.

2. De Dignitate mysteriorum. „ Ad divina „ frequentanda mysteria studiose concurrite, & „ state in multo timore & tremore, ne quis su„ sceptione divinorum mysteriorum reperiatur „ indignus: cœlum & terra, & omnia quæ in eis

„ sunt, tremunt ac se inclinant: tu autem im„ pudenter accedis? angeli mundi cum tremo„ re ministrant, faciemque obtegentes non au„ dent aspicere, at tu immundus cum sis & im„ pœnitens, non contremiscis? hominibus qui„ dem te rite Eucharistiam accipere fidem facis, „ sed cordium scrutatori quid dices?

3. De vita spirituali. „ Corpore unigeniti „ filii ejus vesceris, & sanguinem bibis, gaude „ ergo & lætare, quod merueris templum ejus „ fieri.

4. Beatitudines. „ Beatus, qui ad immacu„ lata mysteria Salvatoris cum reverentia & tre„ more, atque horrore accedit, certo sciens, „ se vitam in seipso recipere sempiternam.

5. Adversus eos, qui negant resurrectionem. „ Cujusmodi manibus suscipies pretiosum cor„ pus Dei, & admovebis impuro tuo ori, quod „ ipsum Dominum violavit?

6. De compunctione. „ Licet procul à no„ bis sit Siloe, quo cæcus missus erat; calix „ tamen tremendi tui sanguinis lumine ac vita „ plenus nobis ecce præsto est: hoc nobis calice „ lumen largite: est anima nostra sponsa facta „ immortalis sponsi; nuptiarum autem copulæ „ divina sunt sacramenta: attende igitur tibi, „ thalamumque tuum immaculatum custodire, „ & cœlestem sponsum Christum in eo suscipere „ contende.

7. Parænesi 20. „ Non existimo bonum es„ se impudenti oculo contemplari proposita my„ steria corporis & sanguinis Domini nostri Je„ su Christi: fidem hujus faciat nobis Scriptura „ dicens: tremefactus autem Moyses non au„ debat aspicere.

8. De natura Dei cap. 5. „ Participa imma„ culatum corpus & sanguinem Salvatoris; cer„ tus quod agnum ipsum integre comedas: ignis „ sunt mysteria Christi; cave ea scuteris, ne „ comburaris. Abraham angelis terrenos cibos „ apposuit, ingens sane miraculum est, cernere „ spiritus cibos carnium manducantes, sed hoc „ omnem excedit admirationem, quod nobis „ fecit Salvator: ignem quippe & spiritum man„ ducandum atque gustandum præstitit nobis, „ corpus videlicet suum & sanguinem: illa enim „ veneranda & tremenda mysteria cunctas inge„ nii mei vires superant.

XXI.

S. CHRISOSTOMUS.

Sæculo quarto.

1. In cap. 3. Epist ad Rom. hom. 8. *Vereamini igitur, vereamini mensam eam, cujus omnes participes sumus, Christum propter nos trucidatum, sacrificium eidem mensæ superpositum.*

2. In cap. 10. Epist. ad Corinth. hom. 23. *Vult figuram prope veritatem adducere; quomodo enim tu bibis sanguinem, sic illi aquam è petra; & quomodo tu comedis corpus Domini, sic illi manna.*

3. Ibid. in cap. 10. hom. 24. „ Conserve„ mus unitatem: ad hoc enim nos vocat illud „ terribile & formidandum sacrificium, jubens, „ ut cum concordia ad ipsum accedamus, & arden-

„ ti charitate, & inde effecti aquilæ ad ipsum „ cœlum evolemus; ubi enim cadaver, illic & „ aquilæ; cadaver corpus vocans propter mortem: nisi enim ille occidisset, nos non surrexissemus; aquilas autem vocat, ostendens, „ quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere „ commune: ipsi quoque tunc ei occurrent è „ cœlis venienti, qui nunc digne percipiunt, „ sicut qui indigne extrema patientur; nam si „ quis regem non temere nec inconsiderate exceperit, quid dico regem, ne vestem quidem „ regiam temere & inconsiderate immundis manibus contrectaverit quisquam, quomodo Dei „ corpus, quod cum illa divina natura est conversatum, accipiemus cum tanto probro & „ contumelia? ne rogo, ne nos ipsos occidamus per impudentiam, sed cum timore & summa puritate ad ipsum accedamus: & quando „ ipsum videris propositum, dic: propter hoc „ corpus non sum ego amplius terra & cinis; „ propter hoc non sum amplius captivus, sed „ liber; propter hoc spero me accepturum cœlos: hoc corpus clavis confixum, & flagris „ cæsum non tulit mors: hoc corpus in crucem „ actum cum vidisset sol, suos avertit radios: „ hoc est illud corpus, quod fuit cruentatum, „ quod lancea percussum, & salutares emisit fontes universo orbi: hoc corpus nobis dedit & „ tenendum & comedendum, quod fuit intensæ „ dilectionis: nam quos amamus, etiam mordemus sæpius: quamobrem Job quoque servorum suorum amorem in ipsum indicans, dicebat, quod sæpe illi ipsum amantes dicebant. „ Quis dederit nobis impleri ejus carnibus? sic „ etiam Christus dedit nobis impleri ejus carni „ hua, ad majorem nos attrahens amicitiam: „ hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti „ sunt magi, & cum venissent, cum multo metu & tremore adorarunt: imitemur ergo vel „ barbaros nos cœlorum cives: nam illi quidem „ cum & in præsepi vidissent, & in tugurio, neque tale quidpiam vidissent, quale tu nunc, „ cum magna accesserunt reverentia: tu autem „ non in præsepi vides, sed in altari, non fœminam eum tenentem, sed sacerdotem adstantem, & spiritum cum magna copia ea, quæ „ sunt proposita, supervolantem: non solummodo hoc ipsum corpus vides, quod illi, sed „ nosti ejus & virtutem & dispensationem, & „ nihil ignoras ex iis, quæ per ipsum effecta sunt, „ ut qui in omnibus mysteriis sit exacte & accurate initiatus: nos ergo ipsos excitemus & „ formidemus, & longe majorem, quam illi barbari ostendamus reverentiam, ne si temere & „ inconsiderate accesserimus, in nostrum caput „ ignem congeramus -- hic terram tibi cœlum „ facit hoc mysterium: nam quod illic est omnium pretiosissimum, & maxime honorandum, „ hoc ostendam tibi situm in terra: sicut enim „ in regia id quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum aureum, sed „ corpus regis sedens in solio: sed hoc tibi nunc „ licet videre in terra: non enim Angelos, neque Archangelos, neque cœlos, & cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum: „ vidisti, quomodo, quod est omnium præstantissimum, & maxime honorandum, vides in „ terra; neque solum vides, sed etiam tangis, „ sed etiam comedis, & eo accepto domum reverteris: absterge & munda animam, & præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem: nam si tibi regis filius cum mundo „ & purpura & diademate tibi traditus esset ferendus, quæcunque sunt in terra abjecisses, „ nunc autem non hominis regis filium accipiens, sed ipsum unigenitum Dei filium, dic, „ rogo, non extimescis, & eorum, quæ ad „ hanc vitam pertinent, non omnem expellis „ amorem?

4. In cap. 5. Epist. 2. ad Cor. hom 11. „ Pro „ manna corpus Dominicum accepimus, pro „ aqua e petra expressa cruorem e latere profluentem. Et in cap. 9. hom. 29. Hoc altare, „ quo nunc utimur, eximium est, atque admirandum est ob eam victimam, quæ in ipso imponitur: natura quidem lapis est, sanctum „ autem efficitur, postquam Christi corpus excipit. Ibid. in cap. 13. hom. 30. Ad nos ingreditur Christus, cum communicamus: nostis enim vos, qui mysteriorum participes estis, „ quid dicam; neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit; eaque præsertim de causa tum „ mutua oscula jungimus: audiant, qui obscœna loquuntur, qui convitia proferunt, ac cohorrescant, cogitantes, quale os turpent, ac „ dedecorent. Et in Epist ad Ephes. cap. 4 hom. „ 15. Deus os tuum ornavit tam multis, hymnis angelicis, alimento non utique angelico, „ sed superangelico, sui osculo, & suis amplexibus, & contumelia afficis? Et in cap. 5. hom. „ 20. Membra sumus corporis ejus, de carne „ ejus & ossibus ejus; & quomodo Christi membra sumus? quoniam facti sumus sicut ipse: „ & quomodo ex carne? scitis, quicunque estis „ participes mysteriorum.

5. In cap. 1. Epist 2. ad Tim. hom. 2. „ Volo quiddam adjicere plane mirabile: quid vero istud est? sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive illam Paulus, sive cujusvis meriti „ sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modo „ conficiunt: nihil habet ista quam illa minus, „ cur id? quia hanc non sanctificant homines, „ sed Christus, qui illam ante sacraverat: quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem „ est, & hoc igitur Christi corpus, & illud est; „ qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, „ ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest, „ atque operatur.

6. In cap. 1. Matth. hom. 4. „ Quonam modo ab hac tam noxia iracundiæ peste fugiemus? „ si illam potionem bibamus, quæ omnes intra „ nos vermes serpentesque mortificet: & quodnam, inquies, est istud poculum, quod eam „ vim habeat? pretiosus scilicet Christi sanguis, „ si cum fiducia utique sumatur. Et in cap. 2. „ hom. 7. Forsan & nunc Christus Samaritanæ „ tantum loquitur; nam & nunc nullus ei assistit; „ nisi

nisi quod alii adsunt solis corporibus, alii vero nec corporibus: attamen ipse non recedit, sed manet: non aquam de hoc fonte nobis tribuit, sed sanguinem vivum. In cap. 10. hom. 34. Si latrones, cum alteri alteris sale communicaverint, latrocinandi veritatem deponunt, quibus nos rationibus excusabimus Domini corpore communicantes, & latronum consuetudinem atrocitate superamus? Et in cap. 11. hom. 38. Sunt certe & nobis peccata, non duabus aut tribus, sed mille dignissima mortibus: & ut alia prætermittam, recordemur, quoties indigne corpus Domini sumimus, cum non ignoremus, hujusmodi homines corporis atque sanguinis Christi reos esse? considers te cædis dominicæ reum esse.

In cap. 14. Matth. hom. 15. „Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, omnes erudivit: tanquam ergo & nos fimbriam vestimenti ejus, vel potius, si volumus, ipsum totum habeamus: non enim vestis solum, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solummodo, sed ut comedamus, & saturemur: credite, quia etiam nunc cœna illa celebratur, in qua Christus ipse recumbebat: banc & illam ipse efficit: audiamus & perhorrescamus, carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit: quam igitur satisfactionem offeremus, cum tali pabulo nutriti taliter peccemus, cum agnum comedentes in lupum convertimur? cum ovinis carnibus saturati ut leones rapiamus? vis corpus Christi honorare? non despicias ipsum nudum; neque hic quidem in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici negligas.

8. In cap. 26. Matth. hom. 83. „Credamus ubique Deo, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicitur: quoniam ergo ille dixit, boc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus: nihil enim sensibile nobis traditum a Christo, sed rebus quidem sensibilibus; omnia vero, quæ tradidit, insensibilia sunt; sic & in baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, renovatio scilicet ac regeneratio, intelligibile quiddam est: nam si tu incorporeus esses, nude ipse tibi dona incorporea tradidisset; quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur: o quot multi dicunt, vellem formam & speciem ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre: ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis: vestimenta ejus desideras videre, ipse vero seipsum tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas, & in te babeas: vigilandum igitur est, non enim parvum supplicium indigne communicantes expectat: cogita, quanta indignatione adversus proditorem, adversus eos, qui crucifixerunt ipsum, movearis, & cave, ne tu quoque corporis & sanguinis Christi reus efficiaris; illi acerbissime sanctissimum corpus trucidarunt, tu post tot, tantaque beneficia sordida suscipis anima: non enim suffecit ipsi hominum fieri, flagellis cœdi, & crucifigi, sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed reipsa nos suum corpus efficit: qua igitur re non mundiorem esse oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? quot radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem perrumpit, os quod igne impletur spiritali, lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris, ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pavore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt, & nos in unam cum illo massam reducimur, Christi corpus unum, & caro una facti sumus, quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? quis pastor unquam membris suis oves suas nutrivit? multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi conjungit atque conglutinat.

In cap. 6. Joannis bom. 45. „Ut non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est; cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur: hoc enim amantium maxime est: hoc Job significabat de servis, a quibus ita eximie amabatur, ut ejus carnibus se admisceri peroptarent: cum enim amoris in eum sui vim vix cohibere possent, dicebant: Quis nobis daret, ut ejus carnibus immisceremur? quod Christus fecit, ut majori nos charitate adstringeret, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi & manducari, & dentes carni suæ infigi, ei copulari, & desiderio suo omnes impleri: parentes sæpe liberos suos aliis alendos tradunt, ego autem longe aliter, inquit, mea carne alo, me vobis exhibeo, omnibus faveo: qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura: vester ego frater esse volui, & communicavi propter vos carnem & sanguinem, & per quæ vobis conjunctus sum, ea rursus vobis exhibui: dæmones, cum dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt: qui hujus sanguinis sunt participes, ipsum induti sunt regem.

9. De Sacerdotio lib. 3. „Dum conspicis Dominum immolatum, & illic situm Sacerdotem sacrificio incumbentem, tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? o Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti. Et lib. 6. Cum Sacerdos sacrificium illud horrore ac reverentia plenissimum persecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quæro ex te, quo illum in ordine collocabimus? per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium

„ potestatum universus chorus clamores excitat,
„ locus Altari vicinus in illius honorem qui im-
„ molatur, Angelorum choris plenus est: id
„ quod credere abunde licet ex tanto sacrificio,
„ quod tum peragitur. Ego vero commemoran-
„ tem olim quendam audivi, cum diceret, senem
„ quendam tali visione dignum habitum, ac per
„ illud tempus Angelorum multitudinem vidisse
„ altare circumdantium, & sic capite inclinato-
„ rum, ac si quis milites præsente rege stantes
„ videat: id quod facile mihi ipse persuadeo.

10. In Epist ad Innocentium Papam. „ Quin
„ & sanctissimus Sanguis Christi, sicut in tali tu-
„ multu contingit, in prædictorum militum ve-
„ stes effususest, fiebantque, quasi in barbarica
„ captivitate.

11. Serm. 32. de proditione Judæ. „ Sed
„ jam nos ad terribilem mensam cum debita reve-
„ rentia tempus invitat: nullus ibi Judas repe-
„ riatur: & nunc enim presto est ille Christus,
„ qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque
„ consecrat: non enim homo est, qui facit, ut
„ in mensa propositæ res fiant corpus & sanguis
„ Christi, sed ipse, qui pro nobis crucifixus est
„ Christus: ἐδὲ γὰρ ἄνθρωπος ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προ-
„ κείμενα γενέσθαι τὸ σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ ἀλλ' αὐτὸς
„ Χριστός. Exteriora quidem adimplens ponit Sa-
„ cerdos verba proferens, sed virtus & gratia
„ Dei est. Hoc est corpus meum dicit: hoc ver-
„ bum transmutat res in mensa propositas. τῦτο
„ τὸ ῥῆμα μεταῤῥυθμίζει τὰ προκείμενα. Et sicut
„ illa vox, quæ dixit: Crescite & multiplicamini
„ & replete terram, semel quidem dicta est, sem-
„ per autem operatur potenter effectum, sic &
„ vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes
„ mensas Ecclesiæ usque in hodiernum diem, &
„ usque ad ejus adventum operatur jugem ho-
„ stiam.

12. Serm. 34. de Cruce & latrone. „ Cum
„ igitur eum, qui in cruce affixus est, ad hodi-
„ ernam vesperam visuri simus, tanquam agnum
„ mactatum & immolatum, moneo ut cum de-
„ centia, & reverentia multa accedamus: an
„ nescitis quomodo Angeli adstiterint sepulchro
„ corporis experti, sepulchro vacuo? nempe
„ quia semel corpus Domini recepisset, multum
„ honoris etiam ipsi loco exhibent: Angeli, qui
„ excellentia naturam nostram longe superant,
„ tanta reverentia & observantia sepulchro assi-
„ stunt; nos non ad sepulchrum inane, sed ad
„ ipsam mensam, in qua agnus positus est, adi-
„ turi, cum tumultu & turbatione accedimus:
„ & quæ nobis de reliquo venia speranda erit?
„ Quid facis o homo, quando Sacerdos stat an-
„ te sacram mensam, invocans Spiritum San-
„ ctum ut adveniat, ut dona contingat; quan-
„ do spiritus gratiam suam tribuit, quando de-
„ scendit, quando dona contingit, quando ovem
„ mactatam & oblatam cernis, tunc tumultum
„ excitas? cogita quidquam fit illud, quod pro-
„ positum est, & quæ sit ejus causa? occisa est
„ hæc hostia propter te: cogita, quid sit illud,
„ quod funditur: sanguis est; sanguis videlicet,
„ qui chyrographum peccatorum delevit.

13. Serm. 41. de Pœnit. „ Hæc dixerim ad
„ eos, qui sanctorum communionem & congre-
„ gationem relinquunt, & sub horam terribilis
„ mensæ in vaniloquentiæ conventiculis occu-
„ pati sunt; quid facis homo? mensa mysteriis
„ structa est, & agnus Dei pro te immolatur,
„ Cherubin adstant, Seraphin advolant, & Spi-
„ ritus sex alas habentes faciem tegunt, omnes
„ incorporeæ Virtutes pro te cum Sacerdote
„ intercedunt, sanguis in cratere in tuam puri-
„ ficationem ex immaculato latere haustus est,
„ & non erubescis?

14. Serm. 61. „ Non esse ad gratiam concio-
„ nandum. Legem vobis de sacramentorum
„ participatione recitavimus. Probet autem
„ seipsum &c. Sciunt, qui mysteriis initiati sunt,
„ quid dicam, & quis hic panis sit, quisve calix:
„ diximus, quid sit, reus erit corporis & san-
„ guinis Domini; easdem nimirum pœnas datu-
„ rum, quas & illi, qui Christum crucifixere,
„ sustinuerunt.

15. Homil. 2. ad Antioch. „ Elias melotem
„ discipulo reliquit; filius autem Dei ascendens
„ suam nobis carnem reliquit: sed Elias quidem
„ exutus est, Christus autem & nobis reliquit,
„ & ipsam habens ascendit: ne igitur animo con-
„ cidamus: qui enim sanguinem suum pro om-
„ nibus effundere non recusavit, & carnem suam,
„ & rursus ipsum sanguinem nobis communica-
„ vit, quid pro salute nostra facere recusabit?
ὁ γὰρ τὸ αἷμα αὐτοῦ μὴ παραιτησάμενος ὑπὲρ ἁπάντων
ἐκχέαι, καὶ τῆς σαρκὸς ὑμῖν μεταδοὺς καὶ αὐτοῦ τοῦ αἵ-
ματος πάλιν, &c.

16. Ibid. Homil. 11. „ Si nemo purpuram re-
„ galem manibus inquinatis accipere audeat,
„ quomodo Dominicum corpus lingua polluta
„ suscipiemus?

17. Ibid. Homil. 21. „ Cogita, quid manu
„ capias, & ipsam ab omni avaritia liberam ser-
„ va: reputa, quod non tantum manu capias,
„ verum & ori admoveas & linguam custodi a
„ turpibus verbis & contumeliosis mundam: ete-
„ nim perniciosum est, tam tremendis ministran-
„ tem mysteriis linguam, & tali sanguine purpu-
„ ratam ad scurrilitates transferre.

18 Homil. 24 de Baptismo Christi. „ Qui
„ immuudus est, ne in festo quidem æquum est,
„ ut sanctæ illius ac tremendæ carnis particeps
„ fiat.

19. Homil. 28. de incomprehens. Nat. Dei.
„ Cum ego sermonem facio, frequenter ad fi-
„ nem usque dicendi perseveratis; cum vero
„ Christus in sacris mysteriis apparere incipit Ec-
„ clesia deserta redditur, proh! fidem hominum
„ Christianorum! τοῦ δὲ Χριστοῦ φαίνεσθαι μέλλον-
τος ἐπὶ τῶν ἱερῶν ἐκείνων μυστηρίων.

20. Homil. 31. de B. Philogono. „ Rogo vos,
„ ut summa alacritate velitis adesse, sed prius
„ quisque suam domum repurget, ut videmus
„ Dominum nostrum in cunis jacentem ac fasciis
„ involutum, tremendum ac stupendum specta-
„ culum! quam enim veniam obtinebimus, ut
„ cum ille ad nos descenderit de cœlis, nos ad
„ illum vel ex ædibus ire gravemur? cum Magi
„ ex Perside occurrant, ut illum videantin præ-
„ sepi jacentem, tu vero, qui Christianus es,
„ ne breve quidem spatium emetiri sustineas, ut
„ hoc felici spectaculo perfruaris: hæc mensa
vicem

„ vicem explet præsepis: nam & hic ponitur cor- „ pus Dominicum, non quidem fasciis involu- „ tum, sicut tunc, sed undequaque Spiritu san- „ cto convestitum.

21. In cap. 49. Gen. Homil. 67. „ Lavabit „ in vino stolam suam, & in sanguine uvæ ami- „ ctum suum. Vide quomodo nobis totum sa- „ cramentum insinuavit: sciunt, qui initiati „ sunt, quod dictum est: lavabit in vino stolam „ suam; stolam puto corpus dici, quod ferre „ dignatus est: dein ut diligenter discas, vinum „ quid appellavit, subdit, & in sanguine uvæ „ amictum suum: vide quomodo sanguinis no- „ mine crucem & occasionem nobis manifesta- „ vit, & omnem sacramentorum dispensationem.

22. In Psalm. 144. „ Mensa spirituali frueris, „ comedens carnem & sanguinem ejus, qui te „ regeneravit.

23. In Psalm. 50. „ Parit mater nec nutrix „ efficitur: at non ita Christus: nam ut nos pro- „ genuit, ita etiam alit; ac propterea ciborum „ loco carne sua nos pavit, ac poculi vice cruo- „ re suo nos potavit.

Similes textus in Divo Chrysostomo, ubi dicit, accipimus Christus & sanguinem Christi, aut ubi hanc mensam vocat terribilem ac tremendam, occurrunt plures.

XXII.
S. AUGUSTINUS.
Sæculo quinto.

1. Epist. 43. Maximus Madaurensis gentilis S. Augustino sic scribit: „ Illud quæso, vir sa- „ pientissime, remoto facundiæ robore, & post- „ posita Dialectica, re ipsa approbes, quis sit „ iste Deus, quem vobis Christiani quasi pro- „ prium vendicatis, & in locis abditis præsen- „ tem videre contenditis: nos enim deos no- „ stros luce palam ante oculos & aures omnium „ adoramus.

2. Epist. 64. ad Aurelium. „ Sed feramus „ hæc in labe domestica, accipiamusque cum „ eis corpus Domini, cum quibus panem edere „ prohibemur.

3. Epist. 180. ad Honoratum. „ Quando ad „ extrema pervenitur, quantus fit in Ecclesia „ concursus? alii baptizantur; alii reconcilian- „ tur; nulli corporis Dominici communione „ privantur.

4. Lib. 3. de Trinit. cap. 4. „ Si Paulus po- „ tuit significando prædicare Dominum Jesum „ Christum, aliter per linguam suam, aliter per „ epistolam, aliter per sacramentum corporis & „ sanguinis ejus: nec linguam quippe ejus, nec „ membranas, nec atramentum, nec significan- „ tes sonos lingua editos, nec signa litterarum „ conscripta pelliculis corpus Christi & sanguinem „ dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus „ terræ acceptum, & prece mystica consecra- „ tum rite sumimus ad salutem in memoriam Do- „ minicæ passionis: quod cum per manus homi- „ num ad illam visibilem speciem perducitur, „ non sanctificatur, ut sit tam magnum sacra- „ mentum, nisi operante invisibiliter Spiritu „ Dei. Et cap. 10. Illas nubes & ignes, quo- „ modo fecerint, vel assumpserint Angeli ad „ significandum, quod annuntiabant, etiamsi „ Dominus vel Spiritus Sanctus illis corporali- „ bus formis ostendebatur, quis novit homi- „ num? sicut infantes non noverunt, quod in „ altari ponitur, & peracta pietatis operatione „ consumitur, unde vel quomodo conficiatur, „ unde in usum religionis assumatur: & si nun- „ quam discant experimento vel suo vel aliorum, „ & nunquam illam speciem rerum videant, nisi „ inter celebrationes sacramentorum, cum of- „ fertur, & datur, dicaturque illis authoritate „ gravissima, cujus corpus & sanguis sit, nihil „ aliud credent, nisi in illa specie Dominum ap- „ paruisse oculis mortalium.

5. Quæst. Evang. quæst. 33. „ Vitulus sagi- „ natus ipse Dominus est: istæ epulæ nunc ce- „ lebrantur per orbem terrarum; vitulus enim „ ille in corpore & sanguine Dominico, & of- „ fertur Patri & pascit totam domum.

6. Lib. 17. de Civit. cap. 20. „ In libro, qui „ vocatur Ecclesiastes, ait: Non est bonum „ homini, nisi quod manducabit & bibet: quid „ credibilius dicere intelligitur, quam quod ad „ participationem mensæ hujus pertinet, quam „ Sacerdos ipse mediator Testamenti novi ex- „ hibet secundum ordinem Melchisedech de cor- „ pore & sanguine suo; id enim Sacrificium suc- „ cessit omnibus Sacrificiis veteris Testamenti: „ quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationi- „ bus corpus ejus offertur, & participantibus „ ministratur. Et lib. 21. cap. 19. Sunt alii, ab „ æterno supplicio liberationem non omnibus „ hominibus promittentes, sed tantummodo „ Christi baptismate ablutis, qui participes fiunt „ corporis ejus.

7. Lib. 20. contra Manich. cap. 18. „ He- „ bræi prophetiam celebrabant futuræ victimæ, „ quam Christus obtulit; Christiani ejusdem sa- „ crificii jam peracti memoriam celebrant sacro- „ sancta oblatione & participatione corporis & „ sanguinis Christi.

8. Lib. 2. contra adversarium Legis cap. 9. „ Hominem Christum Jesum carnem suam nobis „ manducandam, bibendumque sanguinem dan- „ tem fideli corde atque ore suscipimus; quam- „ vis horribilius videatur humanam carnem man- „ ducare, quam perimere, & humanum sangui- „ nem potare, quam fundere.

9. Lib. 5. contra Donatistas cap. 8. „ Sicut „ Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non „ malum accipiendo, sed male accipiendo lo- „ cum in se diabolo præbuit, sic indigne quis- „ que sumens Dominicum sacramentum non ef- „ ficit, ut, quia ipse malus est, malum sit, aut „ quia non ad salutem accipit, nihil acceperit: „ corpus enim Domini & sanguis Domini nihilo- „ minus erat etiam illis, quibus dicebat Aposto- „ lus: Qui manducat indigne, judicium sibi man- „ ducat & bibit. *Et cap. 37. lib. 2. contra litt. Pe- „ tiliani.* Aliud est Pascha, quod Judæi adhuc „ de ore celebrant; aliud autem, quod nos in „ corpore & sanguine Domini accipimus. Et „ cap. 55. Hi dicturi sunt; in nomine tuo man- „ ducavimus & bibimus; & audituri: non novi „ vos: qui corpus ejus & sanguinem in Sacra- „ mento manducant & bibunt, &c.

10. Lib. 1. contra Pelag. cap. 20. „ An quisquam dicere audebit, quod parvuli possint sine participatione corporis hujus & sanguinis in se habere vitam; quia non ait, nisi manducaveritis, velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli: sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine sanguine & corpore filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat. Et cap. 23. & 24. Qui non manducaverit carnem ejus, non habebit vitam: optime Punici Christiani Sacramentum corporis Christi nihil aliud, quam vitam vocant: unde? nisi ex antiqua, ut existimo, & apostolica traditione, qua Ecclesiæ Dei insitum tenent, præter baptismum & participationem Dominicæ mensæ ad vitam æternam quemquam pervenire non posse; nam quid aliud tenent, qui Sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est; Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, & panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita &c. &, si non manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis; si ergo vita æterna sine corpore & sanguine Domini nulli promittitur, frustra sine his promittitur parvulis. *Et contra Pelagium cap.* 18. Parvuli sine participatione corporis & sanguinis Domini vitam æternam habere non possunt. " In hoc quidem errat S. Augustinus, quod putet parvulos sine communione salvari non posse, sed eo ipso ostendit, corpus Christi suscipi non per solam fidem, sed realiter.

11. In Psalm. 33. „ Ad historiam videtur pertinere, cum hic scriptum est: Psalmus David, cum mutavit vultum suum coram Abimelech. Erat, ut nostis, sacrificium Judæorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in mysterio: nondum erat sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt, & quod nunc diffusum est toto orbe terrarum: proponite ergo vobis duo sacrificia; illud secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech. Scriptum est enim: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: de quo dicitur? de Domino nostro Jesu Christo. Quis erat Melchisedech? Rex Salem: ipse protulit panem & vinum, & benedixit Abraham: videte, quid protulit ei, quem benedixit: & dictum est ei postea; Tu es Sacerdos &c. De quo, nisi de illo, cujus nostis sacrificium? sublatum est enim sacrificium Aaron; & cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech: ergo mutavit nescio quis vultum suum: quis est iste? Dominus noster Jesus Christus: in corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram: unde autem commendavit corpus & sanguinem suum? de humilitate sua; nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur: respice altitudinem illius. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce cibus sempiternus; sed manducant Angeli; manducant supernæ Virtutes, manducant cœlestes Spiritus, & manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat, & lætificat: quis autem homo posset ad illum venire cibum? unde cor tam idoneum illi cibo? oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret: unde autem fit cibus lac? unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? nam mater hoc facit: quod manducat mater, hoc manducat infans: sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ & lactis suum ipsum pascit infantem: quomodo ergo de ipso pane pavit nos Sapientia Dei? quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Et in Psalm.* 39. Quid est, quod datum est nobis? corpus, quod nostis; quod non omnes nostis; quod utinam qui nostis omnes, non ad judicium noveritis. Jam nos in luce sumus, tenemus Corpus Christi, tenemus sanguinem Christi; si resurrexistis cum Christo; dicit fidelibus, corpus & sanguinem Christi accipientibus dicit. *Et in Psalm.* 100. De cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus.

12. Tract. 11. in Joan cap. 3. „ Si dixerimus catechumeno, credis in Christum? respondet: credo, & signat se cruce Christi. Interrogemus eum: manducas carnem filii hominis, & bibis sanguinem filii hominis? nescit quid dicimus.

13. Tract. 27. in Joan. „ Quid est, spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam? o Domine, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris; Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur: proinde sic dictum est; Caro non prodest quidquam, quomodo dictum est; scientia inflat: jam ergo debemus odisse scientiam? absit: quid est ergo, scientia inflat? sola, sine charitate: sic etiam nunc caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam: & prodest plurimum.

14. Tract. 62. in Joan. „ Datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur Diabolo, unde scriptum: Quicunque manducaverit panem hunc indigne, reus erit corporis Domini. De his erat sermo, qui Domini corpus velut alium cibum quemlibet indiscrete, negligenterque sumebant: si ergo corripitur, qui non dijudicat, hoc est, non discernit a cæteris cibis Dominicum corpus, quomodo non damnatur, qui accedit inimicus?

15. Serm. de quarta feria cap. 3. & 4. „ Quid dicit omnis homo terra, quando accipit sanguinem Christi? amen, dicit: vide terra, quomodo accipias hunc sanguinem, quia qui eum bene accipit, accipit benedictionem, qui vero eum male accipit, judicium sibi bibendo aquirit: si sanguinem Christi non cum timore, & tremore accipis, eris maledicta, reproba, & spinosa: si autem sanguinem Christi tota

„ cum

„ cum reverentia accipis, cognoſces, tua per „ illum tibi dimitti peccata: o terra tanto riga- „ ta ſanguine, reſponde tanto ſanguini, non „ ſicut Cain & Judas, ſed ſicut ſancti Martyres, „ qui percipientes ſanguinem Chriſti, pro ſan- „ guine, quem biberunt, ſanguinem ſuum fun- „ dere non dubitaverunt.

16. De Cataclyſmo cap. 4. „ Comeditur „ agnus per noctem hujus ſæculi, ut ipſum agnum, „ quem quotidie immolamus, comedimus, & „ cujus ſanguinem bibimus, inveniamus illic.

17. Serm. 11. de verbis Domini cap. 9. „ Il- „ lud quomodo intellecturi ſumus, quod ait; „ Qui manducat carnem meam, & bibit ſangui- „ nem meum, in me manet, & ego in illo? nun- „ quid etiam illos hic poterimus accipere, de „ quibus dicit Apoſtolus, quod judicium ſibi „ manducent & bibant? nunquid & Judas, quam- „ vis primum ipſum manibus ejus conjectum Sa- „ cramentum carnis & ſanguinis ejus cum cæte- „ ris Apoſtolis manducaret & biberet, ſicut Lu- „ cas declarat, manſit in Chriſto aut Chriſtus in „ eo? multi denique, qui vel corde ficto car- „ nem illam manducant, & ſanguinem bibunt, „ vel cum manducaverint & biberint, apoſtatæ „ fiunt, nunquid manent in Chriſto, aut Chri- „ ſtus in eis? non ergo quocunque modo man- „ ducaverit quis carnem Chriſti, & biberit ſan- „ guinem Chriſti, manet in Chriſto, & Chriſtus „ in illo; ſed certo quodam modo.

18. Serm. 46. de verbis Domini. „ Dominus „ Jeſus exhortatus eſt ad manducandum carnem „ ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum: qui au „ diſtis hæc, nondum omnes intellexiſtis; qui „ enim baptizati & fideles eſtis, quid dixerit, „ noſtis: qui autem inter vos adhuc Catechume- „ ni vel audientes vocantur, potuerunt eſſe, „ cum legeretur, audientes, nunquid & intelli- „ gentes? ergo ſermo noſter ad utroſque dirigi- „ tur: qui jam manducant carnem Domini, & „ bibunt ejus ſanguinem, cogitent, quid man- „ ducent, & quid bibant.

19. Serm. 140. feria 2. Paſchæ cap. 2. & 3. „ Chriſtus cum diſcipulis in via ambulabat tan- „ quam comes; utique videbant, ſed non agno- „ ſcebant; tenebantur enim oculi eorum, ne „ eum agnoſcerent: non tenebantur, ne eum „ viderent, ſed tenebantur, ne eum agnoſce- „ rent: ubi voluit Dominus agnoſci? in fractio- „ ne panis: ſecuri ſumus; panem frangimus, & „ Dominum agnoſcimus; noluit agnoſci, niſi ibi „ propter nos, qui non eum viſuri eramus in car- „ ne, & tamen manducaturi eramus ejus carnem: „ quiſquis ergo fidelis es, conſoletur te fractio „ panis, abſentia Domini non eſt abſentia: di- „ ſcite, ubi Dominum quæratis, diſcite, ubi „ habeatis, diſcite, ubi agnoſcatis, quando man- „ ducatis.

20. Serm. 83. de diverſis in die Paſchæ. „ Promiſeram vobis, qui baptizati eſtis, ſermo- „ nem, quo exponerem menſæ Dominicæ ſacra- „ mentum, quod modo etiam videtis, & cujus „ nocte præterita jam participes facti eſtis: de- „ tis ſcire, quid accepiſtis, quid accepturi eſtis, „ quotidie accipere debeatis: panis ille, quem „ videtis in altari, ſanctificatus per verbum Dei, „ corpus eſt Chriſti: calix ille, imo quod ha- „ bet calix ſanctificatum per verbum Dei, ſan- „ guis Chriſti eſt.

21. Serm. 87. de diverſis in die Paſchæ. „ Do- „ minus Jeſus; ab eis quorum oculi tenebantur, „ ne illum agnoſcerent, in fractione panis voluit „ agnoſci: norunt fideles, quid dicam; norunt „ Chriſtum in fractione panis: non enim omnis „ panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti, fit „ corpus Chriſti.

22. Lib. 9. Confeſſ. cap. 13. referens verba matris ſuæ S. Monicæ apud Oſtia Tyberina mo- rientis, ait: „ Tantummodo memoriam ſui ad „ Altare fieri deſideravit, unde ſciret diſpenſari „ victimam ſanctam, qua deletum eſt Chirogra- „ phum, quod erat contrarium nobis. Hæc victima ſine dubio eſt Chriſtus in cruce immo- latus; idem ergo diſpenſatur in Altari.

23. In Pſ. 33. n. 10. ad illa verba juxta ver- ſionem LXX. „ Ferebatur in manibus ſuis. ait: „ Hoc quomodo fieri poſſet in hominibus, quis „ intelligat? Quia enim portatur in manibus ſuis? „ Manibus aliorum poteſt portari homo; mani- „ bus ſuis nemo portatur. Quomodo intelliga- „ tur in ipſo David ſecundum litteram, non in- „ venimus: in Chriſto autem invenimus: fere- „ batur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando „ commendans ipſum corpus ſuum ait: Hoc eſt „ corpus meum; ferebat enim illud in manibus „ ſuis. *In eundem Pſal. Concione 2. de Judæis lo- „ quens:* Illi de Crucifixo tenebrati ſunt; nos „ manducando crucifixum, & bibendo illumi- „ namur.

24. In Pſal. 98. n. 9. ad illa verba: „ Ado- „ rate ſcabellum pedum ejus. Quomodo, *in- „ quit*, adorabimus terram, cum dicat aperte „ Scriptura: Dominum Deum tuum adorabis; „ *& hic dicat*, Adorate ſcabellum ejus? Expo- „ nens autem illud, quid ſit ſcabellum ejus di- „ cit; Terra ſcabellum pedum meorum. An- „ ceps factus ſum, timeo adorare terram, ne „ damnet me, qui fecit cœlum & terram: rur- „ ſus timeo non adorare ſcabellum pedum Do- „ mini mei: … fluctuans converto me ad Chri- „ ſtum … & invenio, quomodo ſine impietate „ adoretur terra, adoretur ſcabellum pedum „ ejus. Suſcepit enim de terra terram, quia „ caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem „ accepit, & quia in ipſa carne hic ambulavit, „ & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalu- „ tem dedit. Nemo autem carnem illam man- „ ducet, niſi prius adoraverit. Inventum eſt, „ quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum „ Domini, & non ſolum non peccemus adoran- „ do, ſed etiam peccemus non adorando. Nun- „ quid autem caro vivificat? Ipſe Dominus di- „ xit, cum de ipſa commendatione ejuſdem ter- „ ræ loqueretur: Spiritus eſt, qui vivificat, ca- „ ro autem nihil prodeſt: ideo & ad terram quam- „ libet *(etiamſi ad carnem ipſius Chriſti)* cum te in- „ clinas atque proſternis, non quaſi terram in- „ tuearis, ſed illum Sanctum, cujus pedum ſca- „ bellum eſt, quod adoras; propter ipſum enim „ adoras; ideo & hic ſubjecit: Adorate ſcabel- „ lum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt? Quis „ ſanctus eſt? In cujus honore adoras ſcabellum „ pe-

„ pedum ejus. Et cum adoras illum, ne cogitatione „ remaneas in carne, & a Spiritu non vivificeris.

25. Lib. 12. contra Faustum cap. 10. „ Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, „ cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, AMEN. Hæc est clara vox sanguinis, „ quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eo„ dem sanguine redemptorum. Et cap. 2. Eu„ charistiam vocat, Sacramentum spei, quo in „ hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu „ bibitur, quod de Christi latere manavit.

26. Lib. ad Donatistas post collationem num. 27. de servo in tenebras exteriores ejecto dicit: „ In illo uno grande corpus signabatur omnium „ malorum ante Domini judicium convivio Do„ minico permixtorum; a quibus se boni corde „ interim & moribus separant; simul manducan„ tes & bibentes corpus & sanguinem Domini.

XXIII.

CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Sæculo quinto.

1. In Joa. lib. cap. 36. „ Ego sum panis vi„ tæ. Quanquam solitus fuerit Christus æni„ gmatice quodammodo, nec aperte nimium „ mysteria exponere, ne res divinæ scelestis „ etiam hominibus in derisionem paterent; non„ nunquam tamen propter audientium imperi„ tiam, cum nihil eos intelligere videat, omni „ ambiguatate sermonis remota, dilucide totam „ mysterii vim explicat, postquam igitur illos „ nihil intelligere videbat, apertissime jam inquit, „ Ego sum panis vitæ: his verbis ostendit san„ ctissimi sui corporis vitam & gratiam, qua in „ nobis unigeniti proprietas id est vita & ingre„ ditur & permanet. O sola imperitia excellen„ tes homines, cum de cœlo daturum se Deus „ panem vobis dixerit, & tantam banc rem pol„ licitus sit, non erubescitis de sensibili manna „ hoc intelligere?

2. In Joan. lib. 3. cap. 37. „ Quid igitur „ Christus pollicetur? quid credentibus affert? „ corruptibile certe nullum, sed benedictionem, „ quam communicatione corporis & sanguinis „ Christi assequimur, unde ad eam incorruptio„ nem integre reducemur, ut cibo & potu cor„ porali non indigeamus; vivificat enim corpus „ Christi, & ad incorruptionem sua participa„ tione reducit: non enim alterius cujusdam, sed „ ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati ver„ bi retinens, & plenum potestate illius, quo „ universa vivunt: quare oportet cum magna „ fiducia ad sumendam vitam concurrere: de„ mus operam, ut Corporis Christi participes ef„ ficiamur.

3. In Joan. lib. 4. cap. 10. „ Ego sum panis „ vitæ. Omnibus velaminibus orationis remo„ tis seipsum ostendit aperte, dicens: Ego sum „ panis vitæ: panis vitæ vere filius est, quia „ qui eo participant, a vinculis mortis liberan„ tur. Et cap. 11. Ego sum panis vitæ. Sal„ vator modo ænigmatice atque obscure, modo „ dilucide atque aperte eandem rem Judæis pro„ posuit, ut excusari nequeant: iterum igitur „ plane clamat: Ego sum panis vivus: non ob„ durescamus, toties a Christo veritatem audien„ tes. Et cap. 12. Panis quem ego dabo, caro „ mea est, quam ego dabo pro mundi vita. De„ dit pro vita omnium corpus suum Dominus, „ & per illud rursus vitam in nobis immittit: & „ quomodo? dicam breviter pro viribus meis: „ nam cum vivificans Dei filius in carne habita„ verit, vivificam ipsam effecit, quia natura vi„ vificans est; propterea participantes hæc caro „ vivificat; sed objiciet forte quispiam: Nonne „ qui fidem Christi non susceperunt, ac ipsius „ corporis participes facti non sunt, resurrectio„ nis tempore revivificent? Omnino ita futurum „ respondebimus, sed in resurrectionem judicii; „ ad cruciatus æternos vitam igitur proprie il„ lam debemus, intelligere, quæ beatitudine „ continetur æterna, ad quam per participatio„ nem vivificantis carnis certo perveniemus. Et „ cap. 13. Litigabant ergo Judæi ad invicem, di„ centes, quomodo potest hic nobis carnem „ suam dare ad manducandum? Omnia plana & „ recta illis sunt, qui cognitionem invenerunt; „ fatuis vero etiam facillima obscura videntur: „ probus enim auditor ac sapiens, quæ intelle„ xit, nulla intelligentia remoratus, mentis ea „ thesauro statim commendavit, si qua vero ar„ dua videntur, sæpe ac multum investigans at„ que interrogans tandem assequitur: sed non „ ita facit animus malignus: nam quæcunque non „ intelligit, statim tanquam frivola falsaque per „ arrogantiam rejicit, nulli cedens, nec aliquid „ supra ipsum esse existimans, quales judæos fuis„ se comperiemus: nam cum oporteret eos, qui „ divinam virtutem Salvatoris ac potestatem si„ gnorum miraculo perceperunt, sermonem ejus „ libenter suscipere, & si qua difficilia videban„ tur, eorum solutionem quærere, contra om„ nino faciunt. Et quomodo potest bic nobis „ carnem suam dare? De Deo non sine magna „ impietate conclamant, nec in mentem venit, „ nihil esse impossibile apud Deum, sed fatuitas „ quædam illis videtur tam magnum mysterium: „ sed nos magnum, quæso, a peccatis aliorum „ profectum faciamus, & firmam fidem mysteriis „ adhibentes nunquam in tam sublimibus rebus „ illud, Quomodo, aut cogitemus aut profera„ mus: judaicum enim hoc verbum est, & ex„ tremi supplicii causa: nam quemadmodum, „ quamvis nullus novit, quid secundum natu„ ram Deus sit, justificatur tamen per fidem, cum „ credat, præmia illum redditurum quærentibus „ eum; sic etsi operum ejus rationem ignorat, „ cum tamen fide omnia illum posse non dubitet, „ non contemnenda probitatis hujus præmia con„ sequetur: ita profecto nos affici per Isaiam Do„ minus nos hortatur: Non enim sunt consilia „ mea, inquit, ut consilia vestra, nec sicut viæ „ vestræ viæ meæ sunt, sed sicut exaltatur cœ„ lum a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis „ vestris, & cogitationes meæ a viis vestris, & „ cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Qui „ autem sapientia a virtute Deo excellit, quo„ modo non operabitur ita miraculose, ut ope„ rum suorum ratio mentem nostram effugiat? „ nonne vides, quid sæpe numero mechanici fa„ ciunt, incredibilia videntur nonnunquam enar„ rare,

„rare, sed tamen quia similia ipsos fecisse vidi„mus, posse peragi ab ipsis facile credimus: quo„modo igitur summis cruciatibus digni non erunt, „qui rerum omnium opificem Deum ita contem„nunt, ut quomodo, in operibus suis dicere au„deant? quem totius sapientiæ largitorem esse „non ignorant, quem omnia posse scriptura nos „docuit? Si vero tu, o Judæe, quomodo, etiam „nunc clamas? rogabo, quomodo in serpentem „Mosaica virga fuit conversa? quomodo lepra „manus affecta uno momento temporis in pristi„num statum restituta iterum fuit? quomodo in „naturam sanguinis aquæ transierunt? quomo„do per lignum amaritudo aquarum in dulcedi„nem recidit? quomodo a lapide fontes aqua„rum fluebant? innumerabilia sunt, in quibus, „si, quomodo, quæris, universam tibi Scriptu„ram evertere necesse sit. Et cap. 14. Amen, „amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem „filii hominis &c. Misericors certe ac mitis „Christus est; non enim aspere respondit: & „quomodo quidem carnem suam dabit ad man„ducandum, non docet, & quomodo id fieri „possit, non enodavit, sed fide id quærendum „hortatur: sic credentibus discipulis fragmenta „panis dedit, dicens: Hoc est corpus meum &c. „perspicis, quia sine quærentibus mysterii mo„dum nequaquam explicavit; credentibus au„tem etiam non quærentibus exposuit. Nisi „manducaveritis, inquit, carnem filii hominis, „& biberitis ejus sanguinem, non habebitis vi„tam in vobis: non enim possunt vitæ beatæ „fieri participes, qui per mysticam benedictio„nem Jesum non susceperunt: vita enim secun„dum naturam ille est, qui ex vivo patre geni„tus est, sed non minus corpus quoque suum „vivificat; quoniam igitur Salvatoris caro ver„bo Dei, quod naturaliter vita est, conjuncta, „vivifica effecta est, quando eam comedimus, „tunc vitam habemus in nobis, illi conjuncti, „quæ vita effecta est: hæc de causa in exsusci„tandis mortuis non solummodo verbo atque „imperio ut Deus utebatur, verum etiam car„nem suam quasi cooperatricem nonnunquam „adhibebat, ut reipsa ostenderet, carnem quo„que suam, quoniam sibi conjuncta est, vivifi„cam esse: nam quando Synagogæ principis fi„liam suscitabat, manum ejus apprehendit: quan„do etiam in Naim efferebatur mortuus, tetigit „corpus ejus, dicens: Adolescens tibi dico, „surge. Non ergo verbo solum semper, ut di„ximus, verum etiam tactu mortuos excitabat, „ut ostenderet, corpus quoque suum vivificare „posse: quomodo non vivemus, qui carnem „illam & gustamus, & manducamus? reforma„bit enim omnino ad immortalitatem participes „sui: oportuit enim, ut non solum anima per „Spiritum Sanctum in beatam vitam ascenderet, „verum etiam terrestre hoc corpus cognato sibi „gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem redu„ceretur. Et cap. 15. Verbum humanitati con„junctum totam in seipsum ita reduxit, ut indi„gentia vitæ possit vivificare: sic interitum a „natura humana expulit: quare, qui carnem „Christi manducat, vitam habet æternam: ha„bet enim hæc caro Dei verbum, quod natura„liter vita est: propterea dicit; ego resuscitabo „eum in novissimo die: ego enim, dixit, id est, „corpus meum, quod comedetur, resuscitabo „eum: non enim alius ipse est, quam caro sua; „non id dico, quia natura non est alius, sed quia „post incarnationem se in duos dividi filios mini„me patitur: ego igitur, inquit, qui homo fa„ctus sum, per meam carnem in novissimo die „comedentes suscitabo: non enim potest natura „nostra vitæ conjuncta non vivificari. Et cap. „16. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus „vere est potus: manna non erat cibus verus, „id est, panis de cœlo; sanctum vero Christi „corpus ad immortalitatem & vitam æternam „nutriens cibus est; sed aquam illi ex petra bi„berunt: quid inde lucrati sunt, qui mortui „fuerunt? non igitur erat ille potus verus, sed „verus potus est sanguis Christi, quo radicitus „mors evellitur: non enim hominis simpliciter „sanguis est, sed ejus, qui naturali vitæ conjun„ctus est: propterea corpus & membra Christi „sumus, quia per hanc benedictionem mysterii „ipsum filium Dei suscipimus. Et cap. 17. Qui „manducat carnem meam, & bibit sanguinem „meum, in me manet, & ego in illo: sicuti „enim, siquis liquefactæ ceræ aliam ceram in„fuderit, alteram cum altera per totum commi„sceat necesse est; ita necesse est, ut si quis car„nem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita „conjungatur, ut Christus in ipso & ipse in Chri„sto inveniatur.

4. Lib. 10. in Joan. cap. 13. „Non negamus „recta nos fide, charitateque sincera Christo spi„ritualiter conjungi; sed nullam nobis cojun„ctionis rationem secundum carnem cum illo „esse, id profecto pernegamus, idque a divinis „scripturis omnino alienum dicimus: quis enim „dubitavit Christum sic vitem esse, nos vero pal„mites, qui vitam inde nobis aquirimus? audi „Paulum dicentem. Quia omnes unum corpus „sumus in Christo: quia etsi multi sumus, unum „tamen in eo sumus: omnes enim uno pane par„ticipamus: an fortasse putat (*hæreticus*) igno„tam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? „quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quo„que facit communicatione carnis Christi Chri„stum in nobis habitare? Cur enim membra fi„delium membra Christi sunt? nescitis, inquit, „quia membra vestra membra sunt Christi? mem„bra igitur Christi meretricis faciam membra? „absit. Salvator etiam. Qui manducat carnem „meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, „& ego in eo: unde considerandum est, non „habitudine solum, quæ per charitatem intelli„gitur, Christum in nobis esse, verum etiam & „participatione naturali: nam quemadmodum „siquis igne liquefactam ceram aliæ ceræ similiter „liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utris„que factum videatur; sic communicatione cor„poris & sanguinis Christi ipse in nobis est, & „nos in ipso: non enim poterat aliter corrup„tibilis hæc natura corporis ad incorruptibilita„tem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ cor„pus ei conjungeretur: non credis mihi hæc di„centi; Christo, te obsecro, fidem præbe. „Amen, amen, inquit, nisi manducaveritis „carnem filii hominis, non habebitis vitam in „vobis

„ vobis: in vobis, dicit, id est, in corpore ve„ stro: vita autem jure ipsa vitæ caro intelligi „ potest: cur igitur nos secundum carnem dici „ palmites pernegat?

5. Lib. 11. in Joan. cap. 16. „ Ea de causa, „ ut puto, comparticipes Christi, ac, ut ita di„ cam, concorpores, aut concorporales gentes „ scribit Paulus, quia sanctissimæ carnis ejus & „ sanguinis participes factæ sunt; sic & membra „ Christi membra nostra dicuntur. Et cap. 22. „ Nihil vobis mali accidere potest, ait Christus, „ si carne absuero, cum deitatis meæ potestas, „ quæ vos hucusque servavit, in posterum etiam „ servatura sit: hoc non ideo dicimus, quia Do„ mini corpus non magni æstimemus, sed quia „ mirabiles hos effectus gloriæ deitatis attribuen„ dos putamus: nam ipsum etiam Domini cor„ pus conjuncti virtute verbi sanctificatur, & ad „ benedictionem mysticam adeo activum fit, ut „ possit nobis sanctificationem suam immittere. „ Unde Salvator, cum multa ad Judæos de car„ ne sua dissereret, ac vivificum vere panem eam „ appellaret, dicebat: Spiritus est, qui vivifi„ cat, caro nihil prodest: aperte hic ad sanctifi„ candum, vivificandumque nihil prodesse car„ nem ostendit, in quantum scilicet naturæ hu„ manæ caro est. Et cap. 26. Origo & via, qua „ Spiritu Sancto participamus, & Deo uniti su„ mus, Christi mysterium est, ut igitur inter nos „ & Deum medius veniret, modum adinvenit: „ suo enim corpore credentes per communio„ nem mysticam benedicens & secum & inter nos „ unum nos corpus effecit: quis enim eos, qui „ unius sancti corporis unione in uno Christo „ uniti sunt, ab hac naturali unione alienos pu„ tabit? nam si omnes unum panem manduca„ mus, unum omnes corpus efficimur: dividi „ enim atque sejungi Christus non patitur, idcir„ co enim Ecclesia corpus Christi facta est, & „ nos singuli membra Christi, secundum Paulum; „ uni enim Christo per corpus suum conjuncti, „ quoniam in nobis illum, qui est indivisibilis, „ accepimus, ipsi potius quam nobis membra „ nostra accommodantur: quod autem corpo„ ralis hæc unio ad Christum participatione car„ nis aquiritur, Paulus testatur, dicens: Quod „ aliis generationibus non est agnitum filiis ho„ minum, sicut nunc revelatum est sanctis Apo„ stolis ejus, esse gentes cohæredes, & concor„ pores & comparticipes promissionis in Christo: „ si autem omnes inter nos in Christo unum su„ mus corpus, nec inter nos solum, verum etiam „ cum eo, qui per carnem suam ad nos transivit: „ sed de unione corporali satis. De spirituali „ autem eandem viam sequentes dicimus &c.

6. Lib. 12. cap. 50. „ Cum baptismum rece„ perint, a tactu & communione salutaris Chri„ sti corporis non prohibentur; idcirco acce„ dentibus ministri clamant: Sancta sanctis: so„ lis sanctificatis spiritu tactum & sanctificationem „ Corporis Christi congruere sanctificantes. Et „ cap. 58. In Ecclesiis visibiliter simul & invi„ sibiliter Christus omnibus apparet: invisibili„ ter quidem ut Deus; visibiliter autem in cor„ pore præbet enim nobis carnem suam tangen„ dam, ut firmiter credamus, quia vere templum „ suum suscitavit: fugiamus igitur infidelitatem „ post tactum Christi.

7. In Epistola ad Nestorium *de Excommunicatione.* „ Dum Jesu Christi mortem annuntiamus, „ incruentum in Ecclesiis perficimus cultum, „ participes facti sanctæ carnis, pretiosique san„ guinis Jesu Christi, nec ut communem carnem „ accipimus, absit, neque tanquam viri sancti„ ficati, sed ut vere vivificatricem, & ipsius „ verbi proprium.

8. In declaratione 12. capitum anathematismo 11. „ Sanctum ac vivificum ac incruentum „ in Ecclesiis celebramus sacrificium, non homi„ nis alicujus nobis similis corpus: consimiliter „ & pretiosum sanguinem esse, quod proponi„ tur, credentes, sed magis tanquam proprium „ vivificantis verbi corpus & sanguinem accipi„ mus: communis enim caro vivificare non pot„ est: & hoc ipse Servator testatur, dicens: Ca„ ro non prodest quidquam, spiritus est, qui „ vivificat: quoniam enim verbi facta est pro„ pria, ob eam causam est vivifica, sicut Serva„ tor dicit: Sicut misit me vivens Pater, & ego „ vivo propter Patrem, & qui manducat me, et„ iam ille vivet propter me." Similia habet lib. ad Evoptium anath. 11. & in Apologia ad Orientales.

9. Lib. 12. de Adoratione. „ Accedimus ad „ sancta, ut per ineffabilem hostiam Christum „ participemus. Et lib. 13. Mensa propositio„ num panum incruentam hostiam significet, qua „ benedicimus, dum panem manducamus illum, „ qui de cœlo est, Christum scilicet. Et lib. 17. „ Quod autem, qui Christi particeps per sanctæ „ ejus carnis atque sanguinis communionem fit „ sactus, eum illius quoque oporteat mentem „ ac sensum habere, statim ostendit.

10. De recta fide ad Reginas. „ Qui mandu„ cat me & ille vivet propter me; Si nudum se„ cundum se verbum missum est, quomodo, si „ manducatur a nobis, vivamus propter ipsum? „ Deus enim natura incorporeus est: si aut so„ lum & secundum ipsum hominem dicunt esse „ missum, quomodo est vivificus?

11. Lib. adversus Anthropomorphitas in Prologo. „ Alios esse audio, qui mysticam bene„ dictionem nihil ad sanctificationem proficere „ dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem: „ insaniunt vero, qui hoc asserunt: neque enim „ alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus „ immutatur, sed vivificans gratia perpetua in „ ipso existit.

XXIV.

THEODORETUS.

Sæculo quinto.

1. In Psalm. 22. ad illud: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me; impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est.* „ *Manifesta sunt hæc iis, qui sacris initiati sunt: noverunt enim spiritus oleum, cum eorum capita oleo uncta sunt, & ebrietatem quidem potentem, sed non dissolventem: atque mysticum cibum, quem nobis proponit is, qui præter pastoris officium sponsus factus est.*

3. Idem

3 Idem in Psalm. 33. *David, cum panes quæsierit, alios non invenit, verum solis sacerdotibus repositos, & hos accepit; nam solis sacerdotibus talis cibus distribuebatur; verumtamen gratiæ mysteria adumbrata sunt, & janua divinæ liberalitatis credentibus reserata est: quandoquidem non amplius solis sacerdotibus divinus cibus destinatus est, verum hæc divinorum communicatio omnibus proponitur.*

3. Idem. in Ezech. ad finem: *Si res Judæorum nostrarum figura rerum fuere, ubi anniculo agno opus est post immaculati agni sacrificium? & quæ azymorum utilitas post supercælestem panem? etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; dicit: Hoc est corpus meum &c. Et alibi: Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis vitæ. &c.*

4. Idem in Danielem ad illud: *Salvabuntur de manu Edom & Moab.* „*Quod si ad moralem sententiam intelligenda sunt hæc nomina, Edom rursum interpretantur: & sanguis rubram speciem habet, qui itaque Domini sanguine digni censentur, & pro hujus muneris dignitate vitam degunt, florentem in se continent gratiam sanguinis Domini.*

5. Idem in 1. Epist. ad Corinth. ad illud: *Si inter vos fornicator, aut ebriosus, cum hujusmodi nec cibum sumere.* „*Si non oportet eos communis cibi esse participes, nec mystici quidem certe & divini.*

6. Et in 1. Epist. ad Corinth. ad illud: *In fratres peccantes in Christum peccatis.* „*Hoc significat, quod frater est de corpore Domini; est enim corporis Dominici particeps; caput autem membro factam injuriam sibi adscribit.*

7. Et ibidem ad illud: *Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* „*Quomodo fieri potest, ut Domino communicemus per pretiosum ejus corpus & sanguinem, & rursus dæmonibus per ejus, quod dæmonibus immolatum est, nutrimentum?*

8 Ibidem. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* „*Quomodo non est absurdum intus in templo Dei præsente Domino, qui communem nobis mensam apposuit, vos quidem laute vivere, eos autem qui sunt pauperes, esurire. Ego enim accepi a Domino &c. Sacram illam, & ex omni parte sanctam noctem in mentem revocat, in qua & typico Paschati finem imposuit, & verum typi archetypum ostendit, & salutaris Sacramenti portas aperuit, & nonsolum undecim Apostolis, sed etiam Judæ proditori pretiosum corpus & sanguinem impertiit: docet autem, quod illius noctis bonis semper frui possimus. Quotiescunque manducabitis panem hunc &c. Etenim post ejus adventum non amplius erit opus symbolis seu signis corporis, cum ipsum corpus apparebit. Itaque qui manducaverit indigne &c. pungit eos, qui absque ullo discrimine fuerant participes, præterea autem & nos, qui cum mala conscientia audemus divina Sacramenta percipere.* „*Illud autem; erit reus corporis Domini, hoc significat, quod quemadmodum ipsum tradidit Judas, ipsi autem insultarunt, ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & incæstum os immittunt.*

9. Idem in Epist. ad Ephes. ad illud: *Nutrit & fovet eam sicut Christus Ecclesiam.* „*Nutriens ipsam & fovens & ei suum dans corpus & sanguinem. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Sicut enim Eva ex Adam ficta est, ita nos ex Christo Domino: cum eo enim in baptismo consepelimur, & una cum eo resurgimus, & corpus comedimus, & sanguinem bibimus.*

10. In Epist. ad Hebr. ad illud: *Per velamen, id est, carnem suam.* „*Velamen Christi, carnem vocavit; per eam enim aditum in sancta sanctorum consequimur; quemadmodum enim legis sacerdos per velamen in sancta sanctorum introibat, ita qui in Dominum crediderunt, per sanctissimi corporis participationem civitatem cælestem adipiscuntur.*

11. Idem lib 5. Hist. Eccles. cap. 18. S. Ambrosium Theodosium Imperatorem ob cædem Thessalonicensium ab Ecclesia his verbis arcentem inducit. „*Istasne adhuc stillantes injusta cæde manus extendes, & in iis sanctissimi Domini corpus prehendes? vel tu pretiosum illum sanguinem admovebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinem dictato furentis animi? Discede, neque velis priorem iniquitatem hac alia iniquitate augere.*

12. Idem in Dialogo de immutabili Dei natura. „*Orthod.* Cum Jacob Patriarcha Judam benediceret, dicit: Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ indumentum suum. *Erran.* De vestibus dixit Patriarcha, non de corpore. *Orthod.* Ostende ergo quando vel ubi in sanguine uvæ laverit indumentum. *Erran.* Tu ostende, quod his corpus purpureum reddiderit. *Orthod.* Velim te paulo magis mystice respondere; adsunt enim fortasse nonnulli, qui non sunt initiati mysteriis. Scis quod seipsum Dominus vitem appellavit. *Erran.* Scio. *Orthod.* Vitis fructus expressus quomodo vocatur? *Erran.* Vinum. *Orthod.* Quando milites lancea Domini latus aperuerunt, quid ex eo profusum? *Erran.* Sanguis & aqua. *Orthod.* Sanguinem ergo uvæ Servatoris sanguinem appellavit: sicut enim nos mysticum vitis fructum post sanctificationem Domini sanguinem nominamus, ita veræ vitis sanguinem uvæ sanguinem nominavit. Scis quod Deus suum corpus panem nominavit: in mysteriorum enim traditione corpus panem appellavit, & sanguinem id, quod in calice infusum est. *Erran.* Ita nominavit. *Orthod.* Atqui & quod est secundum naturam corpus, corpus jure vocabitur, & itidem sanguis. *Erran.* In confesso est. *Orthod.* Servator quidem certe nomina commutavit, & corpori quidem id, quod erat symboli ac signi nomen imposuit; symbolo autem, quod erat corporis: ita cum se vitem nominavisset, sanguinem id quod erat symbolum appellavit. *Erran.* Hoc quidem vere dixisti: vellem autem scire causam mutationis nominum. *Orthod.* Manifestum est institutum iis, qui sunt divinis mysteriis initiati; volebat enim eos, qui sunt divinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur, sed propter nominum permutationem mutationi, quæ fit ex gratia, credere. *Erran.* Quid appellas donum, quod offertur ante invocationem sacerdotis? *Orthod.* Nutrimentum. *Erran.* Post sanctificationem quomodo ea appellas? *Orthod.* Corpus Christi & sanguinem Christi. *Erran.* Et credis te fieri participem Christi corporis & sanguinis? *Orthod.* Ita credo. *Erran.* Sicut ergo symbola Domini corporis & sanguinis alia sunt

 „ante

„ante invocationem sacerdotis, sed post invocationem mutantur, & alia fiunt, ita corpus Domini post assumptionem mutatur in divinam substantiam. *Orthod.* Quæ ipse texuisti retibus captus es: neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt a sua natura; manent enim in priori substantia," (hoc est, quantitate, ac extensione, quæ prius habebat officium materiæ, dum habebat formam & substantiam propriam,) „& figura & forma, & videri & tangi possunt, sicut & prius; intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt & creduntur.

13. Idem Serm. 10. de Provid· „Natus Christus Dominus materna quidem ut nos ubera sugit, in præsepe autem brutorum animalium mensa ponitur simul hominum brutam naturam accusans, & suum erga homines amorem demonstrans, quod cum ipse nutritor sit Deus, secundum humanitatem hominum cibus fit, qui magna & brutali ignoratione laborabant.

XXV.

S. LEO.

Sæculo quinto.

1.

„*Quisquis Christiano nomine pie & fideliter glorîaris, reconciliationis humanæ gratiam justo perpende judicio: tibi enim per Incarnationem Verbi potestas data est, ut ad tuum revertaris authorem, ut Deum Patrem audeas nuncupare, imiteris Angelos super terram, immortalitatis substantiæ virtute pascaris, securus adversus inimicas tentationes pro pietate confligas.* Sermone 2. de Nativ.

2.

„*Manichæi, cum ad tegendum infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno corpus Christi accipiunt; sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant: quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines, his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio notati & proditi a sanctorum societate pellantur.* Serm. 4. de Quadrag.

3.

„*Paschali festo, in quod omnia Religionis Sacramenta concurrunt, is vera & rationabili purificatione se præparat, cujus cor nulla infidelitate polluitur; inutilia erunt eorum jejunia, quos illusionibus suis decipit mendacii pater, & vera Christi caro non pascit: --- nam quidam veræ carnis in Christo negavere naturam.* Serm. 8. de Quadrag.

4.

„*Appropinquante solennitate Paschali, debet quivis omnes sordes abjicere peccatorum, ut intraturus convivium nuptiale splendeat veste virtutum: quamvis enim benignitas sponsi cunctos ad communionem regiarum invitet epularum, studendum est tamen universis, ut sacrorum ciborum munere non inveniantur indigni: abutuntur autem quidam patientia Dei, & qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi.* Serm. 12. de Quadrag.

5.

„*Jesus vetus Testamentum consummabat, & novum Pascha condebat: discumbentibus enim discipulis ad edendam mysticam Cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi, ille corporis & sanguinis sui ordinans Sacramentum docebat, qualis Deo hostia deberet offerri, ne ab hoc quidem mysterio traditore submoto, ut ostenderetur nulla injuria exasperatus.* Serm. 7. de Passion.

6.

„*Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret: nunc etenim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior est unctio Sacerdotum: nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una corporis & sanguinis tui implet oblatio; quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de de omni gente sit regnum.* Serm 8. de Passion.

7.

„*Fides Catholica universis resistit erroribus, detestans Eutychen, in divinis humana vacuantem, ut & hominem credamus esse, qui Deus est; hanc confessionem toto corde promentes impia hæreticorum commenta respuite, ut jejunia & eleemosynæ vestræ nullius erroris contagione polluantur · tunc enim & sacrificii munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ii, qui ista dependunt, intelligunt, quid operentur: nam dicente Domino; Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis; hoc enim ore sumitur, quod fide creditur; & frustra ab illis, Amen, respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur.* Serm. 6. de jejunio mensis 7.

8.

„*Non dubie Manichæorum confœderantur errori, qui a Dei filio verum & nostræ naturæ hominem negant esse susceptum, omnesque ejus actiones volunt esse simulatorii phantasmatis: extra domum gratiæ, & extra sacramentum salutis humanæ habendi sunt, qui negantes naturam nostræ carnis in Christo, Evangelio contradicunt, & symbolo reluctantur: nec sentiunt se in hoc præruptum sua obcæcatione deduci, ut nec in Passionis Dominicæ, nec in Resurrectionis veritate consistant, quia utrumque in Salvatore vacuatur, si in eo nostri generis caro non creditur. In quibus isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore jacuere, ut nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei teneatur? quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur, ut accipientes virtutem cœlestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.* Epist 22. ad Clerum Constantinopol.

„*Præ-*

9.

„ *Præsente Episcopo non licet Presbyteris Sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere.* Epist. 88. ad Episcopos Germaniæ.

XXVI.

S. MAXIMUS.

Sæculo quinto.

1.

„ *Quid potissimum hoc præsenti (Epiphaniæ) die factum sit, noverit ille, qui fecit, nos tamen credere debemus, quidquid illud est, factum esse pro nobis: nam quod eum adoravere Chaldæi, gentibus spes data est Dominum verum adorandi: quod aquæ novo sunt ordine in vina mutatæ, novi nobis poculi prælibatum est sacramentum.* Homil. 1. in Epiph.

2.

„ *Ipsam Mariam Manna dixerim, quæ velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere ac manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: Nisi quis manducaverit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso, sed potius ipse cibus in judicium convertetur; sicut Apostolus dicit: Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat. Quod filiis Israel subtiliter prophetatum est in veteri Testamento. Manna enim illis contra divina præcepta tractantibus vermes effecti sunt, id est, contumaciæ ultores & judices: quæ similitudo Christum indicat Dominum, quem qui suavem cibum & dulcem potum sumere neglexerit, judicem patietur.* Homil. in ramis palm.

3.

„ *Quæ domus fidelior Ecclesia? quis hospes dignior Salvatore? iste peregrinos ut filios suscipit, illa susceptos refovet ut infantes: iste hospitibus, sicut experti sumus, pedes lavare gestit; illa mensam parare festinat: quos enim Salvator viva aqua refrigerat, hos reficit cælestibus cibis Ecclesia.* Homil. de hospital.

XXVII.

REMIGIUS RHEMENSIS.

Carmine, quod sacro Calici insculpsit, ut refert Hincmarus in ejus vita.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro
Injecto, æternus quem fudit vulnere Christus.

XXVIII.

ARATOR.

Lib. 1.

cæpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat agni.

Lib. 2.

Agnus Christus inest, panis quoque Christus habetur
De cælo, quod & ipse docet: qui corpore Jesum
Sumpserit, hoste caret.

XXIX.

VICTOR ANTIOCHENUS.

Ad cap. 14. Marci. *Cum ad Apostolos dicit: Hoc est corpus meum; certo apud se statuant, vult, postquam benedictio accesserit ad panem vel calicem, per panis symbolum corporis Christi, per calicem vero ejus sanguinis se participes fieri.*

XXX.

PROCOPIUS GAZÆUS.

In Exodum. *Edamus corpus & bibamus sanguinem Christi, nihil dubitantes, quod sint vita, & vivificent.*

XXXI.

JOANNES MAXENTIUS.

Dial. 2. cont. Nestor. *Panis ille, quem universa Ecclesia in memoriam passionis participat, corpus ejus est.*

XXXII.

NONNUS PANOPOLITANUS.

In Paraphrasi Joannis cap. 8.

Vere hominum vita est nostræ libatio carnis,
Exhibet & verum sanguis potabilis haustum,
Hæc duo qui gustat, mecum ipse habitans habitatur.

XXXIII.

S. CHRYSOLOGUS.

Sæculo quinto.

1.

„ *Omnibus profutura semper loquitur Christus, qui suorum esse voluit servorum, qui panem vitæ se dedit ipsum, qui sanguinem suum in poculum salutis effudit.* Serm. 2. de filio prodigo.

2.

„ *Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, tetigit fimbriam vestimenti ejus. O quam docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstravit! audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Sed quod nobis flendum est, mulier de vulnere medicinam tulit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus: hinc est, quod Apostolus tangentes indigne corpus Christi taliter admonet & deplorat: Qui tangit indigne corpus Christi, judicium sibi sumit.* Serm. 34. de hæmorroissa.

3.

„ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Cælestis Pater, cælestem panem cælestes filii ut postulemus, hortatur. Ipse dixit: Ego sum panis, qui de cælo descendi: ipse est panis, qui satus in virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, in Ecclesia conditus, illatus altaribus, cælestem cibum quotidie fidelibus subministrat.* Serm. 67. in Orat Dom.

„ 4. *Pa-*

4.

„ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Post regnum cœleste serrenum panem petere non jubemur, prohibente ipso, cum dicit: Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, aut quid bibatis: sed quia ipse est panis, qui de cœlo descendit, petimus & precamur, ut ipsum panem, quo quotidie, id est, jugiter sumus in æternitate victuri, hodie, id est, in præsenti vita de convivio altaris sancti ad virtutem corporis mentisque capiamus.* Serm. 4. in Orat. Dom. num. 80.

5.

„ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Christus mandatis suis contraria non demandat; ipse dixit: Nolite soliciti esse &c. Sed quia ipse est panis, qui de cœlo descendit, qui crucis confectus est passione, qui cœlestem cibus quotidianus Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissionem frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit & nutrit ad vitam, hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo die perpetuo perfruamur.* Serm. 5. in Orat. Domin. num. 81.

6

„ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidianum jugem dicimus; jugis panis ille est, qui de cœlo descendit: perfectio ergo beatitudinis est hodie, hoc est, in præsenti illius panis jam cibo vivere, cujus perpetuitate, quod est quotidie, saginabimur in futurum.* Serm. 6. in Orat. Domin. num. 82.

7.

„ *Christus corpus suum Ecclesiæ transmisit ad mensam, ut esset cœlestis caro manducaturis gentibus, ad salutem. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quemadmodum autem manducetur caro Christi, quomodo bibatur & sanguis ejus, norunt illi, qui sunt sacramentis cœlestibus instituti.* Serm. 95. de Magdalena.

2.

„ *Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, tetigit vestimentum Christi, & sanata est, & ab antiquo est absoluta languore. Miseri, qui quotidie corpus Domini tractamus, & sumimus, & a nostris vulneribus non curamur: non Christus infirmantibus, sed fides deest; nam multo magis in nobis manens poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem prætericns sic curavit.* Serm. 33. de hæmorroissa.

XXXIV.
DIONYSIUS.

Sæculo quinto.

Opera, quæ adscribuntur Dionysio Areopagitæ, omnium consensu ad minimum debent adscribi authori, qui vixit ad finem sæculi quinti: sic habet.

1. Lib. 1. de Cœlesti Hierarch. cap. 1. „ Hierarchiam nostram figuris corporeis, variisque formis distinxit, ut pro captu nostro simulacris illis ad rerum minime figuris adumbratarum similitudinem efferamur: non enim mens nostra ad cœlestium contemplationem excitari potest, nisi rerum corporearum sibi notarum præsidio utatur, cogitans pulchritudinem, quæ videtur, simulacrum esse occultæ pulchritudinis, & divinæ Eucharistiæ perceptionem transsubstantiationis Jesu in nos. τὴν τῆς θειοτάτης εὐχαριστίας μετάληψιν, τῆς Ἰησοῦ μετουσίας.

Lib. 2. de Eccles. Hierarch. cap. 2. „ Eucharistiæ sacrorum omnium perfectivæ: ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας. „ Ibid. Pontifex initiatum ducit ad sanctissimam Eucharistiam, eumque mysteriorum, quæ perficiendi vim habent, participem facit: τῶν τελεστικῶν μυστηρίων. Dein. Sed o tu divinum, sanctissimumque Sacramentum, discooperi ænigmaticas vestes, quæ symbolice tibi circumjacent, & perspicue nobis ostendere, & mentis nostræ oculos pura luce perfunde.

XXXV.
SEDULIUS.

Lib. 4. Paschali.

Corporis atque
Sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit,
Atque cibum potumque dedit, quo perpete nunquam
Esuriant, sitiantque animæ sine labe fideles &c.
Fonte renascentes membris & sanguine Christi
Vescimur, atque ideo templum deitatis habemur.

XXXVI.
CLAUDIUS MARIUS VICTOR.

In Genesin. lib. 3.

Libamina Christi,
Cujus de manibus sumens Ecclesia corpus
Vivificum panem, cœlesti pota cruore est.

XXXVII.
SALVIANUS.

Lib. 2. ad Ecclesiam. *Judæi manna manducaverunt, nos Christum; Judæi carnes avium, nos corpus Dei.*

XXXVIII.
VICTOR UTICENSIS.

Lib. 1. de Persecutione Vandalica. *Arriani tempore, quo Sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes maximo furore corpus Christi & sanguinem pavimento sparserunt, & illud pollutis pedibus calcaverunt.* Et lib. 3. *Frater alius metuens ne fidem negaret, clamabat: Non ita juravimus in Christo: super corpus ejus & sanguinem juravimus, ut pro eo patiamur.*

XXXIX.
ALCIMUS AVITUS.

Ergo agnosce tuum in nobis Christe cruorem,
Atque tuos educ Ægypti e carcere servos,
Et quocunque loco sanctus mactaberis agnus
Inque cibos sanctum porrexerit hostia corpus
Christe tuum, non attingat tua dextera vindex,
In vitæ novitate tuum fac sumere corpus
Et sacrum æterni calicis potare cruorem.

Lib. 5. de transitu maris rubri. Cap. 10.

XL.

GREGORIUS MAGNUS.

Sæculo ſexto.

1. Hom. 14. in Evang. „bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis: ſecit, quod monuit, oſtendit, quod juſſit: bonus paſtor pro ovibus animam ſuam poſuit, ut in ſacramento noſtro corpus ſuum & ſanguinem verteret, & oves, quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret. Et hom. 22. Quid ſit ſanguis agni, non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis: qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur; in utroque enim poſte ſanguis agni eſt poſitus, quando Sacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur, nam qui ſic redemptoris ſui ſanguinem accipit, ut imitari paſſionem illius necdum velit, in uno poſte ſanguinem poſuit. Et edent carnes nocte illa aſſas igne: in nocte quippe agnum comedimus, quia in Sacramento modo Dominicum corpus accipimus: ſed quid prodeſt corpus & ſanguinem illius ore percipere, & ei perverſis moribus contraire? carnes agni cum lactucis agreſtibus ſunt comedendæ, ut cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis noſtris in fletibus affligamus.

2. Lib. 2. Dial. cap. 37. „Exitum ſuum Dominici corporis & ſanguinis perceptione munivit. Et cap 24. Dominicum corpus cum magna reverentia ſuper pectus ejus ponite. Et lib. 3. cap. 3. Cum ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt. Et lib. 3. cap. 36. Rimis itaque patentibus mare uſque ad ſuperiores tabulas implevit navem, tunc turbati corpus & ſanguinem Redemptoris acceperunt. Et lib. 4. cap. 58. Debemus quotidianas carnis ejus & ſanguinis hoſtias immolare, hæc hoſtia mortem unigeniti reparat, qui licet jam non moritur, tamen pro nobis iterum in hoc myſterio immolatur; ejus quippe ibi corpus ſumitur, ejus caro in populi ſalutem partitur, ejus ſanguis non jam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur: quis habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora cœlos aperiri, in illo myſterio Angelorum choros adeſſe, terrena cœleſtibus jungi, unum ex viſibilibus & inviſibilibus fieri?

3. Epiſt. 64. ad Joannem. „Orationem Dominicam ideo mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent: & valde mihi inconveniens viſum eſt, ut ipſam orationem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem taceremus.

XLI.

EUSEBIUS GALLICANUS.

Prodierunt Homiliæ 56. anno 1575. ſub nomine Euſebii Emiſſeni: eas poſtea Baronius adſcripſit Eucherio Lugdunenſi; ac denique re melius expenſa Euſebio cuidam Gallicano. Oudinus eas vindicat Fauſto Rhegienſi, teſtatus Homiliam de Paſchate 5. alicubi habere nomen Iſidori: cujuſcunque demum ſint, videtur certum, eas pertinere ad tempora primitivæ Eccleſiæ, de quibus agimus. Itaque homil. 5. de Paſch. ſic habet: *Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe etiam eſt teſtis veritatis: nam inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate convertit, ita dicens: Accipite & edite; hoc eſt enim corpus meum: & ſanctificatione repetita: Recipite & bibite; hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum, pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis verbi præcipit virtus, & ſervit effectus: nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu potentiæ præſentia majeſtatis in Domini corporis tranſire poſſe naturam, cum ipſum hominem artificio cœleſtis miſericordiæ videat corpus Chriſti effectum: ſicut autem quicunque, ad fidem veniens ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti; his vero commemoratis mox exuitur omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris Altaribus imponuntur, antequam invocatione ſummi Numinis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini; poſt verba autem Chriſti Corpus & Sanguis eſt Chriſti: quid mirum autem eſt, ſi ea, quæ creare potuit, poſſit creata convertere? imo jam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id, quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe jam conditum in melius valeat commutare.*

D. Amort Tract. de Euchariſtia.

XLII.

ISIDORUS.

Sæculo ſeptimo.

1.

„*Illic pecoribus immolatis carnis & ſanguinis hoſtiæ offerebantur, hic ſacrificium carnis & ſanguinis Chriſti offertur.* De different. ſpirit. n. 28.

2.

„*Chriſtus adhæſit uxori ſuæ, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ, ut eſſent duo in carne una: vocatur Eva vita & mater vivorum, quæ de viri ſui latere ſumpta eſt; & Dominus dicit: ſi quis non manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam.* In Geneſim c. 3.

3.

„*Habet magnam vocem Chriſti ſanguis in terra; cum eo accepto, ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen: hæc eſt vox clara ſanguinis Chriſti, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum.* In Geneſ. cap. 6.

4.

„*Aſer pinguis panis ejus. Aſer Chriſtus eſt; cujus panis pinguis factus eſt, caro ſcilicet ejus, quæ eſt eſca ſanctorum.* In Geneſ. c. 31.

5.

„*Quod ait de Agni illius eſu, omnis alienigena non comedet ex eo, hoc de Chriſti Corporis Sacramento, cujus Agnus ille figuram obtinuit, proprie tenetur ſcriptum, cujus Corpus & Sanguis veſci præcipitur in Eccleſia.* In Exod. c. 15.

6.

„*Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech.* In lib. 1. Reg. c. 16.

7.

Quarta Oratio in Missa infertur pro osculo pacis, „ ut charitate omnes reconciliati invicem digni Sacra„ mento Corporis & Sanguinis Christi consocientur; „ quia non recipit dissensionem Christi indivisibile cor„ pus: quinta infertur illatio in sanctificatione oblatio„ nis: exhinc sexta succedit confirmatio Sacramenti, ut „ oblatio quæ Domino offertur, sanctificata per Spiri„ tum Sanctum corpori Christi & sanguini confirmetur. Lib. I. de offic. Eccles. c. 15.

8.

Non jam victimas judaicas credentes offerunt, sed quales Melchisedech immolavit, id est, panem & vinum, quod est Corporis & Sanguinis Domini verissimum Sacramentum; de quo Dominus dixit: Qui manducaverit carnem meam: &c. *cujus sacrificii Sacramentum in Salomone monstratur: Sapientia proposuit mensam suam:* &c. *Christus ergo constituit sibi Domum sacrosanctam Ecclesiam, in qua mactavit sui corporis hostias, in qua miscuit vinum sui Sanguinis in calice Sacramenti Divini, mittens Apostolos ad omnes gentes, dicens; venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, id est, sancti corporis escam sumite, & poculum sanguinis sacri percipite, cujus quidem gratiam quia judæi non meruerunt, tollitur illis vetus Testamentum, redditur nobis novum, conceditur nobis salutaris cibi gratia, & poculum sanguinis Christi.* De Gentium vocat. c, 26.

9.

Discipuli corpus & sanguinem Domini non acceperunt jejuni; ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui Sancto per Apostolos, ut in honore tanti Sacramenti jejunum in os Christiani Dominicum corpus intraret: panis enim, quem frangimus, corpus Christi est, qui dicit: Ego sum panis vivus: vinum autem sanguis ejus est, & hoc est, quod scriptum est, ego sum vitis vera: dicunt aliqui, nisi interveniente aliquo peccato, Eucharistiam quotidie accipiendam: quod quidem bene dicunt, si hoc cum Religione & devotione, & humilitate suscipiunt; ne fidendo de justitia superba præsumptione id faciant: cæterum si talia sunt peccata, quæ removeant ab altari, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducat indigne &c. *Cæterum si tanta non sunt peccata, non se debet a medicina Domini corporis separare, ne dum forte diu abstinens prohibetur, a Christi corpore separetur; manifestum est enim, vivere eos, qui corpus ejus attingunt. Conjugatis autem abstinendum est a coitu: relegamus libros Regum de panibus propositionis: tantum est inter inter panes propositionis & corpus Christi, quantum inter corpus & umbram, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur.* Lib. I. de offic. c. 18.

10.

„ *Presbyteri præsunt Ecclesiis Christi, & in confe„ ctione Divina corporis & sanguinis consortes cum Epi„ scopo sunt:* lib. 2 de offic. cap. 7. Et Epist. ad „ Luidfred. *Ad Presbyterum pertinet Sacramentum „ corporis & sanguinis Domini in altario conficere.*

Hæc testimonia sufficiunt, ut cuivis manifestum fit, sæculo 4. & 5. indubitatam fuisse totius Ecclesiæ fidem de præsentia Corporis Dominici in Eucharistia; cum ergo Doctores sæculi 6. 7. 8, 9. presse sequi consueverint Patrum anteriorum fidem, superfluum duco, sequentium sæculorum usque ad tempora Berengarii hac in re accumulare testimonia.

DISPUTATIO II.

De materia, forma, & aliis partibus Sacramenti Eucharistiæ.

In hac Disputatione Quæritur

1. Quænam sit materia hujus Sacramenti?
2. Quænam sit forma hujus Sacramenti?
3. Quænam sint aliæ partes hujus Sacramenti?
4. Utrum verba formæ proferantur recitative vel authoritative?
5. Utrum aqua vino admixta transeat immediate in sanguinem Christi?

QUÆSTIO I.

Quænam sit materia hujus Sacramenti?

NOTANDUM I. Duplicem ab authoribus huic Sacramento assignari materiam; *remotam* videlicet, seu *transeuntem*, ex hujus conversione substantiali Corpus & Sanguis Christi in hoc Sacramento præsens ponitur. Altera materia est *proxima* seu *permanens*, ex qua tanquam parte inexistente hoc Sacramentum constat. In hac quæstione tantum est sermo de materia *remota* seu *transeunte*.

NOTANDUM 2. *Triticum*, seu *panem triticeum*, posse sumi *stricte*, & *large*, seu late. In stricta significatione significat determinatam speciem *frumenti*, distinctam à *siligine*, *farre*, & *spelta*, & *bordeo*. In lata autem significatione significat idem ac *frumentum*, quod est genus ad varias frumentorum bumano communi usui pro pane usuali servientium species.

DIXI, *bumano communi usui* servientium pro pane usuali. Per hos terminos intelligo usum non solum pauperibus, sed etiam non pauperibus communem; qua de causa à plerisque hordeum distinguitur à frumentis, & panis hordeaceus excluditur à mensa communi agricolarum, ac civium non valde pauperum in plerisque regionibus.

DICO. Materia Sacramenti Eucharistiæ est *panis triticeus*, late dictus & *vinum de vite*.

PROBATUR I. ex *Concilio Florentino*, ubi in *Decreto Unionis* hæc conclusio est in terminis definita his verbis. *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.*

PROBATUR 2. Authoritate *Missalis Romani*, jussu Concilii Tridentini restituti, & à S. PIO V. ac CLEMENTE VIII. recogniti. Ibi *de defectibus* in Missa occurrentibus Tit. 3. num. 1. sic

1. sic habetur: *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioquin corruptus, non conficitur Sacramentum.*

COLLIGITUR I. Non esse materiam idoneam consecrationis panem confectum ex *radicibus* aut *fructibus* arborum; vel ex *leguminibus*; v. g. ex amygdalis, castaneis, nucibus, glandibus, fabis, pisis, cicera, lentibus. 2. nec esse materiam idoneam consecrationis panem confectum ex *hordeo, oriza, avena, milio, frumento turcico.* Hæc enim omnia non veniunt nomine panis tritici. 3. nec esse materiam idoneam panem subactum *aquis artificialibus* vel aliis rebus liquidis v. g. oleo, butyro, lacte, vel ovis, saccaro &c. Ratio est, quia hæc omnia non veniunt simpliciter nomine panis tritici. 4. nec esse materiam idoneam *massam adhuc crudam*, vel *elixam*, aut *frixam*. Quamvis enim in consideratione physica non differant essentialiter a pane triticeo, differunt tamen specie in consideratione morali; neque enim, si herus petat panem, famulus apportabit placentam, aut libum. 5. nec esse materiam idoneam panem *permixtum* materiæ heterogeneæ in magna quantitate, v. g. hostiam *rubram* cinnobero permixtam. Ratio est; quia ex ea permixtione illud mixtum perdit in æstimatione morali nomen panis tritici. 6 nec panem ex *Amylo* seu *Amydo* (ſtörb), quia Amydum non est farina, sed succus albus ex granis tritici aqua maceratis expressus.

COLLIGITUR 2. Non esse materiam idoneam consecrationis 1. liquorem *ex pomis, piris, malogranatis* &c. expressum. 2. neque *vinum myrrhinum*, vel aliud artificiale. 3. nec *vinum adustum*. 4. nec *agrestam*, seu succum ex uvis immaturis expressum. 5. nec succum intra uvas contentum. 6. nec vinum in pane imbibitum. 7. nec *loram*, seu vinum acinarium, quod ex acinis jam expressis superfusa denuo aqua fecunda vel terna vice exprimitur. 8. nec *sapam* seu *defrutum*, quod consistit in musto ad dimidiam, tertiam, vel quartam partem decocto. 9, nec vinum aromatibus in magna quantitate conditum. 10. nec acetum ex vino. Ratio horum omnium est, quia non veniunt simpliciter nomine vini in æstimatione morali.

COLLIGITUR 3. Idoneam materiam consecrationis esse 1. panem ex *farre*, seu *varre*, Kern; imo etiam ex *spelta*, seu tritico fulvico, Spelten, Dünckel, Dünckelkorn, quod genus frumenti in Suevia adhibetur passim loco tritici. 2. panem ex *siligine*, seu *secali*, Rocken quod genus ALBERTUS M. *Layman, Gobat, Haunoldus, Illsung*, & plures alii sufficere existimant, quamvis satendum, hos terminos non habere constantem notionem, sed ab ejusmodi authoribus non nunquam confundi cum spelta. 3. panem tam fermentatum, quam azymum; quia uterque simpliciter venit sub nomine panis, etiam usualis.

COLLITUR 4. Idoneam materiam consecrationis esse 1. quodlibet vinum cujuslibet regionis, sive sit album, sive nigrum. 2. mustum vini, quia simpliciter venit nomine vini, licet accidentaliter imperfecti. Ita colligitur ex C. *cum omne crimen, dist.* 2. *de Consecr.*; ex habetur expres-

se in Missali Romano *de defectibus.* n. 4. 3. vinum fugiens, seu aliquantulum acescens. Ratio est, quia, sicut homo incipiens mori est adhuc homo, its etiam vinum, acescens parumper, est adhuc vinum.

COLLIGITUR 5. Quænam sint materiæ dubiæ. Sic materia dubia erit 1. panis in notabili quantitate cum materia heterogenea mixtus. 2. panis aqua rosaces vel marina subactus. 3 vinum congelatum. Quamvis enim pro materia sufficiente habeant INNOCENTIUS, *Angelus, Sylvester, Sotus, Suarez, Vasquez, Layman, di Castillo, Petavius, Mastrius*, & alii, *Ledesma* tamen id non improbabiliter negat; cum glacies non veniat nomine vini in consideratione morali. 4. vinum ex uvis passis, solis calore tostis, & affusa aqua calida denuo repletis. Quamvis ea tanquam materia valida utantur Sacerdotes *Abissiniæ*, eo quod vinum ad eas regiones deportatum ob nimium calorem loci nimis cito acescat. Uvæ tamen tantum in aere frigido vel umbroco appensæ, sicque sensim siccatæ, & in alias regiones deportatæ habentur pro sufficienti materia, si in aquam immissæ fontanam iterum intumescant, ac exprimantur. Sic enim substantia vini censetur esse conservata. 5. panis hordeaceus.

Solvuntur Objectiones.

OBICITUR 1. Nec ex institutione Christi, nec ex traditione sufficienter probatur, quod determinate panis triticeus sit necessaria materia Consecrationis, *ant. prob.* ex eo, quod Christus adhibuerit panem triticeum, non sequitur, eum esse materiam necessariam. Ergo *ant. prob.* ex eo, quod Christus adhibuerit vinum rubrum, magis idoneum ad repræsentandum sanguinem, vel album, non sequitur, necessarium esse vinum rubrum, vel album. Ergo etiam ex eo, quod Christus adhibuerit panem triticeum, non sequitur, eum esse materiam necessariam. 2. Non est certum; Christum usum esse pane triticeo. Ergo. *ant. prob.* Non est certum; Christum celebrasse Pascha Judaicum, in quo adhibebatur panis Azymus, pro cujus materia magis fervit triticum. Ergo nec est certum, eum esse usum pane triticeo. 3. Ipsemet Christus & Apostoli usus est pane usuali hordeaceo, & quidem ut præfigurativo panis Eucharistici. Ergo. *ant. prob.* Joannis 6. ubi Christus occasione multiplicationis duorum panum hordeaceorum longum sermonem de Eucharistia habuit, Christus ad PHILIPPUM dicit, *unde ememus panes, ut manducent hi?* dicit ei ANDREAS: *Est puer, qui habet quinque panes hordeaceos. Accepit ergo Jesus panes, & distribuit. Collegerunt ergo duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis. .... Jesus dixit: Quæritis me, quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Ex his patet, etiam panem hordeaceum, esse panem usualem. 4. Quando Apostoli consecrarunt in conviviis nocturnis, sicut PAULUS 1. Cor. 11. vel Christus post Resurrectionem in diversorio coram duobus discipulis euntibus in Emaus, Lucæ 24. non est verosimile, quod ubique in itinere vel in carceribus repererint panem triticeum. 5. In primitiva Eu-

Euchariftia pro confecratione adhibebatur panis communia etiam pauperum. Sed non eft verofimile, eum femper fuiffe triticeum. *ant. prob.* ex D. Cypriano; qui increpat fœminam divitem, quod communicatura nullum panem offerat, fed communicet ex pane à pauperibus oblato. *Locuples es*, inquit l. *de opere & Eleemofinis*, *dives es*, *& Dominicum celebrare te credis*, *quæ in Dominicum fine facrificio venis; quæ partem ex facrificio*, *quod pauper obtulit*, *fumis*. 6. Ne quidem unicus textus ex primis fæculis adduci poteft, ex quo probetur neceffitas panis triticei. Ergo gratis hæc neceffitas adftruitur. 7. Poteft dici, quod Concilium Florentinum tantum fuerit locutum de *materia fufficiente*, non de *materia neceffaria* hujus Sacramenti. Ergo etiam ex Concilio Florentino nihil probatur.

RESPONDEO.

AD 1. tr. a. n. c. quia fuppono ex dictis de *Sacramentis* in genere *difp.* 2. quod Ecclefia habeat à Chrifto poteftatem, determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad fpeciem infimam. Hinc dico; panem triticeum pro materia neceffaria fuiffe determinatum ab Ecclefia.

AD 2. 3. 4. & 5. eodem modo refpondeo *tr. ant.* n. c. fuppono enim, Ecclefiam habere poteftatem determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad fpeciem infimam. Potuit ergo Ecclefia *determinare* panem triticeum pro materia neceffaria Sacramenti Euchariftiæ, *faltem indirecte*, in quantum non habet intentionem confecrandi in alia materia, prout ex INNOCENTIO V. obfervavi *de Sacramentis in genere* Difp. 2. q. 2. in object. 1. & refponf.

AD 6. Refponderi poffet n. a. Conftat enim ex Actis Concilii Chalcedonenfis *actione* 3. quod jam eo tempore, videlicet medio fæculo quinto, fuerit fenfus totius Ecclefiæ, panem triticeum effe materiam neceffariam Sacramenti. Ibi enim ISCHIRION Diaconus in Libello adverfus *Diofcorum* conqueritur; *ejus avaritia factum effe*, *ut incruentum Miffæ facrificium in Lybia non offerretur*, *defectu fcilicet tritici*, *quod cum rarum effet*, *ab illo Diofcoro maximo pretio divendebatur*. Verum hæc refponfio non eft folida. In Concilio enim Chalcedonenfi non fit mentio *tritici*, fed *frumenti*, quod etiam pauperibus in eleemofynam dabatur. Textus fic babet: *Tanta perpetrare aufus eft*, *ut etiam frumentum*, *σῖτον*, *quod ab Imperatoribus affignatum eft Ecclefiis Lybiæ propter ariditatem illius provinciæ*, *quia frumentum*, *σῖτον*, *ibi non nafcitur*, *inprimis ut ex ipfo incruenta hoftia offeratur*, *dein ut peregrini & pauperes exinde habeant folatium*, *non permitteret fufcipere &c.* Itaque refpondeo tr. a. n. c. dico enim, hanc materiam fuiffe determinatam ab Ecclefia.

AD 7. n. a. quia Concilium Florentinum agit, de illa materia, de qua prius, ubi egerat de Sacramentis in genere, dixerat: *quorum fi aliquid defit*, *non perficitur Sacramentum*. 2. Quia hoc Concilium in eodem loco, dum enumerat materias aliorum Sacramentorum, non loquitur de materia fufficiente, feu accidentali, fed de neceffaria ac effentiali. 3. Quia Concilium in ipfo contextu, dum pro materia confecrationis quoad alteram fpeciem affignat *vinum de vite*, haud dubie loquitur de materia neceffaria.

OBICITUR 2. contra CORRELL. 3. D. Thomas p. 3. q. 74. a. 3. ad 2. expreffe negat, ex Spelta poffe fumi materiam Euchariftiæ; fic enim fcribit: *Si qua frumenta funt*, *quæ ex femine tritici generari poffunt*, *ficut ex grano tritici feminato in malis terris nafcitur filigo*, *ex tali frumento panis confectus poteft effe materia hujus Sacramenti. Quod tamen non videtur habere locum neque in ordeo*, *neque in fpelta*, *neque etiam in farre*, *quod inter omnia eft grano tritici fimilius. Similitudo autem figuræ in talibus magis videtur fignificare propinquitatem quam identitatem fpeciei; ficut ex fimilitudine figuræ manifeftatur*, *quod canis & lupus funt propinquæ fpeciei non autem ejusdem. Unde ex talibus frumentis*, *quæ nullo modo poffunt ex femine tritici generari*, *non poteft confici panis*, *qui fit debita materia hujus Sacramenti.* 2. Etiam filigo, Rocken, non nafcitur ex femine feu grano tritici. Ergo juxta principium D. Thomæ etiam filigo debet rejici pro materia Euchariftiæ. 3. Authores fere omnes rejiciunt filiginem. Ergo debet rejici. 4. Si fufficit filigo, etiam fufficit bordeum, quia etiam hoc fervit pro pane ufuali; fed hoc non poteft dici. Ergo nec prius.

RESPONDEO.

AD 1. d. a. afferit hoc D. Thomas tanquam aliquid verofimile, c. tanquam aliquid firmum ac certum. n. D. Thomas folum dicit: *videtur*. Et ideo ex hoc modo loquendi apparet, eum paratum effe, ad recipiendas probationes in oppofitum, quod nempe genus tritici per multas generationes tandem in alio climate & folo degenerare poffit in farrem, & fpeltam. Sicut enim Æthiops & Europæus non differunt fpecie, licet non ftatim per unam & alteram generationem forma Æthiopis migret in formam Europæam, aut viciffim, licet omnes ab uno Noemo defcendant; ita contingere potuit, ex uno genere tritici diverfas fpecies natas effe. Idem confiderare licet in diverfis fpeciebus canum, plantarum, florum, arborum, fructuum, &c. quæ fi femel ex uno ftemmate in diverfas fpecies divifæ funt, non ftatim per unam ac alteram generationem ab una fpecie in alteram tranfeunt. ILSUNG obfervat, hanc tranfmutationem ab una fpecie in aliam facilius poffe fieri in principiis D. Thomæ, in quibus accidentia producunt fubftantiam.

AD 2. d. etiam filigo non nafcitur ex tritico ftatim per unam ac alteram generationem. c. per plures fucceffive generationes & mutato climate ac folo. n.

RESPONDEO 2. Nos pro materia Euchariftiæ tantum affignaffe triticeum panem late fumptum.

AD 3. n. a. contrarium probat GOBAT in fuo *Alphabeto* Sacrificantium *Cafu* 2. num. 29. ubi fic fcribit: *Dico*, *me pro Germanis fentire cum duobus Doctoribus Alemannis*, *Tannero & Laymanno*, *qui fcribunt*, *nomine tritici intelligi cum ftricte dictum triticum*, *tum omne illud frumentum*, *quod proprie ftricteque dicto tritico eft vel ob naturæ fimilitudinem vel ob ufum communem maxime cognatum; ac proinde valide confecrari hoftias tum è fpelta*, *germanice* Vefen-Korn, Dinckel-Korn, *tum è filigine feu fecali*, *germanice*, Korn,

Korn, *seu* Rocken, *imo & licite utrumque, ſiligineum quidem, quando non poteſt facile haberi aliud, ut notot Laymannus, Tannero merito requirente caſum urgentis neceſſitatis; è ſpelto autem etiam extra caſum neceſſitatis, ut teſtatur mos Suevorum, ac noſtrorum Conſtantienſium approbatus à Tannero. n. 101. Veram judico regulam noſtri P. Dicaſtillo, qui & ipſe in Germania ſcripſit Tr. 4. d. 2. n. 19. his verbis: Cum difficile ſit, in his ſpeciebus, frumenti diſcernere, tum propter vocum incertam ſignificationem, tum propter ipſas frumenti ſpecies, ideo ex communi æſtimatione, & peritorum judicio cenſenda erit apta, vel inepta materia pro hoc Sacramento. Igitur non debet Germanus Sacerdos ducere ſibi religioni, ſi in caſu neceſſitatis urgentis curet pinſi hoſtias ex ſiligine, & multo minus ſi ex ſpelta.* Hujusque P. Gobat. cui addi poteſt GABRIEL BIEL, & plures alii antiquiores proxime referendi.

AD 5. n. maj. Quia Eccleſia *videtur* hordeum poſitive excluſiſſe à materia idonea Euchariſtiæ. Cum ergo determinatio materiæ quoad ſpeciem infimam dependeat ab Eccleſia, *videtur*, hordeum non ſufficere. Sunt tamen, qui aliter ſentiunt. GABRIEL BIEL in 4. diſt. 11. q. 2. ſic ſcribit: *De materia conſecrationis Euchariſtiæ ſunt diverſæ opiniones Doctorum. Sunt enim, qui tenent, quod panis triticeus neceſſario requiratur ad conſecrationem Euchariſtiæ, ita quod ſi in alio pane attentaretur, puta ſpelticeo, ordeaceo, aut ſiligineo, irrita eſſet conſecratio. De hac opinione eſt S. Thomas. Conſonat Gerſon, Scotus, Durandus, Alexander de Ales, Richardus. Alii aliter ſentiunt. Nam Albertus tenet, quod in ſpelta poteſt fieri conſecratio, & Petrus de Palude, ſecundum quem ſpelta, triticum, & far ſunt ejusdem ſpeciei. S. Bonaventura tenet, quod materia apta eſt frumentum.* CONCLUSIO 1. *Panem eſſe materiam conſecrationis tenet fides religionis.* CONCLUSIO 2. *Non ſufficienter probatur, quod in ſolo pane triticeo fiat Sacramenti Euchariſtiæ conſecratio. Patet; quia ad hoc neque eſt authoritas ſacræ ſcripturæ, neque determinatio Eccleſiæ, neque revelatio, nec experientia, nec ratio.* CONCLUSIO 3. *non excuſatur à peccato, qui in pane non triticeo conſecrat, niſi uſus Eccleſiæ, in qua ſacramentum conficit, oppoſitum teneat, quia quilibet celebrans aut ſacra miniſtrans tenetur ſe conformare conſuetudini Eccleſiæ, in qua officium ſuum agit.* Ita Biel, qui obiit 149?. adeoque ſexaginta annis poſt Concilium Florentinum, ubi declaratum fuit; panem triticeum eſſe materiam Euchariſtiæ; ut proin vel hoc Concilium cum Baſileenſibus non agnoverit pro œcumenico, vel ſi agnovit pro œcumenico, quale re vera erat, non cenſuit, ibi eſſe ſermonem de materia neceſſaria ſufficiente, vel credidit, tantum ſermonem eſſe de pane triticeo late dicto. Idem Author hanc ſuam ſententiam fuſe & erudite *Lect.* 35. *in Canonem Miſſæ* deducit. Non alienum ſe præbet GOBAT. l. cc. num. 32. & 34. ac 35. ſic ſcribit: *Licet farinam ex avena & hordeo molitam cenſuerint valide conſecrari Gabriel, ac nonnulli alii antiquiores, quia tamen id jam nequit aſſeri ſine periculoſa temeritate, ut loquitur Dicaſtillo, eam ob rem ſi contingeret tempore magnæ famis non reperiri, ſicut haud dubie non ſemel factum, in aliquo pago ejusque diſtrictu aliam farinam, quam ex hordeo, deberet Parochus die Dominico potius ſacrum omittere, quam hoſtiam è tali farina conficere. Quid ſi in eodem pago decumbant complures ex periculoſo morbo, ut experti fuere ſuperioribus bellis vicini Suevi, an patietur Parochus omnes illos mori potius ſine ſacro viatico, quam in praxi adſtipulari Gabrieli Doctori Suevo, curando videlicet pinſi hoſtias ex farina hordeacea? Probabiliter meo judicio exiſtimant Henriquez ac Tannerus, poſſe in ejusmodi neceſſitate uſurpari taliter dubiam.* Ita Gobat

OBICITUR 3. D. Bonaventura in 4. diſt. 11. a. 1. q. 1. C. & p. 4. C. docet; materiam ſufficientem Euchariſtiæ eſſe quodvis frumentum; ſed etiam hordeum eſt frumentum. Ergo maj. patet ex verbis S. Doctoris in poſteriore loco, ubi ſic ſcribit: *Dicendum, quod materia congrua huic Sacramento de natura ſua eſt panis de frumento & vinum de vite. Ideo in alio pane quam de frumento non poteſt confici. In omni autem pane de frumento, ſicut in omni vino de vite, ſive ibi ſit differentia accidentalis, ſive ſpecifica, ut quidam dicunt, poteſt confici ſalva ſpecie illius panis, & illius vini.* Min. prob. 1. ex PLINIO, qui etiam hordeum inter frumenta numerat. Sic enim ſcribit: *Sunt duo frugum genera: Frumenta, ut triticum, hordeum; & legumina, ut faba, cicer. Frumenti ipſius totidem genera per tempora ſatu diviſa ſunt. Hiberno, ut triticum, far, hordeum; æſtiva, ut milium, ſeſama; ſementica autem, triticum, hordeum. Frumenta multis radicantur fibris ſine ramis. Erumpit à primo ſatu hordeum die ſeptimo. Frumenta quædam in genu tertio ſpicam incipiunt concipere, quædam in quarto, ſed etiamnum occultam. Genicula autem ſunt tritico quaterna; farri ſena, hordeo octono.* 2. S. ISIDORUS Etymolog. l. 17. C. 3. dicit: *Frumenta ſunt proprie quæ ariſtas habent. Hordeum dictum, quod præ cæteris generibus frumenti aridum fiat, vel quod ſpica ejus ordines habeat.*

RESPONDEO tr. maj. d. min. hordeum eſt frumentum late dictum. c. ſtricte dictum. n. ad textus Plinii, quod ipſemet in eodem capite hordeum non obſcure à frumento ſtricte dicto diſtinguat. Dicit enim: *Frumentum & hordeum unum folium habet. In Ægypto hordeum ſexto à ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur.* Similiter C. 8. ubi iterum de frumentis agit, nullam amplius facit mentionem hordei; quamvis C. 30. iterum inter frumenta hordeum numeret.

OBICITUR 4. Terminus *tritici* non raro ſumitur *late* pro quovis frumento, prout etiam *hordeum* includit. Ergo ex eo, quod in Concilio Florentino & in Miſſali Romano requiratur panis triticeus, non ſequitur, excludi hordeum. *ant. prob.* 1. Concilium Florentinum ita ſumit hunc terminum. Ergo *ant. prob.* Hoc Concilium in Græco exemplari, quod Græcis tradidit, ubi in latino habetur: *In pane triticeo corpus Chriſti confici*, ſic habet: *In pane frumentaceo corpus Chriſti confici. ἄρτῳ σιτίνῳ.* atqui frumentaceus panis etiam comprehendit hordeaceum. Ergo

NEC POTEST DICI, quod Concilium Florentinum ſub termino Græco: *ἄρτῳ σιτίνῳ* intellexerit panem triticeum ſtricte dictum; quia certum eſt; apud Græcos eum terminum eſſe genericum, prout ſignificat omne genus frumentaceorum, prout patet ex Lexico Græco magno *Roberti Conſtantini*, qui ex Homero, Platone, Xenophonte, Thucydide, Demoſthene, & D. Chryſoſtomo adducit varios textus, in quibus nomen *tritici*, vel *triticei panis* ſumitur large, prout includit omne genus panis uſualis, vel frumenti.

menti. Si enim Concilium hunc terminum pro Græcis sumpsisset *specifice* pro tritico strictè dicto, nec Græcos de ea restricta significatione admonuisset, enormiter decepisset Græcos, simulando cum iis *fictam unionem* per terminos diversæ significationis in latino & Græco exemplari unionis. Idque eo magis fuisset inexcusabile; cum etiam in Græco idiomate habeatur terminus proprius correspondens termino latino *panis triticei*, strictè ac specifice sumpti, nempe ἄρτος πύρινος, prout *Robertus Constantinus* ex Aristotele, Dioscoride, & Theophrasto ostendit. 2. etiam S. Isidorus l. 17. Etimol. C. 3. terminum tritici generice sumit, prout varias species frumenti includit: *Siligo*, inquit, *genus tritici à* selecto *dictum; nam in pane species ejus præcipua est. Trimense triticum ideo dictum, quia satum post tres menses colligitur. Nam ubi propter aquam, aliamve causam matura satio omissa est, præsidium ab hoc petitur.* Quibus verbis S. Isidorus manifeste ostendit, à se intelligi aliam speciem tritici, nempe *hordeum*. De hoc enim semetipsum statim explicat his verbis: *Hordei sunt tria genera. Tertium hordei genus est Trimense, quia dum cogit necessitas, verno seminatur, & celeriter colligitur*. 3. In Scriptura novi Testamenti nomen tritici duodecies recurrit, nempe Matth. 3. v. 12. & 13. v. 25. 29. 30. & Lucæ 3. v. 17. & 12. v. 42. & 16. v. 7. & 22. v. 31. & Act. 27. v. 38. & 1. Cor. 15. v. 37. & Apoc. 6. v. 6. & 18. v. 13. & tamen in omnibus his locis, ubi in versione latina habetur terminus tritici, in Græco originali textu habetur, σῖτος, *frumentum*, seu terminus genericus ad omnes species frumenti. 4. Quandocunque in Scriptura terminus tritici sumitur strictè cum oppositione ad hordeum, semper in Græco textu correspondet termino tritici terminus græcus proprius tritico specifice accepto, nempe πυρὸς, & non σῖτος. Ergo ubi in Scriptura termino latino tritici in Græco non respondet nomen tritici proprium, πυρὸς, signum est, quod is terminus large sumatur pro omni genere frumentorum. *ant. prob.* ex inductione illorum textuum. Sic Ruth. 2. v. 23. ubi in latino dicitur: *donec hordea & triticum in horreis conderentur*, in Græco textu habetur τῶν κριθῶν καὶ τῶν πυρῶν. Et 2. Reg. 4. v. 6. ubi in latino habetur: *Ostiaria purgans triticum obdormivit. Ingressi autem assumentes spicas tritici*, in Græco dicitur: ἐκάθαιρε πυρὰς. Et 2. Paralip. 2. v. 10. ubi in latino habetur: *Operariis qui cæsuri sunt ligna, dabo in cibaria tritici coros viginti millia & hordei coros totidem*; in Græco dicitur, κόρων πυρῶ καὶ κριθῶν.

Respondeo. c. a. d. c. Ergo hoc non sequitur convincenter. c. saltem probabilius. n. Quamvis enim ille terminus non raro sumatur generice ac large, præsumptio tamen in termino ambiguo stat pro significato suo famosiori ac nobiliori. Ergo præsumendum, quod terminus *tritici*, *frumenti*, σίτου, sumatur pro eo quod in genere frumentorum, ac triticorum est excellentius, nempe pro tritico strictè ac specifice accepto, præsertim ubi subjecta materia ostendit, quod congruentia petat, sermonem esse de significato nobiliori, prout in materia Eucharistiæ convenit. Hinc patet Responsio ad 1. 2. 3. & 4. Hæc enim omnia argumenta solum ostendunt, quod nomen *tritici* sæpe sumatur in sensu generico, quamvis ordinarie, ac communius sumatur pro tritico strictè sumpto. Hinc observo; quod etiam in Scriptura terminus Græcus, σῖτος, opponatur saltem hordeo; nam ubi 2. Paralip. 2. v. 13. in latino dicitur: *triticum & hordeum mittat servis suis*. in Græco dicitur: τὸν σῖτον καὶ τὴν κριθὴν. Ex quo patet; falsum esse, quod num 4. in objectione adducitur; in Scriptura, quando nomen tritici hordeo opponitur in latino, in græco *semper* adhiberi terminum πυρὸς, & non terminum σίτου.

Objicitur 5. Jus Canonicum, ubi ex instituto in pluribus locis agit de materia Eucharistiæ, non facit ullam mentionem panis triticei. Ergo non requiritur ad valorem consecrationis. *ant.* patet ex C. f. De *Summa Trinitate*; ex C. *cum Marthæ*. de celebratione Missæ. & ex Decretis *de Consecrat.* dist. 2. *C. prob.* Est incredibile, in tot occasionibus nunquam fieri mentionem materiæ essentialis. 2. S. Augustinus l. 3. de Trinit. C. 4. indefinite dicit: *illud tantum dicimus corpus & sanguinem Christi, quod ex frugibus terræ acceptum & consecratum sumimus.* Atqui etiam hordeum est ex frugibus terræ. 3. Ecclesia multa exigit ad consecrationem Eucharistiæ, quæ tamen non exiguntur ad valorem consecrationis, sed tantum ad licentiam. Ergo idem potest dici de sensu Ecclesiæ, dum requirit panem triticeum. *ant. prob.* Sic enim Ecclesia requirit, ut Sacerdos celebrans sit jejunus; ut vestibus sacris ac benedictis utatur, ut non celebret nisi in loco consecrato, non interdicto; ut celebret in altari lapideo chrismate consecrato; ut non celebret certo tempore, & non in calice ligneo &c.

Respondeo n. a. Nam in C. f. *de Trinitate*, & in C. cum *Marthæ*, non agitur ex instituto de materia Eucharistiæ. In Decreto autem Gratiani de Consecr. dist. 2. C. 5. ex Concilio Carthaginensi III. cui interfuit S. Augustinus, can. 24. sufficienter indicatur materia his verbis: *In Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offertur, quam ipse Dominus tradit, hoc est, panis & vinum aquæ mixtum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quam de uvis & frumentis.* Cum ergo hordeum à frumento ac tritico simpliciter dicto probabilius distinguatur, prout ostensum est, non erit materia sufficiens Eucharistiæ. Econtra, cum siligo, spelta, & far, proprie ex confessione fere omnium, de natura horum generum proprius instructorum pertineat ad genus frumentorum, non est dubitandum, has species frumenti esse materiam sufficientem Eucharistiæ.

Ad 2. Dico S. Augustinum loqui de *aliquibus* frugibus in sensu disjunctivo, non de *omnibus* in sensu distributivo, alioquin etiam avenæ, & fabæ &c. essent materia consecrationis.

Ad 3. c. a. n. c. & par. Disparitas est, quia Missale Romanum dicit; sine *pane triticeo* nihil effici, & Concilium Florentinum pro materia Sacramenti assignat panem triticeum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quæ sit forma Sacramenti Eucharistiæ?

NOTANDUM 1. Per formam Sacramenti Eucharistiæ intelligi illa verba, quibus alligatur valor Consecrationis, ita ut illis positis immediate transubstantietur panis & vinum in Corpus & Sanguinem Christi.

NOTANDUM 2. In Latina Ecclesia adhiberi ad consecrationem sequentia verba: „ Hanc ... oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum ad te Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes. *Hoc est enim corpus meum.* Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas; item tibi gratias agens benedixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: *Hic est enim Calix Sanguinis mei*, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. " De his ergo verbis quæritur, quænam ex illis pertineant ad valorem consecrationis?

NOTANDUM 3. In Græca Ecclesia adhiberi ad consecrationem longe alium ordinem verborum. In *Collectione Liturgiarum Orientalium*, quæ prodiit Parisiis 1715. tom. 1. *Liturgia* S. BASILII in Canone post Præfationem nostræ Latinæ non multum absimilem, & aliam orationem rememorativam operum redemptionis nostræ sic pergitur alternatim à Sacerdote & populo.

Sacerdos. Instituit nobis mysterium hoc magnum pietatis & religionis, cum statuisset, se tradere morti pro mundi vita.

Populus. Credimus, in veritate ita esse.

S. Accepit panem in manus suas sanctas, puras, & immaculatas, beatas, & vivificantes, & aspexit in cœlum ad te, o Deus, Patrem suum & omnium Dominum.

P. Amen.

S. Et gratias egit.

P. Amen.

S. Et benedixit eum.

P. Amen.

S. Et sanctificavit eum.

P. Amen.

S. Et fregit eum (Sacerdos frangit oblationem in tres partes) deditque sanctis discipulis & Apostolis suis, dicens: Accipite, manducate ex hoc omnes; Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis frangitur, & pro multis datur in remissionem peccatorum; hoc facite in mei memoriam.

P. Amen.

S. Similiter & Calicem post cœnam aqua & vino miscuit. Gratias egit.

P. Amen.

S. Benedixit eum.

P. Amen.

S. Sacrificavit eum.

P. Amen.

S. Gustavit, & dedit discipulis suis & Apostolis sanctis dicens; Accipite, bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus novi testamanti, qui effunditur pro vobis, & pro multis in remissionem; hoc facite in mei memoriam.

P. Amen; hoc ita est.

S. Quotiescunque manducabitis ex hoc pane, & bibetis ex hoc calice, mortem meam annuntiabitis, & resurrectionem meam confitebimini, meique memores eritis, donec veniam.

P. Mortem tuam annuntiamus Domine & Resurrectionem tuam confitemur.

S. Memoriam agimus passionis ejus sanctæ, resurrectionis ejus amortuis, ascensionis in cœlum & sessionis ipsius ad dexteram tuam, o Pater; secundi etiam ipsius è cœlo adventus terribilis, & gloria plenissimi, offerimusque tibi hæc dona ex bonis tuis, pro omnibus, ex omnibus, & in omnibus.

Diaconus. Adorate Deum cum timore & tremore.

Sacerdos dicit invocationem. Rogamus te Christe, Deus noster, nos peccatores, indigni servi tui, & adoramus te per beneplacitum bonitatis tuæ, ut adveniat Spiritus sanctus tuus super nos, & super hæc dona proposita, & sanctificet ea, & efficiat ea sancta Sanctorum tuorum. (Sacerdos habet interea manus expansas, interpellans pro illapsu).

Amen.

S. Et panem quidem hunc faciat corpus sanctum (hic Sacerdos caput inclinat, & manu corpus innuit) ipsius Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, & vitam æternam ei, qui illud percipiet.

P. Amen.

S. Et hunc calicem sanguinem pretiosum novi testamenti tui (hic Sacerdos corpus & sanguinem pretiosum designat) ipsius Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, & vitam æternam illis, qui illum percipient.

P. Amen.

Hucusque Liturgia D. Basilii, ubi observo essentialem corruptionem, quam tentare susus est editor præfatæ Liturgiæ in editione Parisiensi de anno 1715. Non enim erubuit; illa verba; *Panem hunc faciat corpus D. N. J. Christi in remissionem peccatorum & vitam æternam ei, qui illud percipiet*, sic reddere: *Panem hunc faciat corpus D. N. J. Christi, quod datur in remissionem peccatorum & vitam æternam ei, qui illud percipiet.* Eodem modo illa verba: *Hunc calicem* (faciat) *sanguinem D. N. J. Christi in remissionem peccatorum & vitam æternam*; vertit sic: *Hunc calicem* (faciat) *sanguinem D. N. J. Christi, qui datur in remissionem peccatorum & vitam æternam illis, qui illum percipient.* Hanc esse mendacem

dacem & fraudulentam versionem, patet ex textu Græco, quem edidit *P. Garnier* Cong. S. Mauri Tom. 2. Operum D. Basilii, fol. 679. qui ita habet: *καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον γίνεσθαι εἰς τὸ ἅγιον σῶμα αὐτοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.*

NOTANDUM 4. Aliud esse; quod aliqua verba requirantur *ad valorem* Sacramenti, & aliud, quod requirantur *ad essentiam* Sacramenti. Sic enim Intentio Ministri requiritur quidem ad valorem Sacramentorum, etiamsi non requiratur ad essentiam Sacramentorum. Illud enim solum dicitur requiri ad essentiam Sacramenti, quod est pars Sacramenti. Pari ergo ratione posset esse quæstio, an aliqua verba Consecrationis requirantur quidem ad valorem consecrationis, eo quod illis Ecclesia alliget suam intentionem consecrandi, quin pertineant ad essentiam consecrationis, eo quod non sint pars formæ, determinatæ à Christo.

NOTANDUM 5. Varias esse hac in re Doctorum sententias. 1. SCOTUS cum nonnullis vult; etiam verba præcedentia requiri ad valorem Sacramenti, in quantum determinant actionem Ministri ad rationem significativam, quod agat in persona Christi. 2. ALENSIS, SUAREZ, & VASQUEZ cum communi aliorum docent, quod essentia primæ consecrationis consistat in solis illis verbis: *Hoc est corpus meum:* & secundæ consecrationis in illis: *Hic est calix sanguinis mei*; vel in æquivalentibus: *Hic est sanguis meus.* 3. Græci, & noviter P. LE BRUN, docent; essentiam formæ consistere in omnibus verbis, quibus refertur institutio Christi, cum invocatione Spiritus Sancti, ut panem efficiat corpus Christi; quamvis etiam ipsi in hac continua actione Ministri transsubstantiandi vim præcipue videantur adscribere verbis Christi contentis in tota continua actione Ministri. 4. Thomistæ in hac re inter se dissentiunt, nam teste GONETO *Cajetanus*, *Sotus*, *Nunnus*, *Joannes a S. Thoma*, *Serra*, & plures alii ex Recentioribus Thomistis fatentur quidem; sola priora verba: *Hic est sanguis meus*, vel, *hic est calix sanguinis mei*, pertinere *ad essentiam consecrationis* calicis; negant tamen alia subsequentia verba se habere tantum accidentaliter, sed etiam ipsa esse *de substantia & integritate Sacramenti.* Econtra GONETUS cum *Capreolo*, *Paludano*, *S. Antonino*, *Sylvestro* & aliis defendit; omnia verba, quæ in consecratione calicis proferuntur, esse de essentia formæ.

DICO 1. Forma Sacramenti Eucharistiæ in prima consecratione consistit in illis verbis. *Hoc est corpus meum.*

PROBATUR 1. In illis verbis consistit forma consecrationis, quibus solis positis verum est dicere; *Idem quoad substantiam fieri*, quod Christus fecit in ultima cœna nempe poni corpus & sanguinem Christi. Sed his solis positis verum est dicere; *Idem quoad substantiam fieri*, quod Christus fecit in ultima cœna. Ergo. Maj. patet; quia Christus ad validam consecrationem plus ab Apostolis non requisivit, quam ut idem facerent, quod ipse fecit. Sic enim dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; id est, idem facite, quod ego feci *in signis & verbis*, & in ipsis rebus significatis per *verba & signa.* Min. prob. Sola ista verba: *Hoc est corpus meum*, significant præsentiam corporis Christi, quam Christus effecit in ultima cœna.

PROBATUR 2. SS. Patres ex eo, quod verba Christi non possint fallere, dum dixit; *hoc est corpus meum*, vel *hic est calix sanguinis mei*, inferunt, in altari poni præsentiam corporis Christi. Ergo eoipso supponunt, ea verba esse operativa præsentiæ Christi in Eucharistia, adeoque esse constitutiva formæ sacramentalis. c. patet; quia illa verba vocantur Eucharistiæ forma, quæ significant & causant præsentiam Christi in Eucharistia. *Ant. prob.* ab inductione.

1. TERTULLIANUS l. 4. cont. Marcin. n. 662. *Christus acceptum panem corpus suum fecit dicendo: Hoc est corpus meum.* Et lib. 5. c. 8.

Acceptum panem pariter, vitisque liquorem
Corpus, ait, sanguisque meus, qui funditur, hic est;
Pro vobis; fieri semper quod postea jussit.

2. THEODORETUS. *Per corpus Pontifex fuit & dictus est per id, quod nobis tradidit mysterium dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & sanguis novi testamenti, qui pro vobis effunditur.*

3. CYRILLUS JEROSOLIMITANUS Catech 4. *Cum Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: Hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante & dicente; hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicet, non esse illius sanguinem? quare cum omni certitudine Christi corpus & sanguinem sumamus.*

4. GREGORIUS NYSSENUS in Orat. Catech. *Corpus Dei Verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est dignitatem; recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari. Nam panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei & orationem, à verbo transmutatus, nempe; hoc est corpus meum.*

5. IDEM Orat. de bapt. *Panis in altari ab initio panis est communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi & dicitur, & est. Eodem modo vinum.* Ita Nyssenus, qui docet, tunc sacrificari, quando fit, quod Christus in ultima cœna egit & dixit. Nam in Orat. de Resurrect. scribit: *Christus seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat. Quando id præstitit? Cum corpus suum discipulis edendum & sanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declaravit, Agni sacrificium jam esse perfectum; nam victimæ corpus non est ad comedendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana ratione corpus erat immolatum. Quapropter si quis inde tempus incipiat dimetiri, cum Sacrificium Deo factum à magno illo principe Sacerdotum, non recedet à veritate.* In his duobus textibus simul sumptis Gregorius Nyssenus satis aperte ostendit, sacrificium Christi & nostrum compleri per illa verba: *Hoc est corpus meum*, quæ Christus protulit immediate ante invitationem discipulorum ad manducandum & bibendum.

6. S. HYERONIMUS ad Hedibiam. quæst. 2. *Nos credamus, panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis suis, esse corpus Domini Salvatoris, ipso dicente ad eos: Hoc est corpus meum. Si ergo panis*

panis corpus est Domini, & vinum, quod discipulis dedit, sanguis illius est, ipse conviva est & convivium, illius sanguinem bibimus.

7. S. AMBROSIUS l. 1. de initiandis c. 9. *Si tantum valuit humana benedictio* (Moysis) *ut naturam converteret* (petræ in aquam;) *quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verbo ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis: Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, ut species mutet elementorum? Ipse clamat Dominus Jesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium species nominatur; post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis Christi nuncupatur; & tu dicis, Amen, hoc est, verum est.*

8. D. CHRISOSTOMUS in c. 1. Ep. 2. ad Tim. hom. 2. *Volo quiddam adjicere plane admirabile. Quid vero istud est? Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive illam Paulus, sive cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis; quamque Sacerdotes modo conficiunt, nihil habet ista quam illa minus. Cur id? Quia hanc non sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, que Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem est. Et hoc igitur Christi corpus, & illud est. Qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat, Christum esse, qui nunc etiam adest atque operatur.* In hoc textu manifeste operatio adscribitur verbis Christi in consecratione.

9. IDEM Hom. 83. in cap. 26. Matth. *Credamus ubique Deo, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicitur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est copus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus; nihil enim sensibile nobis traditum a Christo. Ipsum comedis.*

10. IDEM Serm. 30. de proditione Judæ. *Sed jam nos ad terribilem mensam cum debita reverentia tempus invitat. Nullus ibi Judas reperiatur. Et nunc enim præsto est ille Christus, qui illam ornavit mensam; ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui facit, ut in mensa propositæ res fiant corpus & sanguis Christi, sed ipse Christus. Exteriora quidem adimplens ponit Sacerdos verba proferens, sed virtus & gratia Dei est.* HOC EST CORPUS MEUM, *dicit: Hoc verbum transmutat res in mensa propositas. Et sicut illa vox, quæ dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, semper autem operatur potenter effectum; sic & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque in hodiernum diem & usque ad ejus adventum operatur jugem hostiam.*

11. S. AUGUSTINUS Serm. 83. de diversis. *Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei corpus est Christi; calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis Christi est.* Et in Psalm. 33. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum ait: Hoc est corpus meum.*

12. EUSEBIUS GALLICANUS, vel ut alii scripserunt, EUSEBIUS EMISSENUS Hom. 5. de Paschate. *Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem, qui author est muneris, ipse etiam est testis veritatis. Nam invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: Accipite & edite;* HOC EST ENIM CORPUS MEUM: *& sanctificatione repetita: Respicite & bibite;* HIC EST SANGUIS MEUS. *Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum; pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus & servit effectus. Nec dubitet quisquam, primarias creaturas nutu potentiæ præsentia majestatis in Dominici corporis posse transire naturam, cum ipsum hominem artificia cœlestis misericordiæ videat corpus Christi effectum. Sicut autem quicunque, qui ad fidem veniens ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti; his vero commemoratis mox exuitur omni fæce peccati; ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini; post verba autem Christi corpus & sanguis est Christi.* In hoc textu duo notari merentur. *Primo*; quod expresse affirmet, statim post verba Christi prius à se relata; nempe *hoc est corpus meum*, poni præsentiam Christi. *Secundo*, quod in hoc textu duo termini Patribus usitatissimi, nempe *sanctificatio, consecratio panis*, referantur ad eadem verba Christi: *Hoc est corpus meum.* Ex hoc autem sequitur: quod ubi in Patribus reperitur, Christum in altari poni per *sanctificationem* vel *consecrationem* panis, sensus sit, Christum in altari poni per ista verba: Hoc est corpus meum.

DICO 2. Forma Sacramenti Euchatistiæ in secunda consecratione consistit in illis verbis: *Hic est calix sanguinis mei.*

PROBATUR 1. His solis verbis positis verum est dicere; fieri illud, quod Christus fecit & fieri jussit in ultima cœna. Ergo in iis consistit forma.

PROBATUR 2. Ex textibus Patrum conclusione præcedente relatis.

DICO 3. Probabile est, in Ecclesia Græca ad valorem consecrationis requiri etiam Invocationem Spiritus Sancti.

PROBATUR 1. *Ex una parte* determinatio materiæ & formæ quoad speciem infimam in Sacramentis pertinet ad Ecclesiam, & probabile est, in Ecclesia Græca eam invocationem Spiritus S. ut continuam ad præcedentia verba Christi fuisse determinatam pro forma hujus Sacramenti; *Ex altera* parte, etiamsi Ecclesia Græca non determinasset pro forma Eucharistiæ invocationem Spiritus S. potuisset tamen eam invocationem Spiritus requirere *ad valorem Sacramenti* per modum requisiti, quo non posito nollet habere in suo esse ultimo completo intentionem consecrandi, & probabile est, eam fuisse mentem Ecclesiæ Græcæ. Ergo. *Ant. prob.* ex variis textibus Patrum Græcorum, aut sequentium ritum Ecclesiæ Græcæ. Sic 1. S. CYRILLUS Jerosolimitanus Catech. 3. dicit: *Panis Eucharistiæ post Spiritus S. invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi.* Et Cateches. 5. *Deum benignum exoramus, ut mittat Spiritum S. super dona proposita, ut panem faciat corpus Christi, vinum*

vero san guinem Christi. Omnino enim, quod attigerit Spiritus S. id sanctificatum & transmutatum est.

2. DAMASCENUS l. 4. de fide c. 13. „Dixit Deus; Producat terra herbam virentem, „& ad hanc usque diem accedente imbre divino præcepto impulsa & roborata fœtus suos „profert. Dixit perinde Deus: *Hoc est corpus „meum; & hic est sanguis meus*, & hoc facite in „meam commemorationem; idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur „per invocationem huic novæ segeti imbre superveniente; Spiritus S. nimirum obumbrante virtute. Velut enim quioquid fecit Deus, „id Spiritus S. fecit opera, ita nunc quoque „Spiritus S. operatione facta sunt, quæ nisi fide „sola nec capi queunt, nec intelligi. Quomodo mihi accidet istud, ajebat Virgo sancta, „quoniam virum non cognosco? Cui Gabriel „Archangelus: Spiritus S. superveniet in te, „& virtus altissimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quæris, qui panis fiat corpus Christi? ac vinum & aqua Sanguis illius? Ego „vero tibi repono; Spiritum S. supervenire, & „ea facere, quæ sermonem conceptumque omnem procul exsuperant.

3. THEODORETUS in Dialogo. *Quid appellas donum, quod offertur ante invocationem Sacerdotis?* ORTHODOXUA, *Nutrimentum.* ERRANTIUS. *Post sanctificationem quemodo ea appellas?* ORTHODOXUS. *Corpus & sanguinem Christi.* In hoc textu ex Liturgiis & præcedentibus textibus Cyrilli, & Damasceni manifestum est, per terminum *invocationis* intelligi invocationem Spiritus Sancti. Imo etiam S. AUGUSTINUS ad eam Græcæ Ecclesiæ Liturgiam, ut verosimile est, respiciens, lib. 3. de Trinit. C. 4. ait: *Panis non sanctificatur, ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei.*

PROBATUR 2. Liturgiæ Orientalea ferme omnes post verba Christi invocant Spiritum S. ut panem efficiat corpus Christi, & vinum efficiat sangulnem Christi, idque non solum *in sensu modali*, prout fit in Liturgia D. Basilil, in quantum rogatur Spiritus S. ut faciat, corpus Christi nobis fieri in remissionem peccatorum & in vitam æternam, sed etiam in sensu absoluto, ut transubstantictur pania. Ergo Invocatio illa Spiritus S. probabiliter pertinet ad valorem Sacramenti in Ecclesiæ Græca. C. patet, quia non est præsumendum, omnes illas Liturgias uniformiter fuisse corruptas, aut omnes uniformiter voluisse loqui modo verborum impropriissimo. *Ant. prob.* Sic 1. Liturgia S. GREGORII, puta Nazianzeni, vel ut in aliia Codicibus M. S. habetur, S. SEVERI Patriarchæ, ubi deventum est ad invocationem Spiritus S. post prolationem verborum Christi dicitur: *Tu Domine voce tua sola commuta hæc quæ sunt proposita; mitte super nos gratiam Spiritus tui Sancti, qui sanctificet, & transferat hæc dona proposita in corpus & sanguinem salutis nostræ. Et hunc quidem panem facias corpus tuum sanctum, quod datur in remissionem peccatorum & vitam æternam, illis qui ex illo communicant.* In hoc textu tamen inspicerem textum Græcum, ut certum redderetur, versionem non esse vitiosam, prout vitiosam esse versionem Liturgiæ S. Basilii superius ostensum est. 2. In Liturgia S. CYRILLI post prolationem verborum Christi habetur hæc invocatio: *Deus pater omnipotens mitte deorsum Paraclitum Spiritum tuum Sanctum super nos servos tuos & super hæc veneranda dona proposita coram te, super hunc panem, & super hunc calicem, ut purificentur & transferantur. Et hunc panem quidem facias corpus Christi; (respondet populus. Amen.) & hunc calicem facias quoque sanguinem pretiosum testamenti novi; (respondet populus. Amen.) ut sint nobis omnibus, qui ea percepturi sumus, utilia ad fidem, charitatem, patientiam &c. ad societatem vitæ æternæ, & ad remissionem peccatorum.* Hic textus, quamvis absolute posset exponi *in sensu modali*, prius explicato, in sensu tamen obvio videtur etiam ipse importare sensum absolutum, præsertim cum post illa verba: *faciat panem corpus Christi, & faciat calicem sanguinem Christi*, populus tanquam sensu jam completo interponat. Amen. 3. In LITURGIA ALEXANDRINA post prolationem verborum Christi fit invocatio his verbis: *Deprecamur te Domine, ut veniat Spiritus tuus Sanctus super nos servos tuos, & super hæc dona tua, sanctificetque, & efficiat ea Sancta Sanctorum.* DIACONUA. *Attendamus.* POPULUA. *Amen.* SACERDOS ALTA VOCE. *Et faciat panem istum fieri corpus sanctum D. N. J. Christi in remissionem peccatorum & vitam æternam ex illo participantibus.* In hoc textu, licet habeat modum loquendi similem illi, qui reperitur in Liturgia D. Basilii; tamen excitatio attentionia quæ fit à Diacono; & elevatio vocis in celebrante faciunt dubium probabile, an non agatur potius de actu principali Sacrificii, nempe *de consecratione*, quam *de solenni adoratione*, quæ tunc fit à populo; Sacerdote populo sacrum panem & calicem monstrante. 4. In LITURGIA D. MARCI post prolationem verborum Christi habetur hæc invocatio: *Rogamus te Domine, ut emittas Paracletum Spiritum. Emitte super nos & super panes & calices istos Spiritum Sanctum tuum, ut eos sanctificet & consecret (ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ) tanquam Deus omnipotens.* ELATA VOCE. *& faciat panem quidem corpus.* POPULUS. *Amen.* SACERDOS ELATA VOCE. *Calicem autem sanguinem novi testamenti D. N. J. Christi.* DIACONUA. *descendite Diaconi.* SACERDOS ELATA VOCE. *Ut fiant nobis in sanctificationem animæ & corporis, in communionem vitæ æternæ, in remissionem peccatorum.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Contra 1. Conclus. Ista verba: *Hoc est corpus meum*, jam supponunt præsentiam corporis Christi. *Ant. prob.* Quando dico; *hoc est lapis, hoc objectum est homo*; ad verificandam propositionem jam præsupponitur existentia lapidis, hominia &c. 2. Si in his verbis consisteret forma Sacramenti, vel per particulam demonstrativam; *hoc*, significaretur substantia pania, vel præsentia corporis Christi? neutrum potest dici. Ergo min. prob. Si significaretur substantia panis, propositio esset falsa; quia falsum est, substantiam pania esse corpus Christi. Si autem significaretur corpus Christi, jam demonstraretur corpua Christi, antequam

essot

esset præsens corpus Christi. Si enim Sacerdos pronuntiata hac particula demonstrativa moreretur, non poneretur præsentia corporis Christi.

Respondeo.

Ad 1. n. a. ad prob. c. a. n. c. & p. Disparitas est; quia aliæ propositiones enuntiantur *assertive*. Econtra hæc propositio: *Hoc est corpus meum*, à Sacerdote tantum enuntiatur *narrative*, seu *recitative*, narrando quid Christus fecerit, prout in sequente quæstione dicetur.

Ad 2. n. maj. & suppositum, quod hæc propositio à Sacerdote proferatur *assertive*. Dico enim, quod proferatur *narrative*, & sic ista particula non demonstrat aliquid præsens; sed demonstrat, quid demonstratum fuerit à Christo. A Christo autem demonstrandum fuit corpus Christi, non positum per formam sacramentalem, sed per actionem extrasacramentalem factam ante pronuntiationem horum verborum immediate post benedictionem panis.

Objicitur 3. Si omittantur verba præcedentia: Qui pridie quam pateretur, non potest sciri, utrum Sacerdos loquatur nomine suo, vel nomine Christi. Sed hoc non potest dici. Ergo etiam illa verba requiruntur ad valorem Sacramenti. 2. Hæc sola verba: *Hoc est corpus meum*, potius significant corpus Sacerdotis, quam corpus Christi. Ergo ea sola non possunt sufficere ad rationem formæ sacramentalis. 3. Christus ipse in sua consecratione addidit: *Quod pro vobis tradetur*. Ergo, qui hæc verba omittit, non facit, quod fecit Christus; & consequenter nec valide consecrat.

Respondeo. d. maj. non potest hoc sciri, nisi ipsæ circumstantiæ actionum sufficienter exprimant hanc intentionem Sacerdotis. c. secus. n. Sic etiam in Matrimonio, aut in collatione ordinum, aut in absolutione sacramentali Minister non necessario exprimit verbis, quod agat in persona Christi, sed sufficit, ut id exprimatur ipsis factis & rebus.

Ad 2. D. a. significant potius corpus Sacerdotis, nisi circumstantiæ sufficienter ostendant, ea verba non proferri assertive authoritate propria, sed ministerialiter nomine alieno. c. secus n. Nam si Sacerdos in Missa hæc verba proferat, intentio loquentis sufficienter exprimitur actionibus & verbis præcedentibus. Si autem extra Missam Sacerdos vellet celebrare, ea intentio deberet exprimi aliis signis.

Ad 3. D. Christus hoc addidit ad significandum effectum sacramentalem in assistentibus Sacrificio, vel digne communicantibus. c. ad significandam præsentiam corporis Christi. n. Ad formam Sacramenti tantum pertinent ea verba, quæ ostendunt, à Christo positam esse realem præsentiam corporis Christi. Si enim hæc verba nomine Christi proferuntur, *fit*, *quod ipse fecit*, sic promittente Christo, saltem quoad substantiam actus, prout colligitur ex communi æstimatione Doctorum.

Objicitur 3. Nisi addatur particula causalis, *enim*, non retinetur sensus relativus ad præcedentia acta, dicta, & facta Christi. Ergo per eam omissionem mutatur essentialiter forma Sacramenti.

Respondetur. D. non retinetur sensus relativus, ita tamen ut ille sensus relativus non mutet significatum principale, pertinens ad substantiam hujus Sacramenti, nempe realem præsentiam corporis Christi. c. ita ut mutet hoc significatum principale. n. In Sacramento Eucharistiæ juxta communem æstimationem Doctorum ad substantiam Sacramenti solum pertinet realis præsentia corporis Christi, non autem proprietates relativæ corporis Christi. Ea autem præsentia corporis Christi a Christo posita sufficienter exprimitur per illa verba: *Hoc est corpus meum; hic est calix sanguinis mei.*

Dices. Si in syllogismo omitteretur particula illativa; *Ergo*, tolleretur tota ratio syllogismi. Ergo etiam in forma sacramentali, si tollatur particula connexionalis ac causalis, *enim*, tollitur ratio formæ.

Respondeo. c. a. n. c. & p. Disparitas est, quia in syllogismo principale objectum attentionis & probationis ac demonstrationis est connexio terminorum tanquam principale motivum assensionis conclusionalis. Econtra principale significatum & objectum in Sacramento Eucharistiæ est præsentia corporis Christi absolute considerata, non proprietates relativæ corporis vel sanguinis Christi, quæ significantur per particulam, *enim*.

Dices 2. Licet proprietates relativæ corporis Christi & sanguinis Christi ad passionem Dominicam, ejusque oblationem non pertineant ad substantiam Eucharistiæ, pertinent tamen ad substantiam Sacrificii, utpote essentialiter rememorativi passionis Dominicæ, & oblationis cruentæ in cruce, quod non fit per sola signa sacramentalia. Ergo sine illa particula relativa non fit Sacrificium.

Respondeo. d. a. pertinent ad substantiam sacrificii, nisi rememoratio passionis Dominicæ & oblationis cruentæ in cruce habeatur per verba præcedentia. c. secus. n. Concedo proin, quod ad valorem sacrificii, ac consequenter ad valorem consecrationis sacrificativæ requiratur rememoratio passionis Dominicæ. Sicut enim Christus ad valorem Sacramentorum per modum conditionis requisivit intentionem Ministri faciendi, quod facit Ecclesia; ita etiam Christus ad valorem consecrationis, præsertim sacrificativæ, per modum conditionis exegisse videtur commemorationem explicatam passionis Dominicæ. Id enim illa Christi verba indicare videntur: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et 1. Cor. 11. v. 25. *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.* Quamvis enim hæc verba solum explicari possent *de præcepto*, videtur tamen, quod juxta Apostolum potius sonent conditionem. Sic enim præfatis Christi verbis Corinthios alloquens subjungit. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*; quod forte falleret sæpissime, nisi saltem in celebrante per modum conditionis exigeretur rememoratio passionis Dominicæ, eaque exprimeretur vel antecedenter ad consecrationem, vel per particulam relativam enim concomitanter in consecratione, ita tamen ut ipsa particula relativa determi-

terminate ſumpta non poſſit aſſeri neceſſaria ad valorem.

OBJICITUR 4. *Contra* 2. *Concluſ.* EUGENIUS IV. in Inſtructione ad Armenos dicit: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris quibus hoc Sacramentum conficit.* Sed ea verba apud Matt. 26. ſunt iſta: *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ergo in omnibus his verbis conſiſtit forma ſecundæ conſecrationis. 2. in c. *cum Marthæ* dicitur: *Si quæ verba ſunt in Canone Miſſa, quæ ab Evangeliſtis dicta non fuerunt, credere debemus, quod à Chriſto Apoſtoli, ab Apoſtolis ſucceſſores acceperint.* 3. Verba illa; *novi & æterni teſtamenti,* in Miſſali Romano exprimuntur eodem charactere, quo præcedentia proferuntur, & eodem ritu, ſcilicet tenendo calicem in manibus, neque prius calix deponi permittitur, antequam omnia illa verba fuerint abſoluta. Ergo omnia illa verba æqualiter pertinent ad eſſentiam formæ. 4. Illa verba; *novi teſtamenti,* interponuntur ab ipſo Chriſto in ipſis verbis eſſentialibus fomæ. Sic enim dicitur: *Hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur.* Ergo etiam ipſa pertinent ad eſſentiam formæ. 5. Illa verba; *novi & æterni teſtamenti,* ſunt quædam determinatio prædicati in conſecratione ad ſenſum determinatum. Ergo ſicut prædicatum eſt pars eſſentialis formæ: ita etiam determinativum prædicati erit pars eſſentialis formæ. 6. Si hæc verba, *novi & æterni teſtamenti* non pertinerent ad eſſentiam formæ, non eſſet ratio, cur Eccleſia hæc verba adderet in ſecunda conſecratione, & tamen conſimilia verba: *Quod pro vobis tradetur,* in prima conſecratione omitteret. Ergo cenſendum, quod ab Eccleſia habeantur pro eſſentialibus.

RESPONDEO.

AD 1. d. Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum *conficit nunc* in Sacrificio Miſſæ. c. quibus illa *confecit tunc* in ultima cœna. n. a. & ſuppoſitum, quod Chriſtus in ultima cœna hoc Sacramentum confecerit verbis. Id enim quod per actionem ſuæ omnipotentiæ confecerat, à ſe confectum eſſe verbis declaravit, prout ſuperius dictum eſt. RESPONDEO 2. c. maj. n. min. Nam, ſi ſupponatur cum uno & altero SS. Patrum, ipſa verba Chriſti fuiſſe operatoria, dico; à Chriſto hoc Sacramentum confectum fuiſſe ſolis illis verbis: *Hoc eſt corpus meum; hic eſt calix ſanguinis mei;* quia jam ad verificationem horum verborum requiritur realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti.

AD 2. d. credere debemus, ea verba ab Apoſtolis accepta fuiſſe per modum præcepti. c. per modum eſſentialis requiſiti ac conſtitutivi formæ. n.

AD 3. c. a. n. c. ratio enim æqualis characteris eſt, ut intelligatur æqualitas rigoroſi præcepti; vel ut intelligatur indifferentia Eccleſiæ quoad has ſententias; ne videatur poſitive accedere uni ſententiæ.

AD 4. inverto argumentum. Apud MATHÆUM & MARCUM hæc verba non interponuntur ſed poſtponuntur. Ergo non pertinent ad eſſentiam formæ. RESPONDEO 2. n. a. Ex teſtimonio enim D. MATTHÆI, qui ultimæ Cœnæ interfuit, & ex teſtimonio D. Marci, cujus Evangelium D. Petrus approbavit, conſtat, ea verba fuiſſe poſtpoſita. D. LUCAS autem, qui tantum ſequitur ſenſum, non ordinem verborum, ſibi narratorum, ea verba ſolum interponit per modum propoſitionis *incidentis,* cui perinde eſt, ſive interponatur, ſive poſtponatur. Senſus enim eſt: Hic eſt calix, qui conſtituit novum teſtamentum in meo ſanguine. *τῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μῦ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.* Ex quo manifeſtum, quod hoc participium, *pro vobis effuſus,* referatur ad calicem cum ſuo contento, adeoque jam ſupponat ibi ſanguinem.

AD 5. d. ſunt determinativum prædicati ad rationem conſignificati accidentalis Sacramento Euchariſtiæ c. ad rationem ſignificati eſſentialis Sacramento n. Accidit ſubſtantiæ Euchariſtiæ, ſeu præſentiæ reali corporis & ſanguinis Chriſti, quod pro ſalute hominum hic effuſus, illud traditum ſit. Itaque, dum illa verba prædicato aliquod ejuſmodi conſignificatum adjiciunt, tantum aliquid accidentale Sacramento ſignificant, ac eo ipſo non pertinent ad eſſentiam formæ.

AD 6. n. a. Ratio enim hæc adjiciendi in ſecunda conſecratione, priora autem verba omittendi in prima conſecratione eſſe poterat, ut in prima conſecratione agnoſceretur mens Eccleſiæ propenſior circa eſſentialia Sacramento Euchariſtiæ; in ſecunda autem agnoſcerentur requiſita neceſſaria ad valorem Sacrificii, nempe rememoratio explicita Inſtitutionis, Paſſionis, & oblationis Dominicæ.

OBJICITUR 5. D. THOMAS eſt manifeſte contrarius. Ergo. *ant. prob.* p. 3. q. 78. a. 3. c. ſic ſcribit: *Dicendum, quod circa hanc formam eſt duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod de ſubſtantia formæ hujus eſt hoc ſolum, quod dicitur: Hic eſt calix ſanguinis mei, non autem ea, quæ ſequuntur. Sed hoc videtur inconveniens; quia ea quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, id eſt, ſanguinis Chriſti, unde pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis. Et propter hoc alii melius dicunt; omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ uſque ad hoc, quod poſtea ſequitur; Hoc quotieſcunque feceritis; quod pertinet ad uſum Sacramenti. Unde non eſt de ſubſtantia formæ. Dicendum eſt ergo, quod omnia prædicta ſunt de ſubſtantia formæ.* 2. Sacramentum Euchariſtiæ non poteſt valide conſecrari, quin ea conſecratio ſimul habeat rationem ſacrificii. Sed ad rationem Sacrificii requiruntur omnia illa verba. Ergo. maj. patet ex communi ſenſu Doctorum, aſſerentium, rationem adæquatam ſacrificii haberi per conſecrationem utriusque ſpeciei. min. prob. partim ex conceſſis, partim ex inſtitutione Chriſti, ſuperius jam indicata.

RESPONDEO. n. a. ad prob. d. requiruntur omnia illa verba ad formam conſecrationis ſpectatæ in ratione Sacrificii. c. in ratione ſacramenti. n. Dico enim; ſacrificium non fore completum per ſolam poſitionem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpecie panis & vini, ſed etiam neceſſariam eſſe explicitam memoriam paſſionis, oblationis, & pactionis teſtamentariæ Chriſti in

cruce.

cruce. Et hunc sensum attigisse videtur eo ipso in textu, dum explicaturus priora verba ista subjungit: *Dicendum, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ. Sed per prima verba, cum dicitur: Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis. Per verba autem sequentia assignatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento* (videlicet in ratione sacrificii considerato).

Ad 2. n. 2. Si enim Sacerdos moreretur post primam consecrationem, vel in secunda consecratione statim post illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, daretur ratio Sacramenti, & non daretur ratio sacrificii. Quod si quis prorsus tueri velit, suspendi transsubstantiationem usque ad pronuntiationem totius formæ, nihilominus dicendum erit, subsequentia verba non requiri *ad essentiam* formæ, puta per modum partis constitutivæ, sed ea tantum requiri *ad valorem*, hoc est, ad substantiæ positionem per modum *conditionis* seu *requisiti* suspensivi operationis, quam habet essentia formæ in esse practico, ita ut actu non moveat Deum ad physice ponendam transsubstantiationem vini ante positionem hujus requisiti. In hac sententia sequitur, quod calix non sit cultu adorationis honorandus ante integram pronuntiationem formæ, & si Sacerdos moreretur statim post pronuntiationem priorum verborum, vinum tanquam nondum consecratum esset de novo consecrabile, & si non adesset Sacerdos pro supplendo sacrificio, quod posset bibi à quovis laico instar alterius vini. Sed mihi prior sententia videtur amplectenda.

QUÆSTIO III.

Quænam sint aliæ partes hujus Sacramenti?

Notandum 1. Sacramentum Eucharistiæ considerari posse *in fieri*, & *in facto esse*. Sicut ergo alia assignantur principia corporis naturalis *in fieri*, & alia *in facto esse*; ita etiam à Doctoribus variis assignari solent aliæ partes Sacramenti Eucharistiæ *in fieri*, & aliæ *in facto esse*. Nos ad præscindendam omnem æquivocationem quæstionem instituimus de Sacramento Eucharistiæ, *in facto esse* considerato, quia sub hac consideratione potissimum recurrit sermo de Eucharistia in Scriptoribus Ecclesiæ.

Notandum 2. In hac re varias esse Doctorum sententias. Nam. 1. Corpus & sanguinem Christi esse partem hujus Sacramenti, docent D. Thomas hic, Suarez & alii. Id vero negant *Marsilius*, *Sotus*, & alii, asserentes, hoc Sacramentum consistere in solis speciebus Eucharisticis. 2. Verba consecrationis esse partem hujus Sacramenti negant Vasquez, Bellarminus, *Conink*, *Palavicinus* & plures alii contra D. Thomam, Suarez, Valentiam, Tannerum, & plures alios. 3. Panem esse partem Eucharistiæ negat Suarez & alii communiter, id affirmantibus Haunoldo & pluribus aliis. 4. Actionem conversivam panis & vini in corpus & sanguinem Christi esse partem Sacramenti contendit Lugo cum aliis. Suarez cum aliis id negat. 5. Quod sumptio sit pars Sacramenti Eucharistiæ asserit Areolus; & quod sit pars saltem integralis, etiam admittere videtur Dicastillo Disp. 1. n. 36. Hæretici autem Lutherani, cum negent realem præsentiam Christi, nisi in actuali sumptione, eoipso etiam pro parte Sacramenti admittunt ipsam sumptionem.

Dico 1. Corpus & sanguis Christi sunt para intrinsece constitutiva Sacramenti Eucharistiæ.

Probatur 1. Authoritate Patrum, qui asserunt, hoc sacramentum esse vere carnem filii Dei. Textus varii possunt videri Disp. 1. quæst. 3.

Probatur 2. Sacramentum hoc est cibus animæ, & adoratur. Solæ autem species Eucharistiæ non adorantur.

Dico 2. Etiam species panis & vini sunt pars intrinsece constitutiva hujus Sacramenti.

Probatur 1. Authoritate Innocentii III. qui in c. *cum Marthæ*, docet, in Sacramento Eucharistiæ tria esse distinguenda. 1. *formam visibilem*, hoc est, speciem panis & vini. 2. *veritatem corporis*, videlicet corporis & sanguinis Christi. 3. *virtutem spiritualem*, hoc est, gratiam sanctificantem. Inter hæc tria primum vocatur *Sacramentum tantum*; quia tantum significat, & non significatur ab alio. Secundum vocatur *Sacramentum & res Sacramenti*, quia simul significat, nempe Sacrificium Christi in cruce, & simul significatur, nempe a speciebus Eucharisticis. Tertium vocatur *res Sacramenti*, quia tantum significatur, & non significat.

Probatur 2. Hoc Sacramentum dicitur frangi, comedi, bibi &c. Ergo in hoc Sacramento debet reperiri aliquod formale constitutivum, ratione cujus dicitur frangi, videri, gustari, &c. haud dubie per modum partis constitutivæ. Si enim frangitur vestis, quæ est præcise aliquid accidentale, vel quando frangitur pes, licet sit etiam pars integralis hominis, non tamen dicitur frangi homo. *ant. prob.* v. g. ex Hymno Ecclesiæ; *Fracto demum Sacramento*

Probatur 3. In aliis sacramentis signum sensibile invisibilis gratiæ est pars Sacramenti. Ergo etiam in Eucharistia species sensibiles sunt aliqua pars hujus Sacramenti. *C. prob.* Tridentinum Sess. 13. cap. 3. dicit: *Commune hoc est Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ & invisibilis gratiæ formam visibilem.*

Dico 3. Etiam verba consecrationis sunt pars intrinsece constitutiva sacramenti Eucharistiæ.

Probatur. Verba consecrationis constituunt formam hujus Sacramenti. Ergo eoipso sunt pars constitutiva hujus Sacramenti. *Ant. patet* ex dictis quæst. 2. *C. prob.* cujuslibet rei forma est constitutivum illius rei. Ergo.

Probatur 2. Illud quod Eucharistiam formaliter constituit in ratione signi sensibilis, illud est pars constitutiva hujus Sacramenti; sed verba consecrationis id præstant. Ergo. min. prob. Solæ species Eucharisticæ non significant præsentiam corporis Christi, sed potius præsentiam panis & vini.

Dico 4. Etiam voluntas Christi instituentis hoc Sacramentum est pars constitutiva hujus Sacramenti.

Probatur. Omnia signa significativa ex beneplacito pro sua parte involvunt voluntatem instituentis. Ergo etiam signa sacramentalia pro sui parte involvunt Christi instituentis hæc signa practica. *Ant. patet.* ex probatis in *Tract.* de Sacramentis in genere Disp. IV.

Dico 5. Substantia panis & vini non est pars constitutiva Sacramenti Eucharistiæ.

Probatur. Totum ex quo aliquid fit per illius corruptionem, non est pars constitutiva illius, quod fit. Ergo etiam substantia panis & vini non est pars Sacramenti Eucharistiæ. *C. patet*, quia etiam substantia panis & vini est tantum terminus extrinsecus, à quo, per cujus destructionem tenditur ad positionem corporis Christi.

Dico 6. Nec ipsa transubstantiatio seu actio conversiva panis in corpus Christi est pars hujus Sacramenti.

Probatur. Actio effectiva cujuslibet rei non est pars illius effectus, qui producitur. Ergo etiam actio conversiva panis & vini in corpus & sanguinem Christi non est pars Sacramenti Eucharistiæ in facto esse.

Dico 7. Neque Deus tanquam causa effectiva, neque Minister, aut illius intentio sunt pars hujus Sacramenti.

Probatur. Illud est pars alicujus totius, quo solo formaliter non posito non ponitur formaliter totum, positis licet reliquis omnibus. Sed neutrum horum est id, quo solo formaliter non posito non ponitur formaliter totum. Ergo. maj. patet ex regula partis. min. prob. In conceptu formali Eucharistiæ consideratæ in facto esse nec importatur Deus ut causa effectiva, nec Minister, nec ejus intentio. Ergo.

Dico 8. Nec ipsa sumptio est pars Sacramenti Eucharistiæ.

Probatur 1. Ponitur formaliter signum sensibile in actu primo collativum gratiæ Eucharisticæ, quin in hoc conceptu formaliter importetur sumptio. Ergo.

Probatur 2. Sumptio cibi, v. g. panis, non est pars ipsius panis. Ergo etiam sumptio Eucharistiæ non est pars Sacramenti Eucharistiæ, quod est cibus spiritualis animæ.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. *Contra Conclus.* Solæ species Eucharisticæ sunt signum sensibile ex institutione divina significans internam refectionem animæ. Ergo in iis solis consistit Sacramentum Eucharistiæ. 2. In c. *cum Marthæ*, *hæ species* dicuntur *Sacramentum tantum*. 3. In c. *Ego Berengarius* 42. de Consecr. Dist. 2. In abjuratione suæ hæresis Berengarius dicit: *Confiteor, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi esse.* Ergo Sacramentum & corpus Christi inter se distinguuntur. 4. Patres sæpe asserunt, corpus Christi contineri in hoc Sacramento. Ergo solæ species sunt Sacramentum; alioquin idem contineretur in seipso, si etiam corpus & sanguis forent Sacramentum.

Respondeo. d. a. *solæ species* sunt signum refectionis internæ speculativum c. practicum n. Nam licet species sacramentales *se solis* significent refectionem animæ; non tamen *se solis* eam causant, sed causant illam per suum contentum, nempe per corpus & sanguinem Christi.

Ad 2. d. dicuntur *Sacramentum tantum*, consideratum in ratione signi, c. consideratum in ratione causæ. n. Ibi *Sacramenti* terminus tantum sumitur pro *signo mystico*, abstrahendo, an simul *se solo*, & per seipsum causet gratiam.

Ad 3. c. a. d. c. Ergo sacramentum inadæquate sumptum sub ratione signi speculativi, & corpus Christi inter se distinguuntur. c. C. sumptum etiam sub ratione signi practici per seipsum causativi gratiæ. n. Non enim species Eucharisticæ se solis causant gratiam, sed eam causant per corpus & sanguinem Christi tanquam immediatam causam saltem moralem, quæ ratione sui movet Deum ad physice efficiendam in anima gratiam.

Ad 4. d. Patres dicunt, corpus Christi contineri in Sacramento, inadæquate sumpto sub ratione signi speculativi. c. adæquate sumpto etiam sub ratione signi practici. n. Sic enim etiam pectus, & caput continentur in corpore humano, licet sint pars præcipua constitutiva corporis humani. Itaque etiam corpus Christi continetur in Sacramento adæquate sumpto tanquam pars in toto, & in Sacramento inadæquate sumpto nempe in speciebus, continetur tanquam contentum locale in continente, v. g. tanquam civis in urbe, licet utraque sint conpartes respectu ejusdem totius, nempe provinciæ.

Objicitur 2. *Contra eandem.* Si præter species Eucharisticas etiam corpus Christi esset pars Sacramenti, etiam corpus Christi deberet esse signum sensibile; sed non est signum sensibile. Ergo. 2. Corpus Christi est potius ipsum significatum. Ergo non est signum sacramentale. 3. Sacramentum Eucharistiæ est signum rememorativum passionis Dominicæ. Ergo corpus Christi non est pars hujus Sacramenti. c. prob. si esset pars ejusmodi signi, sequeretur, quod corpus Christi esset signum sui ipsius. 4. Si corpus Christi esset pars hujus Sacramenti, deberet esse aut materia aut forma. Sed neutrum potest dici. Ergo. maj. prob. Nihil est pars hominis, horologii, domus, Reipublicæ, &c. nisi pertineat ad materiam vel formam talis totius.

Respondeo.

Ad 1. d. maj, deberet esse signum sensibile ratione continentis, seu per accidens. c. deberet esse signum sensibile ratione sui, ac per se n. Sicut enim materia prima & forma substantialis v. g. ligni, animalis, hominis, non sunt sensibilia per se, ac ratione sui, sed ratione quantitatis, ita etiam corpus Christi spirituale est sensibile per aliquid sibi unitum. Hinc species Eucharisticæ sibi invicem reddunt vicem. Nam corpus Christi hoc habet ab accidentibus, ut sit signum sensibile internæ refectionis. Et vicissim accidentia hoc habent a corpore Christi, ut sint signum practicum, seu collativum gratiæ.

Ad 2. d. eſt ſignificatum relate ad ſignum ſpeculativum. c. relate ad ſignum practicum. n. Species enim Euchariſticæ, quæ corpus Chriſti ſpeculative ſignificant, fiunt ſignum practicum gratiæ per ipſum corpus Chriſti.

Ad 3. c. a. n. c. non enim repugnat, idem eſſe ſignum ſui ipſius ſub diverſa conſideratione. Sic enim Rex in Theatro, vel profectus in tertas remotas incognitus poſſet agere legatum vel perſonam ſui ipſius.

Ad 4. tr. maj. n. min. Dico enim, quod corpus Chriſti ſit materia hujus ſacramenti, & forma ſub diverſa conſideratione. In quantum enim Sacramentum *ſignum ſenſibile*, ſic corpus Chriſti ſe habet per modum materiæ, quia ſit *ſenſibile* per accidentia, ſicut murus ſit albus per albedinem, hoc ſolo diſcrimine, quod unio albedinis ad murum ſit informativa; ſed unio accidentium ad corpus Chriſti ſit tantum localis. Si vero ſacramentum accipiatur, in quantum eſt *ſignum practicum*, ſub hac conſideratione ac ratione accidentia Euchariſtica ſe habent per modum materiæ, quia fiunt practica per corpus Chriſti, tanquam cauſam moralem, quæ movet Deum ad efficiendam in anima gratiam.

Objicitur 3. *Contra 2. Concluſ.* Patres abſolute dicunt, hoc Sacramentum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. Sed hoc non eſſet ſimpliciter verum; ſi hoc Sacramentum partialiter conſiſteret in ſpeciebus Euchariſticis. min. prob. Non eſt ſimpliciter verum dicere, v. g. homo eſt corpus, vel anima. 2. Species Euchariſticæ non ſunt cauſa gratiæ. Ergo non conſtituunt hoc Sacramentum. 3. Species Euchariſtiæ non ſunt cibus animæ. Ergo nec ſunt Sacramentum. 4 In cibo naturali non nutriunt accidentia panis. Ergo idem dicendum in cibo ſpirituali.

Respondeo.

Ad 1. c maj. n. min. ad prob. tr. a. n. c. & p. Diſparitas eſt, quia in toto phyſico non fert conſuetudo, ut totum dicatur de parte, aut viciſſim; econtra in compoſitis moralibus ita fert uſus; ſic enim dicitur Sacerdos eſt homo, Rex eſt homo, hoc album eſt lac, &c.

Ad 2. D. non ſunt cauſa gratiæ ratione ſui ac per ſeipſas. c. per corpus Chriſti. n. Senſus patet ex prius dictis.

Ad 3. D. non ſunt cibus animæ ratione ſui ac per ſeipſas. c. per corpus Chriſti. n. Cum enim habeant unionem localem cum corpore Chriſti, ac cum eo conſtituant unum totum morale, movens Deum ad efficiendam in anima gratiam, etiam per ſui conpartem, nempe per corpus Chriſti, ſunt cibus animæ.

Ad 4. c. a. n. c. & p. Diſparitas eſt, quia in toto phyſico accidentia nunquam tranſeunt in principium *per ſe ac primo activum.* Econtra in toto morali illa entia, quæ in conſideratione phyſica, ſunt purum accidens, fiunt ſubſtantia, ſeu principium *per ſe ac primo moraliter activum*, ſeu motivum, quo Deus movetur ad efficiendam in anima gratiam.

Objicitur 4. *Contra 3. Concluſ.* Verba conſecrationis ſola cauſant gratiam præſentia Chriſti. Ergo ſola ſunt Sacramentum. 2. D. Thomas in 4. diſt. 8. q. 1. a. 1. qq. 1. dicit; illud eſſe Sacramentum, per quod ſanctificatur materia Sacramenti conſecrationis. Ergo

Respondeo.

Ad 1. c. a. n. c. quia, dum Sacramenta dicuntur eſſe ſigna practica gratiæ, tantum eſt ſermo de gratia interna, quæ efficitur in ipſa anima.

Ad 2. D. dicit, illud eſſe Sacramentum inadæquate ſumptum. c. adæquate ſumptum. n. D. Thomas per hoc ſolum oſtendit, quod conſecratio ſit pars Sacramenti Euchariſtiæ.

Objicitur 5. *Contra eandem.* Conſecratio eſt cauſa efficiens Sacramenti Euchariſtiæ. Ergo non eſt illius pars. 2. In Concilio Florentino conſecratio eodem modo aſſignatur pro forma hujus Sacramenti, ſicut aſſignatur panis & vinum pro materia. Ergo ſicut panis & vinum non ſunt pars hujus Sacramenti; ita neque conſecratio eſt pars illius. 3. Sacramentum Euchariſtiæ dicitur adorari & aſſervari. Sed conſecratio non adoratur & aſſervatur. 4. Conſecrationi non convenit, quod ſit ſignum collativum interioris gratiæ, ſaltem immediate. Ergo 5. Si panis & vinum modo ſupernaturali ſine conſecratione mutaretur in corpus & ſanguinem Chriſti, daretur Sacramentum Euchariſtiæ, & tamen non daretur conſecratio.

Respondeo.

Ad 1. D. eſt cauſa Sacramenti inadæquate ſumpti. C. adæquate ſumpti n. non eſt contra rationem partis, quod efficiatur ab alia parte. Sic pater & filius ſunt partes ejusdem Reipublicæ.

Ad 2. D. aſſignatur eodem modo conſiderando Sacramentum *in fieri*, c. conſiderando Sacramentum *in facto eſſe.* n. Si ſpectetur Sacramentum in fieri, ſic etiam panis & vinum erunt pars hujus Sacramenti. Nos autem conſideramus hoc Sacramentum in facto eſſe, prout eſt ſignum practicum gratiæ.

Ad 3. D. dicitur adorari ratione aliarum partium c. ratione omnium partium. n. Sic dicitur homo mortalis, etſi non omnes partes hominis ſint mortales: & communitas vel monaſterium, vel natio vituperatur, vel laudatur, etſi non omnes illius partes ſint laude aut vituperio dignæ.

Ad 4. n. a. Cum enim Sacramenta ſint tantum cauſa moralis gratiæ, non repugnat, quin Deus ad efficiendum in anima gratiam ſinat ſe immediate moveri ab omnibus ac ſingulis partibus Sacramenti, tam præteritis, quam præſentibus, præſertim cum omnia ſint Deo phyſice præſentia in æternitate.

Ad 5. n. a. Talis enim Euchariſtia non conferret *infallibiliter ex opere operato* gratiam, quia non comprehenderetur ſub inſtitutione & promiſſione divina.

Objicitur 6. Contra 5. & 6. Concluſ. Illud eſt pars, quo ſolo non poſito, poſitis licet reliquis omnibus, non ponitur totum. Sed ſolo pane & vino, vel tranſubſtantiatione non poſita, non ponitur Sacramentum Euchariſtiæ. Ergo ſunt pars illius. 2. Non præexiſtente pane & vino non habetur ex ſolis accidentibus ratio cibi & potus. Ergo panis & vinum ſunt intrinſe-

trinsecum constitutivum Eucharistiæ. *ant. prob.* accidentia panis & vini solum ideo nutriunt, quia in illis datur virtus nutriendi relicta ex præcedente substantia. 3. In aliis Sacramentis actio illa, quam forma sacramentalis immediate significat, est pars Sacramenti. Ergo etiam actio conversiva panis & vini est pars Sacramenti. *ant. patet* ex baptismo, Confirmatione &c. ubi ipsa ablutio, inunctio &c. est materia proxima Sacramenti.

Respondeo.

Ad 1. d. min. Illud est pars, quo solo formaliter non posito non ponitur formaliter totum. c. quo solo tantum realiter non posito non ponitur realiter totum, n. maj. alias etiam Deus esset pars suæ creaturæ, quia Deo non posito non ponitur realiter creatura. Ponitur tamen formaliter Sacramentum, licet formaliter non ponatur transubstantiatio, sicut etiam Deus non ingreditur formalem conceptum creaturæ.

Ad 2. d. in solis accidentibus non datur ratio cibi & potus naturaliter. c. supernaturaliter. n. non enim virtus à pane relicta nutrit, sed virtus supernaturalis accidentibus panis & vini superaddita. Imo, etiamsi daretur ejusmodi naturalis virtus nutriendi in pane relicta, non tamen sequeretur, panem fore partem Sacramenti, sed ad summum sequeretur, panem importari in obliquo per modum connotati.

Ad 3. c. a. n. C. & p. disparitas est, quia alia sacramenta consistunt in actione transeunte; Hoc autem Sacramentum consistit in re permanente. Hinc in aliis Sacramentis ipsa forma Sacramenti significat actionem transeuntem. v. g. Ego *te abluo* &c. *te inungo* &c. Econtra in hoc Sacramento forma non significat actionem, nempe transsubstantiationem, saltem directe, sed rem permanentem. Verba enim Christi verificantur sufficienter, etiamsi in ultima Cœna prius transubstantiasse supponatur panem & vinum, ac dein dixisse: *Hoc est corpus meum; hic est calix sanguinis mei.*

Objicitur 7. Contra 8. Conclus. Ipsa sumptio est signum sensibile infallibiliter collativum gratiæ. Ergo est Sacramentum. 2. Eucharistia non habet vim completam causandi gratiam sine sumptione. Ergo est pars. 3. Hoc Sacramentum fuit institutum per modum cibi & potus. Erpo pro sui parte involvit sumptionem.

Respondeo.

Ad 1. n. 1. Sumptio enim solum se habet per modum conditionis seu applicationis ad hoc, ut causa producat effectum, sicut applicatio ignis ad lignum nil causat, sed tantum applicat causam.

Ad 2. n. a. Sicut enim ignis habet in actu primo vim completam urendi sine approximatione; ita etiam Sacramentum Eucharistiæ habet in actu primo vim completam reficiendi animam, quamvis in actu secundo non causet gratiam sine approximatione.

Ad 3. D. fuit institutum per modum cibi & potus in actu primo spectati. c. in actu secundo spectati c. Sicut panis est cibus, & vinum est potus in actu primo, etiamsi actu non sumantur, ita etiam Eucharistia est cibus & potus in actu primo ante sumptionem. Ad rationem cibi & potus in actu primo sufficit, quod habeant ordinem ad spiritualem refectionem animæ.

Dices 1. Ex hoc sequeretur; quod etiam in sacramento baptismi & Confirmationis &c. ablutio & inunctio &c. possint considerari per modum puræ conditionis. Sed hoc non potest dici. Ergo.

Respondeo n. min. quia in Sacramentis aliis vis collativa gratiæ adscribitur actioni transeunti, v. g. ablutioni, inunctioni. Econtra in Eucharistia vis collativa gratiæ adscribitur rei permanenti, prout patet ex textibus Scripturæ & SS. Patrum adductis.

Dices 2. Si alicui Eucharistia miraculose poneretur in stomacho, talis homo non consequeretur ex promissione divina gratiam. Ergo sumptio est pars Sacramenti. *ant. prob.* In Evangelio Joa. 6. tantum manducanti promittitur gratia. Si quis manducat hunc panem, vivet in æternum.

Respondeo. c. a. n. c. Ex hoc enim præcise sequitur, quod sumptio Eucharistiæ sit conditio per voluntatem divinam requisita ad causandam gratiam, sicut approximatio ignis.

Objicitur 7. Sacramentum Eucharistiæ non est unum specie. Ergo etiam debent assignari partes specie diversæ. *ant. prob.* Eucharistia sub specie panis est aliud Sacramentum, quam sub specie vini. Ergo *ant. prob.* 1. Hæ duæ species habent diversam materiam & formam. 2. Illæ causant diversas specie gratias. Ergo sunt etiam diversa sacramenta. 3. Si species panis & vini tantum constitueret unum Sacramentum adæquatum & completum, sequeretur, quod Laici sub una specie tantum sumerent sacramentum inadæquatum ac incompletum. Sed hoc non potest dici, quia alias haberent justam causam conquerendi, quod illis præbeatur Sacramentum tantum incompletum. 4. In Collecta Missæ post sumptionem Sacerdos dicit: *Purificent nos Sacramenta quæ sumpsimus.*

Respondeo n. a. ad prob. n. a.

Ad 1. D. a. Duæ species habent diversam materiam & formam in genere Sacrificii. c. in genere Sacramenti. n. Ad rationem enim Sacramenti in ordine ad collationem gratiæ sufficit alterutra Species; sed ad rationem sacrificii, in quo ex institutione Christi debet repræsentari mors Christi in cruce, & separatio sanguinis à corpore, debet necessario poni utraque species, in quarum prima vi verborum tantum corpus, & sanguis per concomitantiam, in altera autem vi verborum ponitur sanguis & corpus per concomitantiam.

Ad 2. n. a. Dico enim, quod utraque species eandem specie gratiam causet.

Ad 3. n. maj. & suppositum, quod juxta nos ambæ species simul sumptæ causent unum Sacramentum completum & adæquatum. Dico enim, quod quælibet species seorsim sumpta sit adæquatum & completum sacramentum. Hinc antiquitus infantes, & moribundi qui interdum accipiebant solum sanguinem, accipiebant totum, completum, & adæquatum Sacramentum.

Ad 4.

AD 4. D. dicitur; *Sacramenta, quæ sumpsimus &c.* intelligendo Sacramenta solo numero diversa. c. specie diversa. n. Sicut enim in pluribus baptizatis, Confirmatis, &c. sunt plura Sacramenta numero diversa; ita in diversis communicantibus, vel in eodem sæpius communicante dantur Sacramenta numero diversa. Hinc dico, sacerdotem sumentem ambas species non aliter se habere, ac eum, qui sumeret simul vel successive per unam actionem continuam diversas hostias, in quo verosimiliter gratia non augeretur, nisi ex opere operantis efficacior; tamen ex circumstantia convivii cum Christo.

DICES: Hoc Sacramentum institutum est per modum unius convivii completi, & refectionis justæ. Ergo non potest dici, quod in una sola specie habeatur ratio adæquata & completa Sacramenti. C. *prob.* Ratio completi convivii non habetur solum per cibum vel potum.

RESPONDEO. D. est institutum per modum completi convivii spiritualis. c. corporalis. n. In convivio spirituali non distinguitur cibus & potus.

QUÆSTIO IV.

Utrum verba formæ proferantur recitative, assertive, *vel* authoritative?

NOTANDUM I. Triplici modo proferri posse aliqua verba. PRIMO *recitative, narrative*, seu *historice* vel ut alii loquuntur, *materialiter*. v. g quando dicimus: Aristoteles dixit: Mundus est ab æterno. Angelus ad Mariam dixit: Ave gratia plena. Christus in cruce dixit: Pater, ignosce illis. SECUNDO proferuntur ASSERTIVE seu *formaliter*, & *significative*, quando videlicet affirmamus, rem eo modo se habere, quo verba sonant. v. g. quando demonstrantes hominem asseremus; hic est Petrus, hic est Rex; hæc herba est sana &c. TERTIO possunt verba proferri *authoritative*, quando videlicet verba proferuntur quidem *assertive*, sed nomine alieno, v. g dum in matrimonio Procurator contrahit nomine sui principalis, vel dum Legatus sancit fœdera pacis nomine sui Regis. Quamvis enim Procurator vel Legatus dicat: *consentio*; id enim non asserit suo nomine, sed nomine & authoritate illius, qui mandatum procuratorium dedit, & cujus voluntas ponendi effectum, etiamsi actu tempore contractus dormiat, virtualiter in actione Procuratoris vel Legati perseverat.

NOTANDUM 2. Triplicem hac in controversia reperiri sententiam. Nam PRIMO INNOCENTIUS III. l. 4. de Euch. C. 17. DURANDUS in 4. dist. 8. q. 2. MAJOR. quæst. un. ad 2. PICUS MIRANDULANUS in sua Apologia quæst. 10. AMBROSIUS CATHARINUS in Opusc. de verbis consecrat. ALPHONSUS SALMERON S. J. tom. 9. in Evang. Tract. 13. &c. docent; verba consecrationis tantum proferri *recitative, narrative*, seu *historice* SECUNDO *Marsilius, Gabriel*, & alii, quos sequuntur VASQUEZ, & alii, existimant, ea *assertive* tantum, seu *formaliter*, & *significative* proferri. TERTIO D. THOMAS p. 3. q. 78. a. 5. cum communi *D. Amort Tract. de Eucharistia.*

Thomistarum docet; verba consecrationis proferri simul *recitative*, & *significative*.

NOTANDUM 3. Posse esse aliam quartam sententiam, quod verba consecrationis proferantur quidem simul *recitative*, & *authoritative*, & *significative*, quin tamen proferantur *assertive* saltem *assertione grammaticali*, seu significatione grammaticali. Potest enim concedi; quod illa verba *directe* tantum proferantur *historice*, referendo historiam in ultima cœna gestam; sicut verba baptismi, confirmationis, matrimonii &c directe tantum significant actionem externam ablutionis corporalis, inunctionis corporalis, contractus civilis &c. Quia tamen Christo placuit, illas actiones & locutiones elevare ad rationem Sacramentalem, hoc est, ad novam *significationem symbolicam* earum rerum, quæ in anima geruntur, quin propterea verbis tribuatur nova significatio grammaticalis; ita potest dici; quod ipsa recensio seu commemoratio historica actorum à Christo in ultima cœna elevata fuerit ad rationem sacramentalem, hoc est, ad novam significationem symbolicam practicam, inquantum aquirunt à Deo virtutem transsubstantivam panis & vini in corpus & sanguinem Christi in ultimo instanti, quo Ecclesia in persona & authoritate Christi complere intendit suam narrationem seu recensionem historicam. In hac sententia verba consecrationis in sensu grammaticali sumpta proferuntur nomine proprio *recitative, narrative*, ac *historice*; in sensu autem symbolico, quatenus simul proferuntur nomine & authoritate Christi, repræsentant & significant id quod à Deo geritur, nempe transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Cæterum utrum hæc significatio verborum *symbolica* possit vocari locutio *assertiva*, posset esse controversia de nomine. Proprie enim loquendo illa sola locutio videtur dici *assertiva*, quæ in sensu grammaticali id significat, quod efficit, aut demonstrat. Hinc observo; D. Thomam l. c. caute abstinuisse ab hoc termino: *assertive*. Utitur enim tantum termino; *significative*.

DICO I. Verba consecrationis in sensu grammaticali accepta tantum proferuntur *recitative*, non *assertive*.

PROBATUR I. authoritate INNOCENTII III. qui in l. 4. de mysteriis Missæ C. 17. sic scribit: *Quæritur, quid demonstraverit Christus, cum dixit: Hoc est corpus meum? Ab hujus quæstionis laqueo facile se absolvit, qui dicit, quod Christus tunc confecit, cum benedixit. Si opponatur; quis tunc consecrat, cum Sacerdos illa verba pronuntiat? Respondetur, quod Sacerdos nihil demonstrat, cum illis verbis non utatur enuntiative, sed recitative.*

PROBATUR 2. ratione DURANDI. Si verba consecrationis in sensu grammaticali pronuntiarentur *assertive*, verba consecrationis secundæ essent falsa. Sed hoc non potest dici. Ergo *maj. prob.* In secunda consecratione dicitur: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur. Sed hoc est falsum in sensu grammaticali assertive loquendo. DURANDUS in 4. dist. 8. q. 2. ad 1. sic scribit: *Quidam dixerunt, quod prædicta verba proferuntur à Sacerdote so-*

lum recitative, & non significative, & ideo nihil falsitatis continent; quia sic recitantur, ut dicta fuerunt. Nec oportet, quod pronomina demonstrativa, nunc, demonstrent aliquid; quia non assumuntur ad demonstrandum, sed recitantur pro eo, quod demonstraverunt. Et istud verum est, quia verba non proferuntur à Sacerdote, nisi solum recitative, ut apparet ex his, quæ antecedunt verba consecrationis. Si enim nunc proferrentur aliquo modo significative, aut proferret ea Sacerdos ex propria persona, aut ut gerens personam Christi? Si in propria persona; falsum diceret; HOC EST CORPUS MEUM; *quia non est ibi corpus Sacerdotis. Si autem in persona Christi, adhuc falsum diceretur in his, quæ consequuntur formam consecrationis; quia dicitur ibi de sanguine Christi, qui pro vobis & pro multis effundetur. Constat autem, quod à nunc in posterum non effundetur.* Ita Durandus; quia tamen hoc ipso in loco, dum negat, verba consecrationis proferri *significative*, solum loquitur de significatione seu sensu *grammaticali*, non de significatione symbolica, quam habent ex institutione Christi. Nam eam significationem hac ipsa in quæstione admittit, dum ait: *Sufficit, quod verba consecrationis significant corpus Christi ibi esse ex institutione Christi ordinantis & intentione Ministri proferentis. Sufficit ergo, quod verba consecrationis significent id, quod continetur in hoc Sacramento non ex serie verborum præcedentium, sed ex institutione Christi, & intentione Ministri gerentis personam Christi.*

PROBATUR 3. Ratione alia JOANNIS MAJORIS, seu MAJERI. Illa sententia est præferenda, quæ est, planior, rationi conformior, atque ad complanandas omnes difficultates accommodatior. Sed talis est hæc nostra sententia. Ergo *min. prob.* partim ex solutione objectionum, partim ex serie verborum historica, quam per repentinam mutationem sensus non decet interrumpi, partim ex Liturgia Græcorum, qui transubstantiationem primum supponunt fieri post nostra verba consecrationis & invocationem Spiritus Sancti, subsequentem ad consecrationis verba. MAJOR dist. 8. q. un. sic scribit: „ Dico, quod illa verba proferun„tur recitave, ac si à Christo essent prolata; „ nec oportet, quod pronomen, *hoc*, aliquid „ demonstret; ac si dicerem: Christus dixit Pe„ tro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo* „ *Ecclesiam meam*; per pronomen, banc, non „ demonstro Petrum; solum enim materialiter „ & recitative illa dicimus: Eodem modo non „ est necesse, per pronomen, tu, demonstra„ re personam Petri, sed solum recitative illa „ verba proferuntur. Et sic non est consecrati„ va oratio illa verba, nec falsa, sed data nobis „ tanquam signnm, quod ipsa prolata ex pacto „ divino corpus Christi incipit esse in Hostia. „ Hæc est opinio D. Innocentii de Officio Mis„ sæ. Et licet hic modus dicendi Innocentii à „ plerisque aliis impugnetur, inter reliquos mi„ bi satis placet; nec intelligo aliquem modum „ ab eis positum ita rationabilem.

PROBATUR 4. Alia ratione PICI MIRANDULANI. Si verba consecrationis in sensu grammaticali accepta pronuntiarentur assertive, in secunda Consecratione Sacerdos significaret, sanguinem Christi non effundi pro se, sed pro aliis; sed hoc non potest dici. Ergo *min.* patet, quia dicit: Hic est calix sanguinis, qui pro vobis & pro multis effundetur. PICUS in sua Apologia quæst. 10. sic scribit: „ Dixerunt „ isti Magistri, quod hæc conclusio: Illa ver„ ba, hoc est corpus meum, quæ in consecra„ tione dicuntur, materialiter tenentur, & non „ significative, est scandalosa, & contra com„ munem opinionem Sanctorum Doctorum, & „ opinio Glossatoria in hoc non tenetur. Ego „ autem dico, quod sua determinatio est contra „ communem opinionem multorum Doctorum, „ & quod opinio Glossatoris potius, quam eo„ rum opinio in hoc est tenenda. Et quod ita „ sit patebit evidenter, habito intellectu con„ clusionis. Recitat enim Sacerdos, Christum „ dixisse Apostolis: *Accipite & manducate &c.* Sa„ cerdos enim consecrans nec loquitur Aposto„ lis, nec dicit eis: *Accipite &c.* Similiter es„ sent falsa illa verba: *Qui pro vobis & pro multis* „ *effundetur &c.* si significative sumerentur; eo „ quod sanguis Christi amodo non effundetur. „ Ergo illa verba solum recitative sumuntur, & „ propterea vox illa alterius vocis recitatoria „ est materialiter sumenda. Item, si non recita„ tive sed significative caperentur illa verba, „ denotaretur sanguis Christi effundi pro aliis, „ & non pro consecrante. Deberet enim dici „ potius, qui pro nobis. Ex quibus patet, quod „ opinio solennis Glossatoris de Consecrat. dist. „ 2. C. *timorem.* non est rejicienda, sed appro„ banda." Ita Picus, qui videtur ex ea causa à Censoribus Romania tulisse censuram, quod non distinxerit inter *significationem* verborum *grammaticalem* & *sacramentalem* seu *symbolicam*, negando omnimode, ea verba proferri significative. Dum autem pro se adducit authoritatem Glossatoris, notandum, quod Glossatur in Decretum Gratiani sic l. c. scribat: *Solet quæri, quid demonstretur per hoc pronomen,* HOC? *aut panis, aut corpus Christi? Ad hoc dico, quod per hanc dictionem,* HOC, *nihil demonstratur. Nam ipsa materialiter ponitur ibi. Sed hic quæro, qualiter per dictionem nihil significantem fiat transsubstantiatio? Ad hoc dico, quod ea vis data est ipsis verbis, quod ad eorum prolationem fiat transubstantiatio.*

PROBATUR 5. Triplici ratione CATHARINI. Nam 1. Christus non consecravit per hæc verba: *Hoc est corpus meum*, sed per benedictionem præviam, seu orationem invocatoriam. Ergo nec nos consecramus per illa verba *assertive* prolata. 2. Hæc verba assertive prolata non significant actionem transubstantiativam, v. g. dum de meo corpore dico: hoc est corpus meum: Deus vero, quando vult significare conversionem unius in alterum, utitur potius verbis præceptivis; v. g. *fiat lux; fiat firmamentum.* Gen. 1. Ergo hæc verba: *Hoc est corpus meum*, assertive prolata, non sunt idonea forma Sacramenti. 3. Si ea verba pronuntiarentur assertive, Græca Ecclesia erraret, quæ post pronuntiationem horum verborum primum invocat Spiritum Sanctum, ut transmutet panem & vinum in corpus & sanguinem Christi. Itaque potius dicendum, quod benedictio invocatoria, quæ apud Latinos præcedit, apud Græcos sequitur, tribust

tribuat vim transubstantiativam verbis recitative prolatis, seu commemorativis actorum à Christo. Textus notabilis CATHARINI in Opusculo de verbis Consecrationis sic habet: „ Est communis opinio, quod Dominus iisdem verbis consecravit, quibus & nos; hoc est, per illa verba: *Hoc est corpus meum.* Quidam ex adverso dixerunt, quod Christus, cum haberet potestatem excellentiæ, absque omni verborum forma hoc Sacramentum confecit. Jam enim perfecto Sacramento protulit verba illa: Hoc est corpus meum, quibus nihil effecit, sed solum enuntiavit, quod jam erat factum. Sunt enim suapte natura verba illa non effectiva, sed enuntiativa, ut de se patet. Hæc autem opinio fuit Sanctissimi & Doctissimi viri Innocentii Tertii. Hanc tamen opinionem B. Thomas non probat, sed putat esse contra historiam Evangelicam, ubi habetur, quod Dominus benedixit; quam benedictionem oportet verbis aliquibus fuisse expressam. Benedictio autem illa non aliud fuit, quam consecratio. Quo in loco animadvertendum est, quod S. Doctor non concludit (bene) ex Evangelio contra Innocentium. Quoniam Innocentius non negavit, Christum benedixisse aliquibus verbis, sed solum quod non observavit formam nobis traditam, nec certe ullam, sed potestate divina confecit, & postea formam verborum præstituit, quibus posteri consecrarent. Quare hæc opinio Innocentii non est alia ab illa, quam idem B. Thomas recitat secundo loco, & est eorum, qui ajebant, quod Christus aliis verbis benedixit, quæ non sunt ab Evangelistis commemorata. Verum contra hanc quoque opinionem arguit idem S. Doctor his verbis: Benedictio consecrationis nunc perficitur per imitationem eorum, quæ tunc acta sunt. Ego vero cum honore & reverentia tanti Magistri in gratiam veritatis non video, quid vigoris habeat hoc argumentum, cum illud sumat, circa quod versatur disputatio. Hoc est enim, quod negamus, videlicet in ea consecratione nos imitari Dominum. Sic enim decebat, ut nos, non sicut ille, conficeremus cum imperio & authoritate, sed ut Ministros alligatos certæ formæ. Præterea patet, quod juxta communem sententiam non imitamur Christum conficiendo, etsi ejus verbis utamur. Nos enim recitative commemoramus ejus acta & verba. Ipse autem sua verba pronuntiabat significando, non recitando, ut clare patet, nisi velimus protervire, sicut video paratos plerosque, quia jam sunt addicti & jurarunt in verba Magistri, atque ob istam gratiam merito notitia pulcherrimæ veritatis in nonnullis semetipsos privant. Non est autem parvæ authoritatis Innocentius Tertius cum ratione doctrinæ & sanctitatis, tum etiam ratione Pontificiæ celsitudinis. Vidit hoc S. Doctor Thomas, & excusans Pontificiam authoritatem dixit, quod illud locutus est *opinative*, non *determinative*. Et nos similiter authoritatem B. Thomæ excusamus, quod & ipse dixerit non determinative, sed opinative. Attamen etiam Innocentius Quartus, vir Pontificii gradus, atque insigniter doctus, eam opinionem tenuit in Scriptis suis super decret. ut in ore duorum ac tantorum Pontificum stet verbum verum. Sed objiciet quis ex adverso authoritatem multorum Scholasticorum, qui cum B. Thoma consentiunt. Et præterea Concilium Florentinum, ubi traditur doctrina Sacramentorum, contestatur, quod Dominus confecit verbis illis. Cui respondemus interpretantes, quod ideo confecisse illis verbis Christus dicitur, non quia ipse ea forma verborum usus fuerit, cum vere ipse confecit, sed quia illa sua verba aptavit, ut nos per illa conficeremus. Sicut cum dicitur, Spiritum Sanctum gemere & postulare pro nobis, propterea quod gemere nos facit & postulare, & quoties nos conficimus, ipse vere conficit. Simile quid proferimus dicentes: *Accipiens & hunc præclarum calicem &c.* Quomodo enim accepit Jesus hunc calicem in ea cœna, cum calix iste non esset? At quando Dominus in suis manibus accepit suum calicem, omnes accepit, quia virtutem dedit, ut possent suum sanguinem recipere. Mitto, quod poteram etiam respondere; quia fas est vera loqui, non ita cogi nos Conciliorum verba observare, ut putemus, in multis non indigere benigna interpretatione, præsertim cum docent, & non ex proposito certas quæstiones discutiunt, atque determinant. Cogor sic existimare propter Scripturæ testimonium. Legimus enim apud B. Lucam, quod Dominus accepto pane gratias egit, quod est benedixisse & consecrasse. Sic legitur apud Paulum; *gratias agens*, εὐχαριστήσας. B. Matthæus eodem usus est vocabulo, εὐχαριστήσας. B. Marcus dicit: εὐλογήσας, postquam benedixit, fregit &c. & de calice ait: accepto calice εὐχαριστήσας. postquam gratias egit, dedit eis. Scio, quod & hic occurrit B. Thomas exponens sic. Accipiens panem benedixit dicens: Hoc est corpus meum; & deinde fregit, & dedit discipulis suis. At cum reverentia, hoc non est exponere, sed mutare verba & cogere. Quod & ipsemet perspiciens adjungit: Sed idem sensus haberi potest verbis Evangelii non mutatis. Sed hic sensus manifestissime adversatur lectioni Græcæ, quæ clare dicit; quod postquam benedixit, fregit, & dedit discipulis suis. Quam ob rem nequeo desinere mirari Scholasticos fere communiter in eam persuasionem venisse, nisi quod plerumque ita solet, qua unus prior pergit, illac etiam alios pergere. Verum perspecta ratione quilibet saltem hærere deberet & dubitare. Nam quod Christus per ea verba consecravit, *Hoc est corpus meum*, est profecto novum, nec ullum habet in Scriptura exemplum, ut sermo enuntiativus & demonstrativus accipiatur ut imperativus. Dicere enim, *Hoc est corpus meum*, perinde est juxta eorum intelligentiam, ac si dixisset: Hoc fiat corpus meum, quod absque exemplo dicitur. Nam in rerum creatione non dixit: *Hæc est lux*, sed imperando dixit; *fiat lux*. Dixit, *fiat firmamentum*, non autem; *hoc est firmamentum*. „

„ Noster intelligendi & loquendi modus absque ullo scrupulo & inoffenso pede incedit, ut omnis quæstio & difficultas dissolvatur. Sic enim defenditur mos Græcorum, qui in tanta celebratione mysterii post recitata ea Christi verba, quibus nos consecrationem perficimus, ipsi vertunt orationem suam ad Christum, rogantes eum, ut dignetur venire in hostiam. Unde sequitur, nisi in ritu est error, eum nondum venisse in hostiam illis. Et ideo non vis est verborum, sed pacti & voluntatis divinæ. Unde nobis, qui ante oravimus, prolatis verbis suis confestim adest; Græcis vero, qui post recitata verba orant, ipsa oratione peracta adesse dignatur." Hucusque Catharinus Episcopus, qui Concilio Tridentino interfuit.

PROBATUR 6. Variis rationibus ac observationibus, quas P. SALMERON S. J. disputando in utramque partem, & suæ mentis propensionem ad nostram sententiam non obscure indicando adducit. Tomo IX. Tract. 13. sic scribit: „ Non abs re erit quærere, an Christus illa eadem forma (qua nos utimur) usus fuerit, an alia? Nam potuit aliis verbis conficere, & nobis formam conficiendi illis verbis præscribere; quemadmodum alia forma usus est in promovendis Apostolis ad Sacerdotium. Et sane utraque sententia suis nititur rationibus. Prior illa, quam B. Thomas cum sus Asseclis sequitur, bis fere argumentis confirmari potest &c. Altera sententia suos habet authores & rationes, quæ illam non improbabilem per se ostendunt, nisi Concilium Florentinum, & communis sensus adversaretur. Et inprimis (ita sentit) Innocentius III. Huic sententiæ (Innocentii tertii) subscribit *Innocentius IV.* In apparatu, quem edidit super decretum. Ex Scholasticis vero *Mayron*, *Gabriel Biel*, & nonnulli alii posteriores idem docent. Et ante eos *Odo* Episcopus Cameracensis exponens Canonem Missæ; *Titelmanus* longe post Odonem Canonem Missæ interpretans. Hujus sententiam secutus est *Michael* Episcppus Moguntinus in expositione Canonis Missæ. Et hactenus de Doctoribus, qui etsi antiquitate & sanctitate non sint cum reliquis conferendi, doctrina tamen & ratione minime sunt inferiores. Idem evincitur ex textu Evangelico. Inprimis enim dicitur, quod Dominus accepit panem, deinde benedixit; & postea fregit, & dedit discipulis. Cum igitur benedictio non sit superfina; illa enim solet Dominus convertere cteaturas, ut constat de quinque panibus apud Mathæum, & de septem panibus apnd eundem, nec dederit pnrum panem, nec hortatus sit ad illum accipiendum, sequitur, qnod cum dedit, jam facta erat transmntatio, & verba illa, *Hoc est corpus meum*, quid contineretur in pane, indicabant, non quid fieret, ita ut bæc verba, *boc est corpus meum*, non possint referri ad benedictionem, sed ad porrectionem. Ut etiam apertissime testatur *Justinus Martyr*, ad Antoninum Pium in Apologia, & Epiphanins in Ancoratu prope finem. Ad bæc Lucæ ultimo Christus sola benedictione consecravit, qnando discipulis euntibus in Emaus exhibuit corpus suum. *Secunda* ratio est, quia oportet formam Sacramenti significare id, quod efficitur in Sacramento. Ergo forma consecrationis debet significare ipsam conversionem. Sed profecto illis verbis nequaquam conversio significatur ex vi verborum; alias qui diceret; Hoc est corpus meum, demonstrando suum corpus, significaret conversionem alicnjns rei in corpus suum. Neque significatur conversio ratione snbjectæ materiæ, nisi subintelligatur præcedens conversio. At ista conversio (præcedens) ex verbis non accipitur, si ratione subjectæ materiæ subintelligenda fuerat. At præmissum est, quod forma ipsa verborum hoc debebat significare. Hoc autem pacto significatio potius venit à materia ipsa, & non declaratur per verba. *Tertio* ex textu idem videtur elici posse. Nam in hoc textu, *Hoc est corpus meum*, vel to, *est*, proprie sumitur, esse significat existere, sive improprie, prout denotat rem ibi fieri sive contineri? Semper tamen, *Est*, de præsenti denotat rem esse, etiam cum incipitur sermo. Ergo extraneum est dicere, significare rem fieri, vel fore vel contineri post prolationem verborum. Non enim, cum dicitur; Ego sum bomo, solum significatur, quod ero aut fiam homo post prolationem verborum, sed etiam in ipsa verborum prolatione. Agamus jam rationibus. *Prima* sit. Christus in aliis Sacramentis se præditum potestate excellentiæ ostendit, & nequaquam adstrictum verbis, quæ suis Ministris præscribebat. Sic enim absolvebat. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Constituit etiam in gradu Sacerdotali Apostolos juxta omnium Doctorum sententiam cum dixit: *boc facite in meam commemorationem.* *Secunda* ratio, & illa quidem firma, est. Quia illa positio magis est amplectanda, quæ minores patitur difficultates. Sed qui asserunt, eisdem verbis, quibus nos benedicimus, Christum confecisse, in multos incidunt scopulos pene inextricabiles, à quibua evadunt, qui sententiam oppositam consectantur." Ita SALMERON, licet in fine addat; hanc sententiam ob Decretum Concilii Florentini sibi non videri tutam.

DICO 2. Verba Consecrationis non tantum sumuntur *recitative*, sed etiam *significative* significatione symbolica.

PROBATUR. Christus in ultima Cœna testatur; Sacerdotes faciendo sui commemorationem idem effecturos, quod ipse effecit. Ergo cnm ipse effecerit conversionem panis & vini in suum corpus & sanguinem, manifestum est, ipsam illam cæremoniam commemorativam actorum à Christo, habere quandam significationem symbolicam transsubstantiationis ponendæ à Christo. ant. prob. Christus post consecrationem teste Apostolo 1. Cor. 11. Discipulis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde etiam Sacerdos post consecrationem, eam significationem sacramentalem practicam cæremoniæ consecratoriæ contestatur his verbis: Hæc quotiescunqne feceritis, in mei memoriam facietis.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. D. Thomas p. 3. q. 78. a. 5. docet; verba consecrationis pronuntiari simul recitative, & assertive. Ergo *ant. prob.* sic enim l. c. scribit: *Quidam dixerunt; quod ista locutio: Hoc est corpus meum, sumitur materialiter, cum recitative proferatur. Sed hoc stare non potest; quia secundum hoc verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, & ita non perficeretur Sacramentum. Manifestum est, quod non materialiter, sed significative* (à Christo) *sumebantur. Et ideo dicendum est, quod etiam, quando proferuntur à Sacerdote, significativè, & non tantum materialiter sumuntur.*

RESPONDEO. n. a. ad prob. d. a. S. Thomas docet; verba consecrationis sumi significative significatione simbolica seu sacramentali. c. significatione assertiva seu grammaticali. n. S. Thomas ex eo, quod Christus his verbis usus fuerit assertive, tantum infert, quod eadem verba à Sacerdote prolata habere debeant significationem saltem symbolicam, seu sacramentalem practicam, ut significent, idem fieri, quod Christus in ultima Cœna *factum esse*, aut *fieri*, in sensu grammaticali asseruit. Hæc explicatio colligitur ex toto discursu & contextu S. Doctoris. Nam admittit eam præcise significationem, quæ materiam Sacramenti de se indifferentem determinat ad rationem sacramentalem, & quæ prolationem verborum materialem in ultimo instanti prolationis facit practicam in esse sacramentali. Hoc autem totum fit per significationem symbolicam, seu sacramentalem, quam ista cæremonia commemorativa habet ex institutione Christi.

OBJICITUR 2. SS. Patres testantur, quod in consecratione Sacerdotali verba Christi, in ultima Cœna usurpata, sint operativa & transubstantiativa, quia non possunt esse falsa. Ergo supponunt, ea sumi assertive. *ant. prob.* 1. S. AMBROSIUS l. 4. de Sacram. c. 4. sic scribit: „ Consecratio quibus verbis est, & quibus ser„ monibus? Domini Jesu. Nam, ubi venitur, „ ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam „ non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur ser„ monibus Christi. Ergo sermo Christi conficit „ hoc Sacramentum. Quis sermo Christi? Nem„ pe is, quo facta sunt omnia. Jussit Domi„ nus; & factum est cœlum; jussit Dominus, & „ facta est terra; jussit Dominus, & facta sunt „ maria; jussit Dominus, & omnis creatura „ generata est. Vides ergo, quam operatorius „ sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in ser„ mone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ „ non erant, quanto magis operatorius est, ut „ sint, quæ erant, & in aliud commutentur? „ Accipe ergo, quemadmodum sermo Christi „ creaturam omnem mutare consueverit, & mu„ tat, quando vult, instituta naturæ. 2. D. „ *Chrysostomus* Hom. de proditione Judæ ait: Ad„ est nunc quoque Christus. Non enim est ho„ mo, qui hæc munera facit corpus & sangui„ nem Christi, sed Christus. Sacerdos quidem „ verba pronuntiat, potestas vero & gratia to„ ta Christi est. *Hoc est corpus meum*, ait: Hoc „ verbum res propositas transmutat. Nam „ quemadmodum vox illa, qua dictum est; Cre„ scite & multiplicamini & replete terram, se„ mel quidem dicta est, semper autem fit ope„ re, naturæ nostræ vim præbens ad generan„ dum, ita hæc quoque vox semel quidem dicta „ hoc Sacramentum integre perficit. 3. *Grego„ rius Nyssenus* de bapt. Recte panem divino „ verbo sanctificatum in corpus Domini transmu„ tari credimus; quemadmodum Apostolus ait „ (1. Tim. 4.) *Sanctificatur per verbum Dei & ora„ tionem*, non per cibum & potum procedens ad „ corpus verbi, sed a verbo, quemadmodum „ dictum est, transmutatus, nempe *hoc est corpus „ meum*. 4. *Eusebius Emissenus* Hom. de Pascha. „ Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in sub„ stantiam corporis & sanguinis sui verbo suo „ secreta potestate convertit, ita dicens: Ac„ cipite & manducate; Hoc est corpus meum. „ Ego sicut ad nutum præcipientis repente ex „ nihilo substiterunt excelsa cœlorum, pari po„ tentia in spiritualibus Sacramentis Verbi præ„ cipit virtus, & servit effectus.

RESPONDEO. D. testantur, quod verba Christi mentalia & præceptiva sint operativa in hoc Sacramento. c. verba Christi vocalia & assertiva. *subdist.* testantur, quod nunc sint operativa vi mentalis verbi, tunc in ultima cœna per verba vocalia assertiva indirecte manifestati. c. quod sint operativa vi suæ significationis grammaticalis præsentis. n. Si quis attente consideret omnes hos textus Patrum, patebit, eos non velle plus dicere, quam quod Christus in ultima Cœna suis verbis, tunc assertive prolatis, imperio mentali voluerit conferre perpetuam virtutem Sacramentalem transubstantiativam, quotiescunque à Sacerdotibus in sui memoriam recitative pronuntiantur.

AD 1. D. Operatorius est sermo Christi mentalis, quo verbis suis in ultima cœna assertive prolatis, & à Sacerdote recitative pronuntiandis contulit vim transubstantiandi. c. sermo Christi vocalis in ultima Cœna prolatus. n. Nam S. Ambrosius manifeste loquitur de verbo mentis, quo condita sunt omnia.

AD 2. D. Illud verbum Christi. Hoc est corpus meum, in ultima cœna prolatum, Sacramentum perficit ope imperii mentalis. c. sine tali imperio mentali. n. Cum S. Chrysostomus vim conficiendi Sacramentum tribuat verbo Christi *semel prolato*, manifestum est, quod non loquatur de verbo Sacerdotum vocali, sed de verbo Christi mentali, manifestato indirecte per illa verba enuntiativa in ultima Cœna prolata.

AD 3. D. credimus, transmutari panem per verbum Christi vocale ut substans verbo Christi mentali. c. ut non substans. n. Conceditur enim, quod per hæc verba recitative prolata accedente significatione Symbolica & verbo mentali Verbi transmutatur panis in corpus Christi, quin propterea illa verba debeant à Sacerdote proferri assertive.

AD 4. D. convertit substantiam verbo suo vocali recitative prolato habente suam vim à verbo Christi mentali. c. verbo suo vocali assertive per Sacerdotem prolato. n.

Objicitur 3. Concilium Florentinum in Instructione Armenorum, quæ ex consensu Romanæ Ecclesiæ scripta est, ut patet ex Bulla Eugenii IV. declarat, Christum consecrasse per illa verba: *Hoc est corpus meum.* Ergo cum Christus illis verbis usus sit assertive, & nunc Ecclesia iisdem verbis in persona Christi consecret, etiam Ecclesia illis verbis utitur assertive. *ant. prob.* Concilium Florentinum sic habet: *Forma hujus Sacramenti Eucharistiæ sunt verba Salvatoris, quibus confecit hoc Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi convertitur.* Ex quibus verbis colligitur; à Concilio per verba Christi intelligi. *Hoc est corpus meum.*

Respondeo. 1. n. a. & suppositum, quod illa *Instructio Armenorum* fuerit edita à Concilio Florentino. Consistit enim præcise in Epistola Pastorali Eugenii IV. ad Armenos, edita jam finito Concilio; unde etiam in novissima Editione Conciliorum Veneta, viginti tribus tomis in folio comprehensa, illa *Instructio Armenorum* inter Acta Concilii Florentini omissa est. Neque doctrina in illo Decreto contenta, licet præmisso prævio examine edita sit, pertinet ad Dogma fidei, quia Pontifex eam Instructionem non direxit ad totam Ecclesiam, neque ad illius fidem omnes fideles obligavit.

Respondeo. 2. n. a. ad prob. n. a. In illo enim decreto non dicitur *confecit*, sed, *conficit.* verissimum est. Christus enim nunc per illa verba recitative prolata, quatenus ex institutione ipsius habent significationem symbolicam, seu Sacramentalem, vere consecrat. Quod enim legendum sit, *conficit*, probatur ex editionibus magis correctis, v. g. Binii, & Bailii ubi legimus, *conficit.* In hac autem Lectione tolli omnem difficultatem, recte observat P. Salmeron his verbis: *Ad verba Concilii Florentini respondetur, quod si illa essent, prout habentur in multis exemplaribus, facilis esset solutio. Sic enim statuit: Verba hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Hæc ibi; quæ satis commode exponuntur, si dicatur, Christum conficere non quidem immediate per se, sed per Ministros illis verbis conficientes. Sicut enim dicitur, ipsum baptizare nobis baptizantibus, ita dicitur conficere nobis conficientibus.* Ita P. Salmeron.

Objicitur 4. Christus confecit hoc Sacramentum assertive illis verbis: Hoc est Corpus meum. Ergo etiam Ecclesia conficit hoc Sacramentum assertive illis verbis. *c. patet.* quia Ecclesia conficit hoc Sacramentum in persona Christi. Ergo in eodem sensu utitur verbis Christi, in quo illis Christus usus est. *ant. prob.* 10. Tertullianus l. 4. contra Marcionem c. 4. dicit: *Acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo.* 2. S. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. dicit: *Sicuti verbis baptismi creatura in novam creaturam transit; ita per illa verba Domini* (Hoc est Corpus meum) *panis & vinum mutatur.*

Respondeo 1. n. a. ad prob. D. *corpus suum fecit, dicendo hoc* testimonialiter de consecratione jam facta in priori instanti vel signo rationis. c. dicendo hoc causaliter seu efficienter. n. Hoc ipsum enim formalissime est in quæstione.

Ad 2. d. Per illa verba Domini *recitative*, & *significative* significatione symbolica prolata panis mutatur. c. per illa verba assertive prolata panis mutatur n. Hoc ipsum enim est in quæstione. Imo sicut in baptismo, & absolutione, & matrimonio verba pro priori signo rationis in sensu grammaticali accepta constituunt tantum materiale Sacramenti qua talis, in quantum eatenus recipiunt non novum sensum grammaticalem sed novam significationem symbolicam, ac virtutem sacramentalem practicam; ita etiam verba Christi in sensu grammaticali historice sumpta ex institutione Christi non accipiunt novum sensum grammaticalem, sed tantum novam significationem symbolicam & virtutem practicam sacramentalem.

Respondeo 2. tr. a. n. c. ad prob. c. a, n. c. Nam Ecclesia potest adhibere verba Christi etiam historice in Persona Christi, sicut contrahentes matrimonium dicunt: accipio te in maritum & conjugem, licet Christus non idem dicat in eodem sensu.

Objicitur 5. Formæ Sacramentorum id significant, quod efficiunt, & vicissim efficiunt, quod significant. Sed forma Eucharistiæ sunt illa verba: *Hoc est corpus meum.* Ergo hæc verba id significant, quod efficiunt. Atqui non significarent id, quod efficiunt, nempe transubstantiationem, nisi sumerentur *assertive*.. Ergo.

Respondeo. d. Id significant sacramentaliter, seu symbolice c. id significant grammaticaliter n. Ut enim recte P. Salmeron *arg.* 3. observat; nec forma matrimonii grammaticaliter sumpta, dum dicitur, *accipio te in meam*, significat in sensu grammaticali effectum sacramenti, sed tantum significatione symbolica, quam habet ex institutione Christi, & ex pacto. Idem observatur circa characterem baptismalem, & circa sanitatem corporalem, quæ efficiuntur, quin grammaticaliter significentur per formam baptismi & extremæ Unctionis.

Objicitur 6. Ecclesia ex verbis consecrationis, *Hoc est corpus meum*, contra hæreticos probat præsentiam Christi in Eucharistia. Atqui id non posset fieri, si ea verba non sumerentur assertive, sed tantum recitative.

Respondeo. d. probat præsentiam Christi ex iis verbis indirecte c. directe n. Ecclesia contra hæreticos utitur hoc discursu. In hoc Sacramento idem fit & efficitur, quod factum & effectum est in ultima cœna. Sed in ultima cœna facta & effecta est præsentia corporis Christi. Ergo. *Majorem* Ecclesia probat ex textu Apostoli 1. Cor. 11. & ex traditione. *Minor* probatur ex verbis testimonialibus Christi: Hoc est corpus meum. Ac certe; si quis Catholicorum contra hæreticos vellet probare præsentiam Christi directe ex verbis formæ, rideretur profecto ab hæreticis. Responderent enim, quod inter ipsos Catholicos gravissimi authores, Innocentius III. Innocentius IV. Catharinus in Tridentino Concilio promotus ad Epi-

Episcopatum &c. doceant, ea verba pronuntiari tantum *recitative*, in quantum sumuntur præcise directe in sensu grammaticali.

OBJICITUR 7. Ipsemet Innocentius III. relatus in c. *cum Marthæ.* de celebratione Missarum, testatur, Christum consecrasse illis verbis: *Hoc est corpus meum.* Ergo illa verba sumpsit non tantum testimonialiter, sed etiam causaliter seu efficienter. Ergo etiam eodem modo sumuntur assertive à Sacerdote. *ant. prob.* ex textu. *Quæsivisti*, *inquit*, *quis formæ verborum, quam ipse Christus expressit, cum in corpus suum panem transsubstantiavit, illud in Canone Missæ quo Ecclesia utitur generalis, adjecerit; qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo supponit Papa, Christum transubstantiasse panem iisdem verbis, & eadem forma, qua nunc Ecclesia utitur.

RESPONDEO cum SALMERONE l. c. n. a. Nam Innocentius III. ut alias in suis Epistolis solet, in hoc textu tantum recitat verba illius, qui sibi dubium proposuit; cum autem de verbis à Christo in sua consecratione adhibitis nulla fuerit quæstio, eam propositionem interrogantis, solum incidentem, in sua responsione intactam reliquit. Imo, ut recte P. SALMERON advertit, textus ille ne hoc quidem dicit; Christum illis verbis confecisse Sacramentum; sed quod ea verba protulerit, *quando* confecit sacramentum; neque opus est adverbia temporis sumi mathematice.

QUÆSTIO V.

Utrum aqua vino admixta per consecrationem immediate transeat in sanguinem Christi.

NOTANDUM I. Ex more Ecclesiæ in Sacrificio Missæ misceri modicam aquam vino consecrando. Hunc morem descendere ex traditione Apostolica, indubitatum est; quia de illo jam testantur Patres secundi, tertii, & quarti sæculi. S. JUSTINUS in Apolog. 2. describens cœremonias in Sacrificio Missæ adhiberi solitas ait: *Precibus finitis* (post offertorium) *mutuis nos osculis salutamus. Dein ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini &c.* 2. S. Irenæus l. 4. c $\frac{13}{17}$. dicit: *Quando panis & mixtus calix percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.* Per mixtum calicem intelligit vinum aqua mixtum. Hinc in eodem loco ait: *Dominus temperamentum calicis suum esse sanguinem asseveravit.* 3. S. CYPRIANUS Ep. 63. ad Cœcilium scribit: *In calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix mixtus vino offeratur. Nam & Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit. Sed & Spiritus Sanctus typum Dominici Sacrificii præmonstrat* (Sap. 9.) *Sapientia, inquit, miscuit in cratera vinum suum. Vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænuntiat.* 4. Concilium CARTHAGINENSE III. anno 397. ait: *In Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum* 5 Concilium TRULLANUM anno 692. *Si quis non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, & aquam vino miscens offert sacrificium, deponatur, ut imperfecte mysterium enuntians, & quæ tradita sunt, innovans.*

NOTANDUM 2. Per eam commixtionem aquæ & vini significari duo ab Ecclesia; nempe *primo*, quod ex latere Christi mortui in cruce exierit sanguis & aqua. *Secundo*, unio populi Christiani cum Christo. Ita de secunda significatione testatus S. Cyprianus l. c. n. 37. ubi dicit: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi, Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur; quæ copulatio aquæ & vini sic miscetur, ut commixtio illa ab invicem non possit separari; unde Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia fideliter & firmiter perseverantem nulla res separare poterit à Christo.* Priorem autem significationem adjungit EUGENIUS IV. in Instructione ad Armenos.

NOTANDUM 3. Quantitatem æquæ vino miscendæ fuisse variam. Antiquitus sumebatur tertia pars aquæ. Ita testatur Concilium TRIBURIENSE anno 895. Can. 19. ubi dicitur: *Duæ sint partes vini; quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.* Sic etiam Honorius III. circa annum 1217. in cap. in c. *perniciosus. De celebratione Missarum.* dicit: *Perniciosus inolevit abusus, quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino; cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum.* Sed Eugenius IV. in Instructione Armenorum dicit: *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet.*

NOTANDUM 4. Quæstionem in eo versari, utrum aqua vino mixta debeat ante consecrationem physice mutari in vinum; vel an sufficiat, ut tantum moraliter mutetur in vinum, sicut in æstimatione morali totum mixtum simpliciter habeat denominationem vini? Quæstio eadem sub aliis terminis proponi solet; an aqua immediate convertatur in sanguinem Christi? Philosophi Neoterici, qui existimant, vinum etiam naturale in consideratione physica tantum esse compositum accidentale ex aqua naturali & aliis principiis chymicis, omnium facillime se expediunt ab hac quæstione. Similiter illi, qui in compositis naturalibus admittunt formas partiales, seu partes sub diversis formis substantialibus heterogeneas, quales a Recentioribus admitti solent in corpore humano, etiam faciliter respondent, partes aquæ per mixtionem fieri partes vini sub propriis formis partialibus, quarum nimia multiplicatione hebetatur aut omnino extinquitur forma principalis hujus compositi, nempe forma vini. Et ita docui in *Philosophia Pollingana.* Verum Thomistæ, qui supponunt ex *Philosophia*, in uno composito physico dari unicam formam substantialem, ad hoc, ut dicatur consecrari vinum, necessario coguntur admittere, aquam vino mixtam ante consecrationem debere mutari substantialiter à forma aquæ ad formam vini.

DICO

Dico. Traditioni conformius est, aquam vino mixtam immediate converti in sanguinem Christi.

Probatur 1. SS. Patres, quando loquuntur de transsubstantiatione, dicunt, panem & vinum & aquam converti in corpus & sanguinem Christi. Ergo sicut panem & vinum asserunt immediate sub ratione sua specifica converti, ita etiam supponunt, aquam immediate sub ratione sua specifica converti in sanguinem Christi. *Ant. prob.* 1. S. Justinus in Apolog. 2. dicit: *Dant unicuique eorum, qui adsunt, panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt. Atque cibus hic apud nos Eucharistia vocatur.* 4. S. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. *Vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratus.* Et c. 5. *Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus. Ubi autem verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur.* 3. S. Hyeronimus, vel ut alii citant Ven. Beda in c. 14. Marci. *Format sanguinem suum in calice vino & aqua mixtis, ut alio purgans à vitiis, alio redimens a pœnis.* 4. S. Damascenus l. 4. de fide orthod. c. 14. *Panis, vinum, & aqua per invocationem & adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi.* 5. Gregorius Patriarcha C. P. c. 4. de usu Sacramenti. *Panis fit corpus Christi & vinum & aqua sanguis Christi superventu Spiritus Sancti.* 6. Salmonas Episcopus Gazensis. *Christus sub specie panis & vini & aquæ abditum corpus suum & sanguinem ad sumendum tradit.* 7. Paschasius Abbas Corsejensis in l. de Sacram. altaris. *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed quod convertatur in sanguinem.* Similes textus reperiuntur in *Irenæo, Augustino, Gregorio M. Martino Braccarensi, Hildeberto, Algerio*, & aliis, de quibus videri potest *Aresius* in opusculo de Transsubstantiatione aquæ.

Probatur 2. ex sensu Ecclesiæ. Nam 1. si Ecclesia requireret ante consecrationem aquæ conversionem in vinum, non potuisset primis duodecim sæculis admittere, ut vino admisceatur pars tertia aquæ, prout *Notando* 3. ostensum est. Neque enim potuisset universaliter & certo supponere, tertiam partem aquæ intra tam exiguum spatium temporis etiam in aere frigidissimo substantialiter converti in vinum, præsertim in casu, quo Sacerdos obliviosus, dum prius fuerat oblitus affundere aquam, immediate eam ante consecrationem affundit. 2. Cum Ecclesia nullam faciat distinctionem inter vinum debile ac forte, non potuisset Ecclesia uniformiter sine scrupulo sua praxi veteri operari; quia Sacramentum exposuisset probabili periculo nullitatis. 3. Conversio totius mixti ab Ecclesia habetur tanquam certa & indubitata. Ea autem non posset haberi pro certa, si alligaretur ea suppositio conversioni incertæ aquæ in vinum. 4. Ecclesia supponit, totum post consecrationem esse adorandum, quod reperitur in calice; sed hoc non posset supponi, si præsupponeretur substantialis mutatio aquæ in vinum. 5. Si vera esset opposita sententia, Ecclesia consecrando deberet habere intentionem conditionatam, ac suam intentionem alligare huic conditioni, si aqua jam fuit substantialiter conversa in vinum. Sed hoc est contra praxin Ecclesiæ. 6. Si opposita sententia esset vera, debuisset vetus Ecclesia uti eadem præcautione, quâ utuntur multi Patroni oppositæ sententiæ, ut aqua statim ab initio Missæ affundatur vino. Sed hac cautione nunquam fuit usa Ecclesia. Constat enim ex S. Justini textu superius Notando 1. adducto, quod *finitis precibus*, hoc est, post nostrum offertorium, dum Catechumeni & Pœnitentes jam fuerant dimissi, panis, vinum & aqua fuerint Præsidi oblata.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Innocentius III. in c. *cum Marthæ*. de Celebrat. Miss. docet, eam sententiam esse probabilem, quæ asserit, aquam prius in vinum, quam in sanguinem Christi commutari. Ergo. 2. Idem l. c. supponit tanquam certum, quod vinum post consecrationem vino consecrato affusum non convertatur in sanguinem, sed maneat tantum circumfusum partibus vini consecrati. Ergo, si etiam aqua ante consecrationem per juxtapositionem tantum esset circumfusa partibus vini sine conversione substantiali, non converteretur in sanguinem Christi. 3. Idem in l. 4. de Mysterio Missæ c. 4. dicit, quibusdam non videri absurdum, quod aqua cum vino transeat in sanguinem ea ratione, quod aqua vino admixta transit in vinum.

Respondeo.

Ad 1. n. a. nam Innocentius III. tantum refert tres sententias inter se quoad terminum conversionis, non quoad modum præcise oppositas, inter quas secundam ut probabiliorem approbat. Prima dicebat; aquam vino admixtam transsubstantiari in aquam, quæ fluxit ex latere Christi. Secunda dicebat, eam converti in sanguinem Christi, idque vel mediate, vel immediate. Tertia dicebat aquam vino admixtam nec converti in sanguinem Christi, nec in aquam, quæ ex latere fluxit; sed remanere etiam post consecrationem circumfusam partibus vini. Inter has tres sententias præfert secundam, non determinando modum, utrum aqua immediate transeat in sanguinem, vel mediate, quem posteriorem modum observat esse contrarium doctrinæ physicorum.

Ad 2. c. a. n. c. nam inferendum potius erit contrarium. Si enim aqua post conversionem non convertitur in naturam vini, quod juxta adversam sententiam connaturaliter deberet fieri, signum est, quod etiam ante consecrationem aqua non convertatur in vinum; & nihilominus ob moralem mutationem in æstimatione hominum immediate convertatur in sanguinem, ita volente Christo, licet post consecrationem Christus nolit amplius novas circumfusas particulas vini vel aquæ transsubstantiare. Textus notabilis Papæ hunc sensum confirmat. Sic habet: *Quæsivisti, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quod cum de latere Christi fluxerint* (sanguis & aqua,) *in illa duo vinum & aqua mutantur, ut in hoc Sacramento plena sit veritas & figura. Alii tenent, quod aqua cum vino trans-*

transsubstantialiter in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino; licet Physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua (nec mediate nec immediate) *transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporem assumit: quod inde convincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum corporis, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum. Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari* (abstrahendo, an id mediate fiat, vel immediate.) Ita quoad sensum Innocentius III.

Ad 3. d. dicit hoc narrative c. approbative n. Qui enim refert aliorum sententiam, non eoipso illam approbat. Dein aliud est, approbare tanquam probabilem sententiam aliquam; & aliud est, approbare rationem sententiæ. Pontifex solum agnoscit, probabilem esse sententiam, quod aqua transmutetur in sanguinem; non vero approbat, sed potius improbat rationem sententiæ, nempe quod hoc ideo fiat, quia prius aqua mutatur in vinum.

Objicitur 2. Aqua non est materia idonea consecrationis; ergo non potest immediate transsubstantiari in sanguinem Christi. *Ant. prob.* ex concilio Florentino in Instruct. Amen: ubi Eugenius IV. expresse contradistinguit materiam Eucharistiæ ab aqua. Sic habet: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis & vinum, cui aqua modicissima admisceri debet.*, 2. Eugenius IV. in textu proxime relato aquam modicissimam requirit. Ergo supponit, aquam prius debere converti in vinum.

Respondeo.

Ad 1. d. aqua moraliter considerata, quamdiu adhuc in æstimatione morali retinet denominationem aquæ c. physice spectata. *subd.* per se ac ratione sui. c. per concomitantiam n.

Ad 2. c. a. n. c. ratio enim summi Pontificis est, quia nonnunquam reperiuntur vina adeo debilia, jam prius à cauponibus *lymphata* seu *adaequata*, ut si in notabili quantitate affundatur aqua, timendum sit, etiam in æstimatione morali cessaturum nomen vini, ac futuram potius *aquam vinosam.*

Objicitur 3. Concilium Tridentinum Sess. 13. Can. 2. definit; in hoc Sacramento post consecrationem manere *duntaxat species panis & vini.* Hoc autem non esset verum in nostra sententia. Ergo. min. prob. In nostra sententia remanerent etiam species aquæ. 2. Idem Concilium eadem Sess. Can. 3. definit; In hoc Sacramento *sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei particulis separatione facta totum Christum contineri.* Hoc autem non esset verum in nostra sententia. Ergo. m. prob. In nostra sententia, si species aquæ separarentur à speciebus vini, sub illis non amplius contineretur Christus.

Respondeo.

Ad 1. d. definit manere duntaxat species panis & vini consideratì in æstimatione morali. c. spectati in consideratione physica n. Concilium sub nomine vini intelligit omne id, quod in æstimatione hominum comprehenditur sub hoc termino, sive reipsa partes hujus totius sensibilis sint similares & univocæ, sive heterogeneæ, ac specie diversæ.

Ad 2. d. definit sub unaquaque specie in æstimatione morali spectata Christum contineri c. in consideratione physica spectata. n. Sensus patet ex dictis. Hinc si aliquando contingeret particulas seu species aquæ separari à toto composito, sub iis non amplius contineretur Christus, quia in æstimatione morali non amplius retinerent nomen vini usualis.

Objicitur 4. D. Thomas p. 3. q. 74. a. 8. c. docet, aquam ante consecrationem converti in vinum. Ergo. 2. Catechismus Romanus, Concilii Tridentini jussu conscriptus p. 2. c. 4. n. 16. non solum idem docet, sed etiam testatur, hanc esse *Scriptorum Ecclesiasticorum sententiam.*

Respondeo.

Ad 1. d. docet, aquam ante consecrationem converti in vinum conversione morali c. conversione physica n. Ratio D. Thomæ, quod tantum modica aqua debeat affundi, plus non probat, quam ante consecrationem fieri debere conversionem moralem aquæ in vinum, ita ut fiat perfecta partium commixtio, quæ nulla separatione partium operatione humana sola tolli possit. Si enim affunderetur aqua in magna quantitate, partes aquæ non tam facile ab invicem separarentur, & sic remaneret aqua etiam in æstimatione morali, ita ut actione humana à partibus vini juxtapositis separari posset. Id etiam experimento facili demonstrari potest. Nam si mediante linteo lentissime per marginem sinatur delabi notabilis quantitas aquæ in calicem, in cujus fundo continetur vinum, vel ea in crustulum panis innatans vino sensim immittatur, ea aqua, instar olei & lactis, non statim permiscebitur vino, sed etiam adhuc extrahi, & quoad sensum aqua comprobari poterit.

Dixi, *sola operatione humana.* Nam si adhibeatur operatio artificialis ope ignis, etiam ex spiritu vini adhuc elici pura aqua poterit, prout describitur in Actis Academiæ Regiæ Parisiensis. Si enim fumatur poculum stanneum vino adusto plenum, illudque imponatur in medio pelvis cupreæ, aqua frigida continuo ex fonte illabente usque ad summum poculi stannei repletæ, ac dein vinum adustum, etiam optimum, incendatur, post exhalationem vini remanebit ejus loco in fundo notabilis quantitas aquæ, quæ continebatur quidem in spiritu vini, sed ob frigus circumstans retinebatur, ne simul evolaret cum vino.

Ad 2. d. docet, Scriptorum esse sententiam, quod aqua ante consecrationem convertatur in vinum conversione morali c. conversione physica n.

Objicitur 5. Si aqua immediate converteretur in sanguinem, daretur triplex materia con-

consecrationis, sed hoc est falsum. *Ant. prob.* materia consecrabilis esset panis, vinum & aqua. 2. Christus in ultima cœna solum dixit: *Non bibam de hoc genimine vitis*, non vero dixit: *& elemento aquæ*. 3. C. *cum omne*. 7. de Consecrat. dist. 2. dicitur: Præter panem & vinum aliud offerre non licet. 4. Aqua admiscetur vino non ex institutione Christi, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ. Ergo non potest esse immediata materia consecrationis. c. patet; quia Ecclesia non potest instituere materias Sacramentorum.

RESPONDEO.

AD 1. d. daretur triplex materia, si aqua in æstimatione morali spectata immediate converteretur in sanguinem c. si tantum convertitur in consideratione physica spectata, ita tamen ut in æstimatione morali comprehendatur sub termino vini n. Sensus patet ex dictis.

AD 2. d. Christus hoc dixit de genimine vitis mixto c. puro n. Nam etiam Christus more Judæorum vino lymphato in ultima cœna usus est. Imo raro habetur vinum tyrolense in nostra Bavaria, cui non statim in prima fermentatione notabilis quantitas aquæ affusa est. Verosimile est, idem fieri in vinis Palæstinæ.

AD 3. d. non licet aliud offerre, quod in æstimatione morali non comprehenditur sub termino seu nomine vini c. aliud in consideratione physica spectatum n.

AD 4. n. a. Ut enim Ludovicus VEIL in Matthæum, & UGOLINUS, aliique observant, ipsemet Christus more Judæorum usus est vino lymphato.

RESPONDEO 2. tr. a. d. c. Ergo aqua in æstimatione morali spectata adhuc retento nomine aquæ non potest esse materia consecrationis c. In consideratione physica spectata, attamen conversione morali mutata in vinum n. Sensus patet ex dictis.

OBJICITUR 6. Ex nostra sententia sequeretur 1. quod valida esset consecratio, si vino generoso ante consecrationem affunderetur aqua in æquali vel etiam in majore quantitate. 2. Quod, si vino affundatur aqua rosacea, vel succus absinthii, vel alius similis liquor, etiam ea aqua, vel succus immediate converteretur in sanguinem, quia hoc totum in æstimatione morali esset vinum. 3. Quod etiam Musca, pulvisculus, vel pilus, si forte in calicem incidant, immediate convertantur in sanguinem.

RESPONDEO.

AD 1. d. sequeretur, quod ea consecratio esset dubie valida tr. certo valida n. Cum enim in tali casu merito dubitandum esset, an illud totum potius in æstimatione morali mereretur nomen *vini lymphati*, vel *aquæ baptizatæ*, ea materia & consecratio pro dubia habenda foret. Ob hanc ipsam dubietatem HONORIUS III. *Notando* 3. relatus eum morem *pernitiosum abusum* vocavit.

AD 2. d. sequeretur, quod etiam hi liquores immediate converterentur in sanguinem conversione dubia. tr. conversione certa n. Cum enim in tali casu dubium foret, utrum vinum sic mixtum adhuc comprehendatur sub nomine vini usualis, etiam materia & consecratio foret dubia. Si quis autem contendat; vinum ejusmodi adhuc in æstimatione morali comprehendi sub nomine vini, consequenter dicendum foret, etiam partes immixtas, utut solidas, prout sunt salia chymica in vino contenta, per modum partium integrantium vini, immediate converti in sanguinem. Hoc ipsum dicendum foret, de vinis sulphuratis, qualia esse solent vina Austriaca, vel de vinis medicatis per varias medicinas præservativas, aut reparativas v. g. per cremorem lactis, ova, saccarum, &c. Dicendum enim est, particulas immixtas, si perfecte misceantur, ita ut per præcipitationem artificialem facile separari nequeant, immediate converti in sanguinem. Si autem non fuerit perfecta mixtio, sed tantum juxtapositio partium, dicendum, ejusmodi particulas immixtas nec immediate nec mediate converti in sanguinem, sed remanere non consecratas,

AD 3. n. a. quia manifestum est, ejusmodi materias non commisceri per mixtionem perfectam, sed tantum per juxtapositionem.

OBJICITUR 7. Aqua vino admixta dividitur in minutissimas particulas. Ergo non potest diu resistere activitati agentis fortioris, sed necessario convertitur in vinum. 2. Aristoteles l. 1. de Generat. C. ult. dicit: Modicum vinum ab aquis in aquam converti; Ergo etiam vicissim modicum aquæ convertitur in vinum.

RESPONDEO.

AD 1. tr. a. d. c. Ergo non potest diu, hoc est, integro die, resistere, quin transeat in vinum refractum per novas formas partiales aquæ. c. diu, hoc est, per aliquot Minuta. n. Quando enim immediate ante consecrationem affunditur aqua in casu commissi defectus ex parte materiæ, prout præscribunt Rubricæ, inter affusionem & consecrationem vix intercedit dimidium Minutum.

DIXI *in vinum refractum*, quia ex *Philosophia Pollingana* suppono, quod partes aquæ alteratæ retentis tamen primariis proprietatibus fiant partes integrantes novi, ita ut sub forma propria partiali dependeant tamen a forma principali ipsius vini, cum ejusmodi formæ partiales subordinantur.

AD 2. d. docet, hoc fieri successive & post intervallum congruum temporis. c. in instanti n. vel *subd.* ita tamen, ut partes mixtæ in novo composito retineant diu suas proprias formas partiales, formæ principali subordinatas. c. ita ut eas non retineant. Quod enim ab ejusmodi partibus mixtis retineantur propriæ earum formæ partiales, in præfata *Philosophia*, ab experientia ostensum est.

DIS-

DISPUTATIO III.

De Tranſubſtantiatione.

In hac Diſputatione quæritur
1. Quid ſit tranſubſtantiatio?
2. Quid ſint accidentia Euchariſtica?
3. Reſolvuntur varia dubia circa hoc myſterium & ejus proprietates.

QUÆSTIO I.

NOTANDUM 1. Eſſe de fide, quod in Sacramento Euchariſtiæ fiat tranſubſtantiatio pania & vini in corpua & ſanguinem Chriſti. Ita definitum eſt in Concilio Tridentino Seſſ. 13. Can. 2. ubi ſic babetur: *Si quis dixerit in Sacramento Euchariſtiæ remanere ſubſtantiam panis & vini, una cum Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catbolica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit.*

NOTANDUM 2. Licet terminus *tranſubſtantiationis* in Scriptoribus Eccleſiaſticis in primis ſæculis ſaltem apud Latinos, non videatur fuiſſe in uſu, res tamen ipſa per nomen ſignificata manifeſte probatur ex conſtanti traditione Eccleſiæ. Cum enim Patrea teſtentur, *bunc panem* qui in altari eſt, poſt conſecrationem *eſſe corpus Cbriſti, ibi non amplius dari panem*, qualis erat ante conſecrationem; *panem fuiſſe mutatum in corpus Cbriſti*, hic uniformis modus loquendi à Patribus uſitatus in ſenſu proprio ac obvio non poteſt intelligi ſine mutatione ſubſtantiali unius in alium, ſeu, quod idem eſt, tranſubſtantiatione. Textus Patrum videri poſſunt ſuperius Diſput. 1. quæſt. 3. præſertim *S. Juſtini*, *Origenis* n. 5. *Cyrilli Jeroſolymitani* Catecheſi 5. *S. Ambroſii* l. de initiandis c. 9. *Tertulliani* l. 4. contra Marcionem, *Gregorii Nyſſeni* in Catecheſi c. 37. & Orat. de bapt. *Gaudentii Brixienſis*, *S. Cbryſoſtomi* Serm. 32. de proditione Judæ, *S. Auguſtini* Serm. 87. *Cyrilli Alexandrini* in Joan. c. 13. *Euſebii Gallicani*, & *Liturgiarum*, quas retuli Diſp. 2. q. 2. Porro etiam terminus tranſubſtantiationia, *μετεσίας*, reperitur in *autbore* l. 1. *de cæleſti Hierarcb.* c. 1. qui vixit ſæculo quarto, aut certe quinto ineunte, ubi dicitur: *Mens noſtra ad cæleſtium contemplationem excitari non poteſt, niſi rerum corporearum præſidio, per Jeſu tranſubſtantiationem, μετεσίαν, divinæ Eucbariſtiæ perceptionem.*

NOTANDUM 3. Hanc tranſubſtantiationem etiam à Scriptoribua Catbolicis diverſimode fuiſſe explicatam. Nam

1. RUPERTUS Abbas l. 6. in Joannem cenſet, eam mutationem fieri per hoc, quod panis aſſumatur a Chriſto bypoſtatice à Chriſto, ſicut natura humana fuit aſſumpta in unitate ſuppoſiti. In §. *Quomodo panis cæleſtis fit panis viſibilis?* ſic ſcribit: *Sicut verbum caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem; ſic idipſum Verbum, jam dudum caro factum, panis viſibilis fit, non non mutatum in panem, ſed aſſumendo & in unitatem perſonæ ſuæ transferendo panem. Proinde ſicut de carne noſtra, quam Virgo Maria peperit, fatemur propter unitatem perſonæ, quia Deus eſt, ſic de pane iſto viſibili, quem Verbi divinitas aſſumens in carnem ſuam transfert, vere & catbolice confitemur, quia corpus Cbriſti eſt.* Eodem modo loquitur in l. 2. de divinis officiia c. 9. Verum, quia in hac ſententia pania proprie non mutaretur in corpus Chriſti, ſed manendo in ſua natura ſolum aſſumeretur, ſicut natura humana in Chriſto per aſſumptionem non fuit mutata, Ideo hæc ſententia, prout jacet, ab omnibua rejicitur. Si vero Rupertus in Euchariſtia admiſiſſet aliud genus aſſumptionis, nempe talia, per quam non ſolum tollitur ſubſiſtentia, ſed etiam individuatio rei præexiſtentia, forte mitius à Tbcologis fuiſſet habita hæc doctrina. Sublata enim individuatione rei ſaltem ſalvaretur, quod in Euchariſtia non remaneat ſubſtantia panis, ſicut juxta Thomiſtaa, qui in morte hominia docent fieri reſolutionem usque ad materiam primam, quæ non eſt poſitive, ſed tantum negative una, ut *P. Pbilippus de SS. Trinitate* docet. Verum eſt dicere, non manere idem numero corpus in tumulo, quod fuit in vita. Itaque tolleretur ſubſtantia pania prioria, ſi Rupertus admiſiſſet, tolli etiam individuationem formæ & materiæ panis, ſalva earum ſola eſſentia, quæ juxta Thomiſtas diſtinquitur realiter ab exiſtentia, & à dimenſionibus individuantibua ſubſtantiam. Simile quid admitti debet in diviſione continui, ubi ſublata priori individuatione rei ponuntur duæ vel plures aliæ individuationes; item in accidentibus mutato ſubjecto, v. g. aquæ calidæ in aerem calidum. Forte Cajetanus id inſinuare voluit, dum in p. 3. q. 75. a. 4. ſcripſit, nullam quidem remanere partem ſubſtantiæ panis, remanere tamen id, quod fuit pania. Hæc doctrina eo facilius admitti poſſet ab iis, qui docent, prædicata accidentalia & ſubſtantialia non differre intrinſece, ſed tantum per diverſum modum aſcendi.

2. Alio modo explicavit tranſubſtantiationem DURANDUa, qui docuit, in hac mutatione Euchariſtica panis in corpus Domini remanere materiam primam panis. Sicut enim in aliis mutationibus ſubſtantialibua, v. g. ligni in ignem, fit *mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente*, prout converſionem ſubſtantialem Ariſtoteles deſcribit; ita cenſet, totum panem converti in corpus Chriſti, licet materia prima panis remaneat; neque plus ex verbis Chriſti, vel ex traditione Patrum elici poſſe. In 4. diſt. 11. q. 3. ſic ſcribit: *Communiter dicitur, quod in converſione ſubſtantiæ panis in corpus Cbriſti totum convertitur in totum. Quod exponitur dupliciter. Uno modo, quod materia convertitur in materiam, & forma in formam, & ſic totum in ſecundùm proportionem partium. Alio modo, quod materia panis convertitur in materiam & formam corporis Cbriſti, & forma panis ſimiliter. Utraque tamen opinio ponit, quod nec maneat materia nec forma panis in ſe, vel in corpore Cbriſti poſt converſionem.*

nem. *Nam in corpore Chriſti nec plus nec minus eſt poſt converſionem, quam ante. Salvo meliori judicio poteſt æſtimari, quod converſio ſubſtantiæ ponis in corpus Chriſti fit per hoc, quod corrupta forma panis materia ejus fit ſub forma corporis Chriſti virtute divina, ſicut materia alimenti fit ſub formo nutriti virtute naturæ. Et hoc tangit* DAMASCENUS *l. 4. c. 5. quod quemadmodum naturaliter per comeſtionem panis, & vinum & aqua per totum, in corpus & ſanguinem comedentis tranſmutatur; ita proportionaliter panis & vinum ſupernaturaliter tranſit in corpus & ſanguinem Domini. Non tamen per hoc oportet, corpus Domini in aliquo mutari ſubſtantialiter, quia nec per adventum alimenti mutatur corpus nutriti ſubſtantialiter. Prædictus modus converſionis eſt poſſibilis; alius autem modus, qui communiter tenetur, eſt inintelligibilis, nec unus iſtorum eſt magis per Eccleſiam approbatus, quam alius, nec oportet, difficultates fidei difficultatibus ſuperaddere. Ex his patet; quod proprius modus loquendi in hac materia eſt; quod dicatur; quod ſubſtantia panis convertitur vel converſa eſt in corpus Chriſti. Si autem dicatur, panis eſt corpus Chriſti, falſa eſt propoſitio, quia panis non manet. Si autem dicatur, quod panis fit corpus Chriſti, vel ex pane fit corpus Chriſti, valde impropriæ ſunt locutiones, quia illud quod præexiſtit, non fit. Veruntamen, quia Sancti non ſemper obſervant proprietatem locutionis, ideo aliquæ de prædictis locutionibus inveniuntur dictæ à quibusdam Sanctis, & maxime ab Ambroſio.* Ita Durandus. Verum, quia non eſt veroſimile, duas materias eſſe ſub forma corporis Chriſti, etiam hæc ſententia rejicitur à cæteris Theologis. Quod ſi Durandus admitteret, materiam deſtructa ſua priori individuatione manere ſub forma corporis Chriſti ſicut manet in diviſione continui deſtructa priori individuatione juxta Thomiſtarum & multorum aliorum ſententiam, ad hoc, ut daretur ſubjectum accidentium, & omnium mutationum in Euchariſtia conſequentium, attenuaretur quidem difficultas, ſed remaneret difficultas explicandi propoſitionem Wicleffi à Concilio Conſtantienſi damnatam, *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto*, & propoſitionem à Concilio Tridentino definitam, ubi dicitur, panem converti in corpus Chriſti, *manentibus duntaxat ſpeciebus panis*, niſi dicatur, ibi per *ſubjectum* intelligi determinate ſubſtantiam panis, & hic per particulam excluſivam duntaxat tantum exeludi ſubſtantiam panis.

3. Aliam explicationem refert, & ſine cenſura refutat S. Thomas p. 3. q. 75. a. 6. c. ubi dicit: *Quidam poſuerunt, quod facta conſecratione non ſolum remanent accidentia panis, ſed etiam forma ſubſtantialis ejus. Sed hoc eſſe non poteſt; quia ſi forma ſubſtantialis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Chriſti, niſi ſola materia; & ita ſequeretur, quod non converteretur in corpus Chriſti totum, ſed in ejus materiam.* Ita D. Thomas, qui formæ panis ibidem ad 3. hanc propriam operationem tribuit, quod confirmet cor hominis. Cæterum, quod materia panis ſupernaturaliter non poſſit converti, niſi in ſolam materiam corporis Chriſti, non omnes fatebuntur. Imo ÆGIDIUS ROMANUS, alias fidelis Diſcipulus D. Thomæ, in l. *Theorematum de Corpore Chriſti, propoſitione* 34. fuſe impugnat, quod panis poſſit converti in ſolam materiam corporis Chriſti, in ea videlicet ſuppoſitione, quod in corpore Chriſti non dentur formæ partiales.

NOTANDUM 4. Quod Theologi moderni conveniant, quidem inter ſe, tam materiam quam formam panis converti in corpus Chriſti, diſconveniunt tamen inter ſe quoad modum actionis converſiæ. *Scotus*, *Bellarminus*; *Vaſquez* & alii, volunt, eam actionem eſſe *adductivam*, ita ut Corpua Chriſti ſuccedat ac ſubſtituatur ſubſtantiæ panis ſub iisdem accidentibus. *Valentia*, *Henriquez* & alii exiſtimant, eam actionem eſſe *unitivam*, ita ut Corpus Chriſti uniatur ſpeciebus panis. *Gabriel*, *Suarez* & alii docent, eam actionem conſiſtere in tali conſervatione Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, quæ illud de novo produceret, niſi jam prius exiſteret. Denique *Cajetanus*, & plures ex Recentioribus Thomiſtis aſſirmant, tranſſubſtantiationem eſſe veram productionem Corporis Chriſti, non quidem ſimpliciter, ſed ſub novo modo eſſendi.

NOTANDUM 5. Ad converſionem unius rei in alteram ab authoribus requiri tres conditiones. 1. ut ea verſetur inter duos terminos poſitivos. 2. ut terminus à quo aliquo modo deſinat eſſe, & terminus ad *quem* aliquo modo incipiat eſſe de novo. 3. ut detur connexio inter deſitionem termini *à quo*, & poſitionem termini ad *quem*, quod ſit, inquantum deſitio unius eſt cauſa alterius, ita ut ſit una eademque actio, qua deſtruitur unum & ponitur alterum. Si enim darentur duæ actiones, una deſtructiva, altera productiva, non daretur converſio unius in aliud, prout BELLARMINUS de Sacramentis l. 3. c. 18. obſervat. Alii cum Bellarmino ad converſionem requirunt etiam quartam conditionem, ut detur utrique converſionis termino aliquod commune tertium, v. g. accidentia Sed GONETUS de Euchar. diſp. 4. art. 2. n. 24. obſervat; id non requiri. *Licet*, inquit, *illud in converſione Euchariſtica reperiatur, non eſt tamen neceſſarium ad rationem communem veræ converſionis, quia nulla apparet repugnantia, quod Deus mediante vera converſione transformet totam ſubſtantiam panis cum accidentibus in Corpus Chriſti, & tamen tunc nullum daretur commune utrique tertium.*

NOTANDUM 6. Licet pania deſinat eſſe; ab omnibus tamen ferme Theologis admitti, quod ſubſtantia panis non annihiletur. D. Thomas p. 3. q. 75. a. 3. ſic ſcribit: *Quidam poſuerunt, quod ſubſtantia panis & vini annihiletur; ſed hoc non poteſt eſſe, quia converſio* (panis in corpus Chriſti) *tollitur per annihilationem ſubſtantiæ panis.* Eodem modo loquuntur alii Theologi. Ratio autem, cur hæc mutatio non vocetur annihilatio, ſed converſio, ab authoribus non aſſignatur eadem. Nam Bellarminus l. c. putat, ideo illam actionem non eſſe annihilativam, quia actio non terminatur ad non eſſe panis, ſed ad poſitionem alterius entis. Sed D. Thomas p. 3. q. 75. a. 4. ad 3. videtur aſſignare aliam rationem, quia in converſione retinetur aliquod prædicatum commune utrique converſionis termino, ſublatis tantum prædicatis differentibus. Sicut enim in converſione naturali requiritur aliquid commune, nempe materia communis, cui una forma diffe-

differentialis aufertur, alia autem conjungitur, ita in conversione supernaturali requiritur prædicatum cummune constitutivum rei, cui alia prædicata differentialia tollantur, & alia nova prædicata differentialia uniantur. Textus D. Thomæ sic habet: *Virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum est, potest talis conversio fieri, quia utrique formæ & utrique materiæ est communis natura entis, & id quod est entitatis in una, potest actor entis convertere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur.* Idipsum observat *Cajetanus* Cardinalis in Commentario ad Summam D. Thomæ, ubi in articulum citatum S. Doctoris sic scribit: „ In responsione ad tertium (à D. Thoma) ratio convertibilitatis assignatur communicatio in natura entis. Modus autem subditur & est, quod potest author entis id, quod est entitatis in una re, convertere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab ea distinguebatur. Per naturam entis intelligit (S. Thomas) ens commune solis creaturis, quod nomine naturæ (in textu) appellatum est, quia bujusmodi ens secundum authoris doctrinam secundum naturas generum & speciem definitur. Est igitur ratio convertibilitatis totius unius rei in alteram communicatio earum in natura entis, communis omnibus creaturis tantum. Et hinc quælibet creatura potest converti in quamcunque aliam creaturam, quia creaturis omnibus communis est hujusmodi entis natura. Intentum (D. Thomæ) ad hoc tantum tendit, quod convertibilitas rerum est secundum id, in quo communicant, & non secundum ca, in quibus differunt. Dum tota res, quæ est panis, convertitur in corpus Christi, formalis ratio naturæ entis salvatur; formalis vero ratio proprii constitutivi & distinctivi panis non salvatur. Sic enim verificatur, quod fit conversio entitatis in entitatem, sublato eo, per quod distinguebatur. Conversio quidem fit totius rei in totam rem alteram, sed inter rationes seu conditiones substantiales communes, vel proprias disparatas est; quia res diversa sic secundum communia quasi salvatur, quod iterum suscipit eorundem prædicationem, secundum vero propria non subit eorundem prædicationem. Hoc enim modo intelligitur sublatum id, quod distinguebatur, & totam rem converti in totam rem. In naturali conversione communis ratio est convenientia in materia, & differentia in formis; & materia utrobique remanet, & forma non remanet. Unde ut proportionnaliter de totali conversione doctrina traderetur, posuit (S. Thomas) in convertibiiibus hujusmodi naturam entis, in qua convenirent, & constitutiva specifica, in quibus distinguantur. " Ita Cajetanus. His prænotatis

Dico. Actio transubstantiativa est quædam actio unius in aliud sub novo modo essendi creativa.

Probatur 1. Talis actio unius in aliud sub novo modo essendi creativa est possibilis, nec datur alius convenientior modus explicandi hoc mysterium. Ergo dicendum, quod transubstantiatio in tali actione consistat. *ant. prob.* negative, quia in tali actione non potest ostendi implicantia, nec alius convenientior modus explicari potest.

Probatur 2. ex Canone Missæ & ex D. Cypriano, quia habetur ex traditione primitivæ Ecclesiæ. Ibi enim ante orationem Dominicam dicitur: *Domine, intra consortium* (Sanctorum) *nos admitte per Christum D. N. per quem hæc omnia semper bona creas, vivificas, & præstas nobis.* Similiter D. Cyprianus, seu vetus author in Serm. de Cœna Domini. n. 22. scribit: *Qui usque hodie hoc SS. corpus suum creat, & dividit.*

Probatur 3. Illa actio est creativa unius in aliud, quæ sine præcedente exigentia naturæ conservato solum uno vel altero communi prædicato rei superaddit per identitatem prædicata specifica alterius rei sub novo modo loci vel temporis, sed talis est transubstantiatio. Ergo maj. est explicatio termini, min. patet ex doctrina D. Thomæ, quam ex Cajetano explicavi Notando 6.

Probatur 4. Actio resuscitativa corporum probabilius est talis actio creativa unius in aliud. Ergo etiam transubstantiatio recte dicitur esse talis actio. *ant. prob.* Potest contingere, quod una eademque materia induerit individuationem Adami, Judæ, & Antichristi. Ergo, si velit Deus resuscitare eorum corpora, probabilius utetur tali actione creativa unius illius materiæ in trium hominum corpora.

Probatur 5. Potest Deus totum mundum simul cum omnibus hominibus per actionem novam creativam ponere in centum arenulis vel pulvisculis, quin advertant ullam sibi contigisse mutationem. Ergo etiam per talem actionem creativam potest ponere corpus Christi in centum hostiis vel particulis minimis. *antecedens* est mathematice demonstratum à P. Mallebranche in l. de *Inquirenda Veritate*, ubi ostendit, homines, si ponerentur in tali mundo parvulo, in quo reperitur eadem symmetria partium, habituros prorsus easdem sensationes ac nos, & prorsus idem de quantitate seu magnitudine corporum judicium, quale nos habemus. Hoc argumentum non solum debent admittere Peripatetici, qui distinguunt quantitatem ab essentia corporum, sed etiam Philosophi Neoterici, qui identificant trinam dimensionem cum essentia corporum. Si enim Deus ab initio potuit creare particulas minimas cujusque corporis in determinata magnitudine, cur non possit easdem particulas nova actione creativa, seu conservatione, quæ nil aliud est, quam continuata creatio, creare sub magnitudine duplo, centuplo, milleculo &c. minore, observata tamen semper symmetria partium, & subordinatione ad eandem animam?

Probatur 6. Non implicat, idem prædicatum extensionis poni in statu materiali ac substantiali per modum materiæ communis corporum, & in statu accidentali per modum rei accidentalis ad corpus gloriosum. Ergo etiam non implicat, panem per novam actionem creativam

tivam tranſubſtantiari in corpus Chriſti. *antecedens* à me ſuit demonſtratum in *Vindiciis Philoſophiæ Peripateticæ* quæſt. 2. ubi oſtenſum eſt; eſſentias rerum in ſtatu materiali & intellectuali, vel ſpirituali, quoad *eſſe quidditativum* eſſe ejusdem rationis. Imo ZABARELLA, princeps inter Latinos Ariſtotelis interpretes, oſtendit, juxta doctrinam Ariſtotelicam idem ex ſuo genere ens, v. g. calorem, tranſire à ſtatu accidentali in ſubſtantialem, & calorem in ſummo gradu jam eſſe ipſum ignem. Idem Zabarella cum *Ariſtotele*, *Averrore*, & *Okamo*, imo etiam *Ægidio Romano Theorematum* propoſ. 28. 29. 34. docet, ſaltem dimenſiones interminatas, identificari cum materia prima; quam ſententiam etiam videtur adoptaſſe D. Thomas, prout in Phyſica de materia prima oſtendi.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Poteſt dici, quod tranſubſtantiatio ſit actio adductiva corporis Chriſti per replicationem definitivam in locum panis ſublata hujus conſervatione. 2. Poteſt dici, quod tranſubſtantiatio conſiſtat in actione unitiva corporis Chriſti ad ſpecies Euchariſticas, earumque ſuſtentativa ſeu conſervativa ſine ſubjecto. 3. Poteſt dici, quod tranſubſtantiatio conſiſtat in unione quadam hypoſtatica temporanea ad ſubſtantiam panis & vini, prout docuit *Rupertus Abbas*. 4. Poteſt dici, quod tranſubſtantiatio conſiſtat in deſtructione ſolins formæ panis, & ſubſtitutione formæ corporis Chriſti, remanente tamen eadem materia, prout docuit Durandus. 5. Poteſt dici, quod tranſubſtantiatio conſiſtat in deſtructione ſolius materiæ panis retenta tamen ejus forma, ut detur principium omnium operationum pani connaturalium; prout docuit quidam Joannes Pariſienſis.

RESPONDEO.

AD 1. n. a. quia in hac ſententia non ſalvatur natura converſionis ſubſtantialis. Si enim Deus una eademque actione deſtrueret truncum, & in ejus locum adduceret Petrum, non propterea poſſet dici, truncum eſſe tranſubſtantiatum in Petrum.

AD 2. n. a. quia etiam in hac ſententia non ſalvatur converſio ſubſtantialis unius in aliud. Si enim Deus Dœmones, vel animas damnatorum unit igni infernali, vel angelos ſpeciebus v. g. *D. Antonii*, *Xaverii*, &c. non propterea ignis infernalis tranſubſtantiatur in dœmones, aut D. Antonius in Angelum.

AD 3. n. a. Si enim ſubſtantia panis præciſe aſſumeretur hypoſtatice à Verbo, vel à corpore Chriſti, maneret panis in ſuo eſſe individuali, ſicut natura humana aſſumpta à Chriſto remanſit in ſuo eſſe individuo naturæ. Hoc autem eſſet contra traditionem uniformem, juxta quam panis convertitur in corpus Chriſti, nec amplius manet panis. Sequeretur etiam, quod ſubſtantia panis eſſet pars hujus totius, quod eſt Chriſtus Euchariſticus, & quod vera eſſet propoſitio; *panis eſt Deus*, prout *Bellarminus* l. c. deducit. Hæc autem repugnant conſtanti ac uniformi traditioni.

AD 4. n. a. quia, ſi in materia panis remaneret ejus propria individuatio, darentur duæ materiæ imo innumeræ omnium Hoſtiarum ſimul conſecratarum materiæ in Chriſti corpore, quod eſt abſurdum, & contra naturam rerum. Si enim Deus vellet conſervare materiam ſub ratione generica extenſionis deſtructa illius perſeitate, & individuatione, longe convenientius per actionem creativam conſervabit vel quantitatem illius, ſi eſt diſtincta realiter, vel ejus prædicatum genericum extenſionis, ſicut D. Thomas & Cajetanus, in NOTANDO 6. relati docent, in tranſubſtantiatione ſalvari naturam entis communem creaturis, attamen in ſtatu accidentali relate ad corpus Chriſti glorioſum in ordine adformandam ſpeciem, ſeu apparentiam panis.

AD 5. n. a. Sic enim re vera maneret formale conſtitutivum panis, imo ratio panis, quod eſt contra traditionem, & contra verba, & veritatem verborum Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*; & ſequeretur, quod in corpore Chriſti darentur duæ formæ ſubſtantiales non ſubordinatæ ad invicem; adeoque Chriſtus eſſet monſtrum. Itaque Deus, ſi velit habere principium operationum alias connaturalium pani, longe facilius deſtruere poterit perſeitatem ac individuationem formæ, ac per actionem creativam retinere rationem genericam ſeu activitatem hujus formæ in ſtatu accidentali dependenter à corpore Chriſti, tanquam principio ſuſtentativo, ſicut ſpecies intentiones colorum ſuſtentantur ab aere vel ſpeculo. Ita enim etiam D. *Thomas* & *Cajetanus*, ut dictum eſt, docuerunt etiam ſalvari naturam entis communem.

OBJICITUR 2. Illa actio non eſt creativa, quæ jam præſupponit exiſtentiam termini producendi. Sed talis eſt actio tranſubſtantiativa. Ergo; min. prob. corpus Chriſti jam præexiſtit. 2. Illa actio eſt creativa, qua aliquid producitur ex nihilo. Sed tranſubſtantiatio non eſt talis actio. Ergo min. prob. corpus Chriſti fit ex pane. 3. Quod creatur, tranſit de non eſſe ad eſſe. Sed Corpus Chriſti non tranſit de non eſſe ad eſſe. Ergo. 4. Tranſubſtantiatio eſt effectus corporis Chriſti tanquam inſtrumenti cum divinitate conjuncti. Ergo tranſubſtantiatio non eſt actio creativa. c. prob. Idem non poteſt creare ſeipſum.

RESPONDEO.

AD 1. d. m. illa actio non eſt creativa, quæ jam præſupponit exiſtentiam termini ſub eo modo & ſtatu, quo producitur. c. quæ præſupponit exiſtentiam termini ſub alio modo & ſtatu. n. Corpus Chriſti exiſtit quidem relative ad ſtatum glorioſum in cælo, ſed non præexiſtit relative ad ſtatum definitivum in Euchariſtia, excedentem non ſolum omnem exigentiam naturæ, ſed etiam capacitatem naturæ præexiſtentis paſſivam.

AD 2. D. Illa actio eſt *creativa ſimpliciter*, qua producitur aliquid ex nihilo. c. eſt *creativa unius in aliud*. n. Actio creativa ſimpliciter dicta differt ab actione creativa unius in aliud, quod illa ponatur ſine ulla præſuppoſitione & exigentia naturæ. Econtra actio creativa unius in aliud

aliud fit quidem fine exigentia creaturæ, non tamen fine præfuppofitione creaturæ, Convenit tamen cum converfione naturali quoad rationem genericam, in quantum attingit prædicata quædam communia termino à quo & termino ad quem, quæ confervat in termino ad quem.

Ad 3. D. Tranfit de non effe quoad aliquem modum effendi. c. de non effe quoad omnem modum effendi. n. Senfus patet ex Refponfione *ad* 1.

Ad 4. tr. a. n. c. ad *prob.* d. Idem non poteft creare feipfum quoad omnem modum effendi. c. quoad aliquem modum effendi. *fubd.* per modum caufæ principalis. tr. per modum caufæ inftrumentalis. n. Poteft enim caufa principalis imprimere inftrumento virtutem movendi fe in alium ftatum determinatum.

Dices. Quando Petrus per actionem motricem ponitur in alio modo & ftatu locali, non eft opus actione creativa, quia terminus hujus actionis non eft novus Petrus, fed tantum nova ubicatio Petri, feu novum hoc concretum: Petrus aliter ubicatus. Ergo fi per tranfubftantiationem corpus Chrifti tantum ponitur in alio ftatu, nempe definitivo, non eft opus actione creativa.

Respondeo. c. a. n. c. & p. Difparitas eft; quia Petrus naturaliter poteft poni in alio ftatu locali, quin mutari debeat aliquid identificatum cum Petro. Econtra corpus Chrifti non poteft poni in ftatu definitivo, quin mutentur proprietates effentiales corporis, nempe dimenfiones minimarum partium corporis, vel faltem connaturalis exigentia ad actionem & paffionem cum vicinis corporibus, ne fit in ftatu violento.

Objicitur 3. Si corpus Chrifti poneretur per creationem feu reproductionem fub novo modo effendi, daretur duplex actio totalis productiva ejusdem rei eodem tempore, imo, fi fimul celebrantur mille Miffæ, darentur fimul mille actiones totales. Sed hoc non poteft dici. Ergo. 2. Si corpus Chrifti produceretur per tranfubftantiationem, vel produceretur ubique in cœlo fub iisdem prædicatis effentialibus vel non? neutrum poteft dici. Ergo. min. prob. Si dicatur, quod ubique producatur fub iisdem prædicatis effentialibus, non eft opus actione creativa, fed tantum adductiva & unitiva. Si vero dicatur, quod producatur fub diverfis prædicatis effentialibus, fequitur, quod corpus Chrifti in cœlo, & corpus Chrifti in diverfis hoftiis effentialiter differant. 3. Si Apoftoli in triduo mortis confecraffent, non creaffent novum corpus Chrifti cadavericum. Ergo tranfubftantiatio aliud eft, quam actio creativa.

Respondeo.

Ad 1. tr. maj. n. min. contrarium enim fuppono ex Philofophia. Dixi. tr. quia non repugnat, ejusmodi actiones, dum attingunt corpus Chrifti fub diverfo modo effendi, effe ad invicem refpectivas, & eatenus partiales.

Ad 2. tr. maj. n. min. & dico, quod producatur fub iisdem prædicatis effentialibus abfolutis, non tamen fub diverfis prædicatis effentialibus relativis. Sic enim in corpore refufcitando in fine mundi poterit dari per identitatem novum prædicatum relativum ad feriem actionum vel paffionum per æternitatem, quin in illo corpore reproducto mutetur effentia abfoluta, aut individuatio corporis. Pari modo juxta Thomiftas in caufis fecundis, v. g. in igne A, igne B. & igne C. &c. Datur diverfus ordo, feu refpectus effentialis ad diverfam feriem effectuum, quin tamen omnes ignes dicantur fimpliciter differre effentialiter. Illa enim fimpliciter loquendo differunt effentialiter, quæ differunt in aliquo prædicato generico vel fpecifico, qualia non fuiit quidam refpectus in replicatione reproductiva rei identificati à Deo cum individuo rei, fpeculative refpectivo omnium ftatuum pro diverfitate locorum & temporum rem attingentium, prout in Logica de individuatione docui.

Ad 3. Dico, tunc fub novo modo effendi creandum fuiffe corpus Chrifti cadavericum. Quia autem ejusmodi confecratio ex multis caufis fuiffet inconveniens, non eft probabile, Apoftolos confecraffe.

DISPUTATIO IV.

In quo confiftant Accidentia Euchariftica?

Notandum 1. Certum effe de fide; poft confecrationem remanere fpecies panis & vini, feu accidentia panis & vini. Ita enim definitum eft in Concilio Conftantienfi & Tridentino. In Concilio enim Conftantienfi damnata eft hæc propofitio *Wicleffi* ordine fecunda; *Accidentia panis non manent fine fubjecto in eodem Sacramento.* Et in Concilio Tridentino feff. 13. can. 2. habetur. *Si quis negaverit converfionem totius fubftantiæ panis in corpus, & totius fubftantiæ vini in fanguinem manentibus duntaxat fpeciebus panis & vini, anathema fit.* Solum eft quæftio, quid fint illæ fpecies, feu accidentia?

Notandum 2. Duas potiffimum hac in re dari fententias. Una eft *Peripateticorum*, qui docent, accidentia cujuslibet rei, videlicet quantitatem, colorem, faporem, humiditatem, ficcitatem &c. effe entitates à fubftantia rei feparabiles ac realiter diftinctas; quas proin poft confecrationem remanere exiftimant. Altera fententia eft veterum Nominalium, qui quantitatem cujuslibet rei cum materia identificant, & univerfim omnium Philofophorum Neotericorum, qui non folam quantitatem, fed etiam alia accidentia, puta colorem, faporem, humiditatem &c. ex claffe accidentium abfolutorum à materia, vel actuali fenfatione diftinctorum eliminant. At vero hi pofteriores, ut Species Eucha-

Eucharisticas explicent; in diversas vias abeunt. Fuerunt nonnulli in Sicilia, quos P. RAYNAUDUS in suo libro, *de Exuviis panis & vini*, refutat, existimantes, post consecrationem solum remanere particulas panis & vini in poris latentes, quæ post interitum substantiæ ejus speciem præferant. Verum hæc sententia satis lepida cum suis authoribus ferme extincta est. Alia erat sententia P. HONORATI FABRY, qui post consecrationem nil aliud remanere docuit, nisi calorem & impetum. Verum etiam hæc sententia nullos nacta est Asseclas. CARTESIUS quidem admisit, remanere superficiem panis & vini. Verum, cum se non satis explicet; utrum ea superficies realiter distinguatur à substantia panis & vini, nil soliditatis aut firmitatis obtinuit ea sententia. Plerisque proin tam Nominalibus antiquis duce OKAMO, quam Philosophis Neotericis duce MAIGNANO verosimilis visa est ea sententia, quod post consecrationem nihil amplius reale supersit, præter corpus Christi, quod in specie panis ac vini eo modo apparet, quo olim Christus apparuit Magdalenæ in specie hortulani, & in specie peregrini discipulis in Emaus euntibus, ita ut vel ipse Deus, vel ipsum corpus Christi sensus humanos sua operatione sic afficiat, quo modo prius eos affecerat ipse panis ac vini substantia. Ita quoad rem se explicat sæculo decimo quarto Joannes OKAMUS, *Nominalium* princeps, dum Quodlibeto 4. quæst. 31. sic scribit: *Quæritur, utrum per principia fidei possit sufficienter probari, quod quantitas sit res absoluta à substantia & qualitate? Dico, quod quantitas illa, quæ est substantia panis, convèrtitur in corpus Christi, sicut conceditur, quod substantia panis convertitur in corpus Christi.* AD OBJECTIONEM, in qua dicitur; in hostia interdum produci novam qualitatem, v. g. calorem vel frigus. Ergo debet dari passum, in quo illa nova qualitas recipiatur; RESPONDEO in primis retorquendo *in rarefactione & condensatione quantitatis, ubi non potest dari aliud subjectum. Ideo potest de omnibus talibus dici, quod omnia apparentia sensui, quæ fiunt circa hostiam non consecratam, per ordinationem divinam fiunt circa hostiam consecratam immediate à Deo, ex quo non possunt fieri à potentia creata. Dico ergo, quod tam augmentatio quam productio novæ qualitatis fiunt totaliter & immediate à Deo. Ista constant partim ex fide, & partim ex ratione. Ex fide enim tenemus, quod substantia panis non remaneat post consecrationem. Per rationem vero tenemus, quod quantitas non distinguitur à substantia & qualitate. Et per experientiam tenemus, quod causa creata præsupponit passum in sua actione. Ex quibus sequitur, quod omnia talia fiunt immediate à Deo.* Ita Okamus.

NOTANDUM 4. A me ex Philosophia supponi; quod dimensiones interminatæ seu indeterminatæ *saltem realiter* identificentur cum materia prima. Id enim satis luculenter demonstravi in Physica generali ex *Aristotele*, *Averroe*, *D. Thoma*, & aliis Interpretibus Aristotelis. Idem non obscure docet ÆGIDIUS ROMANUS in l. *Theorematum* de Eucharistia. *Propositione* 26. ubi ait: *Corpus, quod est pars compositi* (in homine) *solam materiam significare dignoscitur. Corpus autem potest tripliciter sumi. Uno modo corpus est ipsæ tres dimensiones; sicut enim magnitudo habens unam dimensionem est linea; habens duas dimensiones est superficies, sic magnitudo habens tres dimensiones est corpus. Propter quod corpus sic acceptum nihil aliud est, quam trina dimensio.* 2. *Secundo corpus nominat compositum ex materia & forma corporeitatis. Tertio modo corpus dicit ipsam materiam. Corpus primo modo sumptum est quantitas. Est enim in genere quantitatis secundum rectam lineam. Propter quod corpus sic acceptum nec est in genere substantiæ per se, nec per reductionem. Corpus autem tertio modo acceptum, secundum quod nominat materiam organizatam, est in genere substantiæ non directe* (sub formalitate quanti habentis dimensiones) *sed per reductionem* (in quantum habet sibi realiter identificatam perseitatem, seu rationem substantiæ.) Dein eandem identitatem realem materiæ primæ cum dimensionibus quantitativis ostendit Propositione 27. his verbis: *Res unius prædicamenti modum alterius prædicamenti suscipere potest, licet forte in alio prædicamento essentialiter esse non possit. Materia igitur corporis Christi licet in prædicamento quantitatis* (formaliter) *esse non possit, potest ei tamen modus quantitativus competere.* Et Propositione 28. *Materia, quæ secundum rem est in prædicamento substantiæ, prout modum quendam quantitativum induit, qui modus supra naturam materiæ nullam addit essentiam* (realiter distinctam) *potest corporis appellationem suscipere. Poterit ergo dici, quod in corpus Christi sit facta panis conversio, si in solam materiam* (Christi corporis) *panis substantia convertatur. Dicendo materiam quantam, duas essentias nominamus, materiæ & quantitatis, & tertiam essentiam nullo modo dicimus, quia non sit aliqua natura una* (composita) *ex materia & quantitate. Et Propositione 29. Sola materia, prout ei superadditur quidam quantitativus modus absque additione alterius essentiæ* (realiter distinctæ) *quoddam totum* (metaphysicum) *potest congrue nuncupari. Si igitur in solam materiam existentem in Christo panis substantia convertatur, dicetur, quod totius in totum sit facta conversio. Quidquid est extensum, vel est quantitas, vel hoc habet ex quantitate, & ut induit quendam quantitativum modum; sed hujusmodi modus nullam essentiam* (realiter distinctam) *addit supra naturam rei, nec trahit rem extra prædicamentum. --- Extensio sic accepta accidit materiæ* (per modum accidentis metaphysici, ut rationalitas animalitati) *& est aliquid receptum in essentia materiæ, & aliquo modo diversificat materiam, non tamen dicit aliquam essentiam superadditam naturæ materiæ* (realiter distinctam) *sed modum solum.* Ibidem tamen Proposit. 30. observat, quod per illum modum quantitativum materia distinguatur in partes realiter distinctas, ut sic sit corpus organizatum.

NOTANDUM 5. Quod licet juxta Ægidium materia non distinguatur realiter à modo quantitativo partium, ea tamen distinguatur formaliter per intellectum. Exinde infert, quod Deus per novam actionem conversivam seu creativam possit ea separare, ac sub modo essendi separatim ponere, quæ erant identificata. Ex hoc rursus ulterius infert; quod Deus dimensiones panis tam indeterminatas, quibus redditur corpus organicum, quam dimensiones determinatas per consecrationem, hoc est per actionem de novo productivam seu creativam, possit

possit separatim ponere sub modo essendi per se, licet dimensiones illæ indeterminatæ organicæ prius fuerint identificatæ cum partibus materiæ per modum accidentis metaphysici. Ita Ægidius docet Proposit. 33. ubi sic scribit: *Partes, quas habet materia, naturaliter actu esse non possunt sine partibus quantitatis. Intellectus tamen propter essentialem differentiam separat has ab illis. Poterit ergo aliquid converti in partes materiæ existentis in Christo absque eo, quod in quantitate ipsius aliquid convertatur.* Et Proposit. 44. *Notandum, quod in omni materia panis & vini, & in materia omnium generabilium est duplex quantitas, & duplex genus dimensionum. Sunt enim ibi dimensiones determinatæ & indeterminatæ. Quantitas illa, per quam materia est* TANTA, *possunt dici dimensiones indeterminatæ; sed dimensiones determinatæ dici possunt illa quantitas, per quam materia occupat tantum locum. In Sacramento Altaris oportet remanere utrasque dimensiones panis & vini, determinatas & indeterminatas. Dimensiones indeterminatæ non solum præcedunt dimensiones determinatas, sed etiam sunt eis subjectæ, & hæ fundantur in illis. Dimensiones indeterminatæ se habent ut materia, & determinatæ se habent ut forma.* Eta Ægidius. Ex his omnibus autem sequitur, quod hic acerrimus discipulus D. Thomæ in qualibet materia tria admittat formaliter inter se distincta. PRIMO *extensionem indefinitam*, quæ formaliter est ipsa materia, cui competit ratio substantiæ seu perseitatis. SECUNDO *dimensiones indeterminatas* quoad magnitudinem loci, quamvis sint determinatæ quoad rationem organicam ac divisivam partium. TERTIO *dimensiones determinatas* quoad magnitudinem loci. Primum & secundum identificantur quidem realiter, sed actio transsubstantiativa attingit primam formalitatem formaliter; secundam autem formaliter non attingit, sed eam ita relinquit, ut per actionem de novo productivam illi tribuat modum essendi per se; accidentalem tamen corpori Christi, in quod fit transsubstantiatio. Id insinuat Propositione 27. ubi ait: *In Sacramento Altaris accidentia sunt sine subjecto. Quod ibi secundum rem est accidens, habet quendam modum substantiæ, in quantum ei competit per se esse; & natura humana in Christo, licet secundum rem sit substantia, tamen quia advenit Verbo post esse completum, habet quendam modum accidentis. Sic ergo, quod secundum rem est substantia, potest habere quendam modum accidentalem, & econverso.* His prænotatis

DICO I. Dantur accidentia absoluta in Sacramento Eucharistiæ.

PROBATUR I. Illud, quod in Sacramento Eucharistiæ cernitur, gustatur, & tangitur, ex communi sensu hominum est aliquid reale, existens à parte rei, & non tantum in phantasia; prout fit in apparitionibus. Atqui non est substantia. Ergo est accidens ex communi sensu hominum. *min.* prob. Illud non est substantia panis, prout definitum est in Concilio Constantiensi, & Tridentino; neque etiam est corpus Christi, quia hoc nec est rotundum, nec album, nec sapidum, nec odorum &c.

PROBATUR 2. Possibile est, dari accidentia absoluta in Sacramento Eucharistiæ. Ergo non est ratio recedendi à communi Doctrina Theologorum & sensu fidelium. *ant. prob.* negative ex solutione objectionum, quia in iis non potest ostendi implicantia.

PROBATUR 3. Si daretur ratio negandi accidentia absoluta in Sacramento Eucharistiæ, ea consisteret in hoc, quod quantitas dimensiva partium ante consecrationem sit identificata cum substantia panis & vini. Sed hæc ratio nihil probat. Ergo. Min. prob. Potest dici, quod destructa substantia panis per actionem transsubstantiativam reproducatur quantitas dimensiva cum ordine activo partium sine prædicato *perseitatis* & *subsistentiæ* prius identificato cum quantitate dimensiva, sed adjacenter sub sola subsistentia corporis Christi, sicut species intentionales sunt in speculo sine esse informativo. Ergo. *ant. prob.* Talis reproductio continua perfectionis ex suo genere ejusdem sufficit ad hoc, ut in æstimatione communi hominum censeatur remanere eadem perfectio. Sic juxta Thomistas, licet in morte hominis fiat resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens idem numero remaneat, ob convenientiam tamen priorum accidentium cum iis, quæ sunt in cadavere, dicitur *remanere* quantitas corporis, & durities ossium. Idem contingit in divisione continui in sententia Thomistarum, & aliorum, qui docent, destructo priori individuo produci duo vel tria nova individua.

DICO 2. Sententia, quæ species Eucharisticas explicat per apparitionem Christi in specie panis, non est hæretica, nec hæresi propingua, nec erronea, nec periculosa in fide.

PROBATUR Ex argumentis, quæ afferunt Patroni hujus sententiæ, & ex eorum Responsionibus ad objectiones Peripateticorum. Neque enim omni probabilitate destitui videntur, saltem ex parte.

ARGUMENTUM I. Ab authoritate Patrum Latinorum.

1. S. HYERONIMUS in Epist. ad *D. Augustinum* species Eucharisticas explicat per meras impressiones, quas Corpus Christi operatur in sensus intuentium & gustantium. Sic enim scribit: *Illius veteris Legis Manna unicuique sapiebat, quod desideriis concupierat; aliudque erat, quod sumebatur; invisibiliterque sapor ille in singulorum sensibus esformabatur. Si ergo illud Manna per multimodas suavitates generis sui excedebat intuitum; & si creaturam suam dispensatio largitoris multimoda diversitate condiderat, ut præberet gustus, quod ignorabat aspectus, quia juxta recipientis desiderium escæ novitas nascebatur; unumquemque enim variis saporibus & alienis reficiebat illud donum, ideo quod ibi delectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio operatur in sensibus.* Ita S Hyeronimus. Sicut ergo tunc diversi sapores non erant realiter in ipso Manna; ita etiam sapor, albedo, & alia hujusmodi sensibilia nil sunt reale in Eucharistia.

2. S. HILARIUS l. 8. de Trinit. ait: *Corpus Christi, quod sumitur de altari, illa figura est, dum panis & vinum extra videtur.* Ergo non datur rotunditas realiter, sed tantum intentionaliter in Eucharistia.

3. S. AUGUSTINUS ex Ivone relatus in c. *Nos autem.* De consecrat. dist. 2. dicit: *Nec similiter*

liter pesamus has duas species, quemadmodum ante consecrationem pensabamus; cum fideliter fateamur, illas esse panem & vinum, quas natura formavit; has vero esse ipsum corpus Domini. Idem l. 3. de Trinitate c. 10. ſcribit: *Illas nubes & ignes* (in quibus angeli apparuerunt) *quomodo assumpserint angeli, quis novit mortalium? Sicut infantes non noverunt, quod in altari ponitur. Et si nunquam discant experimento* (per guſtum) *& nunquam speciem illam* (Hoſtiæ) *videant, nisi in celebratione Sacramentorum, dicaturque illis gravissima authoritate, cujus corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium.* Ergo dictamen naturæ eſt teſte D. Auguſtino, apparitionem eſſe, ubi ſubſtantia rei, quæ videtur, non eſt.

ARGUMENTUM II. Ab authoritate Patrum Græcorum.

1. MACARIUS ÆGYPTIUS, qui floruit ſæculo 4. Hom. 27. ait: *In Ecclesia offertur panis & vinum antitypon carnis & sanguinis Christi. Sumentes de apparente pane carnem Domini comedunt.* μεταλαμβάνοντες ἐκτῦ φαινομένυ ἄρτυ.

2. S. EPIPHANIUS in Ancorato de Euchariſtia loquens ait: *Dominum nostrum novimus totum sensum, totum sensitivum, totum Deum, totum moventem, totum operantem, totum lucem,* operando videlicet in ſenſus noſtros.

3. S. CHRYSOSTOMUS Hom. 83. in c. 26. Matth. *Credamus, nihil nobis sensibile traditum à Christo; sed quidem rebus sensibilibus* (pane & vino) *omnia vero quæ tradidit insensibilia sunt.*

4. THEODORETUS in Dialogo de immutabili Dei natura ait: *Signa mystica post sanctificationem à natura sua non recedunt. Manent enim in priori figura & forma; & videri & tangi possunt, sicut & prius; intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt & adorantur.*

5. GREGORIUS NYSSENUS Hom. 10. in Cantica. *Christus ei, qui quærit alimentum perfectius, fit panis, qui non comeditur cum lactucis agrestibus. Cujus rei certum est argumentum panis, qui post resurrectionem Domini apparuit discipulis in favo mellis conditus.*

ARGUMENTUM III. Ex ſenſu univerſali Eccleſiæ Græcæ.

1. Græci ditionis Venetæ anno 1570. miſerunt ad Claudium Quiſianum profeſſionem ſeu formulam fidei, quæ à Romana Eccleſia fuit acceptata. In ea inter alia ſic habetur: *Credimus ac profitemur, panem in Christi corpus ac simili ratione vinum in Christi sanguinem ita mutari, ut neque panis, neque substantiæ ipsius accidentia maneant, sed in divinam substantiam transelementur; Non enim dixit Christus; hoc est signum, sed hoc est corpus meum.*

2. ZACHARIAS CHRYSOPOLITANUS, qui ſcripſit ſæculo undecimo Commentaria in quatuor Evangelia. c. 156. ſic habet: *Sunt qui cum damnato Berengario derident illud, quod quidam dicant, panis & vini species in aere apparere; quidam vero; sensus corporeos falli. Unde bene dicit Poeta: Spiritus videt & sentit munimentum corporis Domini.*

3. THEOPHILACTUS, qui vixit ſæculo undecimo, in c. 26. Matthæi ſcribit: *Panis convertitur modo ineffabili, quamvis non desinat nobis apparere panis. Nam nos infirmi sine dubio difficulter manducaremus carnem crudam, maxime carnem hominis; & hinc apparet nobis adhuc ut panis, licet revera sit caro.* ἄρτος ἡμῖν φαίνεται. Idem in c. 14. Marci. *Quia non sine horrore aspicere possemus coram nobis carnem & sanguinem, conservat apparentiam panis & vini*

4. AGAPIUS Monachus in monte Athos, qui vixit anno 1580. in l. de ſalute peccatorum, ſcribit: *Christus substantiam suam cooperuit sub his apparentiis panis & vini. Revera adest substantialiter sub apparentiis panis & vini.* εἰς τὸ εἶδος τῦ ἄρτυ.

CONCILIUM PLENARIUM Eccleſiæ Orientalia, cui intererant quatuor Patriarchæ, anno 1643. edidit fidei profeſſionem, in qua ſic habetur:

PARTHENIUS *Dei gratia Archiepiscopus Constantinopolitanus Novæ Romæ, & Patriarcha Oecumenicus. Ecclesia minoris Russiæ, quam ut sororem diligimus in Jesu Christo, misit nobis librum, cui titulus: Confessio fidei orthodoxæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Jesu Christi. Postquam lectus est in præsentia sacræ Synodi Episcoporum nostræ mediocritati assistentium ac Cleri, eum reperimus conformem Doctrinæ Ecclesiæ Jesu Christi, & sacrorum Canonum, quibus nihil contrarium continet. In cujus perpetuam fidem subscripsimus anno gratiæ* 1643. 11. *Martii.*

PARTHENIUS &c. ut ſupra.

JOANNICIUS Dei gratia Papa & Patriarcha Magnæ Urbis Alexandriæ, & Judex Univerſi.

MACARIUS D. G. Patr. Antiochenus, magnæ Theopolis.

PAISIUS D. G. Patr. Sanctæ Urbis Jeroſolymæ. Poſt ſubſcriptionem reliquorum Epiſcoporum confeſſio Ruſſica, p. 1. q. 106. ſic habet: *Tertium Sacramentum est sancta Eucharistia, id est, corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi sub apparentiis panis & vini — nam panis mutatur in verum corpus Jesu Christi & vinum in ejus sanguinem, apparentiis panis & vini remanentibus.*

ARGUMENTUM IV. Chriſtus in Euchariſtia eodem modo tangitur, cernitur, & palpatur, quomodo fuit palpatus à S. Magdalena poſt reſurrectionem in ſpecie hortulani, & à S. Thoma Apoſtolo, dum in Scriptura Joa. 20. apparuit Apoſtolis; & dum apparuit diſcipulis euntibus in Emaus in ſpecie peregrini. Sed ibi non dabantur accidentia realia hortulani vel peregrini in corpore Chriſti. Ergo nec dantur talia accidentia realia in Euchariſtia. Min. patet ex Scriptura Lucæ 24. v. 16. ubi dicitur: *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent;* ex quo textu D. Hyeronimus & D. Auguſtinus inferunt, nullam fuiſſe factam mutationem ex parte Corporis Chriſti, ſed tantum ex parte oculorum intuentium. Maj. *probatur* authoritate Revelationum S. Birgittæ, vel potius authoritate eorum, qui illas revelationes approbarunt, tanquam nihil continentes *erroneum*, *hæresi propinquum*, aut *periculosum in fide*. Ibi l. 4. c. 61. Chriſtus ad S. Birgittam ſic locutus fuiſſe legitur: *Absque dubio scias, quod hoc corpus, quod de virginea carne sumpsi, idem est in altari. Nam sicut ostendi me discipulis euntibus in Emaus in aliena forma; sic sub aliena forma ostendo me sacerdotibus. Ideo indoctis & humilibus ostendere volui invisibili effectu, & visibili forma, quod sit visibilis forma panis.* Ibidem Chriſtus

ftus l. 4. c. 63. ad S. Birgittam dicit: *Corpus meum post resurrectionem simul fuit corporale & spirituale, & hinc potui intrare januis clausis, & etiam à S. Thoma tangi. Cur ergo nunc non potero facere consimile miraculum?* Ex his constat; illud quod immediate tangitur & videtur, esse ipsum Christum.

ARGUMENTUM V. *Ab authoritate Haymonis Halberstadiensis, & Remigii Antissiodorensis.* Du Pinus in sua Nouvelle Bibliotheque des autheurs Ecclesiastiques refert inter Paschasium & Ratramnum disputatum esse, an Corpus Christi in Eucharistia sine velo & figura præsens sit, ita ut corporis oculis appareat? & an ita præsens sit palpabile & visibile ac in sepulchro, in Cruce, in utero virginis fuit? Paschasius dixit corpus Christi sine velo & figura præsens esse, & ex Paschasii partibus steterunt Remigius Antissiodorensis, & Haymo Halberstadiensis. Hæc Dupipinus occasione Bertrami, cujus librum de corpore & sanguine Christi cum Usserio & Mabillonio Ratramno vindicat.

ARGUMENTUM VI. Ab authoritate Roberti HOLKOT, ordinis Prædicatorum, qui adhuc sæculo 14. testatur, accidentia realia negari posse. Nam in l. 4. Sent. q. 3. puncto 4. sic scribit: *Quarto differt* (hæc transmutatio Eucharistica) *ab aliis transmutationibus, quia omnia accidentia post transmutationem manent, quod non est in aliis mutationibus: ex quo patet, quod accidentia substantiarum materialium sunt alia & distincta ab ipsis substantiis: non tamen hoc semper tenui, quia aliquando dicebam oppositum tamen potest dici, quodpost consecrationem nihil manet ibidem continue & regulariter, sed intentiones solum & species accidentium; unde solebant vocari species panis & vini, & non qualitates post consecrationem; & ideo sensus utitur speciebus pro rebus; & sic judicat, idem manere; nihil tamen dico hic assertive.*

ARGUMENTUM VII. *Ex sensu fidelium.* Fideles enim, quando elevatur Sacra Hostia, adorant totum id, quod Sacerdos tenet in manibus, & quod est immediatum objectum visus, nec distinguunt inter continens & contentum, quo modo distinguunt sacrum sanguinem à calice, in quo continetur. Atqui deberent distinguere, si accidentia Eucharistica essent aliquod involucrum reale, cui accidentaliter tantum uniretur Christus unione locali, ita ut Christus non foret principium physicum earum specierum intentionalium, quæ imprimuntur in nostros sensus. At vero longe connaturalius per actum adorationis tenditur in corpus Christi, si dicatur, omnes illas impressiones, quæ fiunt in nostris sensibus, immediate venire à corpore Christi, tanquam suo principio & causa effectiva immediata, sicut contigit, quando Christus apparuit S. Magdalenæ in specie hortulani, & discipulis in specie peregrini.

ARGUMENTUM VIII. Quando Christus in Eucharistia apparuit in specie infantuli, prout legitur contigisse sæpius, vel in specie carbonis, sanguinis &c. tantum dabantur species intentionanes, quales dantur colores in Iride. Ergo idem dicendum est in Eucharistia. *c. prob.* Certum est ex moderna Philosophia, quod colores transeuntes in Iride, & permanentes in aliis objectis non differant; nec etiam stabilitas rei de se transeuntis mutat naturam rei. Ergo ex eo, quod illæ apparitiones cibo transeant, econtra apparentia panis diu duret, non debet assignari quoad naturam harum specierum diversitas.

ARGUMENTUM IX. Ex *Concilio Romano* sub Nicolao 2. Pontifice, in quo fuit Berengario proposita sequens fidei formula: *Ego Berengarius detestor hæresin, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini N. J. Christi esse; nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri: Consentio autem, Corpus Domini sensualiter non solum in sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.* Hucusque formula fidei. Ex hac sic argumentor: 1. denominatio, quæ immediate tribuitur Corpori Dominico, non convenit ei tantum mediate; sed *tractari, frangi, dentibus atteri*, immediate tribuitur corpori Dominico, ergo non convenit ei tantum mediate, mediantibus nempe accidentibus realibus. 2. quod tantum unitur rei tractabili, aut frangibili, non dicitur tractari, aut frangi; ergo, etiamsi corpus Dominicum uniatur rei tractabili aut frangibili, non propterea diceretur tractari. ant. prob. anima unita brachio non dicitur tractari, frangi, dentibus atteri; etiamsi tractetur brachium, idque frangatur, dentibus atteratur, Ergo. pb. 3. Hi termini, *tractari, frangi, dentibus atteri* ex usu hominum fere semper versantur circa immediatum sensuum objectum; ergo etiam in præsenti materia ducunt in corpus Dominicum tanquam immediatum sensuum objectum; quia pro illo significato stat præsumptio, quod regulariter verbo subjicitur. pb. 4. Quando denominatio immediate tribuitur subjecto, tunc forma denominans debet immediate vel realiter vel apparenter recipi in subjecto: sed hæc denominatio *tractari, frangi, dentibus* atteri immediate tribuitur corpori Dominico, ergo.

ARGUMENTUM X. Quando virga Moysis fuit conversa in serpentem, terminus conversionis erat intus & extra serpens. Ergo etiam quando panis convertitur in corpus Christi, terminus conversionis est intus & extra Christus. Hanc argumentationem videntur approbare aut formare verba Dei ad S. Birgittam l. 4. c. 63. ubi Deo tribuitur hic discursus. *Virga Moysis, cum convertebatur in serpentem, dic, utrum similitudo fuit serpentis, aut totum intus & extra serpens. Nunquid difficilius est mihi nunc operari miraculum consimile?* Quamvis autem illæ Revelationes non sint indubitatæ, non sunt tamen *periculosæ in fide.*

ARGUMENTUM XI. SS. Patres passim docent, quod in hoc Sacramento sensus fallantur. Ita docet CYRILLUS JEROSOLIMITANUS Catechesi. 4. Mystagog. 7. S. AMBROSIUS l. de initiandis. c. 9. THEODORETUS Dial. 9. EUSEBIUS Gall. Hom. 5. de Pasch. S. CHRYSOSTOMUS Hom. 83. in Matth. & Hom. 24. in Ep. 1. ad Cor. Idem continetur in vulgari Rythmo, qui tribuitur D. Thomæ, ubi dicitur: *Visus, gustus, tactus in te fallitur.* Atqui stricte loquendo sensus non fallerentur, si darentur acci-

accidentia realia, quæ sunt objectum proprium ac verum sensuum. Est enim axioma Philosophorum Peripateticorum, quod sensus circa proprium objectum non fallantur. Ita testatur ipsemet S. Thomas Opusculo 57. ubi ex eo, quod dentur accidentalia in Eucharistia, infert, sensus non falli. *Accidentia*, inquit, *sine subjecto in eodem* Sacramento *subsistunt*, *ut sensus à deceptione reddantur immunes*, *qui de accidentibus judicant sibi notis*.

ARGUMENTUM XII. est ex Autboritate Paschasii, qui in l. de corpore & sanguine Domini ait: *Quia voluit*, *licet figura panis & vini hic sit*, *omnino nihil*, *quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt.* Itaque ipsa figura panis juxta Paschasium realiter nil aliud est, quam ipsum corpus Domini.

ARGUMENTUM XIII. In sententia opposita Christus tantum esset cibus per accidens, in quantum concomitanter cum accidentibus realibus trajiceretur in stomachum, sicut quando cum cibo simul ob concomitantiam subintrat aer, dæmon, pilus &c. sed hoc non potest dici. Ergo dicendum est, Christum immediate ratione sui trajici in stomachum. min. prob. Christus Joa. 6. dicit: *Caro mea vere est cibus*; *& sanguis meus vere est potus*. v. 55.

ARGUMENTUM XIV. Si species Eucharisticæ non sint reales, sed tantum intentionales, longe connaturalius & magis proprie verificantur verba Christi, ubi Joa. 13. dixit: *Hoc est corpus meum*; sensus enim est: Hoc totum sensibile, & quidquid reale est in hoc objecto demonstrationis, est corpus meum. Econtra in sententia opposita magis proprie verum esset: Sub hoc toto sensibili est corpus meum. Id recte observavit Guimundus Archiepiscopus Aversanus, l. 2. *de veritate Eucharistiæ* contra Berengarium sic scribit: *Me audisse existimo*, *quod Berengarius de pronomine* HOC *ad hunc modum ratiocinatur.* HOC, *inquit*, *pronomen est*; *pronomina autem substantiam sine qualitatibus significant. At quis est*; *qui quotidiano usu loquens reprehendatur*, *si ita dicat*: *Non sum ego ille*, *qui quondam fui. Tu non es ille*, *qui solebas*; *cum eadem tamen substantia sit*, *sed qualitates diversæ. Quod si* IA, & ILLE, & IDEM *pronomina sunt*, *& non semper substantiam*, *sed & qualitates apud Doctissimos persæpe significant*, *cur & Hoc*, *pronomen non possit idem pati? An quia Berengario non habenti*, *unde suam aliter muniat hæresin*, *id non placet? Placuit tamen summæ autboritatis quibusdam autboribus grammaticæ artis.* Ex his colligitur, objectum primo ac *per se*, demonstrabile, esse potius statum sensibilem externum, quam insensibilem ac internum rei.

ARGUMENTUM XV. Christus habuit idem motivum destruendi accidentia realia, quod habuit motivum destruendi substantiam panis. Ergo præsumendum est, quod etiam destruxerit accidentia. *ant. prob.* Motivum destruendi substantiam panis, prout *Joannes de Ragusio* in oratione coram Concilio Basileensi habita observat, est, ut evitaretur occasio idololatriæ, qua exhibetur creaturæ cultus Deo debitus. Atqui hoc motivum æque urget circa accidentia realia. Si enim cultus de facto abstrahit ab accidentibus, & dirigitur ad contentum sub accidentibus realibus, potuisset æque abstrahi à substantia panis, & cultus dirigi ad Christum contentum sub substantia panis. Aliud motivum destruendi substantiam panis potuit Christus habere, ut fideles liberiori affectu amoris & adorationis sine multis ambagibus abstractionum circa continens & contentum ferrentur ad præsentem in Sacramento. Sed hæc ratio etiam locum habet circa accidentia realia, habentia modum essendi per se, prout Bellarminus & alii concedunt. Longe enim liberius & immediatius fertur affectus in Christum, si supponatur, Christum præcise apparere sub specie panis.

ARGUMENTUM XVI. Non est verosimile, Christum in mysterio jam aliunde difficili voluisse humanæ infirmitati multiplicare novas credendi difficultates ex conservatione accidentium sine subjecto, idque sine necessitate; cum potuerit eligere modum præsentiæ realis per apparitionem, quem etiam infantes facile caperent, prout ex S. Augustino observatum est.

ARGUMENTUM XVII. ab autboritate & ratione GUIMUNDI Archiepiscopi Aversani, qui l. 2. *de veritate Eucharistiæ* ex instituto probat, Christum in hoc Sacramento immediate tangi, & dentibus teri, sicut Christus immediate attactus est post resurrectionem à S. Magdalena, & ab Apostolo Thoma. Ostendit etiam, quod, dum dicitur sacra Hostia frangi, ea fractio non sit realis, sed tantum apparens, seu intentionalis. Berengarium proin & ejus asseclas, qui negabant, fas esse, Christum dentibus atteri, alloquens sic ait: „ Ego vero in primis quæro, „ quid dicant significare, atteri? Si enim intel- „ ligunt, atteri, velut pressius tangi, aut for- „ tius premi, quæro, quare non sit fas, Chri- „ stum dentibus atteri? quare non possit denti- „ bus premi, qui manibus Thomæ & post resur- „ rectionem potuit attrectari? & sanctæ mulie- „ res, quibus occurrit post resurrectionem, scri- „ ptum est, quia tenuerunt pedes ejus: nulla „ namque ratio est, cur non possit tangere dens, „ quod tangit manus? Paulo post author sic „ pergit, Intelligendum est hoc, quod dicitur; „ ejus caro in salutem populi partitur, dictum „ esse, non quia partiendo minuatur, sed pro- „ pter similitudinem fractionis; sicut immolari „ quotidie dicitur Christus propter similitudinem „ passionis; licet enim hæc magni causa myste- „ rii *quasi* dividere videatur, nos tamen Domi- „ num participatione sui ad diversos credere de- „ bemus venientem, possumus etiam dicere tan- „ tum esse in una *quasi* particula, quantum „ erat in hostia tota; sicut de manna legitur, „ quia nec qui plus collegerat, habuit amplius; „ nec, qui minus collegerat, habuerat minus; „ ita ergo tota hostia est corpus Christi, ut ni- „ bilominus unaquæque particula separata sit „ totum corpus Christi, nec tamen tres particu- „ læ separatæ sunt tria corpora, sed unum cor- „ pus: nec ipsæ etiam particulæ à se tanquam „ plures differunt; quia quod corporis totius „ una est, hoc & cæteræ sunt. Itaque jam nec „ plures particulæ dicendæ sunt, sed una potius „ hostia integra, licet officio sacerdotis videa-

„ tur

„ tur *quasi* dividi propter manum, ut dixi, my-„ sterium, quod ita oportuit celebrari. Simi-„ liter & si dentibus, vel aliquo alio modo hæc „ frangi videntur, intelligimus non hæc frangi, „ quia nihil aliud in tota, quam in qualibet *velut* „ particula credimus contineri; ne autem quis „ existimet, me hanc sententiam ex meo sensu „ commentari &c. Itaque jam nulla ratio pro-„ pter istas *quasi* partitiones obstare videtur, ut „ non possit Christus panem transferre in cor-„ pus suum. Sicut opere tuo putas hostiam di-„ vidi, sic putari potest, sacerdotum opere fie-„ ri, ut corpus Christi, quod in cœlia unum est, „ in mille locis teneatur, sed ipse est, qui ope-„ re vestro, non quod visus æstimat, sed quod „ ipse vult operatur; nam sic violentia judæo-„ rum videbatur mori, & tamen ipse dicit, ne-„ mo tollit animam meam à me, sed ego pono „ eam à meipso; ita ergo eujuslibet fortasse vio-„ lentia putatur frangi; nec tamen, quod car-„ nalis æstimat sensus, sed quod ipse vult Chri-„ stus, credendus est operari; sicut sane post „ partitionem hostiæ singula tibi minora viden-„ tur, quam hostia integra; ita in omnibus Mis-„ sis minus apparet corpus Domini, quam in „ cœlis esse credatur; sed hoc tantum secundum „ sensus, qui sicut in multis rebus aliis sæpe, ita „ in hac re semper falluntur, sed nunquid si boe „ capere non potest oculus earnis, extinquen-„ dus ideo est oculus mentis? cum enim Mag-„ dalena ad monumentum Domini plorana ipsum „ Dominum cerneret, nunquid non ipse re ve-„ ra Jesus erat, quia illa secundum oculos dece-„ pta hortulanum se videre putabat? aut cum „ ipsa die resurrectionis suæ duobus discipulis „ ambulantibus in via scripturas tanquam pere-„ grinus exponeret, nunquid aliud, quam ipse „ erat, quia scriptum est; oculi eorum tene-„ bantur, ne eum agnoscerent? aut cum disci-„ puli in mari laborantes eum super undas cer-„ nerent ambulantem, quis audeat dicere, non „ ipsum vere fuisse, quia ipsi deceptis oculis „ phantasma esse putaverunt? quid igitur? nun-„ quid putandus est eoa jocnlariter delusisse? „ absit: ipse enim ubique idem erat, ipse ubi-„ que veritas erat. Sensus persæpe falli, cum „ veterum Philosophorum multa argumenta, „ tum quotidiana experientia plenissime docent; „ sano namque cuivis eomedoni, si multum esu-„ riat, etiam amara dulcia videntur, ægroto „ autem, aut multum saturo, etiam dulcia sunt „ amara; remum in aqua, si interrogas oculoa, „ fractum asserunt, quem mox extractum man-„ sisse integrum testantibus oculis ratio probat: „ ex quo fit, ut contra rationabilem Ecclesiæ „ fidem per hoe, quod infirmus & lippua ocu-„ lus se videre putat, nullatenus debeat impe-„ diri," l. 2. expresse idem Guimundus docet, corruptionem specierum esse tantum apparentem. Num aliquando Patronus accidentium realium hunc in modum iocutus est?

Argumentum XVIII. *D. Thomas* & veteres Theologi existentiam realium accidentium in Eucharistia tantum probant ex naturali ratione philosophica & ab experientia sensuum, non vero ex Scriptura aut traditione. Ergo, si ex Philosophia ostendatur, experientiam sensuum circa accidentia peripatetica ferme universim fallere, non erit periculosum in fide, tueri oppositum. *Ant. prob.* In summa p. 3. q. 75. a. 5. c. sic scribit: *Dicendum, quod sensui apparet, facta consecratione omnia accidentia panis & vini remanere.*

Argumentum XIX. *Petrus de Alliaco* Cardinalis, qui præsedit Concilio Constantiensi in primis Sessionibus, in quibus fuerunt damnatæ propositiones Wicleffi circa accidentia Eucharistica, ipsemet fatetur in suo Commentario in Libros sententiarum in textu *objectione* 2. referendo, existentiam accidentium realium in Eucharistia esse tantum *aliquod probabile philosophicum.* Ergo contrarium tueri non est periculosum in fide.

Argumentum XX. Author *sermonis de Cœna Domini* antiquus dicit: *Mira sunt, quæ homo sentit, magna, quæ videt.* Atqui non essent magna aut mira, si objectum immediatum tactus & visus tantum esset quantitas & color.

Argumentum XXI. Si darentur accidentia realia in Eucharistia, tunc ibi existerent per modum substantiæ; sed non existunt per modum substantiæ, ergo. maj. patet ex confessione *D. Thomæ* & *Bellarmini.* D. Thomas dicit accidentia Eucharistica existere per modum substantiæ, per hoc, quod aquirant propriam existentiam: Bellarminus vero dicit, accidentia Eucharistica aquirere modum substantiæ. min. prob. 1. si accidentia Eucharistica existerent per modum substantiæ, tunc in æstimatione morali æquivalerent substantiæ; sed hoc non potest dici, ergo maj. patet, quia subrogatum sapit naturam illius, cui subrogatur; & quia æstimatio hominum potius attendit ad modum rei, ad functiones, actiones, & passiones &c. quam ad physicam entitatem rei. min. prob. Christus noluit relinquere id, quod in æstimatione morali æquivalet substantiæ, ergo 2. si accidentia Eucharistica existerent per modum substantiæ, tunc reliquisset Deus Vice-substantiam sed hoc non potest dici, ergo min. prob. nam 1. Deus quasi exhaurit suam omnipotentiam destruendo substantiam panis; ad quid opus omnipotentia, si relinquitur Vicesubstantia? 2. repugnat legibus prudentiæ, deponere regem, & relinquere Vice-Regem, qui teneatur omnia jura sui depositi regis. 3. Si Deus voluit populo Christiano amovere Petram scandali, substantiam, ne sumerent occasionem idololatriæ; ut Joannes de Ragusio in Concilio Basileensi habet: cur relinqueret Vice Petram scandali, Vicesubstantiam? quid enim interest pietati fidelium, ac teneris mentibus, impediri ab immediato cultu Domini sui per substantiam, aut per Vicesubstantiam? si substantia repugnat teneritudini fidelium, & intentioni divinæ, cur non & Vicesubstantia? Igitur dicendum, in destructione substantiæ destrui etiam Vicesubstantiam ut accessorium sequatur suum principale.

Argumentum XXII. *à ratione.* Mysterio Eucharistico sine necessitate assuitur mysterium accidentium realium, ergo hoc non debet admitti. C. *patet*; quia miracula & mysteria non

debent multiplicari fine neceffitate; & in explicatione myfteriorum fidei femper eligenda eft explicatio captu facilior, ac certior; ne humanæ opiniones cum certiffimis fidei myfteriis commifceantur, ob quas fæpe ipfa myfteria apud incredulos vilefcunt, aut omnino rejiciuntur. *Ant. prob.* poteft myfterium Euchariftiicum facillime explicari, dicendo, quod corpus Chrifti gloriofum habeat connaturaliter vim imprimendi fenfibus omnes qualitates fenfibiles. Ergo. *Ant. prob.* 1. Dæmones habent vim excitandi odorem, ac fœtorem, mentiendi mille formas, & commovendi humanos fenfus tam internos quam externos; ergo fimilem vim habet corpus gloriofum, quod à S. Paulo dicitur fpirituale. 2. Corpus gloriofum eminenter præcontinet perfectiones qualitatum fenfibilium, ergo poteft eas imprimere fenfibus; *Ant. prob.* ex CATECHISMO ROM. in art. 12. Symb. ubi dicitur; *beatam cœleftium vitam omnium earum rerum copiis, quæcunque nobis jucunda in hac vita contingere, vel etiam optari queunt, five ad mentis cognitionem, five ad perfectum corporis habitum pertineant, longe Eminentius abundaturam.* Accedit, quod accidentibus juxta Thomiftas competat virtus producendi fubftantiam, cur non concedamus corporibus gloriofis vim faltem inftrumentalem producendi ac imprimendi fenfibus qualitates fenfibiles?

ARGUMENTUM XXIII. *à ratione.* Multi effectus in Euchariftia non poffunt uniformiter explicari per accidentia realia, ergo non dantur. *C. patet.* quia tam Philofophi, quam Theologi femper quærunt caufam uniformem effectuum connexorum; & aliunde conftat, quod Deus operari foleat modo fimpliciffimo, ac uniformi, ubi convenienter poteft haberi uniformitas. Hinc etiam modus phyfice caufandi gratiam in facramentis à plurimis Theologis negatur ob hanc rationem, quod ille modus non procedat uniformiter ac univerfaliter. *Ant. prob.* 1. Variæ apparitiones, quibus Chriftus apparuit in Euchariftia v. g. in figura agni, non poffunt explicari per accidentia realia, ut videbimus infra. 2. Hoftia corrupta convertitur in fubftantiam aliti, in chylum, in carnem & fanguinem, vermes &c. Sed hoc iterum non fit per actionem accidentium realium; fed tantum per operationem divinam. 3. Species vini licet oppofitum teneat Innocentius III. & D. Thomas, probabiliter prorfus eo modo, quo egiffent fine confecratione convertunt aquam infufam in fe; quod non poffunt per actionem propriam. Quodfi quis hoc non concedat, eo ipfo erit opus actione fupernaturali, qua bebetetur virtus accidentium, ne agant in aquam infufam. 4. Sæpe in hoftia producuntur novæ qualitates, v. g. calor, frigus, impetus &c. actualis independentia harum qualitatum a materia in fui productione iterum excedit vires accidentium realium, quia omnis naturalis productio eft eductio è potentia materiæ. 5. Ipfa quantitas hoftiæ, quæ dicitur fubjectum aliorum accidentium, fæpiffime mutatur vel per mutationem figuræ, vel per rarefactionem, & condenfationem, vel per divifionem; actio ifta condenfativa, rarefactiva &c. cum non habeat fubjectum, iterum excedit vires accidentium. 6. Species vini reparant qualitates deperditas; hæc reparatio excedit vires accidentium; fi enim qualitates contrariæ poffent felpfas confervare in fuo temperamento, ac feipfas connaturaliter reparare, non requireretur in compofito phyfico forma fubftantialis, quæ ideo requiritur, ut detur radix exigitiva temperamenti & collectionis accidentium. 7. Gravitas non eft proprietas accidentium, fed fubftantiæ; quia gravitas non convenit rotunditati, albedini &c. fed materiæ. 8. Ubicationes, durationes, aut aliæ relationes poft confecrationem fierent intrinfece fupernaturales, quia non manent eædem numero. 9. Impenetrabilitas quantitatis poft confecrationem non habet amplius determinativum in hoftia; quia quantitas dimenfiva non eft ex feipfa impenetrabilis, fed tantum ob exigentiam fui fubjecti. 10. Intenfio & remiffio qualitatum non poteft fieri naturaliter; Si enim intenfio confiftit in majore radicatione qualitatis in fuo fubjecto, quomodo poffibilis erit major radicatio in fubjecto; cum accidentia exiftant fine fubjecto? fi intenfio confiftit in additione graduum heterogeneorum, quis reproducet v. g. gradum frigoris in fpeciebus vini, fi nulla adeft fubftantia exigitiva hujus gradus? fi intenfio confiftit in additione graduum homogeneorum, quis in defectu fubftantiæ determinat numerum graduum? aut quomodo verum erit dicere, remanere eadem numero accidentia? 11. Odor non diffunditur fine vehiculo fubftantiali, quia eft evaporatio fumofa, ut experimentaliter notum eft; quomodo ergo odor fpecierum vini diffundi poterit per actionem creatam? 12. Panis nihil aliud eft, quam compofitum accidentale, feu innumeræ particulæ farinaceæ artificialiter inter fe conjunctæ: ergo tot deberent dari actiones confervativæ realiter inter fe diftinctæ, quot dabantur particulæ. 13. Forma panis eft modus fenfibilis particularum minimarum, infeparabilis à fuo fubjecto, quia omnis modus ac relatio eft infeparabilis à fuo fubjecto; ergo non poteft remanere eadem numero accidentalis forma ac fenfibilis panis. 14. Nullum accidens poteft educi ex alio; ergo omnes alterationes hoftiæ deberent effe creationes. *Ant. prob.* quia alias non poffet probari neceffitas materiæ primæ; & ARISTOTLES 1. phyf. probat, nihil per fe fieri ex alio, quod jam eft actu, in quantum eft actu, vel quid, vel quale. 15. Hoftia fe haberet per modum rei exiftentis in vacuo; quia fi accidentia exifterent in vacuo, eodem modo exifterent, ac nunc exiftunt in Euchariftia: ergo, ficut in vacuo non poteft dari motus, quia ibi non datur materia, ita nec in hoftia poterit naturaliter dari motus. 16. Corpus Chrifti debet habere aliquam unionem cum fpeciebus Euchariftiicis; ergo hæc unio, cum fit fupra omnem exigentiam creatam, unice poterit produci à Deo. 17. In Manna figura Euchariftiæ pleraque fiebant per folam actionem divinam; ergo etiam in ipfa Euchariftia. *Ant. patet*, quia in manna diverfi fapores juxta defiderium cujusque fentiebantur, & qui plus collegerat, non habebat plus; quod foli virtuti divinæ operanti adfcribi poteft.

Ergo

Ergo conſtat, plurima ſi non pleraque in hoc myſterio ſola virtute divina peragi poſſe; ac proin omnia virtuti divinæ adſcribi debent, ut modus operandi ſit ſimplex ac uniformis.

ARGUMENTUM XXIV. Ratio naturalis probans non dari accidentia realia peripatetica eſt moraliter certa: & Ratio Theologica probans dari in Euchariſtia talia non eſt moraliter certa: ergo ſtandum eſt potius Rationi naturali. *Ant. quoad* 2. *membrum* patebit ex ſolutione objectionum. *Quoad* 1. *membrum prob.* per enumerationem horum accidentium. Sic 1. NEUTONUS demonſtrat nullum dari colorem permanentem in rebus; ſed omnem colorem advenire cum luce. ZABARELLA putat eum produci ab ipſa luce; plurimi etiam Peripatetici putant, eum conſiſtere in modificatione lucis; & pauci ſunt, qui defendunt colores permanentes; igitur ratione naturali moraliter certum eſt; hoc accidens non dari in Euchariſtia. 2. Saporem & odorem conſiſtere in figura particularum minimarum docent cum antiquis fere omnibus Recentiores plerique: ergo iterum hæc duo accidentia non eſſe realia in Euchariſtia moraliter certum eſt. 3. Quantitatem identificarunt cum materia prima præcipui Peripatetici. AVERROES in l. *de ſubſtantia orbis* id expreſſe docet: ergo & Ariſtoteles; qui aliunde corpus definit per trinam dimenſionem. ZABARELLA inter latinos Ariſtotelis interpretes poſt D. Thomam ſine controverſia Princeps non ſolum quantitatem identificat cum materia ſed univerſim negat, accidentia à ſubſtantia ſeparari poſſe. Okamus Nominalium Princeps pariter quantitatem identificat cum materia; & rationes omnium horum authorum non ſunt enervatæ, ſed ab innumeris recentioribus Philoſophis approbatæ; ergo ratione naturali moraliter certum eſt, non dari accidentia realia vulgo peripatetica in Euchariſtia.

Hæc ſunt argumenta Philoſophorum Neotericorum, quorum *ſaltem aliqua* videntur id evincere, non eſſe periculoſam in fide eam ſententiam, quod accidentia Euchariſtica non ſint realia, ſed tantum intentionalia, ſeu apparentia, qualia ſunt colores in Iride, aut illæ ſpecies, ſub quibus apparent Deus, angeli, animæ defunctorum, dæmones. Sic legitur *Lucæ* 3. quod Spiritus Sanctus deſcenderit *in ſpecie columbæ*, & quod Chriſtus apparuerit ſemel in *ſpecie hortulani*, & ſemel in *ſpecie peregrini*. DIXI *Aliqua*, quod enim non omnia ſint ſolida, ſed plura eorum facilem patiantur reſponſionem, ſequentes obſervationes monſtrabunt.

OBSERVATIONES

Ad præfata argumenta Philoſophorum Neotericorum.

Ad Argumentum I. 1. *Circa auctoritatem ex verbis D. Hyeronimi* dico; ea verba non reperiri in ulla Epiſtola S. Hyeronimi. Reperiuntur enim tantum in aliqua Homilia, quæ reperitur quidem inter opera D. Hyeronimi tom. 9. ſub titulo: *Homilia de corpore & ſanguine Domini*, ſed prout *Oudinus* in notis ad tomum 4. editionis Eraſmianæ obſervat, *eſt certo Fauſti Rhegienſis* hactenus editi ſub titulo *Euſebii Emiſſeni*. Verba tamen Homiliæ iſtius longe aliter ſonant, ita ut author illius potius videatur loqui de operationibus Chriſti diverſis in ſenſus internos, quam in ſenſus corporis externos. Textus enim ſic habet: *Sacrum Dei tui corpus honora, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & maxime hauſtu interiori aſſume. Sicut in Manna in corpore cibus ſapiebat, ita in pectore Deus credulitate proficiat. Ideo quod ibi delectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio operetur in ſenſibus.* En! verbum *operari*, ponitur *optative*, non *aſſertive*.

2. Textus S. Hilario adſcriptus non reperitur inter ejus opera.

3. *In textu, qui tribuitur S. Auguſtino* à Gratiano, & inter opera non extat, per nomen *ſpecierum* non intelliguntur ſpecies accidentales, ſed duæ naturæ ſeu ſubſtantiæ ſpecificæ panis & vini. Sic D. Ambroſius ſumit l. de initiandis c. 9. Ibidem c. 4. dicit: *Speciem pro veritate accipiendam legimus de Chriſto: Specie inventus ut homo.* Ad alterum textum dico; aliud judicium exſpectari non potuiſſe ab infante, qui ſub hac ſpecie Chriſtum tantum ſemel viderit. Si autem obſervaſſet, ex pane fieri eum tranſitum, & ſpeciem eſſe ſtabilem, virilius judicium tuliſſet etiam infans. Hinc eoipſo, quod S. Auguſtinus talem opinionem infanti tribuat, eam non approbat.

Ad Argumentum II. dico, etiam in noſtra ſententia verum eſſe, quod dicatur in altari *apparens panis*, & quod *appareat* eſſe panis; & quod Chriſtus ſit ſub *apparentiis panis*. Sed hoc dicitur *comparative* ad aliud, nempe ad ſubſtantiam panis, non abſolute pro nuda apparitione. Certe græcus terminus εἶδος, ſæpius ſignificat formam ſeu ſpeciem realem alicujus rei, quam meram apparitionem. *D. Epiphanius* ibi loquitur de divinitate Chriſti, non de corpore Chriſti. De illa dicit, quod ſit *ſentiens*, ſeu ſenſitiva, non vero quod ſit ſenſibilis. *D. Chryſoſtomus* in hoc ipſo textu agnoſcit *veras res*, ſub quibus nobis traditur Chriſtus. *Theodoretus* ſatis aperte ſupponit, quod aliquid, *quod reale* panis vocat, remaneat. D. Gregorius pariter tantum loquitur de pane *apparente* comparative ad ſubſtantiam panis.

Ad Argumentum III. nego, eam profeſſionem fidei fuiſſe acceptatam à Romana Eccleſia; quia, ut obſervat P. ANSELMUS PARIS in libro gallico, de conſenſu Orientalis Eccleſiæ in articulo *de imaginibus*, *de purgatorio*, & *de communione ſub utraque ſpecie* continet aperte contraria doctrinæ Romanæ Eccleſiæ. Ea profeſſio etiam edita eſt in Commentario rerum Moſcowiticarum *à Leunclavio* Calviniſta. Zacharias Chryſop. tantum invehitur in eos, qui cum Berengario irrident omnes modos poſſibiles ſalvandi tranſſubſtantiationem. Ad *Theophylactum* & *Agapium* jam reſponſum eſt, eorum phraſes loquendi etiam à noſtris authoribus admitti. Idem reſpondetur circa apparentias panis.

Ad

Ad Argumentum IV. conceditur, Christum eodem modo tangi & videri quoad substantiam veritatis per propositionem importatæ, quia etiam, dum tangitur homo, non tangitur homo immediate immediatione substantiæ, sed tantum immediatione quantitatis dimensivæ. Perinde autem est in ordine ad veritatem propositionis quoad tactum, utrum quantitas sit unione physica unita substantiæ, sive unione locali.

Ad Argumentum V. Quæstionem tantum in eo versatam esse, an in Sacrificio Missæ sacrificium Christi in cruce peractum tantum renovetur rememorative *in figura*, ac *velo*, prout Ratramnus asserebat; an vero in reipsa, ita ut sit idem sacrificium, prout Paschasius juxta doctrinam Ecclesiæ asserebat. Non igitur sermo erat de *velo* aut *figura* accidentium relate ad suum contentum, quæ Paschasius non negabat.

Ad Argumentum VI. Dico, ex hoc ipso apparere, quod jam eo tempore nullus Theologorum ausus sit, *assertive* contrarium tueri.

Ad Argumentum VII. dico, homines tendere in substantiam invisibilem, dum regem sub forma visibili honorant, absque eo, quod cultus & honor tendat per se in accidentia regis. Idem ergo est, dum adoratur Christus sub accidentibus panis.

Ad Argumentum VIII. Quamvis colores transeuntes & permanentes formaliter non differant, datur tamen in his causa secunda stabilis, de se ex sua natura exigitiva talium effectuum. Qualis in Eucharistia connaturaliter assignari nequit sine quantitate dimensiva.

Ad Argumentum IX. dicimus etiam nos, tangi ac premi substantiam, dum immediate tangitur quantitas ligni vel hominis, unita substantiæ. Nec refert, utrum illa unio sit physica in unitatem substantem, vel tantum localis & accidentalis.

Ad Argumentum X. Ibi tantum urgetur paritas quoad veritatem interioris substantiæ, quod, sicut ibi erat intus sub accidentibus serpens, ita hic sit sub accidentibus vere corpus Christi.

Ad Argumentum XI. Dico, sensus falli, in quantum illis præbetur occasio concurrendi ad judicium erroneum, nisi corrigatur aut præcaveatur per fidem.

Ad Argumentum XII. Paschasius tantum dicit, nihil substantiæ adesse, nisi corpus Christi.

Ad Argumentum XIII. Dico, quod Christus non solum habeat unionem localem, sed etiam unionem operationum cum accidentibus, in quantum ea conservat, iisque tribuit vim afficiendi organa comestionis & nutritionis. Tam arcta unio non reperitur inter aerem, & cibum, & dæmonem.

Ad Argumentum XIV. Id nego; quia per particulam demonstrativam substantiæ demonstrari directe qualitates substantiæ, licet id aliquando fiat, tamen rarum est.

Ad Argumentum XV. Id nego; quia, cum homines non tendant suo cultu in accidentia rei, non poterat ex hoc motivo periculi dubium quoad cultum moveri ad destruenda accidentia panis.

Ad Argumentum XVI. In compendio omnium mirabilium, ubi humanus intellectus semel admiserit præsentiam Christi in Eucharistia, reliquæ minores difficultates facile ab humilibus conceduntur. Nec Deus tenetur deserere suam constantem methodum, ut feriei effectuum constanti provideat de constanti causa secunda, si modus causalitatis hominibus circa intellectualia inexercitatis videatur imperceptibilis.

Ad Argumentum XVII. Guimundus tantum vult per ejusmodi phrases declarare realem præsentiam Christi. Cæterum, quod accidentia realia dentur, evidens est legenti ejus librum.

Ad Argumentum XVIII. Cum existentia accidentium extra mentem pertineat ad generale dictamen naturale omnibus inditum, etiam hoc sufficit ad formandam conclusionem theologicam ex præmissa una revelata & altera moraliter certa moraliter certam.

Ad Argumentum XIX. Addit tamen Cardinalis, quod huic probabili Philosophico magis faveat Ecclesia.

Ad Argumentum XX. In ejusmodi locutionibus respiciunt homines ad substantiam objecti, non ad accidentia; nisi quis velit dicere, etiam modum existendi quoad hæc accidentia *magnum* quid & admiratione dignum esse.

Ad Argumentum XXI. Dico, non attendi ab hominibus circa accidentia sublimem modum existendi; quia totam attentionem fidelium absorbet dignitas objecti principalis, nempe Christi.

Ad Argumentum XXII. Dico, ex eo, quod aliquot effectus in Eucharistia excedant virtutem accidentium, non sequitur, quod etiam reliqui innumeri, qui possunt habere causam secundam proportionatam, debeant destitui causa secunda proportionata.

Ad Argumentum XXIII. Dico, omnes enumeratos effectus, præter 1. 2. 3. & 11. produci dependenter à dispositione diversa quantitatis, quæ, cum non differat à materia prima, nisi quoad modum essendi, nempe quoad perseitatem, in omnibus fungitur loco materiæ primæ. Imo etiam quoad effectum 1. 2. 3. & 11. facilis est transitus quantitatis in materiam primam, in quantum nulla alia re ad productionem novæ materiæ opus est, nisi ut actio continuata creativa, quæ in pane dimensionibus interminatis contulit perseitatem, post consecrationem vero iisdem perseitatem abstulit, corruptis speciebus panis & vini eandem perseitatem illis denuo restituat. Itaque ope actionis creativæ in se continuæ, etiam dum vocatur conservatio rei, eadem ex suo genere extensio indefinita modo erit ob perseitatem materia prima substantialis, modo autem sublata perseitate & activitate, quam tribuerat forma substantialis propria panis & vini, erit quantitas accidentalis, cujus tota ratio existendi & activitas post consecrationem unice habetur à corpore Christi, cui per modum paludamenti vel modi non informative sed conservative uniti accedit.

Ad Argumentum XXIV. Dico, verum quidem esse, quod circa colores, sapores, odores, calores, sonos, &c. à Philosophis Neotericis vix non demonstrative probetur, ejusmodi qualitates

litates *formaliter* acceptas, hoc est, prout sunt aliquid simillimum Ideis, quas de iis in nostra mente sentimus, non reperiri *permanenter* in objectis, quæ vocantur colorata, sapida, odorifera, calida, sonora, &c. attamen non probatur efficaciter à Neotericis, nullo modo dari à parte rei extra mentem, saltem lucem & colorem, in quantum sequuntur ac comitantur motum subtilis materiæ cum actione respectiva continua per varia intermedia usque ad sensus internos animæ. Multo minus Neoterici efficaciter possunt probare, quantitatem organicam partium, & dimensiones terminatas non esse aliquid realiter distinctum ab extensione indefinita, nisi fiat ultimato quæstio de nomine, ita ut illi vocent diversos modos ejusdem substantiæ illas diversas figuras ac extensiones, quæ una actione creativa in se continua, seu, ut vocatur, conservativa successive extensioni infinitæ ex suo genere per relationem generalem individualem eidem adjunguntur. Nos enim eam diversarum figurarum successive intrantium tam à se invicem quam à subjecta extensione indefinita diversitatem vocamus distinctionem realem. Neque enim in creatis admittimus quoddam mysterium Trinitatis, ut ea, quæ inter se non solum formaliter in suo conceptu seu Idea evidenter diversa sed etiam separabilia sunt, v. g. figura rotunda, quadra, oblonga &c. æris vel ceræ, cum eodem tertio, nempe cum substantia æris vel ceræ, quoad particulas minimas physice indivisibiles spectata realiter idem sit.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. *Contra primam conclusionem.* 1. Certum est; non dari colores permanentes, saporem, odorem &c. in Eucharistia. Ergo hæc conclusio non est universaliter vera. *ant. prob.* Juxta modernos Philosophos ferme omnes, etiam Peripateticos, colores veniunt & abeunt cum luce modificata. Sapor consistit in figura diversa salium, quæ latent in pane, vel alio cibo. Odor consistit in diversis efluviis, seu potius in diversa figura salium volatilium.

2. Materia prima consistit in extensione indefinita. Ergo, si in Eucharistia remaneret realis quantitas panis, quæ sine extensione indefinita esse non potest, remaneret etiam materia panis.

3. Impossibile est, ut prædicata inter se realiter identificata per transsubstantiationem separentur ac distinguantur. Sed materia panis & ejus extensio seu quantitas diversiva partium ante consecrationem sunt realiter identificata inter se. Ergo per transsubstantiationem non possunt inter se distingui. *min. prob.* Idem semper manet idem; nec etiam divinitus potest unquam distingui à seipso.

4. Si materia panis posset converti in corpus Christi, & dimensiones materiæ cum illa realiter identificatæ possent remanere, deberet etiam concedi, quod Petri animalitas posset transsubstantiari in corpus Christi, & remanere ejus rationalitas identificata cum animalitate. Idem deberet admitti circa quodvis prædicatum genericum, ita ut eo transsubstantiato remaneret adhuc prædicatum specificum; quod est plane absurdum.

5. Est impossibile, ut dimensio interminata, aut extensio indeterminata panis transsubstantiata in corpus Christi post transsubstantiationem ex suo genere eadem aquirat essendi modum accidentalem respectu corporis Christi. Ergo explicatio nostra accidentium Eucharisticorum non potest admitti, *ant. prob.* Essentiæ rerum non possunt mutari. Ergo quod ante consecrationem est in genere substantiali, non potest per consecrationem transire in genus accidentale.

6. Si esset vera hæc explicatio, veræ essent hæ propositiones. *Primo*, quod post consecrationem remaneat natura panis, sicut verum est dicere, quod in Christo post incarnationem remanet natura humana. *Secundo.* Quod corpus Christi uniatur naturæ panis, sicut in Christo Verbum est unitum naturæ humanæ. *Tertio*, quod natura panis fuerit assumpta à corpore Christi. Sed hæc omnia sunt erronea. Ergo.

RESPONDEO.

AD 1. D. certum est, non dari in Eucharistia colorem, saporem, & odorem formalem. tr. fundamentalem. n. color, sapor, & odor formalis sunt aliquid simile nostris ideis, dum concipimus colorem v. g. album, saporem, odorem &c. De his facile concedo, quod formaliter ac permanenter non reperiantur in objecto, sed oriantur & sequantur ad motum subtilis materiæ, & salium, seu potius ad motionem sensorii. Reperitur tamen in objecto figura, & plexus seu textura diversarum partium, idonea ad causandam talem motionem sensorii, & eam dispositionem partium, quæ etiam in Eucharistia remanet quoad quantitatem, seu dimensiones organicas partium. Eam dispositionem partium quantitatis voco calorem, saporem, & odorem fundamentalem.

AD 2. D. Extensio indefinita est materia prima in hac providentia ob liberam determinationem Dei, volentis extensioni indefinitæ tribuere *perseitatem primo.* c. ex sua essentia metaphysica, formaliter, ac intrinsece. n. Itaque per transsubstantiationem potest Deus ab extensione indefinita tollere *perseitatem primam* in substantiis corporeis, seu *rationem materiæ primæ*, eique annectere modum essendi tantum dependenter ab alio, cum quo non constituit unum compositum substantiale, nempe dependenter à corpore Christi. Itaque falsum est, post consecrationem remanere *materiam primam*, seu id, cui identificata est *perseitas*, licet remaneat id ex suo genere, cui prius in individuo fuerat identificata perseitas.

AD 3. D. impossibile est, ut talia prædicata separentur stante priore individuatione. c. sublata priori individuatione. n. Cum enim juxta Thomistas transsubstantiatio sit actio creativa, non est impossibile, ut prædicata *formaliter*, seu ut Thomistæ loquuntur, *virtualiter* diversa in novo termino actionis conversivæ inter se separentur, ita ut unum prædicatum sit transsubstantiatum formaliter in corpus Christi, alterum prædicatum formaliter non sit transsubstantiatum, prout

D. Thomas circa *rationem entis*, utrique termino converſionis communem oſtendit, ut in hac diſput. q. 1. *Notando* 6. oſtenſum eſt.

Ad 4. D. ſi non daretur aliunde implicantia. c. ſecus. n. eum enim homo ſit immortalis ex ſua natura, tranſubſtantiatio locum habere non poteſt. In aliis autem compoſitis v. g. in leone, gemma, planta &c. concedo, quod ratio totius poſſet tranſubſtantiari non tranſubſtantiato formaliter uno aliquo ex ſuo genere prædicato, adeoque conſervabili ſeparatim per actionem creativam, ſi ſit perfectio abſoluta.

Ad 5. n. a. ad prob. d. eſſentiæ rerum ſimplices non poſſunt mutari. c. compoſitæ. *ſubdiſt.* ſtante eodem individuo ac compoſito. n. ſic enim deſtructa ratione principii ſenſitivi in leone per actionem tranſubſtantiativam eſt conſervabilis ex ſuo genere ejus vitalitas, quæ eſt communis plantia.

Ad 6. n. min. natura enim dicit ſubſtantiam, cui ex ſuo genere competit perſeitas, qualis eſt natura humana in ſuo conceptu formali. Sed extenſio indefinita non eſt talis natura, ſeu principium operandi de ſe completum, etiamſi ſumatur eum dimenſionibus organicis indeterminatis; quamvis Theodoretus & Gelaſius Papa reſpiciendo ad *materiale naturæ* forte in hoc ſenſu dixerint, remanere naturam panis.

Objicitur 2. *Contra concluſionem ſecundam.* Definitum eſt ab Eccleſia, in Euchariſtia *dari accidentia realia* peripatetica *ſine ſubjecto.* Ergo contraria doctrina eſt erronea. *ant. prob.* Hæc propoſitio: *Accidentia panis in ſacramento altaris non manent ſine ſubjecto*, eſt damnata in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. Ergo ipſius contradictoria: *Accidentia panis manent ſine ſubjecto eſt definita.*

Respondeo 1. n. ant. ad. pb. d. hæc propoſitio eſt damnata ut falſa ac erronea n. ant. ut ſcandaloſa, temeraria, aut piarum aurium offenſiva & ſeditioſa c. ant. Pro explicatione hujus reſponſionis Notandum eſt 1. Acta Concilii Conſtantienſis ante electionem Martini 5. non habere authoritatem Concilii Generalis. Id probat Cardinalis Turrecremata in ſumma de Eccleſia l. 2. c. qq. Bartholomæus Carranza in ſumma Conciliorum; Franciſcus Longo in ſumma Conciliorum; Ludovicus Bail in ſumma Conciliorum; Bannius; & ſcriptores infallibilitatis Pontificiæ aſſertores plerique.

Notandum 2. à Martino 5. ſolum confirmata eſſe illa, quæ *Conciliariter* geſta ſunt.

Notandum 3. à Martino 5. aliquas Propoſitiones Wicleffi rejectas eſſe ut hæreticas; alias vero, ut *duntaxat* ſcandaloſas, temerarias, piarum aurium offenſivas, aut ſeditioſas; ut patet ex ipſa Bulla Martini 5. His prænotatis, dico, Propoſitionem adductam à Martino 5. non eſſe damnatam ut hæreticam, ſed tantum ut ſcandaloſam, aut temerariam; dein probo; eandem propoſitionem, non obſtante, quod tunc temporis fuerit ſandaloſa aut temeraria, poſſe eſſe veram. Igitur hanc propoſitionem non eſſe à Martino 5. damnatam ut hæreticam ſic oſtendo: Martinus 5. in ſua formula fidei enumerat omnes propoſitiones Wicleffi hæreticas, & tamen non ponit propoſitionem adductam, licet pònat propoſitionem immediate antecedentem, & immediate conſequentem; ergo non voluit Martinus 5. propoſitionem adductam ratione ſui, in quantum facit ſenſum diverſum à propoſitione prima & tertia, numerare inter hæreticas. *ant. prob.* Martinus 5. in ſua formula fidei vult quemcunque de hæreſi ſuſpectum ſic interrogari: *Utrum credat, quod poſt conſecrationem ſacerdotis in ſacramento altaris ſub velamento panis & vini non ſit panis materialis & vinum materiale? item utrum credat & aſſerat, quod facta conſecratione per ſacerdotem ſub ſola ſpecie panis tantum, & præter ſpeciem vini ſit vera caro Chriſti, & ſanguis, & anima & deitas* &c. En! Martinus 5. non jubet interrogare ſuſpectos de hæreſi; *an accidentia panis maneant ſine ſubjecto:* Wicleffus poſuit tres propoſitiones ſequentes: 1. *ſubſtantia panis materialis & vini materialis manent in ſacramento altaris.* 2. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.* 3. *Chriſtus non eſt in eodem ſacramento identice & realiter propria præſentia corporali.* Si Martinus omnes has tres propoſitiones judicavit eſſe hæreticas, cur ſuſpectos de hæreſi tantum jubet interrogari de prima & tertia? alia ratio reddi non poteſt, niſi quia ſecundam tantum judicavit eſſe ſcandaloſam, aut temerariam, in quantum in contextu illo videbatur affirmare, vel approbare falſitatem propoſitionis primæ & tertiæ. Igitur probo, propoſitionem controverſam, licet tempore Concilii Conſtantienſis fuerit Scandaloſa, aut temeraria, poſſe eſſe veram ſeorſim extra illum contextum, ſi non ſumatur relative ad propoſitionem antecedentem & ſubquentem. Propoſitio *ſcandaloſa* dicitur, quæ licet de ſe vera ſit, ex uſu tamen ac acceptione hominum in malo aut erroneo ſenſu uſurpatur; ſic eam definit Ludovicus Bail in ſumma Conciliorum, qui ſimul obſervat, hanc cenſuram in nullo antea Concilio Generali fuiſſe uſurpatam. Etiam La Croix in Theologia Morali l. 1. c. 2. Dub. 2. n. 188. & n. 204. recte obſervat; propoſitionem poſſe eſſe ſcandaloſam, & tamen veram. n. 188. ſic ſcribit: *Certum eſſe videtur, poſſe propoſitionem aliquam eſſe ſcandaloſam & veram, uti ſi occultam luxuriam monachi revelares, vel apud innocentes vera loquereris de peccatis luxuriæ.* Et n. 189. *Propoſitio piarum aurium offenſiva eſt, qua in materia religionis dicitur aliquid, ſi non falſum, attamen indecens.* Et n. 191. *Propoſitio ſuſpecta eſt, quæ in rigore grammatico vera eſſe poteſt, attamen innuere videtur hæreſim.* Et n. 204. Lugo *de fide diſp.* 20. *n.* 134. *cum* Cano *de locis l.* 12. *c.* 10. *§. propoſitionem, abſolute docent, propoſitionem aliquam poſſe damnari, ut ſcandaloſam, aut offenſivam piarum aurium, neque tamen inde inferri poſſe, eſſe falſam. Si tamen damnetur ut temeraria, & aliquis abſque nova ratione inventa judicaret eſſe veram, eſſet error contra fidem, quia judicaret, nunc habere grave fundamentum, cujus oppoſitum pro nunc judicaſſet Eccleſia.* Ex his verbis patet, propoſitionem ſcandaloſam in his circumſtantiis, vel in tali contextu, poſſe eſſe veram, & non ſcandaloſam, ſi ſpectetur in aliis circumſtantiis, vel in alio contextu. Idem dicendum de propoſitione temeraria, quæ poteſt fieri non temeraria, ſi ſtabiliatur novis ac ſolidis fundamentis, quæ prius non apparebant,

aut

aut non satis expendebantur. Nam propositio temeraria est, quæ licet possit esse vera, asseritur tamen contra communem opinionem sine sufficienti fundamento. Igitur etiamsi propositio controversa damnata sit, ut *scandalosa*, aut *temeraria*, potest tamen esse vera. Sic inter ipsas damnatas Wicleffi propositiones occurrit una vel altera, quæ à modernis Catholicis plerisque habetur pro vera. Propositio Wicleffi 38. est hæc: *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ*. Hæc propositio a Concilio fuit damnata, ad minimum tanquam scandalosa aut temeraria; ideo nempe, quia tunc temporis Wicleffus sine sufficienti fundamento communi opinioni contradicebat: nunc veritate melius patefacta Baronius cum eruditis fere omnibus has epistolas rejicit. Dico proin, propositionem controversam tempore Concilii Constantiensis merito rejectam esse ut scandalosam & temerariam, quia pronum erat illi tribuere sensum erroneum a Wicleffo intentum, quod nempe in Eucharistia remaneat substantia panis, seu, ut ille intelligit, subjectum accidentium; & quia sine sufficienti fundamento, quale nunc temporis habetur, author contradixit communi opinioni.

Respondeo 2. n. a. ad pb. d. ant. hæc propositio fuit damnata in sensu obvio ab authore intento. c. ant. in sensu rigoroso scholastico. n. ant. pro explicatione hujus responsionis

Notandum 1. Sensum propositionis obvium esse illum, quem aut verba secundum se, aut circumstantiæ verborum ultro menti offerunt.

Notandum 2. Propositionem controversam in his circumstantiis & hoc ordine fuisse propositam: Propositio Wicleffi 1. erat hæc: *Substantia panis materialis, & vini materialis manent in sacramento altaris.* 2. *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.* 3. *Christus non est in eodem sacramento identice & realiter propria præsentia corporali.* Dico, ex his circumstantiis cuivis obvium esse, quid Wicleffus intendat, & intelligat per suum *subjectum*, nempe substantiam panis, ut sensus sit; *accidentia panis non manent sine substantia panis*: atque in hoc sensu cuivis obvio & certissime ab authore intento propositionem fuisse damnatam, non vero in sensu rigoroso scholastico, sic probo. 1. In illo tantum sensu propositio fuit damnata, in quo fuit controversa & conciliariter examinata; atqui tantum in hoc sensu obvio ab authore intento fuit controversa & conciliariter examinata, ergo *min. patet*, quia in Conciliis tantum definiri solent res cum hæreticis controversæ; & *Martinus* 5. noluit acta Concilii confirmare, nisi quæ Conciliariter gesta sunt, id est, *cum debito examine ac discussione*, ut hunc terminum Sfondrati *in Sacerd. Regali*, explicat. min. pb. non constat, quod hæc propositio fuerit examinata in sensu rigoroso scholastico, in quo non necessario debuit examinari, quin potius debuit non examinari: ergo dicendum, quod solum fuerit examinata in sensu obvio ab authore intento, in quo necessario debuit examinari. 2. Non potest dari expeditior ratio, cur Martinus 5. hanc propositionem in sua formula fidei intactam reliquerit, nisi quia quoad verborum sensum obvium coincidit cum prima; ergo tantum fuit damnata in hoc sensu. 3. Quandocunque constat de sensu verborum obvio ab authore intento certe erroneo, præsumitur damnatio tantum afficere hunc sensum, non afficiendo alium sensum dubium; sed in hoc casu constat de sensu verborum obvio ab authore intento certe erroneo, ergo: maj. constat, quia damnationes sunt strictæ interpretationis; adeoque damnatio ad sensum certo falsum restringi debet, nec extendi ad sensum dubium diu antecedenter in Ecclesia toleratum, & inter ipsos Theologos controversum.

Dices 1. Concilia nonnunquam occasionaliter definiunt etiam ea, quæ cum hæreticis controversa non sunt; ergo potuit hoc etiam fieri in præsenti.

Respondeo. c. ant. d. c. potuit hoc fieri, ita ut præsumatur factum esse. n. c. ita ut non præsumatur. c. C. præsumptio sumitur à communiter contingentibus; communiter Concilia non solent definire ea, quæ cum hæreticis controversa non sunt; igitur nec id præsumitur factum esse in præsenti. Accedit, quod Concilia tales veritates occasionales non soleant definire in iis locis, in quibus ex instituto agunt contra hæreticos; sicut sessione 8. Concilii Constant. factum est.

Dices 2. Sensum propositionis obvium à Wicleffo intentum fuisse hunc; manet in sacramento altaris substantia panis, quia accidentia panis sine subjecto manere non possunt; ita ut hac speciali propositione voluerit evertere suppositum Theologorum Catholicorum, ergo fuit damnata in sensu rigoroso scholastico.

Respondeo. n. ant. ratio negandi est, quia propositio Wicleffi in terminis non est causalis, ergo gratis fingitur esse causalis; secundo, circumstantiæ propositionis potius probant, Wicleffum omni modo possibili exprimere voluisse ac explicare doctrinam suam, quam causam impertinentem adducere; quam enim distorta foret hæc probatio? *remanet substantia panis, Quia accidentia non manent sine subjecto?* Ponamus enim, accidentia non posse manere sine subjecto, num propterea remanebit substantia panis? Igitur præsumendum est, Wicleffum non voluisse ponere causalem adeo impertinentem, maxime cum nec proprietas verborum suffragetur, nec ullus scriptor coævus de hoc Wicleffi discursu testetur. Tertio; Intentio Concilii non erat propositionem damnare in hoc sensu causali Scholastico; igitur in hoc sensu damnata non est, cum nec verba significent ultra intentionem proferentium, nec damnatio operetur ultra intentionem damnantium; *ant prob.* Intentio Concilii talis fuit, qualis esse debuit; sed talis esse debuit, ut non vellet damnare propositionem in hoc sensu causali scholastico, ergo *maj. patet*, quia in omnibus, quod convenientius fieri debuit, præsumitur factum esse; sicut & Deo, quod melius ac sapientius videtur, tribuimus, ut advertit S. Augustinus. *min. prob.* Intentio Ecclesiæ non est definire ea, quæ non pertinent ad substantiam fidei, sed hæc propositio, dantur accidentia realia,

realia non pertinet ad fubftantiam fidei, ergo min. patet ex D. THOMA 2. 2. q. 1. a. 7. & 10. ubi ait, à Conciliis ac Romano Pontifice non poffe ftricte loquendo condi *novos articulos fidei*; fed tantum articulos jam antecedenter revelatos explicari; idque, quod implicite in fcriptura continetur, explicite Ecclefiæ credendum proponi; reliquas vero quæftiones, quæ ne quidem implicite continentur in articulis aliunde revelatis, non pertinere ad fidem. min. prob. Hæc propofitio, *dantur accidentia realia in Euchariftia* continetur implicite in nullo articulo revelato, ergo non pertinet ad fubftantiam fidei. *ant. prob.* illa propofitio continetur implicite in altera, quæ ex illa faltem probabiliter poteft deduci; aut cujus fubjectum & prædicatum continetur in fubjecto & prædicato alterius propofitionis; fed propofitio controverfa neutro modo continetur in ulla propofitione revelata, ergo. Huc facit, quæ PICUS MIRANDULANUS quæft. 7. apolog. pro falute Origenis affert. *Dico*, inquit, *quod non videtur credendum, quod Ecclefia unquam determinaverit, animam Originis ad inferos effe damnatam; ratio eft hæc: De illo, quod certitudinaliter determinari nifi temerarie non poteft, non debet credi, factam effe determinationem ab Ecclefia: Sed de hoc quæfito, utrum Origenes falvus fit, an damnatus; determinari altera pars, nifi temere non poteft faltem abfque revelatione fpeciali Dei; ergo cum de tali revelatione non conftet, non debet credi de hoc factam effe ab Ecclefia determinationem:* MAJOR *eft nota, & oppofitum ejus effet injuriofum Ecclefiæ credere, quod aliquid ab ea poffit inconfulte & temere judicari.* Hucusque Picus Mirandulanus. Idem proportionaliter poteft dici de exiftentia accidentium realium peripateticorum. Secundo. Intentio Ecclefiæ non eft definire ea, circa quæ nulla extat conftans ac uniformis Ecclefiæ traditio; fed circa hoc, an dentur accidentia realia Euchariftica, nulla extat Ecclefiæ traditio, ergo. Min. patet, quia Catechifmus Romanus volens tradere exactam credendorum regulam, nullam aliam adducit, nifi Scripturam & Traditionem. min. prob. 1. nulla poteft oftendi talis traditio; fed potius ex noftris probationibus oftenditur, contrariam viguiffe traditionem; maxime cum Patres principiis Platonicis imbuti nulla agnoverint accidentia realia peripatetica. 2. D. THOMAS, & alii antiquiores fcholaftici non probant accidentia realia Euchariftica è fcriptura, Patribus, aut Traditione; fed tantum ea probant ratione naturali ex philofophia peripatetica; quin D. THOMAS refert opinionem veterum fibi contrariam; ergo præfumendum eft, nullam extare traditionem; nec accidentia realia è fcriptura & Patribus deduci poffe. 3. PETRUS de ALLIACO Cardinalis, cui totum Examen & cenfura propofitionum Wicleffi à Concilio Conftant. demandata eft, expreffe fatetur; hoc, an dentur accidentia realia à fubftantia diftincta, effe tantum aliquid *Philofophicum probabile, communiter receptum ab iis, qui fequuntur Philofophiam Peripateticorum*; ergo hæc quæftio non poterat ab Ecclefia definiri ex Traditione.

DICES 3. Exiftentia accidentium Peripateticorum fine fubjecto in Euchariftia fuit controverfa inter Wicleffum & Doctores Catholicos; ergo probabilius Propofitio Wicleffiana in hoc controverfo fenfu fuit definita. *ant. prob.* Ipfemet Wicleffus teftatur, id inter fe effe controverfum & fuos Adverfarios; ergo erat re vera controverfum. *ant. prob.* ex confeffione, quam Wicleffus edidit 1382. quamque *Larroquius* ex manufcripto Codice Univerfitatis Oxfordienfis in Lucem protulit, ut refert *Lenfant* in Hiftoria Concilii Conftantienfis: Confeffio illa continet fequentia Wicleffi verba: *O quam magna eft differentia inter nos, qui credimus, hoc Sacramentum in fua fpecie re vera effe panem; & inter hæreticos, qui nobis dicunt, quod fit accidens fine fubjecto! nam, priusquam pater mendaciorum fuerat folutus, id nulli unquam hominum in mentem venerat; hæc differentia plane magna eft; quia nos dicimus, hoc Sacramentum in fua fpecie re vera effe panem, & Sacramentaliter corpus Dei.* Eundem Wicleffum conftat dixiffe; ftercus effe melius Sacramento Romanæ Ecclefiæ; quia illud quidem foret fubftantia; hoc vero tantum accidens; ut refert Bellarminus.

Idem confirmat Author Synchronus Venerabilis Stephanus Prior Cartufiæ Bolanenfis in fua *Medulla Tritici* à R. P. Pez noviffime edita, in qua Author ille ex Inftituto refutat fingulos articulos Wicleffi. Parte 1. c. 9. refert ex Trialogo Wicleffi hæc verba: *inter omnes hærefes, quæ unquam in Ecclefia pullulaverunt, nunquam confidero aliquam plus callide per hypocritas introductam, & multiplicius populum defraudantem, quam ut credatur in Sacramento Domini Corporis effe accidens fine fubjecto* Dein c. 10. Author ponit hunc titulum: *catholici, dum dicunt, in Sacramento Altaris accidentia effe fine fubjecto, non dicunt, Sacramentum effe nihil, ut Wicleff calumniatur.*

Similiter & Lutherus de Captiv. Babyl. in dubium vocat, an color, quantitas &c. in Euchariftia fint accidentia, ait enim: *Sed hic nata eft Babylonia illa philofophiæ iftius de quantitate continua diftincta a fubftantia, donec eo ventum fit, ut ignorent & ipfi, quæ fint accidentia & fubftantia; nam quis certo monftraverit unquam, calorem, frigus, lucem, pondus, figuras, effe accidentia.* Cathar. f. 27.

RESPONDEO. Dift. Exiftentia accidentium Peripateticorum erat Controverfa Scholaftice. c. Concilialiter. n. ant. Wicleffus, ut haberet majorem occafionem fubvertendi tranfubftantiationem, impugnavit quidem *modum* tranfubftantiationis tunc in Scholis communiter receptum; fed re vera veritas tranfubftantiationis non dependebat *a modo* tranfubftantiationis; & licet Theologi defenderint in fuis Scholis utrumque, nempe tranfubftantiationem ipfam, & modum ejus; tamen Concilium de modo non erat follicitum; ut oftenfum eft. Id confirmari poteft 1. ex eo, quia Cenfura Theologorum propofitionis fecundæ Wicleffianæ à Doctoribus Concilii lata tantum adftruit tranfubftantiationem, non modum illius. Cenfura illa reperitur in Collectione Conciliorum *Veneta Coleti*, in Codice M. S. Lipfienfi, & edita eft a Von der Hard in Hift. Concil. Conftant. In hac cenfura propofitio dicitur *falfa, erronea, & Sapiens hærefim univerfaliter intellecta.* Ratio cenfuræ defumitur a nonnullis textibus Lombardi, duobus Decretalibus Lucii 1181, qui excommunicavit in genere omnes hæreticos diffentientes

tientes à Romana Ecclesia circa Eucharistiam, & ex Decretali Innocentii III. l. 5. tit. 7. c. 9. ad abolendum, ubi Pontifex asserit transubstantiationem: Jam sic: Si ratio censuræ non se extendit ultra transubstantiationem ad modum illius, tum neque intentio Censorum se ulterius extendit, sed, ergo.

CONFIRMATUR 2. Ex eo, quia Huss in Concilio Constantiensi concrematus, postquam dixerat, tantum remanere species panis sine ejus substantia, objicit nonnullis Doctoribus Catholicis tanquam absurdum, quod faciant corpus Christi immediatum objectum sensuum conformiter ad formulam Berengarianam, ut *Lenfant* l. 3. n. 53. ex opusculis Hussi demonstrat; ergo Hæretici tempore Concilii Constantiensis nostram opinionem detestabantur tanquam Catholicam; ergo non fuit damnata à Concilio.

CONFIRMATUR 3. quia Hieronymus de Praga, Jacobellus, & ipse Huss de doctrina Wicleffiana suspecti, & quoad præcipuos articulos accusati aut examinati, nunquam accusantur vel examinantur de accidentibus Eucharisticis, sed solum de transubstantiatione, quod fieri non debuit, si propositio Wicleffiana secunda continet distinctam hæresin à prima.

CONFIRMATUR 4. Ex censura Theologorum Concilii Constantiensis diffusiori, quæ extat in collectione Conciliorum venata Coleti; ubi Theologi manifeste tantum intendunt loqui de subjecto panis, sic enim habent: *Secundus articulus* (Wicleffi) *est directe contra transubstantiationem in principio expositam, de qua, ut dictum est, loquitur Ecclesia in verbis suæ fidei, & determinationis in hac materia.* Ita illi Theologi, qui omnes tres primas propositiones Wicleffi censurant tanquam *hæreticas*, in quantum omnes negant transubstantiationem; hinc iidem Theologi omnes tres propositiones seu articulos tantum impugnant unico argumento, quo ostendunt dari transubstantiationem. Inter alia sic discurrunt: vel manet in hoc Sacramento ipsa substantia panis vel non manet? si non manet, & tamen ibi remanet tota species per se sensibilis ipsius panis, quæ non potest esse in aliquo alio subjecto, quam in pane, sequitur, quod talis species panis stet ibi sine subjecto (pane videlicet) & quod ipsa substantia panis transiverit in nihilum, quod est irrationabile, aut transiverit in aliam rem seu corpus Christi, & habetur intentum, quod ibi fiat transubstantiatio. En! Theologi illud, quod accidentia panis maneant sine subjecto, & quod maneant sine substantia panis, sumunt pro eodem.

RESPONDEO 3. n. ant. ad prob. d. ant. Hæc propositio fuit damnata in sensu conditionato. c. ant. in sensu absoluto. n. ant. Dico, sensum Concilii esse hunc; accidentia panis manent sine subjecto, si dantur aliqua accidentia panis realiter à substantia distincta, hunc sensum conditionatum probo authoritate PETRI DE ALLIACO Cardinalis Cameracensis, in hac controversia omni exceptione majoris, utpote cui non tantum concessum est præsidere toti Concilio in sessione 3. sed etiam *per sacrum Concilium commissa est materia fidei cum plena authoritate, quoad doctrinam ipsius Joannis Wicleffi, nec non Joannis Hus, & suorum sequacium.* Ejusdem judicio relictus est *Modus procedendi super condemnatione articulorum* 45. *super materia Joannis Wicleffi.* Et formulam damnationis ab eodem scriptam Concilium approbavit ac conclusit, ut refert BINIUS. Hic pruin Cardinalis in l. 4. sent. quæst 5. art. 3. de sensu Ecclesiæ circa propositionem controversam sic scribit. „ Tertia opinio posset imaginari talis, „ scilicet, quod licet accidentia panis, si essent „ aliqua distincta à substantia panis, possint separari à subjecto, & manere separata: tamen „ de facto non manent sine subjecto; quia diceret ista opinio, quod nulla sunt accidentia distincta à substantiis, & per consequens nec „ accidentia panis; & ad determinationem Ecclesiæ, quæ ponit, quod corpus Christi est sub „ specie panis, diceret consequenter, quod debet intelligi sub *Conditione*, scilicet, supposito, quod sint aliquæ species accidentales distinctæ à substantiis: sed si non sint tales, tunc „ sensus est, sub specie, id est, ubi apparet esse panis, & ubi prius erat: &, si dicatur contra; quod tunc esset ibi deceptio & illusio, „ cum appareant ibi esse species seu accidentia: „ diceret ista opinio consequenter; quod non „ plus apparet ibi esse species vel accidens panis, quam substantia panis, & apparet, quod „ comedatur & videatur panis, & tamen oppositum judicatur per fidem: sic in proposito, „ Unde hic diceretur, sicut quædam opinio, „ quam recitat *Magister* dist. 12. respondet de „ fractione, quæ ibi apparet; scilicet, quod „ ibi non est fractio; sed dicitur frangi, quia „ videtur: nec tamen fallit nos visus; nec fallitur; quod esset, si crederet ita frangi, ut „ videtur; nec sit illusio, quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem fidei ita fit; & ponit exemplum de Christo, qui se ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini, nec „ in eo tamen talis forma erat, sed oculi eorum „ tenebantur. Sed prædicta opinio esset extranea à communi Philosophia, quæ ponit accidentia esse res distinctas à subjecto, sicut albedo sit distincta à re alba, & albedo panis „ ab ejus substantia; licet hoc non sit evidens, „ ideo, quamvis prædicta negarentur, tamen „ dubium est, utrum debeant haberi tanquam „ hæretica? Et videretur, quod non: Quia „ sicut illa, quæ inferuntur ex his, quæ sunt „ fidei, sicut ex Scriptura sacra, & per consequentiam non evidentem, sed solum probabilem, non videntur proprie pertinere ad „ fidem, nec eorum opposita esse hæretica „ in fide: sic illa, quæ inferuntur per consequentiam evidentem, tamen virtute alicujus „ medii vel assumpti in antecedente, quod non „ est evidens, nec pertinens ad fidem; sed est „ aliquid *philosophicum probabile*, & communiter „ concessum; non videretur etiam pertinere ad „ fidem, sic, quod opposita eorum sint habenda ut hæretica in fide. Modo, quod accidentia panis maneant ibi, infertur ex hoc, quod „ præsupponitur, quod substantia panis transubstantiatur; & accidentia panis sunt alia ab ejus „ substantia: istud autem secundum nec est evidens;

„ dens; nec est in scriptura expressum, nec ab „ Ecclesia determinatum; sed est unum *probabile* „ neutrum, receptum communiter ab iis, qui „ sequuntur Philosophiam communem Peripateticorum: Sed si esset aliquis, qui diceret oppositum hujus; non esset propter hoc tanquam hæreticus habendus; aliter enim minus „ esset favor fidei ad doctrinam Philosophi. „ Quarta & communior opinio, & cui favet magis doctrina Ecclesiæ, est, quod in sacramento accidentia, quæ fuerunt panis, remanent „ sine subjecto, & in illis fit fractio; & hanc teneo." Hucusque Petrus de Alliaco.

ALLIACENSIS RESPONSIO CONFIRMATUR ex dialogis, quos tempore Concilii Constantiensis vel paulo antea scripsit contra Wicleffum Venerabilis STEPHANUS Prior Cartusiæ Olomucensis in suo libro, cui titulus, *Antiwicleffus*. part. 1. c. 10. de accidentibus Eucharisticis cum Wicleffo sic disputat: „ Dicis etiam, „ & nequissime asseris quod nos credamus, sacramentum esse accidens sive nihil, o stulte „ magister, discerne, quæso, si accidens, & nihil idem sint, etsi in venerabili sacramento illa adsint, vel potius adesse videantur accidentia, nequaquam tamen admittimus corruptionem esse aliquam, sed transmutationem, „ & quia venerabile sacramentum corporis & „ sanguinis Domini nihil esse reputas, in nihilum redactus es. Ecce, quam egregie disputas, quod nos credamus factamentum Dominici corporis nihil esse ex eo, quia dicimus, „ & credimus, quod ibi sint, vel potius esse videantur accidentia sine subjecto, scilicet materialis panis & vini. Panis substantia non est „ in nihilum commutata: imo catholica professione fideliter & confidenter refero, quod, si „ post prolationem verborum divinorum sensus „ nostri carnales, visus, gustus, tactus, &c. „ Aliud quidquam cujuscunque materiæ, præterquam constituti panis & vini, percepisse se „ discernerent, nullatenus transsubstantiatio in „ corpus & sanguinem Christi fuisset celebrata. „ Aliud esse credimus, quam videmus, quam „ gustamus -- agitur istud operante Domino, ut „ visibilis & carnalis species panis & vini in verum corpus & sanguinem Christi penitus convertatur -- divino miraculo aliud videtur esse „ in ipso ad apparentiam, aliud vero est ad essentiam -- quanquam caro hominis plerumque „ in sensibus suis naturaliter potest falli, amplius „ ratione miraculi in eisdem sensibus, visu, gustu, vel tactu pie, ut hic, & utiliter potest decipi -- accidentia, quæ nos fideles dicimus esse, vel potius apparere in hoc sacramento, sine subjecto panis scilicet & vini materialis, sunt naturalia sensuum objecta, & bis „ remanentibus, ut diximus, apparenter, realiter & veraciter substantia panis transiit in „ corpus Christi, si sic Wicleff crederes, nequaquam errares." Hucusque author dialogi, manifeste insinuans, apud Ecclesiam Romanam dubium esse, utrum accidentia re vera & realiter sint in sacramento, vel potius apparenter, ut authori huic videtur. V. Anecdot. Pezii. t. 4.

DICES 1. *Petrum Alliacensem* in libros sententiarum scripsisse ante Concilium Constantiense; ergo illum non posse testari de sensu conditionato hujus Concilii.

RESPONDEO 1. n. ant. quia, ut GREGORIUS EGGS in sua *Purpura docta* testatur, *Petrus Alliacensis* mortuus est anno 1426. 6. Augusti, id est, undecim annis, post sessionem 8. hujus Concilii. Igitur intra hoc temporis spatium Commentarios suos in libros sententiarum vel non corrigendo probavit, vel eos primum conscripsit, vel iisdem quædam de novo inseruit, prout hoc fragmentum de Sacramento Eucharistiæ: certe verba magis videntur respicere ad Concilium Constantiense, quam ad Concilium Lateranense, cujus tempore hæc quæstio à Scholasticis sub his terminis nondum fuit agitata.

RESPONDEO 2. tr. ant. n. c. ponamus enim, Commentarios suos à *Petro Alliacensi* scriptos esse ante præfatum Concilium; præsumendum tamen est, hunc Cardinalem in censura propositionum Wicleffi non recessisse à propria animi sententia. BINIUS testatur; examen harum propositionum, modum procedendi, & judicium unice relictum esse arbitrio hujus Cardinalis; quis credat eundem retractasse mentem suam, & illud nunc pro dogmate fidei obtrusisse Ecclesiæ, quod prius tantum habuerat pro aliquo *probabili philosophico*? quis credat, ex eodem ore nunc definiri, opposita sentientem habendum esse pro hæretico, ex quo paulo antea edocti sumus, talem non habendum esse pro hæretico? quis credat, insignem Philosophum nunc penitus neglexisse favorem fidei ad doctrinam Philosophi, quem prius tantopere extulit? Igitur, si Alliacensis suos commentarios scripsit ante Concilium, mens Concilii non fuit damnare propositionem Wicleffi in sensu absoluto sed conditionato; non ut hæreticam, sed ut temerariam aut scandalosam; non in sensu scholastico, sed in sensu obvio ab authore intento; mens enim Concilii, & PETRI ALLIACENSIS in hoc puncto eadem fuit, quia hujus decisionibus ac constitutionibus Concilium subscripsit, ut Binius testatur.

DICES 2. Petrum Alliacensem tantum referre aliorum opiniones; nihil tamen in eorum favorem definire; Ergo exinde non posse deduci argumentum.

RESPONDEO. n. ant. quia tacet ad responsionem opponentium, igitur eandem silentio suo approbat, ac consentit; dein expresse fatetur, opinionem contrariam non esse oppositam Ecclesiæ, sed tantum Philosophiæ: ac denique statuendo suam sententiam eam non probat argumento theologico, sed tantum philosophico.

Igitur concludo, propositionem controversam potuisse convenienter damnari in triplici sensu in nostris responsionibus explicato; etiamsi forte potuerit etiam damnari in sensu ab adversariis Peripateticis intento; si quæris, in quo horum quatuor sensuum possibilium fuerit damnata? Dico, juxta leges contingentium præsumptionem potius stare pro uno indeterminato, quam pro uno determinato, ac quarto. Adeoque

que præsumptio stat pro nobis; nihil Concilium Constantiense voluisse hac in re definire.

OBJICITUR 2. E Scriptura, Conciliis, & Patribus. Locutiones Scripturæ, Conciliorum, & Patrum tantum conveniunt accidentibus realibus, non intentionalibus; ergo illa dantur. *Ant. prob.* ab enumeratione harum locutionum, sic 1. Lucæ 22. & 1. ad Cor. 10. dicitur *hoc sacramentum frangi, participari.* Sed accidentia intentionalia non franguntur, nec participantur. 2. Concilium Lateran. sub Innocentio 3. c. 1. dicit, *Christum sub speciebus panis & vini veraciter contineri.* Idem dicit Florentinum sub Eugenio 4. in Instruct. Amen. Concilium Tridentinum Sess. 13. Can. 2. 3. & 4. dicit, *remanere duntaxat species panis & vini; sub unaquaque specie; sub singulis cujusque speciei partibus, sub singulis particulis hostiæ consecratæ remanere corpus Dominicum.* At hæ locutiones non verificantur de accidentibus intentionalibus, neque enim murus v. g. dicitur contineri sub suis speciebus intentionalibus impressis vel expressis. Accedit, quod idem Tridentinum *Can.* 7. dicat, hoc Sacramentum in sacrario *asservari*; at accidentia intentionalia ibi non asservantur. 3. Inter Patres S. AUGUSTINUS l. de Catech. rud. c. 26. ait: *Signacula* quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles *in eis* honorari. Idem relatus à Gratiano c. hoc est quod de Consecrat. dist. 2. dicit, Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, *visibili elementorum specie, & invisibili carne & sanguine Christi.* Author sermonis de Cœna Domini, vulgo D. Cyprianus ait: *Immortalitatis alimonia datur corporalis substantiæ retinens speciem.* CYRILLUS *Hierosol.* Catech. 4. dicit: *sub specie* panis datur tibi corpus, græce legitur, *ἐν τύπῳ* *on typo.* S. MACARIUS hom. 27. vocat panem & vinum Eucharisticum *Antitypum* carnis & sanguinis Domini. HILDEBERTUS in carmine de Missa dicit, *panis imaginem remanere.* S. MAXIMUS in Mystagogia dicit: *Largitur nobis archetypa mysteria, quæ nobis hic per symbola sub sensum cadentia ostensa:* AUTHOR HIERARCHIÆ Eccles. vulgo S. Dyonisius Areop. ait: *Sed tu o divinum sacramentum obducta tibi per signa obscuritatum quasi vela & tegumenta &c.* S. DAMASCENUS l. 4. fid. c. 14. scribit: *Nec panis & vinum corporis Christi figura sunt, verum ipsummet corpus Domini; quippe cum Dominus ipse dixerit; hoc est, non corporis signum, sed corpus.* MARTINUS 5. in formula fidei Constant. jubet suspectos interrogari; *An credant contineri corpus Domini sub velamento panis & vini?* Hæc sunt, quæ communiter adducuntur è Scriptura, Concillis, & Patribus, aut saltem possunt adduci pro accidentibus realibus.

RESPONDEO *primo.* dist. Hæ locutiones non conveniunt accidentibus intentionalibus in sensu grammaticali rigorosissimo. t. ant. in sensu verborum obvio, proprio ac usitato. n. ant. pro explicatione hujus responsionis

NOTANDUM 1. Sensum verborum dependere ab usu loquentium, à subjecta materia, & intentione proferentium: hic sensus dicitur sensus verborum obvius ac proprius. Sensus vero, qui convenit verbis ex institutione verborum, dicitur sensus grammaticalis rigorosissimus. Universim major est præsumptio pro sensu verborum obvio ac proprio, quam pro sensu grammaticali; quia penes arbitrium hominum est norma loquendi; & significatio verborum magis dependet ab usu & acceptatione hominum, quæ est secunda verborum institutio; quam à primæva institutione. Dico proin, in nostro casu textus intelligendos esse in sensu obvio, ac usitato; non in sensu grammaticali rigorosissimo semper minus usitato.

NOTANDUM 2. Scripturam, Concila, & Patres in locis innumeris loqui de rebus non secundum modum, quo sunt; sed secundum modum, quo apparent, aut quo concipiuntur; Scriptura innumeras tales locutiones continet, quas tamen omnes improprias dicere non licet. SANCTIUS in Isaiam 13. 5. & in Zachariam c. 9. n. 45. ait: *Scriptura S. sæpe non tam ad veritatem ipsam, quam ad hominum opinionem sermonem accommodat.* S. THOMAS in Job. c. 26p. exponens illa verba: *Aquilonem extendit super vacuum; Id dicitur*, inquit, *quia de superiori hemisphærio nihil nobis apparet, nisi spatium aere plenum, quod vulgares homines reputant vacuum; loquitur enim Scriptura secundum existimationem vulgarium hominum, prout est mos in sacra Scriptura.* S. HYERONIMUS pluribus locis testatur; multa in S. Scripturis dici juxta opinionem temporis, quo gesta referuntur, & non juxta id quod veritas continet, sic exponens illa verba Jerem. 28. dixit *Jeremias Propheta ad Ananiam Prophetam. Quomodo*, inquit, *Prophetam poterat appellare, quem missum à Domino denegabat? sed historiæ veritas servatur, sicut prædiximus, non juxta id, quod erat, sed juxta id, quod illo tempore putabatur.* Et in c. 14. Matthæi ita scribit: *Ananias in Jeremia dicitur Propheta, non qui esset, sed qui crederetur; & Joseph in Evangelio Pater Domini vocatur; & ipsa Maria, quæ sciebat se de Spiritu S. concepisse, loquitur ad filium: Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Herodes etiam contristatus dicitur, quia hoc discumbentes putabant.* Hucusque S. Hyeronimus. S. AUGUSTINUS l. 1. de Trin. c. 12. ait: *Nullo locutionis genere utitur S. Scriptura, quod in consuetudine hominum non inveniatur, quia utique hominibus loquitur.* GREGORIUS NAZ. l. 5. Theol. advertit, in Scriptura S. quædam cum non sint, dici tamen; alia, cum sint, non dici: sic Deum, cum affectibus obnoxius non sit, Sacra tamen Scriptura *irasci, dormire, sedere*, ambulare, dicit; ergo totum hoc genus, cum non sit, affingitur ei. Nec desunt exempla, in quibus id, quod apparet, affirmatur absolute tanquam res existens. *Jeremiæ* 35. v. & *Genesis* 15. v. 5. dicitur numerus stellarum *innumerabilis.* CLAVIUS in c. 1. sphæræ ait; id intelligendum esse secundum communem sententiam vulgi; existimantis infinitam esse multitudinem stellarum, dum eas nocte serena confuse intuetur; nam ut advertit FRANC. BACO; fortius operatur pluralitas partium si ordo abest; nam induit similitudinem infiniti, & impedit comprehensionem.

Sæpe in Scriptura referuntur fines cœlorum, & terræ; ita Christus dicit, Reginam de SABA venisse à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; patet tamen, ut SANCTIUS advertit

in

in Isaiæ c. 13. v. 5. id dici secundum modum apparentem, aut conceptum vulgarem. Matthæi 24. & Marci 13. dicitur; stellas è cœlo casuras; hoc tamen tantum apparenter futurum esse, plerumque interpretes asserunt. Bene & vere ait MERSENNUS Comment. in Genes. c. 1. mille talia Scripturæ loca ostendi posse.

HIS PRÆNOTATIS DICO; per textus allegatos Eucharistiam nobis proponi secundum modum apparentem, non secundum modum realem. Hic sensus, ut ostensum est, est Scripturæ familiaris, obvius, ac usitatus; igitur est etiam proprius, maxime, cum constet, scripturam in hac ipsa materia loqui secundum modum apparentem, & non secundum modum realem; Quando enim dicit Apostolus, *Panis, qui de altari sumitur, nonne participatio Domini est?* non denotatur verus & realis panis, ut volunt Lutherani, sed panis *apparens* tantum.

RESPONDEO 2. Hæ locutiones non conveniunt accidentibus intentionalibus causaliter. n. ant. formaliter. n. ant. Dico; Sacramentum Eucharistiæ *frangi, dividi, observari* &c. CAUSALITER, quatenus hoc Sacramentum est causa earundem affectionum ac sensationum, quarum causa forent accidentia realia: non tamen hanc fractionem, divisionem &c. fieri in Sacramento FORMALITER. Ratio hujus responsionis est; quia nonnunquam tribuimus objecto ea, quæ fiunt in nobis, quando objectum est causa talium affectionum. Horum exempla occurrunt in ipsa Scriptura. AUGUSTINUS l. 4. de Genes. ad litt. c. 9. ait: *Cum ea, quæ non accidunt Deo, tanquam illi accidant, loquimur; cum facere agnoscimus, ut nobis ea accidant. Sicut recte dicitur Deus facere, quidquid ipso in nobis operante fecerimus; ita recte dicitur requiescere, cum ejus munere requiescimus. Hoc quidem recte intelligimus, quia & verum est, & non magna intentione indiget, ut videamur ita dicere requiescere Deum, cum nos requiescere facit; sicut dicitur cognoscere, cum efficit, ut cognoscamus; neque enim Deus temporaliter cognoscit, quod antea non noverat, & tamen dicit ad Abraham: Nunc cognovi, quoniam times Deum; ubi quid aliud accipimus, nisi, nunc feci ut cognosceretur? & hoc locutionis modo arbitror dictum ab Apostolo; nolite contristari Spiritum S. Dei. Neque enim ipsa Spiritus S. substantia contristari potest; sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate, quæ necesse est, ut homines ex tempore gaudeant profectu fidelium, & bonis operibus, & ideo etiam necesse est, ut etiam contristentur lapsu vel peccatis eorum, de quorum fide ac pietate gaudebant; quæ tristitia laudabilis est, quia venit ex dilectione, quam Spiritus S. infudit, propterea ipse Spiritus dicitur contristari ab eis, qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non non ob aliud, nisi quia Spiritum S. habent. Hoc genere locutionis rursus idem Apostolus mirabiliter usus est, ubi ait: Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti ab eo. Neque enim tunc eos cognoverat Deus, præcognitos quidem ante constitutionem mundi, sed quia tunc ipsi cum illius munere non suo merito vel facultate cognoverant, maluit tropice loqui, ut tunc ab illo cognitos diceret, cum eis cognoscendum se præstitit.* Hucusque S. Augustinus. Alia exempla occurrunt in Philosophia & Theologia; sic enim tribuimus objectis qualitates coloris permanentis licet hæ qualitates non sint in rebus ipsis permanentes. Illi, qui pro immediato objecto adorationis aut cultus in recto statuunt S. crucem, necessario tenentur asserere in cruce considerari aliquid divinum, quod tamen cruci tantum inest relative ac causaliter. Quare non repugnat Sacramento Eucharistiæ tribui illos effectus, qui illi tantum conveniunt fundamentaliter ac causaliter.

RESPONDEO 3. ad singulos textus in particulari.

Ad SCRIPTURAM dist. Sacramentum hoc dicitur frangi fractione activa. c. ant. fractione passiva. n. ant. etiamsi enim detur illa actio, quæ vocatur fractio; non tamen datur revera passio illa, quæ vocatur fractio; quia licet detur conatus frangendi, non tamen datur subjectum frangibile; ob quod Patres, ut in probationibus ostensum est, hanc fractionem tantum apparentem esse dixerunt. Nec mirum videri debet, dari fractionem activam sine fractione passiva; quia actio sine passione intelligi potest. v. g. potest intelligi motus in vacuo, aut extensio brachii extra cœlum in spatia imaginaria, quo casu datur actio sine passione. Raphael Angelus c. 12. l. Tobiæ dicit; *videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili utor.* In hoc casu iterum datur activa applicatio ad organa gustus & nutritionis, quin detur passiva receptio. Igitur simili modo non repugnat dari activam fractionem sine passiva, vel DISTINGUO 2. sic: hoc Sacramentum dicitur frangi moraliter. c. ant. physice. n. ant. Dico fractionem activam moraliter causare omnes illos effectus sensibiles, quos causaret physice fractio passiva. Actio enim frangentis determinat moraliter Deum ad supplendos omnes effectus fractionis passivæ, & hinc sicut Sacramenta simpliciter dicuntur causare gratiam, etiamsi hanc tantum causent moraliter, ita etiam sacramentum dicitur moraliter frangi, etiamsi actio frangentis tantum moraliter determinet Deum ad suum corpus in pluribus locis replicandum. Cæterum adverto, Lucæ 22. fractionem potius præcessisse ante consecrationem, quia Christus primum post fractionem pronuntiavit verba consecrationis, nec ex Ep. 1. ad Cor. c. 10. sufficienter constat; *an fractio referatur ad panem verum ante consecrationem, vel tantum ad panem apparentem.*

Ad CONCILIA, in quibus corpus Christi dicitur *contineri sub speciebus*, aut *remanere speciebus* panis; Dico, per species nil aliud intelligi, quam panem apparentem, non aliquid reale, id probatur innumeris exemplis. Sic Spiritus S. dicitur apparuisse in *specie columbæ*, Christus in specie *peregrini, hortulani:* Christus in Eucharistia dicitur apparuisse in specie *agni, infantis* &c. apparitiones Angelorum, & Sanctorum semper dicuntur fieri in specie v. g. juvenis; & dæmones in specie æthiopis v. g. Universim omnes apparitiones exprimuntur nomine specierum, & quando adhibetur vocabulum specierum, plerumque denotatur tantum res apparens. Igitur etiam in ore Conciliorum vox specierum Eucharisticarum nil aliud præsumitur significare nisi panem

nem apparentem. Sicut igitur in omnibus aliis apparitionibus ex parte objecti non intervenit res, aut collectio accidentium, ita neque in Eucharistia. Modum hujusmodi apparitionum docet ipse RAYNAUDUS de Apparitionibus Eucharisticis. quæst. 6. ubi sic scribit: *Prior dubitatio, verene an imaginarie tantum Christus in agni specie apparuerit, facile expediri potest juxta D. Thomam 4 p. q. 76. art. 8. quæ fert, quoties formæ peregrinæ circa Eucharistiam visuntur, formas illas non esse reales, sed imaginarias tantum sive objectivas. Ex eo autem, quod agni exhibitio non fuerit nisi objectiva, expediri potest secunda dubitatio, an mutatio sit facta in potentia videntis tantum? Ad quam dico, nullam mutationem factam esse sive in medio, sive in objecto; sed sufficere mutationem omnium facillimam, factam in oculis contuentis, vel etiam in phantasia, vel intellectu.* IDEM quæst. 7. dicit de aliis variis formis, videlicet, eas tantum fuisse apparentes per mutationem factam in corporali oculo vel phantasia. *Nec aliter statuendum est, inquit, cum plures sunt, quibus multiplex apparentia observatur, ita ut non unus tantum videat aliquid peregrinum, sed plures contueantur varias peregrinas imagines, tunc inquam sufficit, ut in oculo vel phantasia unius cujusque fiat mutatio.* Et quæst. 9. explicans objectum talium præceptionum ait: *Non enim sensatio externa apparentiæ, cui non subest objectum reale sensibile, caret objecto: sed ea externa sensatio habet pro termino extrinseco sive objecto rem absentem, imo non existentem, perinde ac si adesset & existeret.* Hucusque Raynaudus. Necobstet, quod species Eucharisticæ sint permanentes; quia duratio entis non mutat speciem entis; sicut colores permenentes non differunt à coloribus apparentibus.

Ad CONCILIUM Trid. in quo dicitur *remanere* species panis & vini. dist. remanent eædem numero. n. aut. eædem specie. c. ent. dicitur enim remanere etiam id, quod tantum idem specie remanet. Sic Thomistæ dicunt, post mortem remanere idem corpus Christi v. g. in sepulchro, etiamsi ob formas cadavericas non possit dici remanere idem numero corpus. Iidem dicunt, in omni corruptione remanere commune subjectum, materiam; etiamsi nec existentia prior, nec proin individuatio prior materiæ remaneat. Post divisionem continui v. g. ligni dicitur remanere lignum, etiamsi physice non remaneat idem numero lignum, ut fatentur plures Thomistæ. Dicitur remanere idem locus, etiamsi non remaneat eadem numero superficies corporis ambientis, aut ubicatio; fluvius dicitur esse idem, etiamsi unda fluat in omne volubilis ævum. Sic etiam durare Iris, sonus campanæ, clamor populi, ventus, dolor, &c. etsi omni momento fit alia numero qualitas vel motio. Igitur constet, homines non attendere ad identitatem numericam, sed tantum ad identitatem specificam, eosque de hoc sola loqui, dum de identitate loquuntur. Concilia vero universim utuntur modo loquendi vulgari ac usitato in iis, in quibus veritatem physice non examinant.

Ad AUTHORITATEM SS. PATRUM respondeo; eos loqui secundum modum apparentem; S. AUGUSTINUS vocet accidentia Eucharistica *signacula* rerum divinarum, sicut Deus iridem vocet *signum fœderis*; licet iris fatente D. Thoma tantum consistat in speciebus intentionalibus. Sacramentum Eucharistiæ dicitur constare *visibili* sacramentorum *specie*; id est, apparentia, aut speciebus intentionalibus, sicut alia sacramenta constent intentione ministri. CYPRIANUS intelligendus est de pane apparente; idem seipsum explicat de cœna Domini, ubi ait: *Corpus Dominicum secundum formam visibilem manducari, non autem manducari ipsam formam visibilem*, quo nihil evidentius in rem nostram dici posset. *Typus*, & *Antitypus* Cyrilli, & S. Macarii; & *imago* Hildeberti melius explicantur de speciebus intentionalibus, quæ proprie sunt expressæ per modum typi et imaginis. *Symbola* S. Maximi, & *Signa* S. Dyonisii conveniunt speciebus Eucharisticis, sicut iridi convenit esse *signum* fœderis, etiamsi tantum consistat in speciebus intentionalibus. Igitur Raynaudus sine fundamento asserit; Sententiam accidentium realium à traditione vix non certam esse; accedit, verum non esse, à græcis Patribus universim Sacramentum Dominicum vocari *antitypon*; prout supponit Reynaudus. ANASTASIUS Antiochenus, qui floruit sæculo 6. adversus Gainitas scribens, expresse ait: *absit, ut dicamus, sanctam communionem antitypon corporis Christi, aut nudum panem, quin potius vere corpus & sanguinem Christi.* CONCILIUM NICÆNUM 2. act. 6. sic habet: *legas, quocunque voles, nunquam invenies, neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud sacrificium, quod à Sacerdote offertur, imaginem dixisse, verum ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem quibusdam Patribus pie sane visum est, ἀντίτυπον, hoc est, exemplar similis formæ nominare; quorum è numero Eustachius, item Basilius, hic quidem exponens dictum illud in proverbiis Salomonis, edite meum panem &c. hic, inquit, per panem & vinum antitypa membrorum corporalium Christi prædicat. Ille vero sic alicubi legit: confidentes tuo sacro altari appropinquamus, & proponentes antitypa sancti corporis & sanguinis Christi tui, te deprecamur & invocamus; & quæ deinceps sequuntur, sententiam amplius confirmant, quod ante sanctificationem antitypa vocaverit.* Hucusque Concilium Nicænum. In eundem sensum PACHYMERIUS in c. 3. Dyonisii de Eccles. Hierarch. ait: *ipse Pontifex ad illa prototypa ipsum Domini venerabile corpus & sanguinem adducit*: Item HIEREMIAS Patriarcha c. P. responsione 2. c. 4. de usu sacramenti ait: *Non est porro panis & vinum typus corporis & sanguinis Christi, sed ipsum corpus Domini deificatum; non typus sanguinis, sed sanguis.* Ex his omnibus textibus constat à græcis Patribus Sacramentum Eucharistiæ post consecrationem non amplius voceri antitypon, prototypon, typon; quo stabilito nullum Raynaudo superest è græcis Patribus hac in re argumentum.

DICES. Id debet intelligi per nomen specierum, quod Patres & Theologi Conciliis præsentes intellexerunt; sed hi per nomen specierum intellexerunt accidentia realia, ergo.

RESPONDEO dist. Id debet intelligi, in quantum per nomen exprimitur; c. maj. in quantum per nomen non exprimitur, n. maj. Patres enim

enim Conciliorum, dum proferunt nomen cujusdam rei, non eoipso definiunt quidditatem illius rei, etiamsi ex privata opinione intelligant talem quidditatem; sic etiam per nomen specierum non exprimitur quidditas specierum, etiamsi Patres ex privata opinione putaverint quidditatem harum specierum consistere in aliquo reali. Verum, ut manifesta fiat falsitas hujus objectionis, per modum retorsionis sic Argumentor. Id debet intelligi per nomen Angelorum, quod intellexerunt Patres Concilii Nicæni 2. Sed hi per nomen Angelorum intellexerunt substantiam corpoream, ergo. min. est evidens ex actione 5. illius Concilii. Tales retorsiones possent fieri plures aliæ. v. g. Si Pontifex definiat contra hæreticos gratiam, & per hanc intelligat Præmotionem physicam; sequetur eoipso, definitam esse Præmotionem. At Erroneæ sunt hæ argumentationes; igitur non est respiciendum ad opinionem privatam, sed ad significationem verbi verbo ipso expressam. Ostensum autem supra est; per nomen specierum non exprimi determinate accidentia realia, sicut animal in sua ratione significata nec exprimit rationale, nec irrationale, quin potius dicendum foret, nomen specierum analogice convenire speciebus realibus & intentionalibus, ita tamen ut Analogato ac Significato suo primario potius significent *species* intentionales, utpote quæ non habent aliud vocabulum proprium, sicut species reales, quarum nomen proprium est esse *accidentia*.

OBJICITUR 4. Consensus Theologorum fundat præsumptionem moraliter certam tam in decisione Controversiarum, quam in explicatione Scripturæ, Conciliorum, & Patrum; at pro accidentibus realibus stat consensus Theologorum, ergo.

CONFIRMATUR. Confixio alicujus sententiæ facta ab Inquisitione Romana, aut Magistro S. Palatii fundat magnam præsumptionem falsitatis; at sententiæ nostræ extat talis confixio, ergo. min. prob. Philosophia MAIGNANI de novo confixa est anno 1709. 4. Mart. maxime ob eam rationem, ut dicitur, & fateri videtur ipse Maignanus in sua *Philosophia naturali*, ut vocat, hoc est, in Theologia, quod negaret accidentia realia Eucharistica. PICUS MIRANDULANUS in sua *Apologia* scribit, è suis nongentis propositionibus tredecim esse damnatas, & inter has esse etiam sequentem. *Qui dixerit, accidens existere non posse, nisi inexistat, Eucharistia poterit sacramentum tenere, etiam tenendo panis substantiam non manere, ut tenet communis via.*

RESPONDEO 1. dist. Consensus Theologorum fundat præsumptionem moraliter certam, quando ille consensus habet conditiones requisitas. c. ant. Secus. n. ant.

PRIMO requiritur, ut consensus seu opinio sit communis; & ad hoc requiritur, ut authores, quorum datur consensus, sint liberi; alioquin mille authores tantum habendi essent pro unico, cujus authoritatem sequuntur. Audiamus Eminent. Cardinalem PTOLOMÆUM in sua Philosophia dissert. 37. Logico Physica ita disserentem: *Sæpe audies in aliqua quæstione dici; Hæc est opinio communis, communiter ita sentiunt authores. Itaque communis opinio in aliqua controversia est, quæ communiter asseritur à Professoribus & Doctoribus, hoc est à fere omnibus, qui profitentur illam materiam seu scientiam, ad quam pertinet objectum illius opinionis, quique ex professo & assertive eam quæstionem pertractant; quique ex nulla obligatione extrinseca* (quasi tenentur, qui jurant in verba alicujus Classici Doctoris) *adiguntur ad eam sententiam sequendam: omnes istæ conditiones requiruntur, ut vere dici possit opinio communis.* Hucusque Eminent. Cardinalis.

SECUNDO requiritur; ut ii, qui profitentur se esse Theologos, sint vere Theologi. Tales describit Melchior CANUS l. 8. de locis Theolog. c. 1. *Intelligo*, inquit, *fuisse in schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quæstiones frivolis argumentis absolverint. Et cum in his S. Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant &c. Scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur, quos ego probare nec debeo, nec possum.*

TERTIO requiritur; ut objectum opinionis communis pertineat ad Theologiam, nec tantum tractetur argumentis Philosophicis, sed etiam Theologicis. Has tres conditiones dico deficere in consensu Theologorum allegato, nam circa præsens punctum nec in schola Thomistica, nec in Scotistica, nec in schola Societatis libertas datur. Secunda conditio, cum contineat qualitatem & capacitatem extraordinariam, non præsumi, sed probari debet, maxime in moderna Theologis, quorum plerique ad summum in Indicibus Patrum versati sunt. Tertia conditio omnino deficit in antiquioribus Theologis, qui suam in hac re opinionem tantum argumentis philosophicis probaverunt, inter quos est D. THOMAS, & PETRUS DE ALLIACO expresse docens, medium probandi accidentia realia tantum esse *aliquid philosophicum probabile receptum communiter ab iis, qui sequuntur Philosophiam communem Peripateticorum.* Igitur Theologi in hoc puncto potius loquuntur ut Philosophi, quam Theologi.

RESPONDEO 2. dist. Consensus Theologorum fundat præsumptionem moraliter certam, quando illa præsumptio non vincitur per præsumptionem contrariam. c. ant. secus. n. ant. Suppono, omnem præsumptionem elidi posse præsumptione contraria; igitur etiam præsumptio fundata in consensu Theologorum præsumptione opposita enervari potest. Atque eam præsumptionem hac in re actu enervari præsumptione opposita, ostenditur ex authoritate Scripturæ, Patrum, & antiquorum Theologorum, quæ longe fortiorem fundat præsumptionem, quam consensus Theologorum Recentiorum.

DICES: Ipsam Scripturam, & Patres intelligendos esse juxta interpretationem Theologorum Recentiorum.

RESPONDEO dist. Sunt intelligendi juxta Theologorum Recentiorum interpretationem regulariter ac plerumque. c. ant. semper & universaliter. n. ant. Interpretatio Theologorum non est infallibilis; igitur aliquando erroris convinci potest; nunquam autem posset erroris convinci, si non liceret proprietatem verborum inspicere secundum se, independenter ab illa interpretatione. Adeoque etiam in nostro casu

licet

licet insistere claræ proprietati verborum contra interpretationem Theologorum, quia interpretatio erronea melius convinci non potest, nisi ex ipsa proprietate verborum. Cæterum adverto, interpretationem Theologorum tunc maxime fundare præsumptionem, quando redditur sine respectu ad subjectam controversiam; ut fit ab interpretibus S. Scripturæ.

Ad Confirmationem dico; sententiam Maignani ideo confixam esse, quia temere contra sensum Theologorum sine efficaci ratione asserit suam propositionem. Certe cum essem Romæ, & hanc quæstionem proponerem RR.mo P. *Nicolao Ridolfi*, tunc temporis Secretario S. Congregationis Indicis, respondit; si præcise defendatur, quod hæc sententia non sit hæretica, aut hæresi propingua, aut periculosa in fide, eam non fore prohibendam à S. Congregatione.

Observo etiam; quod non ipsa Philosophia Maignani sit prohibita, prout edita est ab authore, sed prout edita est & aucta à P. Sanquens Ord. Minim. Ita enim sonat decretum confixionis. *Systema gratiæ authore P. Sanquens. Ejusdem Philosophia Maignani Scholastica in formam auctiorem digesta.* Hinc, licet P. Maignan in sua Theologia, quam edidit sub titulo: *Philosophia Sacra entis supernaturalis*, fuse probet, quod in Eucharistia nulla dentur accidentia realia, sed omnes impressiones in nostros sensus fiant immediate ab ipso Christo, hæc tamen ejus Theologia nunquam Romæ est confixa. Cæterum pro majori elucidatione hujus responsionis addo; quæ Okamus olim in defensionem suæ causæ protulit: Hic Nominalium Princeps negaverat distinctionem quantitatis à materia; hinc in Eucharistia difficultatem passus, & à Theologis censuris obrutus est; his opinionem suam tanquam hæreticam traducentibus sic respondet: *Restat videre & ostendere, quod non oportet illam opinionem abjicere tanquam hæreticam, quamvis multi moderni Doctores scribentes istam improbent, & impugnent. Primo, quia nullus Doctor multum reputatus istam opinionem damnat tanquam hæreticam; quamvis neget eam, sicut cæteras opiniones catholicas & philosophicas, quas non intelligit esse veras, imo si reputaret eam esse hæreticam, sicut nullus eorum facit, non esset standum eorum judicio, cum ad solam Romanam Ecclesiam pertineat quæstiones fidei terminare. Patet igitur, quod, cum controversia est de aliquo fidei articulo, an sit consonus, an dissonus fidei christianæ, ad summum Pontificem esse recurrendum; cum enim officium Inquisitionis de hæretica pravitate aliquando non magnis doctis committatur, absurdum videtur, quod ad talem Inquisitorem pertinet quamcunque difficilem quæstionem & profundam de articulis quibuscunque pertinentibus ad Theologiam authoritate propria terminare, & quemcunque magnum in Theologia famosum & dignum, tam rectæ vitæ quam scientiæ Doctorem, officio per Universitatem solennem approbatum, si suæ opinioni contradiceret, tanquam hæreticum condemnare, videtur igitur ad Romanum Pontificem recurrendum, quando quæstio ventilatur, de aliquo, quod non est expressum in scripturis Canonicis, nec est per Ecclesiam Romanam determinatum. Non est ergo standum judicio modernorum aliquorum, qui damnaverunt prædictam opinionem. Non igitur potest aliquis redargui, etiamsi Doctores non authenticatos ab Ecclesia Romana neget. Unde est aliquorum modernorum detestanda Præsumptio, qui se supra se extollentes, cupientes soli vocari Rabbi, omnem opinionem à suis dogmatibus dissentientem agitati invidia damnantes, quia per rationem nesciunt improbare, tanquam periculosam & hæreticam caninis latratibus lacerant incessanter, non attendentes, quod Pater Sanctissimus & Doctor eximius B. Augustinus nec suis litteris nec aliorum Episcoporum sic voluit inserviri, quin aliqua in eis possint justo judicio, & nulla temeritate culpari. . . . Ex istis authoritatibus pluribusque aliis evidenter colligi potest, quod scripta quorumcunque, antequam sint à Romana Ecclesia authenticata, licitum est reprobare atque respuere; & ideo quamvis multi teneant oppositum propositæ opinionis, non oportet eam contemnere.* Hucusque Okamus Tract. de corpore Christi. c. 36. Huc pertinet, quod in vita Bellarmini Cardinalis legitur; ejus libros, quos scripsit *de Romano Pontifice*, in indicem librorum prohibitorum relatos esse, eo quod scripserit; Romanum Pontificem in temporalia regnorum tantum habere dominium indirectum: eosdem tamen anno sequente denuo à censura absolutos, & ex Indice illo censorio expunctos esse. Similia librorum & dogmatum facta in historia Ecclesiastica plura occurrunt v. g. circa vocem ὁμοούσιον. Ex quo inferendum, confixiones ac prohibitiones parere quidem præsumptionem contra propositiones confixas, non tamen moraliter certam. Exempla afferunt de hac re varia Picus Mirandulanus in sua Apologia, & Raynaudus, ubi agit de libris prohibitis.

Objicitur 4. Sublatis accidentibus realibus tollitur natura Sacramenti Eucharistici, ergo dantur. *Ant prob.* 1. Sublatis accidentibus realibus non datur signum sensibile; ergo tollitur natura Sacramenti, quod est signum sensibile. 2 Sublatis accidentibus Sacramenta veritatis christianæ non differrent ab illusionibus, spectris, & meris apparitionibus; at debent differre juxta Patres, ergo. 3. Sublatis accidentibus realibus homines deciperentur judicando, se videre species reales; at non decipiuntur, quia à Sacramento veritatis abesse debet omnis deceptio, ergo. 4. Sublatis accidentibus realibus Sacramentum Eucharistiæ saltem non foret signum stabile; quia species intentionales perpetuo mutantur. Ergo. 5. Sublatis accidentibus realibus non datur communis terminus conversionis substantialis, at debet dari, ergo. min. prob. conversio panis in corpus Domini non est pura annihilatio panis, sed transmutatio; ergo debet dari commune tertium. 5. Si non remanerent accidentia realia, tunc daretur etiam transaccidentatio panis, at hoc est falsum, ergo. min. patet, quia tantum datur transubstantiatio. 7. Sublatis accidentibus realibus non daretur determinativum creatum stabile ad ubicationes & alias proprietates sacramentales, at tale debet dari, ergo. min. prob. in casu indifferentiæ Deus non solet operari effectus stabiles sine determinativo creato, quando tale haberi potest, at in Eucharistia datur semper indifferentia ad ubicationes, &c. & determinativum creatum haberi potest, ergo. 8. Solum corpus Christi non est totum Sacramentum; ergo da-

D. Amort Tract. de Eucharistia.

tur aliud constitutivum reale, quod simul dicatur frangi, asservari &c. 9. Sublatis accidentlbus realibus non potest explicari sensus hujus propositionis. *Eucharistia est signum sensibile stabile gratiam ex institutione divina significans & conferens.*

RESPONDEO AD I. dist. non datur signum sensibile distinctum à suo significato. t. ant. non datur signum indistinctum. n. ant. dico enim, corpus Christi esse simul signum & significatum; signum est, quatenus sensibus imprimit species sensibiles signi; significatum est, quatenus per illas impressas species sensibiles indicat sui præsentiam. Nec repugnat, idem esse suiipsius signum. Rex in theatro suiipsius personam referre potest, hic terminus, *Vox*, est simul suiipsius signum & significatum; Signum est, quod præter id, quod ingerit sensibus, facit aliud in cognitionem venire. Corpus Christi ingerit sensibus species sensibiles panis, & præter has facit insuper in cognitionem venire seipsum. LANFRANCUS, ALGERUS, & GUIMUNDUS fuse probant, corpus Domini simul esse figuram, & figuratum, signum & significatum, Sacramentum, & rem Sacramenti; significat enim seipsum in cruce, & simul est ipsa oblatio in cruce. S. AUGUSTINUS referente Lanfranco etiam vocat corpus Domini suiipsius figuram. S. HILARIUS dicit: *Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur.*

RESPONDEO 2. dist. Non datur signum sensibile, *ut quod*, transf. ant. signum, *ut quo*. n. ant. Species impressæ ac intentionales sunt signum, *ut quo*, videlicet, quo mediante ducimur in cognitionem rei invisibilis; sunt forma sensibibilis, *ut quo;* & tale signum ut quo potuit Deus requirere ad rationem Sacramenti, tale manifestativum, *ut quo*, est lumen externum, & juxta multos ipsæ expressæ.

RESPONDEO 3. dist. non datur signum philosophicum. transf. non datur signum theologicum ac Biblicum. n. ant. in præsenti, ubi agitur de signo divinitus instituto, tantum attendere debemus, qualibus signis Deus uti soleat. Ex scriptura constat, eum communiter uti signis intentionalibus; Iride usus est in signum fœderis, & hoc signum consistit in speciebus intentionalibus. Deus suis Prophetis plurima revelavit per visiones; hæ visiones consistebant in speciebus intentionalibus, & tamen erant mysterium, sacramentum, ac signum rei futuræ &c. sic Actorum 10. dicitur super Petrum cecidisse mentis excessus, ac eum vidisse linteum demitti de cœlo &c. Hoc signo Petrus ad vocationem gentium vocatus est. Similiter, dum Joannes *erat in spiritu, significavit* ei Deus, quæ oporteret fieri cito. Cur Deus abhorreret à tali signo ad demonstrandam præsentiam sui corporis?

RESPONDEO ad 2. dist. Sacramenta veritatis non differrent ab illusionibus materialiter. tr. maj. formaliter. n. maj. sacramenta non debent in omnibus differre ab illusionibus, alioquin non deberent esse entia; sed solum debent differre in eis, quæ sunt formalia constitutiva illusionis. Deus utitur speciebus intentionalibus, & dæmon iis utitur; sed Deus iis utitur ad instruendum; dæmon ad decipiendum, igitur species intentionales habent se per modum materiæ indifferentis; sed instructio, aut deceptio habet se per modum formæ; in Eucharistia locum habet instructio, igitur abest illusio.

RESPONDEO ad 3. dist. homines deciperentur à *Deo*. n. ant. à seipsis. Trans. Deus omnibus dicit; *Hoc est corpus meum*; igitur sponte errat, qui hoc non credit, sed potius allam rem suis sensibus demonstrari arbitratur. Dein non foret major occasio errandi circa accidentia, quam circa substantiam panis; sicut species impressæ non solent dari sine objecto reali proprio, ita accidentia realia non solent dari sine substantia; si fides sufficit in uno, ne dicantur homines à Deo decipi, sufficiat eadem fides in altero.

RESPONDEO. ad 4. Eucharistia non foret signum sensibile stabile stabilitate ad rationem Sacramenti impertinente. c. maj. Stabilitate requisita, n. ant. sacramentum tantum dicitur signum stabile, in quantum durat stabiliter in Ecclesia usque ad finem mundi; & hanc stabilitatem habet sacramentum Eucharisticum sine accidentibus realibus;

DICES. Eucharistia asservata in sacrario non foret signum sensibile, ergo.

RESPONDEO. Dist. non foret signum sensibile in potentia proxime expedita. n. ant. in actu. c. ant. Corpus Christi asservatum in sacrario est æque proxime expeditum ad causandas impressiones sensuum, sicut ipsa forent accidentia; sicut tamen accidentia non sunt actu sensibilia, quando hostia asservatur in sacrario, ita nec Corpus Christi.

RESPONDEO ad 5. c. maj. n. min. ad prob. c. ant. n. c. quia Conversio unius substantiæ in aliam non requirit commune tertium, abstrahendo à conversione naturali & supernaturali. BELLARMINUS de Sacramento Eucharistiæ l. 3. c. 18. sequendo communiorem & tutiorem viam D. Thomæ, ut loquitur, omnes essentiales conditiones conversionis sacramentalis hunc in modum enumerat. Ad Conversionem requirit quatuor conditiones. *Prima est*, inquit, *ut aliquid desinat esse; non enim est intelligibile, ut unum convertatur in aliud, nisi id, quod convertitur, desinat esse, quod antea erat. Secunda Conditio est, ut aliquid succedat in locum ejus, quod desinit esse, alioquin non esset conversio, sed corruptio vel annihilatio, si terminus illius actionis esset non esse rei; atque hoc significamus, cum dicimus, unum converti in alterum; indicamus enim his sententiis, unum alteri successisse. Tertia Conditio est, ut sit connexio quædam & dependentia inter desitionem unius, & successionem alterius; ita, ut unum desinat, & alterum succedat, & vi desitionis fiat successio; nam si ista non essent connexa, non esset una actio, quæ dici posset conversio, sed essent duæ actiones per accidens concomitantes se, quarum una annihilatio, altera creatio diceretur. Atque hinc intelligi potest, cur panis in Eucharistia re vera non annihilatur, licet nihil ejus remaneat post consecrationem, quia nimirum actio, per quam panis desinit esse, non terminatur ad nihil, sed ad aliquid, nimirum ad Corpus Domini; annihilatio*

nihilatio autem est actio, quæ terminatur ad nihil. Quarta Conditio est, ut tam terminus, à quo, quam terminus, ad quem, sit vere positivus. Hucusque Bellarminus, qui simul observat, conversionem, quatenus est destructio panis, non tam esse actionem, quam negationem actionis; Deus enim, inquit, destruit panem, dum desinit eum conservare; & licet negatio actionis, & positio actionis sint duo, dicit tamen transubstantiationem esse unam actionem, quia hæc actio est una volitio Dei, qua non vult conservare panem, ut in ejus locum succedat Corpus Domini. Patet proin ex hac conversionis idea non requiri commune tertium; & hoc conformiter ad doctrinam D. Thomæ, qui 3. p. q. 35. art. 8. affirmat, hanc Propositionem, *ex pane fit Corpus Christi, sufficienter verificari ex eo, quod unum extremorum transeat in alterum.* Cæterum adverto; hanc conversionem etiam fieri posse per duas actiones, unam destructivam, alteram creativam, modo prior sit essentialiter respectiva posterioris, sicut instantia temporis successiva sunt respectiva ad invicem. Dein, non habetur ratio requirendi commune tertium, si enim Corpus Christi ponitur in Eucharistia per actionem creativam, ad quid commune tertium? actio certe conversiva non potest dependere ab accidentibus, alioquin foret imperfectior actione generativa.

RESPONDEO ad 6. dist. daretur transaccidentatio concomitanter c. per se. n. ant. licet enim per se tantum convertatur substantia panis in Corpus Christi vi verborum, tamen comitanter convertuntur etiam accidentia, quia accessorium sequitur principale, licet denominatio desumatur à principali, ut dicatur transubstantiatio. Sic vi verborum tantum ponitur Corpus Christi, & tamen concomitanter ponitur etiam anima. Quando uxor Loth fuit conversa in statuam salis, ea conversio fuit substantialis, non tamen dubitandum est simul factam esse transactionem. Igitur hæc transaccidentatio irrideri non debet, nisi à Luthero, & ejus discipulis.

RESPONDEO ad 7. n. ant. Dico enim; in Corpore Christi poni aliquem ordinem accidentalem ad omnes effectus sacramentales; sicut ii, qui volunt, à Sacramentis physice causari gratiam, dicunt sacramentis à Deo imprimi virtutem ac ordinem accidentalem ad causandam gratiam. Nec mirum videri debet, per consecrationem Corpori dominico imprimi talem virtutem seu ordinem accidentalem; clarum enim est, eidem Corpori per consecrationem advenire alia accidentia v. g. unionem ad accidentia Eucharistica, & mediante hac unione alias relationes ad effectus sacramentales; cur igitur nobis non liceat Corpori Dominico attribuere talem virtutem accidentalem ad effectus sacramentales immediate producendos? maxime cum ipsa accidentia realia non sufficerent ad omnes effectus, ut in probationibus ostensum est. Neque necesse est, multiplicari has virtutes, quia sufficit una sola, quæ respiciat omnes effectus, sicut causa physica sufficit ad divarsos effectus producendos.

RESPONDEO 2. dist. non daretur determinativum physicum. tr. ant. morale. n. ant. si enim in aliis sacramentis sufficit determinativum morale ad causandos effectus sacramentales, cur non sufficiat in Eucharistia? v. g. Sacramentum matrimonii, & Ordinis causat gratias actuales in suscipiente eo tempore, quo indiget; quo tempore hoc Sacramentum non amplius existit. Dein quale datur ad producendos eos effectus, ad quos ne quidem ipsa accidentia realia sufficiunt? Quale determinativum dabatur olim in deserto, ubi Deus per 40. annos produxit effectus stabiles panis omne delectamentum & saporem continentis? Potest tamen dici, stabile determinativum esse virtutem physicam residentem in Corpore Christi ad miracula, & determinationem voluntatis in Christo.

RESPONDEO ad 8 & 9. Sacramentum Eucharistiæ est res per species sensibilis, & per easdem species gratiam significans, & per seipsam gratiam immediate conferens. Ex hac explicatione constat partes sacramenti esse Corpus Domini, & species sensibiles, juxta nos intentionales. Nec mirum videri debet, has species transeuntes esse partem sacramenti; quia etiam intentio Christi instituentis, & juxta aliquos intentio ministri conferentis est pars sacramenti, licet utraque transeat.

NEC OBSTAT, quod Sacramentum Eucharistiæ dicatur asservari, circumferri & species intentionalea non dicantur asservari. Quia denominatio tribuitur toti composito, etiamsi illa denominatio non conveniat singulis partib us sic enim sacramentum Eucharistiæ dicitur asservari, etiamsi intentio Christi instituentis, aut ministri consecrantis non dicatur asservari; homo dicitur mortalis, etiamsi anima sit immortalis. Posset etiam defendi, Sacramentum Eucharistiæ non habere alias partes essentiales, nisi Corpus Dominicum, & virtutem seu physicam seu moralem causandi effectus sacramentales. Certe à multis Theologis Corpus Dominicum seorsim à sensibilibus accidentibus sumptum vocatur Sacramentum. Apte in rem nostram loquuntur INNOCENTIUS 3. in summa de officio Missæ, JOANNES DE RAGUSIO in oratione ad Concilium Basileense, quando adhuc eratlegitimum, habita. *Tria*, inquiunt, *in hoc sacramento continentur, forma visibilis, veritas Corporis, & virtus spiritualis. Primum est Sacramentum, & non est res. Secundum est res, & sacramentum. Tertium est res, & est sacramentum.*

OBJICITUR 5. RAYNAUDUS in suis *Exuviis panis & vini* dicit; doctrinam accidentium realium semper fuisse doctrinam Ecclesiæ, & expresse ait: *Omnes ad hanc diem Catholici Doctores, ut indubitatum habuerunt, species sacramentales esse accidentia sensibilia panis & vini, quæ destructis per consecrationem eorum substantiis perseverant revera* (sententia opposita) *ab omnibus hactenus Doctoribus Catholicis est rejecta, nec ullus fuit inter orthodoxos, qui ejus meminerit, eamque non exploserit.* Puncto 2. S. 2. Puncto 7. vero dicit; *Nota temeritatis, non video, quomodo possit declinari, cum hæc nova doctrina sit contra torrentem doctorum, nec nitatur rationibus validis, vel etiam probabilibus. Addo insuper haberi debere erroneam,*

roneam, *quandoquidem permanentia accidentium panis & vini manifeste eruitur ex principiis fidei, declinatio enim Conciliorum, ut ait Puncto 2. est manifeste inanis.* Puncto 7. dicit, *banc doctrinam non solum esse temerariam & erroneam, sed etiam hæreticam; atque accidentia realia esse de fide.* Citat etiam quadraginta Doctores, qui doctrinam specierum intentionalium pro hæretica habeant. Ita definit Raynaudus.

RESPONDEO I. Raynaudum non esse satis felicem in definiendis novis articulis fidei; novit orbis, quanta pro novo suo articulo immaculatæ conceptionis pertulerit, quin tamen optatam Martyrii lauream assecutus sit; mirari non decet, si contra aliquot doctores Siculos paulo liberius suo indulserit genio, qui cum varii ab eo editi libri Romæ configerentur, videlicet 1. de communione pro mortuis. 2. Heteroclita spiritualia. 3. Anamala pietatis. 4. De Martirio per pestem. 5. Apopompæus tomus 2 edidit alium librum *de bonis libris* pariter noviter confixum, in quo suos vehementer spiritus intra modum contineri non posse probavit. Sed in hoc, quod suas opiniones pro doctrina Ecclesiæ, oppositas vero pro hæreticis vendiderit, nil a magnis viris alienum commisit. Etiam D. Cyprianus suam opinionem de rebaptizandis hæreticis Epist. 70. vocat *Veritatem & firmitatem Ecclesiæ Catholicæ. Sententiam*, inquit, *nostram non novam promimus, sed jam pridem ab antecessoribus nostris statutam & à nobis observatam vobis communicamus, censentes & pro certo tenentes, neminem foris extra Ecclesiam Baptizari posse, nescio etiam, qua præsumtione ducantur quidam de collegis nostris, ut putent eos, qui apud hæreticos tincti sunt, quando ad eos venerint Baptizari non oportere* Ep. 71. & 73. Idem Ep. 36. ad plebem scribit: *Scire debetis, & pro certo credere ac tenere, occasum sæculi atque Antichristi diem appropinquasse.* In Concilio Nicæno 2. expresse dicitur; *de Angelis ipsa Catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, ut vos gentiles creditis, verum tenui corpore præditos & aereo sive igneo.* Ex his apparet, non semper esse Romanæ Ecclesiæ doctrinam, quæ pro doctrina Ecclesiæ etiam à magnis viris venditur; Cypriano acclamarunt 70. Episcopi; Joanni Thessalonicensi in Nicæno acclamavit totum Concilium; Raynaudus pro se citat 40. doctores. Cum his condit novum articulum fidei, quem tamen nemo teneatur credere, nisi qui ignorat discrimen inter definitionem doctoralem, & Papalem. At vero nec 40. Doctores ex parte Raynaudi militare reperi. *Bellarminus, Salmero, Ægidius Conink, Suarius, Vasquius, Tannerus*, doctrinam specierum intentionalium damnant tanquam hæreticam, ut vult Raynaudus, reliquos plerosque Doctores, quos citat, in patria sua notiores esse crediderim, quam in Germania. Igitur frustra placent sibi adversarii in Chimerico numero Theologorum, doctrinam banc de hæresi postulantium; audiendi potius forent Theologi moderatiores maxime PETRUS DE ALLIACO, qui fatentur; accidentia realia Eucharistica revera niti solum argumento *philosophico probabili*. Accedit, quod Theologi à Raynaudo citati, loquantur de omnibus accidentibus sensibilibus, cum tamen hodie ea universalitas vix defendi possit, cum fere omnes Philosophi negent, colores formales permanentes dari.

DICES: Pro Raynaudo stat etiam Concilium Coloniense 1. parte 7. c. 15. ubi ait: *Quid enim panis, vinique species aliud sunt post consecrationem, quam species sacramentales, & accidentia sine subjecto?*

RESPONDEO, In hoc Concilio anno 1536. celebrato sub HERMANNO Archiepiscopo, qui postea ab Ecclesia defecit, nullam contineri decisionem. Determinat Concilium; sub una tantum specie communicandum esse; & pro ratione adducit, quod hæ species nihili æstimandæ sint; bæc ratio tantum disputative, non definitive est proposita, ut patet legenti Concilium. Et aliunde ex Nicæno 2. constat, rationes Conciliorum disputative propositas non esse de fide, nec comprehendi generali approbatione ac definitione Conciliorum.

Igitur nullo argumento Theologico probari sufficienter potest, eam sententiam, quæ negat, in Eucharistia dari accidentia realia peripatetica, *hæreticam, hæresi propinquam, erroneam*, aut *in fide periculosam* esse. Dum vero in Philosophia Pollingana in Physica Generali, ubi de existentia accidentium egi, *probatione 4. & 5.* illam sententiam *periculosam in fide*, & oppositam *fidei proximam* asserui, necdum naturam transubstantiationis tam exacte noveram, quod nempe consistat in actione reproductiva seu creativa, quæ sicut ponit corpus sub modo novo essendi, ita etiam quantitatem panis sub modo novo essendi reproducere queat.

OBJICITUR 6. Si sententia negans accidentia realia in Sacramento Eucharistiæ non est *erronea*, aut *periculosa in fide*, non est ratio, cur Romæ fuerit confixa. Sed hoc non potest dici. Ergo.

RESPONDEO. n. min. potuit enim merito prohiberi ideo, quia vel in iis authoribus, qui eam ediderant, ratione contextus videbatur *scandalosa*, vel quia contradicebat sine gravi fundamento & sine idonea responsione ad textus Conciliorum communi sensui omnium ferme Theologorum, adeoque tunc temporis censeri & prohiberi poterat saltem *ut temeraria*. An vero hoc nostro tempore *notam temeritatis* effugiat, non est meum, ferre judicium. Mihi pro amore, quo feror erga ampliationem Romanæ Ecclesiæ, & quo vehementer cupio, ad ovile reduci viros doctos ex Anglia, Hollandia, Germania, &c. omnes institutos Physica Neotericorum Antiperipatetica, suffecerit monstrasse, eam Neotericorum sententiam quoad hoc punctum nec esse hæreticam, nec periculosam in fide. Responsiones tamen, quas ad objectiones Peripateticorum attuli, non eousque vim suam extendere, ut efficiant, objectiones Peripateticorum vanas ac futiles esse, easque non parere præsumptionem fortem pro opposita sententia, sequentes OBSERVATIONES ostendent. Nam

AD OBJECTIONEM I. observo; falsum esse, quod Wicleffus non moverit directe controversiam de accidentibus Eucharisticis. Expresse

presse enim in argumentum sui erroris, quod substantia panis remaneat, assumpsit, quia accidentia non possunt esse separata à substantia; itaque valde conveniens erat, ut hæc ipsius causalis rejiceretur tanquam temeraria ad minimum. Quod autem conveniens erat, præsumitur factum esse, & ob hanc ipsam præsumptionem datur argumentum Theologicum, quo dicitur, adversam sententiam probabilius ut *temerariam* à Constantiensi Concilio rejectam esse. Dein etiam illud falsum est, quod Ecclesia non possit condere saltem *quoad modum* novos articulos fidei, cum enim Ecclesia habeat sibi assistentem eandem Spiritus Sanct. providentiam, qua directi sunt scriptores hagiographi poterit dari ratio ac necessitas, ut Deus Ecclesiæ revelet aliquam veritatem, quæ ex scriptura, & constanti traditione tantum *implicite* accepta est; & in tali casu valet sensus Ecclesiæ; quia præsumi potest, hunc sensum Doctoribus Ecclesiæ & populo esse inspiratum, seu inditum per specialem providentiam Dei dirigentem systema ingeniorum omnium. Quodsi Petrus de Alliaco in Concilio Constantiensi, magis perpensis sequelis adversæ sentiæ, eam damnasset *ut temerariam*, non contradixisset sibiipsi, cum prius tantum docuerit, eam sententiam non habendam esse pro hæretica.

Ad objectionem 2. observo; non hoc agi, utrum textus illi scripturæ, Conciliorum, & Patrum possint etiam explicari in alio sensu; sed quæritur, quis horum verborum sensus sit magis obvius, & usitatior, cum enim præsumptio stet pro sensu magis obvio, & communiore, argumentum Theologicum ex eo sensu desumi debet: jam in præsenti clarum est, scripturam sæpius loqui de rebus, ut sunt in seipsis, quam ut præcise apparent; itaque, dum probatur, scripturam sæpe loqui de rebus, ut apparent, non est ad rem; quia pro illo sensu stat præsumptio, qui frequentius verbis subjicitur. Dein in iis ipsis locis, in quibus scriptura loquitur de rebus tantum, ut apparent, hoc colligi potest ex natura objecti aliunde nota; sed in præsenti ex natura objecti non potest nobis notum esse, quod scriptura recedat à proprietate verborum. In singulis textibus apparet, responsiones ab adversa sententia datas & ejus explicationes habere sensum verborum minus frequentem.

Circa objectionem 3. observo, In fidei nostræ ducibus non esse requirendas tam rigorosas conditiones, cum hæ ne quidem in multis antiquorum Doctorum extiterint, adoranda est semper in sensu communi Ecclesiæ providentia Dei, quæ novit mille indoctis Theologis unum præficere, qui authoritate polleat: hunc potuit divina providentia ducere per vias rectas, donec illum educat ad sceptrum regni; potuit eadem providentia vel docere præficiendum, vel doctum præficere; potuit etiam dirigere mentes hominum indoctorum, prout etiam re vera in antiquis Conciliis tales fuerunt plurimi, ut contingenter in hanc potius quam illam cogitationem inciderent. Si hoc aut simile aliud providentia divina facere potuit, etiam aliquid tale ad stabiliendam veritatem fecit, & ubicunque datur communis sensus Theologorum, aut fidelium, præsumendum est, latere cuniculos divinæ secreto operantis providentiæ; hanc ego pronus adoro. Cæterum si multi Theologorum non sunt versati in Conciliis & Patribus, sunt tamen fundati in aliis authoribus, qui diligenter excusserunt Patres & Concilia; parum autem interest, sive ipse è mineris aurum eruas, purges, opereris, & sic ad usum adhibeas; sive ab aliis erutum, ac jam ab artifice præparatum in usus assumas; utrum ipse naviges maria, & thesauros ex Ophir mercesque compares Indicas, vel ab aliis empta sine periculo sumas. Qui dicunt, ab omnibus Theologis legendos esse SS. Patres, nesciunt, quid dicant, aut de quo loguantur, quia hoc ipsum, quod ab aliis requirunt, non sunt experti. Legi per plures annos SS. Patres; vidi pauca in iis esse quæ non contineantur longe ordinatius in Theologis Scholasticis iis saltem, qui cum methodo Scholastica vastum studium in Scriptis Patrum, Conciliis, & historia Ecclesiastica se collocasse monstrant. Si hi nunc nimis juniores videntur, cogita eos esse Patrum filios, & ipsos aliquando futuros Patres, & quod tandem in Doctoribus Ecclesiæ ex ætatum ac sæculorum varietate discrimen est, ubi eadem est providentia? Idem Respondetur ad id, quod dicitur de Romanis Censoribus. Quamvis enim non prætendant, se esse infallibiles, id non prohibet, quin præsumptio stet contra sententiam Romæ confixam. Præsumptio sumitur à communiter contingentibus, sola certitudo ab iis, quæ semper accidunt. Meminisse oportet, argumentum nostrum Theologicum non jactare certitudinem, sed urgere præsumptionem.

Ad objectionem 4. observo, longe connaturalius omnia fieri juxta sensum objectionis, quam responsionis. Connaturalius ea fieri dicimus, quorum habemus plura exempla in natura, aut cui conformior est modus operandi communiter à Deo adhiberi solitus; cum ergo facilius talia credantur, quæ frequentius aut propensius fiunt, vincunt plerumque in sedatis mentibus illæ opiniones, quæ connaturalius objecta repræsentant. Idem factum est in præsenti. Ea etiam de causa factum crediderim, cur in capitulo Generali Fratrum Minimorum prohibitum fuerit omnibus Ordinis Professoribus, docere Systema Maignani de Accidentibus, ut testatur D. Dupont in libro, cui titulus: Eloges des Philosophes, & ex eo acta Trevoltienlia 1727. mense Junio.

Pro Coronide addo tria Systemata, nempe Cartesii, P. Fabri, & Maignani, quorum primum satis explicari nequit, nisi dicatur, superficiem corporis, quæ prius erat identificata eum substantia, per actionem creativam posse separari ac separatim conservari. P. Fabri videtur, illud retinuisse in S. Hostia loco accidentium, quod in pane & quavis alia substantia vandiderat pro forma activa rei.

AP-

APPENDIX.

Proponuntur Systemata Cartesii, Honorati fabri, Maignani *circa accidentia Eucharistica.*

§. I.

Systema CARTESII.

CARTESIUS in suis Opusculis Philosophicis *Respons.* 4. *ad object.* 4. sequentibus verbis mentem suam explicat. „Superest, inquit, Sacramentum Eucharistiæ, cum „quo judicat vir Clar. meas opiniones non convenire; quia, inquit, fide credimus, ablata „ab Eucharistico pane substantia sola illic remanere accidentia; putat autem me nulla accidentia realia admittere, sed tantum modos, „qui absque substantia, cui insunt, non possunt intelligi, nec proin etiam absque illa existere.

„Quam objectionem facile possem eludere, „dicendo, me nunquam hactenus accidentia „realia negasse; nam quamvis ipsis in Dioptrica & Meteoris non usus sim ad ea, de quibus „agebam, explicanda; dixi tamen expressis verbis in Meteoris p. 164. me illa non negare. In „his vero meditationibus supposui quidem, ipsa à me nodum cognosci; sed non idcirco nulla esse: modus enim scribendi analyticus quem „secutus sum, id patitur, ut quædam interdum „supponantur, quæ nondum sint satis explorata, ut patet in prima meditatione, in qua „multa assumpseram, quæ dein in sequentibus „refutavi, nec sane bic quidquam de natura „accidentium volui stabilire, sed ea tantum, „quæ de ipsis tanquam prima fronte apparuerunt, proposui. Ac denique ex eo, quod „dixerim, modos absque aliqua substantia, cui „insunt, non posse intelligi, non debet inferri, me negasse illos absque ipsa per divinam „potentiam poni non posse; quia plane affirmo, „& credo, Deum multa posse efficere, quæ „nos intelligere non possumus. Sed, ut hic „agam liberalius, non dissimulabo, me mihi „persuadere, nihil aliud plane esse, à quo sensus nostri afficiantur, præter solam illam superficiem, quæ est terminus dimensionum ejus „corporis, quod sentitur: in sola enim superficie fit contactus; & nullum sensum afficinisi per contactum non ego solus, sed omnes „fere Philosophi cum Aristotele affirmant; ita „ut e. g. panis & vinum non sentiatur, nisi quatenus ejus superficies vel immediate à sensus „organo, vel mediante aere, aliisque corporibus, vel, ut aiunt plerique Philosophi, mediantibus speciebus intentionalibus attingitur. „Notandum autem est, istam corporum superficiem, non ex sola corporum figura externa, „qua digitus tractatur, esse æstimandam; sed „considerandos etiam esse omnes illos exiguos „meatus, qui inter pulvisculos farinæ ex quibus „panis conflatus est, atque inter particulas spiritus, aquæ, aceti, & fæcum seu tartari, ex „quorum mistura vinum constat, itemque inter reliquorum corporum minutias reperiuntur. Notandum etiam est hanc superficiem „(quæ singulis particulis est immediate circumposita) non modo totam moveri, cum totus „panis ab uno loco in alium transfertur, sed „etiam moveri ex parte, cum aliquæ panis particulæ ab aere, aliisque corporibus ejus poros „ingredientibus agitantur; adeo ut si quæ corpora talis naturæ sint, ut vel aliquæ vel omnes earum partes assidue moveantur (quod de „plerisque partibus panis, & de omnibus vini „verum existimo) intelligenda etiam sit ipsorum superficies in continuo motu esse.

„NOTANDUM denique per superficiem panis & vini alteriusve corporis non hic intelligi partem ullam substantiæ, ne quidem quantitatis ejusdem corporis, nec etiam partem „corporum circumiacentium, sed tantummodo „terminum illum, qui medius esse concipitur „inter singulas ejus particulas, & corpora ipsas „ambientia, quique nullam plane habet entitatem nisi modalem. Docet autem Ecclesia in „Concilio Trident. sess. 13. c. 2. & 4. conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi manente duntaxat specie „panis. Ubi non video, quidnam possit intelligi per speciem panis, præter illam superficiem, quæ media est inter singulas ejus particulas & corpora ipsas ambientia; ut enim jam „dictum est, in hac sola superficie fit contactus, „& fatente ipso Aristotele, non modo sensus „ille qui specialiter tactus vocatur, sed & alii „sensus tactu sentiunt; & nemo est, qui per „speciem hic aliud intelligat, quam præcise id, „quod requiritur ad sensus afficiendos; & nemo „etiam est, qui credat conversionem panis in „corpus Christi, quin simul hoc corpus Christi „sub eadem accurate superficie contineri credat, sub qua contineretur panis, si adesset. „Hucusque Cartesius, opinionem suam magni „æstimans.

SI QUÆRAS, an CARTESIUS suos modos re vera à substantia distinxerit? Respondeo, eum probabiliter modos à substantia saltem distinctione *modali* distinxisse. Id Colligo ex Epistola 116. Ep. part. 1. in hac admittit tres distinctiones, nempe *Realem*, quæ est inter duas substantias; *Modalem*, quæ est inter substantiam & modum substantiæ; ac denique *distinctionem rationis ratiocinatæ*, quæ fit per intellectum cum fundamento in re. Igitur Cartesius opponendo distinctionem modalem distinctioni rationis ratiocinatæ agnoscit, eam dari à parte rei. Ex quo consequitur, hos modos posse divinitus separari à substantia saltem per actionem creativam, seu *reproductivam* modo sine reproductione substantiæ, non obstante quod sint entia modalia. Quia etiam Scotus fatetur entia relativa divinitus separata ab omni subjecto existere posse. Cæterum adverto, sententiam Cartesii non multum differre ab eorum sententia, qui dicunt in Eucharistia remanere solam quantitatem panis, quæ supleat vices reliquorum accidentium; hanc

hanc edoctus sum à meo Col. D. Professore Ignatio Rainer Can. Reg. Rottenb. in mea Philosophia, qui eandem se à R. P. Josepho VOGLER S. J. in universitate Ingolstadiana celebri Professore accepisse asseruit.

§. 2.

Systema P. HONORATI FABRI Soc. Jesu.

R. P. Honoratus FABRI S. J. in sua *Summula Theologica* de Sacramentis tract. 8. c. 5. n. 9. sic loquitur: „ Accidentia modalia (qualia sunt extensio, impenetrabilitas, durities, humiditas, ubicatio, opacitas, figura &c.) in hoc sacramento adhærent non modalibus. Hinc modo fit aliquod accidens non modale, quod semper remaneat, cui alia modalia adhæreant, species sacramentales sufficienter salvantur. Ubi destruitur substantia panis, hoc est, tota elementorum substantia, ex quibus constat panis, remanet calor primarius, itemque impetus innatus, sed in statu corporis, hoc est, cum extensione impenetrabili; nempe singula puncta caloris primarii singulla punctis ignis inerant; igitur destructo puncto ignis conservatur punctum caloris, qui ipsi inerat, per actionem, qua eodem prorsus modo extenditur, & in eo statu ponitur, in quo per suam extensionem punctum ignis erat, hoc est, in ordine ad raritatem, siccitatem, figuras, aliosque status, qui ex ipsa extensione resultant. Quod dico de puncto caloris primarii, idem dicendum est de aliis, itemque de punctis physicis impetus innati. Hæc autem puncta tam impetus innati, quam caloris primarii eodem prorsus modo implicantur; hine impetus innatus post consecrationem nulli subjecto inhæret; idem dico de calore primario; hinc suo plexu *esse sensibile* pania præserunt; hinc reliqua accidentia ipsis insunt; de modalibus constat ex dictis. De aliis vero, quæ de novo producuntur, ut color secundarius, & impetus impressus, etiam constat, ne multiplicemus miracula; hinc impetus impressus & calor secundarius perinde in primariis illis speciebus recipiuntur, ac si vera panis substantia adesset Hucusque R.P. Fabri.

§. 3.

Systema P. Emanuelis Maignani Ord. Minimorum.

Explicationem accidentium Eucharisticorum traditam à MAIGNANO in sua Philosophia naturali recitat & impugnat RAYNAUDUS in suis *Exuviis* seu libro, quem vocat, *Exuviæ panis & vini*. At cum ipse *Maignanus* fateatur, se in Philosophia sua nondum satis adcurate explicasse doctrinam suam, proponam hic aliam Explicationem, à *Maignano* traditam in sua *Theologia* seu *Philosophia Sacra Cap.* 22. *propos.* 6. ubi sic ait: „ De his accidentibus egi in Philosophia Naturali variis locis; verum quia meam hac de re mentem forte non satis aperui, contigit, ut id aliqui durius acceperint, ac visus sim ipse aliter loqui, & sentire, quam sentiant omnes Theologi. Sed ego certe in re Theologica & præcipue in hac ne latum quidem unguem discessi quoad sensum; nunc autem spero me effecturum, ut nec in modo loquendi videar ullatenus discessisse.

„ Existimo remanere tantum accidentia sensibilia *ut quo*, non vero sensibilia *ut quod*. Accidentia sensibilia *ut quo* sunt, quibus mediantibus panis præbet se percipiendum sensui. Accidentia sensibilia *ut quod* sunt quæ identificantur cum substantia. Hinc concipienti sunt duo sapores, duo colores, duæ gravitates, figuræ humiditates, quantitates &c. nempe unus sapor *ut quo* qui est pani extrinsecus ac accidentalis, & quo panis se præbet percipiendum sensui sub ratione sapidi. Alter sapor est *ut quod*, qui est pani intrinsecus, eique identificatur, & quo panis est intrinsece sapidus.

„ Hic, ut patet, solum quæstio esse potest de accidentibus sensibilibus immediate *per se* & *ut quo*, non vero de ipsis proprietatibus substantialibus, seu accidentibus sensibilibus *ut quod*; cum enim accidentia panis non requirantur, nisi ut Sacramentum fiat sensibile, evidens est, tam parum requiri proprietates substantiales panis, seu accidentia *ut quod*, quam parum requiritur ipsa substantia panis; quæstio ergo est de accidentibus *ut quo* quæ tantum sunt signa, non res juxta id, quod in Prosa Missæ SS. Sacramenti dicitur; *sub diversis speciebus signis tantum, & non rebus latent res eximiæ*.

„ Solum controversia esse potest pure physica sintne de facto duo hujusmodi sapores, duo colores, duæ gravitates, figuræ, humiditates, quantitates &c. Mihi quidem visum est variis locis in Philosophia Natur. Eas affectiones seu proprietates saporem, colorem &c. idem esse cum substantia corporis; sed cum ita existimaverim, nusquam tamen negavi, quin potius innui non semel; aut si forte non satis expressi, nunc expressius dico, aliud corporibus esse genus saporis, coloris, quantitatis, figuræ &c. quæ non modo sint immediate sensibilia *ut quo*, verum etiam sint proprie dicta substantiæ corporeæ accidentia: & quamvis naturaliter existere non possint sine substantia, divina tamen potestate esse possint sine omni subjecto ac de facto ita maneant in Eucharistia post consecrationem, & per ea sic remanentia tanquam per veras panis & vini species sensibiles Eucharistiam esse vere sensibile sacramentum, nullamque in eo esse, vel fieri sensibus externis fallaciam aut illusionem. Sed interest, ut explicem, quid rei physicæ sint hæc ipsa secundi generis accidentia, sapor, color, figura, humiditas, gravitas &c.

„ Inprimis itaque hæc secundi generis accidentia nihil aliud sunt, quam species panis, per quas panis fit sensibilis; si enim essent aliquid aliud, tunc fierent tantum sensibilia mediate, nempe mediantibus speciebus à se distinctis, & re vera per accidentia in Eucharistia remanentia intelligi tantum species, patet ex eo, quia tota antiquitas cum Conciliis Lateranensi, Florentino, Constantiensi, & Tridentino solo nomine specierum usa est, adeo- „ que

„ que Scholastici, qui voci specierum substituerunt vocem accidentium, idem significatum „ retinere debuerunt, & voluerunt.

„ Porro species istæ impressæ, per quas substantia se exponit sensibus, non aliud esse possunt, quam operationes objectivæ, quibus „ substantia movet sensus formaliter, & ab eis „ se facit percipi; si enim dicantur esse aliquid „ aliud, quam bujusmodi operationes objectivæ, tunc illæ species non forent ratio formalis movendi sensum, quod tamen est de conceptu accidentis ut quo, sensu quo formaliter „ objectum se facit sentiri: quin, nisi species „ impressa consisteret in operatione objectiva, „ foret omnino inutilis, quia sola præsentia speciei alterius sine operatione non moveret sensum, v. g. species soni non magis faceret audire aurem vigilem, quam somno sopitam.

„ Præterea hæc accidentia, seu hæ species „ ante consecrationem sunt in pane & vino tanquam in subjecto non per eductionem de ejus „ potentia, & subjectionem passivam, seu inhæsionem, sed solum ratione originis & denominationis; quatenus sunt à pane activè, velut ejus quædam emanationes propriæ, & eum „ denominant, actuque sensibilem constituunt „ per modum formæ; imo si essent in pane, ita „ ut eis substaret panis, non redderent panem „ formaliter sensibilem, nec essent proprie loquendo ejus species, quia species necessario „ imprimitur sensui, quod fieri non potest nisi „ recipiatur in sensu: cum igitur id, quod recipitur in sensu, non possit simul recipi ac subjectari in objecto sensibili seu pane, necesse „ est, ut hæc accidentia ante consecrationem „ non aliter sint in pane ut in subjecto, quam „ ut in objecto, nempe secundum quod ab illo „ oriuntur, & ipsum per se formaliter constituunt in esse sensibilis actu.

„ Hæ igitur species, licet naturaliter sine „ suo sensibili subjecto denominationis & originis esse non possint, possunt tamen à divina „ virtute supernaturaliter produci ac conservari „ sine ullo subjecto eorum sensibili proprio, & „ in tali casu sensus movetur, & fit sensatio, ac „ si subesset objectum sensibile proprium, quam „ vis non sublit nisi alienum, nempe corpus „ Christi, quod ideo dicitur esse sub speciebus, „ seu accidentibus panis. Tali autem casu species supersunt, ac remanent, non physice eædem numero, sed tantum æquivalenter eædem, „ adeoque æstimative ac moraliter eædem, quatenus à divina virtute producuntur prioribus „ similes, ad eum fere modum, quo in sententia Thomistarum manent in cadavere accidentia, non numero, sed æstimative, æquivalenter ac moraliter eadem, eo quod omnino similia succedunt in locum priorum.

„ Addo tamen, si prorsus necesse sit servare „ eadem individualiter accidentis saltem aliqua „ tenus, bene posse me etiam in hoc satisfacere; „ cum enim species illæ, quibus panis movebat „ sensum, nullatenus à pane provenire potuerint sine concursu Dei immediato; necesse „ fuit, ut simul cum objectiva panis actione in „ sensum adesset quoque actio Dei, simul cum „ pane in sensum agentis. Post consecrationem „ perseverat sola illa actio Dei motiva sensuum „ sine actione panis, & quia ex dictis in philosophia naturali constat, actionem Dei esse ac „ manere eandem, sive per illam actionem Deus „ solus agat, sive agat cum alia creatura, consequitur, quod species panis post consecrationem sit eadem numero, in quantum actio objectiva motiva sensuum intelligitur esse eadem.

„ Doctrina tradita confirmari potest ex eo, „ quia in hostia remanet vis nutritiva, quæ tamen prius identificabatur cum substantia panis, si nulla fiat distinctio virtutis nutritivæ „ mediatæ & immediatæ. Vis nutritiva immediata est ipsa actio Dei concurrens cum actione „ panis; illa actio Dei post consecrationem remanet, & eatenus dicitur remanere vis nutritiva; patet proin in hac hypothesi, in qua per „ accidentia & reliquas affectiones sensibiles panis intelligitur objectiva Dei operatio in sensus &c. modum loquendi magis esse universalem, quam in hypothesi accidentium peripateticorum, in qua vis nutritiva non intelligitur proprie remanere.

„ Si dicas 1. operationes illas objectivas esse entitates modales, adeoque eas non „ posse manere sine subjecto. Respondetur, „ etiam aliquas entitates modales posse manere „ sine omni subjecto; id ostenditur ex actione „ creativa, quæ est entitas modalis, & tamen „ nullum præsupponit subjectum, imo est prior „ ad omne subjectum.

„ Si dicas 2. manere debere eadem numero accidentia, sed operationes objectivæ „ non manent eædem numero. Respondetur, „ totum hoc argumentum constare propositionibus naturaliter cognitis & physicis, adeoque totum salva fide posse negari; quod enim „ ex verbulo revelato to *manere* non possit inferri identitas numerica, ostensum est, quia „ verbuli illius proprietas salvatur in mille aliis „ locutionibus propriis, ubi non importatur „ identitas numerica. " Hucusque R. P. Emanuel Maignan Ordinis Minimorum, qui fuse conatur ostendere suam opinionem non theologice, sed tantum philosophice differre à mente reliquorum Theologorum.

Hæc omnia ex mente aliorum potius quam mea proponere volui, solum eo fine, ut constet, quid in hac materia dicatur, aut dici possit; &, quid, certum incertumque sit, cognoscatur. Possent quidem recenseri adhuc plures explicationes à modernis Philosophis adinventæ; Aloysius Temmik seu Kimmet Soc. Jesu dialogo 1. De Eucharistia fere amplectitur sententiam Cartesii de remanente superficie, licet quoad modum loquendi parum differat. M. Durand in sua Historia specierum Eucharisticarum Gallice edita desideranti plura dabit.

QUÆSTIUNCULÆ MISCELLANEÆ.

De variis proprietatibus Eucharistiæ.

Quæritur 1. An Sacramentum Eucharistiæ sub specie panis & vini sit unum specie Sacramentum?

RESPONDEO. Est unum specie Sacramentum.

PROBATUR ratione D. Thomæ. Species panis & vini coordinantur ad invicem in ordine ad constituendum in esse symbolico adæquatam rationem convivii. Ergo sub ea ratione constituunt unum specie Sacramentum. c. patet, quia ordo seu coordinatio partium materialium ad eundem finem in omni composito tam physico quam artificiali tribuit formam ac Speciem rei. Ita discurrit D. Thomas p. 3. q. 73. a. 2. ubi sic scribit: *Unum dicitur, non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum, sicut dicitur una domus, & unus homo. Est autem unum in perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum. Et sic hoc Sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus & potus. Et ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus & spiritualis potus, secundum illud Joa. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ergo hoc Sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter & perfective.*

QUÆRITUR 2. An laici communicantes sub una specie accipiant totum Sacramentum?

RESPONDEO. Ab iis accipi totum Sacramentum totalitate essentiali, non vero totalitate integrali, saltem integritate signi; seu symboli. Nam quod accipiant totum Sacramentum integritate significati, seu effectus, quin defraudentur ulla vel minima gratia, ostendetur in proxima disputatione. Sic homo truncatus manibus ac pedibus est nihilominus totus homo totalitate essentiali, & integritate effectua interni. Neque enim est semihomo, aut semirationalis.

QUÆRITUR 3. An Sacramentum Eucharistiæ sit etiam numero unum in toto mundo, cum sit ubique unus Christus?

RESPONDEO. Sacramentum Eucharistiæ est numero multiplex; sicut baptismi sunt plures numero in toto mundo.

PROBATUR. Concreta multiplicantur numero juxta multiplicationem materiæ; sic enim essent duo alba, vel rotunda, etiamsi eadem albedo simul vel successive ponatur in pluribus materiis. Ergo cum species Sacramentales, quæ in hoc Sacramento se habent materialiter ad recipiendum esse sacramentale, sint numero plures, etiam Sacramentum erit numero multiplex.

QUÆRITUR 4. An transsubstantiatio efficaciter probari possit ex illis verbis: *Hoc est corpus meum?*

RESPONDEO. Potest ex his verbis efficaciter probari.

PROBATUR ex Concilio Tridentino, quod sess. 13. cap. 4. sic habet: Quoniam Christus corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denno hæc sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius panis in substantiam Corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.

PROBATUR 2. Si non poneretur transsubstantiatio panis, deberet necessario ad verificandam hanc propositionem substantia panis à corpore Christi assumi in unitatem suppositi, sicut natura humana fuit assumpta à Verbo in unitatem personæ. Sed hoc non potest dici, partim quia repugnat traditioni, ex qua scimus, Christum non elegisse hunc modum; partim quia non decet, talem substantiam panis à corpore Christo assumi, & statim iterum post corruptionem specierum panis dimitti, aut Christum in homine communicante, etiam impio, physice transire in substantiam aliti; partim denique, quia talis assumptio est absolutio impossibilis sine destructione individui prius habentis subsistentiam propriam; præsertim cum ipsum Corpus Christi, à quo panis assumeretur, non habeat subsistentiam propriam, sed ipsummet subsistat in Verbo. Ea etiam de causa admitti nequit sententia FADELLÆ, qui, ut refert P. GRAVINA in Synopsi Theologiæ veterum Patrum n. 622. docuit, dæmones torqueri per unionem hypostaticam cum igne infernali, ita ut dæmon subsistat per subsistentiam ignis, sicque dæmon factus sit ignis & conversus in ignem.

PROBATUR 3. Si panis non converteretur in Corpus Christi, Christus debuisset potius dicere: *sub hoc pane*, vel *in hoc pane* est corpus meum; quam, *hoc est corpus meum*, prout in Græco habetur ὁδὲ, non ὧδε. Quamvis enim aliquando per particulam demonstrativam, *hoc*, demonstremus potius contentum, quam continens, v. g. quando ostendendo dolium dicimus: *Hoc est vinum. Hoc est oleum. Hoc est cerevisia*; illo tamen modo loquendi tunc solum utimur, quando aliunde evidens est, rem ostensam ex sua natura ordinari à Deo, vel ab arte ad continendum aliud, ita ut potius per modum signi ducat in notitiam contenti.

QUÆRITUR 5. An substantia panis & vini desinat per annihilationem?

RESPONDEO. Id quidem Scotistæ affirmant, si Goneto credimus, attamen Thomistæ & alii plerique Theologi, nisi fiat quæstio de nomine, merito id negant. Annihilatio enim est actio, quæ ita tendit in non esse rei, ut in ejus nihilo quiescat. Si vero actio destructiva rei ita tendat in nihilum rei, ut loco ejus ponat aliud, est potius actio *conversiva* unius in aliud, quam *annihilativa*. Itaque licet panis incipiat fieri nihilum panis, non tamen actio quiescit in ejus nihilo. Forte etiam posset inter annihilationem & conversionem statui hoc discrimen; quia ut D. Thomas, supra relatus *quæst. 1. Notando 6.* observat, in conversione salvatur saltem unum vel alterum prædicatum rei destructæ, quod ex suo genere fiat commune termino conversionis; econtra in annihilatione destruitur res sub omni prædicato positivo, ita ut vi actionis non solvetur ullum prædicatum in alio ente, quod substituitur. SI QUIS DICAT: Nullam re-

D. Amort Tract. de Eucharistia. N 2

requiri aut dari posse actionem destructivam rei; ad hoc enim sufficere, si subtrahatur actio conservativa rei.

Respondeo. Id quidem in rigore metaphysico verum esse. In consideratione tamen physica vocatur illa actio destructiva rei, quæ ita tendit ad ponendum effectum positivum, ut essentialiter exigat, præsuppoat, ac respiciat desitionem actionis conservativæ relate ad oppositum sui effectus.

Quæritur 6. Quid in consecratione ponatur *vi verborum*?

Respondeo 1. In consecratione pánis *vi verborum* ponitur solum Corpus Christi, non autem sanguis aut anima Christi, saltem sub ratione principii vitalis. Thomistæ enim, qui nullam admittunt formam corporeitatis, nec formas partiales, admittunt, quod vi verborum ponatur etiam anima, prout dat esse corporeum. Ita docet Gonetus hic Disp. 5. a. 1.

Respondeo 2. In consecratione vini vi verborum ponitur solus sanguis Christi.

Respondeo 3. Attamen etiam in consecratione panis Christi; & vicissim in consecratione panis ponitur *per concomitantiam* etiam sanguis Christi; & vicissim in consecratione vini ponitur etiam Corpus Christi *per concomitantiam*. In utraque autem consecratione *per concomitantiam* ponitur simul anima Christi. Hæc omnia quoad rem declarantur à Concilio Tridentino sess. 13.

Respondeo 4. Divinitas Christi, aut personalitas Verbi in hoc Sacramento vi verborum non ponitur aut continetur, sed tantum continetur concomitanter. Hoc iterum declaratur à Tridentino l. c. Textus Concilii cap. 3. sic scribit: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri.*

Quæritur 7. An Christus in Eucharistia toties contineatur, quot in Sacra Hostia reperiuntur particulæ panis realiter distinctæ?

Respondeo. Christum sub una quoad sensum Hostia tantum semel contineri. Ratio est, quia intentio consecrantis fertur ad conficiendum unum numero Sacramentum juxta statum Hostiæ objectivum quoad sensus hic & nunc sibi sensibilem; ac etiam vero simile est, Christum attemperasse effectum consecrationis huic intentioni, ut vitentur absurda innumera.

Probatur 2. Si vera esset sententia opposita, toties in una hostia daretur Christus, quot dantur ibi particulæ farinaceæ, aut certe quot darentur binaria, aut trinaria talium particularum farinæ. Sed hoc est absurdum. Ergo. maj. prob. Certum est, in pane cocto tantum reperiri juxtapositionem partium farinæ, easque manere realiter distinctas, cum facile ab invicem separari possint. Et quamvis per ignem vel calorem particulæ farinæ immutentur, si quis ita loqui amet, etiam substantialiter, per hoc tamen non tollitur, quin illæ particulæ farinaceæ in naturam panis conversæ maneant inter se realiter distinctæ.

Quæritur 8. An particulæ panis aut vini post divisionem tam exiguæ, ut amittant statum sensibilem panis aut vini usualis, eo ipso amittant præsentiam Corporis Christi?

Respondeo. In ejusmodi particulis desinere præsentiam Christi. Ita docet Aiensis.

Probatur 1. Tales particulæ, nisi per collectionem facile possint reduci ad statum sensibilem, amittunt in æstimatione morali denominationem panis usualis, etiam in actu primo, cum nunquam in actum secundum, ut ponitur, reduci possint. Ergo amittunt rationem Sacramenti.

Probatur 2. ex absurdo. Si enim opposita sententia esset vera, sequeretur, quod per odorem seu exhalationem partium vini volatilium Sacramentum transferretur etiam in nares hominum & canum; aut quod, sicut exhalationes vini ubique vagantur in aere, ita etiam Sacramentum ubique vagaretur in aere. Quæ omnia, cum sint absurda, haud dubie ab intentione Christi instituentis remotissima sunt.

Quæritur 9. An Christus in S. Hostia possit movere oculos, labia, linguam, pedes &c. Item, an possit videre, & audire, quæ sunt in vicinia?

Respondeo. Id non repugnat. Ratio est, quia, prout dictum est, Christus est in sua naturali statura & statu hoc sola diversitate, quod partes corporis sint creatæ sub minore termino magnitudinis in S. Hostia, quasi in alio Universo tervata Symmetria partium. Ergo hæc omnia non repugnant, etiamsi comparative ad nostrum universum tota magnitudo non exeedat magnitudinem puncti. Adhuc enim salvari potest actio & passio cum vicinis corporibus dependens ab arbitrio mentis existentis in corpore glorioso. Ex hoc etiam sequitur, quod oculus hominis possit supernaturaliter elevari ad videndum Christum Eucharisticum in suo statu connaturali magnitudinis internæ.

Quæritur 10. Quamdiu ordinarie maneat præsentia Christi sub S. Hostia?

Respondeo. In communicantibus Species panis probabiliter adhuc manent per dimidiam horam.

Probatur 1. ab experientia. Constat enim, eos, qui post Sacrum sumpserunt Medicinam, licet alioquin habuerint fortissimum stomachum, post dimidiam circiter horam reddidisse per vomitum integram ferme hostiam, prout mihi Sacerdos retulit, cui hoc contigit.

Pro-

PROBATUR 2. Raro reperitur stomachus ab omni cibo vel chylo vacuus; & quando vacuus est, exigua particula Hostiæ non sufficienter vellicat parietes stomachi ad provocandum recentem ex glandulis liquorum gastricum. Ergo facilis est conservatio Hostiæ ultra horam dimidiam. Fatendum tamen, durationem ejusmodi per regulam universalem determinari non posse, cum ea dependeat à majori vel minori activitate stomachi, juxta cujus dispositionem in uno citius in alio serius corrumpuntur. Lugo hic Disp. 10. n. 54. testatur quidem, peritissimos Medicos hac de re consultos censuisse; minorem hostiam à stomacho mediocriter concoctivo communiter intra unum minutum, majorem vero cum speciebus vini à Sacerdote intra medium quadrantem horæ ita consumi, ut Christus ibi præsens esse desinat: Sed hæc doctrina illorum Medicorum non videtur esse fulfulta per experientiam. Constat enim, hostiam non consecratam, si projiciatur pro maceratione in acetum, vel alium liquorem menstruum, non statim intra minutum consumi: neque isti Medici id probant ex sectionibus cadaverum, vel animalium, v. g. ultimo supplicio affectorum, quibus paulo ante mortem posset porrigi hostia major vel minor non consecrata. Dein Lugo consuluit tantum Medicos Italiæ vel Hispaniæ, in quibus regionibus vigent temperamenta calida, ubi etiam stomachi onerari solent duplo aut triplo minori ciborum copia, quam in Germania ob clima frigidius.

QUÆRITUR 11. Qualis mutatio in speciebus Eucharisticis sufficiat ad tollendam Christi præsentiam?

RESPONDEO. Illa mutatio sufficit, qua fit, ut hostia non amplius in æstimatione morali veniat nomine *panis* usualis vel nutrivi. Hinc licet sæpe fiat, ut in Ecclesiis humidis ex Hostiis asservatis nascantur vermiculi, seu potius pediculi albi vix libero oculo discernibiles, nondum videtur corrupta hostia, quia hæc animalcula forte solum nata sunt ex nonnullis particulis hostiæ minus compactis intra poros latentibus, vel ex particulis solum extimis.

QUÆRITUR 12. Quomodo ex speciebus Eucharisticis producatur novus chylus, vermes &c.

RESPONDEO. In tali casu tam materiam, quam formam substantialem novæ substantiæ produci actione conversiva per virtutem supernaturalem in quantitate hostiæ residentem.

PROBATUR. Ex una parte talis virtus supernaturalis convertendi accidentia in substantiam per actionem creativam dependenter à dispositione causæ creatæ non repugnat; & ex altera parte conformius est methodo sapientiæ divinæ etiam in ordine gratiæ, ut pro constanti serie effectuum adhibeatur seu ordinetur causa secunda. Ergo debet hoc dici, quod tam materia quam forma novæ substantiæ creetur à quantitate Eucharistica ex se. Min. *patet.* ex meis Principiis Philosophicis, in quibus ostenditur, totam activitatem causarum secundarum nihil aliud esse, quam ordinem existendi. Perinde autem est, sive Deus ordinem existendi productivum effectus alliget dispositionibus materiæ, sive eum alliget dispositionibus accidentium præexistentium, sive eum alliget dispositionibus solius causæ secundæ. Solum posset fieri quæstio de nomine, utrum talis actio productiva substantiæ novæ tam quoad materiam quam formam stricte loquendo debeat vocari *conversiva*, vel *creativa*, vel *eductiva*, ita ut substantia educatur ex potentia accidentium. Mihi videtur, vocandam illam actionem esse *creativam*, latius sumendo hunc terminum, in quantum significat actionem productivam effectus non quidem ex nihilo omnia causæ secundæ, productivam tamen effectus ex nihilo materiæ.

DISPUTATIO V.

De effectu & necessitate Eucharistiæ.

In hac Disputatione quæritur

1. Utrum Sacramentum Eucharistiæ aliquando causet primam gratiam?
2. An Sacramentum sub utraque specie plus causet gratiæ, quam sub una specie?
3. Quo tempore in suscipiente causetur gratia? Et qualis ad suscipiendam gratiam hujus Sacramenti in suscipiente adulto requiratur dispositio?
4. An & quomodo hoc Sacramentum sit necessarium? præsertim sub utraque specie?
5. Utrum in sacra communione anima Christi uniatur physice unione stabili cum anima communicantis?
6. An, & quibus suadenda sit frequens communio?
7. An ad fructum ex Eucharistia impetrandum necessaria sit in recipiente devotio?
8. Quæstiunculæ de obligatione communionis, de Ministro, & dispositione requisita ex parte communicantium.

QUÆSTIO I.

Utrum Sacramentum Eucharistiæ aliquando causet primam gratiam.

NOTANDUM 1. *Per gratiam primam* intelligi gratiam justificationis, remissivam peccati mortalis; dum videlicet constitutus in peccato mortali per infusionem gratiæ sanctificantis obtinet remissionem peccatorum mortalium, de quibus est vere attritus.

NOTANDUM 2. Primam gratiam in sensu præfato acceptam duplici modo conferri posse, nempe *per se*, & *per accidens*. PER SE in Sacramentis confertur, quando Sacramentum directe à Christo est institutum, ad conferendam

 omnibus

chariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen Dominicis diebus communicandam ſuadeo, & hortor: ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrimis & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ confeſſioni donare conſuevit, ſed accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata, (pro quibus agenda eſt ſolennis pœnitentia) *non gravant*. Hic notabilis textus refertur etiam c. 13. *Quotidie*. de Confecr. diſt. 2.

PROBATUR 3. ex inſtitutione hujus Sacramenti c. 26. ubi Chriſtus dicit: Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. In græco textu habetur: ἐκχυνόμενον, hoc eſt, *effuſus*, vel potius, *qui effunditur*, ut habeat ſenſum ampliativum ad omnes differentias temporum.

PROBATUR 4. Primis quinque ſæculis vigebat communio quotidiana fidelium, quin fideles eo tempore, niſi in graviora crimina inciderent reſervata Eccleſiæ ad pœnitentiam ſolennem quotidie recurrerent ad ſacramentum pœnitentiæ. Ergo cum in tanta multitudine præſumendum eſſet, reperiri multos, qui in peccata gravia lapſi ſtatum ſuum vel non agnoſcerent, vel per contritionem perfectam necdum ſatis deleverant, vetus Eccleſia ſuppoſuit, per Euchariſtiam conferri per accidens primam gratiam.

PROBATUR 5. Sacramentum Euchariſtiæ directe eſt inſtitutum ad exercendas & augendas operationes vitæ ſpiritualis. Ergo ubi reperit ſubjectum ad vitam diſpoſitum remoto obice, eum alio modo ad finem ſuæ inſtitutionis pertingere nequeat, eo ipſo conferet vitam.

PROBATUR 6. Pœnitentia in veteri teſtamento, niſi fuerat valde perfecta etiam materialiter, tantum per hoc differt à pœnitentia ſacramentali novi Teſtamenti, quia ibi deficiente promiſſione incerta erat obtentio veniæ, nunc autem certa eſt poſitis ad arbitrium judicis ſacri conditionibus. Ergo cum in Sacramento Euchariſtiæ videatur plenitudo bonitatis divinæ æquare diſpoſitionem perfectiorem alias requiſitam pœnitentis, nec, prout D. CYPRIANUS in ſerm. *de Cœna Domini* obſervat, in præſentia Salvatoris deceat repelli lachrimas pœnitentis, præſumendum eſt, à quovis vere attrito obtineri per accidens in hoc ſacramento gratiam. Bene autem notandum eſt, à me ad veram attritionem requiri dilectionem initialem Dei.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. nullus effectus tribuendus eſt ſacramento, de quo non conſtat ex Scriptura & traditione Patrum. Sed de remiſſione peccatorum mortalium in receptione Euchariſtiæ ſic non conſtat. Ergo. 2. Concilium Tridentinum Seſſ. 13. Can. 5. anathema dicit aſſerenti; præcipuum fructum hujus Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum, ſic habet: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum SS. Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema ſit.* Idem Concilium Seſſ. 13. cap. 2. Effectus hujus Sacramenti enumerans ait: *Salvator ſumi voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur.* Ergo cum inter hos effectus non enumeretur etiam remiſſio peccatorum mortalium, non datur hic effectus. 4. Idem Concilium cap. 1. c. ait: *Patres docuerunt, quosdam ſacramentaliter duntaxat hoc ſacramentum ſumere, ut peccatores; alios ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter. Hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant, & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant.* Sed attriti ſunt adhuc peccatores, neque habent veſtem nuptialem. Ergo.

RESPONDEO.

AD 1. tr. maj. n. min. Contrarium patet ex probationibus. DIXI. *tranſeat*. Poſſet enim d. effectus non eſt aſſerendus, de quo tantum certo non conſtat. n. de quo veroſimiliter non conſtat. *ſubdiſt*. non eſt aſſerendus tanquam certus. c. tanquam veroſimilis n.

AD 2. c. a. n. c. nos enim non dicimus, quod remiſſio peccati mortalis ſit præcipuus fructus hujus ſacramentum, cum tantum ſit fructus per accidens.

AD 3. d. dicit hoc Tridentinum loquendo de effectibus Sacramenti per ſe. c. loquendo de effectibus *per accidens*. n.

AD 4. d. maj. Patres ita docuerunt loquendo de diſpoſitionibus per ſe requiſitis. c. loquendo de diſpoſitionibus requiſitis per accidens. n. Si reſpexiſſent ad diſpoſitionem ſufficientem *per accidens*, comprehendiſſent in poſtremo diviſionis membro etiam eos, qui ignorant ſe eſſe peccatores, & putant, ſe habere veſtem nuptialem.

OBJICITUR 2. Sacramentum Euchariſtiæ fuit inſtitutum per modum cibi & potus. Sed cibus aut potus non reſuſcitat mortuos. 2. Sacramenta non cauſant gratiam, niſi quam ſymbolice ſignificant; ſed Sacramentum Euchariſtiæ non ſignificat collationem primæ gratiæ, ſeu remiſſionem peccati mortalis. Ergo. 3. Si hoc Sacramentum cauſaret primam gratiam, cauſaret illam *per ſe*, ſed hoc non poteſt dici. Ergo. maj. prob. Si cauſaret hanc gratiam, cauſaret illam ex intentione. Ergo. *C. patet*. Illud enim dicitur fieri *per ſe*, quod juxta intentionem fit, fieri autem *per accidens* dicitur, quod præter intentionem fit. 4. Si hoc Sacramentum cauſaret primam gratiam, eſſet Sacramentum mortuorum. Sed hoc non poteſt dici; quia dantur tantum duo ſacramenta mortuorum, baptiſmus & pœnitentia. 5. Si textus Patrum aliquid probarent, ſequeretur, quod remiſſio peccati mortalis eſſet per ſe effectus Sacramenti, etiam dum homo ſcit, ſe commiſiſſe grave peccatum. Sed hoc non poteſt dici. Ergo ita ſunt explicandi, ut dicantur tantum loqui de remiſſione peccatorum quoad reatum pœnæ, vel de collatione gratiæ

tiæ actualis disponentis ad pænitentiam justificativam.

RESPONDEO.

AD 1. d. est institutum per modum cibi & potus continentis vitam. c. tantum dispositive conservantis vitam. n. Nam cibus per essentiam vita potest etiam conferre vitam.

AD 2. d. nisi quam significant indirecte. c. tantum directe. n. Eoipso quod per cibum visibilem in hoc sacramento directe significetur talis cibus spiritualis, qui est per essentiam vita, etiam indirecte significatur virtus conferendi mortuis vitam.

AD 3. d. causaret illam *per se*, perseitate relative sumpta ad intentionem instituentis. tr. perseitate relative sumpta ad intentionem recipientis sacramentum. n. Nam Christus quidem respiciendo ad omnes casus possibiles, ordinarios, & extraordinarios, intendit quidem pro casu extraordinario remissionem peccati mortalis in recipiente; sed recipiens sacramentum, cum se existimet constitutum in statu gratiæ, intentione absoluta tantum intendit augmentum gratiæ.

AD 4. n. maj. Sacramenta enim mortuorum sic denominantur à fine Sacramenti *per se*, *directe*, ac *primario* intento.

AD 5. d. sequeretur hoc ex textibus Patrum, nisi ex subjecta materia, & aliis textibus constet de alia intentione loquentium tr. secus. n. maj. Constat enim ex aliis textibus Patrum, quod graviter peccet communicans, nisi ita probatus per examen & dictamen conscientiæ, ut se existimet esse in statu gratiæ.

QUÆSTIO II.

An Sacramentum Eucharistiæ plus causet gratiæ sub utraque specie, quam sub una specie.

NOTANDUM 1. Eucharistiam considerari posse sub duplici respectu, videlicet in ratione *sacramenti* & in ratione *sacrificii*. Ratio SACRAMENTI collativi gratiæ salvatur in una specie, prout patet ex praxi Ecclesiæ: ex qua consequitur, etiam effectum correspondentem Eucharistiæ in ratione sacramenti posse esse completum & adæquatum sub una specie. At vero ratio SACRIFICII à Christo instituti non salvatur sub una specie; quia Christus in sacrificio Novi Testamenti voluit suam mortem & sacrificium cruentum in cruce exhiberi per repræsentationem sui sanguinis ut separati à corpore. Itaque cum ratio sacrificii non habeatur per unam speciem, etiam effectus correspondens sacrificio non videtur haberi per unam speciem.

NOTANDUM 2. Duas esse in hac re sententias. Non obtineri plus gratiæ docent communiter Thomistæ, Suarez, Bellarminus, Salmeron & alii. Plus gratiæ obtineri affirmant Vasquez, Lugo, Dicastilio, Haunoldus, Mastrius, & alii.

DICO. Sacramentum Eucharistiæ in ratione sacramenti spectatum non confert plus gratiæ sub utraque specie, quam sub una specie.

PROBATUR 1. In Manna, quod erat figura sacramenti Eucharistiæ, non conferebatur plus illis, qui plus collegerant. Ergo idem fit in figurato. *Ant. prob.* Exodi 16. dicitur: *Non amplius habuit, qui plus collegerat, nec qui minus paraverat, reperit minus.*

PROBATUR 2. Si quis integra hora continuo actu comederet successive centum hostias, non acciperet plus gratiæ, quam qui comederat unam. Ergo nec plus accipit gratiæ, qui sumit duas species. *C. prob.* Non latet plus sub altera specie, quam sub altera hostia.

PROBATUR 3. Sumptio alterius speciei ex institutione Christi non habet alium finem, nisi ut in sacerdotibus sit consummatio sacrificii, in laicis vero, ut fit protestatio realis participandi de fructu sacrificii, sed eatenus non confert ex opere operato plus gratiæ. Ergo. maj. prob. partim negative, quia plus intentionis probari nequit; partim positive; quia communio sub utraque specie primis decem sæculis extra casum necessitatis nunquam erat in usu nisi durante & sub ipso sacrificio Missæ.

PROBATUR 4. Non est vero simile, Ecclesiam laicos spoliaturam fuisse usu calicis, aut approbaturam fuisse consuetudinem laicorum, jam prius ante Decreta Ecclesiæ ab usu calicis abstinentium, si conferretur plus gratiæ sub utraque specie.

PROBATUR 5. Christus communicanti sub una specie promisit eandem gratiam, quam promisit utrique speciei. Ergo est idem effectus. *Ant. prob.* Joan. 6. v. 33. de una specie panis loquens ait: *Pater meus dat vobis panem verum. Panis verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.. Ego sum panis vitæ; Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

PROBATUR 6. Expressior significatio gratiæ vel causæ non auget effectum. Sed communio sub utraque specie est tantum expressior significatio sacrificii cruenti in cruce, quod erat causa gratiæ. Ergo non confert plus gratiæ. maj. patet ex variis signis contractuum, v. g. matrimonii, donationis &c. in quibus aliqua fiunt signis, scripturis, aut verbis. min. prob. plus significationis in utraque specie probari non potest.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Tridentinum Sess. 21. c. 3. tantum negat, laicos per prohibitionem calicis defraudari gratia ad salutem necessaria. Ergo agnoscit, eos saltem privari gratia utili. *Ant. prob.* ex textu. *Sacra Synodus*, inquit, *declarat, fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum Christum, verumque sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* 2. Clemens IV. dum per Bullam Regi Galliæ concedit facultatem communicandi sub utraque specie, dicit, se hoc privilegium illi concedere *ad majus gratiæ augmentum.* Ergo communio sub utraqua specie plus confert gratiæ.

3. Sa-

3. Sacramenta id causant, quod significant; sed utraque species plus significat gratiæ, quam una species. Ergo. min. prob. utraque species significat plenitudinem convivii seu refectionis spiritualis, quod una species non significat. 4. Si species panis & vini non causarent diversas gratias; vel tota gratia sacerdoti conferretur in sumptione solius primæ speciei; vel in sumptione solius calicis? vel partim in sumptione S. Hostiæ, & partim in sumptione calicis? neutrum potest dici. Ergo. min. prob. Si dicatur primum, sequeretur, usum calicis non esse sacramentum collativum gratiæ. Si dicatur secundum, sequeretur vicissim, sumptionem S. Hostiæ non esse sacramentum collativum gratiæ. Si dicatur tertium, non potest dari ratio, cur sumptio S. Hostiæ laico statim conferat totam gratiam, & non etiam sacerdoti.

RESPONDEO.

AD 1. Tridentinum hoc dicit *doctrinaliter* in capitulis, declarando sensum Ecclesiæ universalem circa ea, quæ omnium Catholicorum Theologorum judicio censentur esse certa. c. dicit hoc *definitive* determinando limites gratiæ in Eucharistia conferendæ. c. Ita solet observare Concilium Tridentinum, ut in capitulis doctrinalibus tantum exprimat sensum universalem Ecclesiæ. Cum itaque sciverit, à nonnullis Theologia hac de re moveri controversiam, satius duxit, abstrahere ab hac quæstione, & relinquere aliorum prudenti judicio, an subtractio alicujus gratiæ utilis facta sit, aut prudenter fieri potuerit per compensationem majoris reverentiæ erga SS. Sacramentum, & majoris gratiæ ex faciliori ac frequentiori usu hujus sacramenti, quæ redundat in omnes fideles.

AD 2. d. conceditur hoc privilegium *ad majus gratiæ augmentum*, assequendum ex opere & fervore operantis, pie sperando à christianissimo rege intuitu tam singularis privilegii c. assequendum ex opero operato. n. Sensus Bullæ & Pontificis est, se hoc privilegium concedere, spe, illud ob specialem Regis devotionem cessurum in majus augmentum gratiæ.

AD 3. c. maj. o. min. ad prob. n. a. utraque enim species significat plenitudinem refectionis spiritualis; quia in spiritualibus cibus & potus non distinguuntur juxta illud Matth. 5. *Qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Hoc solum conceditur, quod utraque species *plenius* & *expressius* significet plenitudinem interioris convivii. Sed plenior & expressior significatio rei non mutat aut pleniorem reddit collationem effectus, prout patet in signis matrimonii ineundi, promissionis, vel donationis.

AD 4. tr. maj. n. min. & dico, totum effectum *sacramentalem* conferri in prima specie; fructum autem *sacrificialem* conferri tantum in secunda specie; quia sicut sacrificium completur essentialiter in secunda consecratione, ita etiam *participatio* sacrificii completur in sumptione calicis.

DICES. In Parasceve sacerdos in oblatione affirmat, se offerre sacrificium, & tamen non consecrat nec sumit sacrum sanguinem. Ergo collatio gratiæ etiam sub ratione sacrificii

non potest alligari tantum secundæ speciei. Idem potest formari argumentum de triduo mortis, si Apostoli in Sabbato sancto celebrassent.

RESPONDEO d. affirmat, se offerre sacrificium oblatione mentali, c. oblatione reali. n. realis oblatio sacrificii fieri non potest sine transsubstantiatione, quæ tamen in Parasceve non fit, cum offeratur Hostia priori die consecrata.

DICES 2. Ex hac ipsa omissione veri sacrificii in toto orbe, per quam & animæ fidelium & animæ purgantes privantur immenso fructu, colligitur, ab Ecclesia interdum honestatem alicujus ceremoniæ solennis æstimari plus, quam fructum animarum utut alias maximum. Ergo idem potest dici de augmento gratiæ per secundam speciem, etiamsi Ecclesia illo fideles privet ob honestatem generalem.

RESPONDEO; id omnino posse dici, si aliunde tam certum esset augmentum gratiæ ex secunda specie, quam certus est fructus sacrificii. Directe autem potius respondeo, per hanc publicam ac solennem commemorationem luctuosam cruenti sacrificii in cruce ex opere operantium compensari fructum sacrificii qui obtineretur ex opere operato sacrificii.

QUÆSTIO III.

An & quomodo hoc Sacramentum sit necessarium, præsertim sub utraque specie?

DICO 1. Obligatio sumendi Eucharistiam est juris divini.

PROBATUR 1. ex Scriptura. Christus enim Joan. 6. dicit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

PROBATUR 2. authoritate D. Thomæ, qui p. 3. q. 80. a. 11. sic scribit: *Manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem.*

DICO 2. Hæc obligatio urget saltem in articulo mortis.

PROBATUR ex Concilio Nicæno Can. 13. quod sic habet: *De his, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula observabitur nunc etiam, ut si forte quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ non defraudetur viatico.*

DICO 3. Datur præceptum Ecclesiæ communicandi in Paschate.

PROBATUR ex C. *Omnis utriusque sexus*, ubi hoc in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. statuitur; quod statutum renovatum est in Concilio Tridentino Sess. 13. Can. 9. his verbis: *Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.* Ubi tamen advertendum est, à Concilio Lateranensi non fuisse introductam obligationem novam, sed potius moderationem ac relaxationem legis veteris. Certum enim est ex Capitularibus Caroli M. & variis Conciliis sæculi VIII. illis temporibus viguisse consuetudinem ac legem universalem Ecclesiæ, vi cujus omnes

laici adstringebantur ad communicandum saltem ter in anno, videlicet in nativitate Domini, in Paschate, & in Pentecoste.

Dico 4. Ecclesia non erravit statuendo communionem sub una specie.

Probatur. Ecclesia nec probatur egisse contra legem divinam, nec contra mentem primitivæ Ecclesiæ, nec contra naturam sacramenti, nec contra rationem. Ergo non erravit. *Ant. prob.* ex solutione objectionem.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Christus Joan. cap. 6. præcipit etiam usum Calicis, dicendo: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 2. Ibidem solis illis promittit vitam æternam, qui etiam sumunt calicem, dicit enim: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Item: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Respondeo 1. Non esse certum, quod particula *&* hoc loco potius habeat sensum copulativum quam disjunctivum: merito enim dubitari potest; utrum non forte hic sit sensus. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, aut biberitis ejus sanguinem. Qui manducat meam carnem, aut bibit meum sanguinem.* Hanc æquivocationem, & indifferentiam particulæ *&* tam ad sensum disjunctivum quam copulativum probo ex usu Scripturæ, quæ frequenter illa particula utitur in sensu disjunctivo, prout patet ex sequentibus exemplis Novi Testamenti.

1. *Matth.* 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me.* Hoc loco ad beatitudinem istam promerendam utique sufficit unum è tribus, *aut* maledicta hominum, *aut* persecutiones, *aut* calumniæ; nec requiritur, ut omnia horum malorum genera in idem subjectum concurrant.

2. *Matth.* 5. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Hoc loco particula *&* iterum habet sensum disjunctivum, prout suppono ex aliunde probatis de Sacramento Matrimonii.

3. *Matth.* 6. *Cum facis eleemosinam, noli tuba canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt in Synagogis & vicis -- Cum oratis, non eritis sicut Hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare.* Hic esse sensum disjunctivum clarum est; ad constituendum enim Hypocritam sufficit, si in alterutro locorum tuba canat ante se in Synagogis *aut* vicis; si stans in Synagogis aut angulis platearum amet orare.

4. *Matth.* 6. *Nolite thesaurizare thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur.* Ad sensum hujus textus verificandum sufficit sensus disjunctivus, ita ut sensus sit, ubi ærugo vel tinea demolitur, ubi fures vel effodiendo, vel clam subintrando tollunt.

5. *Matth.* 7. *In quo judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Sensus est, *aut* in qua mensura &c.

6. *Matth.* 7. *Similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit.* Hoc loco esse sensum disjunctivum, res ipsa loquitur; ad evertendam enim ejusmodi domum sufficit aut vis imbrium terram arenosam excavantium, aut alluvio fluminum, aut ventorum impetus; prout explicatur *Lucæ* 6. ubi dicitur: *Similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento, in quam illisus est fluvius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.*

7. *Matth.* 10. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris:* sensus est, qui non receperit, aut non audierit; alterutrum enim solum haud dubie meretur derelictionem.

8. *Matth.* 13. *Solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum:* una harum duarum causarum sufficit ad suffocandum verbum Dei. Itaque necesse est, sensum esse disjunctivum *aut fallacia* &c.

9. *Quod Proverbiorum* 30. dicitur. *Qui maledicit Patri suo & Matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*, idem *Levitici* 20. & *Matthæi* 15. redditur disjunctive his verbis: *Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.*

10. *Lucæ* 12. dicitur. *Si servus* (malus) *cœperit percutere servos & ancillas, & edere & bibere & inebriari.* Matth. 24. idem redditur: *Si malus servus cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis.* Ad malitiam servi non requiritur, ut omnia ista malorum genera conjungat. Sensus ergo est disjunctivus; si cœperit percutere, aut inebriari cum ebriosis &c.

11. *Quod Matth.* 13. dicitur copulative, *Qui super petrosa seminatus est -- est temporalis, facta autem tribulatione & persecutione continuo scandalizatur.* Hic esse sensum disjunctivum, patet ex ipsa natura subjectæ materiæ, & ex *D. Marco cap.* 4. ubi redditur disjunctive his verbis: *Orta tribulatione vel persecutione continuo scandalizantur.*

12. *Marci* 4. *Ærumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & reliqua concupiscentiæ suffocant verbum:* id est, vel ærumnæ, vel deceptio divitiarum, vel concupiscentiæ suffocant.

13. *Marci* 9. *Spiritus* (malus) *frequenter eum in ignem & aquam misit, ut eum perderet:* utique non simul in ignem & aquam missus fuerit: sensus ergo est disjunctivus: *in ignem vel aquam.*

14. *Marci* 10. *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter me, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos & fratres & sorores & matres & filios & agros cum persecutionibus &c. in sæculo futuro vitam æternam.* Hic est sensus disjunctivus dupliciter; est enim sensus, talem recepturum aut centuplam id est multiplicem remunerationem in hoc tempore, recipiendo aut domos, aut fratres, aut sorores, aut vitam æternam; quod si non placet duplex ista disjunctio, saltem una circa *domos vel fratres* &c. vitari non potest.

15. *Luc.*

15. *Luc.* 6. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separaverint vos & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum.* Sensus est necessario disjunctivus, alioquin de illa beatitudine gaudere & exultare non possent, quibus tantum unum & alterum obtingeret.

16. *Lucæ* 14. *Qui non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres & sorores &c.* non potest meus esse discipulus. Sensus est simul disjunctivus & conditionalis, *patrem vel matrem*, si Evangelio repugnaverit.

17. *Lucæ* 21. *Trademini à parentibus, & fratribus & cognatis & amicis*; id est, *vel fratribus, vel cognatis.*

18. *Lucæ* 21. *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ*; id est, *vel curis hujus vitæ.*

19. *Actorum* 5. S. Petrus ad Ananiam fraudantem de pretio agri venditi dicit: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate.* Sensus est, nonne liberum tibi erat retinere totum agrum, aut totum ejus pretium?

20. *Actorum* 7. Quod versu 27. ponitur copulative. *Quis te constituit principem & judicem super nos?* statim postea versu 35. redditur disjunctive. *Quis te constituit principem aut judicem?*

21. *Quod Actorum* 10. ponitur copulative: *Nunquam comedi omne commune & immundum*; hoc statim cap. 11. versu 8. redditur disjunctive: *Commune aut immundum nunquam introivit in os meum.*

22. *Actorum* 17. D. Paulus dicit: *Non debemus existimare, auro & argento aut lapidi divinum esse simile.* Cum eadem sit ratio argenti & lapidis in ordine ad similitudinem Dei exprimendam, clarum est, etiam in argento esse sensum disjunctivum.

23. *Idem dicendum*, ubi Actorum 20. dicitur: *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi.* Sensus enim est, *aut aurum.*

24. *Ad Rom.* 14. *Regnum Dei non est esca & potus*, id est vel potus.

25. *Ad Ephes.* 5. *Fornicatio & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis.* Cum avaritia ponatur disjunctive, etiam præcedentia intelligenda erunt disjunctive.

26. *Ad Coloss.* 1. v. 16. dicitur: *In ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia.* Sed v. 20. ponitur disjunctive. *Omnia pacificans sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt.*

27. *Ibidem cap.* 2. *Ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam*; id est: vel per aliam fallaciam.

28. *Ad Titum* 1. *Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum*: id est, vel mandatis.

29. *Ad Hebræos* cap. 9. & cap. 10. promiscue sumitur &, & *vel*: v. 12. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum sed per proprium sanguinem introivit in Sancta.* Dein v. 13. dicitur: *Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi.* Et v. 19. *Accipiens sanguinem vitulorum & hircorum populum aspersit.* Et cap. 10. v. 4. *Impossibile est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

30. 1. *Joan.* 2. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*; id est vel concupiscentia carnis, vel oculorum, vel superbia vitæ.

31. *Apocalypsis* cap. 1. *Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ hujus.* Clarum est, ad beatitudinem hauc non requiri determinate lectionem hujus libri, sed sufficere auditionem cum observantia, ita ut sensus sit, *qui legit vel audit, & servat &c.*

32. *Apocal.* 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium.* Ad exclusionem à cœlo sufficit abominatio sola aut mendacium id est, injustitia gravis.

33. *Apoc.* 22. *Foris canes, & omnis, qui amat, & facit mendacium*; quo loco iterum ad damnationem sufficit amare illud, de quo Scriptura suo more loquitur, mendacium.

Ex his ergo & pluribus similibus textibus patet, in Scriptura particulam & frequenter habere sensum disjunctivum. Itaque ex proprietate ac significatione illius convincenter probari non potest, in textu controverso à Christo intendi sensum copulativum.

RESPONDEO 2. Non solum sensum copulativum ex proprietate particulæ & convincenter probari non posse, sed etiam positivas hoc loco haberi præsumptiones pro sensu disjunctivo, quæ præsumptiones saltem sufficient ad hoc, ut sensus verborum Christi etiam in sensu disjunctivo appareat congruus & contextui, & subjectæ materiæ, & intentioni loquentis. Præsumptiones pro sensu disjunctivo sunt sequentes.

1. *Quandocunque ex ratione aut revelatione constat, effectum aut prædicatum terminis copulatis convenire etiam seorsim seu disjunctim sumptis*, potest esse æque sensus disjunctivus, ac distributivus. Sic in adductis exemplis perinde est, sive loquens tendat modo distributivo sive disjunctivo: Non intrabit aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium; potuit enim vice versa dici. Non intrabit aliquid coinquinatum, & abominationem faciens aut mendacium. Sicut & Apostolus potuit dicere: Non possidebunt regnum cœlorum fures, & adulteri, & homicidæ, aut blasphemi &c. Jam vero in textu controverso ex ratione & revelatione constat, effectum à Christo Eucharistiæ promissum convenire terminis copulatis, manducationi videlicet, & potationi, seorsim sumptis, ergo potest esse sensus disjunctivus. Minor probatur. Effectus enim à Christo promissus est *habere vitam in semetipso.* Atqui hic effectus ab ipsomet Christo adscribitur manducationi & potationi seorsim sumptis, dicit enim v. 51. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Et v. 57. *Ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Et v. 58. *Hic est panis de cœlo descendens; -- qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et v. 50. *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Ex hoc patet, eundem effectum, qui uno loco alligatur terminis copulatis, in quatuor locis tribui uni termino seorsim sumpto.

2. *Quandocunque Scriptura variat, tribuendo in uno loco terminis disjunctis, quod in alio loco tribuit terminis*

minis copulatis, præſumendum eſt, particulam copulativam & ſumi in ſenſu disjunctivo, prout patet ex adductis exemplis n 6. n. 9. 11. 20 21. 26. Atqui hoc ipſum reipſa fit in textu controverſo, prout proxime oſtenſum eſt: ergo. *Idem dicendum, dum in uno loco inſiſtit terminis copulatis, in altero vero loco tantum inſiſtit uni terminorum copulatorum:* v. g. dum Matth. 7. dicitur: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Et Luc. 6. ſolum exprimitur unus terminus: *Orate pro calumniantibus vos:* aut dum Matth. 5. dicitur: *Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos.* Et Luc. 6. dicitur: *Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum.* Hæ & hujusmodi variationes oſtendunt, terminos ſumendos eſſe disjunctive, ſic ut orandum ſit pro omnibus adverſantibus, ſive ſint perſequentes, ſive ſint calumniantes; & beatos fore eos, qui patiuntur pro Chriſto, ſive per maledicta, ſive per perſecutiones, ſive per calumnias, ſive per odia, ſive per exilia, ſive per condemnationes. Cum ergo eadem variatio reperiatur circa textum controverſum, idem ſenſus disjunctivus præſumendus eſt.

3. *Quando ea eſt natura terminorum copulatorum, ut quod utriſque ſimul ſumptis adſcribitur, per ſe congruat ſingulis, præſumendus eſt ſenſus disjunctivus.* Sic ſi ædificantibus in ſolo ſabuloſo dicerem; niſi ædificaveritis in petra, & in ſolo compacto, non ſubſiſtet ædificium veſtrum; aut ſi laborantibus ſcorbuto dicerem: niſi comederitis dulcia, & pinguia, & ſpirituoſa, & carnes recentes, & panes ſalubres, & alia præſcribi ſolita à medicis non ſervabitis vitam, non eſt ſenſus collectivus, ita ut neceſſe ſit ſimul ædificare in petra & gleba compacta; aut omnia ſimul adhibere ſalubritatis media. Atqui in textu controverſo vita, quæ manducantibus carnem & bibentibus ſanguinem promittitur, æque congruit manducantibus Chriſtum in pane conſecrato, ac congruit illum bibentibus in vino conſecrato; quia major non eſt vis corporis Chriſti, quam ſanguinis; aut utriuſque ſimul ſumpti, quam unius; cum tota vis ſive phyſica ſive moralis cauſandi vitam unice dependeat à toto Chriſto, non à ſolo corpore, cujus ſolum partes ſunt caro & ſanguis.

4. *Quando de intentione loquentis aliunde conſtat, quod nec præceptum nec effectum voluerit alligare terminis copulatis ſimul ſumptis*, ſenſus eſt disjunctivus; atqui in præſenti textu id conſtat aliunde de intentione Chriſti loquentis: nam 1. Ipſemet Chriſtus in ipſo contextu totum effectum alligavit quatuor vicibus ſoli manducationi, prout ſupra oſtenſum eſt. 2. Ex una parte merito dubitari poteſt, an non ipſe Chriſtus & Apoſtoli etiam extra caſum neceſſitatis adminiſtraverint Euchariſtiam ſub una ſpecie; ubi id exegerat præciſe utilitas aut opportunitas fidelium; ex altera parte certum eſt; Eccleſiam primitivam jam ſecundo & tertio ſæculo agnoviſſe licitum uſum Euchariſtiæ ſub una ſpecie præciſe ob utilitatem & opportunitatem fidelium; ergo, cum praxis ac ſenſus ſecundi & tertii ſæculi uniformis præſumendus ſit conformis traditioni Apoſtolorum, adeoque etiam intentioni Chriſti io re, quæ ob continuum uſum non facile admittit novitatem, præſumendum, hanc doctrinam ac praxin fluxiſſe ex intentione Chriſti perſpecta Apoſtolis. Quod dubitari poſſit, an non ipſemet Chriſtus & Apoſtoli eam in variis circumſtantiis pro opportunitate fidelium præbuerint unam ſpeciem, probatur 1. quia Lucæ 24. dicitur: *Factum eſt, dum recumberet cum eis* (Chriſtus cum diſcipulis euntibus in Emaus) *accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum: & ſurgentes regreſſi ſunt in Jeruſalem, & invenerunt congregatos undecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes: Quod ſurrexit Dominus vere & apparuit Simoni; & ipſi narrabant, quæ geſta ſunt in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Si hic textus comparetur cum iis, quæ Chriſtus fecit in inſtitutione Euchariſtiæ, apparebit, actiones Chriſti eſſe ſimillimas. Utrinque cœnabatur ad veſperam. Si enim dicitur Matth. 26. *Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis*, Et Lucæ 24, *Duo diſcipuli ad Chriſtum in ſpecie peregrini dicunt: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies*, Similiter utrinque reperitur panis *acceptio*, *benedictio*, *fractio*, *porrectio*. Sic enim dicitur Matth. 26. Cœnantibus eis accepit Jeſus panem, & *benedixit*, ac *fregit*, *deditque* diſcipulis ſuis. Hic vero dicitur: *Dum recumberet cum eis, accepit* panem, & *benedixit*, ac *fregit*, & *porrigebat* illis. Si igitur ſimilia objecta v. g. animalia, herbas, lapides, ſi habeant collectionem ſenſibilium proprietatum conſimilem, judicamus eſſe ejuſdem naturæ, cur non habeamus ſaltem prudens dubium, an in præſenti caſu actiones conſimiles fuerint conſimilis propoſiti ac inſtituti? Dubium *confirmat paritas operationis & effectus*; eo quod Chriſtus ipſi huic circumſtantiæ fractionis voluerit conjungere manifeſtationem ſui. *Agnoverunt eum in fractione panis*, quæ circumſtantiæ obſervatio vel annotatio videretur otioſa non apparente alia cauſa obvia & congrua, niſi ſupponatur, Euchariſticam fuiſſe illam fractionem.

2. *Actorum 2. de primis fidelibus dicitur: Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & obſecrationibus.* Cum hoc loco fractio panis conjungatur cum actionibus ſacris & conventu Eccleſiaſtico, præſumptio eſt, etiam agi de fractione panis ſacra, utique Euchariſtica. Quod ipſum forte extendendum ad verſum ſequentem ubi dicitur: *(erant) quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos* (κατ' οἶκον, id eſt, domi) *panem ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum.* Cum ergo hoc loco mentio fiat de ſola fractione panis, dubitari poteſt, an laicis illis quotidie ſimul cum pane conſecrato adminiſtratus fuerit uſus calicis, quod fuiſſet plane pro more & conditione illorum temporum communitati pauperum oneroſum, ſi vinum conſecratum ſimul cum pane conſecrato debuiſſet diſtribui fidelibus ut aſportaretur domum.

3. *Divus Paulus* 1. *Cor.* 11. non fruſtra juxta textum originalem græcum videtur uti termino disjun-

disjunctivo dicens : *Itaque qui manducat hunc panem, aut bibit hunc calicem Domini indigne, reus eſt corporis & ſanguinis Domini.* Igitur dubitari poteſt, an non inſinuare voluerit praxim & licentiam, pro diverſa opportunitate fidelium ſumendi alterutram ſpeciem. (ὃς ἐσθίῃ ἢ πίνῃ)

4. Conſtat, ſecundo & tertio ſæculo ſolum panem conſecratum delatum eſſe domum a fidelibus, ut manducaretur privatim quotidie, prout patebit ex Tertulliano & Cypriano Objectione 3. referendis ; ſimiliter ſolus panis conſecratus deferebatur in carceres, licet in ea quotidiana communione nulla fuerit neceſſitas, ſed tantum major utilitas & commoditas. Similiter infantibus geſtatis inter brachia infundebatur ſola ſpecies vini, quamvis nec in his appareat præcepti divini neceſſitas. Itaque cum primitivæ Eccleſiæ praxis ſit authentica interpres de voluntate & intentione Chriſti, merito præſumendum, Chriſtum noluiſſe laicos obligare ad uſum utriuſque ſpeciei, aut fructum Sacramenti ſuſceptioni utriuſque ſpeciei alligare.

Respondeo 3. Non eſſe certum, an Chriſtus verba illa : *Niſi manducaveritis &c. & biberitis*, non direxerit ad totam Eccleſiam in ſenſu diſtributivo diſtributione accommoda & reſpectiva diverſorum ſtatuum, perſonarum, locorum, & temporum. Sæpe enim ſit in Scripturis; ut objecta diſparata præcipiantur toti alicui communitati vel toti Eccleſiæ, obligatione tamen diſtributiva & reſpectiva diverſorum hominum ſtatuum & temporum. Itaque non repugnat, hunc eſſe verborum Chriſti ſenſum : Niſi in nova Eccleſia manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem diſtributione, loco, tempore, & modo juxta exigentiam circumſtantiarum, & determinationem Eccleſiæ debitis, non babebitis vitam in vobis. Hunc modum implicite eſſe imbibitum, & ſubintelligendum in plurimis præceptis divinis, patet ab inductione ejuſmodi Legum divinarum plurimarum, præſertim talium, quarum obſervantia pertinet ad actus externos implexos variis circumſtantiis congruitatem ſuam contemperantibus & variantibus pro diverſitate locorum & temporum. Cum enim Legislatores aut non poſſint prævidere, aut non poſſint convenienter exprimere omnes circumſtantias, ad quas devolvitur obligatio legum, neceſſe eſt, ut hunc modum tacite ſupponant & apponant ſuis legibus : *loco, tempore, modo, & in circumſtantiis debitis juxta determinationem Præſidentium.* Ac re vera Deum tam in Veteri Teſtamento, quam in Novo poſuiſſe varias ſub hoc tacito modo tendendi leges, probatur ex Inductione. Sic dicitur

1. *Gen.* 17. *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Hic omnibus datur præceptum, *Circumcidetis*, ſed reſpective ad perſonas pro hoc munere idoneas, & determinandas à familiarum Præfectis.

2. *Exodi* 10. Pharao conformiter ad præceptum divinum Moyſen & Aaron alloquens, ac ſermonem ad univerſos Iſraelitas dirigens, dicit : *Ite, ſacrificate Domino; oves tantum veſtræ & armenta remaneant; parvuli veſtri eant vobiſcum.* Clarum eſt, omnibus quidem præcipi, ut ſacrificent ; non in perſona propria, ſed per conſtitutos.

3. *Exod.* 12. *Loquimini ad univerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis : Tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas .... immolabitque eum univerſa multititudo filiorum Iſrael; & ſument de ſanguine ejus, ac ponent ſuper utrumque poſtem. .... Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis.* Hæc, quæ dicuntur omnibus, obligabant tamen perſonaliter ordine executionis conſtitutos ſolum à lege vel Præſidentibus.

4. *Exodi* 12. *Cum introieritis terram, obſervabitis cæremonias iſtas.* Omnium cæremoniarum obſervatio injungitur omnibus, cum tamen aliquæ earum v. gr. *immolatio* reſpicerent præſidentes, aliæ v. gr. *eſus Agni* contingerent etiam laicos.

5. *Exodi* 20. Dixit Dominus ad Moyſen : *Hæc dices filiis Iſrael: Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra. .... Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Hæc quæ dicuntur ad omnes, tantum exequenda erant perſonaliter à Sacerdotibus.

6. *Exodi* 27. *Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum :* utique per determinandos,

7. *Exodi* 19. *Vade ad populum; & ſanctifica illos, laventque veſtimenta ſua.* Similes textus, ubi, quod præcipitur omnibus, exequendum erat à particularibus membris communitatis, obvii ſunt legenti Scripturam Veteris Teſtamenti, adducam nonnullos etiam ex Novo Teſtamento.

8. *Matthæi* 7. Inducuntur multi dicentes : *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus ;* ubi tamen hoc intelligendum reſpective ad diverſos, eo quod regulariter dona ejuſmodi non dentur uni perſonæ, juxta illud Divi Pauli 1. Corinth. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt. Alii* (datur) *gratia ſanitatum .... alii prophetia &c.*

9. *Matth.* 10. Chriſtus omnibus Apoſtolis dicit : *Tradent vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos, & ad Præſides & Reges ducemini :* quamvis hæc omnia veroſimiliter non contigerint omnibus Apoſtolis. Idem dicendum, dum *Actor.* 1. dicitur : *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem & in omni Judæa & Samaria & uſque ad ultimum terræ.*

10. *Matth.* 24. *Sicut erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes uſque ad diem, quo intravit Noe in arcam ;* ubi iterum, quod dicitur de omnibus, in ſtatus diverſos hominum.

11. *Marcii* 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur : In nomine meo dæmonia ejicient; linguas loquentur novis; ſerpentes tollent ; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſupra ægros manus imponent, & bene habebunt.* Hæc, licet fidelibus omnibus promittantur, adminiſtrantur tamen ſolum ab iis, qui hæc dona & quidem diviſim, accipiunt.

12. *Lucæ* 20. *Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis & amant ſalutationes in foro, & primas Cathedras in Synagogis, & primos diſcubitus in conviviis, qui devorant domos viduarum :* ubi iterum aggregatum vitiorum, quod tribuitur toti ſtatui,

verosimiliter intelligendum est per distributionem in singulos.

13. *Actorum 2. Prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ.*

14. *Act. 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis*, & tamen non omnes persecuti, nec omnes consenserunt in necem Prophetarum & Christi.

15. *Ad Roman 1. Tradidit illos Deus in reprobum --- sensum repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, homicidio, parentibus non obedientes, absque fœdere &c.* quæ omnia utique distribuenda sunt in personas & status diversos. Alios textus similes quivis reperiet in Novo Testamento.

16. *Deuteron. 5. Vocavit Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum: Audi Israel cæremonias atque judicia, quæ ego loquor. ---* Et cap. 6. *Hæc sunt præcepta atque cæremoniæ, atque judicia. --- Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc; eritque nostri misericors, si custodierimus & fecerimus omnia præcepta ejus.* Servanda hic omnia præcepta inculcantur omni populo, quamvis aliqua pertinuerint ad solos Sacerdotes aut Levitas.

Itaque, etiamsi Christus conjunctim præciperet manducationem & potationem suæ Ecclesiæ, non esset certum, id præceptum pertinere ad singulos, sed ad membra illa Ecclesiæ, quibus congruit id præstare nomine totius Ecclesiæ in Sacrificio Missæ ad repræsentandam distinctius passionem Dominicam.

Objicitur 2. Christus in institutione Eucharistiæ præcipit omnibus etiam sumptionem calicis: nam Matth. 26. dicitur; *Accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.*

Respondeo 1. Non esse certum, quod Christus hoc loco sermonem ac intentionem dirigat ad absentes; sed potius dari positivas præsumptiones, quod tantum respexerit eo mandato præsentes: 1. quia in Luca non obscure explicatur, quænam fuerit ea universalitas, quam Christus sub *omnium* idea comprehendit. Postquam enim Christus, teste Matthæo dixerat: *Bibite ex eo omnes:* Lucas addit: *& biberunt ex illo omnes*, utique præsentes. Itaque cum præsumendum, terminum à duobus authoribus relatum juxta easdem circumstantias sumi in eadem notione atque extensione, τὸ *omnes* etiam in Matthæo tantum ad præsentes referendum est. Id *confirmatur ex eo*; quia verba Matthæi probabilius lecta fuerant à Luca, ut proin connaturale sit, in Luca referri *impletum*, quod à Domino in Matthæo legitur *constitutum*, quo posito necesse est, terminos *mandati* & *impleti* habere eandem extensionem. 2. *In mandatis ea* habenda est regula; ut si mandatum versetur circa actionem exequendam in continenti; regulariter referatur ad præsentes tantum, saltem quoad circumstantias ad finem mandati generalis indifferentes; ratio est, quia cum actiones poni non possint nisi in circumstantiis determinatis, necesse est, ut mandans mandet etiam circumstantias hic & nunc actioni in continenti exequendæ congruas: itaque à priori constat, modum mandati pro fine legis generaliter non necessarium non præcipi absentibus, sed præsentibus pro exigentia circumstantiarum præsenti aut congruentia. Jam vero in casu controverso præcipiebatur actio ponenda in continenti; & expressio Dominicæ Passionis per usum etiam calicis, quæ in jugi Sacrificio fieri debet, non videtur necessaria esse in sigoo in omni communione privata, quam decet potius esse expeditam, ac facile parabilem, prout videbimus object. 4. & 5. Ergo hic modus mandati pertinet ad præsentes, non ad laicos absentes. 3. *In omnibus Legibus* aut Constitutionibus, in quibus præscribitur forma contractibus vel actionibus, ea censeotur pertinere ad valorem actus, quibus tanquam mediis ad finem generalem legis moraliter necessariis Legislator censetur alligasse intentionem suam & valorem actus: econtra quæ ad obtinendum finem generalem legis non sunt ita necessaria, in dubio non præsumuntur à Legislatore ad formam essentialem & valorem actus, sed tantum ad formam accidentalem & ad decentiam variabilem pro diversitate locorum & temporum; ergo pari modo discurrendum est in dubio, quas circumstantias & quam formam Christus requisierit ad constantem licentiam administrationis Eucharisticæ; quas vero requisierit tantum ad præsentem vel temporaneam disciplinam, variandam libere pro diversitate locorum & temporum; eadem enim eatenus est ratio ad accidentalia valori, & ad accidentalia constanti liceotiæ vel obligationi. Cum itaque ad finem communionis privatæ nec ex natura actionis, nec ex aliquo decreto divino aliunde certo requiratur, ut sit realis, analoga, solennis, ac Ecclesiæ symbolica repræsentatio passionis Dominicæ, & sacrificii in cruce oblati, prout tamen requiritur ad naturam Sacrificii novæ legis; sed sufficiat, ut serviat ad vitam communicantis, quem effectum Christus connaturaliter nullo motivo retrahente, imo multiplici motivo suadente alligare potuit cuilibet speciei, non est præsumendum, intentionem Christi communionem præcipientis obligationem alligasse ad illam circumstantiam speciei simultaneæ, sed eam pertinere ad formam accidentalem & ad accidentalia mandato. 4. *Quia in rebus majoris momenti*, in quibus ipsa perpetuitas Doctrinæ aut constituti non est per se ex natura objecti evideos, Christus addidit, se loqui etiam ad absentes; sic enim Marci 13. dicit: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Sic & in pluribus aliis locis expresse sua verba refert ad eos, qui credituri sunt per Apostolos. Ergo, cum ex natura objecti nulla appareat necessitas, cur simultas ambarum specierum debeat in Laicis esse perpetua, & Christus non monuerit, se id observatum velle ab omnibus fidelibus, dubitare licet, an sua verba dirigere voluerit ad absentes. 5. Christus ad eosdem retulit illa verba consequentia: *Bibite ex hoc omnes*, ad quos retulit verba immediate antecedentia: *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui hæc verba non retulit ad absentes Laicos; ergo nec priora. *Minor prob.* Per ista verba tradere videtur Christus potestatem consecrandi Eucharistiam, quæ potestas tunc non est collata laicis absentibus, sed Apostolis præsentibus, per quos collatione potestatis ordinariæ descendit solum ad Sacerdotes N. Testam.

Re-

Respondeo 2. Etiamsi illa verba Christi fuissent etiam directa ad omnes laicos ac fideles, non tamen foret certum, fuisse ad omnes directa per modum præcepti perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandi; *ratio est.* 1. Quia Christus suo mandato indivisim ac indiscriminatim involvit totam formam à se in Institutione observatam, sed ad totam formam noluit obligare lege stabili; quia, licet dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*, & dubitari potuerit, an non etiam circumstantia cœnæ, & temporis nocturni pertineat ad signum expressioris commemorationis, imo etiam aliquandiu fuerit observata, non tamen diu ea observantia perstitit, sed propter abusus & varia incommoda, de quibus D. Paulus 1. Cor. 11. penitus observari desiit. Si ergo hæc circumstantia, quamvis aliquando comprehenderetur mandato, desit, aut fuit tantum accidentalis, sic, ut nunquam re ipsa comprehenderetur mandato præceptivo, cur non possit idem dici de simultate specierum, ut aut non comprehendatur mandato præceptivo, sed dispositivo tantum & directivo; aut si comprehendatur mandato præceptivo, sed dispositivo tantum & directivo; aut si comprehendatur mandato præceptivo, hoc non necessario sit perpetuum? 2. *Quando dubitatur de perpetuitate* alicujus præcepti, hæc adhiberi potest Regula: Quando præcepta divina vel Apostolica versantur circa objectum, cujus tota bonitas non requiritur absolute ac constanter ad obtinendos generales fines à Deo præstabilitos, sed ad tantum requiritur ad majorem decentiam, vel ad majorem utilitatem Ecclesiæ, crescentem vel decrescentem pro congruentia temporum; ipsa etiam substantia legis subjacet dispensationi aut variationi pro diversitate locorum & temporum; ergo multo magis id locum habebit circa modum legis, quo sublato aut variato adhuc assignabile est aliquid in lege dignius per modum substantiæ, quod maneat constans ac invariatum, prout fit in præsenti, ubi, licet tollatur specierum simultas, manet tamen simultas omnium partium constitutivarum Christi in qualibet specie. *Antecedens probatur* ab inductione. Sic enim

1. *Dedit Christus Apostolis* varia temporanea præcepta. Matth. 10. *Misit Jesus duodecim præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Hoc non obstante postmodum tum per visionem Petro ostensam tum per alia miracula Apostoli sine scripto aliquo contrario mandato abrogante per inspirationem uniformem Spiritus Sancti intellexerunt, esse prædicandum in gentibus.

2. *Ibidem dicitur: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Ministri Protestantium non asserent, hoc præceptum vel esse universale, aut saltem in Prædicantibus perpetuum; imo ne quidem erat perpetuum quoad Apostolos, dicit enim Christus Lucæ 22. *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? --- Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Et divus Paulus 2. Timoth. 4. ostendit, se habuisse peram pro libris, & Penulam; & 1. Corinth. 9. ostendit, se non vixisse ex eleemosinis.

3. *Lucæ* 10. *dicitur* ad 72. Discipulos: *Neminem per viam salutaveritis; in quamcumque domum intraveritis --- in eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua; & in quamcumque civitatem intraveritis & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.* Quamvis hæc ordinatio foret aliquo modo præceptiva, & non pure permissiva, non tamen fuit perpetua; cum Divus Paulus 1. Corinth. 9. testetur, se sine sumptu (fidelium) posuisse Evangelium: neque verosimile est, Apostolos in itinere nunquam invisisse ad salutandum amicos; cum Actor. 21. dicatur; Descendimus Ptolemaidam, & salutatis fratribus mansimus die una apud illos; alia die profecti venimus Cæsaream.

4. 1. *Tim.* 3. *dicitur: Oportet Episcopum esse unius uxoris virum, non neophytum --- Diaconi sint unius uxoris viri.* Et tamen hæc non sunt ita necessaria, ut inveniant frequentes dispensationes; imo apud Protestantes ne quidem indigeant ullius dispensatione.

5. 1. *Tim.* 5. dicitur: *Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens; si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* Si hæc lex in rigore deberet aut debuisset semper observari, difficile fuisset aut foret ejusmodi subjecta invenire.

6. *Ibidem dicitur: Volo juniores* (viduas) *nubere.* Si hæc verba aliquando habuerunt vim præcepti, forte ob nimiam incontinentiam Corinthiorum & similium gentium, certe non fuit perpetua.

7. *Ibidem cap.* 5. dicitur: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* In variis criminibus v. g. solicitationis in Confessionali, læsæ Majestatis, proditionis, hæresis &c. etiam solet admitti unus testis omni exceptione major saltem ad accusationem recipiendam.

8. *Idem videre licet ex* illo solemni mandato consimillimo, in ipsa ultima Cœna edito Joan. 13. postquam enim Christus laverat suorum Discipulorum pedes, addit: *Scitis, quid fecerim vobis. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis; ita & vos faciatis.* Hoc, inquam, mandatum est mandato Eucharistico quoad modum tendendi simillimum; imo & fortius. In Eucharistia dicitur: *Hoc* (quod ego feci) *facite in meam commemorationem --- bibite ex eo omnes.* Et hic dicit: *Et vos debitis alter alterius lavare pedes - - ut quemadmodum ego feci vobis ita & vos faciatis.* Utrumque profertur modo præceptivo, & tamen in altero est sensus tantum directivus, aut forte ad tempus dispositivus: ergo si non aliunde evincitur rigorosum constans ac perpetuo constitutivum præceptum quoad usum utriusque speciei, prout re vera non evincitur, verba institutionis ad rigorosum utriuſ-

utriusque speciei usum convincenter trahi non possunt.

9. *In Actis Apostolorum* cap. 15. dicitur: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra* (jam alias jure naturæ prohibita) *vobis imponere oneris, quam hæc necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & suffocato, & fornicatione*; quæ à Gentilibus non docebatur tanquam jure naturæ prohibita. Atqui hæc lex abstinendi à suffocato, quæ tunc temporis ob communionem cum Judæis ad fidem quidem conversis, & ab ejusmodi cibo abhorrentibus, aut ob honestatem coram gentilibus expediebat, licet in variis locis duraverit adhuc sæculo 10. prout patet ex antiquis Pœnitentialibus, desiit tamen ipsis Protestantibus legi non reclamantibus.

10. *Christus Matth.* 10. *dicit: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et Lucæ 14. *Qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest esse meus Discipulus -- Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Et Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Marci 10. absolute dicitur: *Unum tibi deest, vade, quæcunque habes, vende, & da pauperibus, & veni, ac sequere me.* Hæc partim fuerunt præcepta tantum personalia respectu illius Juvenis, partim fuerunt particularia ac restricta ad Apostolos, cum utique fuerint alii multi divites Discipuli Christi, & nec hoc ipsum præceptum Apostolicum transiit perpetuo ad Successores Apostolorum. Ex istis omnibus patet, ad discernendum mandatum *rigorosum, generale* ac *perpetuum* à præcepto *particulari*, aut *temporaneo*, ac *dispositivo, directivo*, vel solum *permissivo* non esse inspiciendum solum modum tentandi, sed potissimum intentionem loquentis, & subjectam materiam, cujus bonitas, si non requiratur constanter ad fines à Legislatore præstabilitos, præsumenda est potius substare legi *directivæ*, aut ad tempus *dispositivæ*, quam perpetuitate inviolabili atque invariabili *constitutivæ*.

Objicitur 3. Apostolus 1. Cor. 11. præceptum bibendi Calicem refert etiam ad laicos; dicit enim: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem; similiter & Calicem, postquam cœnavit dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.*

Respondeo, negando antecedens, quod nempe Apostolus præceptum sumendi Calicem simul cum pane Eucharistico transtulerit ad Laicos. Adeo enim hoc ex præfatis verbis evinci non potest, ut etiam non obscure colligatur è diametro oppositum. Intentio Apostoli non potest ostendi fuisse alia, quam ista. Voluit nempe monstrare rei indignitatem, dum mensæ Eucharisticæ à nonnullis conjungebatur cœna privata non sine ebrietatibus & scandalis ex læsione charitatis. Indignitatem autem rei ostendit ex eo, quod in mensa Eucharistica vere sumatur Corpus & Sanguis Christi: hoc demonstraturus recenset ipsa verba Christi cum toto contextu ex Evangelio Lucæ, ejus individui comitis in peregrinationibus Apostolicis. Denique concludit, sive sumant solum panem Eucharisticum, sive bibant Calicem solum, semper indigna tractatione violari reverentiam Christi corpori aut sanguini debitam. In hac expositione plane manifestum est, Apostolum apud Laicos, ad quos dirigit applicationem in conclusione discursus per particulam *Itaque*, tendere *disjunctive, quicunque manducaverit, vel biberit*, qui modus tendendi disjunctivus longe frequentius, ac connaturalius conjungitur cum suppositione optionis circa alterutrum duorum, quam cum suppositione obligationis ad utrumque duorum, ut cuilibet manifestum est, & facile ostendi posset inductione. Neque obstat, quod Apostolus, referendo Laicis verba institutionis, in illis conjungat utramque speciem; ut enim in Responsione ad objectionem 2. num. 5. ostensum est, Christus in ultima cœna instituit primario Sacrificium novæ Legis, quod debuit esse modo quodam reali ac sensibili repræsentativum Sacrificii oblati in cruce; itaque in Sacrificio consecrantes Eucharistiam obligantur ad sumendam utramque speciem, quæ obligatio, cum includatur inseparabiliter in contextu applicato laicis ab Apostolo ad probandam præsentiam tam Corporis, quam Sanguinis in utralibet specie, eoipso debuit attingi, non tanquam objectum per se directum ad laicos, sed tanquam pars contextus convenienter non separabilis à toto textu, directo ad laicos. *Jam sic argumentor*: Datur expositio necessaria, ac sufficiens textus Apostolici sine obligatione laicorum ad utramque speciem; ergo ex isto textu non evincitur, Ecclesiam errasse. Antecedens probatur, quia in data expositione nihil ponitur, quod non necessario debeat admitti; nec in textu quidpiam occurrat, cujus juxta præfatam expositionem habeatur sufficiens ratio.

Objicitur 4. Etiamsi usus Calicis non fuisset à Christo Laicis præceptus, sed tantum permissus, eoipso tamen Laici ex Testamento Christi habuissent jus ad usum Calicis. Itaque erravit Ecclesia Romana rumpendo Testamentum Christi, & subtrahendo filiis hæreditatem à Mediatore relictam.

Respondeo, Antecedens esse falsissimum; non enim omnis Superiorum aut Legislatorum permissio tribuit subditis jus positivum ad actionem quæ permittitur. Sic enim pater permittit filiis quotidie innumera; maritus uxori, Dominus famulo, Magister discipulo, amicus amico, vicinus vicino, princeps subdito, nec tamen ea permissione tribuitur jus v. g. invehendi merces exteras aut evehendi patrias; ducendi currum per fundum alienum, altius ædificandi, exeundi domo: &c. Itaque sicut in similibus permissionibus, pater, maritus, Dominus, Magister, amicus, vicinus, Princeps, &c. dat permissio-

missionem ad nutum à se vel suis successoribus revocabilem, utpote implicite reservata potestate revocandi, ita etiam ex eo præcise, quod Christus Laicis ponatur permisisse usum Calicis, non sibi aut suis Successoribus abstulit potestatem, permissionem revocandi, ubi id pro bono regimine Ecclesiæ visum fuerit expediens. Quia ergo non omnis permissio tribuit jus positivum, distinguendum est inter *permissionem facultatis*, & inter *permissionem juris*. Quando objectum est ejus naturæ, ut vel ex consuetudine *fit res mera facultatis*, vel ut expediat eam remanere tanquam *rem meræ facultatis*, tunc præsumitur, fieri solam permissionem facultatis, non permissionem seu concessionem juris. Econtra quando objectum est ejus naturæ, ut non soleat permitti sine concessione, permissione aut suppositione juris, tunc primum præsumendum, factam esse *permissionem juris*. Jam vero in præsenti usus Calicis non est tale objectum, ut eam expediat necessario concedi per modum juris, aut per modum privilegii irrevocabilis; prout patebit ex responsione ad objectionem sequentem; ergo non est præsumendum, eam permissionem, si quæ fuit, fuisse permissionem juris. *Ita sic argumentor*: Si usus Calicis nec ex sua natura petit indulgeri laicis permissione juris, sed nuda permissione facultatis; neque etiam circa illum concurrunt circumstantiæ *permissionem juris* regulariter concomitantes, tunc præsumendum est, eum solum Laicis permissum esse *permissione facultatis*; sed, ergo. *Minor quoad primum membrum patebit* ex Responsione ad sequentem objectionem. *Quoad secundum autem membrum probatur.* Quando subditis aliqua permittuntur permissione aut concessione juris, solent concurrere sequentea circumstantiæ. 1. Verba permissionis seu concessionis diriguntur immediate ad ipsos subditos, non ad eorum Superiores ac Rectores; aut certe ad utrosque simul, illis jus conferendo, his executionem demandando. Atqui in præsenti verba concessionis diriguntur immediate non ad ipsos Laicos, sed tantum ad Apostolos, prout ad objectionem 2. ostensum est. 2. In concessione juris aut privilegii, aut in Testamento fit clara demonstratio hæredis, aut donatarii exprimendo nomen hæredis, & donatarii, aut alio signo non æquivoco illum designando, sed in hoc Testamento Salvatoris adeo non exprimitur nomen fidelium Laicorum, aut alio signo designantur indubio, ut etiam longe probabilius designentur soli Apostoli; qui soli sine ullo alio laicó videntur fuisse præsentes. 3. In concessione juris vel privilegii per modum Testamenti quod conceditur immediate in stirpes, seu in patresfamilias, non conceditur in capita seu liberos, quos illi repræsentant, nisi sub libera dispositione parentum. Atqui in præsenti institutio directe fit in stirpes, nempe in Apostolos; ergo quod transit in liberos, seu fideles cæteros, id transit sub modo liberæ dispositionis Apostolorum in omnibus quæ non non repugnant intentioni Testatoris aliunde notæ. 4. In dispositione testamentaria eximuntur bona aut jura, quorum hæredes sunt capaces; atqui in præsenti exprimitur potestas consecrandi Eucharistiam, cujus laici non sunt capaces. 5. In concessione juris, aut institutione hæredis non adhibetur in articulo essentiali ac principali forma præceptiva, prout tamen fit in præsenti, ubi dicitur; *Hoc facite, manducate, bibite.* Itaque ex his omnibus sequitur, Testamentum Christi constare in derelictione jugis hostiæ, quam tam in Sacrificio perenni, quam in communione administrandam, ac distribuendam reliquit sui Testamenti executoribus, Apostolis videlicet & eorum successoribus, quibus proin eo ipso, quod sint Testamenti executores, relicta est libera disponendi facultas in omnibus, in quibus eorum potestas restricta non est, & in quibus non violatur substantia Testamenti, nempe jugis hostiæ consecrandæ, offerendæ, & sumendæ substantia.

Objicitur 5. Antiqua Ecclesia usque ad sæculum 14. permisit usum calicis Laicis, quamvis extiterint eædem irreverentiæ & difficultates, quæ seculo 14. in usu calicis; ergo prior Ecclesia vel agnovit præceptum ad usum utriusque speciei, saltem extra casum necessitatis; vel agnovit in laicis jus optionis ad alterutram speciem; vel agnovit, ea motiva, quæ sæculo 14. permovebant Ecclesiam Romanam ad abrogandum usum calicis, non esse sufficientia.

Respondeo, ex praxi veteris Ecclesiæ necevinci 1. quod agnoverit præceptum ad sumptionem utriusque speciei extra casum necessitatis. 2. nec quod in Laicis agnoverit jus optionis ad alterutram speciem; nec 3. quod agnoverit motiva abrogandi usum calicis esse insufficientia.

Non primum, quia ipsamet Ecclesia ordinavit aut permisit usum unius speciei nulla ad id cogente necessitate. Id enim factum 1. in communione quotidiana domestica. 2. in communione infirmorum, & viventium in desertis. 3. in communione infantium. 4. in variis aliis occasionibus. Exempla ejusmodi communionum sub una specie sunt sequentia.

1. *Tertullianus* lib. 2. ad Uxorem cap. 5. ubi recenset incommoda, si mulieres Christianæ contrahant matrimonium cum maritis gentilibus, observat etiam hoc, quod mulieres Christianæ adhuc jejunæ sumant domi panem Eucharisticum quotidie, quod si maritus viderit, erit illi suspectum. *Latebisne, inquit, tu, cum corpusculum tuum signas? cum etiam per noctem exurgis oratum? & non magis aliquid videberis operari? Non sciet maritus, quia secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit, panem; non illum credit esse, qui dicitur. Et hæc ignorans quisque rationem simpliciter sustinebit.* (captivabit intellectum) *sine gemitu, sine suspicione panis an veneni?* Idem lib. de Oratione cap. 14 reprehendit eos, qui illis diebus, in quibus ex privata devotione jejunant, publice in Sacrificio Missæ præ humilitate jejunii, quasi existentes in statu pœnitentiæ, abstinent ab osculo pacis: his enim suadet, ut in publico servent morem osculi, domi autem, ubi non possunt facile latere domesticos jejunando, abstineant à communione osculi. Idem suadet circa usum Eucharistiæ in diebus Stationum seu pœnitentiæ communis. Aliqui enim existimabant, in diebus Stationum, seu pœnitentiæ generalis in Quadra-

dragesima, non esse communicandum, & ob hoc ipsum non esse persistendum in Sacrificio Missæ post Offertorium, nec esse manendum cum aliis fidelibus tempore Orationum Missæ post Offertorium usque ad communionem recitari solitarum; ratio illorum erat, quia per sumptionem Eucharistiæ consueverat finiri status pœnitentiæ. His ergo suadet, ut in Sacrificio Missæ permaneant, non tamen publice communicent, sed Eucharistiam domum reportent, sicque privatim communicent. *Alia jam*, inquit, *consuetudo invaluit; jejunantes habita* (post Offertorium in Sacrificio) *oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis - - Quæcunque ratio sit* (ita subtrahendi tempore jejunii privati osculum) *non erit potior observatione præcepti, quo jubemur jejunia nostra celare, jam enim de abstinentia osculi agnoscuntur jejunantes. Sed & si qua ratio est, ne tamen huic præcepto tu obsis, potes Domi, forte inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem: ubicunque autem alibi operationem tuam* (jejunii) *abscondere potes, debes meminisse præcepti* (abscondendo per osculum jejunium). *Ita & disciplinæ foris, & consuetudini domi satisfacies. - - similiter de Stationum diebus non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum, quod Statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? an magis Deo obligat? Nonne & solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto Corpore Domini & reservato utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio Officii.* Totum contextum adduxi, ut appareat, eo modo, quo Tertullianus suadet privatam abstinentiam ab osculo, non publicam, ne violetur observantia publica, suaderi etiam communionem privatam, qua existimat non solvi Stationem publicam. Jam vero, cum appareat, eam Eucharistiæ communionem privatam contigisse in una specie panis, nec ulla fuerit necessitas salutis vel præcepti ad ejusmodi communionem privatam, patet, sola majoris utilitatis causa ex frequenti communione inductam fuisse communionem sub una specie.

2. *Certum est*, antiquitus fidelibus liberum fuisse, secum asportare domum Eucharistiam sub specie panis, nec extat aut prohibitio aut ratio, ob quam prohiberentur eam, quando vellent, sumere: sic 1. Cyprianus lib. de Spectaculis num. 7. redarguit eos, qui recenter à Sacrificio dimissi, asportabant secum Eucharistiam, & immediate recta ex Ecclesia currebant ad Spectacula, in quibus meretrices comparebant. *Qui*, inquit, *festinans ad Spectaculum dimissus* (*è Dominico*, prout in alio Manuscripto habetur) *& adhuc secum gerens, ut assolet, Eucharistiam, inter corpora obscœna meretricum tulit.* Idem Serm. de Lapsis num. 92. de muliere narrat: *Cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est; ne auderet attingere.* Vide num. sequentem.

3. *S. Basilius* Epist. 93. alias 289. ad Cæsariam Patritiam expresse testatur, eum morem communionis privatæ sub una specie in multis vigere Ecclesiis, etiam cessante persecutione, & solum devotionis causa, ut, ubi non communicabatur publice in Ecclesia aliquoties in hebdomada, sicut fiebat in ejus Ecclesia Cæsariensi, haberent fideles commoditatem, saltim privatim communicandi: sic habet: *Singulis etiam diebus communicare, ac participem esse sancti corporis & sanguinis Christi bonum est & perutile, cum ipse perspicue dicat: Qui comedit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis enim dubitat, quin vitæ continenter esse participem nihil aliud sit, quam multiplici ratione vivere. Nos quidem quater singulis hebdomadibus communicamus, Dominica die, quarta die, in Parasceve, & Sabbato, & aliis diebus, si Sancti alicujus memoria recolatur. Quod autem persecutionum temporibus cogitur quis absente Sacerdote aut Diacono communionem sua ipsius manu accipere, id grave non esse supervacuum est ostendere; quia hoc diuturna consuetudo rebus ipsis confirmat. Omnes enim in solitudinibus monachi; ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes suis ipsorum manibus sumunt. Alexandriæ autem & in Ægypto unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi communionem, & quando vult, per se ipsum fit illius particeps. Postquam enim Sacerdos Hostiam* (vel *Sacrificium*) *perfecit, & porrexit, qui illam accipit ut totam simul* (ac dein) quotidie (ex illa privatim) *communicat*, (nihilominus) *merito credere debet, se ab eo, qui dedit, participare & accipere: nam & in Ecclesia sacerdos porrigit partem, quam qui suscipit, cum omni potestate retinet, & sic ori admovet propria manu. Itaque idem valet, sive quis partem unam à sacerdote accipiat, sive multas simul partes.* In hoc textu observa, Basilium principaliter tantum respondere ad difficultatem, an conveniat, Eucharistiam accipi è manu laica? Hoc autem convenire, probat ex eo, quod id factum sit tempore persecutionum, ubi non poterat facile sine periculo quotidie recipi è manu Sacerdotis vel Diaconi; imo idem observari à monachis, & in Ægypto, ubi tamen non deerant Sacerdotes & Diaconi, ad quos facilis erat accessus. Exinde autem duo deduco. 1. quod illa privata communio facta sit in una specie; quia tradita est in manum communicantis hostia illa, quam licebat deferre domum. 2. quod ea communio facta sit non causa necessitatis, sed tantum majoris spiritualis utilitatis: nec enim, etiam tempore persecutionum, multo minus in desertis monachorum, aut Alexandriæ cuiquam necessarium erat quotidie aut singulis octiduis, vel mensibus communicare. Itaque ea necessitas utendi una specie non erat absoluta, sed tantum conditionata seu ex suppositione, ex supposito videlicet, quod Ecclesia ejusmodi fidelibus vellet indulgere quotidianam aut saltem frequentem communionem, cum qua difficillime conjungi potuisset usus utriusque speciei.

4. *Certum est*, primis sæculis Hostiam sacram fuisse porrectam in manus communicantium, eamque solitam fuisse reservari à multis ea intentione, ut illam sumerent privatim: ad illum morem alludit *D. Ambrosius* in exhortatione Theodosii Imperatoris, post cædem Thessalonicensium statim aspirantis ad communionem; nam, ut refert Theodoretus lib. 5. cap. 17. his eum alloquebatur verbis: *Istiusne adhuc stillantes injusta*

stæ cædis cruore manus extendes, & iis Sanctissimi Domini corpus prebendes? Et Cyprianus Serm. de lapsis: *Alius qui & ipse maculatus sacrificio à Sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus est latenter accipere; sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem se ferre apertis manibus invenit.* Et in eodem Sermone sæpius idem testatur. *A Diabolicis*, inquit, *revertentes ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt: mortiferos idolorum cibos adhuc pœnæ ructantes corpus Domini invadunt·· & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt·· Quid de ea boni sentias, quem nec persecutio ipsa reformavit?·· Jacens stantibus minatur, & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut polluto ore Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.* Idem probatur ex Historia, quam narrat Sozomenus lib. 8. cap. 5. de muliere hæretica, quæ loco hostiæ sibi porrectæ alium panem sibi ab ancilla porrectum sumere voluit. *Tempore communionis*, inquit, *quod acceperat continens velut oratura procumbit.* Hæc probant, corpus Domini in manua Domini dari solitum, ut asservari posset, si quis vellet, sanguinem autem in ora fuisse præbitum, ut asservari non posset. Nunc ex *Ambrosio* videamus, corpus Domini ideo asservatum, ut privatim sumeretur. *Oratione de Obitu Fratris sui Satyri* dicit: *Priusquam perfectioribus esset initiatus Sacramentis, in naufragio constitutus cum ea qua vehe etur navis scopulosa illisa vada & urgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his illud divinum fidelium Sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium: etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare·· primus servatus est.* Ex hoc textu patet, navigantes Christianos secum portasse in specie panis Eucharistiam, & propterea id petiit sibi mutuari Satyrus, ut non vacuus tanto mysterio exiret è vita, si in fluctibus cresceret mortis periculum. Cum ergo navigantibus concessa fuerit Eucharistia sub una specie, & nemo censeat, eos periclitari de salute, qui in itinere absque sua negligentia sine communione obeunt, clarum est, communionem sub una specie concessam esse non causa necessitatis, sed causa majoris solatii & fructus ex frequentiore communione.

5. *Nulla erat unquam* necessitas salutis vel præcepti, communicandi infantes; bi tamen nihilominus communicabantur sub una specie. Sic *Cyprianus* Serm. de lapsis testatur, puellæ, quæ adhuc gestabatur forte brachiis, infusam esse Eucharistiam; *ubi*, inquit, *solemnibus adimpletis calicem offerre Diaconus præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare; perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento Calicis infudit:* observat Idem Cyprianus, hanc parvulam præ ætate nondum potuisse loqui, nec carnem comedere; & eandem à nutrice ad magistratum gentilem portatam esse, quæ circumstantiæ satis insinuant, eam nec Eucharistiam sub specie pania accepisse. *Parentes*, inquit, *fugientes sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt; relictam nutrix* detulit ad Magistratum; illi ei apud idolum, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod de immolatione superat, tradiderunt. Quod si & in Ecclesia parvulo fuisset porrectus sacer panis vino consecrato mixtus, non diceretur infundi Eucharistia. Verisimile est, etiam infirmis sæpe porrectam esse Eucharistiam sub una specie, tum quia difficile erat asservari vinum consecratum pro infirmis, tum etiam, quia, dum in historicis est sermo de communione infirmorum, qui adhuc poterant deglutire, nonnunquam fit mentio de solo corpore Domini, quo communicet designatur Sacramentum in specie panis. Sic Paulinus in vita S. Ambrosii testatur, quod Honuratus Vercellensis Episcopus Ambrosio morienti *Corpus Domini obtulerit, quod ubi accepit, emisit spiritum.*

Dices: Quando infirmis vel infantibus porrigebatur Eucharistia sub una specie, erat casus necessitatis, eo quod illis sub bina specie commode administrari non posset. Ergo adhuc verum manet, juxta sensum veteris Ecclesiæ semper administrandam esse Eucharistiam sub duplici specie, nisi in casu necessitatis.

Respondeo, Duplicem hic considerari posse necessitatem; unam *communionis*, & absolutam; alteram *unius speciei* & *conditionatam*. Necessitas *communionis* respectu infantium non dabatur, prout ipsimet Protestantes agnoscunt, qui & ipsi illam antiquam communicandi infantes praxin abrogarunt: neque etiam data foret respectu infirmorum aut morientium, qui utramque speciem sumere non poterant, si extitisset rigorosa lex divina communicandi sub utraque specie, sicut datur lex sacrificandi sub bina specie; nam non datur obligatio celebrandi sub una specie, quando sub utraque celebrari non potest. Hoc ergo supposito, quod in ejusmodi casibus non extiterit lex communicandi, eo ipso pertinuit ad arbitrium & Disciplinam Ecclesiæ, an vellet admittere communionem sub una specie in tali; & dum hoc admisit, non potuit pro motivo habere necessitatem, utpote non antecedentem ad sui determinationem, sed tantum consequentem. Habuit ergo pro motivo tantum majus solatium fidelium, aut fructum. *Argumentum potest inverti* hoc modo: Quandocunque ipsa conditio non est necessaria sed libera determinatione concedentis, tunc etiam conditionatum quod sub conditione ponitur, non dicitur simpliciter necessarium, sed liberum; sic enim si pater non tenetur dare consensum in permaturas nuptias suæ filiæ adhuc in potestate patria constitutæ, quo tamen consensu semel posito necessarium est assignare dotem, nemo dicit, absolute ac simpliciter necessariam esse assignationem paternam dotis pro puella nubili suomet arbitrio volente contrahere præmaturas nuptias, aut ejusmodi puellam simpliciter habere jus ad dotem. Atqui idem fit in præsenti. Hoc enim, quod infantibus, aut aliis v. g. infirmis, mona-

chia in solitudine, itinerantibus, domi ob persecutiones, vel alia causa se detinentibus & commode utramque speciem participare non valentibus, indulgeatur communio, non est absolute necessarium, sed Ecclesiæ liberum, saltem in suppositione Protestantium, quod Christus eo modo sub bina specie sine exceptione instituerit pro laicis Eucharistiam, quo modo instituit sub bina specie sacrificium; ergo etiam non potest dici, esse necessarium, seu quod idem est, esse casum necessitatis, ut in præfatis circumstantiis fiat communio sub una specie. Itaque cum Ecclesia antiqua nulla cogente necessitate indulserit communionem sub una specie in variis circumstantiis, eoipso sufficienter probata est prima Responsionis pars, ex praxi veteris Ecclesiæ non evinci Ecclesiam agnovisse præceptum divinum ad sumendam utramque speciem extra casum necessitatis.

Sed nec ex illa veteri praxi evincitur, Laicos habuisse jus optionis ad utramque, aut alterutram speciem; nullum enim proferri potest documentum aut minimum indicium, quod ullus laicorum in publico aut privato communionis actu petierit & obtinuerit speciem quam voluerit: imo potius colligitur contrarium; dum Sanctus Leo ostendit, ex hoc posse agnosci Manichæos, si à specie vini abstineant, & Gelasius Papa eam Manichæorum abstinentiam propterea damnat, quia sacrilegum est, dividere mysterium; quam sui Decreti causam edere non potuisset, si propria authoritate in publica Synaxi cuilibet licuisset, abstinere à vini specie. Addit etiam tantum *quosdam* ex superstitione à specie vini abstinere, quod de Catholicis dici non potuisset, si fuisset id licitum & practicatum etiam à probis propria authoritate. Itaque de solis Manichæis ibi sermo est, qui in turbis à Sacerdote accipiebant Corpus Domini, sed ad Diaconum, qui porrigebat Calicem; inter turbas non accedebant, ut proin non nisi à valde curiosis aut attentis observatoribus sciri potuerit, utrum quia inter turbas post recessum à Sacerdote etiam accesserit ad Diaconum. Neque favere adversariis præsumendum est illud Gelasii, quod dicat sacrilege dividi mysterium; quia tunc temporis communicabatur tantum sub ipso Missæ sacrificio & communio fidelium erat aliqua pars accidentalis Missæ, ita ut communio fidelium debuerit conformari sacrificio quoad repræsentationem explicitam passionis Dominicæ tum ex lege decentiæ intrinseca, vi cujus pars conformanda est toti, tum ex perpetua consuetudine adeoque tacita lege Ecclesiæ; tractare autem tantum mysterium cum violatione legum utique sacrilegum. Textus S. Leonis & Gelasii sunt sequentes. *S. Leo Serm.* 4. de Quadrag. de Manichæis loquens, ait: *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, à Sanctorum societate sacerdotali authoritate pellantur.* S. Gelasius autem, prout refertur à Gratiano de Consecrat. dist 2. cap. 22. sic habet: *Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Nec denique evincitur ex illa antiqua praxi, Ecclesiam antiquam agnovisse, motiva abrogandi usum Calicis esse insufficientia; potest enim assignari alia causa possibilis, existens, & sufficiens, ex qua Ecclesia potuit moveri ad retinendum usum Calicis, qua cessante cessare convenientius poterat usus Calicis. Causa nempe motiva poterat esse hæc; Primi fideles erant ab ipsis Apostolis instituti ad exhibendam ultimam Salvatoris Cœnam per modum veri convivii, in quo cum aliis cibis etiam administrabatur Eucharistia; ratio sic faciendi forte erat, ut primis fidelibus rudibus memoria Cœnæ Dominicæ modo quodam sensibili imprimeretur profundius cum commendatione communis vitæ, & Christianæ in egenos omnia æquantis charitatis. Abrogata sensim propter abusus illa consuetudine retenta nihilominus fuit expressior significatio & expressio convivii Dominici per hoc, quod populus, semper tenax priorum consuetudinum, permissus fit saltem in sacrificio Missæ tanquam in publico spirituali convivio, retinere signa externa veri convivii, nempe manducationem & potationem. Sed postquam ipsemet populus sine ullo præcedente Decreto Ecclesiæ, vel hortatu privatorum vel inspiratione Numinis, vel ex utriusque concursu, ultro se abdicavit usu calicis, aut saltem tranquille permisit, hinc inde introduci consuetudinem communionis sub una specie, donec ea consuetudo facta fuerit ferme universalis, tunc primum Ecclesia eam consuetudinem tanquam rationabilem suspexit, & jam nullo retrahente motivo contrario ex tenacitate populari ad ritus veteres eam adoptavit, & contra inquietos pauculos Bohemos, jam ex aliis articulis hæreticos, universali rationabili consuetudini hucusque jam per ducentos ad minimum annos tranquille toleratæ, tanquam erroneæ obstrepentes publica lege defendit & sanxit. Itaque motiva ab usu utriusque speciei retrahentia nempe irreverentia Sacramenti, & erroris remota occasio verosimiliter semper erant cadem, sed non manserunt eadem motiva opposita usum duplicis speciei non attentis irreverentiis & errorum periculis introducendi & diu retinendi: motiva introducendi illum usum per modum convivii prout dixi, verosimiliter esse poterant 1. Cœnæ Dominicæ expressior significatio: 2. communis vitæ: ac 3. Christianæ charitatis in egenos commendatio. Motivum cœptam consuetudinem, quamvis cessante complexo horum trium motivorum, saltem aliqualiter retinendi in Sacrificio, quamvis sine forma materialis convivii, esse poterat tum aliqualis saltem decentia servandi expressiorem repræsentationem Cœnæ seu convivii ultimi Dominici, tum ipsa consuetudo, quam non expedit facile mutari ubi timetur murmur populi catholici, non capacia ad penetrandas Superiorum ratio-

rationes; quia, ut bene S. Augustinus alicubi in similibus observat, immutatio consuetudinis sæpe, quantum ratione sanat, tantum novitate derturbat. Itaque cessante etiam hoc motivo, nempe commotione populi fidelis, dum sensim per ducentos & amplius annos usus unius speciei nomine obstrepente, murmurante, vel scandalizante, imo, ut verosimile est, ipsomet populo ob occasionem frequentioris ac expeditioris communionis idipsum collaudante, in populo fideli summa tranquillitate usque ad tempora hæret.corum in Bohemia introducta est, solum motivum significantius etiam in communione privata repræsentandi convivium Dominicum in comparatione ad innumeras irreverentias nec visum est, nec ostendi potest esse tanti ponderis in libra ordinatæ rationis, ut prævalere debuerit solum 1. tam gravibus & innumeris irreverentiis ac inconvenientiis, quæ in usu Calicis committuntur: 2. bonis, quæ per frequentiorem communionem ex usu unius speciei consecutura, promoventur: 3. scandalo consecuturo, si Ecclesia usum Calicis jam per ducentos annos consuetudine populi fidelis abrogatum præcise ob murmur hominum ex aliis articulis hæreticorum priorem praxin ac consuetudinem jam ultra ducentos annos toleratam ac tacite approbatam tanquam erroneam blasphemantium reduxisset. In hac Responsione, cum cætera attento & indifferenti animo existimem plana esse, duo solum mihi probanda videntur: 1. quod usus Calicis jam ultra ducentos annos ante Concilium Basileense assentiente tranquille ipsomet populo in desuetudinem abjerit: 2. quod exinde sequatur frequentior communio conformiter ad praxin primitivæ Ecclesiæ, & ex frequenti communione innumera immensa bona. De illa jam priori desuetudine testantur

1. *Alexander de Ales*, qui scripsit circa annum 1240. Part. 4. quæst. 11. art. 4. §. 3. sic habet: *Dicendum quod quia Christus integre sumitur sub utraque specie, bene licet sumere corpus Christi sub specie panis tantum, sicut fere ubique fit à laicis in Ecclesia. Quod autem dicit Canon ibi: COMPERIMUS &c. intelligitur de conficiente. Ecclesia autem istud Sacramentum dispensare consuevit sub specie panis tantum.*

2. *Petrus de Tarantasio*, qui scripsit circa annum 1260. & rexit totam Ecclesiam sub nomine Innocentii V. in 4. dist. 11. sic habet: *Cum in hoc Sacramento sit ratio causæ seu causalitas pertinens ad gratiam, & quia gratia est omnibus necessaria, ideo omnibus traditur sub una speciei perfectione causativa gratiæ: sub qua sub majori cautela seu reverentia potest tradi. Sed sapientia* (id est ratio signi) *non est sic omnibus necessaria, ideo à solis Presbyteris vel ministris altaris sumitur sub utraque specie, quia majorem cautelam & reverentiam servare sciunt.*

3. *Nicolaus de Lyra*, qui scripsit circa annum 1320. in 1 Cor. cap. 11. de Eucharistia loquens ait: *In primitiva Ecclesia dabatur fidelibus* (sub duplici specie) *sed propter periculum effusionis sanguinis modo datur tantum sub specie panis.*

4. *Thomas de Argentina*, qui scripsit circa annum 1350. in 4. dist. 8. dicit, *Propter unionem corporis & sanguinis Christi sub utraque specie recipiens habet totum corpus Christi & totum sanguinem: ideo communi populo secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ veritas corporis & sanguinis Christi datur sub specie panis tantum.* Ex his & pluribus aliis testimoniis, quæ enumerat Joannes de Ragusio in Sermone de utraque specie coram Concilio Basileensi habito, patet, ante Decretum Ecclesiæ ac Romanorum Pontificum jam præcessisse consuetudinem prædominantem in Ecclesia communicandi sub una specie, ut proin falsum sit, Romanum Pontificem abrogasse usum Calicis, sed potius consuetudinem præcedentem ut rationabilem confirmasse.

Superest ultimum Responsionis membrum: quod nempe ex usu unius speciei facilior reddatur frequens communio, & ex hac innumera consequantur bona: nam si communio non permitteretur sine usu calicis, sequeretur 1. In illis regionibus, in quibus vinum ob nimium calorem brevi acescit, sicut fit in Abyssinia, populo difficillimum fore conservare vinum in copia. 2. In regionibus frigidis, in quibus nullum vinum nascitur, plebi rusticanæ pauperi magno staret pretio. 3. Eadem difficultas foret in America & Asianis multis provinciis, in quibus non reperiuntur plantatæ vineæ. 4. Vinum deberet consecrari in magna quantitate, cum Sacerdos nec numerum communicantium scire posset, præsertim in Ecclesiis Regularium, nec cujuslibet communicantis in sumendo sacro sanguine modum. 5. Cum in Ecclesiis ruralibus non habeantur Diaconi, utramque speciem deberet administrare ipse sacerdos, quod foret incommodum, & obnoxium variis abusibus. 6. Communio redderetur difficilis communicantibus extra suam parochiam v. g. navigantibus, itinerantibus, peregrinantibus &c. Econtra panis azymus facile servatur, facile comparatur, facile ubique terrarum asportatur, ut proin facillima reddatur frequens communio. Quanta autem exinde sequantur bona, non potest esse obscurum attentius consideranti: cum illa connaturaliter connectitur 1. Major gratia ad vitam Christianam in spiritu & veritate condecenter transigendam. 2. Major sensuum & cordis puritas tum præcedens ad condigne tantum hospitem recipiendum, tum consequens ad digne pro tanto beneficio conservandum. 3. Avocatio populi ab aliis conversationibus vanis, lascivis, otiosis, aut periculosis diebus festis. 4. Frequentior discussio conscientiæ, frequentior peccatorum detestatio, & frequentius renovandæ vitæ propositum, quod alioquin langueret, si non urgeret præsens semetipsum probandi ex frequentioris communionis usu necessitas. 5. Exinde autem sequitur pravarum habitudinum animi, passionum, inimicitiarum, lasciviarum, injustitiarum &c. repressio frequens, & ex frequenti repressione tandem pravarum inclinationum mansuefactio, contemperatio, & ad bonam consuetudinem reductio. 6. Sequitur etiam frequentior passionis Dominicæ recordatio, gratitudinis, amoris, imitationis, & variarum aliarum virtutum consociantium exercitatio; quæ omnia bona, tanquam connaturales fructus aut sociæ frequentis devotæ communionis, qualis in plerisque esse solet, suadent

dent fane ac movent ad facilitandam frequentem communionem, ex qua fequuntur, in quantum id nec repuguante decretis aliunde præftabilitia Deo, nec reclamante fideli populo fieri poteft: prout fieri potuiſſe hucuſque oſtenſum eſt.

Ex his autem patet, quam miſere crret *Petrus Franciſcus Le Courager*, qui in libro: *Defenſe de la nouvelle traduction de l'Hiſtoire du Concile de Trente.* § 13 aſſerit; à Concilio Tridentino non debuiſſe dici, antiquitus uſum communionis ſub utraque ſpecie fuiſſe *frequentem*. Debuiſſe enim dici; eum fuiſſe *generalem*, ita ut ante ſæculum XII. nulius caſus communionis ſub una ſpecie aſſignabilis ſit, niſi caſus neceſſitatis.

QUÆSTIO IV.

Utrum in communione anima Chriſti uniatur phyſice unione ſtabili cum anima communicantis?

NOTANDUM 1. Huic quæſtioni anſam dediſſe Eminentiſſimum Cardinalem CIENFUEGOS Societatis Jeſu, qui anno 1728. Romæ edidit librum hoc titulo: *Vita abſcondita, ſub ſpeciebus Euchariſticis velata, à Chriſto indeſinenter exercita.* In hoc vaſtiſſimo Opere, ab Em. Cardinali BELLUGA & aliis Romanis Theologis approbato, Em. Autbor tria potiſſimum docet.

PRIMO, quod Chriſtus in Euchariſtia exerceat ad extra omnes operationes vitales inſtar cujusvis alterius hominis, v. g. auditionem, viſionem. &c. Itaque Chriſtus in Euchariſtia juxta hanc ſententiam, licet ſit totus in toto, & totus in ſingulis partibus ſpatii, omnia, quæ in vicinia S. Hoſtiæ fiunt, videt & audit inſtar alterius regis præſentis, qui ſe reddidiſſet inviſibilem. Ex hoc principio deducit, quod Chriſtus in Euchariſtia ſit ſpeciali veneratione ac cultu honorandus.

SECUNDO docet, Sacrificium Miſſæ in hoc conſiſtere, quod Chriſtus in conſecratione ſuſpendat in momento omnes operationes vitales, nec eas reſumat ante commixtionem particulæ Hoſtiæ conſecratæ cum vino conſecrato.

TERTIO, quod conſumptis in ſtomacho ſpeciebus anima Chriſti ſe uniat phyſice cum anima communicantis; & quod ea unio ſit eatenus ſimilis unioni hypoſtaticæ, in quantum vi illius anima Chriſti ita aſſumit animam hominis communicantis, ut verum ſit dicere, Chriſtum operari in tali anima omnes ejus actiones, & omnes bonas actiones animæ humanæ eſſe vere ac proprie actiones Chriſti. Ea ratione docet Em. Author fieri, ut anima humana, dum omnes ejus potentiæ aſſumuntur & reguntur ab anima Chriſti tanquam ſuo motore, per actiones deiformes transformetur in perfectam imaginem Dei. Cæterum eam unionem animæ Chriſti cum humana anima non eſſe ſubſtantialem ſed tantum accidentalem ac corruptibilem, eamque actu deſtrui per peccatum mortale; licet iterum renovetur per novam communionem, ac dein iterum non ſolum in vita, ſed etiam per totam æternitatem maneat, niſi denuo deſtruatur per peccatum mortale.

NOTANDUM 2. A me non defendi primam & ſecundam theſin hujus doctrinæ.

PRIMAM quidem, quod Chriſtus in Euchariſtia exerceat omnes actiones vitales, babeatque communicationem mutuam, actionem & paſſionem cum vicinis corporibus, non quidem dependenter à legibus naturæ, ſed dependenter à liberrimo arbitrio mentis, cenſeo, *probabiliter* defendi poſſe.

SECUNDAM autem, quod ratio ſacrificii conſiſtat in repentina ſuſpenſione actionum vitalium Chriſti Euchariſtici, neutiquam admitto ex variis rationibus. Ratio mea eſt 1. quia tali modo in Miſſa non perageretur à Chriſto idem ſacrificium, quod peractum eſt in cruce, ſed persgeretur novum genus ſacrificii per novam ſuſpenſionem actionum vitalium, cum tamen Apoſtolus ad Heb. 9. dicat: *Chriſtus per propriam ſanguinem introivit ſemel in ſancta æterna redemptione inventa. Non in manufacta ſancta Jeſus introivit, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultus Dei pro nobis; neque ut ſæpe offerat ſemetipſum; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem ſemel in conſummationem ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Et c. 10. *Hic unam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Dei. Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Ex hoc patet, in Miſſa non poſſe admitti novum genus ſacrificii, ſed replicari tantum incruento modo illud, quod in cruce oblatum eſt, prout etiam Tridentinum Seſſ. 22. Cap. 4. Declarat. 2. Hæc ſententia repugnat traditioni, quæ dum agnoſcit ſolum ſacrificium in cruce oblatum, boc novum genus ſacrificii reſpuit. 3. Si poneretur bæc ſuſpenſio actionum vitalium in conſecratione, Chriſtus in elevatione S. Hoſtiæ, & deinceps usque ad commixtionem particulæ in calicem nec videret nec audiret fideles præſentes in Eccleſia; & ſic nec obtineretur finis, quem Em. Author intendit, nempe modus connaturalis colendi regem præſentem. Quomodo enim aulici ad reverentiam erga regem præſentem animarentur, ſi nec videt, nec audit? 4. hoc modo Chriſtus incluſus in tabernaculo eſſet inſtar incluſi in carcere, qui oculos habet, nec lucem ſolis, nec hominem aſpicere permittitur. 5. Hæc ſuſpenſio nec convenienter ponitur in prima conſecratione, nec in ſecunda. Cur enim potius in in bac quam illa? 6. Si ſimul in eodem inſtanti fiunt centum conſecrationes, non poſſunt fieri centum negationes earundem actionum in eodem ſubjecto. Ob has rationes, licet ad textum Apoſtoli Em. Autbor Diſput. 6. Sect. 2. fol. 445. varia tentet effugia, uti ad alias rationes, cenſeo, non poſſe admitti hanc comœdiam, antiquitati ignotam. Quod vero attinet tertiam Theſin,

DICO, Non eſt impoſſibile, dari unionem phyſicam de ſe perpetuam inter animam Chriſti & animam digne communicantis.

PROBATUR 1. Si non datur talis *phyſica*, tunc in hoc Sacramento ſolum datur unio cum Chri-

Christo *affectiva*, *moralis* ac *mystica*, nempe per fidem & amorem, per augmentum gratiæ sanctificantis, & per donum gratiarum actualium; sed hoc non potest dici. Ergo. Min. prob. Juxta communem sensum Ecclesiæ & SS. Patrum datur aliud genus unionis cum Christo in Eucharistia quam in aliis Sacramentis. Ergo cum in aliis Sacramentis detur unio cum Christo *affectiva*, *moralis*, ac *mystica*, dabitur in Eucharistia unio physica. ANT. PROB. ex Phrasi locutionis ab Ecclesia & Patribus non usurpata in aliis Sacramentis. 1. S. AUGUSTINUS tract. 26. in Joa. de Eucharistia loquens exclamat: *O signum unitatis! o vinculum charitatis!* 2. TRIDENTINUM Sess. 13. cap. 8. *Omnes in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo conveniant.* 3. CONCILIUM FLORENTINUM in Instructione Armenorum per Eugenium IV. *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Deum.* Et paulo ante. *Mixtia aquæ cum vino convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum.* 4. CONCILIUM LATERANENSE sub Innocentio III. in C. *firmiter* de Summa Trinit. vocat Eucharistiam *mysterium unitatis.* 5. Sanct. THOMAS p. 3. q. 74. a. 6. C. Vino debet aqua misceri, quia hoc convenit ad significandum effectum hujus Sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum. 6. S. BONAVENTURA in 4. dist. 12. p. 2. a. 1. q. 3. Cum hoc Sacramentum sit unionis, effectus ejus primus aut est unire, aut magis unire, sed non de novo unire, sed jam unito magis unire. 7. CYRILLUS ALEX. in Epist. ad Cœlosyrium. *Decebat, eum nostris quodamodo uniri corporibus per sacram ejus carnem & sanguinem.* 8. CATECHISMUS ROMANUS p. 2. c. 4. n. 39. ex S. Cyrillo affirmat; in *Eucharistia Christum miro quodam modo uniri corporibus per carnem & sanguinem.* Cum ergo hæc specialis unio corporis ad corpus non possit esse *immediata*, videtur probabile, quod detur quædam *unio mediata* etiam corporum, in quantum anima Christi immediate unitur ad animam digne communicantis.

PROBATUR 2. Ex una parte unio transformativa, qua Christus assumit animam cum ejus potentiis per modum motoris, eamque movet ad actus transformativos animæ in sui imaginem per vitam & actus supernaturales, est possibilis ac decens Deum: ex altera parte per hanc unionem longe melius explicantur varii textus Scripturæ. Ergo debet admitti. *ant.* q. 1. m. *probatur* negative, quia non potest ostendi implicantia in tali unione: præsertim cum D. Paulus ad *Gal.* 2. v. 20. insinuet, in se actu extitisse talem unionem, dum ait: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Quoad 2. membrum probatur ex illo textu Joa. 6. ubi Christus dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et rursus ibidem in alio textu. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Jam vero hos textus in sensu obvio ac proprio longe connaturalius intelligi de unione aliqua naturali seu physica, quam morali, probatur ex sensu Patrum & Doctorum Ecclesiæ. Nam 1. S. Hilarius l. 8 de Trinit. confutans eos, qui inter Patrem & Filium divinum tantum admittebant unionem affectivam seu moralem, sic scribit: *Eos nunc, qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non* NATURALITER *manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo pater, & Christus in nobis unum in his esse non faciunt.* Et infra. *Quam autem naturalis in nobis hæc unitas sit, ipse ità testatus est: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit; ejus tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem hujus unitatis sacramentum superius jam docuerat dicens: Sicut misit me vivens pater, & ego vivo &c. Vivit ergo per patrem, eodem modo nos per carnem ejus vivimus.* Hucusque D. Hilarius, cujus expositio haud dubie potius loquitur de aliquo genere unionis physicæ seu naturalis, quam moralis. 2. S. CYRILLUS ALEXANDRINUS l. 10. in Joa. C. 13. ait: *Considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse; verum etiam & participatione naturali. Nam si quis igne liquefactam ceram alii ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur; sic communicatione Corporis & Sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso.* Et l. 11. in Joa. C. 26. circa finem. *Illud necessario dicamus, cum Christus per substantialem, quam cum Patre habet, unitatem in se, modo simili voluit nos quoque inter nos unitate Trinitatis, quantum naturæ nostræ licet, uniri.* Et l. 11. C. 27. *Corporaliter filius per benedictionem mysticam nobis ut homo unitur, spiritualiter tamen ut Deus.* In hoc textu benenotandum est, quod D. Cyrillus admittat summam unionem, quantacunque est possibilis. Id enim verba illa important; *quantum naturæ nostræ licet.* 3. S. CHRYSOSTOMUS Hom. 45. in Joa. *Ut non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobis eum redegit, ut corpus cum capite uniretur.* Et Hom. 46. Ibidem. *Cum dixisset, qui manducat carnem meam; & bibit sanguinem meum, in me manet, non absurde prasequitur; sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem. Nam, cum sæpe repetisset vitam æternam, ad id confirmandum addit:* IN ME MANET. *Si enim in me manet, qui vivo, perspicuum est, etiam eum victurum, qui in me manet.* Et Hom. 55. ad populum Antioch. *Manduca me, dixi, bibe me, & te sursum habeo, & deorsum tibi connector. Non satis est tibi, connector. Non satis est tibi, quod tui primitios sursum habeo. Hoc non tui satiat desiderium; & ideo deorsum descendi, nec simpliciter tibi commisceor, sed connector.* 4. S. Irenæus l. 4. C. 34. ait: *Nos in Eucharistia*

et

ei offerimus ea, quæ sunt ejus, consitentes congruenter communicationem & unitatem carnis & spiritus.

PROBATUR 3. Scriptura testatur, dari quandam unionem transformativam animæ in Deum ita ut Christus omnia bona operetur in nobis, inclinans, non necessitans voluntatem, & Patres ac Doctores docent, talem transformationem fieri in Eucharistia. Ergo datur stabilis unio animæ Christi ad animam communicantis. *ant.* q. 1. m. probatur ex illo ad Gal. 2. Vivo autem jam non ego &c. quæ verba D. Chrysostomus explicans dicit: *Non dixit; vivo Christo, sed quod longe majus erat, dixit; vivit in me Christus. Quemadmodum enim peccatum, si vicerit, ipsum est, quod vivit in homine, animam, ad quæ vult pertrahens; ita si illo mortuo, quæ Christo sunt placita, fiant, nec humana deinceps est ejusmodi vita, videlicet ipso Christo vivente in nobis, hoc est, agente, & operante.* Et Apostolus 2. Cor. 3. scribit. *Nos revelata* (per fidem) *facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur tanquam à Domini spiritu.* Quoad 2 membrum Probatur ex Patribus. Sic D. Leo Papa Ep. 22. *In illa mystica distributione spiritualis alimoniæ* hoc sumitur, ut accipientes virtutem cœlestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transesmus. 2. PASCHASIUS exponens illud Matth. 26. *Cœnantibus illis*, sic scribit: Admiremur, atque intelligamus, quod B. Hilarius intellexit, quo artificio, ut ita loquar, nos Christus in se colligit, vel quo mysterio unum in se nos esse naturaliter voluit, non per concordiam solummodo voluntatis.

PROBATUR 4. Datur quædam specialis unio Spiritus S. ad animam, dum confert gratiam sanctificantem. Ergo etiam datur specialis unio animæ Christi ad animam digne communicantis. C. patet ex variis textibus Scripturæ & Patrum partim jam relatis, partim referendis, in quibus insinuatur specialis unio Christi ad communicantem, quæ non est communis toti SS. Trinitati, qualis est illa unio ad animam, dum confertur gratia sanctificans. *Ant. prob.* ex consensu fere omnium Theologorum, de quo testatur SUAREZ *De Deo.* l. 12. C. 5. n. 8. his verbis: *Dico tertio; quando Deus infundit animæ dona gratiæ sanctificantis, non solum creata dona, sed ipsæmet divinæ personæ homini dantur, & animam ejus inhabitare incipiunt, & ideo talium donorum interventu Spiritus sanctus invisibiliter mittitur. Ita docent Doctores Scholastici, adeo certam reputant hanc veritatem, ut D.* THOMAS p. 1. 43. a. 3. ERROREM *appellaverit sententiam dicentium; non dari Spiritum Sanctum, sed ejus dona. Idem sensit* ALENSIS p. 1. q. 73. memb. 4. a. 1. & *alii Theologi in* 1. dist. 14. &. 13. *Estque communis sententia Patrum. Videri potest* LEO Serm. 2. Pentecostes AMBROSIUS l. 1. de Spiritu S. C. 4. & 5. AUGUSTINUS l. 5. de Trinit. C. 26. & tract. 32. & 74. in Joa. *Ratio præcipua est, quia ita loquitur expresse Scriptura* 1 *Cor.* 6. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est. Præsertim sunt optima verba illa Pauli* 1 *Cor* 6. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim duo, inquit, in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. *& iterum.* An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? *Quæ non possunt intelligi de donis creatis; tum quia de ipsa persona Spiritus sancti sermo est, tum etiam, quia templum soli Deo dicatur, non donis creatis, quæ accidentia quædam sunt; unde ex hujusmodi locis solent Patres communiter Spiritus Sancti divinitatem probare. Est etiam insigne testimonium illud ad* Rom. 5. Charitas Dei diffusa est per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Ibi enim donum charitatis creatum à Spiritu Sancto distinguitur, diciturque, esse effectum Spiritus Sancti nobis dati.* Et 1. Joa. 4. dicitur: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Qui ergo in charitate manet, non solum habet donum creatum, sed illo mediante ita Deo conjungitur, ut vere Deus sit in eo, juxta illud* Joa. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Et illud.* Apud vos manebit & in vobis erit. *Hæ igitur & similes locutiones frequenter in Scriptura repetitæ verificari non possunt per solam infusionem gratiæ creatæ. Ergo oportet fateri, aliquo modo magis proprie ipsammet personam divinam mitti.* Ita Suarez, quamvis modum illum unionis inter animam & Spiritum Sanctum n. 12. n. 13. & 14. non recte explicet, dum hanc unionem considerat, tanquam aliud consequens ad gratiam sanctificatem. Manifestum enim est tam ex Scriptura quam ex D. Thoma in 1. dist. 14. & 15. quod collatio Spiritus sancti ejusque unio ad animam sit saltem formaliter aut natura prior ad gratiam sanctificantem in esse absoluto spectatam. Prius enim juxta Apostolum Rom. 5. est dari Spiritum, quam diffundi charitatem, quæ est concretum ex amore & gratia sanctificaute, prout in Tract. de Charitate ostensum est.

PROBATUR 5. Nisi daretur quædam unio stabilis inter animam Christi & animam communicantis, non daretur proprie loquendo physicus influxus naturæ humanæ Christi in nos. Sed hoc non potest dici. Ergo maj patet, quia solus influxus moralis proprie loquendo non est physicus. min. prob. ex verbis Christi juxta SS. Patres explicatis. Christus in Sermone immediate post institutionem Eucharistiæ, habito Joa. 15. sic ait: *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent.* Hic textus, licet suum significatum importet ultimato in sensu morali seu mystico, cum utique verificetur de omnibus Christianis, etiamsi nunquam communicaverint, videtur tamen sensum illum mysticum significare symbolice mediante eo, quod importatur in sensu physico, nempe mediante Influxu physico in corpus Ecclesiæ, quatenus hoc corpus Ecclesiæ, repræ-

repræsentatur per majorem ac digniorem ejus partem, videlicet per collectionem omnium communicantium. Ita sentire videtur CYRILLUS ALEXANDRINUS, qui confutans Arium, hæc verba de sola divinitate Christi explicantem, l. 10. in Joa. C. 13. sic scribit: Cur secundum carnem nos palmites diei pernegat? *An non convenienter dici potest, vitem humanitatem ejus esse, & nos palmites propter identitatem naturæ? Ejusdem enim naturæ vitis & palmites sunt. Ita & spiritualiter & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est.* Similiter D. HILARIUS l. 9. de Trinit. ait: *Christus carnem assumpsit, ut illi quasi viti nos homines carni quasi palmites inseri possemus.* Et D. AUGUSTINUS tract. 81. in Joa. *Quamvis vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi Deus esset.* Cum ergo Christus secundum humanitatem vitis sit, nullibi suam vitalitatem palmitibus magis communicat, quam in Eucharistia juxta illud Joa.6. *Ego sum panis vivus.* Et rursus. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hinc D. THOMAS Opusc. 58. De Sacram. C. 25. scribit: *Participatione corporis & sanguinis Christi homo vivit, non sumens tantum Sacramentum, quod & mali faciunt, sed pertingens usque ad spiritus participationem, ut in corpore Domini tanquam membrum maneat, & ejus spiritu vegetetur.* Et CORNELIUS à LAPIDE in C. 6. Joa. v. 51. Idem est ac si Christus diceret: *Sum panis vivus in me ipso, & me vivum comedentem vivificans, eique meam vitam communicans, cum Manna esset inanime, ideoque vitam comedentibus se tribuere non posset.*

PROBATUR 7. Christus affirmat talem unitatem sui cum Ecclesia, qualis est unitas sui cum Patre. Cum ergo ista unitas sit realis, etiam illa unitas erit realis. *ant.* patet ex illo textu Christi Joa. 17. ubi rogans Patrem ait: *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Ad quæ verba TOLETUS Cardinalis in Joa. C. 17. annot. 12. sic scribit: „Ut Athanasius serm. 4 contra Arianos refert; Arius dicebat sic: Si nos sumus unum, sicut Pater & Filius unum sunt; igitur non erunt Pater & filius consubstantiales, aut certe nos erimus consubstantiales inter nos. Rursus si nos sumus in Deo, & Deus in nobis, sicut Pater est in Filio & Filius in Patre: igitur non est dicendus filius in Patre & Pater in Filio esse propter identitatem naturæ, sicut nec nos dicimur esse in eo, & ipse in nobis propter naturam eandem. *Sed audiamus Cyrilli Alex. l. 11. C. 26. responsionem.* Ut igitur inter nos & Deum singulos uniret, quamvis corpore simul & anima distemus. Suo enim corpore credentes & secum & inter nos unum, unum nos corpus efficit. Quis enim eos, qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt, ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur. Dividi enim atque sejungi à seipso Christus non patitur. *Post hanc responsionem Cyrilli Toletus sic pergit:* Hæc unitas, in qua uniuntur, & efficiuntur unum, est earo ipsa Christi realiter in Sacramento ipsis credentibus data, ut non participatione unum sint, ut factum est in priori unitate, in qua dabatur Spiritus sanctus ratione donorum, sed realiter & substantialiter Christus ipse in cibum detur. Ratione autem hujus unitatis major est similitudo cum unitate Patris & Filii: per hanc enim carnem & sanguinem Christus realiter in nobis, & nos in ipso manemus. Hanc eandem unitatem non solum Cyrillus, sed & Hilarius l. 8. de Trinit. his verbis significari affirmat. Et sane vera Doctrina est, & expositio legitima. In hoc tamen uno dissentio ab his duobus Doctoribus, præsertim à Cyrillo, qui unitatem talem animarum & corporum significari asserit verbis hisce: Ut omnes unum sint." Ita Toletus, cui libenter ex parte accedo. Quamvis enim in Eucharistia causetur aliqua realis unio seu unitas inter animam Christi & communicantes, non tamen arbitror, Christum PRIMARIO illis verbis ad hanc unionem respexisse, sed tantum SECUNDARIO. Primario enim Christus illis verbis respexit ad beatitudinem finalem, seu ad *visionem Dei per essentiam*, ubi datur summa unio essentiæ divinæ cum anima beati, utpote unitæ per modum speciei impressæ & expressæ, quæ unio tanta est, ut sit quædam deificatio contingens in tempore, illius æmula, quæ est necessaria ab æterno inter Patrem & Filium, adeoque per consubstantialitatem. Et ideo directe respondendum erat Ario.

PROBATUR 8. Christus & Patres testantur, quod Eucharistia sit causa resurrectionis & immortalitatis corporum. Hujus autem causalitatis nulla apparet ratio sut connexio, nisi dicatur, inter animam Christi & animam communicantis dari unionem stabilem resuscitativam corporum, & ex corpore Christi mediate unito collativam immortalitatis. *maj. prob.*

I. Ex verbis Christi, qui Joa. 6. sic ait: „Non Moyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim verus, qui de cœlo descendit, dat vitam mundo. Hæc est enim voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. ... Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Amen Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me,

D. *Amort Tract. de Eucharistia.* Q

„ me, & ipse vivet propter me. Hic est pania „ qui de cœlo descendit. Non ficut manducaverunt Patres vestri Manna & mortui sunt. „ Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. „ Si ergo videritis filium hominis ascendentem „ (ex limbo resurgentem) ubi erat prius. Spiritus est, qui vivificat. Caro non prodest quid„ quam." Qui hæc verba bene expenderit, videbit manifeste, id aperte doceri à Christo, quod ficut per esum fructua vetiti genus humanum amisit immortalitatem corporis, ita per esum hujus panis eandem recuperaturum fit, idque ea ratione, qua Christus non carne, sed spiritu seu anima sua perpetuo in anima communicantis mansurus est. Inde enim eventurum, ut ea vita, quam à Patre Christus accepit, ex anima communicantis in corpus ejus migratura, ficque corpus in vitam æternam resuscitatura, ac immortale reddatura fit. Caro enim sola, quæ à Judæis crucifigi, & tumulari potest, ad hunc effectum nil profutura est, sed anima Christi, quæ suum proprium corpus resuscitavit, ac denuo in mundum, ubi erat prius, ac dein in cœlum ex limbo Patrum ascendit.

II. D. Thomas Opusc. 58. C. 6. *Ad æternam salvationem corporis & animæ unus cibus exigitur, cujus virtute anima ad vitam æternæ beatitudinis perveniat, & corpus tandem gloriose resurgat. De hoc cibo Joa. 6. Caro mea vere est cibus valens animæ & corpori.*

III. D. Gregorius Nyssenus in Orat. Catechet. „ Corpus immortale, cum fuerit intra „ eum, qui sumpsit, universum quoque trans„ mutat in suam naturam. Sed fieri non potest, „ ut fit aliquid aliter intre corpus, nisi per esum & „ potionem misceatur visceribus. Necesse est er„ go, eo modo, quo natura potest, spiritus vivifi„ cam suscipere virtutem. Cum autem solum il„ lud corpus quod Deum suscepit, hanc gratiam „ acceperit, ostensum fit autem, aliter fieri non „ posse, ut nostrum corpus fit in immortalita„ te, nisi per communionem cum immortali fa„ ctum fit particepa incorruptionis., oportet „ considerare.

IV. Algerus de Sacram. L. 1. C. 3. Ut signetur, animas nostras & corpora animæ Christi & corpori uniri, & conformari debere, simul corpus & sanguis sumitur à fidelibus, ut sumpto corpore & anima Christi, toto Christo totus homo in anima & corpore vivificetur.

Probatur 9. Eucharistia, prout traditur à Patribus & Doctoribus, est aliqua extensio Incarnationis. Sed extensio Incarnationis proprie non habetur sine unione reali Christi ad fideles. Ergo sine ea unione nec habetur Eucharistia. min. prob. 1. D. Chrysostomus Hom. 61. ad populum ait: *Unicuique fidelium semetipsum per mysterium commiscet, & per semetipsum nutrit, & hoc tibi persuadens, quod carnem tuam assumpsit &c.* Item Hom. 83. in Matth. *Nos alit & sibi conjungit, atque conglutinat.* 2. S. Leo Serm. 15. de Passione ait; *Sacramentum nobis dari, ut in id, quod sumimus, transeamus.* 3. D. Gregorius Naz. *Nobis comedendum proponit, ut cum ipsum acceperimus, id fiamus, quod ipse est.* 4. D. Cyprianus de Cœna, ait, *spirituali transitione nos Christo uniri.* 5. Albertus M. de Euchar. dist. 2. tract. 3. C. 2. *Christus ait, in me manet extra se transpositus, & in ipso maneo transpositus extra metipsum.* & dist. 3. tract. 1. C. 8. *Communicans insertus est in bonam olivam & socius radicis & pinguedinis factus, quia omnia bona, quæ fiunt, à Christo taliter uniti percipiunt.* 6. D. Thomas Opusc. 58. *Hæc est proprietas surculi bonæ arboris si trunco inseratur sylvestri, quod illius amaritudinem in sui dulcedinem convertit. Sic corpus Christi nobis insitum in suam nos bonitatem trahit, ut quales ipse fructus justitiæ facit, & nos per eum faciamus.* Et Opusc. 28. de Sacram. C. 20. *Spiritus sanctus medullam cedri sumpsit, quia Christus Incarnationem fecit, & hunc quasi surculum plantat, cum fidelibus Dominici Corporis tribuit Sacramentum. Hinc dictum est Augustini;* (l. 7. Confess. C. 10.) *cibus sum grandium; cresce & manduca; nec ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me.* 7. S. Ambrosius l. 6. de Sacram. C. 1. *Dominus Jesus consors est divinitatis & corporis, & tu, qui accipis carnem ejus, divinæ ejus substantiæ in illo participas alimento.* 8. Taulerus Serm. 3. de Ven. Sacram. *Cibus hic vitalis cum homine miro quodam modo unitur, adeoque eundem totum in se trahit, & in se transformat, ut nulla possit unio conjunctior, nec transformatio verior, perfectiorque cogitari, cum longe verius anima hic uniatur Deo, quam guttula una aquæ ingenti dolio infusa mutetur in vinum, aut anima copuletur corpori.* 9. Michael Vivien in Tertulliano prædicante tom. 1. Conc. 5. de Euchar. scribit: *In Eucharistia unimur Christo tanquam corpus capiti coaptatum; non unitate personæ, ut in Incarnatione, sed quadam unionis specie, majori ea, qua mystice Ecclesiæ corpori conjungitur Christus. Non tantum* (unione mystica) *sed re ipsa nos suum corpus efficit* (ut loquitur Chrysostomus Hom. 61. ad pop.) *Hanc unionem Cyrillus Jerosol. appellat concorporationem; Cyrillus Alexand. incorporationem; D. Hilarius mixtionem, Tertullianus concarnationem; Paschasius inviscerationem. Unio Sacramenti hypostaticam æmulatur unionem. Invenit enim amor divinus alterum amorem sibi maxime similem, per quem singulis uniretur hominibus, ut unio illa hypostatica extenderetur ad omnes pariter & ad singulos. Dei Filius non debuit sibi personaliter unire singulas humanitates; in Incarnatione assumpsit humanitatem, cui nos unimur in Sacramento unione adeo perfecta, ut imitetur indissolubilitatem humanitatis Christi cum Verbo divino.* 10. Ludovicus de Ponte De perfectione. tract. 4. c. 1. §. 3. *Ut S. Thomas perpendit; non decebat Dei majestatem, personaliter se unire cum singulis, quemadmodum cum humanitate Christi sese univit; nec ejus charitas continere se potuit, ut solus unus homo tanto illo bono frueretur, nisi etiam ad cæteros aliquo modo derivaretur. Ad hoc igitur cœlestem hanc viam & consilium invenit, ut Deus & homo sub forma cibi se collocaret, quo ad singulos illi pateret aditus, & per hoc Sacramentum singulis se conjungeret.* Hæc sunt argumenta, quæ pro tuenda probabiliter hac sententia ab Emin. Cardinali partim adducuntur, partim insinuantur. Ego vero in Argumento Octavo magnam vim agnosco.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Si anima Christi permaneret physice unita cum anima communicantis, vel

vel anima Christi post corruptas Species Eucharisticas maneret physice præsens in anima communicantis, vel non maneret physice præsens? Neutrum potest dici. Ergo; maj. prob. Si dicatur primum, quod anima Christi non maneat physice præsens, sequeretur, quod detur unio physica *in distans*, sed hoc non potest dici, quia unio duorum in suo formali conceptu dicit præsentiam unitorum. Si dicatur secundum, quod anima Christi maneat præsena, sequeretur, quod aut maneat etiam illius corpus præsens; aut quod Christus post corruptas species sit adhuc inadæquate præsens, & inadæquate non sit præsena. Sed utrumque repugnat communi sensui Ecclesiæ.

Respondeo c. maj. n. min. & dico, quod anima Christi post corruptas species non amplius maneat physice ac localiter præsens. Ad prob. c. maj. n. min. Non enim est impossibile, supernaturaliter posse dari unionem in distans, sicut supernaliter potest dari actio in distans, prout suppono ex Philosophia. Sic enim etiam D. Paulus 2. Cor. 12 dubitat, utrum sola anima fuerit raptus in tertium cœlum, sive simul cum corpore; quin tamen existimet, se fuisse mortuum, ita ut unio inter animam & corpus perierit. *Sive in corpore*, inquit, *sive extra corpus, nescio*. Si ergo in anima Pauli rapta ad tertium cœlum potuit remanere unio ad corpus, etiam poterit remanere in anima Christi unio ad animam communicantis.

Dices, saltem sequeretur, quod anima communicantis remaneret unita mediate cum corpore Christi existente naturaliter in cœlo, & non esset mediate unita cum corpore Christi existente in aliis hostiis consecratis in Asia vel America; sed hoc non potest dici. Ergo. min. prob. esse unitum unione mediata, & non esse unitum unione mediata sunt contradictoria.

Respondeo. n. min. q. 2. m. Dico enim, quod anima communicantis unione mediata maneat unita cum corpore Christi, ubicunque existat. Neque necesse est, ut replicatis corpore & anima Christi multiplicetur illa unio Christi ad animam communicantis, vel ut unio communicantis ad animam Christi aquirat novum respectum ad animam & corpus Christi noviter replicatum in Asia vel America. Unio enim illa terminatur ad animam Christi præcisive spectatam, in quantum abstrahit ab omni differentia temporum & locorum. Quod vero entia relativa, v. g. actio, unio &c. præscindant, ut ita dicam, formaliter, suppono ex Philosophia & patet ex ipsa unione hypostatica, quæ respicit formaliter personalitatem Verbi, quin formaliter respiciat naturam divinam.

Objicitur 2. Si communicantes aquirerant unionem physicam cum anima Christi, Ecclesia non amplius esset corpus Christi mysticum, sed physicum. Sed hoc non potest dici. Ergo. min. prob. Ubi datur causalitas physica, non datur moralis seu mystica. Ergo idem dicendum de unione.

Respondeo. n. maj. Mysticum enim vocatur hoc corpus, quia licet in pluribus fidelibus detur ex digna communione unio physica cum anima Christi, illa tamen non est substantialis in unitatem suppositi seu personæ, sed tantum in communione operationis, in quantum anima Christi se habet per modum motoris extrinseci. Non autem repugnat, idem totum sub una consideratione esse physicum *totum accidentale*, sub alia vero consideratione in ratione unius suppositi esse totum morale seu mysticum, prout patet in aggregato accidentium in Eucharistia, quod simul est totum physicum accidentale, in esse vero sacramentali est totum morale.

Objicitur 3. In hac sententia non potest explicari 1. Quid à communicante aquiratur in secunda, tertia, & ulteriori communione; sed hoc debet posse explicari, alioquin iteratæ communiones essent superfluæ. Ergo; min. prob. Non potest ad unionem in prima communione aquisitam superaddi alia unio. 2. Non potest explicari, an hæc unio per peccatum mortale amissa remoto obice reviviscat. Si enim non reviviscit, sequitur, quod justificatus per contritionem perfectam vel absolutionem non haberet jus ad resuscitationem corporum. Si autem dicatur, quod reviviscat, id probandum est. 3. Si valeret argumentum octavum, sequeretur, quod communio etiam parvulia esset necessaria ad obtinendam resuscitationem corporum in vitam immortalem. 4. Sequeretur, communionem omnibus fidelibus esse necessariam necessitate medii ad obtinendam gloriosam resurrectionem corporis, sed hoc non potest dici. 5. Sequeretur, quod omnes fideles peccarent mortaliter negligendo aut procrastinando communionem, etsi jam essent constituti in statu gratiæ. 6. Non habetur finis aut effectus hujus unionis in altera vita. Ergo saltem non debet admitti, quod hæc unio duret per totam æternitatem.

Responneo n. maj. aquiritur enim per novas communiones nova extensio unionis in ordine ad novas operationes intellectuales & volitivas magis deiformes, ita ut anima Christi liberius & latius operetur in potentiis animæ omnibus. Sicut dum in embrione perficiuntur organa, unio animæ fit extensive major, vel dum vigor animæ redit in membra apoplectici, paralytici, vel alias infirmi.

Ad 2. Dico, quod hæc unio non recuperetur, nisi per novam communionem. Resuscitantur quidem cæteri fideles intuitu communionis habitæ in voto, non tamen habituri sunt illam gloriam accidentalem, quam obtinebunt habentes actualem unionem.

Ad 3. Dico, Deum supplere in parvulis defectum communionis ob eorum impotentiam, & ratione juris, quod habent ex gratia sanctificante obtento in baptismo. Non tamen assequentur illam gloriam accidentalem, quæ communicantibus confertur ex illa unione physica. Neque tamen sequitur, quod Ecclesia erret, subtrahendo parvulis communionem usque ad usum sufficientem rationis; quia etiam parvulis, qui more veteris Ecclesiæ communicarunt, licet habeant unionem physicam cum anima Christi, illa nullum speciale gaudium illis in altera

vita allatura est, quia vident, eam in vita fuisse sibi otiosam, nec profuisse ad operationes deiformes, ad quas essentialiter ex sua natura erat ordinata. Illud tamen sequitur, praxin In Germania receptam communicandi parvulos statim allucescente usu rationis etiam dubio adhuc, non esse improbandam, sed commendandam.

Ad 4. n. maj. obtinebunt enim resurrectionem per communionem in voto, stipatam gratia sanctificante, quæ tribuit jus remotum ad gloriam. Gloriam tamen accidentalem, quæ in altera vita confertur prædictis unione physica cum anima Christi, non assequentur; & in ordine ad hanc gloriam accidentalem concedo, communionem actualem esse necessariam necessitate medii.

Ad 5. Concedo, peccaturum graviter, qui, cum aspiret ad gloriosam resurrectionem sui corporis per *communionem in voto*; ex mera negligentia illam longo moraliter tempore procrastinat, sicque ostendit, suum votum recipiendæ communis non esse serium & efficax.

Ad 6. n. a. Nam præter illum effectum, quod habentes unionem physicam cum anima Christi habeant resurrectionem gloriosam sui corporis *titulo juris*, ac tanquam *per se* ac *connaturaliter* debitam, quod alii beati carentes illa unione non habent; accedit alius effectus, quod participent de gloria Christi, tanquam de re sibi per participationem physicam propria, cujus participationis sic physice propriæ effectus est inexplicabilis lætitia, dulcedo, & voluptas. Eminentissimus Cardinalis Cienfuegos existimat, quod habentes ejusmodi unionem physicam cum anima Christi visuri sint eadem visione beatifica, qua videt intuitive Deum ipsa anima Christi; quæ res nec est impossibilis nec omnino improbabilia. Licet enim visio ex sua ratione generica sit actio essentialiter immanens suo subjecto individuo; nec lapis possit reddi capax visionis per visionem alienam; quia ipsi deest ratio generica tendentiæ vitalis, non tamen videtur impossibile, ut tendentia vitalis visiva generica in beato assumatur à visione altioris ordinis, ab eaque accipiat rationem specificam visionis per identitatem. Sic enim magis verum erit illud Apostoli ad Col. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cum vero Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et illud 1. Cor. 15. v. 24. *In Christo omnes vivificabuntur, deinde finis. Cum tradiderit regnum Deo patri. Cum tradiderit regnum Deo patri. Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse filius subjectus erit ei; ut sit Deus omnia in omnibus*, in quantum videlicet per visionem seu fruitionem beatificam ipsa essentia divina loco speciei creatæ immediate unitur menti beatorum, mediante videlicet mente seu anima Christi.

Dices. Hæc tota sententia est nova. Ergo merito suspecta.

Respondeo. D. est nova quoad evolutionem Doctrinæ veteris In Scriptura, Patribus, & antiquis Theologis involutæ. c. quoad substantiam rei. n. sicut pallium, aut pannum phrygii operis involutum & evolutum seu explicatum non differunt quoad substantiam, sic in mysteriis fidei articuli per coordinationem principiorum, & harmoniam plurium veritatum evoluti ac explicati non differunt quoad rem à tradito dogmate. Eminentissimus Cardinalis respondet; etiam aliquid privilegii novitati indulgendum, ubi agitur de immensa gloria Principis, ne, dum damnatur novitas, culmen gloriæ Principis tanquam reum & falsitatis convictum in tenebras exteriores dejiciatur. In ejusmodi circumstantia intentanti feralem ictum soluta lingua libere inclamandum, quod miles antea mutus hosti inclamaverat: *O homo, cave, Crœsum interficias.* Usurpat etiam illud D. Nazianeni orat. 26. *Non novum vobis fontem prærupimus, quemadmodum Moyses; sed absconditum & abstrusum aperuimus, ut olim servi Isaac.* Item illud Tertulliani l. de velandis virgin. c. 1. *Regula quidem fidei una omnino est; illa immobilis & irreformabilis. Hac lege fidei manente cætera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratia Dei; cum propterea Paracletum miserit Dominus, ut, quoniam humana mediocritas omnia simul capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ad perfectum perduceretur disciplina ab illo Vicario Domini, Spiritu Sancto. Quæ est Paracleti ad ministratio nisi hæc, quod disciplina dirigitur, quod Scripturæ revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?* Ita Eminentissimus Cienfuegos respondet fol. 662. & 663. ubi de utili vel inutili novitate doctrinarum plura erudite disserit.

QUÆSTIO V.

An & quibus suadenda frequens communio, præsertim quotidiana?

Notandum 1. Hanc controversiam cum ipsa Societate Jesu exortam esse, valde multis Theologis, præsertim ex Societate Jesu, frequentem communionem aperte commendantibus, aliis eam impugnantibus. Inter priores eminet P. Christophorus Madridius, unus ex primis S. Ignatii sociis, qui edidit libellum *de frequenti usu Eucharistiæ*, primum Neapoli editum, dein recusum Dilingæ anno 1557. uno videlicet anno post mortem S. Ignatii. Ex eo tempore non solum fervide disputatum est *de frequenti communionis usu*, sed etiam communio quotidiana in nonnullis Diœcesibus indiscriminatim introducta erit respectu laicorum. Tandem Innocentius XI. anno 1679. huic controversiæ moderatos limites posuit Decreto à se edito, in quo declarat, etiam communionem quotidianam iis permittendam & suadendam esse, quibus ea utilis ac profutura visa fuerit. Integrum tenorem Decreti adjungo ad finem hujus quæstionis.

Notandum 2. Convenire omnes, etiam alioquin fautores quotidianæ communionis, præsertim post Decretum Innocentii XI. quod communio quotidiana non sit concedenda indiscriminatim omnibus. Quales tamen ad camindulgendam conditiones exigendæ sint, non conveniunt. Quidam eam quotidianam communionem concedunt etiam iis, qui labuntur in frequentia

quentia peccata venialia. Alii id negant; P. MADRIDIUS c. 1. suam mentem his tribus propositionibus proponit. PRIMO, *Quamvis in personis tam religiosis quam sæcularibus, quæ non nimis occupatæ fuerint negotiis profanis sæcularibus, mentem à divinis nimium avocantibus, laudabilis ac fructuosa sit quotidiana communio, nihilominus saltem octavo quoque die digne accedentibus laudabiliorem, utiliorem, ac fructuosiorem, quam abstinentiam à tali frequentatione, esse censemus* SECUNDO. *Non censemus, abstinentes à frequenti communione aliquo propterea peccato obstringi.* TERTIO. *Ad hoc, ut ipsi dicantur digne accedere, non requiritur ea dignitas, quæ consistat in quadam perfectione virtutum ac donorum, & in devotione; ista enim cum sint dona Dei, in frequentatione hujus Sacramenti primum donantur, unde, ut observat Gerson, qui nolunt accedere ad hoc mysterium sine talibus donis, similes sunt frigidis, qui nolunt accedere ad ignem, quin prius sint calidi, nec ad Medicum, nisi prius sint sani.* Ita P. Madridius.

NOTANDUM 3. Eos authores, qui commendant frequentiam communionis, non intendere, ut statim introducatur consuetudo communionis quotidianæ cum strepitu, & contra morem regionis. Nam D. HYERONIMUS ad Lucinium scribens ait: *De Eucharistia quotidie accipienda, quod Romanorum Ecclesiæ & Hispanicæ observare perhibentur, scripsit quidem Hyppolitus vir disertissimus, & carptim diversi scriptores ex variis autoribus edidere; sed ego illud te breviter admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti. Atque utinam possemus Eucharistiam absque condemnatione nostri & pungente semper accipere!* Eundem in sensum P. MADRIDIUS c. 4. scribit: *Fatendum tamen, in introducenda in populos fideles frequenti communione rationem vel maximam temporum, locorum, & personarum habendam, ut sine scandalo, rixa, & contentione, & cum quam maximo potest fructu, atque ædificatione introducatur, atque recipiatur. Illud etiam affirmamus; in quibusdam regionibus, ubi consuetudo communicandi non viget, usum frequentis communionis differre satius esse, quam cum pusillorum offensione inducere: tantisper tamen, dum & per verbi divini concionatores, vel piorum hominum consuetudinem tam Præpositi, quam subditi bene de veritate atque utilitate ejus frequentationis edocti eandem cum gaudio ac spirituali consolatione recipiant; & alii aliorum exemplo ad salutiferam hujus Sacramenti susceptionem ducantur & invitentur. Cum enim populus rudis & ad divina munera cognoscenda tardus sit, aliquorum magis exemplo, quorum cor tetigerit Dominus, commoveri, quam Disputationibus, rationibusque impelli solet. Cavendum etiam est, ne ab ea frequentia abstinentes reprehendantur, vel irritentur, sed potius in spiritu lenitatis edoceantur & informentur. Quæ omnia, ne singula persequamur, pio & prudenti dispensatori consideranda & exequenda relinquimus.* Ita Madridius.

NOTANDUM 4. A P. LA CROIX, qui scripsit post Decretum Innocentii XI. circa frequentem communionem l. 6. p. 1. n. 664. 668. 669. sequentes tradi regulas. „ 1. Dicendum „ cum S. Thoma, quamvis unicuique expediat „ quotidiana communio, si adsit status gratiæ, „ actualis devotio, & debita reverentia; tamen „ quia difficile est, ut omnes, præsertim sæcu-„ lares, ista quotidie habeant, hinc quotidiana „ communio absolute loquendo non expedit o-„ mnibus indifferenter, sed hoc relinquendum „ est judicio prudentis confessarii. Absolute „ autem omnibus adultis convenit valde fre-„ quens. 2. Possunt confessarii devotis perso-„ nis, quas dirigunt, determinare dies, quibus „ communicent. Sed petentibus sæpius aut et-„ iam quotidie negari non potest communio, „ posito quod dignæ judicentur; neque deterre-„ ri debent à quotidiana communione, ut patet „ ex Decreto Innocentii XI. 3. Si tales perso-„ næ interrogent, quoties communicare possint, „ negari non debet, quod habeant jus commu-„ nicandi quotidie, si nempe judicentur dignæ. „ Si tamen non judicentur dispositæ ad toties „ communicandum, quoties forte vellent, pot-„ est dissimulari vel negari communio; quia Pon-„ tifex hoc totum, ut fiat frequenter vel infre-„ quenter, reliquit judicio confessarii & Paro-„ chi." Ita P. la Croix. His prænotatis,

DICO, Per se & regulariter communio saltem *menstrua* suadenda est omnibus Christianis; *Octiduana* iis, qui raro incidunt in peccata venialia plene deliberata, aut scandalosa, v. g. mendacia, verba scandalosa, rixosa, turpia, &c. *singulis diebus festis etiam continuis* iis, qui rarissime aut vix unquam incidunt in peccata venialia plene deliberata, aut scandalosa; *quotidiana* vero iis tantum, qui clarent eminentia quadam virtutum ac donorum supernaturalium. Ita quoad substantiam Card. LUGO Disp. 17.

DIXI, *per se & regulariter.* Quia non nego; in casu extraordinario posse sperari utilitatem communicantis adhuc sæpius incidentis in peccata venialia plene deliberata; aut posse concedi frequentiorem communionem personis non adeo eminentibus in virtute.

PROBATUR 1. Innocentius XI. in Decreto vult, communionem quotidianam vel alias frequentem tantum esse concedendam iis, quibus ea frequentia utilis futura est. Atqui utilitas tantum æstimari potest ex effectibus in Conclusione enumeratis ab experientia Confessario vel Parocho notis. Ergo; min. patet. Si enim communio octiduana nullum longo tempore habuit effectum ad diminuenda peccata venialia frequentia plene deliberata, quis alius ex frequentiori communione effectus sperari poterit, nisi vilipensio Sacramenti, & major indignatio Dei erga tepidum?

PROBATUR 2. ex tenore *Decreti Innocentiani*, cui per hanc conclusionem omnium optime & decentissime, & cum ædificatione fidelium satisfieri videtur. Tenorem habes ad finem hujus quæstionis.

PROBATUR 3. authoritate S. FRANCISCI SALESII, qui in sua Philothea part. 1. c. 2. sic scribit: *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere* (cum Augustino) *nec laudo nec reprehendo. Omnibus tamen diebus Dominicis communicandum suadeo & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Hoc ergo, quia poteris, facito. Cum enim te ab omni tum mortalis tum venialis peccati affectu alienam existimem, quam Augustinus requirit, animi affectionem & præpara-*

rationem es adepta. Deinde c. 22. explicat, quid intelligat per hunc affectum ad peccatum veniale. *Longe;* inquit, *differunt peccatum veniale, & affectus peccati venialis. Venialia enim & levia peccata omnino vitare nunquam possumus, ab ipso vero affectu cavere possumus.* Dein peccatum veniale comparat muscæ degustanti unguentum & statim avolanti. Affectum vero peccati comparat muscæ unguento inhærenti, & in eo immorienti. Idem l. 2. c. 38. loquens de puella parvula ad ejus matrem dicit: *Nolo filiam tuam ad frequentem adeo communionem adducas, nisi antea, quid sit communio frequens, recte perpendere noverit. Aliud est, communionem ab aliarum rerum perceptione, aliud, communionem frequentem à rariori secernere. Si tenella illa anima satis perspiciat, ad hoc mysterium crebrius adeundum magna mentis puritate, magnaque fragrantia opus esse; si ad eam excitatur; si sese ea puritate ornare studeat; tum vero sæpius, hoc est, decimo quinto quoque die eam ad illud admittendam assentior. Sin vero communionis tantum percipiendæ, non autem levium puerilis ætatis macularum eluendarum studio tenetur, confiteri eam octavo quoque die, & una tantum intra mensem communione uti commodius censeo. Sacra communio summo quidem ad perfectionem adjumento est, sed eam ita à nobis adiri oportet, ut, quidquid Deo, quem reperire volumus, displicet, evellendi atque amovendi studium acre ac diligens afferamus.*

Probatur 4. authoritate D. Thomæ, qui p. 3. q. 80. a. 10 c sic scribit: „Circa hujus Sacramenti perceptionem possunt duo considerari; unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris; & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambrosius dixit (*l. 4. de sacram. c. 6.*) Si, quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Unde Augustinus, cum dixisset (*serm. 28. de verbis Domini.*) Accipe, quod quotidie tibi prosit, subjungit; Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescunque se ad illud homo invenerit præparatum. Unde in l. de Eccles. Dogmatibus (C 53.) dicitur: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero." Idem in 4. dist. 12. q. 3. a. 1. qq. 2. ait: „Si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. Si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia & devotione postmodum accederet.

Probatur 5. authoritate D. Bonaventuræ. In 4. dist. 12. p. 2. q. 2. sic scribit: „Si quæritur, utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui? Dicendum, quod si videat, se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est, quotidie communicare. Si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, & tardum; laudandum est, quod raro. Si autem in medio modo; medio modo debet se habere; & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore; quia tali hospiti debetur amor & honor; & secundum illam partem, secundum quam viderit, se melius proficere, ad illam magis declinet." Similia habent Alensis, & Richardus à Lugone relati.

Probatur 6. authoritate Concilii Tridentini, quod Sess. 13. c. 8. sic babet: „Demum paterno affectu admonet S. Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, hæc SS. mysteria corporis & sanguinis ejus ea fidei constantia & firmitate, ea animi devotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is vere sit eis animæ vita, & perpetua sanitas mentis. *Et Sess. 22. c. 6. dicit:* „Optaret S. Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus SSmi. sacrificii fructus uberior perveniret. Nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas damnat." Ita Tridentinum.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. In primitiva Ecclesia omnes fideles quotidie communicabant indiscriminatim, quin verosimile sit, eos habuisse rigorosas illas conditiunes, à nobis ad quotidianam communionem requisitas. Ergo omnes fideles, nisi fuerint in statu peccati mortalis, sunt admittendi ad quotidianam communionem. *Ant. prob.*

1. In actis Apostolorum C. 2. de primis fidelibus Jerosolymitanis legitur. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus.* Per fractionem autem panis ex usu veteris Ecclesiæ intelligitur Eucharistia. Inferius autem dicitur: *Erant quotidie frangentes panem circa domos.*

2. D. Cyprianus in explicatione orationis Dominicæ ait: *Christus noster panis est. Hunc autem panem quotidie in cibum salutis accipimus, abstenti à Christi corpore separemur.*

3. D. Ambrosius l. 4. de Sacram. C. 6. *Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit; sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.*

4. D. Basilius ad Cæsaream Patritiam. *Communicare singulis diebus, & sanctum Christi corpus percipere, præclarum est & utile: cum ipse dicat: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis ergo ambigat, vitam assidue participare? Nos autem quater in hebdomadas singulas*

divina

divina sacramenta participamus, *Dominica die*, *feria quarta*, *in Parasceve*, *& in Sabbato*, *& aliis diebus*, *si quando memoria Sancti alicujus fuerit.*

5. S. HYERONIMUS in Apologia contra Jovinianum. *Scio; Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper corpus Christi accipiant; quod nec reprehendo, nec laudo. Qualibet in suo sensu abundat.*

RESPONDEO. tr. a. n. c. & p. ibi enim, cum fideles quotidie parati erant ad jacturam omnium bonorum, exilia, carceres, & acerbissimas mortes amore Christi perferendas, merito muniri debuerant quotidie cibo fortium. Eadem ratio perdurabat Romæ adhuc sæculo quarto ob persecutiones Arrianorum, & Juliani Apostatæ, aut fervorem perseverantem populi. Sed postquam Christianis superesse tantum cœpit luctamen adversus vitia, major puritas ac devotio merito requiri cœpit.

DIXI, *transeat.* Quia ex aliis Patribus constat, in pluribus locis communionem non fuisse quotidianam, sed tantum *octiduanam*, vel alias *frequentem*.

Sic 1. S. IGNATIUS M. in Epistola ad Ephes. n. 12. scribit: „ Date operam, ut crebrius ad „ Eucharistiam conveniatis. Quando enim sæ„ pe sic convenitis, infringuntur vires dœmonis.

2. JUSTINUS M. in Apolog. 2. „ Die so„ lis ab iis, qui vel in oppidis, vel ruri degunt, „ in eundem locum conventus fit. Precibus „ peractis panis offertur & vinum & aqua, & di„ stributio, communicatioque fit eorum cuique „ præsenti. Absentibus autem per Diaconos „ mittitur. Neminem autem licet Eucharistiæ „ participem fieri, quin consentaneam præce„ ptionibus Christi vitam agat.

3. S. CHRYSOSTOMUS Hom. de S. Philogonio. „ Multi Christiani in tantam væcordiam „ venerunt, ut, cum innumeris scateant malis, „ nullam tamen vitæ suæ curam habeant; sed „ in diebus festis negligenter & temere ad hanc „ mensam accedant, non intelligentes, quod „ communionis tempus non est festum, neque „ celebritas, sed conscientia pura, vitaque à „ peccatis repurgata. Quemadmodum enim, qui „ sibi nullius mali conscius est, hunc oportet „ singulis diebus accedere; sic qui peccatis oc„ cupatus est, nec pœnitet eum, eum nec in fe„ stis quidem accedere juvat (ἀσφαλές).

IDEM in Epist. ad Hebr. „ Quid ergo; „ quos magis acceptabimus? Eos, qui hoc Sa„ cramentum in anno semel, an eos, qui sæpius, „ an illos, qui rarius accipiunt? Neque illos, qui „ semel, neque qui sæpius, neque qui raro, sed eos, „ qui cum munda conscientia, qui cum mundo „ corde. Cum vita irreprehensibili isti semper ac„ cedant. Qui vero tales non sunt, neque semel. „ Hæc dicens non ab una receptione vos veto; „ sed volo vos semper accedere. Sanctis hæc „ concessa sunt.

4. S. HYERONIMUS in Epist. ad Gal. „ Sic„ ut nobis licet semper jejunare, vel semper „ orare, & diem Dominicam accepto Christi „ corpore indefinenter celebrare, non ita & Ju„ dæis fas est Agnum Paschalem semper immolare.

5. S. AUGUSTINUS in Epist. 118. ad Januarium. „ Dixerit aliquis, non quotidie ac„ cipiendam Eucharistiam. Quæsiveris, quare? „ Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus „ purius homo, continentiusque vivat, quo ad „ tantum Sacramentum dignius accedat. Alius „ econtra dicet, quod homo non debeat seipsum „ à quotidiana medicina Dominici corporis se„ parare. Rectius fortasse inter eos quispiam „ dirimet litem, qui monet, ut præcipue in pa„ ce Christi permaneant; faciat autem unusquis„ que, quod secundum fidem suam pie credit „ esse faciendum. Neuter enim eorum exhono„ rat corpus & sanguinem Domini, si saluberri„ mum Sacramentum certatim honorare conten„ dunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut „ quispiam eorum alteri se præposuit, Zachæus „ & ille centurio, cum alter eorum gaudens in „ domum suam suscepit Dominum, alter dixit: „ Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, „ ambo Salvatorem honorificantes, ambo mise„ ri, ambo misericordiam consecuti." Ex his omnibus patet, consuetudinem communionis quotidianæ non fuisse universalem.

OBJICITUR 2. Eucharistia est cibus, sed cibus quotidie sumitur licite. Ergo & Eucharistia. 2. In oratione Dominica juxta textum Græcum quotidie petimus, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, quod D. Cyprianus, D. Ambrosius, & alii de Eucharistia exponunt. 3. Manna, quod erat figura Eucharistiæ, debuit quotidie colligi. 4. Communio semper ex opere operato auget gratiam. Ergo nunquam est prohibenda. 5. Eadem tribuit semper occasionem augendi merita, proficiendi in virtute, exercendi actus fidei, spei, & charitatis, deflendi peccata, renovandi proposita. &c. Ergo quotidie est bona.

RESPONDEO. c. maj. d. min. quamdiu stomacho vitioso reperitur salubris. c. secus. n. AD 2. d. quotidie petimus hunc panem in sensu litterali, c. in sensu mystico n. In sensu litterali tantum petitur panis substantiosus valde, hoc est, valde nutritivus. AD 3. retorqueo. Illud non debuit colligi in Sabbato. Ergo nec Eucharistia debet sumi die Dominico. Ex hoc patet, tantum præfiguratum fuisse, quotidie esurientibus in sacrificio Missæ noviter parari hunc panem. AD 4. d. auget gratiam rite dispositis. c. non rite dispositis. n. AD 5. d. tribuit occasionem ad talia bona per se. c. per accidens. n. Nam ob indispositionem habitualem hominum sæpe impediuntur hæc bona. Itaque sapientissime limites posuit in Decreto sequenti.

Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum.

Circa Communionem quotidianam.

„ Cum ad aures SS. D. N. fide dignorum testi„ monio pervenerit, in quibusdam Diœcesi„ bus vigere usum quotidianæ Communionis, „ etiam in Feria Sexta Parascevæ, & simul affir„ mari; eandem quotidianam Communionem „ præceptam esse à jure divino, quin etiam in „ illius administratione aliquos abusus inoluisse, „ vide-

„ videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in „ privatis Oratoriis, & domi, imo cubantes in „ lecto, & non laborantes ulla gravis infirmita- „ tis nota sumant Sacro-Sanctam Eucharistiam, „ quam argentea theca inclusam in crumena, aut „ Secreto illis deferunt Sacerdotes sæculares, „ aut regulares; aliique in Communione acci- „ piant plures formas, ac particulas, vel gran- „ diores solito, ac tandem quis confiteatur pec- „ cata venialia simplici Sacerdoti non approba- „ to ab Episcopo, aut ordinario. Cum autem „ hæc Sanctissimus considerandā commiserit Sa- „ cræ Congregationi Cardinalium Concilii Tri- „ dentini Interpretum, eadem Sacra Congrega- „ tio, prævia matura discussione super prædictis, „ unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, „ quotidianusque Sacro Sanctæ Eucharistiæ usus „ à Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia pro- „ batus, nunquam tamen, aut sæpius illam perci- „ piendi, aut ab ea abstinendi certos singulis men- „ sibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos „ nec Concilium Tridentinum præscripsit; sed „ quasi humanam infirmitatem secum reputaret, „ nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indi- „ cavit, cum inquit: Optaret quidem Sacro- „ Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles „ adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptio- „ ne communicarent; idque non immerito, mul- „ tiplices enim sunt conscientiarum recessus, va- „ riæ ob negotia Spiritus alienationes, multæ „ econtra gratiæ, & Dei dona parvulis concef- „ sa, quæ cum humanis oculis scrutari non pos- „ sumus, nihil certi de cujusque dignitate, at- „ que integritate, & consequenter de frequen- „ tiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest „ constitui: & propterea, quod negotiatores „ ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam „ percipiendam accessus, Confessariorum secre- „ ta cordis explorantium judicio est relinquen- „ dus, qui ex conscientiarum puritate, & fre- „ quentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis „ Negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospi- „ cient eorum saluti profuturum, id illis præscri- „ bere debebunt. In conjugatis autem hoc am- „ plius animadvertant, cum beatus Apostolus „ nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex con- „ sensu ad tempus, ut vacent orationi, eos se- „ rio admoneant, tanto magis ob sacratissimæ „ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacan- „ dum, puriorique mente ad cœlestium epula- „ rum communionem esse conveniendum. In „ hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invi- „ gilabit, non ut à frequenti aut quotidiana Sa- „ cræ Communionis sumptione unica præcepti „ formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies „ generaliter constituantur; sed magis quid sin- „ gulis permittendum per se, aut Parochos, aut „ Confessarios sibi decernendum putet; illudque „ omnino provideat, ut nemo à sacro Convi- „ vio, seu frequenter seu quotidie accesserit, „ repellatur, & nihilominus det operam, ut „ unusquisque digne pro devotionis & præpa- „ rationis modo rarius, aut crebrius Dominici „ Corporis suavitatem degustet. Itidem Monia- „ les, quotidie sacram Communionem petentes, „ admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Or- „ dinis instituto præstitutis communicent; si „ quæ vero puritate mentis eniteant, & fervo- „ re Spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequen- „ tiori aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti per- „ ceptione videri possint, id illis à Superioribus „ permittatur. Proderit etiam præter Parocho- „ rum, & Confessariorum diligentiam opera quo- „ que Concionatorum uti, & cum eis constitu- „ tum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sa- „ cramenti frequentiam (quod facere debent) „ accenderint, statim de magna ad illud su- „ mendum præparatione orationem habeant, „ generatimque ostendant, eos, qui ad fre- „ quentiorem, aut quotidianam salutiferi ci- „ bi sumptionem devoto studio excitantur, „ debere, sive Laici Negotiatores sint, sive „ conjugati, sive quicunque alii, suam agno- „ scere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, „ ac divini judicii formidine discant Cœlestem „ Mensam, in qua Christus est, revereri, & si „ quando se minus paratos senserint, ab ea ab- „ stinere, seque ad majorem præparationem ac- „ cingere. Episcopi autem, in quorum Diœ- „ cesibus viget hujusmodi devotio erga sanctis- „ simum Sacramentum, pro illa gratias Deo a- „ gant, eamque ipso adhibito prudentiæ & judi- „ cii temperamento alere debebunt, & ab eo- „ rum officio postulari sibi maxime persuade- „ bunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, „ ut omnis irreverentia, & scandali suspicio in „ veri & immaculati Agni perceptione tollatur, „ virtutesque, ac dona in sumentibus augean- „ tur: quod abunde continget, si ii, qui de- „ voto hujusmodi studio, divina præstante gra- „ tia, tenentur, seque sacratissimo pane fre- „ quentius reficere cupiunt, suas vires expen- „ dere, seque probare cum timore & charitate „ assueverint. Quibus Christum Dominum, qui „ se fidelibus manducandum, & se pretium in „ morte tradidit, atque in cœlesti regno se præ- „ mium est daturus, precatur sacra Congregatio, „ ut suam opem ad dignam præparationem & „ sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & „ Parochi seu Confessarii redarguant asserentes „ Communionem quotidianam esse de jure divi- „ no; doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis priva- „ tis ex dispensatione seu Privilegio Pontificio de „ manu Sacerdotis sumendam sanctissimam Eu- „ charistiam, nec eam ullo modo deferendam in „ crumena, aut secreto ad existentes domi, vel „ cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, „ qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta ac- „ cedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia „ deferatur, publice & cum pompa juxta for- „ mam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio „ privilegiato, cum forma decenti. Curent et- „ iam, ut circa Communionem in feria sexta Pa- „ rasceves Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Roma- „ næ usus serventur. Insuper admoneant nulli „ tradendas plures Eucharistiæ formas, seu par- „ ticulas, neque grandiores, sed consuetas. „ Non permittant, ut venialium Confessio fiat „ simplici Sacerdoti non approbato ab Episco- „ po aut Ordinario. Si Parochi & Confessarii, „ etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes „ secus egerint, sciant, se Deo Optimo Maximo

ratio

„ rationem reddituros esse, neque defuturam „ Episcoporum, & Ordinariorum justam ac ri„ gorosam animadversionem in contrafacientes, „ etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facul„ tate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc De„ eretum per Sedem Apostolicam specialiter at„ tributa.

„ Et facta de præmissis omnibus, ac de ver„ bo ad verbum relatione, Sanctitas sua appro„ bavit, ac præsens Decretum typis dari, ac „ publicari voluit; In quorum &c. Datum Ro„ mæ 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiepiscopus Brancaccius Episc. Viterbien. Secretarius.

Animadversio

Circa quendam librum, editum Parisiis, Leodii, &c. à P. Joanne Pichon S. J. de frequenti communione.

Paucis abhinc annis, nempe 1746. edidit Parisiis P. Joannes Pichon S. J. librum sub titulo: *L'Esprit de Jesus Christ & de l'Eglise sur la frequente Communion.* Altero statim anno, nempe 1747. liber recusus est Leodii. Verum cum sententiæ in hoc libro contentæ incurrerent censuram quorundam Episcopórum Galliæ, author suum librum eorrectiorem in Alsatia edidit. Liber scriptus est in forma Dialogi. Interlocutores sunt quidam Abbas, *Theophilus*, & *Doctor*, cujus postremi P. Pichon personam assumit. Dialogo XIX. sic habetur:

„ Abbas. Fateor, frequentem communio„ nem esse quidem præceptam jure divino; sed „ Christus non determinavit, quoties per heb„ domadam, mensem, vel annum ea lex obli„ get?

„ Doctor. Verum est, quod hoc præce„ ptum divinum non præfigat determinatum nu„ merum communionum, ad quas Christiani per „ hebdomadam, mensem, vel annum adstrin„ gantur. Tradit tamen generalem regulam; „ quæ hanc quæstionem definiat. Regula illa „ sumitur à fine hujus Præcepti & Institutionis „ Sacramenti. Finis autem præcepti & institu„ tionis illius est præservatio à peccato & conser„ vatio in statu gratiæ. Itaque Christus præci„ cipit, toties sumi communionem, quoties ea „ necessaria est ad perseverandum in gratia, at„ que ad nos præservandos à peccato mortali, „ & peccamus toties quoties, quando recusamus „ Christo obedire in hoc puncto.

„ Abbas. Hoc quidem verum esset, si com„ munio foret solum & unicum medium vitandi „ peccatum. At vero habemus plura alia media „ perseverandi in gratia. Talia sunt oratio, au„ steritates, eleemosyna, jejunium, solitudo.

„ Doctor. Plerique Christiani moraliter „ loquendo vix habent alia salutis media, quam „ frequentem & valde frequentem communio„ nem. Quot enim sunt, qui non possunt jeju„ nare? vel longis orationibus vacare? Elee„ mosyna est impossibilis pauperibus. Solitudo „ & fuga mundi non convenit conjugatis.

„ Abbas. Ecclesia præceptum frequentis „ communionis divinum determinavit ac restrin„ xit ad communionem Paschalem annuam. Ita„ que non est peccatum, si quis non communi„ nicet sæpius, quam in Paschate.

„ Doctor. Verum quidem est, quod de„ tur præceptum *Ecclesiasticum* communicandi *sal„ tem in Paschate* (Conc. Trid. Sess. 13. Can. 9.) „ Sed independenter à præcepto Ecclesiastico „ præceptum divinum est *frequenter communicandi*, „ (l. c. e. 8.) Ecclesia sub comminatione ex„ communicationis & privationis sepulturæ præ„ cipit communionem in Paschate; sed per hoc „ non restringit præceptum divinum frequentis „ communionis, sed solum restringit pœnam ex„ communicationis.

„ Abbas. Ecclesia à me plus non postulat „ quam communionem Paschalem. Itaque non „ pecco mortaliter, si non communico, nisi in „ Paschate.

„ Doctor. Ecelesia non plus postulat *sub „ excommunicatione*, nisi communionem pascha„ lem, sed sine excommunicatione postulat fre„ quentiorem communionem (plus souvent,) „ ad hoc ut homo perseveret in gratia.

„ Abbas. Explica mihi hunc terminum „ (Concilii Tridentini) Fideles communicent „ *saltem* in Paschate.

„ Doctor. Sensus est iste. Communi„ ces *in Paschate*, & *tam sæpe*, ac communio tibi „ fuerit necessaria ad non peccandum, atque „ ad perseverandum in gratia. Severe te pu„ niam, si non communices in Paschate. Quan„ tum attinet ad alias communiones pro tua sa„ lute necessarias, te relinquo judicio Dei, &c.

Ita P. Pichon, qui tamen non determinat, quoties homo communicare teneatur per annum *generaliter* loquendo. Si enim non vellet attendi ad *periculum generale* incidendi intra annum in peccatum mortale, atque excidendi amicitia divina, quale periculum reperitur in omni Christiano, bono & malo, juvene & sene, conjugato & soluto; & tantum attendendum esset ad *periculum personale*, ea quæstio facile posset resolvi à Confessariis respectu cujuslibet pœnitentis. Mihi videtur; hanc doctrinam P. Pichon, si exactius proponeretur separando propositiones nimis generales ac nimis indeterminatas, & probationes non stringentes, quas plurimas affert, servire posse Confessariis saltem ad hoc, ut si pœnitentibus aliquando pro remedio injungant confessionem & communionem menstruam, simul iis *declarent*, quatenus opus fuerit, ipsos non solum ob pœnitentiam injunctam, sed etiam per se ac jure divino ad hoc obligari.

QUÆSTIO VI.

An ad fructum hujus Sacramenti impetrandum in recipiente requiratur devotio?

Notandum I. Duplicem esse in hac re sententiam. Veteres Theologi ferme universim docent, *prorsus nullum* ex hoc Sacramento per-

D. Amort Tract. de Eucharistia. R

percipi *fructum*, nisi in recipiente detur *actualis devotio*, hoc est, aliquis actus internus cujusdam virtutis erga Christum, v. g. fid ciæ, amoris venerationis, gratitudinis, &c. At vero multi ex modernis Theologis docent, in sumptione Eucharistiæ conferri ex opere operato gratiam, etiamsi nulla in recipiente detur devotio, dummodo non detur obex gratiæ per peccatum mortale.

NOTANDUM 2. à Goneto, & aliis duplicem in Eucharistia distingui gratiam; nempe *habitualem* & *actualem*. Asserit proin, in Eucharistia semper conferri augmentum gratiæ habitualis, etiamsi in recipiente nulla reperiatur devotio. At vero concedit; ejusmodi communicanti nullas conferri speciales gratias actuales, seu illustrationes ac incitamenta ad bene operandum; & ideo fieri, quod sine devotione communicantes vel celebrantes nunquam fiant meliores.

NOTANDUM 3. Aliud esse, quod *sine devotione communicans* nullam recipiat; & aliud, quod *cum peccato veniali communicans* nullam accipiat gratiam. Nam potest durante communione actu committi peccatum veniale, v. g. negligentia in repellendis distractionibus, vana complacentia de seipso, appetitus inanis gloriæ, præsumptio in postulandis gratiis gratis dari solitis, &c. & tamen simul dari devotio actualis erga Christum. Neque enim hæc duo incompatibilia sunt in eodem subjecto, affectus peccati venialis, & devotio, seu actus virtutis. Imo in Tract. *de Actibus humanis* ex D. BERNARDO ostendi, eundem actum quoad diversas intentiones spectatum, v. g. erogationem eleemosynæ, posse esse simul meritorium & demeritorium.

DICO. In Eucharistia à recipiente prorsus nullus obtinetur fructus seu gratia, nisi in eo reperiatur devotio.

PROBATUR I. authoritate Theologorum veterum.

I. S. THOMAS in 4. dist. 12. q. 2. a. 1. qq. 3. C. „ Dicendum, quod omnis perfectio aqui„renda impeditur per remotionem propriæ di„spositionis. Sicut autem dispositiones mate„riales se habent ad perfectionem formæ, ita „actus se habent ad perfectionem finis. Unde „cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo „fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat „in sumente, oportet quod adsit actualis devo„tio. Et quia interdum absque mortali peccato „actualis devotio impediri potest, cum distra„ctiones variæ ipsam impediant, & peccata ve„nialia virtutum actum tollant, absque pecca„to mortali potest effectus hujus Sacramenti „impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ „non consequatur. Nec tamen reatum peccati „mortalis incurret; sed forte reatum venialis „peccati; ex hoc, quod imparatus accedit. ET AD I. ubi ex S. Ambrosio objiciebatur; *eum spiritualiter manducare*, ac proin consequi gratiam Sacramenti, *qui innocentiam*, hoc est, carentiam peccati mortalis, *ad altare portat*, sic respondet: „ Dicendum, quod innocentiam portans spiri„tualiter manducat habitu, sed non semper actu, „& ad hoc, quod effectum Sacramenti perci„piat, oportet, quod actu spiritualiter mandu„cet. ET AD 2. Effectus baptismi non impe„ditur, nisi per propositum peccati mortalis „committendi, quod directe vitæ spirituali op„ponitur. Sed in hoc Sacramento fit conjun„ctio ad finem, quæ debet esse per debitam „operationem. Et ideo defectus talis opera„tionis impedit effectum Sacramenti. ET AD 3. „Dicendum, quod non omne peccatum venia„le impedit effectum hujus sacramenti, sed so„lum illud, quod tollit actualem devotionem, „quæ exigitur in hoc sacramento.

II. ALENSIS part 4. q. 10. membro. 8. §. 2. sic scribit: „ Respondeo, quod hoc sacramen„tum non semper habet efficaciam in justis. „Quandoque enim justus accedit ad altare ita „tepide & indevote, & ita sine debita reveren„tia & timore, & cum tanta distractione animi, „quod nullum reportat commodum, licet non „incurrat offensam mortalem. Requiritur er„go, quod justus ad hoc, quod hoc sacramen„tum habeat efficaciam in eo, ita quod ex eo „commodum reportet; quod præparat se, con„siderando, ad quid accedat, ut cum devotio„ne & reverentia accedat. Ut ergo non impe„diatur efficacia hujus sacramenti, debet acce„dens cibum istum ab aliis discernere actu fidei, „deinde seipsum examinare & purgare; demum „cum devotione & reverentia illum assumere. „Ad illud, quod objicitur; quod in viro justo „non invenitur obex; dicendum; quod omis„sio præparationis obex est.

III. S. BONAVENTURA in 4. dist. 12. a. 1. q. 1. C. „ Dicendum, quod sacramentum hoc „non habet efficaciam in aliquo, nisi in digne „accedente. Digne autem accedere in hoc con„sistit, quod homo se præparet, sicut debet. „Tantum enim Sacramentum recipere, sicut re„cipitur alius cibus, non est congruum, nec „fructuosum. Et quia in hoc sacramento præ„sens est divina majestas, & summa exprimitur „charitas; ideo debet recipi cum honore & de„votione. Ad hoc ergo, quod sacramentum „hoc habeat in aliquo efficaciam; primo opor„tet cibum illum ab aliis discernere per fidem; „secundo hospitium præparare per suiipsius præ„parationem; tertio in hospitium paratum re„cipere cum honore & devotione. ET AD I. „Ad illud, quod quæritur, utrum vir justus re„cipiat efficaciam, dicendum, quod si se debi„te præparet, recipit: alioquin, si ex quodam „torpore, vel ex distractione non se debite præ„paret, aut nullam, aut modicam reportat ef„ficaciam, quamvis non incurrat mortalem of„fensionem. AD 2. ad illud, quod objicitur „de obice, dicendum, quod ad illud sacramen„tum requiritur liberi arbitrii cooperatio; & „ideo omissio obex est; & non tantum pecca„tum, verum etiam solicitudo vel distractio. „AD 3. Vir justus tunc spiritualiter manducat, „quando movetur motu fidei & charitatis, quia „quia tunc masticat. Et ideo si negligit, non „reportat effectum. AD 4. ad illud, quod ob„jicitur de carbone ignito, dicendum, quod „operatur in sensum ratione organi. Sed si ope„raretur in sensum ratione sui, tunc sensus oc„cupatus circa aliud non sentiret, nec calefie„ret.

„ ret. Hujus autem exemplum est in visu, quan„ do quis dormit, vel occupatur alibi. Si ergo „ sensus mentis nostræ vult ab hoc carbone in„ flammari, necesse habet ad ipsum converti & „ dirigi.

IV. Paludanus in 4. dist. 12. q. 1. a. 2. conclus. 3. ait: „Effectus hujus sacramenti pot„ est impediri per peccatum veniale; non qui„ dem per omne, sed solum per illud, quod im„ pedit actualem devotionem & distrahit men„ tem, ne actu feratur in Deum; sicut debet; „ quia ad hoc, quod aliquid nutriatur, opor„ tet ipsum cooperari; quia nutriens agit in nu„ trimentum. Unde in isto nutrimento, licet „ Deus operetur principaliter, oportet tamen „ quod homo cooperetur instrumentaliter, ipsum „ devote amplectendo. Illud igitur veniale, „ quod impedit actualem devotionem, impedit „ fructum.

V. Durandus in 4. dist. 12. q. 4. ad 2. „ Dicendum, quod effectus hujus sacramenti „ impeditur per peccatum veniale; non quidem, „ si sit in nobis solum secundum reatum; sed „ quando in nobis est secundum actum. Tale „ enim peccatum veniale impedit debitam devo„ tionem, quam actualiter debet habere susci„ piens hoc Sacramentum, & per consequens „ impedit ejus effectum; quia quamvis non op„ ponitur gratiæ vel charitati, opponitur tamen „ ejus ferviri & devotioni accidentali, quam re„ quirit sacramentum.

VI. S. Antoninus p. 3. tit. 13. c. 6. q. 8. „ Secundum, quod requiritur ad idoneum cele„ brationem vel communicationem, est actua„ lis devotio. Ad hoc enim, ut aliquid nutri„ at, oportet ipsum aliquid cooperari; quia „ nutriens agit in nutritum. Cum ergo istud „ sacramentum detur ad nutriendum spirituali„ ter, licet Deus operetur principaliter, opor„ tet tamen, quod homo operetur instrumenta„ liter, ipsum devote amplectendo. Non ergo „ quodlibet veniale, sed illud, quod impedit „ actualiter devotionem, id est, quod distrahit „ mentem, ne actu feratur in Deum, impedit „ sacramenti fructum; nec tamen facit incurre„ re mortale. Dicitur autem devote communi„ care, si conatur omnem distractionem & eva„ gationem mentis expellere, & non deliberate „ eam tenet, si occurrat; & quia meditatio pas„ sionis Christi multum est inductiva devotionis „ super alia, ideo accedenti ad communionem „ multum congruit ipsam meditari.

VII. Sylvester V. Eucharistia in fine. „ Effectum Eucharistiæ impediunt peccata ve„ nialia præsentia quoad refectionem dulcedi„ nis spiritualis, non autem quoad augmentum „ gratiæ habitualis: aliqua tamen venialia impe„ diunt gratiæ augmentum, scilicet quæ faci„ unt mentis distractionem, & tollunt devotio„ nem actualem. Nec tamen tunc incurritur „ necessario peccatum mortale, sed veniale tan„ tum: ut habet D. Thomas p. 3. q. 79. a. 3. & „ in 4. dist. 12. q. 2. a. 1. qq. 3. Peccata tamen „ venialia præterita nullo modo hunc effectum „ impediunt

D. Amort Tract. de Eucharistia.

VIII. Petrus Soto, primarius Theologus Papæ in Concilio Tridentino in l. *De Institutione Sacerdotum.* De Eucharist. Lect. 12. „ Fie„ ri potest, ut quis non peccet accipiendo, nec „ tamen consequatur fructum. -- Circa peccata „ venialia, quæ in ipsa sumptione Sacramenti „ committuntur, qualis est mentis evagatio cir„ ca extranea, sive licita sive illicita, modo sit „ venialis, quæritur, an impediant fructum Sa„ cramenti? Est vero gravium authorum sen„ tentia, quod procul dubio impediant. Ita „ Beatus Thomas, Bonaventura, & Alexander „ de Ales. Quod & manifestissima ratione pro„ bant & communi; quam supra explicavimus. „ Homo, inquiunt, sicut non justificatur, ita „ nec perficitur à Deo, nisi ipso cooperante, „ ut scilicet servetur ordo suavis dispositionis „ rerum. Unde & Sacramenta ipsa non aliter „ operari diximus, quam mentem excitando ad „ effectum suum consequendum. Cum itaque „ charitas non augeatur, nisi cum augetur af„ fectus ipse & conatus; hunc vero impediat „ etiam peccatum veniale; non putant, eo ma„ nente augeri charitatem. Multo vero minus „ credunt, posse alios effectus haberi, spiritua„ lis videlicet refectionis, consolationis, & gu„ stus divinæ dulcedinis, quæ procul dubio exi„ gunt multo majorem animi puritatem, & quie„ tem in Deum. Est etiam specialis & major ra„ tio in hoc sacramento quam in aliis. Hoc enim „ cum cibus sit spiritus, requirit actum spiritua„ lis vitæ, hoc est, manducationem actualem, „ ut operetur; sicut corporalis cibus non nisi à „ vivente sumptus operatur. Cæterum quia ip„ se B. Thomas postea in p. 3. Summæ q. 97. a. „ 8. aperte asseruit, hoc peccatum evagationis „ animi, sicut non opponitur habituali charita„ ti & gratiæ, ita nec impedire augmentum ejus, „ & consequenter posse per hoc sacramentum „ augeri habitum gratiæ & charitatis, reddit hanc „ rem dubiam, quæ tamen non longa disputa„ tione, aut controversia, sed prudenti mode„ ratione expendenda est. Putamus igitur, se„ quentia posse affirmari citra temeritatem & pe„ riculum.

„ Primum. Aliquam esse tantam mentis „ evagationem, quæ non solum totum fructum „ sacramenti impediat, sed reum etiam faciat „ gravioris peccati, & quæ sumentem non par„ vo periculo exponat, etiamsi præter intentio„ nem & sine peccato mortali contingat. Hoc „ enim probat ratio illa superius adducta pro „ priori sententia, & omnia procul dubio Chri„ stianus sensus, qui magnam tepiditatem, & ex „ ea longam oblivionem in hoc tantæ sanctita„ tis opere fugit & timet.

„ Secundum. Potest nihilominus tam par„ va evagatio esse, tam præter intentionem, ut „ merito credi possit, Deum misericordem non „ omnino avertere faciem, & gratiam suam pro„ pter hanc, quæ sola infirmitas est humana. Igi„ tur hæc non impediet, sed tanquam levis quæ„ dam nebula dissolvetur virtute devotionis præ„ teritæ. Et nonnunquam fit, ut etiam in ipsa „ evagatione duret nonnullum desiderium fer„ voris & charitatis, vel saltem voluntas ipsa

,, ſumendi ſacramentum, de quo illa B. Thomæ
,, ſententia intelligi poteſt." Ita Petrus de Soto, ad cujus doctrinam contremiſcant Sacerdotes tepidi, quotidie celebrantes ex conſuetudine aut amore ſtipendii ſine ulla devotione.

VIII. CAJETANUS Cardinalis in Commentario ad p. 3. q. 79. a. 1. ſic ſcribit: ,, Intelligo
,, in tota hac materia per tempus ſumptionis
,, Euchariſtiæ non illam ſolam morulam, qua de-
,, glutitur; ſed cum conſequente temporis ſpatio,
,, quo Chriſti corpus ſacramentaliter in ſumente
,, perſeverat. .... D. Thomas in 4. diſt. 12. te-
,, net, augmentum gratiæ impediri ex impedi-
,, mento actualis converſionis animæ ad Deum,
,, ac per hoc ſentit, quod idem eſt tempus ſum-
,, ptionis ſacramenti, & tempus augmenti gra-
,, tiæ; quia illud conſtat eſſe tempus transforma-
,, tionis actualis animæ in Deum. In hac autem
,, quæſtione art. 8. verba D. Thomæ ſonant op-
,, poſitum, dum dicit, quod mentis diſtractio
,, per peccata venialia in actu tollit quidem actua-
,, lem refectionem ſpiritualis dulcedinis, non
,, autem augmentum gratiæ habitualis. Et rur-
,, ſus in RESPONS. 1. inquit; ille, qui cum actu
,, peccati venialis ad hoc ſacramentum accedit,
,, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter,
,, ſed non actualiter, & ideo habitualem effectum
,, hujus ſacramenti percipit, non autem actua-
,, lem. Quæ authoris verba poſſunt tripliciter
,, intelligi. Primo, ut ſonant ſecundum ſuper-
,, ficiem, ut per hoc ſacramentum augeatur in-
,, intenſive habitualis gratia tunc cum ſumitur,
,, etiamſi nullus interior charitatis actus ob men-
,, tis diſtractionem interveniat; & hoc ex virtu-
,, te ipſius ſacramenti cauſantis hujusmodi aug-
,, mentum in anima, nullum huic habituali aug-
,, mento impedimentum præſtante. Et hic ſen-
,, ſus favorabilis eſt, & demulcens aures multi-
,, tudinis innumerabilium ſacerdotum, quaſi quo-
,, tidie aut frequentiſſime celebrantium, qui ta-
,, men ſeipſis meliores non quotidie fiunt. Mihi
,, autem iſte ſenſus verus non apparet. Si enim
,, qualibet ſumptione Euchariſtiæ augeretur gra-
,, tia infinitorum pene ſacerdotum, quos credi-
,, mus vere in gratia celebrare, charitas jam
,, eſſet major intenſive, quam credi rationa-
,, bile ſit, cum tanta magnitudo charitatis in
,, tanta multitudine otioſa appareat, quoniam
,, nec extra apparent, nec intus de ſeipſis te-
,, ſtantur actus ſimiles ferventiſſimæ charita-
,, tis; & tamen certum eſt, quod ſicut amor
,, Dei non eſt otioſus, ſed operatur magna, ſi
,, eſt, ita tam magna augmentatio amoris Dei
,, non eſt otioſa, ſed operatur multo majora,
,, quam prius, proportionaliter, ſi eſt, & con-
,, ſequenter ſi longe majora operari renuit, lon-
,, ge major charitas non eſt. Præter hanc ab
,, experientia conjecturam in promptu ratio cum
,, authoritate ſuffragatur. Sacramentum hoc,
,, quia datur per modum cibi & potus, non nu-
,, trit niſi per modum nutrimenti. Sed ſine actu
,, vitali nutriti tam cibus quam potus nec nutrit
,, nec auget. Ergo ſine operatione vitali ſpiri-
,, tuali animæ, quæ nutritur, cibus iſte nec nu-
,, trit nec auget. Aliter ergo intelliguntur ver-
,, ba D. Thomæ de perceptione habituali, ut ſit
,, ſenſus, quod talis diſtractus non actualiter,
,, ſed habitualiter percipit effectum habitualem,
,, hoc eſt, quod per hanc ſumptionem mereatur
,, augmentum charitatis, exequendum tamen
,, tempore, quo ad hoc erit diſpoſitus. Et ſe-
,, cundum hunc ſenſum tempus augmenti chari-
,, tatis eſt, quando ſumens eſt diſpoſitus ad aug-
,, mentum, ſive hoc ſit tempore ſumptionis,
,, ſive poſt. Tertius ſenſus eſt, quod D. Tho-
,, mas per actualem manducationem non intelli-
,, git quamcunque actualem devotionem, ſed il-
,, lam ſolam, quæ ſpiritualis delectatio animæ
,, eſt. Et ſecundum hunc ſenſum plana ſunt
,, omnia. Siquidem augmentum habitualis gra-
,, tiæ valde multis credimus contingere, qui di-
,, gne & devote ad hoc ſacramentum accedunt,
,, & tamen expertes ſunt ſpiritualis dulcedinis.
,, Non igitur docet hoc D. Thomas, quod ſu-
,, mens abſque omni actuali devotione conſequi-
,, tur augmentum gratiæ. Sed quod ſumens abſ-
,, que actuali refectione delectationis ſpiritualis,
,, & hoc ex ſua culpa veniali, ſi quoad alios
,, actus devote accedit, habituale augmentum
,, gratiæ conſequi ex hoc non impeditur; quod
,, tamen poſſet aliunde impediri, puta ex tam
,, parva devotione, ut non ſufficiat diſpone-
,, re ad augmentum gratiæ. Et hæc expoſitio
,, amplectenda videtur." Hucusque Cajetanus.

PROBATUR 2. Si Euchariſtia ex opere operato conferret augmentum gratiæ habitualis etiam ſine devotione, ſequeretur, quod communio quotidiana omnibus fidelibus eſſet utilis, dummodo non exiſtant in ſtatu peccati mortalis, etiamſi accederent tepide ex conſuetudine, & ſine ulla devotione. Sed hoc non poteſt dici. Ergo *min. prob.* Hoc eſt contra ſenſum Eccleſiæ & Doctorum, prout patet ex DECRETO INNOCENTII XI. & ex D. Bonaventura *quæſtione præcedente* relatis, in quibus ſupponitur, aliquibus quotidianam communionem eſſe utilem, aliis eam non eſſe utilem. Dicitur enim; illis tantum communionem quotidianam ſuadendam aut permittendam eſſe *quibus fuerit utilis*.

PROBATUR 3. Augmentum gratiæ ſeu *charitatis habitualis* nunquam fit ſine augmento charitatis actualis. Atqui augmentum charitatis actualis fieri nequit ſine actu interno devotionis, ſeu boni motus tendentis ad Deum. Ergo; min. patet. *maj. prob.* Nunquam infunditur homini charitas habitualis ſine actu charitatis, qui ſe habeat per modum diſpoſitionis ad charitatem habitualem. Ergo etiam augmentum charitatis habitualis nunquam fit ſine augmento charitatis actualis, quæ ſe habeat per modum diſpoſitionis ad augmentum charitatis habitualis. *ant.* & tota argumentatio eſt D. Thomæ, & Cajetani, & Petri de Soto, prout patet ex eorum textibus. Nam D. Thomas docet; quod nulla perfectio aquiratur ſine diſpoſitione; & eam diſpoſitionem materialem ad habitum charitatis docet eſſe motum charitatis in Deum, excitatum per gratiam actualem; ad augmentum vero charitatis docet diſpoſitionem materialem conſiſtere in devotione, & CAJETANUS ex augmento charitatis habitualis infert, neceſſarium eſſe augmen-

tum

tum charitatis actualis, utpote quæ se habeat per modum dispositionis ad charitatem habitualem. PETRUS DE SOTO autem, qui se remittit in suo textu ad ea, quæ prius *supra* dixerat, *Lect.* 9. *de effectu Sacramentorum & gratia* sic scribit: *Quartum denique non est prætermittendum; quod videlicet ita asserimus hanc virtutem Sacramentorum* (conferendi ex opere operato gratiam,) *ut tamen aperte doceamus, necessariam esse in adultis dispositionem propriam, & actum liberi arbitrii cooperantem gratiæ & sacramentis. Atque ita hæretici aperte convincuntur nobis imponere, qui dicunt, nos ex hac prædicata sacramentorum virtute occasionem dare negligentiæ & socordiæ, quasi absque bono aliquo motu animæ nostræ sacramenta operentur. In parvulis quidem hoc credit tota Ecclesia, sed de adultis nullus, qui prudenter loquitur, hoc asserit. Hæc est B. Thomæ sententia manifestissima* 1. 2. & *p.* 3. *ubi ait; adulta non remitti peccata, etiam in baptismo, sine actuali mutatione animi, quæ fit per pœnitentiam. Et de remissione venialium loquens eodem loco, ait; gratiam nec dari nec augeri, nec peccatum remitti adultis, etiam veniale, sine motu cordis & præparatione.* (ita S. Thomas. 1. 2. q. 113. a. 3. Et p. 3. q. 86. a. 2. & q. 87.) *B. Bonaventura in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *idem diligenter confirmat & Alexander de Ales p.* 4. *q.* 72. Hucusque Petrus de Soto.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si communicantes sine devotione nullum obtinerent effectum sacramentalem vel augmentum gratiæ habitualis, sequeretur, quod omnes ejusmodi communicantes peccarent mortaliter. Sed hoc non potest dici. Ergo; *maj. prob.* Omnes ejusmodi communicantes frustrarent Sacramentum suo effectu. Sed frustrantes sacramentum suo effectu peccant mortaliter. Ergo. 2. Ille est capax gratiæ sacramentalis, qui non ponit obicem gratiæ. Sed communicans in statu gratiæ, etiamsi nullam habeat devotionem, nullum ponit obicem gratiæ. Ergo. *maj. prob.* ex parvulis baptizatis, & ex iis, qui in phrenesi, delirio, aut somno accipiunt gratiam sacramentalem absolutionis, communionis, extremæ unctionis; matrimonii contracti per procuratorem &c.

RESPONDEO d. maj. sequeretur, quod peccarent mortaliter, si hoc faciant ex consuetudine, vel cum contemptu interpretativo. c. secus. n. maj. Quod enim sacerdotes ex consuetudine celebrantes sine ulla devotione peccent mortaliter, non dubito. Idem concedo de communicantibus præcise ex respectu humano sine ullo bono actu interno antecedente ac virtualiter perseverante, vel concomitante actum indevotionis, aut subsequente, quamdiu adhuc remanent species. Id enim indicare videtur Petrus de Soto, & Cajetanus. De aliis vero, qui Christo saltem in actu exercito exhibent actum fidei ac religionis, spei & fiduciæ, seu actum protestativum suæ unionis ad Ecclesiam, dico, quod peccent quidem venialiter, & nutriantur saltem in habitu fidei & spei, non tamen in habitu charitatis, utpote in quo se non movent dispositive ad obtinendum ejus augmentum. Cæterum si quis scienter & advertenter nec poneret saltem actum fidei aut spei pro se vel aliis, id foret contemptus interpretativus hujus sacramenti, & peccatum mortale.

AD 2. d. maj. qui nullum ponit obicem gratiæ saltem negativum. c. qui tantum non ponit obicem positivum. n. Ut enim ostensum est ex Petro de Soto, Cajetano, & D. Thoma, etiam in sacramentis ad obtinendam gratiam in adultis requiritur dispositio positiva, quæ saltem virtualiter perserveret & existat in susceptione Sacramenti.

OBJICITUR 2. D. Thomas in Summa retractavit suam priorem sententiam. Ergo; *ant. prob.* part. 3. q. 79. a. 8. C. dicit: *Effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis.* Ibidem AD 1. dicit: *Ille, qui cum actu peccati venialis ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum hujus sacramenti percipit, non autem actualem.* 2. Etiam ALENSIS concedit augmentum gratiæ habitualis in eo, qui sine devotione accedit. Ergo non bene citatur. *ant. prob.* part. 4. q. 10. memb. 8. art. 3. ad 5. dicit: *Cum, quantum ad plura, attendatur augmentum virtutum conferri in hoc sacramento; fortasse quantum ad aliquid eorum conferenda est ejus efficacia in casu proposito, utpote quantum ad robur contra tentationes, vel aliquod aliud. Existimo enim sine præjudicio, quod justus accedens ad communionem sacram, licet negligens fuerit in præparando se modo debito & sufficienti, dummodo non cadat à justitia, assequatur aliquo modo effectum principalem hujus sacramenti, scilicet unionem firmiorem cum capite & cum membris, & ex unione illa firmiori fortior efficitur contra tentationes. Hoc opinando dico, non asserendo.*

RESPONDEO. n. a.

AD 1. d. Per peccatum veniale non tollitur augmentum gratiæ habitualis, si cum peccato veniali antecedenter, concomitanter, vel subsequenter concurrat actus internus devotionis in ratione fidei, spei, vel charitatis. c. si non concurrat. n. D. Thomas solum ostendit, quod per peccatum veniale non necessario ac per se tollatur augmentum gratiæ habitualis, quia peccatum veniale in uno genere compatitur bonum affectum in alio genere. Et sic etiam observat S. Bonaventura in 4. dist. 12. q. 1. a. 1. q. 3. ad 3. ubi observat, per peccatum veniale non irritari effectum hujus sacramenti, quia unum peccatum veniale potest remitti sine altero. Ad alterum textum

RESPONDEO d. dicit hoc S. Thomas, sumendo to *habitualiter* pro *virtualiter*. c. sumendo hunc terminum præcise pro actu præterito non retractato. n. Quod D. Thomas hunc terminum *habitualiter*, vel *habitualis*, aliquando pro eodem sumat, ac *virtualiter*, vel *virtualis*, manifeste ostendi in Tract. *de actibus humanis*, ubi egi de *actu indifferenti*. Itaque etiam hoc loco potest sic accipi, ut sensus sit; eum, qui ante actualem sumptionem Eucharistiæ se præparavit ad com-

 munio-

munionem v. g. jejunando, orando, mundando, flectendo, ficque in actu exercito eliciendo actus fidei, fpei, vel religionis, charitatis, adhuc *virtualiter* retinere hanc devotionem internam, etiamfi fub ipfa fumptione actu diftractus fit; & fic ratione illius devotionis virtualiter perfeverantis obtinabit augmentum gratiæ habitualis.

Ad 2. D. Alenfis concedit augmentum gratiæ in eo, qui accedit fine ulla devotione. o. qui tantum accedit fine fufficienti devotione in ordine ad totum effectum. n. Alenfis hoc loco idem docet, quod fupra docui, oempe communicantes obtinere gratiæ augmentum proportionatum ad fpeciem virtutis, per quam fe quisque difpofuit. Hinc cum nullus fine contemptu interpretativo accedat faltem fine actu fidei vel fpei vel religionis, fufpicatur, in tali communicante augeri gratiam habitualem fidei & fpei, fine habitum charitatis extenfive ad actus fidei & fpei per firmiorem unionem ad Ecclefiam.

Objicitur 3. S. Damafcenus l.4. d. fide. C. 14. dicit, quod caro Chrifti fit ficut carbo ignitus. Ergo ficut carbo ignitus calefacit, quod nihil habet caloris; ita etiam corpus Chrifti accendit ad virtutem eos, qui nihil habent devotionis.

Respondeo. c. a. n. C. & p. Difparitas eft, quam dat S. Bonaventura, quia videlicet fubjectum calefactionis fe habet paffive, non autem fubjectum amoris divini erga homioem habet fe paffive fed active. Eft enim impoffibile, quod Deus amet hominem, vel eum magis amet amore amicitiæ, quin viciffim detur aut crefcat reciprocus amor amicitiæ. Itaque ejusmodi tepide fine devotione communicantibus congruit il lud Origenis Hom. 2. in Pfal. 37. ubi ait: *Communicare non times corpus Chrifti, accedens ad Eucharifliam quafi mundus ac purus, quafi nihil in te fit indigni, & in his omnibus putas, quod effugies judicium Dei? Non recordaris illud quod fcriptum eft: Quia propterea in vobis multi infirmi, & imbecilles? Quare multi infirmi? Quoniam non feipfos dijudicant, neque intelligunt, quid eft attendere ad tanta myfteria? Patiuntur hoc, quod febricitantes pati folent, cum fanorum cibos præfumunt, fibimetipfis inferentes exitium.*

§. VI.

QUÆSTIUNCULÆ.

I. Circa obligationem communicandi jure divino.
II. Circa obligationem communicandi jure Ecclefiaftico in Pafchate.
III. Circa Miniftrum Euchariftiæ.
IV. Circa jejunium requifitum.
V. Circa alias difpofitiones ex parte communicantis requifitas.

§. I.

Circa obligationem communicandi jure divino?

Quæritur 1. An detur præceptum divinum fumendi Euchariftiam?

Respondeo. Datur. Ita D. Thomas in 4. d. 9. & nunc omnes Doctores; licet illud olim negaverit Alenfis p. 4. q. 51. n. 4. *D. Bonaventura* in 4. dift. 72. a. nlt. q. 1. *Sylvefter* V. *Euchariftia*. 3.

Probatur ex verbis Chrifti Joa. 6. *Nifi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* ex quo patet Euchariftiam effe medium divinitus ordinatum ad vitam & quidem *medium fine quo non*, quod proin, five intelligatur de *vita animæ*, five de vita æterna corporis per refurrectionem & dooum immortalitatis, fine gravi peccato contemni oequit.

Quæritur 2. An hoc præceptum obliget etiam non baptizatos?

Respondeo. Probabillus eo obligari etiam non baptizatos. Ita *Suarez*, *Vafquez*, *Lugo*, &c. contra *Sotum* in 4. *Bonacinam*, *Leandrum* &c.

Probatur. Qui obligatur ad aliquem ftatum fufcipiendum, eodem jure obligatur etiam ad omnia annexa illi ftatui. Ergo, qui jure divino obligatur ad fufcipiendum ftatum hominis Chriftiani, feu baptifmum, tenetur etiam eodem jure ad obligationes hominis Chriftiani, jure divino annexas huic ftatui.

Quæritur 3. Quoties in vita detur obligatio fumendi Euchariftiam?

Respondeo. *Paludanus*, *Cajetanus*, *Ledefma*, *Victoria* exiftimant, fufficere, fi in vita accipiatur femel. Sed D. Thomas, *Suarez*, *Vafquez*, *Lugo*, &c. docent, dari obligationem, fæpius communicandi in vita. Cenfeo, jure divino dari obligationem fæpius communicandi in vita, ita tamen, ut *quoties* relinquatur determinationi Ecclefiæ. Itaque ea obligatio erit juris divini quoad fubftantiam, feu quoad rationem genericam *frequentationis*, fed quoad modum, feu rationem fpecificam numeri erit juris Ecclefiaftici.

Quæritur 4. An hoc præceptum obliget in articulo mortis fpecialiter, etiamfi quis jam communicaverit in Pafchate?

Respondeo. Id negant D. *Bonaventura*, *Paludanus*, *Cajetanus*, *Sylvefter*, *Armilla*, *Ledefma*, *Victoria*, *Rodriquez*, *Graffis*. Econtra id affirmant uterque *Sotus*, *Durandus*, *Suarez*, *Vafquez*, *Valentia*, *Lugo*, *Leander*, & alii relati à Leandro, cujus funt etiam aliæ citatiooes authorum, quas in omnibus his quæftiunculis cito. Quod femel monuiffe fufficiat. Cenfeo, eam obligationem, fi abfit contemptus, afcendere ad minimum ad culpam venialem, nifi negligentiam excufet difficultas advocandi Miniftrum. Imo *per accidens* ratione imminentis agonis graviffimi cum dæmone ineundi, & ratione exercendi actus charitatis in articulo mortis, timendum, ne temeritatem & teporem, præfertim relative ad præcedentia vitæ acta, habeat pro objecto gravis difplicentiæ, & pro defectu charitatis.

Quæritur 5. An ille, qui paulo antequam incideret in articulum mortis, communicavit, teneatur rurfus communicare in ipfo mortis articulo?

Respondeo. Id negant *Paludanus*, *Angelus*, *Suarez*, *Henriquez*, *Conink*, *Reginaldus*, *Layman*,

man, *Bonacina*, *Fagundez*, *Granadus*, *Lugo* &c. Sed *Vasquez*, *Hurtado*, *Leander*, &c. id affirmant. Censeo; priori sententiæ concedendum, in tali casu non dari obligationem *per se*, dari tamen obligationem *per accidens* ratione imminentis agonis extraordinarii ac omnium gravissimi cum dæmone, & ratione exercendi actus charitatis, quæ serio ac efficaciter tendit ad sui unionem cum Deo modo meliori, quo potest. Ea obligatio ad minimum obligat sub veniali, nisi excuset difficultas obtinendi Ministrum.

QUÆRITUR 6. An *debeat* aut saltem *possit* Viaticum sumere ille, qui eadem die jam communicavit ex devotione?

RESPONDEO. Utrumque negant *Suarez*, *Ægidius Conink*, *Fagundez*, *Zambrana*, *Granadus*, *Layman*, *Lugo*, *Diana*, *Trullench*. Id vero affirmant *Hurtado*, *Vasquez*, *Mendoza*, *Turrianus*, *Leander* & alii. Censeo, talem posse sumere communionem per modum viatici, sed non teneri, nisi valde tepide communicaverit, ut exiguum inde speret fructum & robur pro imminente agone, aut nisi omiserit in communione exercere actum competentem charitatis tendentis ad unionem cum Christo.

QUÆRITUR 7. An detur obligatio iterum communicandi, si ægrotus sumpto semel viatico postea mortaliter peccet?

RESPONDEO. Id affirmant *Armilla* & *Tabiena*. Sed id negant *Suarez*, *Henriquez*, *Ægidius*, *Bonacina*, *Hurtado*, *Lugo*, *Filliucius*, *Leander*, & alii. Adducit Leander pro se praxin Ecclesiæ, quia nullus Parochus audet hodie dare viaticum illi, cui heri dederat. Censeo; in tali ægroto eo fortiorem dari obligationem de novo communicandi, si id absque scandalo fieri convenienter possit, quo experitur se infirmiorem & imparatiorem pro imminenti agone, & quo majorem in se advertit teporem charitatis.

QUÆRITUR 8. An ille, qui in articulo mortis culpabiliter vel inculpabiliter non communicavit, teneatur illo transacto communicare ad implendum præceptum?

RESPONDEO. Non tenetur supplere. Ita *Henriquez*, *Bonacina*, *Lugo*, *Leander*.

QUÆRITUR 9. An hoc præceptum obliget pro articulo mortis, si mors est authoritate judicis infligenda?

RESPONDEO, Obligat. Ita *Suarez*, *Henriquez*, *Fagundez*, *Trullench*, *Leander*, *Dicastillo*, qui addit, post decretum S. PII V. editum anno 1569. non posse damnatis ad mortem Sacram Eucharistiam negari.

QUÆRITUR 10. An ille, cui Judex jubet mortem inferri eadem die absque ulla dilatione, teneatur communicare etiam non jejunus?

RESPONDEO. Id negat *Navarrus*, & *Victorellus*. Sed *Leander* respondet, teneri etiam non jejunum. Ab eo citatur *Suarez*, *Henriquez*, *Zambranus*, *Layman*, *Sylvius*, *Reginaldus*, *Ægidius*, *Diana*, *Lugo*.

Q. 11. An Judex teneatur sub mortali concedere reo tempus ad sumendam Eucharistiam?

RESPONDEO. Id negant *Paludanus*, *Sotus*, *Tabiena*, *Navarrus*, *Covarruvias*, *Victoria*, *Ledesma*, *Zerola*, *Filliutius*. Id affirmant saltem seclusso periculo alicujus damni, aut alia justa causa, *Suarez*, *Henriquez*, *Bonacina*, *Fagundez*, *Reginaldus*, *Sylvester*, *Hurtado*, *Dicastillo*, *Leander*, cujus ratio est, quia contrariam consuetudinem damnavit pro Hispania PIUS V. anno 1569. Et quia Judex per se hoc tribuere Christiano tenetur, ut impleat, ad quod adstringitur præcepto divino.

QUÆRITUR 12. An Judex teneatur sub mortali homini ad mortem damnato concedere tempus communicandi, quo certo scit, eum evasurum, aut timet erupturum occasione communionis?

RESPONDEO. Id affirmant *Bonacina*, *Fagundez*. Id vero merito negat *Petrus Navarra*, *Sotus*, *Dicastillo*, *Reginaldus*, *Leander*. Ratio est, quia justitia vindicativa est bonum generale Reipublicæ, salus autem plectendi ultimo supplicio est bonum privatum. Itaque, si utraque periclitatur, illius periculum præcavendum est; præsertim cum hoc seria pœnitentia, dummodo reus velit, averti possit, illud vero nullo alio sufficiente aut idoneo remedio.

QUÆRITUR 13. An ipso die mortis ad illam damnatis possit ministrari Eucharistia?

RESPONDEO. Id negant *Zerola*, *Vega*, *Julius Clarus*, & alii. Id vero affirmant *Sancius*, *Sa*, *Majolus*, *Diana*, *Leander*, & *Navarrus*, qui ita Romæ servari testatur.

QUÆRITUR 14. An etiam ministrari possit Eucharistia damnatis una hora, antequam occidantur?

RESPONDEO. Id negant *Henriquez*, *Ortiz*. Id vero affirmant *Navarrus*, *Sa*, *Fagundez*, *Sancius*, *Sayr*, *Sotus*, *Diana*, *Dicastillo*, *Leander*. Censeo, in tali casu festinationis reum magis disponendum ad ea, quæ sunt magis necessaria ad salutem, puta confessionem, contritionem, actum charitatis perfectæ. Cum enim animus sit turbatus, forte se applicando ad devotionem pro communione negligeret illa necessaria. Aliud dicendum, si sciretur jam prius optime dispositus.

QUÆRITUR 15. An Judex teneatur à morte liberare reum, qui non vult Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ recipere, & sic scitur, certo in statu peccati mortalis decessurus?

RESPONDEO. Judex non tenetur illum liberare, sed potius tenetur, illum morti adjudicare. Ita *Sotus*, *Reginaldus*, *Bonacina*, *Navarra*, *Dicastillo*. Observat tamen Bonacina, & Dicastillo, Judicem ex charitate obligari ad indulgendum unum, duos, vel tres dies, si speretur pœnitentiam acturus intra hunc terminum.

QUÆRITUR 16. An hoc præcepto in articulo mortis obligetur puer adepto usu perfectæ discretionis, si nunquam antea recepit hoc Sacramentum?

RESPONDEO. Leander quidem id negat. Sed contrarium censeo esse certum. Quia Christus instituit hoc Sacramentum tanquam furculum immortalitatis, & tanquam medium *per se* ad hunc effectum ordinatum, prout *Quæst.* 5. *Probatione* 8. ostensum est. Ergo datur gravis obligatio

gatio ad hoc medium recipiendum in omni eo, qui illius capax est. Accedit, quod confortativo ad ultimum agonem, & contestativo sui amoris erga Christum etiam puer indigeat.

Q. 17. An qui singulis annis communicat in Paschate, satisfaciat præcepto divino, extra articulum mortis aliquoties communicandi in vita?

RESPONDEO. Id negant *Valentia*, *Petrus Soto*, *Filliuccius*, *Lugo*, Id vero affirmat *Suarez*, *Bonacina*, *Reginaldus*, *Hurtado*, *Granadus*, *Leander*. Censeo, satisfieri *per se*, non tamen *per accidens*, quo judicio prudentis confessarii communio judicaretur esse medium necessarium ad superandam pravam consuetudinem, vel ad superandas graves tentationes.

§. 2.

Circa obligationem communicandi jure Ecclesiastico in Paschate.

QUÆRITUR 1. An detur præceptum Ecclesiasticum communicandi in Paschate.

RESPONDEO. Datur. Id patet ex constitutione Generalis CONCILII LATERANENSIS IV. celebrati anno 1215. ubi Can. 21. sic habetur. *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit omnia sua peccata confiteatur saltem semel in anno proprio sacerdoti, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de Consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* CONCILIUM vero TRIDENTINUM Sess. 13. Can. 9. sic habet: *Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri, singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.*

QUÆRITUR 2. An præceptum communicandi quoad personas religiosas obliget plus quam semel in anno?

RESPONDEO. Id affirmant Tabiena & Navarrus. Ratio eorum est, quia in CLEMENTINA in *agro de Statu Monach.* Benedictinis præcipitur, ut singulis mensibus communicent; & in Tridentino Sess. 25. C. 10. de Regul. idem præcipitur Monialibus. Id vero negant *Coriolanus*, *Filliutius*, *Fagundez*, *Trullench*, *Leander*, ac communis.

QUÆRITUR 3. An infantes usu rationis carentes teneantur hoc præcepto?

RESPONDEO. Non tenentur. Ita definitum est in Tridentino Sess. 13. Can. 4. *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.*

QUÆRITUR 4. An infantes, saltem nunc, possint esse capaces fructus Sacramenti Eucharistiæ?

RESPONDEO. Id negant *Alexander*, *Paludanus*, *Major*, *Petrus Soto*, *Cajetanus*, & alii apud Vasquez, propter Ecclesiæ, inquiunt, prohibitionem. Id vero affirmant *Suarez*, *Vasquez*, *Lugo*, *Leander*, & communis. Prohibitio enim Ecclesiæ solum afficit ac reddit indispositos Ministros Ecclesiæ, non infantes. Utilitatem autem provenire infantibus, colligunt ex eo, quia antiquitus in primitiva Ecclesia erat consuetudo Eucharistiam ministrandi infantibus, cujus rei rationem Tridentinum Sess. 15. Cap. 4. assignans ait: *Forte causa erat impietas tyrannorum, quæ tunc etiam in pueros sæviebat, & ideo illos communicabant, ut ex tanto Sacramento virtutem & fortitudinem elicerent ad subeundum martirium pro Christi nomine.* Verum authores oppositæ sententiæ respondebunt, hunc fructum fuisse extrasacramentalem ob confidentiam parentum & pietatem Christi Eucharistici.

QUÆRITUR 5. An pueri obligentur præcepto annuæ communionis statim, ac annos discretionis attigerint?

RESPONDEO. Id negant *Suarez*, *Bonacina*, *Ægidius*, *Granadus*, *Lugo*, *Diana*, *Trullench*, *Cajetanus*, *Dicastillo*. Alii cum *Soto*, *Valentia*, *Conrado* existimant, pueros non obligari ad communionem usque ad annum duodecimum. Imo *Rodriquez*, & *Chapeavilla* putant, eos non obligari usque ad quatuordecim vel quindecim annos. Id vero affirmant D. THOMAS p. 3. q. 80. a. 9. *Paludanus*, D. *Antoninus*, *Tabiena*, *Joa. Sancius*, *Palao*, *Philippus à Cruce*, *Leander*, & alii. Hæc posterior sententia unice tenenda est non solum ex eo, quia Concilium Lateranense, & Tridentinum obligat omnes fideles, *qui ad annos discretionis pervenerint*, sed etiam ideo, quia Eucharistia est medium divinitus ordinatum ad conferendum corporibus semen immortalitatis, prout quæst. 5. probat. 8. & in objectionibus ostensum est.

QUÆRITUR 6. An pueri prius obligentur præcepto confessionis, quam communionis?

RESPONDEO. Id affirmant *Suarez*, *Vasquez*, *Diana*, *Hurtadus*, *Corduba*, *Præpositus*, *Trullench.* Sed id negant *Henriquez*, *Armilla*, *Tannerus*, *Cajetanus*, *Salas*, *Reginaldus*, *Nunnus*, *Navarrus*, *Vivaldus*, *Diana*, *Sancius*, *Lugo*, *Leander*, & & alii, qui docent, administrandam esse pueris Eucharistiam in articulo mortis statim ac sunt capaces recipiendi Sacramentum pœnitentiæ. Censeo, minorem usum quidem rationis requiri ad scienda necessaria pro Sacramento pœnitentiæ, quam Eucharistiæ, minime tamen errare eos, qui pueris in articulo mortis, quamprimum confitentur, in dubio de sufficienti discretione ministrant Eucharistiam, prout quæst. 5. in object. & Prob. 8. ostensum est.

QUÆRITUR 7. An peccent mortaliter confessarii & parentes puerorum, non permittendo illos statim communicare statim ac capaces sunt doli?

RESPONDEO. Id negant *Suarez*, *Vasquez*, *Bonacina*, *Filliutius* & alii. Id autem affirmant *Sancius*, *Leander*. Censeo; in particulari determinationem, utrum hi vel illi pueri consideratis particularibus circumstantiis locorum & temporum habeant vel præsumantur habere sufficientem discretionem, relinquendam esse judicio Superiorum.

QUÆRITUR 8. An pueris debeat dari Eucharistia pro Viatico, quando dubitatur de eorum capacitate?

Ra-

RESPONDEO. Id consequenter negabit *Vasquez*. *Leander* affirmat cum *Lugone*, & *Henriquez* posse dari, sed non dari obligationem, dandi tale viaticum. Ego vero certum esse existimo; dari etiam obligationem dandi viaticum ob rationes §. 1. q. 16. indicatas.

QUÆRITUR 9. An pueri non communicantes in Paschate ligentur pœnis Canonicis, si nondum attigerunt pubertatem?

RESPONDEO. Id affirmant *Ægidius* & *Hurtado*. Id autem affirmant *Suarez*, *Vasquez*, *Sa*, *Diana*, *Leander* & alii.

QUÆRITUR 10. An præceptum communionis obliget determinate in Paschate.

RESPONDEO. Id certum est. Expressum enim sic continetur in Concilio Lat. & Trid. relatis q. 1.

QUÆRITUR 11. An nomine Paschatis determinate intelligatur Dominica Resurrectionis?

RESPONDEO. Id affirmat *Panormitanus*. Sed per Pascha intelligi simul octo dies præcedentes & octo subsequentes declaravit universalis consuetudo Ecclesiæ, necnon *Eugenius IV.* ut refert *Sylvester* V. Eucharistia. n. 3.

QUÆRITUR 12. An vi consuetudinis per Pascha intelligi possit tota Quadragesima?

RESPONDEO. Ubi ab immemoriali tempore jam introducta est, licet se illi conformare accedente causa rationabili. Qui enim amant Deum, Christum, & ejus Ecclesiam, conantur se conformare, & consuetudines obliquas primitus necessitate aut improbitate introductas suaviter saltem suo exemplo & monitione reducere ad vigorem universalium legum Ecclesiæ, congruentium adhuc præsenti statui Ecclesiæ. Talem consuetudinem *Trullench* testatur vigere Mediolani & Conimbricæ. *Navarrus* & alii Doctores testantur, eam vigere in tota Lusitania. *Azor*, *Vivaldus*, & *Rodriquez* testantur, tale extare privilegium Clementis VII. pro tota Hispania, cui tunc etiam subdita erat etiam Lusitania, & Mediolanum. Quamvis in regnis Castellæ, Navarræ, & Arragoniæ nullum vigere usum hujus privilegii, testetur *Leander*, cum ibi tantum satisfiat præcepto à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive. Quod etiam observari solet in Germania.

QUÆRITUR 13. An fideles teneantur ad Communionem Paschalem tempore interdicti?

RESPONDEO. Id negant *D. Antoninus*, *Sylvester*, *Sotus*, *Covarruvias*. Id vero affirmant *Navarrus*, & *Leander*. Ratio est, quia jure novo in *C. Alma mater*, constat, quod Interdictum non obliget in quatuor anni festivitatibus, ex quibus una est Pascha.

QUÆRITUR 14. An hoc præceptum impleri debeat in propria parochia.

RESPONDEO. Implendum esse in propria parochia. Ita omnes Doctores, moti partim ex textu Concilii Lateranensis, quod sicut vult confessionem deponi proprio Sacerdoti, hoc est, parocho juxta stylum loquendi in Sæculo 13. ita etiam in contextu continuo videtur receptionem Eucharistiæ alligare *ad proprium Sacerdotem*; partim ex declaratione Congregationis Tridentini edita 13 Januarii 1586. qua fuit declaratum, non satisfieri nisi in propria parochia. NEC OBSTAT, quod hoc tempore ob privilegia Regularibus concessa satisfiat præcepto confessionis annuæ, si deponatur apud Regularem privilegiatum. Privilegium enim illud tantum extenditur ad confessionem, non ad communionem.

D. Amort Tract. de Eucharistia.

QUÆRITUR 15. An satisfiat huic præcepto per communionem in Ecclesia Cathedrali?

RESPONDEO. Id affirmant quidem *Mabado*, *Possevinus*, *Piasecius*, *Barbosa*, *Sa*. Sed merito oppositum tenent *Bonacina*, *Trullench*, *Sanchez*, *Bassæus*, *Dicastillo*, *Diana*, *Leander*. Prorsus enim improbabile est, Concilium Lateranense, à cujus intentione modus hujus legis dependet, per hanc rimam subvertere voluisse vigorem hujus legis in Ecclesiis parochialibus urbicanis, & suburbicanis, quas parochiani facile declinare possent sub prætextu communionis receptæ in Ecclesia Cathedrali. Neque etiam verum est, in jure nomine Ecclesiæ parochialis venire cathedralem, nisi in privilegiis generalibus communibus.

QUÆRITUR 16. An satisfiat huic præcepto per communionem in Ecclesia Regularium, si Parochus tribuat Parochianis licentiam generalem communicandi, ubi maluerint?

RESPONDEO. Id affirmant *Azor*, *Fagundez*, *Trullench*, *Leander*, & communis. Censeo tamen, Parochum peccare tribuendo tam generalem & illimitatem licentiam, quia agit contra intentionem duorum Conciliorum Generalium, ea communicatione solenni de uno pane volentium instaurare vinculum unitatis in plebe.

QUÆRITUR 17. Utrum advenæ & Peregrini satisfaciant huic præcepto, si Eucharistiam Paschalem sumant in Ecclesiis Regularium Mendicantium?

RESPONDEO. Id negant *D. Antoninus*, *Sylvester*, *Victoria*, & alii. Sed melius id affirmant *Henriquez*, *Sotus*, *Sanchez*, *Rodriquez*, *Portelus*, *Fagundez*, *Granadus*, *Navarrus*, *Lugo*, *Leander*, & alii. Ratio est, quia hic locorum, ubi versantur, non habent proprium parochum, aut parochiam.

QUÆRITUR 18. An satisfaciat huic præcepto, qui in Ecclesia Mendicantium communicat ex tacita vel præsumpta licentia sui Parochi?

RESPONDEO. Id affirmant *Navarrus*, *Henriquez*, *Sotus*, *Rodriquez*, *Fagundez*, *Sanchez*, *Portelus*, *Suarez*, *Granadus*, *Diana*, *Lugo*, *Leander*, & alii. Censeo tamen, à taliter communicante peccari venialiter contra modum præcepti; quia Concilium Lateranense ordinarie requirit licentiam expressam, ubi commode potest haberi, sic ejus mentem dirigente, & exigente prudentia legislativa.

QUÆRITUR 19. ET 20. An Regulares tempore Paschali possint distribuere Eucharistiam? Et an hoc illis possit interdici ab Episcopo pro ipso die Paschatis?

RESPONDEO. Episcopi non possunt Regularibus interdicere distributionem Eucharistiæ tempore Paschali, potest tamen hoc illis ab Episcopo interdici pro ipso die Paschatis. Ita docet SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in l. *de Synodo.*

do. l. 7. c. 42. n. 3. 4. & 5. obi sic scribit: „Summus Pontifex Paulus IV. in sua constitutione impressa in Bullsrio Rodriquez, permisit Fratribus Minoribus distribuere sacrsm Eucharistiam, in suis Ecclesiis, omnibus Christi fidelibus, illam petentibus, sola excepta die Paschatia Resurrectionis Dominicæ, ejusmodi privilegium, confirmatum à S. Pio V. ad omnes Regularea, *per communicationem*, ut ajunt, extensum est. Verum, quia Eugenius IV. in sua constitutione *fide digna* (29. pag. 318. tom. 3. part. 3. Bullar.) jam pridem declaraverat, tempus Paschsle, intra quod integrum est fidelibus, annuæ perceptionis Euchsristiæ præcepto satisfacere, non unius, sed quiodecim dierum spatio, hoc est à Dominica Palmsrum ad Dominicam in Albis, intercludi, dubitatum fuit, an sub limitatione privati privilegii, Regularibus concessi, sola intelligenda esset dies Paschatis, an potius omnes comprehenderentur prædicti quindecim dies. Controversia, de qua plura Diana tom. 2. edit. coord. de Eccles. commun. resolut. 17. usque ad 24 Lezana oper. tom. 2. V. Eucharistia. quoad Regulares, num. 2. & Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 2 disput. 3. q. 3. oum. 2. & 3. sæpius discussa fuit, in sacra congregatione concilii, quæ censuit, sola die solenoitatis Paschatis, absolute prohiberi Regulares, ne Eucharistiam in suis Ecclesiis porrigant sæcularibus, etiamsi isti jam antea annuæ communioois præceptum in propria Parochia impleverint: aliis vero diebus impediri non posse, quo minus illam distribuant, modo sæculares, Eucharistico pane in eorum Ecclesiis refecti, non se solutos arbitrentur ab obligatione illuio percipiendi à proprio Sacerdote. Ex multis, quæ proferri possent, duo seligimus sacræ congregstionis decreta: Primum prodiit in causa Burdigalen. 9 Julii 1644. iterumque confirmatum fujt io una Senonen. 11. Junii 1650. lib. 19. decretor. pag. 54. cujus verba sunt: Sacra congregatio concilii, post maturam discussiooem, censuit, Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus, habentibus privilegia Apostolica, ut à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive, oon valcant mioistrare personis sæcularibus Sacramentum communionis; posse tamen iisdem prohibere, ut personia sæcularibus, die Paschstis, non administrent dictum Euchsristiæ Sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares satisfecissent præcepto Ecclesiæ, hac de re edito. Alterum emanavit io causa Mechlinien. anno 1682. quod in sacræ congregatioois actis ita legitur adnotatum: Parochi loci Lovanii conquerentes, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum personis sæcularibua ministrari à Dominica Palmarum usque ad Dominicam io Albis, à Regulsribus, & præsertim Societatis Jesu, prætextu privilegiorum, uode arguuot, Juribus Parochialibua præjudicium inferri, & Ecclesiæ præceptum eludi, cum oon desint falso asserentes, se in Ecclesiis Regularium illi satisfecisse; libellum porrexerunt Sanctissimo Domino nostro, ut hisce malis occurreret, vetando Regularibus, ne præfato tempore dictum sacrsmentum audeant ministrare. Cum autem sanctitati suæ placuerit, ad sacram congregationem Concilii remittere hujuamodi preces, Patri Procuratori Provinciæ Belgicæ Societatis Jesu successive communicatas, proponitur dubium; an Patres Societatis Jesu, aliique Regulares possint ministrare sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum persoois sæcularibus, à Dominica Palmarum usque, & per totam Dominicam in Albis. Cui dubio die 31. Januarii ejusdem anni 1682. responsum fuit affirmative, excepto die Paschatis, ita tamen, ut in aliis diebus sumentes Eucharistiam à Regularibus, intra duas hebdomadas Palmarum, & Paschatis, noo satisfaciant præcepto.

„Jam vero his decretis, sæpius à sacra coogregatione renovatis, etiam die 14. Januarii 1736. in causa Suessana, Jurium Parochislium, de qua in thesaur. Resolut. Tom. 7 pag. 161. & 181. aperte contrarie dicebant Regulares, præfatam constitutionem Episcopi Midensis, cujus verba adeo generalia erant, ut viderentur liberam facultatem ipsis auferre, etiam Eucharistiam, in suis Ecclesiis, qualibet anni die ministrandi. Et quia Synodalis constitutionis verbis rite expensis, juxta deprebensa est Regularium querimonia, ideo sacra congregatio Concilii, die 24. Augusti 1686. eandem constitutiooem corrigi, & reformari jussit. Nullus autem Regularium querimoniæ esset iocus, si Episcopus illis interdiceret, ne solemni Resurrectionis die, ulli Sæcularium sacram Eucharistiam audeant mioistrare, aut, si severissimis pœnis, eorum refrenaret insolentiam, qui eam falsam, nec certe toleraodam doctrinam in vulgus disseminarent, annuæ scilicet commuoionis præcepto posse fideles in eorum Ecclesiis satisfacere: etenim hæc propositio, non solum est aperte contraria Decretali Inoocentii III. in cap. *omnis utriusque sexus*, ejusdemque Decretalis communi, usuque comprobatæ acceptioni, verum etiam contradicit ipsismet Apostolicis, de quibus gloriantur, privilegiis, io his enim facultss fit Regularibus ministrandi io suis Ecclesiis sacram Eucharistiam personis sæcularibus, expresse, & nominatim excepta die Paschstia Resurrectionia Domini, uti audivimus. Quare cum circa annum 1630. quidam Patritius Cahil Parochus Dublinensis, inter ceteras propositiones, quas à nonnullis Regularibus in Hiberoia degentibus doceri, ac spargi audierat, & quarum judicium à facultate Theologics Academiæ Sorbooensis postulavit, hanc etiam ab iisdem Regnlaribus prolatam, ad candem facultatem detulisset: *Parochiani non tenentur in propria Parochia communicare in Paschate*, etsi Regulares, qui ceteroquin aliaa propositiones, de quibus accusabantur, unquam à se assertas oegabant, hsnc unam, consueto suorum privilegiorum obteotu, pro viribus, nisi sint defendere, impedire nihilominus oon valuerunt, ne eidem hæc, quam jure merebatur, inureretur censura *propositio falsa, scandalosa, & temeraria*,

„ *meraria*. Quemadmodum refertur in opere in„ fcripto, *collectio judiciorum*, *&c.* edito Parifiis „ anno 1727. pag. 324. 329. & 356.

Quæritur 21. An vi Bullæ Cruciatæ fatisfiat huic præcepto, fi quis communicet in quacunque Ecclefia?

Respondeo. Certum effe, non fatisfieri. Ita *Leander*, & alii contra *Suarez*, & *Vasquez*, & *Dianam*. Ratio eft, quia Bulla cruciata non tribuit facultatem communicandi in qualibet Ecclefia ad implendum præceptum communionis; fed tantum recipiendi communionem de manu cujusvis facerdotis etiam tempore interdicti. Privilegia autem eximentia à conftitutionibus conciliorum generalium funt ftrictæ interpretationis.

Quæritur 22. An Religiofi fæcularibus in articulo mortis poffint miniftrare Euchariftiam, etiam per modum viatici?

Respondeo. Sine licentia Parochi non poffunt licite miniftrare Euchariftiam morientibus, fi ea licentia poffit haberi, aut vocari ipfe Parochus. Ita *Navarrus*, *Henriquez*, *Fagundez*, *Suarez*, *Leander*, & alii communiter. Ratio eft, quia provifio Moribundi eft actus proprius Parocho. Bulla Pauli IV. qua dicitur Mnoritis conceffa ea facultas, non habuit hactenus obfervantiam publicam ac continuam, fed potius generalis confuetudo contraria.

Quæritur 23. An deficiente, aut nolente Euchariftiam miniftrare Parocho, poffit eam quilibet Sacerdos miniftrare etiam per modum viatici?

Respondeo. Id poffe fieri à quovis Sacerdote fecrete erga moribundum, quoties porrectionem Euchariftiæ irrationabiliter denegat Parochus. Ita quoad rem *Henriquez*, *Fagundez*, *Lugo*, *Suarez*, *Leander*, *Palao*. Deducitur per argumentum à pari ex C. *quod in te.* de Pœnit. & remiff. ubi cuivis Sacerdoti conceditur adminiftratio facramenti pœnitentiæ, præfertim cum juxta dicta Difp. 4. q. 1. facramentum Euchariftiæ per accidens etiam conferat primam gratiam.

Quæritur 24. An Parocho irrationabiliter recufante porrigere Euchariftiam in Pafchate poffint eam porrigere Regulares etiam in ordine ad fatisfaciendum præcepto communionis Pafchalis?

Respondeo. Id merito negari à *Navarra*, *Sylveftro*, *Fagundez*, & aliis. Contrarium irrationabiliter defenditur à *Leandro* contra mentem Ecclefiæ. Parochianus enim, fi illi negetur irrationabiliter communio, habet fuum recurfum ad Ordinarium. Neque Regularium eft dijudicare vel condemnare acta Parochi, utpote qui non tenetur Regularibus vel aliis aperire motiva recufationis omnia, aut circumftantias omnes condeterminantes ad ejusmodi refolutionem. Contraria etiam praxis vergeret in perturbationem ordinis & fubordinationis debitæ.

Quæritur 25. An Religiofi poffint Euchariftiam miniftrare in Pafchate & in articulo mortis fuis *familiaribus* & *famulis* actu intra monafterium commorantibus?

Respondeo. Id negant *Sa*, *Bonacina*, *Fagundez*; Sed immerito. Id enim conceffum eft à Clemente IV. Benedictinis, ab Innocentio VI. & Sixto IV. Auguftinianis, & à Leone X. Minimis, & per communicationem privilegiorum privilegiatis cæteris. Id tamen non eft verofimile extendi ad famulos conjugatos noctu extra conventum dormientibus; qnia non comprehenduntur fub termino *familiarium*.

Quæritur 26. An Sacerdotes teneantur in Pafchate celebrare in parochia propria ad fatisfaciendum præcepto communionis?

Respondeo. Non tenentur ad celebrandum in Parochia propria. Ita *Henriquez*, *Sa*, *Bonacina*, *Granadus*, *Dicaftillo*, *Leander*. Si tamen tempore Pafchali non celebrent alibi, tenentur communicare in Parochia propria. Imo Romæ obligantur Sacerdotes ad communicandum in Parochia propria in Cœna Domini, etiamfi alias foleant celebrare reliquo Pafchali tempore?

Quæritur 27. An Parochi poffint fuis Parochianis in Pafchate miniftrare Euchariftiam in aliena Ecclefia?

Respondeo. Id poffunt. Ita *Fagundez*, & *Leander*. Ratio eft, quia in Concilio Later. tantum præcipitur, ut quis Euchariftiam accipiat à proprio Sacerdote.

Quæritur 28. An in Pafchate præcepto Ecclefiæ fatisfiat per communionem facrilegam?

Respondeo. Affirmativam qnidem defendi à *Leandro*, qui pro fe citat *Sotum*, *Azor*, *Vasquezium*, *Suarezium*, *Filliutium*, *Henriquez*, *Sa*, *Granadum*, *Trullench*, *Luganem*, *Bonacinam*, *Fagundez*, *Villalobos*, *Dianam*. Sed ea fententia damnata eft ab Innocentio XI. qui anno 1679. damnavit hanc propofitionem: *Præcepto communionis annuæ fatisfit per facrilegam Domini manducationem.*

Quæritur 29. An qui in Pafchate non communicat, teneatur poft Pafcha communicare?

Respondeo. Id negant *Sotus*, *Sylvefter*, *Armilla*, *Tabiena*, *Victoria*, *Henriquez*, *Sa*, *Toletus*, *Ortiz*, *Medina*, & alii. Econtra id affirmant D. Thomas in 4. dift. 13. q. 1. a. 1. qq. 2. *Navarrus*, *Nunnus*, *Azor*, *Suarez*, *Layman*, *Sylvius*, *Reginaldus*, *Filliutius*, *Fagundez*, *Hurtado*, *Coriolanus*, *Lugo*, *Villalobos*, *Trullench*, *Dicaftillo*. Res hæc dependet ab intentione Ecclefiæ per confuetudinem explicata. Per confuetudinem ii, qui non communicarunt in Pafchate v. g. ægroti, vel reduces ex locis Proteftantium, à Parochis ad fupplendam communionem obligantur.

Quæritur 30. An qui prævidet, fe non poffe communicare tempore Pafchali, teneatur prævenire communionem?

Respondeo. Id affirmant *Vasquez*, *Nunnus*, *Sylvius*, *Fagundez*, *Layman*, *Hurtado*, *Diana*, *Clarus*, *Cruz*, *Lugo*. Id tamen negant *Azor*, *Suarez*, *Filliutius*, *Reginaldus*, *Ægidius*, *Molfefius*, *Bonacina*, *Victorellus*, *Sa*, *Coriolanus*, *Dicaftillo*, *Leander* & alii. Res denuo dependet ab intentione Ecclefiæ per confuetudinem explicata. Confuetudo autem ftat pro parte negativa.

D. *Amort Tract. de Euchariftia.*

QUÆRITUR 31. An qui bona fide ob futurum impedimentum in Paschate securum anticipavit communionem, non secuto impedimento teneatur in Paschate iterum communicare?

RESPONDEO. Id negat Diana citans pro se *Suarium.* Sed merito id affirmat *Lugo*, *Hurtado*, *Dicastillo*, *Leander*, & ipse *Suarius*, male citatus à Diana. Neque Ecclesia habet rationem sufficientem ad talem eximendum à lege & observantia universali fidelium ob ultroneum opus bonum, peractum ex dictamine erroneo implendi legem, cum re vera nulla extiterit lex anticipandi.

QUÆRITUR 32. An qui videt se impediendum post diem Paschatis, teneatur communicare in hebdomada sancta?

RESPONDEO. Id recte affirmant *Bonacina*, *Trullench*, *Leander*, & communis. Id enim exigit intentio Ecclesiæ, regulata per leges prudentiæ, & per consuetudinem explicata.

QUÆRITUR 33. An excommunicati & interdicti excusentur à præcepto Communionis Paschalis?

RESPONDEO. Si per eos non stet absolutio, excusantur. Secus autem, si fuerint negligentes in impetranda absolutione. Ita *Navarrus*, *Azor*, *Fagundez*, *Trullench*, *Dicastillo*, *Leander*.

QUÆRITUR 34. An Papa teneatur sub mortali ad præceptum Communionis Paschalis?

RESPONDEO. Id negant *Richardus*, *Scotus*, *Felinus*, *Navarrus*. Sed affirmant *Fagundez*, *Leander*, & alii. Censeo, cum hoc præceptum sit juris divini quoad substantiam, juris Ecclesiastici autem quoad modum & determinationem temporis, Papam posse dispensare secum ipso quoad tempus implendi præcepti in duobus Conciliis Generalibus constitutum.

QUÆRITUR 35. An qui omittit communionem in Paschate, incurrat aliquam censuram ipso facto?

RESPONDEO. Non incurrit censuram ipso facto; quia in Concilio Lat. tantum statuitur censura *ferendæ* sententiæ. *Arceatur* ab ingressu Ecclesiæ, *Careat* sepultura. Ita Filliutius, Bonacina, Leander.

QUÆRITUR 36. An huic præcepto satisfiat per communionem materialiter sacrilegam? v. g. si quis cum invincibili inadvertentia communicavit in statu peccati mortalis?

RESPONDEO, Satisfieri. Ecclesia enim præcipit, ne quis accedat cum conscientia, vel errore vincibili ad hoc sacramentum in Paschate. Alioquin sequeretur, quod plurimi fideles non satisfaciant huic præcepto, qui putant se in Sacramento pœnitentiæ justificatos, & tamen ob defectum amoris initialis non sunt justificati.

QUÆRITUR 37. An ille, qui in sua parochia accepit Communionem Paschalem sacrilege, teneatur supplere defectum in propria parochia?

RESPONDEO. Non tenetur supplere in parochia; quia hoc præceptum ex sua natura est divisibile, & prudentia legislativa, ne oriantur confusiones & scandala, exigit, ut Ecclesia habeat intentionem sic dividendi hoc præceptum, vel condonandi compensationem quoad modum seu circumstantiam loci.

QUÆRITUR 38. An Convictores habitantes in Seminariis Societatis Jesu satisfaciant, si communicent apud Jesuitas.

RESPONDEO. Id negat *P. la Croix* l. 6. n. 635. & 636. citans pro se *Lugonem.* Id intelligendum, nisi detur particularis concessio, vel tacita licentia Parochi, qualis conniventia in Germania in plerisque locis datur; idque merito, saltem ordinarie, quia Professores longe facilius observant defectus communicantium.

QUÆRITUR 39. An puerperæ sint domi communicandæ?

RESPONDEO. Videtur major decentia, si illis differatur communio usque ad expletos dies purificationis, ita tamen ut in parochia propria communicent. *Synodus* tamen *Coloniensis* sub Maximiliano Henrico id judicio Parochi relinquit his verbis: *Paschalem Communionem domi saltem fumant, neque, donec in Ecclesiam introductæ fuerint, eam differant, nisi Parocho aliud videatur.*

QUÆRITUR 40. An Communio Paschalis sit danda semifatuo, habenti caput indocile, stupidum, aut fatuo habenti lucida intervalla?

RESPONDEO. Regula generalis est; quicunque est capax absolutionis, etiam conditionatæ, est capax Communionis Paschalis, dummodo absit periculum irreverentiæ. Ita quoad rem *P. la Croix* l. 6. n. 658. & 659.

QUÆRITUR 41. An etiam phreneticis sit porrigenda communio?

RESPONDEO. Si eam ante phrenesim petierint, & absit periculum irreverentiæ, tantum moribundis porrigenda est; alias non est porrigenda. Ratio est, quia juxta veram sententiam ad percipiendum fructum hujus Sacramenti in recipiente requiritur devotio antecedens vel concomitans. Ita discurrit S. THOMAS p. 3. q. 80. a. 9. C. ubi sic scribit: *Aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter. Uno modo, quia habent debilem usum rationis. Et quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt usum rationis? & talibus non est exhibendum Sacramentum. Quia in eis nullo modo præcessit hujus Sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis? Et tunc, si prius, quando erant compotes suæ mentis, in eis apparuit devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel exputitionis. Unde in Concilio Carthaginensi* (IV. C. 76.) *legitur: Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatur venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.*

QUÆRITUR 42. An iis, qui à nativitate totaliter surdi & muti sunt, sit porrigenda Eucharistia?

RESPONDEO. Si possint per signa eousque disponi, ut intelligant Eucharistiam saltem sub ratione generica alicujus rei sacramentalis, animabus

mabus proficuæ, & reddantur capaces saltem eliciendæ contritionis, aut omnino confessionis generalis per signa & absolutionis conditionatæ, censeo, illi posse porrigi communionem Paschalem. Ad hanc enim recipiendam in adulto videtur sufficere baptismus, contritio, & fides implicita, ubi explicita haberi non potest. Optimum foret, si Parochus horas à negotiis aliis liberas impenderet pro instructione ejusmodi pueri in arte scribendi, præmonstrando ad singula verba eas actiones vel objecta, quæ significantur, quod à quodam Patre in suo filio à nativitate surdo & muto tandem diuturna industria effectum fuisse legi.

QUÆRITUR 43. An tempus Paschale possit per Episcopos extendi?

RESPONDEO. Ex causa gravi, ubi non est facilis recursus ad summum Pontificem, potest extendi per Episcopos, aut consuetudinem. Ita quoad rem respondet *La Croix* l. 6. n. 641. *Illsing*. &c. Id fieri observant, saltem in regionibus ultramontanis extra Italiam, quando festum Annuntiationis incidit in Sabbatum ante diem Palmarum. *La Croix* l. c. affert etiam Decretum extensionis per totam Quadragesimam & quatuordecim dies post Pascha, editum *à Ferdinando* Archiepiscopo *Coloniensi* anno 1681. occasione Missionum. *Ne missio*, inquit, *primis quinque hebdomadis quadragesimæ cum magno animarum detrimento cogatur interquiescere, quandoquidem rustici in quadragesima confessi & SS. Eucharistia refecti vix adigi possunt, ut eadem Paschali tempore iterato recipiant Sacramenta. &c.* Verum observo; in superiori Germania, ubi viget usus frequens Sacramentorum, Deo sint laudes, cessat hoc motivum saltem pro extensione generali.

§. 3.
De Ministro Eucharistiæ.

QUÆRITUR 1. Quis sit Minister hujus Sacramenti in conficiendo?

RESPONDEO. Solus Sacerdos. Id constat ex traditione. Neque enim ulli Diaconorum unquam concessa est potestas consecrandi, nisi fuerit simul Sacerdos, prout nunc sunt Cardinales Diaconi, sic dicti à titulo vel officio.

QUÆRITUR 2. An ad licite consecrandum in Neomysta requiratur specialis licentia ab ordinario?

RESPONDEO. Id videntur negare *Gavantus & Sancius*. Id vero affirmant *Suarez*, *Lugo*, *Leander*, & communis. Censeo, sufficere tacitam, nisi ordinarius expressam exigat. Hujus enim retentionis potest dari prudens motivum, v. g. ut sit certus de sufficienti notitia & observantia Rubricarum in Neomista.

QUÆRITUR 3. An Sacerdos Regularis indigeat licentia Parochi ad celebrandum in aliena Ecclesia?

RESPONDEO. Id negant *Lugo*, *Dicastillo*, *Leander*. Videat autem Regularis, unde sumat Calicem, & Paramenta, quorum cura Parocho commissa est à suo Episcopo.

QUÆRITUR 4. An Sacerdos sæcularis in Ecclesia Regularium indigeat expressa licentia Superioris ad dispensandam aliis Eucharistiam?

RESPONDEO. Id affirmat *Sa*, *Medina*, *Rodriquez*, *Granadus*. Sed licentiam tacitam sufficere docet *Leander*. Cui enim concessum est celebrare, etiam per se concessa est facultas distribuendi, nisi expresse restringatur.

QUÆRITUR 5. An habens Bullam Cruciatæ possit suscipere Eucharistiam à quocunque Sacerdote sine licentia Parochi?

RESPONDEO. Id affirmant *Vasquez*, *Tannerus*, *Avila*, *Trullench*. Sed id negat *Suarez*, *Rodriquez*, *Luga*, *Dicastillo*, *Leander*. Bulla enim id non concedit, &, cum sit contra Jus commune, est strictæ interpretationis.

QUÆRITUR 6. An Diaconus possit esse Minister extraordinarius Eucharistiæ *in dispensando*?

RESPONDEO. Diaconus potest dispensare Eucharistiam ex commissione Episcopi, vel Parochi. Ita habetur in *C. Diaconos.* & in *C. Præsente*. dist. 93.

QUÆRITUR 7. An ea commissio licite fiat sine causa necessaria vel rationabili?

RESPONDEO. Id negare videtur *Sa*, *Armilla*, sed D. THOMAS in 4. dist. 13. q 1. à. 3. qq. 2. & alii Doctores distinguunt. Concedunt enim, quod sine casu necessitatis illi possit committi dispensatio sanguinis, non autem dispensatio corporis; quia in hoc requiritur attactus immediatus. D. Thomas l. c. sic scribit: *Dispensatio hujus Sacramenti proprie ad Sacerdotem pertinet. Sed Diacono competit ex officio sanguinem Domini dispensare; sed non corpus. Quia dispensator corporis oportet, quod ipsum corpus tangat, non autem dispensator sanguinis. Diacono autem non licet corpus Christi tangere, cum non habeat manus sacratas; & ideo non debet corpus Christi dispensare, nisi de mandato presbyteri, vel Episcopi, vel presbytero longe posito in casu necessitatis.* Hæc responsio confirmatur ex CONCILIO CARTHAGINENSI IV. ubi Can. 38. dicitur: *Diaconus præsente presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* LEANDER censet, causam justam esse, si Sacerdos sit debilis, infirmus, aut aliis exercitiis impeditus, aut si non possit commnnicare tot homines, & non sit alius Sacerdos, qui id commode possit efficere.

QUÆRITUR 8. An absente presbytero possit Diaconus Eucharistiam infirmis dispensare?

RESPONDEO. Id affirmant *Suarez*, *Henriquez*, *Faqundez*, *Hurtado*, *Sylvester*, *Granadus*; *Lugo*, *Toletus*, *Vasquez*, *Leander*. Ratio est; quia in tali casu datur tacita vel præsumpta licentia Parochi; & quia ita habetur in Concilio Nicæno Can. 14.

QUÆRITUR 9. An idem liceat Diacono præsente quidem presbytero, sed nolente Eucharistiam ægroto dare per se aut Diaconum?

RESPONDEO. Id negat *Possevinus* & *Sylvester*. Sed id affirmat *Suarez*, *Henriquez*, *Hurtado*, *Valentia*, *Lugo*, *Leander*. Ratio est, quia, in tali censetur Diaconus habere commissionem à Papa vel Episcopo. Verum id tantum concedi posset Diacono in casu, quo presbyter evidenter

denter nullam habet rationem probabilem denegandi infirmo Communionem. In casu enim dubio non est Diaconi corrigere Presbyterum; neque Papa vel Episcopus pro casu dubio committeret Diacono talem correctionem.

QUÆRITUR 10. An etiam Subdiaconus in casu necessitatis posset Eucharistiam deferre infirmis?

RESPONDEO. Id aliqui negant. Sed *Leander* cum aliis pluribus id affirmat.

QUÆRITUR 11. An in casu extremæ necessitatis, si Minister idoneus non adsit, possit Subdiaconus vel laicus seipsum communicare?

RESPONDEO. Id negant *Henriquez*, *Sa*, *Victoria*, *Possevinus*, *Sylvester*, *Vasquez*, *Bonacina*, *Vivaldus*, *Zambrarius*, *Hurtado*, *Fagundez*, *Lugo*, *Præpositus*, *Faustus*, *Serra*, *Dicastillo*. Sed affirmat *Suarez*, *Filliutius*, *Valentia*, *Reginaldus*, *Granadus*, *Lublinus*, *Layman*, *Victorellus*, *Possevinus*, *Diana*, *Averso*, *Franciscus Lugo*, *Leander*, & alii. In hac re id unum observo, exemplum STUARTÆ Reginæ Scotiæ, quo utuntur Patroni secundæ sententiæ, non esse ad rem; quia, prout scribit P. HAZART in Hist. Eccles. Angliæ, illa habuit specialem concessionem à Papa. Felicius hi authores uterentur exemplo primitivæ Ecclesiæ primis quatuor sæculis, ubi Christianis in mundo Linteolo Eucharistia dabatur domum reportanda, quam etiam secum in Itinere portabant, vel collo appendebant, ut illam in necessitate, imo etiam extra casum necessitatis sumerent, prout patet ex Tertulliano, & D. Ambrosio, relatis Disp. I. q. 3.

QUÆRITUR 12. An in eodem casu necessitatis possit laicus etiam alios communicare?

RESPONDEO. Id negant præter Doctores proxime pro contraria sententia relatos etiam *Sotus*, *Catharinus*, *Fagundez*, *Filliutius*, *Lugo*, *Lublinus*. Sed etiam affirmant *Suarez*, *Valentia*, *Victorellus*, *Granadus*, *Mercerus*, *Chapeaville*, *Reginaldus*, *Lessius*, *Palaus*, *Th. Hurtado*, *Leander*.

QUÆRITUR 13. An Sacerdos possit communicare seipsum etiam extra casum necessitatis, si non adsit alius sacerdos, qui id præstare possit aut velit?

RESPONDEO. Id negant *Armilla*, *Cajetanus*, *Filliutius*, *Villalobos*. Sed id affirmant *Suarez*, *Vasquez*, *Hurtado*, *Fagundez*, *Sylvius*, *Lugo*, *Diana*, *Layman*, *Ægidius*, *Bonacina*, *Leander*.

QUÆRITUR 14. An, si in prædicto casu adesset Diaconus, posset Sacerdos seipsum propriis manibus communicare?

RESPONDEO. Id negant *Fagundez*, *Præpositus*, *Diana*. Id tamen concedunt *Diana*, *Filliutius*, *Victorellus*, *Durandus*, *Chapeaville*, *Th. Hurtado*, *Leander*.

QUÆRITUR 15. An etiam Diaconus extra urgentem necessitatem absente presbytero possit seipsum communicare?

RESPONDEO. Id negat *Sa*, sed concedunt *Vasquez*, *Dicastillo*, *Leander*.

QUÆRITUR 16. An ad communicandum laicum ob solam devotionem possit celebrans partem suæ Hostiæ dividere, & illi præbere?

RESPONDEO. Id quidem concedit Leander citans pro se plures authores, inter quos *Suarez*, *Gavantus*, *Bonacina*. Sed contrarium docent *Zanardus*, *Groffis*, *Zambranus*, *Paludanus*, *Sylvester*, *D. Antoninus*, *Henriquez*. Et juxta modernam consuetudinem Ecclesiæ meo judicio peccaret mortaliter, qui sic practicaret, utpote mutans solennem Rubricam, quæ vult sumi à Sacerdote totam Hostiam.

QUÆRITUR 17. An Parochus tempore pestis teneatur suis Parochianis ministrare Eucharistiam, etiam cum periculo vitæ?

RESPONDEO. Id negant *Molfesius*, *Possevinus*, & *Major*. Sed hæc sententia est improbabilis. Parochum ad id teneri docent *Navarrus*, *Suarez*, *Sa*, *Sylvius*, *Toletus*, *Rodriquez*, *Victorellus*, *Fagundez*. Contrarii authores forte solum loquuntur de Parochis Manualibus, nec institutis in Beneficio stabili; quamvis etiam in eo casu falsissima sit hæc sententia. Nam boni Pastoris est, dare vitam pro ovibus, & Parochi munus est, Sacramenta ministrare Parochianis, à quibus habet sustentationem.

QUÆRITUR 18. An Sacerdos, qui Chiragra impeditur non potest Eucharistiam porrigere pollice & indice, possit eam conferre aliis digitis?

RESPONDEO. Id negant *Possevinus*, *Diana*, *Franc. Lugo*. Sed id concedit *Leander*; Rationem dat, quia tota manus Sacerdotis est consecrata.

QUÆRITUR 19. An tempore pestis liceat Sacerdotibus, ægrotis Eucharistiam ministrare in Cochleari argenteo, ut sic effugiant contagium?

RESPONDEO. Id negant *Diana*, *Chapeaville*, *Marchinus*, *Barth. à Faustio*, & *Possevinus*. Sed recte id concedit *Leander* & *Præpositus*. Ratio est, quia Deus & Ecclesia recto ordine charitatis in tali casu potius volunt consulere securitati Parochorum in bonum omnium parochianorum, quam insistere Rubricæ ac cæremoniæ adisphoræ; præsertim cum sciamus, antiquitus universim per siphonem laicos attraxisse sacrum sanguinem, prout *Berlendis* in l. *de oblatione*, ostendit.

QUÆRITUR 20. An tempore pestis vel alterius infirmitatis contagiosæ liceat Sacerdoti, Eucharistiam ponere in loco decenti, ut inde proprio ore aut manibus infirmorum capiatur?

RESPONDEO. Id negant *Henriquez*, *Catharinus*, *Fagundez*, *Diana*, *Chapeaville*, & alii. Id tamen concedit *Leander*, *Cajetanus*, *Boit*, *Mancinus*, *Jac. Marchantius*. Censeo, id licitum fore, si forte infecto Parocho alii Sacerdotes facile haberi non possent, aut alias bonum commune exigit conservationem parochi.

QUÆRITUR 21. An in articulo mortis licitum sit accipere Eucharistiam de manu sacerdotis hæretici, schismatici, vel excommunicati in defectu alterius Sacerdotis?

RESPONDEO. Id negant *Sylvester*, *Henriquez*, *Fagundez*. Si vero absit scandalum præsentibus, nec sequatur infamia religionis, nec hæreticus per hoc animetur ad permanendum in sua religione, id concedunt *Navarrus*, *Suarez*, *Diana*, *Serra*, *Leander*. Censeo, ab hæretico nullum unquam petendum esse sacramentum, excepto

cepto baptiſmo, ob generale periculum perverſionis, quia reguntur à dæmone. Ab excommunicato vero Sacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ peti poſſet.

QUÆRITUR 22. An tangere Euchariſtiam in peccato mortali ob rationabilem cauſam ſit peccatum mortale?

RESPONDEO. Id affirmat *Adrianus*, cui favet *D. Bonaventura & Sotus.* Id vero negant *Suarez*, *Filliutius*, *Henriquez*, *Navarrus*, *Bonacina*, *Fagundez*, *Leander*, qui pro hac ſua ſententia citat etiam D. Thomam; Nam S. Thomas id tantum permittit *in caſu neceſſitatis;* Sic enim p. 3. q. 82. a 3 ſcribit: *Nulli alteri* (niſi ſacerdoti) *tangere licet* (corpus Chriſti) *niſi in neceſſitate; puta, ſi caderet in terram, vel in aliquo alio neceſſitatis caſu.* Et in 4. diſt. 13. q. 1. a. 3. qq. 1. ad 3. *Tangere corpus Chriſti ex officio ſoli ſacerdoti competit; ſed in caſu neceſſitatis poteſt & debet corpus Chriſti tangere* (etiam laicus) *etiamſi ſit peccator; ut ſi in aliquo loco immunda jaceret.* Itaque non quælibet *rationabilis cauſa* ſufficit, ſed *neceſſitas;* imo etiam in hoc caſu laicus peccaret mortaliter, niſi prius elicere conaretur contritionem perfectam, ſi neceſſitas patitur moram.

QUÆRITUR 23. An Diaconus vel Sacerdos in peccato mortali miniſtrans Euchariſtiam peccet mortaliter?

RESPONDEO. Id merito affirmant *Suarez*, *Filliutius*, *Valentia*, *Ægidius*, *Fagundez*, *Bonacina*, *Granadus;* nec audiendi ſunt *Leander* cum *Vaſquez*, & aliis authoribus, qui id negant. Valde autem mirum eſt, *dum Leander* q. 26. docet; Sacerdotem peccare mortaliter, ſi miniſtret Euchariſtiam ſine ſuperpelliceo, & q. 25. tuetur, eum non peccare mortaliter, ſi in Miſſa vel extra Miſſam miniſtret Euchariſtiam in peccato mortali, hoc eſt, ſine veſte nuptiali & habitu charitatis.

§. 4.

De Jejunio ad communionem prærequiſito.

QUÆRITUR 1. An præceptum communicandi jejune ſit tantum Juris Eccleſiaſtici?

RESPONDEO. Eſt tantum juris Eccleſiaſtici. PROBATUR ratione & authoritate Concilii Conſtantienſis, quod Seſſ. 13. ſic habet: *Licet Chriſtus poſt cœnam ſuis diſcipulis adminiſtraverit hoc Sacramentum* (ut habetur Joan. 13.) *tamen hoc non obſtante Sacrorum Canonum authoritas laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici poſt cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis aut alterius neceſſitatis à jure vel Eccleſia conceſſa & admiſſa.* Canones vero, ad quos Concilium Conſtantienſe reſpicit, ſunt ſequentes. *Primo* Concilium Carthaginenſe III. anno 397. C. 29. ſic habet: *Sacramenta Altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, ſive Epiſcoporum, ſeu Clericorum, ſive cæterorum, commendatio* (animæ) *facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur.* Et Concilium Bracarenſe II. anno 563. Can. 16. *Si quis quinta feria Paſchali, quæ eſt Cœna Domini, hora legitima poſt Nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet, ſed ſecundum ſectam Priſcilliani feſtivitatem ipſius diei ab hora tertia per Miſſas defunctorum ſoluto jejunio colit, anathema ſit.* Et Concilium Toletanum VII. Can. II. *Cum à ſacerdotibus Miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat conſecrationis expleri miniſterium, ſit liberum Epiſcopo vel Presbytero alteri, conſecrationem exequi officii cœpti. Ne tamen, quod naturæ cauſa lan quoris conſulitur, in præſumptionis perniciem convertatur, nullus poſt cibi potuſve quamlibet minimum ſumptum Miſſas facere, nullus abſque patentis præventu moleſtiæ incepta myſteria relinquere præſumat.*

QUÆRITUR 2. An hoc jejunium debeat eſſe naturale?

RESPONDEO. Debet eſſe naturale. Id patet ex præfato Concilio *Toletano*, eſt ex circumſtantia objecti, cum tempore matutino celebrari & communicari ſoleat, quo aliunde non eſt periculum de fractione jejunii Eccleſiaſtici.

QUÆRITUR 3. An communicans poſt ſumptionem cibi exigui ſtatim peccet mortaliter?

RESPONDEO. Eſt peccatum mortale.

PROBATUR ex communi ſenſu Theologorum omnium, & fidelium horum temporum, qui, *ubi non inveniunt legem* antecedentem, *faciunt legem*, inquantum apprehendunt tanquam gravem irreverentiam Sacramento debitam, & tanquam gravem contemptum legis in hac materia, ſiquia cibum corporalem ſpirituali præponat.

QUÆRITUR 4. An bibens vel comedens in dubio, an jam ſonuerit hora duodecima noctis, poſſit ſequenti die communicare?

RESPONDEO. Poteſt communicare; quia melior eſt conditio poſſidentis, quamdiu in contrarium non dantur præſumptiones tam fortes, ut operans ipſemet probabilius credat, jam ſonuiſſe duodecimam. Ita Leander, Paſgualigus, Medina, Dicaſtillo, & RATIO, qua vetamur præcepta Eccleſiæ ſapientiſſima vertere in ſuperſtitionem, impediendo honorem Dei & bonum animarum, adeoque cultum Dei verum propter cæremoniam adiaphoram, quæ nec calidum reddit nec frigidum, nec pejorem nec meliorem. Dico tamen, eum peccaturum ſaltem venialiter, qui ſolius compotationis voluptuariæ cauſa ſic mercaretur circa leges Eccleſiæ ſe exponendo periculo transgreſſionis ſaltem materialis; & ſi ita faciat ex conſuetudine, aut propoſito, ſemper hoc modo operandi nulla concurrente alia rationabili cauſa, v. g. ſitis, infirmitatis &c. peccabit etiam mortaliter. Quia tale propoſitum arguit contemptum interpretativum legum, & defectum charitatis erga Deum & Eccleſiam, cujus decorem conſpurcat.

QUÆRITUR 5. An ſi unum horologium ſonuerit horam duodecimam noctis, poſſit quis comedere vel bibere, donec aliud ſonuerit, & craſtina die communicare?

RESPONDEO. Poteſt communicare, niſi operans ipſemet credat, alterum horologium eſſe falſum. Ita *Sanchez*, *Leander*, *Fagundez*, *Luga*, & alii. Ratio eſt, quia duo horologia ſe habent inſtar duarum opinionum æque probabilium, in quo caſu juxta me licet operari in materia adiaphora qualis eſt iſta, ubi nullum

crea-

creatur præjudicium moribus aut disciplinæ Ecclesiæ. Addo tamen, ficut q. 4. monui, peccaturum eum venialiter, qui fic ageret ex voluptate fine caufa rationabili, imo etiam mortaliter, fi ita faciat ex confuetudine, aut propofito conftanti, prout oftendi.

Quæritur 6. An aliquis poffit fequi unum horologium quoad jejunium Ecclefiafticum, v. g. comedendo poft fonitum primi horologii in Sabbato carnes, & alterum quoad jejunium naturale?

Respondeo. Talis quidem non peccat mortaliter poft fonatam duodecimam noctis in primo horologio comedendo carnes ufque ad pulfum alterius horologii, & dein communicando, peccat tamen venialiter; quia hæc praxis exponit irrifioni leges Ecclefiæ, & Ecclefia circa ejusmodi temeritatem, nifi caufa gravis excufat, cenfetur faltem leviter effe invita, eamque habere pro objecto levis indignationis. Imo, prout q. 4. oftenfum eft, talis peccabit etiam mortaliter, fi ita faciat ex confuetudine, vel ex propofito, femper fic operandi.

Quæritur 7. An fonante horologio duodecimam noctis detur obligatio ceffandi à cibo vel potu ftatim in pulfatione prima?

Respondeo. Non dari hanc obligationem, fed poffe exfpectari finem pulfationis. Ratio eft, quia horologium fe habet inftar probationis authenticæ contra libertatem, & intentio Ecclefiæ præfumitur effe, exfpectare probationem completam. Ita *Leander*, *Narbona*, *Pafqualigo*, *Dicaftillo*, *Th. Hurtado*.

Quæritur 8. An reliquiæ cibrorum inter dentes refiduæ, fi fponte & advertenter deglutiantur, impediant communionem?

Respondeo. Non impediunt. Ita *Henriquez*, *Tabiena*, *Ægidius*, *Granadus*, *Sotus*, *Cajetanus*, *Valentia*, *Ledefma*, *Pafqualigus*, *Leander*, & alii. Ratio eft, quia Ecclefia à fuis præceptis arcere debet omnem fpeciem fuperftitionis, qualem præfeferrent ejusmodi minutiæ, quas nemo prudenter fumeret per modum cibi in ordine ad nutritionem.

Quæritur 9. An fi quis deglutiat aquam per nares trajectam, aut fanguinem è naribus defluentem, impediatur à communione?

Respondeo. Non impeditur. Ita D. Thomas p. 3. q. 80. ad 4. *Suarez*, *Valentia* & alii communiter. Ratio eft, quia nemo prudenter ea fumeret ferio per modum cibi vel potus. Itaque fcrupuli in oppofitum pertinent ad fpeciem fuperftitionis, quam à fuis præceptis longe arceri vult Ecclefia.

Quæritur 10. An fumptio tabacci per mafticationem, odorationem, aut fumigationem impediat communionem?

Respondeo. Nec mafticatio tabacci, nec fumigatio impedit communionem, multo minus attractio pulveris per nares. Ita *Leander*, *Præpofitus*, *Narbona*, *Hyer. Garcia*, *Pafqualigo*, *Diana*. Ratio eft; quia non fumitur tabaccus per modum cibi & potus. Dico tamen, quod mafticatio tabacci aut ejus fumigatio ante communionem, fi abfque neceffitate extraordinaria fiat, femper fit peccatum veniale; & fi id fiat ex confuetudine, vel conftanti propofito, erit peccatum mortale. Ratio eft; quia notabilis irreverentia in communi æftimatione hominum, tam indoctorum quam doctorum, fi quis recipiat Eucharistiam in ore tam immundo, nec adhibeat diligentiam moralem procurandi munditiam etiam externam. Sicut ergo irreverentia continuata ergo parentes vel fuperiores per actus frequentatos, præfertim continuos, accrefcit in objectum gravis difplicentiæ, ita etiam confuetudo vel propofitum conftanter fic operandi in communione accrefcit in irreverentiam gravem.

Quæritur 11. An impediretur communio, fi quis biberet fanguinem ex propria vena, aut vulnere?

Respondeo. *Lugo* & *Dicaftillo* & *Leander* cenfent, quod impediretur communio. Quia fumeretur per modum cibi, vel potus.

Quæritur 12. An impediatur communio, fi quis præter intentionem trajiciat aliquas aquæ guttas, dum os abluit?

Respondeo. Non impeditur. Ratio eft, quia non fumitur *per modum cibi & potus*, ad quod requiritur voluntarietas, & libertas, & caufa & finis; eft enim comeftio & potatio actio humana libera, affumpta & ex fua natura ordinata ad fedandam famem vel fitim, & ad mediatam faltem nutritionem; quæ omnia deficiunt in trajectione ejusmodi guttularum: Ea enim trajectio potius habet naturam *actionis animalis*, feu *naturalis*, qualis actio eft degluto falivæ, utpote quæ fit fine deliberatione. Ita expreffe docet D. Thomas, quo habito fuperfluum duco, in tali materia adiaphora conglomerare alios authores. P. 3. q. 80. a. 8. ad 4. fic fcribit: *Duplex eft jejunium. Primum eft jejunium naturæ, quod importat privationem cujuscunque præaffumpti per modum cibi vel potûs. Et tale jejunium requiritur ad hoc Sacramentum. Et ideo neque poft affumptionem aquæ vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcunque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert; utrum aliquid hujusmodi nutriat vel non nutriat, aut per fe, aut cum aliis, dummodo fumatur per modum cibi vel potus Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, fi cafualiter transglutiantur, non impediunt fumptionem hujus Sacramenti; quia non trajiciuntur per modum cibi, fed per modum falivæ. Et eadem ratio eft de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur; dummodo non trajiciantur in magna quantitate, fed permixtæ falivæ, quod vitari non poteft.* Ex his patet, quod ratio D. Thomæ fit, quia ejusmodi actio non eft libera feu humana, fed potius neceffaria, feu animalis.

Quæritur 13. An impediatur communio, fi quis trajiciat officulum, Chartam, fruftulum ligni, aut aliquid ex unguibus, vel quid fimile non comeftibile? v. g. aureos fecure deferendos?

Respondeo. Non impeditur communio; quia non fumuntur per modum cibi aut poteft. Aut enim accipiuntur tantum per *actionem animalem* non deliberativam; aut non fumuntur eo fine, ut convertantur in fubftantiam aliti, vel in chylum purgativum naturæ. Ita *Leander*, *Corona*, *Cruz*, *Sancius*. Peccaret tamen venialiter ob

ob irreverentiam erga Sacramentum, qui talia ſine neceſſitate comederet ante communionem.

QUÆRITUR 14. An mulieres corrupto appetitu terram, cretam, vel carbones comedentes impediantur à communione?

RESPONDEO. Impediuntur. Ratio eſt, quia habent ſaltem intentionem, eas materias ſumendi per modum cibi, & forte etiam tranſeunt in nutrimentum, aut certe per modum medicinæ conducunt ad nutritionem. Ita etiam reſpondent *Henriquez*, *Reginaldus*, *Layman*, *Bonacina*, & alii. Contrarium tamen aſſerit *Leander*, *Sancius*, *Ledeſma*, *Paſqualigo*.

QUÆRITUR 15. An impediat commuionem, ſi quis oſſicula fructuum comederet, aut avellanam nucem cum cortice?

RESPONDEO. Id negat *Lugo*. Affirmat autem *Leander*, *Sancius*, & Th. Hurtado. Rationem dant, quia trajicitur materia *per ſe* comeſtibilis, & alterabilis à ſtomacho.

QUÆRITUR 16. An impediatur communio, ſi cui in apertum os muſca ingreditur, & eam cum reſpiratione trajiciat?

RESPONDEO. Non impeditur. Ita *Suarez*, *Lugo*, *Reginaldus*, *Fagundez*, *Leander*, *Diana*, *Dicaſtillo*.

QUÆRITUR 17. An is, qui cogitat altero die communicare, teneatur buccellam panis, quam maſticat, ſtatim ex ore ejicere, quamprimum audit ultimum pulſum horæ duodecimæ noctis?

RESPONDEO. Id affirmant *Sancius*, *Diana*, *Ludo*, *Ægidius*. Idem negare debent, qui negant, data opera reliquias ciborum in dentibus hærentes poſſe trajici; inter quos eſt *Suarez*, *Vaſquez*. Id vero negat *Leander*; quia non fuit aſſumptus talis eibus ipſo die communionis, ſed tantum trajectus per modum reliquiarum ex priori die. Ceoſeo, ſi buccella panis adhuc petat maſticari, impediri communionem. Comeſtio enim non habetur per ſumptionem in os, ſed per maſticationem, & trajectionem. Si vero jam maſticata fuerit ſufficienter per ſolam trajectionem nun impeditur communio. Peccat tamen venialiter qui advertens proximum pulſum horologii, bolum in os ſumeret ſine neceſſitate; quia ſic luderet cum legibus Eccleſiæ & Eccleſia cum ejus opprobrio.

QUÆRITUR 18. An impediatur communio, ſi quis ante mediam noctem aliquid Sacchari ori imponat, paulatim trajiciendum, & partim ante & partim poſt mediam noctem trajiciat?

RESPONDEO. Id affirmant *Suarez*, *Vaſquez*, *Filliutius*, *Reginaldus*, *Sylvius*, *Bonacina*, *Fagundez*, *Lugo*, & alii. Id concedendum his authoribus, ſi intentio ſumentis fuerit, ut pars primum reſolvatur poſt mediam noctem, vel ſi hoc prævideatur, aut dubitetur. Si autem ſperet, totum Saccharum reſolvendum probabilius eſſe ante medium noctis, non eſt curandum, ſi per accidens pars reſolvatur poſtea. Eccleſia enim, quæ vult ſuas leges haberi in veneratione juxta modum prudentiæ humanæ, arcet à ſuis legibus non ſolum omnem ſpeciem ſuperſtitionis, ſed etiam Phariſæiſmi, & Judaiſmi attendentia ad litteram, & non ad animam legum.

D. Amort Tract. de Eucharistia.

QUÆRITUR 19. An impediatur communio, ſi quis aliquid comeſtibile deglutiat, & poſtea evomat?

RESPONDEO. Impeditur. Ita *Henriquez*, *Bonacina*, *Leander*.

QUÆRIRUR 20. An Sacerdos non jejunus poſſit celebrare ad conferendum Viaticum infirmo morti proximo, ſi careat hoſtiis conſeſecratis?

RESPONDEO. Id affimant *Major*, *Th. Hurtado* & alii. Sed negant *Paludanus*, *Ledeſma*, *Navarrus*, *Toletus*, *Sylvius*, *Armille*, *Sylveſter*, *Suarez*, *Vaſquez*, *Lugo*, *Bonacina*, *Leander*, & Praxis, & ſenſus Eccleſiæ.

QUÆRITUR 21. An in dicto vel ſimili caſu poſſet Sacerdos non jejunus celebrare ad evitandum ſcandalum?

RESPONDEO. Id negat *Navarrus*; ſed merito id aſſirmant *Ægidius*, *Th. Hurtado*, *Leander*, *Angles*. Hinc ſi Parochus in Natali Domini poſt primam Miſſam ſumeret ablutionem, & non eſſet in loco alius Sacerdos, teneretur dicere ſecundam & tertiam Miſſam, ne populum ſcandalizaret. Ratio eſt; quia Eccleſia à ſuis legibus vult abeſſe omnem ſpeciem ſuperſtitionis, nec vult impediri verum cultum Dei ob cœremoniam adiaphoram. Hoc etiam in tali caſu non cenſeo opus eſſe diſpenſatione Epiſcopi, ſed ſufficere ſolam Epikiam.

QUÆRITUR 22. An Sacerdos ad dandum Viaticum infirmo alioquin ſine viatico morituro poſſit privatim conſecrare dicendo ſola verba conſecrationis abſque altari & veſtibus, & in pane fermentato?

RESPONDEO. Id affirmat Major, & Sotus, & innuit *Victoria* & *Vivaldus*. Leander id negat ductus C. *comperimus diſt.* 2. ubi GELASIUS Papa tanquam abuſum reprobat conſecrationem unius ſpeciei ſine altera. Imo conſecratio jure divino exigit conſecrationem utriuſque ſpeciei. Verum quia poſſet reſponderi; in tali caſu etiam poſſe conſecrari & à Sacerdote ſumi ſacrum ſanguinem; ratio ultimato deſumi debet à ſenſu & praxi Eccleſiæ, fundatis in contemplatione reverentiæ huic Sacramento debitæ; Ea enim conſideratione graviter prohibenda ſunt, quæ ſi concederentur in uno caſu, facile ob paritatem rationum ad caſus frequentes obvios extenderentur, ſicque vergerent in abuſum, longe graviorem in genere mali, quam eſſet emolumentum oppoſitum in genere boni.

QUÆRITUR 23. Si Sacerdos ante ſumptionem advertat, ſe in calice loco vini poſuiſſe aquam, eamque guſtet, an poſſit eam deglutire & de novo apponere vinum ac conſecrare?

RESPONDEO. Debet aquam deglutire, & de novo conſecrare. Ita D. THOMAS p. 3. q. 83. a. 6. ad 4. ubi id docet in terminis. Conſentit praxis & ſenſus Doctorum. Exiſtimant quidem *Angelus*, *Roſella*, & *Sylveſter*, in tali caſu aquam eſſe exſpuendam in aliud vas; ſed hoc modo multiplicantur potius irreverentiæ, idque cum ſcandalo populi. Simili modo, ſi adhæreat Particula Hoſtiæ calici, affundenda eſt aqua vel vinum, ſicque ſolvenda, non obſtan-

te, quod hoc modo aqua prius deglutiatur, quam Particula; pront constat ex Rubricis Missalis.

QUÆRITUR 24. An Sacerdos, qui pro vino aquam posuit, & sumpsit, debeat de novo consecrare, & sumere, si hoc fieri nequeat absque gravi sui nota aut gravi perturbatione adstantium?

RESPONDEO. Id affirmat *Cornejo* & insinuat *Henriquez*. Sed id negat *Major*, *Adrianus*, *Suarez*, *Fagundez*, *Azor*, *Hurtado*, *Dicastillo*, *Leander*. Dicunt enim, quod Sacerdos absque nova consecratione possit finire Missam; quia præceptum divinum non videtur obligare ad integritatem sacrificii cum detrimento famæ Sacerdotis, & cum scandalo populi, quod jure anticiparo naturali vitandum est. Censeo, id dici posse, si scandalum & nocumentum sit notabile, & pariens effectum. Si enim speretur transiturum cum transitoria admiratione populi, prævalet integritas sacrificii, quæ ex suo genere obligat sub mortali.

QUÆRITUR 25. An Sacerdos licite possit finire Sacrificium, si ante consecrationem panis meminerit, se non esse jejunum?

RESPONDEO. Si absque offensione adstantium, & absque sui infamia non possit cessare à Sacrificio, licite pergit. Si autem possit desistere sine scandalo aliorum, & sine sua infamia, tenetur desistere. Ita D. THOMAS p. 3 q. 83. a. 6. ad 2. ubi ait: *Si Sacerdos ante consecrationem alicujus prædictorum* (manducationis, vel peccati mortalis, vel excommunicationis) *fit memor*, *tutius reputarem*, *maxime in casu manducationis & excommunicationis*, *quod Missam inceptam desereret*, *nisi grave scandalum timeretur*.

QUÆRITUR 26. Si Sacerdos ante consecrationem morbo à continuatione Missæ impediatur, an alter debeat eam Missam finire?

RESPONDEO. Non tenetur alius Sacerdos eam supplere, posset tamen eam supplere. Ita D. THOMAS, *Sot. Navarrus*, & aliorum communis; & deducitur ex Concilio Toletano VII. relato q. 1.

QUÆRITUR 27. Si Sacerdos deficiat, vel moriatur post consecrationem, An alius Sacerdos jejunus debeat Sacrificium supplere?

RESPONDEO. Id negant *Sotus*, *Henriquez*; Sed affirmat D. THOMAS p. 3. q. 83. a. 6. ad 1. *Navarrus Lugo*, & alii communiter.

QUÆRITUR 27. An in prædicto casu alius Sacerdos teneatur supplere sacrificium, si fuerit jejunus?

RESPONDEO. Id negat *Sotus* & *Henriquez*. Quamvis enim concedant, sacrificium posse perfici ab alio Sacerdote, negant tamen, alium sacerdotem obligari ad illud supplendum. Id vero affirmant *Navarrus*, *Lugo*, *Azor*, *Leander*. Censeo, priorem sententiam conformem esse Concilio Toletano VII. quod eam suppletionem non præcipit, sed tantum ostendit, eam esse licitam, & convenientem; ac propterea alios Sacerdotes ad sic supplendum hortatur. Nec D. Thomas qui pro posteriore sententia citatur, forte de alio *debito*, quam convenientiæ loquitur. Verum lis dirempta est per Rubricas Missalis Romani, in quibus §. X. n. 3. dicitur: *Si post consecrationem corporis tantum ante consecrationem sanguinis*, *vel utroque consecrato id accidit*, *Missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco*, *ubi ille desiit*, *& in casu necessitatis*, *etiam per non jejunum*.

QUÆRITUR 28. An in prædicto casu Missa supplenda sit per alium sacerdotem, etiamsi non sit jejunus?

RESPONDEO. Id absolute negat Azor. Alii docent, quod Sacerdos non jejunus possit quidem licite supplere, sed ad hoc non teneatur. Ita *Sotus*, *Henriquez*, *Sylvester*, *Angelus*; & probabile censet *Cruz*, & *Ledesma*. Affirmativam vero tenet *Navarrus*, *Tabiena*, *Vasquez*, *Bonacina*, *Sylvius*, & Rubricæ Missalis superius q. 27. relatæ. Censeo, faciendam esse distinctionem Si enim nullus alius adsit Sacerdos, nisi non jejunus præcise *jejunio naturali*, v. g. qui jam celebravit, vel parum potionis aut panis sumpserit, censeo, talem obligari ad supplendum Sacrificium, saltem vi Rubricarum Missalis. Si vero jam esset pransus & potus, aut vocaretur à mensa, ita ut nec esset jejunus jejunio Ecclesiastico, utpote jam sumpto vel anticipato jam prandio, non esset obligandus ad supplendum, nec de taliter jam pranso intelligendæ videntur Rubricæ Missalis, utpote quæ nolunt deducere, aut deduci ad innumera absurda, qualia ex illa obligatione sequerentur. Nam si talis casus contingeret circa horam meridianam, deberet in civitate, vel in vicinis pagis inquiri sacerdos jam benepransus, & è medio convivarum advocari ad supplendum sacrificium; quod absurdum esse nemo non videt. Videatur C. *Nihil*, causa 7 q. 1. & *Azor* l. 10. C. 33. qui suo tempore, ut & *Leander*, nondum videtur vidisse Rubricas Missalis Romani, aut forte eas non consideravit tanquam *præceptivas*, sed ut *directivas* solum, quia non sunt munitæ aliqua Bulla, vel Decreto Apostolico. Certe in antiquis Missalibus MSS. quorum plura vidi, non continentur. Imo hoc satis colligitur ex Missali Romano, edito Venetiis anno 1597. sub sequenti titulo: Missale Romanum ex Decreto SS. Concilii Tridentini restitutum, ac PII V. jussu editum cum additis Sanctis ex præcepto SIXTI V. & CLEMENTIS VIII. in Kalendario descriptis. In hoc Missali necdum extant illa verba; *& in casu necessitatis etiam per non jejunum*, quæ verba primum in Missalibus Romanis ab anno 1604 editis inserta sunt de solo casu necessitatis, v. g. si adhuc magna multitudo esset communicanda, & non adessent Hostiæ consecratæ, vel si providendus esset moribundus, & non adesset Hostia, vel si pro solenni processione v. g. in Festo Corporis Christi essent consecranda major Hostia. Si enim CLEMENS VIII. qui anno 1604. illa verba Rubricis addidit, solum pro fine & motivo habuisset integritatem Sacrificii, redundarent hæc verba: *in casu necessitatis*, & dixisset illimitate: *Missa per alium Sacerdotem expleatur etiam non jejunum*.

QUÆRITUR 29. Si in prædictis casibus desit Sacerdos, qui compleat Sacrificium, an laicus possit sumere Species consecratas, etiam vini?

RE-

RESPONDEO. Id negant *Navarrus* & *Henriquez*. Id vero laico adhuc jejuno & devoto concedunt *Leander*, *Ledesma*, *Cruz*. *Diana* vero & *Vasquez* id solum concedunt, quando esset periculum, ut species acescerent, & corrumperentur, aut in manus hæreticorum devenirent. Censeo, in partibus, ubi saltem altero die facile possit haberi sacerdos, in laico non esse permittendum; & si longiori tempore non posset haberi, eas species potius absumendas esse à modesto infante, quam ab adulto.

QUÆRITUR 30. Si Sacerdos post ablutionem aut post dictas orationes reperiat particulas consecratas, an possit illas consumere?

RESPONDEO. Negant *Paludanus*, *D. Antoninus Rosella*, *Sotus*. Id vero concedunt *Navarrus*, *Cajetanus*, *Sylvester*, *Suarez*, *Vasquez*, & alii multi. *Hurtado* tamen advertit, si particula sit magna, & adsit Pyxis, eam servandam esse.

QUÆRITUR 31. Si Sacerdos redux à Missa reperiat aliquas particulas consecratas in calice vel patena, an eas possit consumere?

RESPONDEO. Id negant *Paludanus*, *D. Antoninus*, *Rosella*, *Angelus*, *Henriquez*, *Sylvester*, *Bonacina*, & alii. Id vero concedunt *Leander*, *Suarez*, *Ægidius*, *Layman*, *Fagundez*, *Lugo*, *Dicastillo*, *Granadus*. Ratio est, quia moraliter sumitur per modum complementi ad sacrificium. Excipiunt tamen aliqui, nisi particula sit notabilis, quæ decenter servari possit.

QUÆRITUR 32. An sacerdoti post sumptam calicis ablutionem liceat sumere reliquias consecratas ab alio, si in calice vel patena reperiantur?

RESPONDEO. Id affirmat *Palaus*. Sed negant *Henriquez*, *Suarez*, *Bonacina*, *Fagundez*, & alii plerique. In dubio autem, an sint consecratæ nunc à se, vel ab alio, eas absumere permittit Leander, Lugo, Henriquez. Idem concederem, si particulæ non possint servari aut sumi alio modo sine majori irreverentia.

QUÆRITUR 33. An sacerdos post longam communionem laicorum immediate post Sacrum possit vasa purificare, & reliquias absumere?

RESPONDEO. Id negant *Paludanus*, *D. Antoninus*, *Rosella*, & *Hurtado*. Id vero, si particulæ in eadem Missa fuerint consecratæ, eæque commode servari non possint, concedit *Suarez*, *Bonacina*, *Fagundez*, *Lugo*, *Filliutius*, *Hurtado*, *Leander*. Idem concederem in casu, quo servari aut sumi alio modo non possint sine majori irreverentia, etiamsi ab alio sint consecratæ, v. g. si afferantur à pœnitente hostiæ consecratæ, quas post communionem suo ore extraxit. Eas enim sumerem post sacrum secreto in cubiculo vel oratorio.

QUÆRITUR 34. An hujus reliquiæ possint dari communicantibus, si nondum vinum pro ablutione acceperint?

RESPONDEO. Id quidem concedit *Leander*, *Lugo*, *Cruz*, *Dicastillo*. Sed merito id negat *Suarez*, *Bonacina*, *Fagundez*, *Filliutius*, *Ægidius*, *Th. Hurtado*. Ratio est, quia hæ reliquiæ vix præberi possunt laicis sine irreverentia; & quia nullum habetur exemplum, in quo Ecclesia consumptionem talium reliquiarum indulserit laicis.

D. Amort Tract. de Eucharistia.

QUÆRITUR 35. An quis, etiam laicus, non jejunus possit absumere Hostiam, si sit periculum, ne irreverenter tractetur v. g. ab hæreticis?

RESPONDEO. Id affirmant unanimiter Doctores.

QUÆRITUR 36. An quis licite possit celebrare vel communicare non jejunus, propter scandalum vel infamiam vitandam?

RESPONDEO. Id negat *Navarrus*. Id vero concedit *Vasquez*, *Suarez*, *Lugo*, *Layman*, *Th. Hurtado*, *Leander*. Censeo, id posse permitti, nisi sacerdos ultro sua culpa, se in hoc periculum infamiæ conjecerit.

QUÆRITUR 37. An possit infirmo non jejuno Eucharistia conferri?

RESPONDEO. Si infirmus sit in probabili mortis periculo, id licet. Id patet ex declaratione Concilii *Constantiensis* relata q. 1. Id etiam docent authores, & praxis Ecclesiæ.

QUÆRITUR 38. An infirmo, qui jam semel accepit viaticum, possit non jejuno dari Eucharistia durante eadem infirmitate?

RESPONDEO. Id negat *Vasquez*, *Ledesma*, *Medina*, *Hurtado*, *Samacheus*, *Præpositus*, & alii. Sed id merito concedunt *Tabiena*, *Armilla*, *Sotus*, *Reginaldus*, *Henriquez*, *Suarez*, *Dicastillo*, *Leander*, & alii.

QUÆRITUR 29. An infirmo durante eadem infirmitate liceat quotidie non jejunio Eucharistiam dare?

RESPONDEO. Id negant fere omnes Doctores utriusque sententiæ in quæstione præcedente relati. Requirunt enim aliquot dierum intervallum inter unam & alteram communionem. Id vero post sumptionem Medicinalium Infirmo concedit *Leander*, *Palao*, *Bassæus*, *Dicastillo*. Id etiam approbo, si Eucharistia non debeat per plateas ad infirmum deferri, ne fiat murmur aut æmulatio populi, sed hoc fieri possit in oratorio domestico; sique in infirmo concurrant conditiones ab Innocentio XI. in Decreto de communione quotidiana requisitæ.

QUÆRITUR 40. An infirmus, si non decumbat periculose, post sumptionem medicinæ possit sumere Eucharistiam in Paschate?

RESPONDEO. Id affirmat *Toletus*. Sed negat *Leander*, & *Diana*. Assentior Toleto, si in villis rusticanis longe à parochia dissitis alio die non possit commode haberi Parochus: vel si hic error primum deprehendatur à Parocho, postquam Eucharistia jam solenniter per plateas ad ædes infirmi portata est.

QUÆRITUR 41. An liceat Eucharistiam deferre ad infirmum, qui eam non potest sumere ratione vomitus, vel ob aliud impedimentum?

RESPONDEO. Id non licet ob Decretum S. Pii V. & S. Congregationis Concilii, de quo testantur *Sa* V. Eucharistia. n. 5. & *Rodriquez* p. 1. C. 64. n. 3.

QUÆRITUR 42. An post absolutam Missam, vel sumptam Eucharistiam, liceat statim alios cibos sumere?

RESPONDEO. Id negant *Sylvester*, *Angelus*, *Sa*, *Diana*, *Fagundez*. *Leander* docet; id quidem licere, sed *non decere*. Sed hoc est absurdum. Si enim *non decet*, signum est, quod agatur contra reverentiam Sacramenti, adeoque actum esse quandam deordinationem rationis, si fiat sine necessitate, vel causa gravi, v. g. dum properandum est iter, aut sumenda medicina. Dico proin; ejusmodi deordinationem rationis, quamvis non sit specialiter prohibita lege semper esse peccatum veniale; & si fiat ex consuetudine, aut constanti proposito, esse etiam peccatum mortale; quia arguit vilipensionem habitualem hujus Sacramenti, & neglectum charitatis erga Deum. Neque alia est mens D. THOMÆ. Solum enim ostendit, quod non agatur contra legem positivam Ecclesiæ statim comedendo post Missam de quo solo ibi movebatur quæstio; non vero probat, quod non agatur contra rationem, sic comedendo sine gravi causa. Imo, si attente inspiciatur, docet, agi contra rationem, ac contra reverentiam Sacramento debitam; p. 3. q. 80. a. 8. ad 6. sic scribit: *Maxima devotio requiritur in ipsa sumptione hujus Sacramenti; quia tunc percipitur Sacramenti effectus, quæ devotio magis impeditur per præcedentia, quam subsequentia. Et ideo magis est institutum* (ab Ecclesia per legem positivam) *quod homines jejunent ante sumptionem hujus Sacramenti, quam post. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem hujus Sacramenti, & alios cibos. Unde & in Missa Oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & communicantes etiam suas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos Canones statutum fuit à Papa Clemente; ut habetur de Consec. dist. 2. Si mane Dominica portio editur, usque ad Sextam jejunent Ministri, qui eam sumpserint, & si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperum. Nunc autem, quia oportet frequentius mysteria celebrare, non posset de facili observari, & ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum*, Ex hoc discursu D. Thomæ patet, dari intrinsecam exigentiam rei ad interponendum intervallum; quia alioquin antiquitus tam magnum intervallum non fuisset requisitum; & hinc, licet illa lex fuerit *abrogata*, aut illi quoad excessum rigoris potius *derogatum*, quoad substantiam tamen obligationis naturalis, qua debemus Christo reverentiam & devotionem, non potuit abrogari. Similia habet in 4. dist. 8. q. 1. a. 4. qq. 3. *Dicendum*, inquit, *quod secundum consuetudinem Ecclesiæ propter reverentiam tanti Sacramenti post ejus sumptionem homo debet in gratiarum actione persistere. Unde etiam in Missa Oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & Sacerdotes post celebrationem suas speciales orationes habent ad gratiarum. Et ideo oportet esse aliquod intervallum inter sumptionem Eucharistiæ & aliorum ciborum.* Si ergo hoc requirit Consuetudo Ecclesiæ, non potest esse licitum, statim post Missam sine gravi causa cibos edere. Nec obstat, quod D. Thomas ibi dicat, id fieri posse *statim* post Missam. Ipsemet enim insinuat, se hune terminum, *statim* sumere *moraliter*, & *comparative* ad magnum illud aliquot horarum intervallum, quod exigebatur per Canones antiquos.

QUÆRITUR 43. An licitum sit, statim post communionem exspuere?

RESPONDEO. Id negant *Cajetanus*, *Henriquez*, *Tabiena*, *Layman*. LEANDER ait; id esse absolute loquendo licitum; *sed non decere*, GRANADUS respondet; consultum esse & reverentiæ tanti Sacramenti consentaneum, si *fieri commode possit*, non exspuere, donec bona pars temporis elabatur. Quod vero attinet ad obligationem præcepti, si non esset dubium, Eucharistiam jam esse trajectam in ventrem, vel aliquid Sacramenti hæsisse, sine peccato posse exspui. Censeo, relinquendum esse cujuslibet judicio, an sine prudenti dubio judicet, nullam exspui particulam. Si hoc intrepide judicet, poterit exspuere. Si vero dubitet, non tenetur quidem deglutire sputum glutinosum; id enim noceret sanitati; si tamen natura exonerationem petat, exonerandum est in strophiolum mundum, quod, ut celebrans aut communicans secum habeat, decet.

QUÆRITUR 44. An liceat ad Eucharistiam accedere ante somnum captum, vel cibum digestum?

RESPONDEO. Id negant *Glossa* in C. *nihil*. 7. q. 1. *Panormitanus*, *Felinus*, *Aureolus*, *Ricardus*, sed affirmant *D. Thomas*, *Navarrus*, *Henriquez*, *Suarez*, *Sotus*, *Fagundez*, *Bonacina*, & communis. Censeo tamen; si hoc fiat sine gravi causa; v. g. itineris, sed protractione cœnæ, vel compotationis in seram noctem gulositatis causa, committi speciale peccatum irreverentiæ erga Sacramentum; & si hoc fiat ex consuetudine, vel constanti proposito, etiam peccari mortaliter. Id non obscure indicat S. Thomas p. 3. q. 80. a. 8. ad 5. ubi ait: *Si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eadem die sumere Sacramentum. Potest vero, si ante mediam noctem. Nec refert, utrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti. Refert autem, quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem, vel indigestionem. Ex quibus, si mens multum perturbetur; homo redditur ineptus ad sumptionem hujus Sacramenti.* Ex his manifestum est, si id fiat sine causa bene visa Deo, peccari saltem venialiter. Attamen in sacra nocte, abstrahendo à positiva lege Ecclesiæ, non videtur inconveniens, si devotis personis porrigatur communio, præsertim ubi Parochus mane tenetur celebrare in alia Ecclesia dissita, ut ruri fit.

§. 5.

Circa alias dispositiones in communicante requisitas?

QUÆRITUR 1. An pollutio involuntaria pro eo die impediat communionem saltem sub peccato veniali?

RESPONDEO. Id affirmant *Albertus* M. D. *Bonaventura*, *Paludanus*, *Angelus*, *Gabriel*. Sed D. THOMAS, *Suarez*, *Fagundez*, *Henriquez*, *Bonacina*, *Layman*, & alii id negant, si pollutio contingat inculpabiliter. Si vero contingat quidem culpabiliter, sed tantum per culpam venialem, censet D. Thomas, communionem non quidem impediri ex *necessitate*, eam tamen impediri ex *congruentia*. Unde infero; si sacerdos alio-

alioquin assuetus vel obligatus ad quotidie celebrandum ex omissione Sacri se exponeret sinistris aliorum suspicionibus, eum præmisso actu pœnitentiæ & amoris erga Deum posse celebrare. Ratio est, quia in tali casu major exhibetur irreverentia, & ansa displicentiæ, si ob culpas veniales difficulter evitabiles aliorum irrisioni aut vilipensioni exponatur status Sacerdotalis Ministrorum alias fidelium Deo & proborum. Ut autem sciatur, quandonam timeri debeat in hoc genere culpa mortalis, aut venialis, aut nulla, id exacte D. THOMAS declarat p. 3. q. 80. a. 7. c. ubi sic scribit: „Circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari. Unum quidem, ratione cujus *ex necessitate* impedit hominem à sumptione hujus Sacramenti. Aliud autem, ratione cujus non ex necessitate impedit hominem, sed ex *quadam congruentia*. Ex necessitate impedit hominem ab hujus Sacramenti perceptione solum peccatum mortale. Et quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non possit; nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo considerandа est causa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim provenit à causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusione, qui phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluiditate sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluiditate cibi & potus. Quælibet autem harum trium causarum potest & sine peccato, & cum peccato veniali, vel mortali existere. Et si sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem hujus Sacramenti, ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem & orationem, quæ potest esse & mortale & veniale peccatum. Quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem à sumptione hujus Sacramenti. Unde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum; seniores comperto, quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt, quod propter hoc à communione non cessaret; & ita cessavit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lasciviæ quandoque possunt esse omnino sine peccato; puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc fit sine concupiscentia & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ, ex quibus tamen pollutio sequi potest. Quandoque vero præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia & delectatione; & si adsit consensus, erit peccatum mortale; si autem desit, erit veniale. Similiter etiam & causa corporalis quandoque est sine peccato; puta, cum est ex infirmitate naturæ: unde etiam quidam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur; vel etiam, si fit ex superfluitate naturæ. Sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ita & semen, quod est superfluitas sanguinis. Quandoque vero est cum peccato, puta, cum provenit ex superfluitate cibi vel potus; & hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale; licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi & potus. Unde & Gregorius in Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum dicit; cessandum esse à communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit; non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit (communicandi). Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem hujus Sacramenti. Ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo; quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere; unde & volentes tangere aliquid sacrum manus lavant; nisi forte talis immunditia sit perpetua aut diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem (communicandi); puta, ut dicit Gregorius i. e. cum fortasse aut festus dies exigit; aut exhibere ministerium pro eo, quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.“ Hucusque S. Thomas. Leander hoc loco scribit, quod dæmon quandoque viros probos etiam exterius in corpore agitent. Et hinc de personis, si dubitant, an consenserint, vel libere cooperatæ fuerint noctu, judicium ferendum est ex iis, quæ de die in vigilia operantur. Si enim nunquam de die in hoc genere peccant, nec quidem venialiter per actus externos, moraliter certum est, eas nec cum plena libertate cooperatas esse de nocte.

QUÆRITUR 2. An liceat sumere Eucharistiam eodem die, quo se polluit, aut fornicatus est?

RESPONDEO. Id negant *Navarrus*, *Marsilius*, *Covarruvias*. Id vero concedunt vere pœnitentibus, D. THOMAS p. 3. q. 80. a. 7. ad 1. & 4. *Adrianus*, *Gabriel*, *Fagundez*, *Henriquez*, *Suarez*, *Filliutius*, *Lugo*, *Fagundez*, *Sylvester*; imo etiam *Navarrus* C. 21. n. 51. in posteriore editione.

QUÆRITUR 3. An talis accedens ad communionem peccet saltem venialiter?

RESPONDEO. Id quidem affirmat *Valentia*, *Victoria*, *Bonacina*, & *Granadus*; sed, si pœnitens vero cum dolore & fiducia post confessionem accedat, nequidem peccat venialiter. Christus enim peccatores vere pœnitentes libenter reci-

pit. Ita *Leander*, *Sancius*, *Gabriel*, *Navarrus*, *Paludanus*.

QUÆRITUR 4. An peccent conjuges saltem venialiter, si accedant ad Eucharistiam ipso die exercitiæ causa voluptatis copulæ?

RESPONDEO. Paludanus affirmat, hoc esse peccatum mortale. At *Sanchez*, *Henriquez*, *Sa*, *Lugo*, *Fagundez*, & alii censent esse veniale. Censeo hoc absolute tenendum esse quoad petentem causa voluptatis debitum. Aliud dicendum respectu reddentis debitum, aut illud exigentia sine sua culpa ratione repentinæ tentationis sibi nec in,se nec in sua causa voluntariæ, ex qua timeretur sequi pollutio. Hi enim, si utantur matrimonio loco, & modo debito alias licito, non impediuntur à communione, si alioquin urgeat gravis causa sumendi communionem. Ita quoad rem respondet D. Thomas p. 3. q. 80. a. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod coitus conjugalis, si sit sine peccato; puta, si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum, non alia ratione impedit sumptionem hujus Sacramenti, nisi, sicut dictum est de pollutione nocturna, quæ est sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Ratione hujus Hyeronimus dicit super Matthæum. Si panes propositionis ab his, qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo ante vacavere amplexibus, violari atque contingi? Non quod nuptias condemnemus; sed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare carnalibus operibus non debemus. Sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum, Gregorius in Epist. ad Aug. l.* 10. *c.* 10. *dicit: Quod talis est suo judicio relinquendus. Si vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere, ut ibidem Gregorius subdit, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.* Ita S. Thomas, qui ingenio docili sufficit.

QUÆRITUR 5. An mulieri patienti fluxum sanguinis, aut tempore menstrui, consulendum sit, ut ab Eucharistia abstineat?

RESPONDEO. Id quidem affirmant *Suarez*, & *Granadus*, nisi causa communicandi urgeat. Id tamen permittit *Lugo*, *Henriquez*, *Dicastilio*, & alii communiter. Censeo; hoc non esse consulendum mulieribus, accedentibus tantum ex consuetudine, & afferentibus perpetuo eadem peccata venialia externa satis deliberata. Econtra permittenda est communio non obstante hoc defectu naturali fœminis valde devotis & exemplaribus, dummodo se debite præmuniant, ne per fluxum irrogetur templo irreverentia, & aliis per tetrum odorem ejusmodi humorum molestia in Ecclesia.

QUÆRITUR 6. An peccet venialiter, qui accedit ad Eucharistiam non loto ore, facie, manibus?

RESPONDEO. Nisi excuset sufficiens causa, approbabilis à Deo, talis peccat venialiter. Quia debetur huic Sacramento munditiës & reverentia tanta, quanta saltem exhiberetur in adventu magni principis in hospitium. Ita *Granadus*, & *Leander*. Accedit, quod ore non loto à pœnitentibus confessario sæpe creetur magna molestia, & abbreviandi necessitas, quantum salva integritate Sacramenti fieri potest. CONFIRMATUR ex Serm. 244. S. AUGUSTINI. *Erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere.*

QUÆRITUR 7. An Eucharistia licite ministretur Energumenis?

RESPONDEO. Ministratur licite, dummodo in Ecclesia & sumptione Eucharistiæ quieti sint. Ita observat praxis Ecclesiæ jam à primis temporibus. Concilium Arausicanum I. Can. 14. ait: *Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curent, & se sollicitudine Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodo communicent, Sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior. Prosper Aquitanicus* l. 4. Prædiction. C. 5. seu alius author illius libri refert insigne miraculum, quomodo puella per applicationem sacrati Calicis, dum particulam sacratæ hostiæ trajicere non potuit, liberata sit. Et Cassianus Collat. 7. C. 29. & 30. de energumenis scribens ait: *Communionem sacrosanctam eis à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam; quinimo si possibile esset, etiam quotidie eis impertiri eam debere censebant. Ad purgationem enim ac tutelam corporis animæque pervenire credenda est, quæ eum, qui insidet spiritum, velut exurens fugat incendio. Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum nuper aspeximus, aliosque quamplures.* Concilium vero ELIBERITANUM, quod Can. 29. vetat dari communionem Energumenis, solum loquitur de iilis, qui actu exagitantur à dæmone, ita ut varia indecentia agant, v. g. proferendo blasphemias in Deum aut exspuendo in divina. Timendum enim, ne etiam Eucharistiam exspuant.

QUÆRITUR 8. An aliquando constitutus in peccato mortali possit sumere Eucharistiam sine confessione, attamen eliciendo contritionem?

RESPONDEO Affirmative. Tunc videlicet, quando non potest baberi confessarius, & urget necessitas communicandi. Id docet Concilium Tridentinum Sess. 13. C. his verbis: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis contritus sibi videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Idem habetur Can. 11.

QUÆRITUR 9. An constitutus in peccato mortali possit sine confessione licite cum sola con-

contritione communicare propter scandalum aut infamiam vitandam?

RESPONDEO. Id concedunt *Suarez*, *Lugo*, *Ægidius*, *Reginaldus*, *Fagundez*, & alii communiter.

QUÆRITUR 10. An idem liceat in casu, quo esset periculum gravis aliorum admirationis?

RESPONDEO. Id merito negant *Ægidius*, *Reginaldus*, *Trullenb*, *Dicastillo*, *Diana*; Ratio est, quia non omnis gravis admiratio est conjuncta cum periculo scandali publici, aut infamiæ publicæ in plebe. Periculum autem sinistræ suspicionis apud unum vel alterum, vel apud familiares, vel apud paucos aliquos probos & prudentes non videtur prævalere præcepto communicandi cum morali certitudine status gratiæ, quæ certitudo raro habetur per solam contritionem. Aliud esset dicendum, si cum admiratione conjunctum esset periculum infamiæ publicæ, aut scandali publici. Hæc enim mala redundant in plures, & difficulter sunt reparabilia. Ita videtur sentire SUAREZ disp. 66. Sect. 4. ubi ait: *Est autem observandum, aliud esse scandalum, aliud* vero populi quandam admirationem. Hæc enim posterior, quidquid *aliqui Summistæ dicant, non est sufficiens causa ad communicandum sine confessione, ne alii admirentur, videntes, eum conjuctam communionem omittere. Sola enim admiratio non affert in hac parte aliquid nocumenti, neque est res magni momenti, nisi simul cum illa vel scandalum vel infamia conjuncta sit, quod tamen moraliter loquendo sæpe accidere solet. Ex hac enim admiratione solet vulgus & leves homines occasionem facile sumere, aut judicandi de aliquo temere, aut de eo murmurandi, & consequenter infamandi proximum. Quando ergo hujusmodi periculum timetur, est causa justa & sufficiens.* Ita Suarez.

QUÆRITUR 11. Si Sacerdos post introitum, sed ante consecrationem recordetur, se esse in peccato mortali, an teneatur confiteri, si absque nota vel scandalo possit?

Id affirmant *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Sylvester*, *Navarrus*, *Suarez*, *Vasquez*, *Filiutius*, *Bonacina*, & plures alii. Id vero negant *Henriquez*, *Sotus*, *Paludanus*, *Laymann*, *Reginaldus*, *Leander*, & plures alii cum *Valentia*. Censeo; sacrificantem non teneri ad confitendum, quia est moraliter impossibile, vitari periculum scandali apud unum vel alterum Ministrantem, qui facile observaret confitentem. Scandalum autem à presbitero datum est malum maximum, & præbens occasionem plurium peccatorum. Idem censeo cum Leandro, si sacerdos jam sit constitutus in Altari. Quando autem est periculum scandali vel infamiæ, licitum esse communionem cum contritione, vidimus in priori quæstione.

QUÆRITUR 12. An liceat laico communicare, si jam constituta in scamno communicantium, recordetur peccati mortalis, sine prævia confessione?

RESPONDEO. Licite communicat. Ita *Henriquez*, *Valentia*, *Granadus*, *Leander*, & alii. Ratio horum Doctorum videtur esse periculum scandali vel infamiæ. Sed mea ratio est; quia talis, cum in præcedenti confessione jam fuerit indirecte absolutus, est moraliter certus, se esse in statu gratiæ, nec remanet illi alia obligatio, nisi peccatum oblitum in proxima confessione confitendi. Aliud dicendum foret, si recordaretur, se adhuc esse in statu peccati mortalis ob defectum essentialem in confessione commissum, v. g. propositi, vel doloris. Tunc enim, si esset persona plebeja indocta, cujus conditionis homines sæpe ob teneritudinem conscientiæ, vel oblivionem pœnitentiæ injunctæ, vel ob scrupulum quoad peccati circumstantiam aliqualiter aggravantem solent redire ad confessionale, teneretur prius confiteri, non obstante aliqnali admiratione hominum.

QUÆRITUR 13. An Sacerdos vel Laicus jam constitutus in altari, si recordetur peccati in confessione ultima obliti, teneatur ante communionem elicere contritionem?

RESPONDEO. Id negat *Lugo*, *Diana*, *Præpositus*, *Vasquez*, *Granadus*, *Leander*. Rationem dant, quia talis homo jam supponitur esse constitutus in statu gratiæ. Sed hæc doctrina falsa est, quia, ut suppono ex Tract. de Pœnit. homo tenetur etiam in confessione peccata mortalia distincte detestari propter Deum. Cum ergo tale peccatum oblitum necdum distincte detestatus fuerit, tenetur illud detestari saltem ante communionem per talem contritionem, qualis requiritur in confessione.

QUÆRITUR 14. An Sacerdos vel Laicus, qui in præcedenti confessione oblitus est alicujus peccati mortalis, vel circumstantiæ speciem mutantis, possit licite accedere ad communionem sine prævia confessione, si habeat copiam confessarii, nec sit periculum infamiæ vel scandali?

RESPONDEO. *Leander* scribit; *certissimum* esse, quod talia teneatur prius confiteri. Testatur etiam, quòd Censores fidei in Hispania jusserint deleri sententiam oppositam, ut habetur in Indice Expurgatorio Hispaniæ edito anno 1640. in Appendice. *Diana* sententiam oppositam vocat *improbabilem*; & *Lugo* dicit, se *nullum* invenisse authorem asserentem oppositum. Similia dicitur habere Suarez Disput. 66. sect. 4. Verum res aliter se habet. Nam P. PETRUS CORNEJO, in Universitate Salmanticensi SS. Theologiæ Professor, qui jam scripserat anno 1627. adeoque diu ante *Lugonem* in 3. part. Tract. 4. circa q. 80. art. 4. dub. 3. n. 2. sic scribit: *Quæritur, an Sacerdos quando præmisit confessionem, & oblitus fuit alicujus peccati mortalis, cujus post celebrationem recordatur, teneatur confiteri saltem illud peccatum, antequam iterum celebret? Quidam negant, tum quia iste revera non habet conscientiam peccati mortalis, cum illud jam ei fuerit per absolutionem remissum, quamvis teneatur illud confiteri tempore, quo præceptum affirmativum confessionis obligat per se semel in anno; tum quia ideo præcipitur confessio ante communionem, quando est conscientia peccati mortalis, quia probatio requisita ab Apostolo non debet relinqui judicio proprio, sed confessoris. At iste, de quo loquimur, est in gratia judicio confessoris. Ergo non est ei præcepta nova confessio. Alii vero affirmant. Mihi videtur utraque sententia probabilis; sed hanc posteriorem judico amplecti à viris timoratæ conscientiæ.* Ex hoc modo tendendi patet, quod Cornejo etiam priorem sententiam judi-

judicet esse tutam, quia viri timoratæ conscientiæ vocari solent illi, qui in omni casu amplecti amant tutius. Alter, qui etiam scripsit diu ante Lugonem, nempe anno 1628. est P. Joannes PRÆPOSITUS ex Soc. Jesu, in Universitate Lovaniensi & Duacensi SS. Theologiæ Professor. Is in 3. part. q. 80. art. 5. dub. 3. n. 15. sic scribit: *Si aliquis sit legitime confessus, qui in confessione ex oblivione vel justa de causa aliquod peccatum non explicuit, potest communicare antequam præmittat confessionem illius peccati, quia per præcedentem confessionem & absolutionem illius peccati remissionem est consecutus, quamvis indirecte, estque in statu gratiæ.* HENRIQUEZ in Summa l. 8. C. 46. §. 3. similiter docet, talem communicantem, qui adstat communionis linteo, & recordatur peccati mortalis obliti in confessione, non obligari ad præmittendam illius peccati obliti confessionem, *etiamsi confiteri posset sine infamiæ nota & scandalo.* Censeo PRÆPOSITI sententiam esse veram, dummodo pœnitens moraliter certus sit; se jam esse in statu gratiæ. Cum enim in primis sæculis viguerit usus quotidianæ communionis, & confessiones fuerint raræ, videtur impossibile, multis non incidisse varias circumstantias speciem mutantes, aut peccata, quorum obliti fuerant in ultima confessione quia tamen propterea abstinuerint à communione. Idque præsertim concluderem in hominibus plebeis, debilis memoriæ, deponentibus confessionem generalem, inclinantibus ad scrupulositatem, vel hominibus teneræ valde conscientiæ, quibus sæpe incidere solent post confessionem circumstantiæ eorum judicio probabilius mutantes speciem, vel numerum.

Cæterum afferuntur quidem à Leandro & aliis Theologis multa alia similia dubia circa dispositionem communicantium. Cum tamen authores inter se litigent, nolim tempus perdere in hujusmodi casibus prorsus particularibus, cum in iis ad prudentem resolutionem sufficiant principia generalia, & Lex charitatis erga Deum & Ecclesiam, semper respiciendo ad bonum universale animarum primario intentum per leges à Deo & Ecclesia.

F I N I S.